R. P. D.

CAJETANI FELICIS

VERANI,

DE

AFFECTIBUS HUMANIS CIENDIS ET COERCENDIS.



Pater Ragnus Remy Prof. Ursinen. invent. et delin.

G. Heinr. Schyflen Sculps.

PANTHEON
ARGUTÆ ELOCUTIONIS,
ET
OMNIGENÆ ERUDITIONIS
SELECTIORI EXTRUCTUM ATTICISMO.
OMNIA POLITIORIS LITERATURÆ
COMPLECTENS GENERA,
OPUS
DUOBUS TOMIS DIGESTUM.
TOMUS SECUNDUS
COMPLECTENS,
QUÆ PERTINENT AD UNIVERSAM ERUDITIONEM
POETICAM, MYTHICAM, ICONICAM, LAPIDARIAM,
ET SYMBOLICAM.
Agiturque de Hieroglyphicis, Emblematis, Symbolisque heroicis exhibentibus Naturas, & Proprietates corporum cœlestium, Elementorum, Volucrum, Animalium, Insectorum, Piscium, Plantarum, Florum, Metallorum, ac gemmarum, quibus adduntur Excursus Morales vitiis amovendis, Virtutibus promovendis accommodati.

AUTHORE
R. P. D. CAJETANO FELICE VERANI,
Clerico Regulari SS. Theologiæ Professore.

Editio tertia auctior & emendatior,
Cui accesserunt aliquot Tractatus antehac inediti.



Cum Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VINDEL. & FRANCOFURTI,
Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD.
Anno M. DCC. XII.

ILLUSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO
JOAN. ANTONIO SCHAFFGOTSCH,

S. R. I. Comiti, & ſemper-Frey, De, & in Kinaſt Libero Baroni in Franchenberg. Dynaſtiarum Kinaſt, Greiffenſtein, Giersdorff, & Boberrosdorff, nec non in Schosdorff, Standorff, Preisdorff. Buchwald & Hartau Domino hæreditario, Sacræ Cæſareæ, Regiæq; Majeſtatis Conſiliario intimo, & Camerario, Ducatuum Suidnicenſis & Jaurovienſis Capitaneo Plenipotentiario, ibidemq; Aulæ & Judicii Regii Præfecto ſupremo hæreditario, &c. &c.

VIrtuti conſentaneum ſemper viſum fuit Illuſtriſſime, Excellentiſſime S. R. I. Comes, ut his Majorum præclarè geſtis ſuperſtites glorientur, quorum auſpiciis ad magna quæque trahuntur: ſicut obnoxii, & puſilli eſt animi alienam laudem ſibi arrogando præripere, ita ingenui eſt viri ultrò gloriam alacri promptitudine ſuo reſtituere Authori; id æquitas perſuadet, ac indita hominibus ratio præſcribit. Dicuntur flumina ſua è maris ſinu natalia trahere, & ſe ſe grato, ſedatoque defluxu primævæ ſuæ reſtituunt origini non ſolum in naturæ inviolatam conſtantiam, verùm

etiam

etiam in humanæ gratitudinis documentum: quod si flumina unde exierunt revertuntur, & reciproco undarum fluxu ad suam pleno alueo revertuntur originem: æquitas exigit, ut quæ ab aliis in nos bona redundant iisdem debeantur: & quia quidquid in hominibus splendet commendabile, id mutuum à divino Numine accipiunt homines, à quo perinde ac flumina è pelago in eosdem derivatur, æquitatis officium est, ut in divinum referatur Numen; cujus veritatis conscius Ethnicus Philosophus scitè admonet *quidquid boni possides, & agis in Deos refert.* Profectò hocce Philosophi documentum adimplet, exequiturque Schaffgotschiana Progenies, quam à pluribus retroactis sæculis Nobilitas ornat, Pietas fulcit, ac omnigena virtus munit. Gloriatur siquidem per sanguinis necessitudinem matrimonii vinculo arctius Cœlitibus illigatam, suam traxisse originem, suumque mutuâsse Nobilitatis splendorem à Sancta Hedwige ex Principibus Lignicensibus in Ducatu Silesiæ oriundâ, quæ Solis æmula nunc cœlo affixa terras omnes sanctitatis nitidissimo radio illustrat. Ab hac igitur Cœlitum clarissima, ab hac heroicarum virtutum laudatissima cultrice suæ Nobilitatis mutuatos possidet splendores Gens Schaffgotschiana; perinde ac cœli lumina à sole, qui sui luminis est faber suos hauriunt nitores.

A cœlesti igitur origine, à Regnante in cœlis, omnis in terris fortuna, omnisque Nobilitatis splendor in hanc descendit felicissimam, ac illustrissimam Prosapiam; cujus antiqui tituli, Illustres ceræ, heroum insignia, ac monumenta ubique per Silesiam, Moraviam, Bohemiam, Poloniam, Hungariam, Austriam & Germaniam totam clarescunt. Idque causæ cur in uberrima vestram virtutum segete protritam illam Rhetorum legem derivandi laudes ab Avita Nobilitate præterire nec debui, nec volui: est enim felicitas hæc nascendi donum divinæ Munificentiæ minimè contemnendum, sed plurimi faciendum, & in Gente Schaffgotschiana participatio cœlestis splendoris, & luminis gloriæ, quo Cœlites æterna beatitate donati DEum intuentur, ac summo Bono fruuntur; & in terris Majores vestri claruerunt in sydera, quæ nunquam suo frustrata lumine, nulla unquam laborârunt eclypsi, ac stirpi Schaffgotschianæ in perpetuæ gloriæ tesseram concreditum fuit poculum subfuluo excavatum lapide, quavis tamen pellucida gemma longè pretiosius, quavis albescente Margarita illustrius, ex quo sancta Hedwigis bibere consueverat ad desideria rerum in mundo fluxarum extinguenda potius, quàm sitis æstus temperandos. Gens enim vestra si hoc poculo sitim non extinguit, generosos tamen ebibit spiritus, quibus desideria accendit, quæ ad culturam summarum virtutum sunt incitamenta, in quibus clarior Divinitas splendet; sunt enim studia virtutum, quæ suum nunquam deserunt cultorem, cujus nobiliorem partem ornant, veluti splendentes mentis scintillæ, divinique Solis radiantes stellæ. Quòd si è poculorum generibus quoddam olim fuit *scala* nomine insignitum, cujus meminit Isidorus

rus *lib. 20. cap. 5.* inquiens: *Calices, & Calathi, & ſcale poculorum genera aurea ex ligno facta, unde & vocata;* ad perenniorem tamen ſtirpis Schaffgotſchianæ gloriam non ex ligno fabrefactum poculum, ſed ex firmiſſimo compactum lapide firmiorem exhibet ſcalam, per quam ejus poſſeſſores ad gradus aſcendunt celſiſſimarum dignitatum: Imperante ſiquidem Ferdinando II. Cæſare illo fuerunt honore ditati, ac prædicato inſigniti, quo in toto Romano Imperio non niſi quatuor, ex ſanguine, ac meritis illuſtriores gaudent, ſeu Titulo *Semper-Frey*, quo Principum condecorantur prærogativis. A Leopoldo I. Imperatore Titulo *Illuſtris* donati fuerunt, quò ſoli Principes & Marchiones S.R.I. gaudent, idque ob plurima congeſta merita in compeſcendo Bohemici Regni tumultu, coërcendisque populis, qui à præſtandis obſequiis Cæſari debitis deflexerant, ſuoque detrectârunt parere Imperatori & Regi, ad quos ſedandos motus proprio ære inclytus, ac munificus veſter Avus tres militum legiones conduxit, quibus & ſtipendia numeravit, ac Bohemicos tumultus compreſſit. Ab Auguſtiſſimo Romanorum Imperatore Joſepho I. ea fuit Schaffgotſchiana Familia inſignita favore, cumulata gratiis, ut coëmpto per Imperii ditiones Bono aliquo, perinde ac S.R.I. Comites ſuffragari Ratisbonenſibus in Comitiis imperialibus poſſit, ſuumque votum exhibere. Quòd ſi Avos, Proavos, Atavos, reliquosque Majores veſtros recenſere vellem, tot mihi obviarent Heroes, quot caſtra & hac ſtirpe enumerârunt Belli Duces, qui fauſto ac victore Marte pugnârunt, docuêruntque hoſtium Phalanges usque ad effuſum cruorem erubeſcere fugam; & magis rubere proprio ſanguine, quàm victas pudoris ſuffundi rubore. Imò non ſolum hoſtes fugârunt, vicerunt, proſtrarunt; verùm etiam obſidione vallata oppida, arcesque munitiſſimas occupârunt, urbes domuerunt, & poſt illuſtratos victoriarum ſplendoribus gladios ad Pacis etiam oleas excolendas ſe converterunt; ut Pallas æquè armata, ac olivæ ſatrix ipſos in utroque Cæſaris comprobaret æmulatores, cum didicerint non minus armis regna compeſcere, quàm eloquio animos populorum in obſequia Cæſarum, ac Regum flectere.

Verùm ad veſtra deſcenſurus decora, ne illi ſim gravis modeſtiæ, quâ ſemper fuit delectatus, perfunctoriè recenſebo, agamque compendio, quæ uberrimam dicendorum mihi ſegetem ſuppeditarent. Non indiget Sol meridiana luce coruſcus aſcititio nitore, ut videatur ſplendere: perinde ac Sol proprio nitore clareſcit, E. V. Illu^ma^. virtutibus, quas ad ſummæ laudis excolit incrementa ſplendet; in ipſa ſiquidem ſinguli humanæ Excellentiæ affulgent ſplendores, idque abundè teſtatur ſuſceptum vitæ inſtitutum, produnt egregiæ animi dotes, ſibique inſita propenſio ad illam ſcientiarum, ac virtutum culturam, quæ nobiliorem hominis partem perpolit, & quâ Imperatoribus, ac Regibus conſtituitur pergrata, & omnibus Aulæ Cæſareæ Dynaſtis, & Adminiſtris chara, plurimumque commendata,

data, ob indolis facilitatem, quâ in sua vota asperos animos, ac prædura pectora flectere in sua vota consuevit, ob excelsæ mentis candorem, quo translucidos sinceritatis sinus, perinde ac nitidissima gemma foris explicat: ob Pietatis studium, quo vel ab ipsis incunabulis adeo animum piis imbuit desideriis, ut in singula Christianæ vitæ se diffundat officia: ob politioris literaturæ ornamentum, quo plurimum valet eloquio: à teneris siquidem unguibus literis humanioribus, quarum amœnitate delectabatur animum eâ imbuit facilitate, ut non nisi melos loqueretur. Ecquis mihi recenseat Platonis adhuc infantis in labellis mellificâsse apes; in ore Stesichori cecinisse lusciniam? cum apibus ingeniosiores, cantuque suaviores, non ore tenus non primis tantum in labris, sed in vestro pectore tenella adhuc ætate eruditio, & sapientia resederint. Noverat E.V. Illu^ma. hortorum cultores non ex uno tantùm flore serta componere, sed in diversis areolis varia florum genera, quâ foliorum pompâ superbientium, quâ colorum elegantiâ jocantium, hyante calice promicantium, ruptâ vaginâ pubescentium studiosissimè colligere, quò suum opus tum coloris, tum odoris gratâ distinguant varietate. Quod olitores in florum componendis sertis suaviter olentibus, & varia colorum illecebra oculos mulcentibus, ac allicientibus præstant; hoc idem E.V. Illu^ma. virtutum artiumque liberalium cultura imitatione complet, idque causæ, cur ausus sim hoc opus bipartitum in duo volumina E.V^æ. Illu^mæ. numcupare, continet omnia illa Politioris literaturæ genera, quibus plurimum delectatur: & mihi gratulor, Mœcenatem invenisse numeris omnibus absolutissimum. Dignetur igitur in mei obsequii symbolum opus hocce serena fronte accipere, scribebam Monachii 14. Calendas Augusti Epochæ Christianæ 1711.

Humillimus obsequentissimus Servus

D. Cajetanus Felix Verani,
Clericus Regularis.

APPROBATIONES.

D. PETRUS PAULUS NOBILIONUS, PRÆPOSITUS GENERALIS CLERICORUM REGULARIUM.

OPus inscriptum *Pantheon Argutæ Elocutionis, &c.* à Patre D. CAJETANO FELICE VERANO, Nostræ Congregationis SS. Theologiæ Professore compositum, & juxta assertionem Patrum, quibus id commisimus, approbatum, ut Typis mandetur, quod ad nos spectat, facultatem concedimus. Datum Romæ in nostra Domo Quirinali S. Sylvestri die 26. Aprilis, 1670.

D. PETRUS PAULUS NOBILIONUS,
Præpositus Generalis Clericorum Regul.
D. Cajetanus Cizaletius Secretarius, Cler. Reg.

APPROBATIO THEOLOGORUM.

JUssu A. R. P. D. PETRI PAULI NOBILIONI, nostri Ordinis Præpositi Generalis, attentè perlegimus Librum, cui Titulus est *Pantheon Argutæ Elocutionis, &c.* à P. D. CAJETANO FELICE VERANO, nostræ Congregationis SS. Theologiæ Professore, compositum; in eo nihil, quod Orthodoxæ Fidei, vel bonis moribus sit dissonum reperimus, imò ad coaceutum floridæ Eloquentiæ ingeniosè concinnatum; quapropter optamus, ut Typis evulgetur ad publicam Litteratorum utilitatem. Messanæ, in hac nostra Domo Sanctissimæ Annunciatæ, die 19. Februarii, 1670.

D. SALVATOR MARCHESIUS, Cler. Reg. in Seminario Messanensi Sacræ Theologiæ Lector, & in Regno Siciliæ S. Inquisitionis Qualificator.
D. DOMINICUS CASTELLI, Cler. Regul. Sacræ Theol. Professor, & Examinator Synodalis.

ALIÆ APPROBATIONES.

D. LUDOVICUS FINALIS, PRÆPOSITUS GENERALIS CLERICORUM REGULARIUM.

HOc Opus inscriptum, *Pantheon Argutæ Elocutionis, & Symbolicæ Eruditionis* antehac à R. P. D. CAJETANO FELICE VERANO, nostræ Congregationis Sacræ Theologiæ, & Sacrorum Canonum Professore compositum, ac Typis evulgatum, & nunc pluribus adauctum Tractatibus, ac juxta assertionem Patrum, quibus id commisimus, approbatum, ut iterum cudatur, quod ad Nos spectat, facultatem concedimus: In quorum fidem præsentes literas manu propriâ subscripsimus, & solito Religionis nostræ sigillo munivimus Romæ in Domo nostra Quirinali S. Sylvestri, die 28. Aprilis, Anno 1708.

D. LUDOVICUS FINALIS, Præpositus Generalis Clericorum Regularium.
D. JOSEPH MARIA ALIPRANDI, Secretarius.

VOlumen istud, cui Titulus, *Pantheon Argutæ Elocutionis, & Symbolicæ Eruditionis*, à R. P. D. CAJETANO FELICE VERANO nostræ Congregationis, Sacræ Theologiæ, & Juris Canonici Professore, olim compositum, & typis evulgatum, & recèns pluribus adauctum Tractatibus antehac ineditis, ac multiplici eruditionum supellectile ampliatum; jussu Reverendissimi Patris nostri Generalis D. LUDOVICI FINALIS, accuratè pervolvi, ac diligenter expendi, cúmque nihil mihi obviaverit Fidei Orthodoxæ, vel bonis moribus dissonum, & quod censorio stigmate inuri debeat, plurimum arbitror ornamenti Reipublicæ Litterariæ accessurum, si iterum cum suo augmento prodeat in lucem. Ita censeo Monachii, in Ædibus nostris SS. Cajetani, & Adelhaidis die 20. Martii, 1708.

D. FERDINANDUS MARIA ZUCCALIUS, Præpositus Clericorum Regularium, Sacræ Theologiæ Professor.

P*Antheon Argutæ Elocutionis, & Symbolicæ Eruditionis* antehac à R. P. D. CAJETANO FELICE VERANO, nostræ Congregationis Sacræ Theologiæ & Sacrorum Canonum Professore compositum, ac Typis evulgatum, & nunc aliquibus Tractatibus, ac ampliori eruditionum supellectile ab Eodem adauctum, jussu Reverendissimi Patris Nostri Generalis LUDOVICI FINALIS, non absque animi voluptate pervolvi ob variarum eruditionum illicium, ac Ethicè expensas doctrinas, quibus cultura promovetur virtutum. Cúmque nihil repererim, quòd sponsgiâ indigeat; sed omnia sint Fidei Dogmatibus consona, plurimúmque mereantur commendationis, publica iterum luce donandum non solùm arbitror; sed opto ad utilitatem eorum, qui Litteris delectantur amœnioribus. Monachii in nostris Ædibus SS. Cajetani, & Adelhaidis, die 20. Martii, 1708.

D. CAJETANUS FERDINANDUS SCHLECTEN, Præpositus Cler. Reg. Sacræ Theologiæ Professor.

AUCTOR LECTORI.

Musarum in sinu cùm adoleverim; humaniorum litterarum oblectamenta, & amœnitates, adeo in deliciis ab ineunte ætate mihi fuerunt, ut nonnisi ægrè ab iisdem me divelli senserim, jussus severioribus Philosophiæ, SS. Theologiæ, & SS. Canonum studiis operam navare; meósque labores in eorundem exercitiis, ac prælectionibus è pulpito dictandis impendere. Idque causæ, cur horis succisivis ad animum fessum laxandum à severioribus studiis ad mitiora deflexerim; Poëtásque evolverim, aliquid levaminis, ac solatii aucupaturus in Helicone, ubi flores argutiarum, & vireta Attici lepôris jugiter rident, & arrident; ac pleraque selegerim amœniora ex cultiorum Authorum libris, veluti ex flosculentis areolis, quibus uberem fovendæ Eutrapeliæ materiam exhiberem. Indulgenda est interdum remissio animo gravioribus defesso studiis, & assiduo labori quies intermiscenda; cùm durabile non esse dicatur, quod alternâ destituitur requie: Dandum propterea est animo intervallum, ut remittatur, non resolvatur, juxta regulas Eutrapeliæ, quæ virtus est in ludicris, & jocosis præsertim litterariis tenens modum. Idque mihi ansæ fuit, plura congerendi ludicra, ad lusum, & usum, præsertim in duobus primis libris de Eruditione Poëtica, ac metaphoricis Argutiarum Poëticarum fontibus.

Labor, quo animi facultates in rerum sensus fugientium exteriores, captúque difficilium pervestigatione occupantur, mentem plurimùm defatigat, spiritus absumit; quibus destitutæ internæ potentiæ suas nequeunt vires exercere: ut nec calor insitus demissa in stomachum esculenta concoquere, quæ propterea crudescunt, & promptiùs corrumpuntur; & inde veluti è Pandoræ pyxide omnium in humano corpore ægritudinum profluunt myriades; & nisi labor iste improbus identidem intermittatur, non modicum patitur natura detrimenti, & plerumque mortem etiam accersit præmaturam. Arcus diu contensus tandem frangitur, qui remissus suâ diutiùs gaudet integritate.

Ea est affinitas arcum inter, & animum operam studiis dantem severioribus, ut eædem utrique adaptentur affectiones, & ambo iisdem exprimantur vocibus: ait Tullius *lib. de senect. Appium Clodium animum contensum tanquam arcum habuisse*: Et in Hortensio hæc duo verba *intendere*, & *relaxare*, quæ arcui competunt, animo adaptat, inquiens; *Quæro, non quibus intendam rebus animum, sed quibus relaxem.* Non tamen adhærendum puto Gellio *lib. 18. Noct. Atticar. c. 2.* censenti cum Musonio, aliud esse animum remittere, & aliud relaxare jucundissimis sermonibus, ait Gellius: *Saturnalia Athenis agitabamus hilarè prorsùs, ac modestè; non ut dicitur, remittentes animum: nam remittere, inquit Musonius, quasi amittere est, sed demulcentes eum paullùm, ac laxantes jucundis, honestísque sermonum illectationibus.* Magìs enim credendum est Ciceroni, Senecæ, aliísque emunctæ, ac purgatioris Latinitatis Authoribus, qui nullo injecto discrimine æquè de animi remissione, ac laxatione loquuntur: non enim laxare perinde est, ac solvere: potest vinculum, quia arctius, paullùm laxari, tametsi non solvatur: hinc tempestivæ animi relaxationes suadentur, non solutiones, quia, ut notat Seneca *de tranquill. c. 15. Remittas animum, an solvas, multum interest*; Illud laudi, hoc vitio vertitur: Quapropter nos monet Mediolanensis Antistes, cujus nomen Ambrosiam sapit, & calamus nectare stillat, *lib. 2. offic. Caveamus, ne dum laxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum.* Animi igitur relaxatio mediam occupat sedem inter arctum, & solutum,

qua

Quæ sunt extrema recedentia, hoc per excessum, illud per defectum à ratione virtutis, quæ media est inter utrumque extremum. Horat. *lib. 1. Satyr. 1.*

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citráque nequit consistere virtus.

Hæc autem animi remissio, quæ in jocis, verbísque jucundis mediocritatem servat, virtus est Eutrapeliæ, imponentis modum animi remissionibus: ait Philosophus 4. *Ethic. c. 5. Cùm in vita requies etiam quædam sit, in qua homines joco utuntur; videtur etiam hic esse congressio quadam moderata dicendi ea, quæ oportet, & ut oportet, & audiendi.* Extrema vitia recedentia ab Eutrapelia sunt scurrilitas, & rusticana durities; illa excedit in verborum jocis, animúmque potiùs solvit, quàm laxet, ac remittat; hæc jocos omnes verborum aspernatur; hinc scurræ per excessum; & rupicones per defectum ab honestate deflectunt Eutrapeliæ: rupices sunt, ac petrones, qui nihil unquam venusti, ac jocosi ad animos exhilarandos depromunt, cùm animi remissio post impensos labores in severioribus studiis sit pernecessaria. Statius 4. *syl. ad Marcellum.*

Exue curis
Pectus, & assiduo temet furare labori,
Et fontes aperit pharetras, arcúmque retendit;
Parthus, & Elæis auriga laboribus actos
Alphæo permulcet equos. Et nostra fatiscit,
Laxatúrque chelys. Vires instigat, alitque
Tempestiva quies, major post otia virtus.

Sicut somnus continuas vigilias remittit, & quies susceptos labores interrumpit, & horum neutrum jugiter perseverat, sed alterum alteri vicibus succedit alternis, quò natura per has vicissitudines instauretur: ita menti gravioribus defessæ studiis aliquid indulgendum est remissionis, ut absumpti resarciantur spiritus, & vires detritæ reficiantur. Non tamen hanc animi remissionem, & quietem otium credas, quo marcent inglorii, qui veterno languidi, ignaviâ diffluentes, quasi nati consumere fruges; pigritiâ emolliti, ac delinimentis voluptatis desides, nil boni, honestíque moliuntur; & quietem in marcorem, otium in somnolentiam, & remissionem convertunt in dissolutionem. Sed est remissio, & quies, quâ defatigatæ mentis potentiæ mitiori aliquo exercitio reficiuntur, vel inambulationis locò amœno, & aperto; vel maris littore, ut mihi adolescenti volupe fuit, ubi aura leniter adspirans membra vegetat; & marini fluctus dum littorales discurrunt arenas, spumato appulsu nostra deosculantur vestigia, & mox relabentes in se grato resorbentur spectaculo: vel cum ablandiente malaciâ testam saxoso de littore teretem, ac lævigatam legebam; quam apertis dextræ digitis comprehensam plano situ inclinis, & humilis per sopitam indormientis maris superficiem eâ irrotabam dexteritate, ut jactus à me lapis liquidam raderet illam planitiem; & per multiplices mersiones, & emersiones repetito pluries saltu, veluti cum Nereide choreas duceret; quod mihi plurimum consueverat adferre oblectamenti.

Sed ætate provectior mentem à severioribus defessam studiis, Poëtarum amœniori lectione laxare consuevi: sunt carmina animo remittendo accommodata, ait Seneca *lib. 3. de Ira. c. 9. Lectio illum carminum obleniat, & historia fabulis detineat; molliùs, delicatiúsque tractetur. Pythagoras perturbationes animi lyrâ componebat.* Præsertim in suburbano secessu, ubi ager irriguus, arborum comæ, susurrus avium, fontis speculum, rivus immurmurans; & multæ oculorum illecebræ animum exhilarant: Hanc virium restaurationem expertus Seneca scripsit *epist. 104. Ubi primùm gravitatem urbis excessi, & illum nidorem culinarum fumantium, quæ mota quidquid pestiferè vaporis obruerant, cum pulvere effundunt, protinùs mutatam valetudinem sensi. Quantum deinde putas adjectum viribus, postquam vineas attigi? In pascuum emissus, cibum meum invasi. Repetivi ergo jam me. Non permansit marcor ille corporis dubii, & malè cogitantis.* Nil igitur ad animum exhilarandum, virésque instaurandas accommodatius suavi Musarum concentu in rurali secessu.

Exscindenda tamen, ac prorsus eliminanda est exitialis illa non tam consuetudo, quàm corruptela eorum, qui, ut amœnâ aliquâ lectione animum exhilarent, mentémque à severioribus pressam studiis relaxent, nonnisi libros de amotibus conscriptos legunt; in quem scopulum plures impingentes jacturam faciunt naufragæ pudicitiæ: non est id animum honestè remittere; sed castitatem fœdè interimere. Non decet virum Christianum, Poëtas legere obscœnitatem olentes, sed pietatem foventes, qui ad virtutum culturam alliciant, ac documenta exhibeant probitatis.

Falluntur, qui putant versus sale destitui, & minimè sapere, nisi sint molliculi, & parum pudici. Poëseos munus esse ad virtutum exercitia stimulos addere, ac allicere, testes in promptu non è trivio proletarii, sed classici, omníque exceptione majores sunt Angelicus Doctor, & Aristoteles, asserentes, ad id natam Poësim, ut hominum mentes carminum delinitas suavitate ad virtutum culturam pertrahat, ait D. Thomas *lect. 1. in epist. ad Timoth. c. 4.* *Poëticæ Fabulæ idcircò inventæ sunt, quia (quemadmodum ait Aristoteles in Poëticis) consilium eorum erat, ut mortales adducerent ad virtutis adeptionem, & vitii fugam, ad quæ simplices homines meliùs repræsentationibus, quàm rationibus adducuntur. Duo igitur in poëticis fabulis reperiri necesse est, & ut contineant verum sensum aliquâ similitudine involutum, & ut aliquid utile repræsentent.* Nectit utilitatem fictioni Poëtices, quia hæc ita aures demulcet, animúmque oblectat, ut simul mores instruat, formátque ad normam virtutis: Hinc Euripides apud Aristophanem ab Æschilo interrogatus, quænam sit Poëtices princeps laus, reposuit: *Si id efficiat, ut homines fiant ejus lectione in civitatibus meliores.* Cui suffragatus Venusinus Vates de arte Poëtica cecinit:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, paritérque monendo.

Si singulas recenseamus Poëtices partes, nil nisi honesti iisdem inesse deprehendimus. Carmen Epicum præclara virorum illustrium gesta nobis proponit, quæ imitemur, quô nil illustrius. Carmen Lyricum supremi Numinis, ac Cœlitum laudes hymnis, & pæanibus occinit; quô nil honestius. Carmen Elegiacum lacrymarum fluxione, modísque flebilibus animi nostri medetur ægritudinibus, lenítque dolores; quô nil utilius. Carmen Satyricum vitia castigat, hominésque mundi voluptatibus indulgentes acriori sale perfricat; quô nil salubrius. Comœdia salibus, ac jocis varios privatæ vitæ repræsentat eventus, nugásque nostras præ oculis velut in speculo exhibet, ut nos nostrarum pudeat levitatum; humanarúmque artium præstigias, ac dolos aperit, & dum hominum nævos, ac pravitates veluti iconicè exprimit, nos nobis objicit deridendos, & à vitiis, quibus deturpamur, nos avocat; quô nil sanctius. Tragœdia insignes Principum calamitates, regnorum eversiones, urbium excidia, populorúmque cruentas clades, lamentabili, ac lugubri versu exprimit, nósque monet, quàm fluxa, vana, futilia, & inania sint, quæ in mundo magna esse putantur; cùm vel ipsa imperia, & Regna lapsui, & interitui sint obnoxia: monétque reges ac Principes, ut nihil humani à se alienum putent. Fabula nostris subjicit oculis sceleratos Ixiones rotæ circumactæ affixos. Actæones à propriis canibus, quos enutrivit, in frusta discerptos. Phaëtontes è sublimi curru excussos, & in imas terras præcipites actos. Tantalos in maxima fructuum, fluctuúmque copia fame, & siti enectos; aliósque sexcentos promeritas luentes pœnas ex patratis flagitiis; ut si non amore virtutis, saltem timore supplicii vitia declinemus, quibus à tergo pedissequa adsciscitur Nemesis. Sin verò Poëtas illustriores, notæque clarioris velimus lustrare, hi nonnisi Principum cecinerunt virtutes, ac præclara gesta, quæ imitemur; ut Homerus facinora, & virtutes Achillis, & Ulyssis; Virgilius Æneæ, & Turni; Lucanus Pompeji, & Cæsaris; Claudianus Honorii, & Stiliconis; Silius Scipionis, Valerius Jasonis, & Horatius Augusti.

Animo igitur honestè remittendo à severioribus studiis perapta est Poësis; quæ cùm plurimum habeat amœnitatis, oblectamenti, ac illicii, mentem exhilarat, simúlque ad virtutum allicit culturam. Alioquin fallitur tempus eâ lectione licèt amœnâ, quæ animum uberis inhonestatis efficit seminarium, cui pro pabulo glandes exhibet, & siliquas. Obscœna Poësis Eutrapeliam non promovet, sed devenustat; spoliátque insitâ sibi honestate. Errant etiam, qui ut videantur faceti, obscœnitatibus sermonem inspergunt, vel scommata vibrant, quibus si alios non cruentant, pungunt tamen acriùs, quàm si vulnera stilo infligerent ferreo: *Quibus* (ut loquitur Sidonius *lib. 3. epist. 13.* suo adgratulans Apollinari, quòd contubernia declinaret impudicorum) *nihil pensi, nihil sancti est in appetendis, garriendisque turpitudinibus: quippe quòd verbis inverecundis, aurium pudicarum reverentiam incessant, granditer sibi videntur facetiari.* Hi sub larva jucunditatis venenum infundunt, quod aliis propinant, quorum mores corrumpunt. Habeant carmina suos lepóres, suóque condiantur sale, quô sapiant; sed nullum oleant obscœnitatis nidorem: absit à Christianis mentibus, ut aliquid amœnum, ac hilare ducant, quô impudicitiis conspurcentur, & castitatem prodigant. Poësis profanos canens amores, perinde ac pestis exitialis ableganda est, ne in animum irrepat, quem corrumpat. Cavendum est ab hac hiulca harmonia, quæ virtutum lædit consonantiam.

Quia verò Poësi finitima est pictura, Mythicæ Eruditioni Iconicam adjeci; quia, si illa Poësi, hæc picturæ obsequitur: imò tam arcto copulantur fœdere Poësis, & Pictura; ut quæ illa voce, vel calamo describit; hæc coloribus, & penicillo exprimat: Si pictura hominis formam, oris venustatem, membrorum aptam symmetriam, & totius corporis dignitatem graphicè delineat; Poësis voce, & metro hæc eadem eleganter describit; dixeritque propterea Plutarchus; Picturam, mutam esse Poësim in pariete, vel tabulâ expressam; & Poësim pictam loquentem in theatro verborum lenociniis, elegantiarum phaleris, metrique concinnitate exhibitam. Quæ Poësis argutiarum venustatibus ac inventionum oblectamentis ad aurium, ac animorum delicias profert; eadem discordibus pigmentorum coloribus, atris, albis, luteis, puniceis, modicâ confusione comparatis Pictura repræsentat, ut non minùs oculos demulceat colorum varietate, ac Poësis aures oblectet carminum concinnâ fluiditate. Perinde tamen ac Poësis debet Pictura ab omni abhorrere obscœnitate: quanta enim à picturis obscœnis clades immineat castitati, ex eo conjicitur, quòd S. Chrysologus *serm. 155.* inter horrenda mala, quibus oppressum orbem sub Ethnicismo deplorat, recenseat formata adulteria in simulacris! fornicationes imaginibus mandatas; titulata incesta picturis delineata; ait ipse: *Quorum formant adulteria in simulacris; quorum fornicationes imaginibus mandant; quorum titulant incesta picturis.* Exploratum satis est, quid in Terentiano Eunucho flagitiosus adolescens professus sit admotis sibi ad scelus facibus inspectâ Jovis obscœnâ picturâ, ut notavit D. Augustinus *2. de Civit. c. 7.* Aspectus obscœnæ picturæ ad enormem solet lasciviam irritare: & oculi fornicantur, si in eandem non solùm jaciantur; sed etiam figantur: Acroama est Salviani: Oculos esse naturales quosdam animi cuniculos, per quos ignis impudicitiæ irrepens, animum subit ad interitum castitatis. Procul igitur amandentur obscœna, sive in carminibus narrata, sive coloribus depicta: Claudo cum D. Gregorio Nazianzeno *in Tetrasticis num. 17.*

Occlude verbis turpibus cerâ tuas
Aures, sonísque canticum mollissimis,
Pateant honestis semper, ac sermonibus.
Audire, fari, facere, non distant procul.

A Mythica, & Iconica Poëseos Eruditione calamum transfero ad Lapidariam Elocutionem, cujus stylo acuto, presso, florido, & acuminibus illuminato triumphat Laconismus. Complectitur Lapidaria elocutio Inscriptiones solutas, majestate decoras, gravitate commendabiles, quas consueverat prisca

Auctor Lectori.

Romanorum Gens suis dicare Imperatoribus, vel Ducibus, qui post partam victoriam in patriam reduces communi populorum plausu excipiebantur; & eorundem victoriæ pressâ Inscriptione in cæsis lapidibus fronti adaptatis arcûs triumpho illustris, vel alterius molitionis legebantur insculptæ: imò usus invaluit, & consuetudo inolevit, ut hujusmodi inscriptiones legantur in templis, vel à fundamentis recèns erectis, vel restauratis, cum nomine restaurantis, aut construentis, ut & in Principum palatiis, aliisque ædificiis ad magnificentiæ splendorem erectis; sintque propterea Inscriptiones usu frequentiores: ut & Elogia, quibus virtutes, & præclara gesta illustrium Virorum per coacervatas argutiolas unà nexas commendantur: quid ni? huic displiceant rosæ, & balsama, cui non placent Elogia, quibus nostra delectatur ætas. Complectitur etiam Lapidaria Elocutio Inscriptiones funereas pertinentes ad exequias Principum, & Prænobilium, & Epitaphiorum gaudent nomenclatione; quorum pleraque selecta, & scitu digniora placuit congerere: monumenta enim inter Manium umbras documenta illustriùs dilucidant; ac è sepulchrorum tenebris clariora plerumque prodeunt sanioris doctrinæ lumina, quàm olim ex Platonis umbrifera platano. Ineruditi ne censeantur Manes; quamvis non è suggestu loquantur, sed in sarcophagis inviolabiles servent silentii leges, quas & religiosè custodiunt; franguntur tamen saxa ipsa, ut incisis, sculptisque characteribus doloris exprimant sensum, & humanæ conditionis fugacem nos edoceant splendorem, fabulámque umbratilem.

Expensâ Lapidariâ Elocutione ad Symbolicam me confero, quæ plurimum habet amœnitatis, & aucupii, & quodam deliciarum illicio in animum se se blandè insinuat, quem implicato eruditionis involucro suaviter defatigat. Nam Symbolorum id proprium, ut gyris quibusdam, ac meandris, seu obscuris sententiarum involucris sensus reconditi, & minimè obvii tegantur. Placuit aliqua præmittere de Symbolis in genere, de Numismatis, quibus prisca Gens rerum pretia censuit. De Annulis, eorúmque notis, ac symbolis. De Notis clandestinis. De Hieroglyphicis Ægyptiorum, eorúmque fontibus, ex quibus Ægyptiaca scaturivit sapientia. Inde proximiùs accedo ad symbola; & expendo nomen, naturam, ac proprietates Emblematis, ejúsque Apodosim ad documentum morale; & exhibentur plures eruditiones petitæ à fabellis, & apologis, inservientes Emblematum structuræ, moribúsque componendis ad normam virtutis. Subjiciuntur iisdem plura emblemata, quà ligatâ, quà solutâ oratione explicata: & alia moralia homini instruendo, moribus informandis, per picturarum lenocinium accommodata, simúlque ornandis Principum Aulis perapta, veluti peristromata ethico-symbolica. Demum ago de Phrenoschemate, seu Symbolo Heroico, Italicè *Impresa*, Gallicè *Devise*; de ejus origine, déque præcipuis Authoribus, qui ultimis nostris temporibus de hisce symbolis scripserunt; & symbolicè repræsentantur, ac ethicè explicantur corpora cœlestia, Planetæ, Sydera fixa, Phenomena, Elementa, Meteora, Nubes, V[illegible] Imbres, Pluviæ, Aves aucupes, canoræ, voraces. Flumina, Lacus, Fontes, [illegible]a, Putei, Naves, Insulæ, Conchæ, Margaritæ, Corallia, Pisces, Montes igniv[illegible], rupibus asperi, feraces Arbores, Plantæ exoticæ, extero innutritæ climate, Sylvæ, Herbæ, Flores, Fructus, Quadrupedes, Serpentes, Insecta, Mineralia, Gemmæ, Lapilli, eorúmque naturæ, proprietates, mores, studia, quibus singulis propria respondent symbola, & Apodoses, ad mores perpoliendos, vitia evellenda, & virtutes implantandas; & plerumque adjiciuntur Excursus morales eruditione quà sacrâ, quà profanâ intexti. Meo, LECTOR, labore fruere, & habeas me Tuis commendatum precibus ad DEUM fundendis bonorum omnium Munificum Largitorem,

VALE.

INDEX

INDEX

Librorum, & Expensionum, ac Excursuum qui in hoc Opere continentur,

Numerus Paginam indicat,

LIBER I.

LIBER II.

De Metaphoricis Argutiarum fontibus. 45.

LIBER III.

De Mythica Eruditione. 102.

LIBER IV.

De Iconica Poëseos Eruditione, 165.

LIBER V.

De Lapidaria Elocutione, seu de Inscriptionibus, Elogiis, & Epitaphiis. 209.

LIBER VI.

De Symbolica Eruditione, 290.

LIBER VII.

De Phrenoschemate, seu symbolo heroico, Italicè Impresa, *Gallicè* Devise. *341.*

LIBER VIII.

De Symbolis petitis à simplici rei comparatione, & ex fontibus Scripturarum, ac SS. Patrum, quæque Concionatoribus inserviunt. 388.

LIBER IX.

Complectens Peristromata Ethico-Symbolica, exhibentia corpora cœlestia, sydera fixa, errantia, aëris phenomena, nubes, ventos, Imbres, pluvias, tempestas, aliáque meteora, aves aucupes, canoras, elementum aqua, flumina, lacus, fon-

LIBER X.

EXCUR-

EXCUR-

R,P,D,

R. P. D. CAJETANI FELICIS VERANI

Clerici Regularis

PANTHEON ARGUTÆ ELOCUTIONIS.

LIBER I. TOMI SECVNDI DE ERUDITIONE POËTICA.

PROOEMIUM.

Quia Poesis plurimum oratori adfert subsidij, cum ab ipsa, & in rebus spiritus, & in sensu sublimitas, & in verbis ornatus, & in affectibus motus omnis petatur; non absre fore duxi, de Poëtica eruditione agere; ut uberior seges Oratoribus suppeditetur, ad animos demulcendos, affectúsque ciendos; utroque enim munere Poësis fungitur, à qua propterea non debet Orator abhorrere; sed fictum, commentúmque ab eadem imitari Æolum, qui luctantes ventos, & sonoras moderatur tempestates: eloquentia enim si mascula sit, si nervosa commotos animi cum irascentis, tum concupiscentis fluctus blandè compescit, ac mitigat; & modò ut res postulaverit, sedatos, ac in lactea veluti quiescentes malacia non solùm excitat; verùm etiam repentino sonitu, incussóque terrore in acies congerit armatas ad arcem humanæ voluntatis expugnandam, sibique subjiciendam. In hisce humanæ mentis affectibus sive ciendis,

five coërcendis totus fuit Seneca tragicus, cujus Poëticus furor, veluti entheatus, quos aggreditur, abalienat à sensibus, & ad præclariora movet facinora, animósque versat, flectitque, prout magis libuerit; absque strepitu vehemens. five fuco conspicuus, fine ferro armatus, mentes allicit; voluntates, quo vult movet, & unde vult, deducit; cúmque eloquentia soluta, ac libera eadem præstet; opémque ferat supplicibus; sit afflictis, dejectísque levamini, det reis salutem, dolores sopiat, spem excitet, ac in cæteros animi affectus exerceat imperium: nulli dubium, quin à Poësi plurimùm hauriat adjumenti. De hac igitur pleraque subjiciemus Oratoribus profutura.

EXPENSIO I.

Quid sit Poësis, & num Oratoribus utilis.

1. POësis à Priscis hominibus impetus quidam, ac ingenij concitatio naturæ adhærescens cum putaretur; hoc qui erant furore perciti *Enthei*, seu divino Numine pleni audiebant; & ea semper inolevit opinio, ut Poëtæ nasci, oratores fieri crederentur; hinc Tullius aiebat: Poëtam naturâ valere, atque divino quodam spiritu afflari, & meritò; siquidem hic amabilis furor, ac perfervidus calor, ubi mentem agit, ac versat, extemplo sapientiam in imo pectore torpentem excitat, incenditque.

2. Definitionem verò quod attinet Poëseos à Maximo Tyrio *Orat. 28.* Describitur Poësis, Philosophia, tempore vetusta, consonantiâ metrica, argumento fabulosa. Ab alijs dicitur Ars hominum actiones effingens, eásque carmine explicans. Luculentiùs verò describitur esse facultas, rem quamlibet oratione metricâ verosimiliter, & accommodatè ad animos demulcendos, edocendósque per fictionem exponens idoneam. Hinc Poësis, quæ latinè fictio sonat, Ars est hominum effingens actiones, quas ad mores componendos juxta rectæ rationis amussim carminibus exprimit: quâ ratione Poësim Iconicè exprimit Virgo formæ elegantiâ venustior cæteris; concinno corporis cultu ditior, delicijs affluens, vernantibus ornata floribus; Lyram sinistrâ tenens; & dextrâ arcum satis intentum, quem è bellorum terrore ad Heliconias amœnitates, ars sedula transtulit. Aureo nitore è zona illita pendet larva imitandis ex orchestra hominum moribus peridonea; ac demum orchestram ipsam tapete pretioso instratam læta, ac jucunda ingerditur. Nil augustius, illustrius nihil Poësi, quæ ex arcano supremi pectoris delapsa sinu, neque absque Numinis concepta afflatu ad hanc descendit lucis usuram, facie virginali, fronte serenata, ore adblandiente, corpore ad summam pulchritudinem harmonicè composito, habitu verecundo ad mores hominum informandos, animósque ad normam virtutis perpoliendos.

Quemadmodum Poësis est Ars hominum 3.
effingens actiones, quas ad mores ritè instituendos carminibus exprimit; ita Poëtæ nomen à faciendo, ceu fingendo ducitur: estque effingere rem illam imitari, cujus similitudo est carminibus exprimenda. Quòd si Poëta nil fingat, quod imitetur, tametsi carmina pangat, odásque contexat non Poëta tunc audit; sed versificator, ceu versuum constructor; perinde ac si quis imitetur, effingátque, sed extra ligatæ orationis numeros non absolutè Poëtæ donatur nomenclatura; sed merus dicitur apologorum Auctor. Quòd si usus invaluit, quo etiam soluta oratio libera dicatur Poësis, non tamen nomen hocce simpliciter ei obtingit, sed addita limitatione, quâ ad Poësim duntaxat accedere videatur; perinde ac pictura poësis muta; & poësis pictura loquax vulgò dicitur. Poëta utrumque præstat, & hominum effingit actiones ad vitam ritè instituendam; & eas carminibus ingeniosè, ac perspicuè exprimit. Hinc Lucanus Historicis magis, quàm Poëtis accensetur, eò quia in illo fictio, quæ anima est Poëseos desideratur. Hinc ejus materia est quidquid circa humanas actiones versatur. Finis, imitatione ac carmine delectando docere, & docendo mores ritè componere, quod innuit Horatius cum cecinit.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.

Quòd verò plurimum Poësis adferat ora- 4.
tori utilitatis, jubare est meridiano clarius; cum Dyonisius Halicarnasseus ingeniorum sagacissimus Judex, stylique censor acerrimus optimam orationem Poësi simillimam esse voluerit; & Herodoti, ac Thucydidis historiam pulchram Poësim dixerit. Hinc Lucianus inhianti

hianti

hianti eloquentiæ nitoribus, suadet ut primum probæ notæ Poëtas sedula discussione pervolvat, deinde ad oratores se conferat; idque minimè suaderet eloquentiæ tyronibus, nisi ad eloquentiæ decora Poësim viam sternere arbitraretur. Addiscit enim Orator beneficio Poeseos verborum structuram, numerósque orationis, formásque præsertim à tragicis ciendorum affectuum; quæ singula ad flectendos animos, eósque suavitatis lenocinijs mulcendos plurimum suppeditant roboris. Falluntur siquidem qui penes solos Poëtas esse numeros autumant, cum elegans suisque numeris absoluta oratio non minus accuratam exigat compositionem, modulis structuræ decoram, quàm ipsum heroicum Poëma, licèt liberioribus effluat oratio numeris, ut docet Tullius in Oratore. Hinc plerique in ea fuerunt opinione obfirmati, ut censuerint, Poësim partem esse ipsius eloquentiæ, quam in tres distribuerunt facultates, quarum prima verborum redundantiâ, sententiarum ornatu, rerum varietate effluit pleno alveo dilatata; altera strictior, ac contractior concisis gaudet, ac paucis se expedire; efferturque similis manui in pugnum collectæ, & prima palmæ explicatæ. Tertia numeris est alligata, seu metrica: quæ singulæ in eundem collimant finem cum omnium munus sit docere, movere, delectare, ac persuadere exculta dictione, sive hæc verborum flumine animos secum trahat, sive arguta brevitate intima penetret pectora; sive aurea compede sonans flores spargat, & aures demulceat.

5\. Quamobrem tertia eloquentiæ pars, ac præcipuum politioris literaturæ membrum corrueret, si Poësis ab eloquentiæ, ac oratoriæ venustatis exularet theatro. Qui igitur eloquentiæ decora concupiscunt, Poëtis legendis, imitandisque animum adjiciant. Terantur in primis Ovidius, Claudianus & Statius. Primus ad facilitatem, & ingenium; secundus ad elegantiam; & tertius ad majestatem; omnium tamen virtutes unus complexus est Virgilius, qui cæteris solet præferri. Id tamen cavendum, ne tyrones Poëtico stylo in soluta abutantur oratione: poëtica siquidem dictio alia est ab oratoria; & radarguitur Ammianus, qui in soluta oratione stylo est Poëtico abusus, ut præ cæteris est, quod subjicitur fragmentum. *Cumque primum auroræ surgeret, universáque videre poteram, armis stellantibus corniscabant, & ferreus equitatus campos opplebat & calles. Sæviens per urbem æternam urebat cuncta Bellona ex primordijs minimis ad clades ducta luctuosas, quas obliterasset utinam juge silentium*, quid hæc verba nisi ampullæ Poëticæ, ac carmina pedibus parum inversa? Non stylum Orator imitatur Poëseos; sed in communes locos, quæ sunt in Poëtica dictione illustria, quoad sententias, acumina, formas ciendi affectus, aucupandi benevolentiam congerit, quibus stylo utatur oratorio; qui Atticos lepores, Atticam venerem, Atticos sales mimimè respuit, suos enim flores excolit, quibus gaudet coronaris, & plerumque hortus est varijs elegantiarum arboribus consitus; innumeris argutiarum distinctus areolis; omnibúsque venustioris eloquentiæ ornatus viretis. Arcta igitur est cognatio Poëtam inter, & oratorem; & utrumque per luscinam significari, una est omnium consensio; hinc Plinius *lib. 10. cap. 29.* post descriptum ad omnem elegantiam garritum lusciniarum inter se de cantu præstantiæ certantium subdit: *Non dubium esse, suavitatem Poeseos præmonstratam efficaci auspicio, cum luscinia in ore Stesichori cecinit infantis, quem validum fuisse ingenio, materiæ quoque ostendunt, maxima bella, & clarissimos canentem duces, & Epici carminis onera Lyra sustinentem: reddit enim personis in agendo simul, & loquendo debitam dignitatem, & si modum tenuisset, videretur æmulari proximus Homerum potuisse.* Non solùm Oratores æquè, ac Poëtæ lusciniæ audiunt; verùm etiam ipsi libri, si eruditi fuerint, quorum perpetua modulatione, & cantu nulla temporum diuturnitate intermorituro orbis universus resonat: nec defuere, qui Bibliothecas quoddam dixerint Musarum aviarium, ubi vocales paginæ canoro silentio modulantur.

EXPENSIO II.

De Poëseos utilitate ad mores ritè instituendos, honestatémque promovendam.

Non huc eos Poëseos cultores accire mens est, qui omnem exuentes pudorem; omnémque procul abjicientes verecundiam nonnisi turpia canunt, quibus aures lædüntur honestæ, & mores innocentiâ liliati denigrantur, virtúsque vel infirma, vel exculta corrumpitur: non enim similia canentes, vel scribentes poëtico debent nomine insigniri, cum plus obsint, quàm prosint, nitentes hominum mores potiùs deturpare, quàm rectè instituere, ut meritò Lacones nec comœdias, nec tragædias hujus furfuris Poëtarum permiserint referente Plutarcho; eò quia contra honestatis leges nonnisi stupra, incesta, adulteria, furta, cæteraque flagitia exprimerentur verborum lenociis, quibus venenum melle propinabant delinitum. Hos lascivos Poetas, impurósque versificatores appositè Adamantus, Origenes & alij emunctæ naris homines Ranis comparàrunt coaxantibus, quæ improbis, ac importunis clamoribus ad otiosorum usque fastidium obstrepunt: quid improbius, & ad ciendam nauseam aptius impuro carmine? Hanc poesin exoticam Ægyptij sacerdotes significaturi Polypi pariârunt capiti; quod esculentis appositum suavissimi saporis, ganéæque, jucundissimum esse perhibetur; cum horrenda inter dormiendum postea pariat somnia, sitque adipato terrori: amatoriæ illecebræ, quas corrupto exhibet Poesis dicendi lepore, demulcent; sed bonis moribus, honestiorique disciplinæ extremum apparant excidium.

De Poesi igitur loquimur, quæ honestati unicè addicta, nil promit nisi sanctum, nil accinit nisi virtutum culturæ accommodatum; qua

qua ratione Ennius ſanctos appellavit Poëtas, quaſi aliquo Numinum dono, atque munere commendati nobis eſſe videantur: & Plato *lib. 2. de republic.* vocavit Poëtas viros probos, ac Deorum filios; imò in Lyſide eos ſapientiæ particulas in terram delapſas è ſummo cœli vertice nuncupat, ad hominum inſtructionem. Et in Jove carminis excellentioris Poetam non arte fieri aſſerit; ſed afflatu diviniore; putárque Muſas nonniſi divino inſtinctu concitare Poëtas: & in Phædro ait, non hominum eſſe inventa præclara Poemata, ſed cœleſtia munera. Argumento illud eſſe, quòd nemo etiam ſi orbem illum doctrinarum accuratiſſimè obierit, excellens evaſerit Poeta, niſi cœleſtis ille vigor, & concitatio acceſſerit ferventior, ut vera ſit illa aſſertio ex *Faſt. 6.*

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

3. Poëſim hanc moribus ad virtutum normam informandis, honeſtatique promovendæ idoneam eſſe, non homines aſſerunt è trivio proletarii; ſed ſcientiarum nitore cæteris illuſtriores, nempe D. Thomas, Ariſtoteles, cæterique clarioris notæ Philoſophi, & Rhetores, quorum una eſt vox ad id in terris natam eſſe Poeſim, ut hominum mentes carminum delinitas dulcedine ad virtutis culturam excuſſa ſegnitie alliciat: *Poëticæ fabulæ*, ait D. Thomas in Epiſt. ad Tim. cap. 4. lect. 1. *idcirco inventæ ſunt quia (quemadmodum ait Ariſtoteles in Poëticis) conſilium illorum erat, ut mortales adducerent, ad virtutis adeptionem, ac vitij fugam; ad quæ ſimplices homines, melius repræſentationibus, quàm rationibus adducuntur. Duo igitur in Poeticis fabulis reperiri neceſſe eſt; & ut contineant verum ſenſum aliqua ſimilitudine involutum; & ut aliquid utile repræſentent.* Nectit Doctor Angelicus cum Poetica fictione utilitatem veluti condimentum, ac pretium ejusdem.

4. Etenim carmen Epicum, quo præclara heroum geſta graviori tubâ exhibentur, aliorum proponit virtutes, quas imitemur. Tragœdia, quæ inſignes Principum calamitates lugubri repetit carmine, monet etiam ſceptra tractantes, ut nihil humani à ſe alienum putent. Comœdia quæ ſalibus ad ſapidam jucunditatem conditur; jocisque indulget, nugas noſtras nobis objicit, quas declinemus, vitia innuit, quæ euro ocyùs fugiamus; artium humanarum præſtigias, dolóſque aperit, ut ab iisdem caveamus; dùmque pravitates noſtras iconicè exprimit; nósque nobis exhibet deridendos, vel in ipſo riſu, jocóque nobis feriò prodeſt, animos avocando à rerum fluxarum nugis. Lyricum carmen, quod ſupremi Numinis, ac cœlitum laudes pæanibus, hymniſque complectitur, id refundit utilitatis, ut cœlitibus aſſociemur, eóſque alloquamur. Satyricum quàm ſit hominibus utile, ex eo conjicitur, quòd eorum vitia caſtiget, nefarióſque homines acriore ſale perfricet, quàm comœdia. Elegiacum carmen nobis etiam prodeſt, cum lacrymas eliciat, ac flebilibus modis animi noſtri ægritudinibus ex præſentibus, ac imminentibus calamitatibus medeatur.

Cum igitur ſingulæ Poëſeos partes ſuam præſeferant utilitatem, quâ hominibus proſunt, eósque à fluxis, vitijs, nugiſque avocant; & ad ſtudia, culturámque vocant virtutum; nulli dubium, quin Poeſis plurimum ſecum advehat emolumenti ad decora promovenda virtutum, ac vitiorum declinandas turpitudines: quinimò auſus eſt Strabo *1. Geograph.* Poeſeos utilitatem præceptis præferre Philoſophiæ; eò quia per compendiariam exemplorum viam nos dirigat; ut cùm oculis ſubjicit rotæ affixos nequiſſimos Ixiones; vel Actæones à proprijs laceratos canibus; vel Phaëtontes Phœbeo ex eſſedo deorſum excuſſos, vel Tantalos ſiti extinctos medijs in laticibus, non abundè, ac luculenter doceat, non ſinere cœlites impunita in terris ſcelera, à quibus ne ſacræ obviemus Nemeſi, ejúsque experiamur indignationem abſtineamus neceſſe eſt. Quinimò Perſius ad informandas amore virtutis hominum mentes, altiúsque ejus imprimendam opinionem, cruciatus proponit, quibus acriùs torquentur, qui virtutis præſtantiam ab ſe probè cognitam contempſêre, flocci, nihilique ejus facientes culturam, eò quia viri perditi, ſcelerúmque rei nullo poſſint atrociori tormento torqueri; quàm ſi iisdem contemptæ virtutis refricetur memoria; pulchrè Perſius *ſat. 3.* 5.

Magne Pater Divûm ſævos punire Tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno;
Virtutem videant, intabeſcántque relicta.

Prodijt hocce carmen ab Ethnico Poeta hortaturo ad virtutum ſtudia etiam Chriſtianos, quorum conditio eſt virtutes excolere, pleniſque amplecti ulnis, & vitia odiſſe, ne ipſos actorum pœniteat. Idque efficaciùs ſuaſurus, quiſquilias, nugáſque inanes objicit, quibus mentes occupantur hominum Satyr. 1. 6.

O curas hominum, ò quantum eſt in rebus inane!

Avocat Lectorem ſuum à fluxarum, caducarúmque rerum amore, ut propenſiùs ad virtutes excolendas alliciat. Idque præſtitit etiam Heſiodus, qui ſolo æquaturus, quæ in virtutum cultura ſiunt obviæ difficultates Herculem ſtatuit in bivio, duáſque propoſuit vias, alteram ſentibus, vepribúſque, ac cautibus exeſis aſperam, arduámque; alteram planam laſcivientibus viretis allicientem; floribúſque amœnam; illam, quæ duceret ad virtutis decora, & præmia ex antlatis laboribus ſuſcipienda: hanc ad dedecus quod voluptas parit, & vitium fovet. Hæcque ratio, cur pauci virtuti ſtratam viam ingrediantur, pauciores progrediantur, & pauciſſimi ad ſummum pertingant faſtigium; enixi tamen ſummâ potiantur felicitate, & plurimi viam ſeligant floribus ſtipatam, quia potiorem hominum partem voluptas ſecum trahit, quam labor diſtrahit. Inſinita ſunt, quæ Poëtæ etiam Ethnici aureè dixerunt ad mores informandos hone-

ſtate

state virtutum, quæ si decerpere liberet in spissum brevi volumen excrescerent; unde liquet, quàm bellè, quàm nervosè nobis Poetæ suadeant virtutum culturam, ac vitiorum fugam.

7. Falluntur, qui poësim abjiciendam putant, eò quia verba duntaxat exhibeat phaleris, & calamistris fucata ad aures pascendas, non mentem enutriendam. Nam ipsa numerorum concinnitas, verborúmque selectorum ornatus, sententiarum veritati perinde prodest, ac in arboribus flores, & folia, quibus fructus inumbrantur. Errant etiam, qui Poesim nihili ducunt, eò quia eos tantùm juvenes ad scientias præparent, qui in sinu adolescunt Musarum: tametsi nil aliud Poesis foret, quàm ad reliquas scientias præludium, & ad graviores disciplinas præambulum, ac levior mentis tinctura, ad hauriendum faciliùs succum scientiarum; adhuc utilis suis foret cultoribus; hâc Daniel in Babylonicæ Scholæ palæstra sublimioribus prælusit de Deo scientijs, & à D. Paulo facta nobis est potestas utendi Poëtarum dictis, à quo & illud Arati in Areopago usurpatur *Ipsius enim & genus sumus.*

8. Liquet igitur Poesim non ita verborum numeris aures demulcere, & animos aucupari, quin etiam virtuti famuletur, eámque promoveat in Poeseos cultoribus, cum ejus præcipuus finis sit virtus inserenda hominum mentibus.

EXPENSIO III.

De multiplici carminum Pede, ac genere.

1. CUm stylus Poëticus ligatus sit, & ad specialem adstrictus legem; certo versus mensurantur numero, & quadam Poeticorum pedum mensura, quam violare nefas sit. Est autem pes Poeticus pars versus, seu dictio polysyllaba, definita quadam syllabarum dimensione, ac ordine; adeout pedes sint mensuræ illæ, quibus certum cuique carmini spatium tribuitur: vocantur hujusmodi mensuræ pedes Poetici, quia carmina ijsdem incedunt, ac progrediuntur. Pedibus in pentametro binæ adduntur cæsuræ; est cæsura syllaba post pedem relicta, quæ in medio carmine producitur, in fine corripi potest, vel produci, sæpius tamen est longa.

2. Pedes igitur Poetici constant ex syllabis productis, vel correptis, & varij sunt. Dactylus constat ex tribus syllabis, quarum prima est longa, reliquæ breves — ᴗᴗ. Spondæus duabus - - Anapæstus ex tribus coalescit, quarum duæ priores sunt breves, tertia longa ᴗᴗ. — Jambus duabus, quarum prima brevis, secunda longa ᴗ.- Tribrachys, vel Tribrachus ex tribus brevibus ᴗᴗᴗ. Pyrrichius ex duabus brevibus ᴗᴗ. Molossus tribus productis. --- Trochæus ex duabus, quarum prima est longa, secunda brevis -ᴗ. Ultima tamen cujusque versus syllaba prout Poetæ magis libuerit, produci, vel corripi potest; hinc in fine Hexametri interdum locò spondæi ponitur Trochæus. De pedibus fusiùs agunt alij, sed carminibus condendis parum idoneè: mihi sufficit principalia, & necessaria delibâsse in ordine ad structuram cujusvis carminum generis.

Ex pedibus construitur versus, qui definitur oratio certo genere, numero, atque dispositione pedum illigata; & dicitur versus à vertendo quòd antequam legitimos accipiat numeros, modò hoc modò illo modo vertatur donec metricè fluat; & per hoc etiam differt ab oratione nullis ligata numeris, quæ Prosa dicitur, eo quòd prorsus usque ad finem marginis absque fræno procedat. Dicitur etiam Poesis esse oratio equestris, & Prosa pedestris, eò quia illa coërcita fræno syllabico incedat; hæc libera, & soluta à frœnis currat expeditiùs. Carmina à canendo nomen trahunt, & dicuntur etiam moduli, & lusus, quia voluptati famulantur. Odæ latinè cantica sonant, eò quia ad lyram olim canerentur. 3.

Poëtarum ordines sex cum Horatio recensentur *Heroici*, seu *Epici*, *Elegiaci*, *Lyrici*, *Jambici*, *comici*, *& tragici*. Carmen heroïcum dicitur à materia, seu ab Heroum rebus gestis laudandis, unde ab Adonis laudibus dicitur *Adonium*. A re rustica carmina heroica nominantur *Georgica*. A Pastoritia *Bucolica*. A selectioribus Pastorum colloquijs *Ecloga*. Si paulo altiùs surgant dicuntur *Idyllia* à forma brevioris poematis. A rebus lætis habetur carmen Genethliacum, seu natalitium, quo dies natalis festivè celebratur: *Epithalamium*, seu *Nuptiale* a Nuptiis. Rursus *Eucharisticum* bene merito: *Gratulabundum* honores, vel dignitates recèns adepto: *Epinicium* è bello reduci, ac victori: *Apobaterium* è patria discedenti: *Epibaterium* revertenti. *Soteria* consanato pro salute recuperata: *Scolia convivis*: *Pæan* olim Apollini cantabatur; perinde ac nunc hymni Deo, ac cœlitibus: carmen *prosenticum*, seu votivum vota continet: *Panegyricum* laudes comprehendit hominum. 4.

Ab argumento tristi texuntur carmina tragica, vel Elegiaca, è quibus habentur *tragœdiæ*, & *Elegiæ*, & Elegidion, seu carmen lamentabile breviusculum. *Epicedium* in laudem defuncti corpore nondum humato: *Monodia*, seu lugubris cantus, qui fit à Præfica in defunctorum funeribus: nam cæteris flentibus sola Præfica carmina canit: *Threnodia* carmen lugubre, quo genere primus omnium Simonides usus fertur apud Græcos: *Nænia*, seu carmen ultimum, quod defunctis canebatur ad tibiam ante cadaver sepultum. *Satyra* est carmen maledicum; & dici videtur à satura ob carminis varietatem, rerúmque copiam, quæ ibi tractantur; componitur satyra ad carpenda vitia, & à procacitate satyrorum, ut plerisque placet, suam sortitur nomenclaturam. Diræ sunt execrationes, & imprecationes adversus nefarios. Ab instrumentis, & pedibus suum etiam trahunt carmina nomen. A lyra siquidem quæ hymnis, & odis adhiberi consuevit, carmen dicitur *lyricum*; hinc poetæ lyrici dicti 5.

sunt, eò quia ad modulos lyræ sua carmina canerent *Horat. 1. carm. od. 1.*

Quòd si me lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice

6. A pedibus frequentioribus dicitur carmen *Dactylum* à frequentandis dactylis; *Anapæsticum* ab Anapæstis. *Jambicum* à Jambis, *Choriambicum* à choriambis: *Scazonicum* à spondæo pro Jambo in ultimum locum substituto, proinde claudicante; Trochaicum à Trochæis

7. A numero syllabarum dicitur carmen hendecasyllabum, eò quia undecim constet syllabis. A numero pedum habetur carmen hexametrum senis incedens pedibus; & Pentametrum quinis.

8. A numero carminum variam itidem oratio metrica suam sortitur nomenclaturam, *Monosticha* dicuntur illa carmina, quæ unico tantum versu comprehenduntur. *Disticha*, quæ duobus. *Tetrasticha* quatuor. *Pentasticha* quinque. *Hexasticha* sex. *Heptasticha* septem. *Octosticha* octo. *Enchasticha* novem. *Decasticha* decem constant versibus, sicque de cæteris. Versus dimidius hemistichium audit.

9. A varietate, & numero carminum vocari etiam carmina solent. Carmen si unius fuerit duntaxar speciei *Monocolon* dicitur; si duplicis *Dicolon*, ut carmen elegiacum constans ex Hexametro, & Pentametro. Si triplicis *Tricolon*, si quadruplicis *Tetracolon*. A nomero versuum, ac ordine revertendi ad eandem stropham dicitur ode *Monastrophos* eadem cum Monocolo. *Distrophos* cum post duo diversi generis carmina revertitur ad alia bina ejusdem speciei eodem ordine. *Tristrophos* quando idem fit post terna carmina ac in præcedenti post bina. *Tetrastrophos* quando post quaterna diversæ speciei carmine; quo pacto in sapphico cum Adonico binarius est carminum ordo, & quaternarius versuum, dicitúrque *Dicolos Tetrastrophos*. A syllabarum additione, vel detractione vocari etiam carmina solent; qua ratione carmen *Acatalecticum* dicitur cui nulla redundat syllaba. *Hypercatalecticum*, quod una redundat syllaba. *Catalecticum*, cui una deest syllaba, Brachycatalecticum, quod integro destituitur pede.

EXPENSIO IV.

Donantur explicatu varia carminum genera.

1. Carmina hexametra ita vocantur, quia sex constant mensuris, seu senis incedunt pedibus; & alio nomine dicuntur etiam heroica, eò quia in poemate Epico præsertim adhibeantur ad celebrandas Heroum laudes. Constat igitur hexametrum sex pedibus quorum primi quatuor ad Poëtæ arbitrium possunt esse Dactyli, vel spondæi. Quintus inviolabiliter est semper Dactylus, & sextus spondæus. Quòd si res postulaverit ut quintus pes debeat esse spondæus, tunc carmen illud dicitur spondaicum, ut

Cara Deûm soboles magnum Jovis incrementum.

2. Pentametra ita vocantur, quia quinque constent mensuris, seu quatuor pedibus, & duplici cæsura, scilicet duobus prioribus vel dactylis, vel spondæis, vel uno dactylo, & altero spondæo, deinde cæsura longâ; quam sequuntur duo pedes dactyli cum alia cæsura longa, licèt nonnunquam corripiatur.

3. Carmina sapphica à sappho puella Lesbia dicuntur inventa, à qua etiam nomen traxerunt, perinde ac Phaleucium carmen à Phaleoco; Alcaicum ab Alcæo; Anacreontie, Anacreonticũ ab Aristophanicũ ab Aristophane Asclepiadeũ ab Asclepiade, Glyconicum à Glycone, Hipponacteum ab Hippone; Archilochium ab Archiloco; Pherecratium à Pherecrate; Pindaricũ à Pindaro; Dithyrambicum à Baccho, qui dicitur bis egressus semel ex matris utero, & iterum ex Jovis femore: hæc genera carminum à suis Auctoribus propria tuerunt sortita nomina. Sapphicum igitur carmen quinque blandè, ac lætè incedit pedibus, quorum primus trochæus; secundus spondæus; tertius dactylus, quartus, & quintus trochæi sunt. Post ternos sapphicos versos tali pacto contructos sequitur carmen Adonicum duobus constans pedibus primo Dactylo, secundo spondæo. Sapphicum carmen est Hymnus de S. Joanne Baptista.

Ut queant laxis resonare fibris
Mira gestorum famuli tuorum
Solve polluti labij reatum

Carmen Adonicum *Sancte Joannes.*

4. Asclepiadeum carmen quaternis incedit pedibus cum cæsura longa, scilicet primo spondæo, secundo Dactylo, deinde cæsura producta, quam duo sequuntur Dactyli. Ex hoc carminis genere Horatius primam composuit odam lib. 1.

Mæcenas, atavis edite regibus
O & præsidium, & dulce decus meum:
Sunt, quos curriculo pulverem olympicum
Collegisse juvat: metáque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum Dominos evehit ad Deos.

5. Glyconicum carmen constat tribus pedibus, quorum primus est spondæus, & rarissimè Trochæus, reliqui dactyli, ut est illud Venusini

Crescunt vellera pascuis

6. Pherecratium carmen ternis itidem incedit pedibus, primo spondæo, secundo dactylo, tertio spondæo. Ut

Hortos Flora revisit.

Venusinus Lyricus carmini Asclepiadeo triplicì modo Glyconicum adnectit. Primò singulis Asclepiadeis nectendo Glyconicum, à quo ducit initium ut *in oda 24. lib. 3.* In divites Avaros.

Glyconicum *Intactis opulentior*

Asclepiadeum *Thesauris Arabum, & divitis Indiæ*

Glyconicum *Cæmentis licèt occupes*

Asclepiadeum *Tyrrhenum omne tuis, & mare Ponticum.*

7. Secundò tribus Asclepiadeis interdum addit quartum Glyconicum. Tertiò post binos versus Asclepiadeos, & tertium Pherecraticum, quartum addit Glyconicum, ut in oda 13. lib. 3. ubi fontis commendat amœnitatem.

Asclep.

Asclep, *O Fons Blandusiæ, splendidior vitro*
Asclep. *Dulci digne mero, non sine floribus*
Pherecrat. *Cras donaberis hædo*
Glyconic. *Cui frons turgida cornibus.*

8. Hendecasyllabum, seu Phaleucium carmen quinis incedit pedibus, quorum primus est spondæus, secundus Dactylus, reliqui Trochæi. Antonomasticè hoc carminum genus vocatur Hendecasyllabum, quia absque collisione undecim constat syllabis. Utitur hoc carmine Statius lib. 1. Syl. ult, lib. 2. Syl. 7. Martialis sæpissimè lib. 1. epigr. 50. 54. 67. 137. & lib. 2. epigr. 41. & lib. 4. epigr. 46. Boetius lib. 1. metro 4. canens

Quisquis composito serenus ævo
Fatum sub pedibus dedit superbum;
Fortunámque tuens utramque rectus,
Invictum potuit tenere vultum;
Non illum rabies, minæque Ponti
Versum funditus excitantis æstum,
Nec ruptis quoties vagus caminis,
Torquet fumificos Vesevus ignes
Aut celsas soliti ferire turres
Ardentis via fulminis movebit.

9. Alcaicum carmen ab Alcæo Poëta inventum quaternis incedit pedibus interjecta in medio cæsura longa, à qua dicitur Messhypecatalectum, quorum primus spondæus, vel Jambus est, secundus Jambus, dein cæsura producta, quam duo sequuntur Dactyli. Utitur hoc carmine Claudianus in nuptijs Honorij, ubi ter primo loco habet Jambum: & Horatius lib. 1. ode 9. & lib. 2. ode 13. Frequentius cæteris Lyricis est hoc carmen, quod in singulis strophis, perinde ac sapphica quatuor complectitur versus, quorum duo primi quatuor habent pedes, & unam cæsuram longam ordine, & modo jam indicato: tertius quaternis itidem incedit pedibus interjecta una cæsura. Primus est spondæus rarò Jambus, secundus Jambus cum cæsura, reliqui sunt trochæi. Quartus versus quatuor constat pedibus, quorum duo primi Dactyli cæteri sunt trochæi. Hisce versibus Venusinus Lyricus claudit odam 6. lib. 3. in qua corruptos suæ ætatis mores insectatur, sic occinens.

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior avis, tulit
Nos nequiores; mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

10. Hipponacteum Jambicum est trimetrum, catalecticum quinis incedens pedibus, qui cæsura claudumtur, seu quinque Jambis cum syllaba in fine; primo tamen, & tertio loco recipit spondæum, ut est illud elegans carmen

Ternos vetusti congios falerni
Uno die convivii peractis
Hausit potentum Romuli nepotum;
Regnator audax, arbiterque Regum.
Exinde plebs quiritium vocavit
Non Claudium Tiberium Neronem,
Sed Caldium Biberium Meronem.

11. Est hoc carmen species Hendecasyllaborum, perinde ac carmina, sapphica, & Phalevcia, singula enim simili construuntur harmonia.

Anapæsticum carmen constat quaternis pedibus sive sint Anapæsti, sive spondæi, aut Dactyli, hac tamen conditione, ut Dactylum spondæus statim excipiat. Familiare est hoc carmen in tragœdiarum choris, illo passim utitur Seneca Tragicus præsertim in Hercule furente Choro 2. occinens

Turbine magno spes sollicita
Urbibus errant, trepidique metus.
Ille superbos aditus Regum
Durásque fores expers somni
Colit, ac nullo fine beatus
Componit opes; Gazis inhians.
Et congesto pauper in auro est.

Fluit hoc carmen blandius, inceditque elegantiùs si cæsuris careat. Seneca aliquando huic carmini interserit Adonium, scilicet post tertium Anapæsticum. Partheniacum, Anapæsticum est catalecticum, & differt ab Archilochio solo defectu unius syllabæ in fine. Utitur hoc carmine Boëtius lib. 2. metro 5. 12.

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus arvis
Nec inerti perdita luxu;
Facili, quæ sera solebat
Jejunia solvere glande.

Anapæsticum Anacreonticum constat Anapæsto, Jambo, & Bacchio, cum cæsura utitur hoc carmine Claudianus in Nuptijs Honorij ode 2. 13.

Age cuncta nuptiali
Redimita verè Tellus

Jambicum carmen censetur cæteris elegantius, estque multiplex & diversa propterea sortitur nomina: quos enim Latini binarios Jambicos vocant, id est duorum pedum, Græci Monometros dicunt; ut etiam quaternarios Dimetros, senarios trimetros, octonarios tetrametros. Carmen Monometrum Acatalectum duobus duntaxat constat Jambis. Ut 14.

Ama Deum,
Cole Patrem,
Cave malum,
Tene bonum,

Jambicum Aristophanicum constat duobus Jambis, & una cæsura, seu syllaba, quæ carmen claudit. Potest subinde primus pes esse spondæus ut 15.

Fluit silenti
Valles per imas
Gradu Metaurus

Jambicum Euripidium est dimetrum brachycatalectum; constat enim tribus Jambis, licèt plerumque primus & tertius pes sint spondæi. Ut in Hymno Mariano 16.

Ave Maris Stella
Dei Mater Alma.

Jambicum Anacreonticum ternis incedit pedibus cum cæsura, seu syllaba, quâ clauditur carmen; primus pes esse potest spondæus, vel anapæstus, aut Jambus: reliqui duo sunt semper Jambi, ad quos sequitur cæsura. Utitur hoc carmine Seneca Tragicus in quarto Medeæ choro ubi describit emphaticè furorem Medeæ meditantis filiorum impotentem cædem inquiens 17.

Quónam cruenta Mænas
Præceps amore sævo

Rapi.

Rapitur? Quod impotentis
Facinus parat furore?
Vultus citatus ira
Riget, & caput feroci
Quatiens superba motum,
Reges minatur ultro.

18. Jambicum Boëtij est dimetrum catalectum, constátque Anapæsto, duobus Jambis, qui clauduntur cæsura. Ut lib. 3. metro. 7.

Habet omnis hoc voluptas
Stimulis agit fruentes,
Apiúmque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

19. Jambicum Archilochium dimetrum Acatalecticum quaternis incedit pedibus, quorum pares secundus, & qusrtus sunt Jambi, vel Tribrachij; primus, & tertius imparibus siti locis possunt esse Jambi, vel spondæi, rarissimè Anapæsti, aut Tribrachij. Utitur Ecclesia in Hymnis compositis à S. Ambrosio, Boëtio, aut Prudentio hisce Jambicis per strophas tetrastrophas distributis in horis canonicis; & etiam alibi, quos tamen versus Urbanus Papa VIII. alicubi correxit, ac elegantiori donavit stylo, ut liquet in elegantissimis Jambicis Dominicæ Passionis

Vexilla Regis prodeunt
Fulget crucis Mysterium
Quo vita mortem pertulit
Et morte vitam protulit

20. Plurimum etiam præsefert leporis, & elegantiæ Hymnus ex Jambicis à Boëtio compositus, & canitur ab Ecclesia in laudibus Feriæ quartæ.

Nox, & tenebræ, & Nubila
Confusa mundi, & turbida
Lux intrat, albescit polus:

21. Jambicum carmen Archilochicum Dimetrum Hypercatalectum, quo frequenter utitur Horatius tertio stropharum loco quaternis itidem incedit pedibus, addita tamen cæsura in fine, ex quibus secundus, & quartus sunt Jambi. Primus, & tertius possunt esse spondæi, vel Jambi, ut apud Horat. ode 9. lib. 1.

Sylvæ laborantes: geluque
Deprome quadrimum Sabina.

22. Jambicum trimetrum, brachycatalecticum quinque constat pedibus, quorum secundus, quartus, & quintus sunt Jambi; Primus, & tertius sunt vel Jambi, vel spondæi, usus hujus carminis vix est in usu, quia cæterorum caret harmonia, ut in hoc Jambico *Premi potest bonus, non opprimi.*

23. Jambicum trimetrum, Acatalecticum, quod à latinis dicitur versus sexarius Jambicus, est vel simplex, & constat sex Jambis, quibus cæteris ocyius currit, ut apud Horat. Epod, 2. In laudem vitæ Rusticæ.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Forúmque vitat, & superba civium.

24. Vel est Jambicum mixtum, cujusmodi est Jambicum Tragicorum & locis paribus exigit Jambum; secundo, & quarto, nonnunquam etiam sexto admittit comparem Tribrachyum; sed in locis imparibus recipit Tribrachyum spondæum, & interdum compares pedes scilicet Anapæstum, & Dactylum, ut apud Senecam:

Curæ leves loquuntur ingentes stupent;
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Et in Medea *Fortuna opes auferre; non animum potest,*
Iniqua nunquam Regna perpetuo manent.

Scazon, seu choliambicum carmen creditur ab Hipponacte inventum, estque Jambicum Trimetrum, sed claudicans, eò quia sexto loco habeat spondæum, & quinto Jambum; in reliquis quatuor Jambos, vel locis paribus Jamboa, vel Tribrachyos; imparibus verò spondæos, aut spondæo compares. Utitur hoc carmine Martialis *lib. 1. epig. 11. 64. 117. & lib. 2. epig. 57. lib. 5. epig. 104.* Boëtius *lib. 3. metro 11.* Persius in carminibua, quæ instar Prologi suia præmisit satyris. 25.

Nec fonte labra prolui caballino
Nec in bicipiti somniâsse Parnasso
Memini, ut repente sic Poëta prodirem.
Heliconidásque, pallidámque Pirenem
Illis relinquo, quorum imagines lambunt.

Plura alia carminum genera reperiuntur præsertim apud Plautum, & Terentium; quia verò non sunt in usu; non est opus ea hic attexere; sufficit enim explicuisse principalia, quæ in clarioris notæ Auctoribus crebriùs occurrunt. Carminum genera, quibus Horatius utitur in odis undeviginti sunt. 26.

EXPENSIO V.

Aperiuntur carminum vitia, & virtutes.

PLura sunt, quibus ligatæ orationis numeri vicientur, ac Poëseos corrumpitur harmonia, idque obtingit quoties carmina duriore ac ingrato sono aures potiùs flagellant, quàm demulceant; quod oriri potest vitio, vel cæsuræ, vel vocum, aut elisionis. Sicut è converso ex ijsdem ritè dispositis virtus resultat, se harmonia carminis. Ut autem id clariùs elucescat aliquot percurremus carminum genera desumpta ex Authore Anonymo Artis metricæ, & exhibita in exemplum. 1.

Hexametrum carmen constana sex pedibus, quorum quintus Dactylus, sextus spondæus potest esse harmonicum sive quaruot primi sint Dactyli, ut 2.

Ducite ab urbe domum mea carmina ducite Daphnim.

Sive quatuor primi fuerint omnes spondæi, ut

Canto quæ solus, si quando armenta vocabunt.

Sive permixti fuerint ex Dactylis, & spondæis ut apud Virgilium.

Tityre tu Patulæ recubans sub tegmine fagi.
Sylvestrem tenui Musam meditaris avena.

Viriosum verò est, ac durum, si cæsuris careat, quibus pedes pedibus innectantur, adeo ut singulæ voces per se, ac seorsim pedem constituant. Ut 3.

Musâ carmina scribere nostros credite vates
aut hoc aliud
Nostraque multis magnis membris corpora constant.
Durum est etiam Hexametrum, qood unicam tantùm habet cæsuram, & hanc post primum pedem ut est carmen Persii
Est aliquid, quò tendit, & in quod dirigis arcum

4. Pentametrum constans duabus partibus, quarum prima binos continet pedes Dactylos, vel spondæos, vel permixtos cum cæsura longa: & secunda pedes duos Dactylos comprehendit cum altera cæsura producta, vel correpta leniter fluit, sive pedes sint omnes Dactyli, Ut
Tu tibi Dux comitis, tu comes ipsa duci
sive duo primi sint spondæi. Ut
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
Vitiosom autem est Pentametrum, si terminetur dictione Monosyllaba, Uc
O pueri meliùs carmina scribite sic
Durum est etiam Pentametrum, auribúsque ingratum, quando in scansione prior pars secundæ adnectitur, Ut
Sunt pueri impatientes tolerare moras

5. In supphicis carmen sonat durius, si nullam post secundum pedem cæsuram habeat, ut est carmen Horatij
Mercuri facunde nepos Athlantis
Durè itidem sonat Hendecasyllabum carmen, si post secundum pedem cæsura careat, ut sunt hi versus Martialis.
Toto notus in orbe Martialis,
Argutis epigrammatum libellis
Hoc idem obtingit carmini Alcaico si post secundum pedem careat etiam cæsura. Ut est carmen Horatij alloquentis Mæcenatem ægrotum.
Ah! te meæ si partem animæ rapit
Maturior vis.

6. Quoad vitia, quæ ex vocibus in carmina derivantur plura notari solent. Durum enim est Hexametrum si desinat in monosyllabam, Uc
Nil ergo optabunt homines, si consilium vis
vel illud Horatij
Nam pro jucundis amplissima quæque dabunt Dî
vel si desinat in quadrisyllabam dictionem, ut est illud Virgilij
Sustinet ac natæ Turnique canit hymenæos
Injucundè itidem sonat, si desinat in vocem quinque syllabarum, Uc
Ipse sibi primus laudem parit ingeniosi
syllabarum similium concursus ingratus etiam accidit auribus. Uc
O Tite, tute, tati, tibi tanta Tyranne tulisti.

7. Pentametrum carmen injucundè etiam definit in vocem trisyllabam. Ut
Sit licèt & ferro durior, & chalybe
&, illud Tibulli
Cultor odoratæ dives arabs segetis

Quòd si in vocem desinat quadrisyllabam, adhuc acriùs verberat aures. Ut illud Propertij
Maxima de nihilo nascitur Historia
Hendecasyllabum definit carmen duriùs etiam in monosyllabam. Ut illud Paschasii
Arnus nuper adit novus clicus me
8. In Jambicis non bene clauditur carmen voce trisyllaba, uc est illud Senecæ
Vos Dominus odit, fit nocens, non quæritur.
Generatim in quovis carminum genere quidquid in dispositione, ordine, ac usu dictionum injucundum efficit sonum, cavendum est, quia datur carminibus vitio.
Crebriores sunt etiam fugiendæ elisiones; & præsertim cum vox monosyllaba initio carminis elidi debeat, ut
Dum autem Trojanis olim fortuna favebat
frequentes elisiones durum reddunt hunc Persii versum
O curas hominum! ò quantum est in rebus inane!

9. Quoad rem ipsam errant Poëtæ, si in modo excesserint illam explicandi, aut verosimilia non finxerint; ut si quis ob deperditum in ludo unum, vel alterum aureum, plorantem induceret Imperatorem; genásque ungoibus sibi discerpentem, ac ad cruorem usque lacerantem, cum id nec dignitatem deceat Imperatoris; neque verosimile videatur. Quoad modum peccant Poëtæ, si incidant in vitia, quæ in hisce comprehenduntur duobus carminibus.
Peccat si tumidus, durus, puerilis, & audax
Si Trivialis erit versus, jejunus, hiulcus.

10. Ad conciliandum carminibus harmoni cum sonum nulla præstantior, ac tutior regula tradi potest, quàm ipsum judicium aurium. Proderit tamen aliquot subjicere regulas servandas in pedum dispositione. Primò blandiùs fluunt Hexemetra, si pluribus abundent cæsuris, quibus sericis veluti vinculis dictiones simul nectuntur in scansione; ut est illud Ovidij in consolatione ad Liviam Augustam
Miscebor cinerique ciuis, atque ossibus ossa
sine elisione
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales
vel si abundet Dactylis, ut illud
Arva sequi, jaculisque feras agitare solebat

11. Quòd si unica tantùm in Hexametro fuerit cæsura post secundum pedem, & propterea cujus beneficio secundus pes innectatur tertio, suavem conciliat carmini fluxum, ut est carmen illud Ovidianum.
Ludit in humanis divina potentia rebus.
Si alternis Dactylis succedant spondæi harmoniam itidem efficiunt, ut illud Lucani
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido
suaviter etiam fluit carmen, si initium ducat à voce bissyllaba, quarom prima sit longa, secunda brevis; & prima secundæ dictionis brevis ut in carmine Virgiliano

Urit odoratam nocturna in lumina cedrum

Blandè itidem fluit pentametrum, si initium ducat à duobus dactylis, vel Dactylo, & spondæo, aut è converso. Ut à duobus Dactylis

Nomen amicitiæ barbara corda movet

à Dactylo, & spondæo

Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ

à spondæo, & Dactylo

Interdum lacrymæ pondera vocis habent.

In Lyricis standum omnino est judicio aurium: neque alia regula tradi solet, nisi quòd hujusmodi carmina non sint construenda dictionibus monosyllabis, neque trisyllabis. Tamersi vox trisyllaba non malè sonet in fine Jambici, dummodo elisio præcesserit, ut illud Senecæ

Caret sepulchro Priamus, & flamma indiget
Ardente Troia

12. Cæterum commendantur carmina, si fuerint ingeniosa, acuta, gravia, perspicua, suavia, quasi melle illita, si blandè fluxerint veluti pellucidi latices, aut lactei rivuli; si servaverint in verbis elegantiam; & in rebus proprietatem; quo in obeundo munere cæteros Poëtas superavit Virgilius, ut enim sedati animi lenitatem exprimeret, carmen hoc exhibuit, quod ipsam redolet lenitatem.

Olli sedato respondit corde latinus

Trucem efferati animi ferociam, cordisque flammantem iram ad vivum exprimit illud veluti fremens rictu canino hemistichum

Fremit horridus ore cruento

Strategum, vel supremum exercitûs Præfectum imperantem militibus summam celeritatem in occupanda per assultum arce obsidione vallata, in hoc incitatissimo carmine aure audimus, oculisque videmus

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.

Equitantium hominum confusas voces, equorúmque incitatissimum cursum sensu ipso percipimus hoc carmine cursum imitante equorum

——— It clamor, & agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Ventorum sybilum suo prorumpentium ex antro, ac mira celeritate irruentium in campos, sylvásque audimus hoc duplici hemisticho

——— Ac venti velut agmine facto
qua data porta ruunt

Fabros ferrarios massam ferream super incode versantes, eámque malleis ad repetitos numeros cadentibus subigentes videmus, ac audimus hoc bino Virgilij Hexametro

Illi inter se se multa vi brachia tollunt,
In numerum, versántque tenaci forcipe massam.

EXPENSIO VI.

De Poëseos figuris, ac ornamentis.

Figuræ Poëseos aliæ veluti ancillæ famulantur ex necessitate; aliæ sunt carminibus ornatui; illæ nomine *metaplasmi* ferè comprehenduntur. Est *metaplasmus* transformatio recti sermonis in formam usu minimè respondentem consuetudini, idque ex necessitate, vel uberiori etiam metri concinnitate. Species metaplasmi oriuntur ex additione litteræ, vel syllabæ, ut *Protesis*, quæ initio; *Epenthesis*, quæ in medio, & *Paragoge* quæ in fine addit: vel ex detractione ut *Aphæresis*, quæ initio; *Syncope*, quæ medio; *Apacope*, quæ fini detrahit. Vel ex constructione duarum syllabarum in unam, ut *Synæresis*, cui affinis est *Crasis*; aut ex constructione unius in duas resolutiones, ut *Diæresis*, aut ex transpositione litterarum, ut *Methathesis*; aut ex interjectione dictionis interjecta aliqua voce, & *Tmesis* dicitur: aut ex productione syllabæ; aliàs correptæ, & vocatur *Diastole*; vel è correptione productæ, & dicitur *Systole*: vel ex elisione syllabæ ultimæ, ejúsque transpositione in syllabam initialem sequentis carminis, & dicitur *Ecthlipsis*, ad quam revocatur *Synalæphe*, cui opponitur *Dialæphe*. 1.

Prothesis est cum initio alicujus dictionis additur vel littera, vel syllaba, ut *natus gnatus: tuli detuli*; hac figurâ utuntur, qui ad producendam primam syllabam alicujus dictionis duplicant litteras consonantes, quo pacto, quia prima syllaba *Religio* est brevis, scribitur *Relligio*, & ex tribus primis syllabis fit pes Dactylus. Verùm id potiùs fit ex necessitate metri; & licentia Poëtica, alioquin figura violaret leges Prosodiæ, & Orthographiæ. 2.

Epenthesis est cum medio dictionis additur syllaba, vel litera, ut si loco *Mars* ponatur *Mavors*; pro *interfit interfiet*. 3.

Paragoge contingit quoties fini dictionis additur vel syllaba, vel litera, ut dictio accommodetur carmini. Utuntur Poëtæ hac figura præsertim in verbis infinitis passivis; etenim pro *avelli, dici, laudari*, dicunt *avellier, dicier, laudarier*. Horatius 4.

Insidias fieri, pretiúmque avellier inde

Aphæresis fit cum dictionis initium mutilatur, ut si pro *erno* ponatur *rno*, pro *contemno*, dicatur *temno* Virgilius 5.

——— Dabit ille ruinam
Arboribus, stragémque satis, ruet omnia latè.

Interdum mutilatur verbum *est* quod jungitur cum præcedente dictione, ut cum pro *opus est* dicitur *opust*; pro *probus est* ponitur *probust*, hujusmodi mutilatione non semel utitur Plautus.

Syncope est cum à medio dictionis tollitur syllaba, aut litera, ut cum periculum dicitur *periclum*, vincula *vincla*, Dominus *Domnus*, Divorum *Divûm*, cæruleus *cærulus*, Age si vis, *agesis*, asperi, *aspri*, calidius *caldius*, cessisset *cesset*, Angulus *Anglus*, cælicolorum *cælicolûm*, consumpsisse *consumpse*, dixisti *dixti*, 6.

duxisti duxti, dixisse dixe, repositum, expositum *repostum, expostum* Grajugenorum, *Grajugenum* il-lexisse *illexe*, Impleverunt *implerunt*, manipulus *maniplus*, oraculum *oraclum*, seculum *seclum*, Ferdinandus *Fernaudus*, Solimanus *Solmanus*, vixisset *vixet*, Virgilius

Vixet cui vitam DEUS, aut sua dextra dedisset.

7. *Apocope* obtingit, quando à fine dictionis aufertur syllaba, aut litera, ut cum loco nemóne? nostine? ponitur *nemon? nostin?* Item in genitivis nominum rectorum in *jus*, & *jum* & in quibus duplicatur i. omittitur secunda litera i. & superstiti solet accentus circumflexus superimponi, sic loco absinthij ponitur absinthi, ingenij ingeni, tugurij, tuguri, Dionysii Dionysi Horatij, Horatî Virgilius

Pauperis, & tugurî conceptum cespite culmen

8. *Synæresis*, seu *synecphonesis*, vel *Episynalæphe* contingit cum ex duabus syllabis fit una retentis duabus vocalibus, sed in unam coactis syllabam, quo pacto fiunt Monosyllaba, *cui, Dij, ait, huic, proin, rei*, & dissyllaba *anteit, alveo, aureis, orphei, Nerei, Terei, Perseo, ferrei* Virgilius

Ferreique Eumenidum thalami, & discordia demens

9. *Crasis* est duarum, pluriúmve vocalium in unam coalescentium inclusio, sive illæ antea vim habuerint consonantis, aut diphthongum, vel synæresim effecerint, sive non; adeout vim habeat producendi syllabam, quia plurium temporum vim continet inclusam in una; quo pacto prima syllaba in *biga, bobus, cotes, corus, clodius, flârunt, flerunt, nil, mi*, longa est, quia ante crasim erant *bijuga, bovibus, cautes, caurus, claudius, flaverunt, fleverunt, nihil, mihi.*

10. *Diæresis*, seu *Dialysis* est dissolutio unius syllabæ in duas, ut Cajus, clausus, gaudet, solvit, sylva, Troia, quæ fiunt dictiones trisyllabæ. Catul.

Nunc queque te salvo, persolvenda mihi.

11. *Metathesis* est commutatio ordinis in literis, aut syllabis, ut dare circum pro circumdare, esse super pro superesse, ut in hoc Hexametro

Ter conatus ibi colle dare brachia circum

12. *Tmesis*, seu Diacope est sectio dictionis compositæ, cum interpositione alterius dictionis, ut *quo nos cunque* pro *quocunque nos* Horatius

Quo nos cunque feret melior fortuna parente

Ausonius in Idilijs secuit *antequam* pluribus interjectis dictionibus.

Ante equidem campis, quàm spicea suppeteret frux

Lucretius itidem dictionem reapse sic disjunxit

Esse Deûm matrem, dum re non sit tamen apse

13. *Systole* est contractio, seu correptio syllabæ, quæ ex natura sua producta, seu longa est, sive ex necessitate metri, sive ex licentia Poëtica, Virgilius

Italiam fato profugus, Lavináque venit

ubi prima syllaba Italiam cum brevis sit producitur ex necessitate metri. Consueverunt etiam Poëtæ corripere penultimam in plerisque præteritis desinentibus in *erunt*, ut *fleterunt, tulerunt*; ut etiam licèt rarius penultimam verbi Infiniti. Ut

Illi autem paribus, quos fulgere cernis in armis

Diastole est productio syllabæ alioquin ex natura sua brevis, & correptæ, sive ex necessitate metri, sive ex licentia fiat, quo pacto Juvenalis producit particulam *&*, quæ ex natura sua est brevis 14.

Et animam, & mentem, cum qua Dij nocte loquuntur

eadem ratione producitur etiam prima syllaba in *Religio, reperit*. Virgilius

Repperit ossa tamen peregrina cognita terra. 15.

Ecthlipsis est cum litera M. cum præcedente vocali eliditur à sequente vocali, aut diphthongo; quod etiam fit, licèt vocalis & diphthongus sequens conjungatur cum aspiratione, Virgilius

Dejecturum arces Italum, excidioque daturum

Nonnunquam veteres Poëtæ consueverunt elidere ultimam syllabam versus terminatam litera M. si prima litera sequentis carminis sit vocalis. Virgilius

Jamque iter emensi, turres, ac tecta Latinorum

Ardua cernebant.

Synalœphe est, cum vocalis, aut diphthongus in fine præcedentis dictionis absorbetur à vocali, aut diphthongo initiali secundæ dictionis, adeout ratio quantitatis in litera, seu syllaba absorpta non consideretur. Virgilius 16.

Conticuêre omnes, intentique ora tenebant

Particulæ tamen O. Ah, Heu, à sequenti vocali non absorbentur Ovidius

O utinam tunc, cum Lacedæmona classe petebat.

Tibullus *A ego ne possim tanta videre mala*

Fit etiam synalœphe in fine versûs, si sequens versus incipiat à vocali, vel Diphthongo. Virgilius *Georg. 3.*

Et spumas miscent argenti, vivâque sulphura
Idæasque pices.

In Epitaphijs antiquis etiam legitur *intest, probatest*, pro *in te est, probata est*

Dialœphe est cum nec vocalis, nec Diphthongus à sequenti vocali absorbetur, sed negligitur synalœphe, & tunc potest syllaba corripi beneficio regulæ de vocali ante vocalem. Tametsi hæc figura frequentior sit apud Græcos; plura tamen ejusdem extant apud Latinos exempla Virgilius 17.

Et succus pecori, & lac subducitur agnis

Exemplum syllabæ in se longæ, quæ corripitur ratione sequentis vocalis dat. Virgil.

Credimus an qui arma amant ipsi sibi somnia fingunt?

Cæsura est syllaba ultima dictionis polisyllabæ post pedem aliquem, & vel stat per se; vel efficit alterum pedem cum syllaba initiali sequentis dictionis. In Pentametro elegiaco post duos pedes in utraque parte abundat pes, qui dicitur cæsura: & in hexametro concinnè composito frequentes sunt cæsuræ, quibus pedes 18.

pedes in scansione, simul innectuntur, ut Virgilius Æneid. 1.

Multa super Priamo cogitans super Hectore multa.

& Æneid.2. *Infandum Regina jubes renovare dolorem.*

19. Hellenismus, seu Græcismus est, Græci idiomatis imitatio, seu græcanica forma loquendi in latium idioma translata; ut si quia in genitivo dicat *Arcados* pro Arcadis, *Matheseos* pro Mathesis, *Tereos* Tetes: in accusativo *Hectora,cratera* pro, Hectorem craterem; in accusativo pluralis numeri *Arcadas Thracas* pro Arcades, Thraces. In nominativo *Helene* pro Helena Ovid.

Atque utinam velles Helene non pluribus esse

Dicimus etiam *certare duobus*, pro cum duobus: *certa mori* pro certa moriendi, *fidens animi*, pro fidens animo.

20. Enalloge est immutatio regulas perturbans probæ constructionis; & tot sunt hujus figuræ genera, quot sunt modi, quibus hujusmodi potest fieri immutatio, Virgilius de Troiani equi machina invecta in urbem Troiam.

Illa subit, mediæque minans illabitur urbi.

Juxta regulas syntaxeos debuisset dixisse *in mediam urbem*.

21. Eclipsis est cum in carmine aliquid deest, quod subintelligitur, ut cum Virgilius dixit *Genus unde Latinum* subintelligendo *ortum est*. Vel

Di meliora pijs, terroremque hostibus illum

hoc est Dij *tribuant* meliora pijs; & injiciant terrorem illum hostibus.

EXPENSIO VII.

De tropis, & Figuris Rhetorices ornandæ Poesi aptioribus.

1. PErinde utuntur Poëtæ tropis, & figuris Rhetorices ad ornatum ligatæ, ac metricæ orationis; ac oratores ad uberiorem elegantiam solutæ. Quia verò de figuris luculenter, ac abundè egimus in primo tomo hic tantum attexam illas, quibus frequentiùs utuntur Poëtæ; suntque præsertim metaphora, quæ est translatio verbi ab uno subjecto, cui est proprium ad aliud, cui minimè est proprium, quódque potest quadrupliciter obtingere.

2. Primò si translatio fiat de re animata ad inanimatam, quo pacto Virgilius hac fuit metaphora usus cum dixit

——Pontem indignatus Araxes

indignari proprium hominis transfertur ad Araxem fluvium, qui incurrentium aquarum impetu pluries substructum pontem labefactavit, ac si minimè pateretur sicco pede premi, & trajici.

3. Secundò si vocis significatio à re inanima transferatur ad animatam, eleganter Virgilius hanc adhibuit metaphoram hoc in carmine.

Sævit amor, magnóque irarum fluctuat æstu

Fluctuare, ac æstuare proprium maris ventorum impetu perciti transfertur non sine lepore ad animum irâ commotum.

Tertiò quando translatio fit à re animata ad aliam animatam licet in diverso genere, Virgilius Eclog. 4. 4.

Et duræ quercus sudabunt roscida mella

Sudare quod est proprium hominis, vel equi animati vita sensitiva transfert ad quercum animatam vita vegetativa.

Quartò cum ab inanima fit translatio ad rem aliam inanimam. Virgilius 5.

Ipsi lætitia voces ad sydera jactant

Intonsi montes

Tondere quod convenit capillis, ac velleribus inanimis transfert ad montes itidem inanimos. 6.

Utuntur Poëtæ frequenter synedoche sumentes partem pro toto, speciem pro genere; &vice versa totum pro parte; genus pro specie; numerum singularem pro plurali; & è converso pluralem pro singulari; materiam pro re conflata ex eadem; antecedentia ut intelligantur consequentia. Pars integralis pro toto venustè ponitur à Virgilius *lib. 2.*

Non anni domuêre decem non mille carinæ

& alibi —— *Pictásque exussere carinas*, sumit carinam, quæ est pars navis, pro tota navi; eodem pacto sumi potest p pp's pro tota navi? totum pro parte usurpat Virgilius lib. 1. Æneid.

Pabula gustâssent Troiæ, Xanthúmque bibissent: alibi etiam pro aqua ex Tybeti, & Fabari Sabinorum fluvio hausta, & epota, utitur ipso nomine Tyberis & Fabaris

Qui Tyberim, Fabarimque bibunt

Specie pro genere etiam eleganter utitur Martialis

Pæstanis rubeant æmula labra rosis

Rosæ Pæsti Lucaniæ oppidi præ cæteris tunc temporis commendabantur, ac propterea à Poëtis sumebantur rosæ Pæstanæ pro cæteris rosis; & floribus sumendo speciem pro genere pulchrè cecinit Martialis

Pæstanis rubeant æmula labra rosis.

Speciem pro genere eleganter semper usurpârunt Poëtæ præsertim in Lyricis, quo pacto Poëta Venusinus usurpat mare Caspium pro quovis mari; montes Armenios pro omnibus montibus; querceta Gargani montis in Apulia pro omnibus arboribus, Aquilones pro ventis omnibus, ac lepidissimè in hunc occinit modum plectrum pulsando lib. 2. ad Valgium,

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros; nec mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Usque, nec Armenijs in oris
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes; aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant
Et folijs viduantur orni

Metro graviori Claudianus laudat Honorij peritiam in torquendis spiculis, vibrandisque sagittis usurpando species pro generibus; nempe pro jaculis generatim captis spicula Gortyna usurpat, eo quia hæc in opp do Cretæ Insulæ, cui nomen erat Gortyna, cæteris præstantiora cuderentur: pro sagittariis præstantissimis sumit generatim Cydonios Cretæ accolas, ut etiam Armenos, Parthósque recenset, 7.

quia

quia præ cæteris in evibrandis jaculis excelluerint; sicque Claudianus Honorium alloquitur.

Quæ vires jaculis; vel quæ Gortynia tendis
Spicula, quàm fælix arcus, certique petitor
Vulneris, & justum mentiri nescius ictum!
Scis quo more Cydon, qua dirigat arte sagittas
Armenius, refugo, quæ sit fiducia Partho.

8. Genus pro specie usurpavit Ovidius *lib. 4. Trist. Eleg. 5.* sumpsit feram pro ursa

Magna minórque feræ quarum regit altera Graias
Altera Sidonias utraque sicca rates

Singularem oumerum pro plurali frequentiùs usurpant Poëtæ Virgil. 2. Æneid.

——— utrumque armato milite complent.

Claudianus commendans Stiliconem, inconcussa animi firmitate, ac intrepedo pectore irruentem districto gladio in hostes, singulari utitur pro plurali

Nec te terrisonus stridor venientis Alani,
Nec vana Hunnorum feritas, non falce Gelonus,
Non arcu pepulere Getæ, non Sarmata conto

Scilicet non terruerunt hostes armis instructi, & ad pugnam parati Stiliconem.

9. Pluralem oumerum pro singulari festivè adhibet Martialis initio *Satyræ 2.* ubi larvatos redarguit virtutis simulatores inquiens

Qui Curios simulant, & bacchanalia vivunt, seu qui inani quodam affectæ virtutis fuco hominum illudentes oculis Curio, seu virtutum cultori similes videri volunt; cum vitam agant vitiorum indulgentia profligatissimam. In hac pluralis numeri pro singulari, & singularis pro plurali usorpatione poëtica elegantia in eo, potissimum splendescit, ut appellativa nomina, quæ pluralibus convenire possunt à plurali numero transferantur ad singularem, & ita usurpentur, ac si revera singularia forent, ac uni duntaxat convenirent individuo ut eum Claudianus *Gelonum* pro Gelonis; *Sarmatam* pro Sarmatis; ubi nomina appellativa populurum sumuntur in singulari numero, quasi essent singularia. E converso cum singularia nomina transferuntur ad pluralem, usurpantur ac si essent appellativa.

10. Per synecdochen usurpatur etiam materia pro re conflata ex eadem, ut eum Virgilius *6. Æneid.* sumpsit *æs* pro tuba

Ære ciere viros, Martémque accendere cantu.

Et alibi arborem pro remis, quibus navis urgetur

It gravis Auletes, centenáque arbore fluctum
Verberat.

Antecedentia pro consequentibus venustè itidem à Poëtis usurpantor, sic Virgilius *Eclog. 1.* indicaturus solis occasum ab antecedentibus dixit

Majoresque cadunt altis de montibus umbræ

Et Eclog. 2. ingruentem noctem pulchrè ab antecedentibus exprimit.

Aspice aratra jugo referunt suspensa juvenci
Et jam summa procul villarum culmina fumant.

Metonymia, quæ & Hypallage dicitur, est tropus, quo festivè utuntur Poëtæ varijs modis, vel sumentes Inventorem pro re inventa, ut Virgil. *Cererémque canistris——expediunt;* scilicet panem, cujus conficiendi artem Ceres dicitur invenisse, ut Virgil. 11.

Et multo in primis hilarans convivia baccho scilicet vino, cujus inventurem fingunt Poëtæ Bacchum fuisse. Usurpari etiam solet artifex seu faber ferrarius pro igne, quo sua cudit artefacta Virgilius *Totis Vulcanum spargere tectis*, seu ignem.

Effectus concinnè ponitur pro causa, vel eidem tribuitur, ac si eam afficeret Virgil. *6. Æneid.*

Pallentésque habitant morbi, tristisque senectus

Horatius lib 1. oda 4.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regúmque turres.

Continens eleganter pro contento sumitur, Virgilius

Fæmineis ululant clangoribus ædes

seu sœminæ in ædibus lamenta edunt, & lacrymas fundunt.

Possessor itidem usurpatur pro re possessa Virgilius. *Jam proximus ardet Ucalegon,* seo vicina Ucalegontis domus. Signum pro re signata lepide sumitur. Virgil. 12.

Non illum populi fasces, non purpura regum
Flexit. Per fasces consulatum, per purpuram regem intelligit

Signa nobilitatis sunt cereæ majorum imagines. Lucanus 13.

Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule Fasti
Profuerint, cui visa labat?

scilicet nil ei nobilitas prodest, nec quidquam suppeditat nitoris, quem vitia denigrant. *Consularis potestatis* signa olim fuere fasces, & sella curulis. Lucanus *Hinc rapti pretio fasces*, seu pecunia numerata emptus Consulatus. Signa Regiæ dignitatis sunt purpura, sceptrum, diadema. Romanorum Pontificum claves, navis. Imperij, & Imperatoris Aquila, Regis Galliæ lilia, Regis Hispaniæ Leo. Turcarum luna medio orbe corusca. Poëta Anonymus suadeos Regi Galliæ bellum Turcæ indicere pulchrè cecinit

——— *victus cum Turca videbit*
Lilia Idumæas iterum florere per urbes;
Fractaque pallebunt fugientis cornua lunæ

Senatoriæ dignitatis signum est *toga*. Militaris *sagum*. Romanarum Legionum *Aquilæ*. Lucanus

Interea domitis Cæsar remeabat Iberis
Victrices Aquilas alium laturus in orbem.
Id est legiones Romanas

Signa literaria Philosophiæ pallium. Poëseos laurus, Lyra. Bucolicæ fistula. Heroicæ Poëseos tuba. Lyricæ cithara. Comicæ soccus, tragicæ cothurnus. Virgilius 14.

Vestra meos olim, si fistula dicat amores.

Scilicet si pastoritiis versibus meos describatis amores. Et Martialis

Pieriâ caneret, cum fera tubâ. Seu carmine heroico

Signa politica *Pacis* sunt olea, toga, Jani templum clausum. *Belli* Templum Jani apertum, arma. fagum. Tullius paucis mutatis

Cedant arma togæ, Laurus concedat olivæ

Signum *legationis* est caduceus. Victoriæ laurus, palma. *Abundantiæ* Amaltheæ cornu. *Annorum* Fasti.

Signa populorum ponuntur etiam flumina principaliora, quæ regiones abluunt. Anglorum est Thamesis, Romanorum Tiberis. Hispanorum Tagus, Gallorum Sequana, Rhodanus, Belgarum Schaldis, Germanorum Rhenus; Bavarorum, Austriacorum, Hungarorum, Thracum Ister; Ægyptiorum Nilus; Palestinorum Jordanis; Parthorum Euphrates; Indorum Ganges.

Sumitur etiam vicissim res ipsa significata pro signo. Cometæ quia vulgò dicuntur esse minaces Superûm linguæ, eleganter Frizonius cecinit.

Postquam sanguineo feralis crine cometes
Terruit aspectu populos, flammæque minacis
Prodigio, ardentes Superûm circumtulit iras.

15. Antonomasia, quæ latine pronominatio dicitur, seu nominis commutatio, est cum loco nominis proprij, aliud usurpamus, sive illud sit adjectivum, sive substantivum, quo ex accidentibus res explicetur. A loco, quo fuit quis in veneratione habitus dicitur *Cypria*, seu *Erycia* id est Venus: *Delius*, seu Apollo. A patria, & parentibus apud Virgilium 6. Æneid. Æneas dicitur *Tros Anchisiades*, quia fuerit filius Anchisis

Tros Anchisiades facilis descensus averni

Et lib. 8. usurpavit Tyrannum genericè pro Massenrio

Quid memorem infandas cædes, quid facta Tyranni?

Huc pertinent Epitheta, quæ emphasim habent rebúsque plenè accommodantur, ut fugaces anni, indomita mors apud Horatium ode 14. lib. 2.

Eheu fugaces Posthume, Posthume
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti

Martialis captum hamo piscem, & à Piscatore ab aquis extractum exprimit duplici epitheto

Et piscem tremulâ salientem ducere seta

Eleganter adhibentur epitheta, si rebus conveniant. Ovid.

Attenuant vigiles corpus miserabile curæ

scilicet curæ hominis transigentis noctes insomnes.

Epithetum conveniens personæ eleganter tribuitur ejus affectui. Lucanus

——— *& pila minantia pilis*

Erat pilum telum missile, quo Romani milites in bello utebantur Ovid

——— *mutum premit ille dolorem,*

seu ille motus premit dolorem, quo acriter torquetur.

16. Aptè itidem epithetum conveniens effectui accommodatur causæ. Martialis

Cuncta jacent, flammis, & tristi mersa favillâ

Tristitia pertinet ad luctum, quem flammæ incendio excitârunt; & tribuitur causæ luctûs, seu favillæ, & flammæ.

Venustè epithetum conveniens causæ tribuitur effectui. Martialis

Sirenas, hilarem navigantium pœnam,
Blandásque mortes, gaudiúmque crudele
Quas nemo quondam deserebat auditas;
Fallax Ulysses dicitur reliquisse,

Illa epitheta *hilarem, Blandas, crudele* quæ Sirênibus conveniunt, venustè tribuuntur per antithesim pœnæ, cujus erant Sirenes blandientes causa; gaudio, quod cantûs suavitate excitabant; & morti, quam inter blandimenta inferebant.

Epithetum conveniens toti integrali concinnè tribuitur parti. Martial.

Æthereas aquilâ puerum portante per auras
Illæsum timidis unguibus hæsit onus

loquitur de Ganymede ab Aquila rapto, timebat hæc, ne puerum unguibus læderet; & timiditas conveniens toti aquilæ venustè tribuitur unguibus.

Econverso epithetum conveniens parti lepidè tribuitur toti Virgilius de Ænea

Os, humerósque Deo similis

scilicet habens os, & humeros Deo similes

Epithetum conveniens rei contentæ concinnè tribuitur continenti Seneca

Succurrunt timidis sydera navibus

timor conveniens nautis contentis in navibus, tribuitur ipsis navibus.

Eleganter etiam epithetum conveniens rei animatæ tribuitur rei inanimæ. Virgilius *minaces* dixit fluvios cum assurgunt in fluctus 17.

——— *Fluvios tentare minaces*

Ovidius emeritum asserit aratrum postquam aratur diurno defunctus labore quiescit, ducta metaphorâ à militibus, qui expleto militiæ tempore, suisque perfuncti officijs, missionem impetrabant.

Rusticus emeritum palo suspendat aratrum

Claudianus describens aquilam ad solis radios pullos explorantem ait

Contulit ardentes radios, & luce Magistra
Naturam vires, ingeniúmque probat.

Magisterium, & consilium proprium hominis venustè tribuit luci solari.

Substantivo metaphorico, vel metonymico lepidè itidem additur epithetum accommodatum rei, cui substituitur tale substantivum. Virgilius usurpans nomen segetis pro exercitu, epithetum conveniens exercitui tribuit segeti, quam vocat ferream, seu armatam ferro.

——— *Utrinque phalanges*
Stant densæ, strictisque seges mucronibus horret — Ferrea.

Substantiva metaphorica generica pro specificis eleganter suscipiunt epitheta ijsdem accommodata. *Aquila* quæ est substantivum specificum, si transferatur in genericum dicitur *Ales*, cui si addatur epithetum eidem accommodatum dicitur *Jovis armiger*. Sic de cæteris specificis sub[...]ant vis: Gallus; *volucris Titania: Avis diei prodroma: solis prænuncia*: Hirundo; 18.

rondo; *Ales veris nuncia, homini amica, domorum incola.* Philomela; *Sylvarum pluma siren Musicæ arguta in nemore Magistra docens vocem crispare, vibrare frangere, circumagere, versare, uno spiritu in longum trahere, minuritione illidere, trepidatione inflectere.* Aves generatim dicuntur *agmina sonora volantum, vocales ætheris turbæ, cohors pennata, canora, resonans, modulans, incola campi aerei.* Pisces itidem venustè à Poëtis dicuntur *genus æquoreum, Neptunia proles, Nereidum socij, greges squammigeri, agmina muta natantium; Gentes fluclicolæ, silentes animæ; populi natantes.* Aurum *metallorum splendidus Princeps; solis æmulus; telluris pretiosum decus;* *Rosa florum regina, hortorum splendidum sydus, vernæ tempestatis pompa purpurea.* Flores; *ridentis terræ oculi, discolores areolarum gemmæ; divitiæ Veris; hortentia munera, Floræ læta proles; terrestria sydera.* Peatoeum tenellæ herbulæ *vegeti smaragdi, nascentis veris gliscentes comæ; spoliatæ terræ villosa vestis, viride pallium:* Laurus *Arbor Phæbea, Apollinea, futuri præscia.* Myrtus *Arbor Paphia, Veneri grata.* Palma *victori amica, trimphi decus.* Execcitus *longè, latéque diffusa hominum sylva;* & Nemus *plantarum arborúmque exercitus.*

Allegoria, quæ latinè invetsio dicitur est translatio unius, vel plurium sententiarum à peoprio in alienum sensum; seu est continuata metaphora, quæ aliud verbis, aliud sensu explicat. Perfectæ ac continuatæ allegoriæ exemplum, ut testatur Fabius *lib. 8.* exhibet Horatius lib. 1. ode 14.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus: ô quid agis? fortiter occupa
Portum: nonne vides, ut
Nudum remigio latus?

Prosequitur Poëta Venusinus suam allegoriam, & navis nomine indicat Romanam Rempublicam (licet alij Brotum intelligant) per mare bellom civile, per novos fluctus nova dissidia; per portum civium pacem; per latus remigio nudum Rempublicam viribus destitutam.

Plerisque alijs utuntur Poëseos cultores figuris, de quibus cum egetimus in Rhetoticis, non sunt hic repetendæ.

EXPENSIO VIII.

Aperiuntur fontes aliquot, è quibus poëtica hauriuntur elegantiæ.

1. TAmetsi Poëseos ornatus, lepósque elegantiæ peti soleat è tropis, figutisque Rhetorices, & è volocri Poëtarum ingenio; Atticæ tamen illæ deliciæ, quibus teretes, ac delicatæ aures quadam perfunduntur suavitate è concinna enascuntur vocum inversione, quâ sedatiùs sine salebris fluunt carmina; suaviùsque se auribus insinuant, animósque demulcent. Quòd si accesserint illa argutiarum lumina, quibus ingenium in delectu splendescit sententiarum; nil Poësi dulcius potest auribus obtingere; est siquidem alimentum nectare, & ambrosia inspersum, quo vescitur animus, ménsque blandè nutritur. Hujusmodi sunt Venusini, Martialis, aliorúmque carmina, in quibus tot margaritæ, quot verba; tot lumina, quot sententiæ; tot gemmæ, quot allusiones; tot flores, quot sensus, ut voloptas sine satietate delectet, rerúmque copia sine neglectu nunquam vilescat.

2. Fontes igitur, è quibus hæ diffluunt amœnitates plorimi possunt recenseri. Primò si sumatur effectus pro causa, & quod proprium est hujus illi tribuatur, cujusmodi est illud Virgilij *Purpuream vomit ille animam,* idest effundit sanguinem è vulnere; est sanguis nimius effusus causa, cur vulneribus confossus animam emittat; & color effusi cruoris tribuitur emissæ animæ.

3. Secundò è converso sumitur causa pro effectu, ut de celsa Libani cedro *spargit odoratos diffusa in nubila ramos* scilicet exhalat odorem è floribus erumpentibua ex ramis. Virgilius vocavit panes *Dona laborata Cereris,* tribuendo laborem, quo panis conficitur ipsi Cereri.

4. Tettiò usurpari festivè solet continens pro contento, ut in hoc hexametro

Mox ubi se modicæ recreârunt munere mensæ

sumitur mensa pro ferculis in ipsa contentis; scilicet modica mensa pro modicis cibis, quibus vires reficiuntur, & corpus recreatur.

5. Quartò per synecdochen lepidè usuepantur nomina singularia *multus, plurimus* ad significandas res plures, in quo sensu Martialis dixit.

Atque super vatem multa pependit avis.

Venustè itidem adjectivum *plurimus, a, um,* ijs adnectitur substantivis, quæ non numerum, sed aliquam dimensionem quantitativam designant, quo adjectivo usus est Virgilius, ut collis describeret protensam altitudinem.

Jamque ascendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet,

Per synecdochen sumendo totum pro parte Virgilius arborum obstrepentes frondes ex ventorum flatu vocavit sylvam sonantem

Sustuleris fragiles calamos, sylvámque sonantem

Et Lucanus sylvam telorum, aliquot tela, quibus trajectus miles fuerat

Solus abit, densámque ferens in pectore sylvam

Per eandem synecdochen non absque sale usurpatur una species pro alia, quia ventus cum efflat, dicitur spirare, & flatus spiritus, qui dicitor etiam de anima; eleganter dixit Poëta *Et molles Zephyrorum animæ,* vocat ad blandientes flatus *molles animas.*

Pet imperium non invenustè dicunt Poëtæ: *I quò fata vocant* scilicet prosperum sequere, quem tibi fortuna cursum aperit.

6. Quintò venustè usuepatur abstractum pro concreto. Virgilius descripturus ingentem juvenum multitudinem prosilientem in campos, prelle, seu paucis multa complexus dixit: *agrisque effusa juventus,* usurpavit juventutem in abstracto pro juvenibus in concreto.

7. Sextò quæ propriè conveniunt hominibus, ut honor, dona, munera, opes, non absque venustate transferuntur ad res alias. Vir-

gilius *Vomeris huc, & falcis honos* vocat vomerem, & falcem honorem rusticanæ casæ: si opes, quibus homines ditescunt, transferantur ad arva, quorum segetes à prætereunte conteruntur exercitu, eleganter diceretur: *Arvorum hic calcantur opes.* Munera item ab hominibus, quibus conveniunt, transferuntur ad res alias, & dicimus *munera veris*, seu flores; *munera collium*, seu vites; *munera autumni*, seu fructus; *munera Bacchi*, seu vinum; munera graminis. Statius

Quòd Cilicum flores, quòd munera graminis Indi

8. Septimò, quæ rebus congruunt corporeis lepidè rebus incorporeis, animique affectionibus adaptantur; gelu quod aquæ convenit, pulchrè ab Ovidio timori tribuitur

Navita confessus gelidum pallore timorem.

Hac ratione dicimus flammantem iram, accensum desiderium, spem arescentem, infantulum amorem, decrepitum odium.

9. Octavò animi affectiones concinnè transferuntur ad res inanimatas. Martialis gaudere proprium hominis transtulit ad opus mechanichum

Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.

Recusare aliquid, eò quia minimè ad votum contingat, proprium est hominis, & non sine lepore transfertur ad vaginam à Claudiano describente cruentam cladem

——— *victrixque manus mucrone furenti*

Ducitur, & siccum gladium VAGINA RECUSAT

Currere proprium animalis Virgilius concinnè timori tribuit, describens homines subito correptos timore grandiori tuba cecinit

Obstupuêre omnes, gelidúsque per ima cucurrit

Ossa tremor.

Taciturnitas conveniens homini pulchrè à Martiali transfertur ad nivem delabentem

Aspice quàm densum tacitarum vellus aquarum

Pigritiam, quæ dicitur de animali, idem Martialis frigori tribuit

Concretas pigro frigore ridet aquas. seu glaciem

Coronari proprium Regis lepidè ab Ovidio tribuitur somno; ac nocti.

Interea placidam redimita papavere frontem

Nox venit, & secum somnia nigra trahit.

Flere proprium hominis venustè à Bidermano tribuitur hortis, ac arboribus cum rigente hyeme floribus illi, ac frondibus istæ destituuntur.

Cana gelu, & niveis hyemabant arva pruinis,

Et nemus amissas, flebat, & hortus opes.

10. Nonò Poëseos veneres eleganter verborum delectu, seu concinna circumlocutione pinguntur; adeout plurimis circumlocutio vestiatur lacinijs, ornetur illecebris animo demulcendo accommodatis, quo pacto Bidermanus describit Leonem

Rex nemorum, Libieæque Leo populator arenæ

Decimò si rebus incorporeis, & prælertim animi passionibus tribuatur corpus, describantúrque per partes, ut Petronius eleganter discordiam descripsit

——— *Scisso discordia crine,*

Extulit ad superos stygium caput: hujus in ore

Concretus sanguis, contusaque lumina flebant,

Stabant irati scabrâ rubigine dentes,

Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,

Atque inter toto laceratam pectore vestem

Sanguineam tremulâ quatiebat lampada dextrâ.

Tribuuntur etiam ventis, rebúsque abstractis, quæ propria sunt corporum; hinc dicimus ludere Zephyros in areolis cum floribus. Favonios Arborum sparsas comas agitare. Floram discolori vestiri paludamento. Pomonam coronatum ostentare caput. Cererem flavescente segete fluctuare in campis.

Undecimò venantur poëseos cultores carminum lepores à multiplici adjectivorum usurpatione. Venustè siquidem usurpant adjectiva participia ex verbis neutris passiva, cujusmodi sunt *regnatus triumphatus* Virgilius 12.

Bisque triumphatas utroque ab littore gentes

vel per Hellenismum mutant adjectivum in substantivum; si dicas *terras arduas* ipsi elegantiùs pro carmine texendo vertunt *ardua terrarum*: per desertas vias: per deserta viarum: asperas sylvas *aspera sylvarum*: cœlum superum splendet; *cœli supera splendent*: eodem pacto dicunt *alta montium*; *uma vallium*, *amœna pratorum* vel utuntur loco adjectivi substantivo metonymico. Virgilius indicaturus Deos inclementes dixit. *Verum inclementia divûm — Has evertit opes.* Si dicas ventos seditiosos, poëticè, ac venustius dicitur *seditio ventorum*; hinc Poëta procellam descripturus maris Hadriatici lepidè cecinit

Hadria ventorum seditione tumet.

vel mutant adjectivum significans possessionem in substantivum rei possidentis, si dicas cælestia regia splendet, mutant ipsi *Cœli regia splendet.* vel mutant adjectivum positivum in comparativum; ut *quo non clarior alter*, pro *clarus*: *qua non illustrior alter*, pro *illustris.*

Duodecimò ex varia substantivorum inversione substantivum rei possidentis mutatur 13. in adjectivum significans possessionem, ut *patria virtus* pro virtute Patris. Virgilius

Pacátumque reget patrijs virtutibus orbem

Dicimus *marinos casus* pro maris casus Virgilius

——— *Et casus abies visura marinos*

mutatur etiam substantivum alicujus rei proprium in nomen materiæ, ex qua res ipsa conflatur, ut cum usurpatur sylva pro classe maritima, ferrum pro gladio, æs pro tuba Virgilius

Ære ciere viros, Martémque accendere cantu.

Pulchrè Lucanus sumens ferrum pro armis tumultuantium civium cecinit

Quis furor ò cives? quæ tanta licentia ferri?

Substantivum partis per synecdochen mutatur in substantivum totius. Martialis de remotioribus Afris aquas bibentibus Nili

Et qui prima bibit depressi flumina Nili

E con-

E contra substantivum totius venostè mutatur in substantivum partis, ut cum usurpatur prora, carina pro navi, tectum pro domo Virgilius

Tum pavidæ matres tectis ingentibus errant

Scilicet per amplas ædes timore correptæ. Sunt alii præcipui fontes, è quibus Poëseos hauriuntur venustates: sed de hisce agemus in sequenti libro; quia concidunt cum fontibus argutiarum. De Epithetorum delectu, mutatione vocum, & sententiæ in structura carminis plura exhibet Author Anonymus, qui congessit elegantias artis metricæ.

EXPENSIO IX.

De Amplificatione Poëtica.

1. Falluntur, qui rati totam Poëseos decus situm in rebus singulis amplificandis, totum adhibent studium in coacervandis Epithetis, congerendis phrasibus, ac prolixo verborum circuitu descriptionibus adnectendis, parùm circumspectè susceptum ab ijsdem argumentum observantes, neque modum ullum tenentes; quo fit ut augendi desiderio prurientes importunissima garrulitate eruditas aures miserè obruant. Nil turpius Poëfi obtingit inepta, ac pueriii amplificatione, inani verborum strepitu intemperantiùs lasciviente. Epitheta sunt addenda, sed quæ rebus conveniant, vel venustè aliquam explicent proprietatem rei, causæ, vel effectûs; ne otiosa sint, & tantùm apta implendis carminum lacunis. Amplificationes adhibendæ sunt; ut etiam descriptiones; sed quæ argumento congruant, nec extra desiliant institutum, nec verbis turgidis inani quodam strepitu ad aures pulsandas intumescant. Verborum circuitus adhibendi sunt, sed talea, qui rem describant, ac concinnè ejus prodant munia, vel proprietates, quo pacto Martialis venustè vocavit Parcas *Sorores pensa volventes*; quia proprium earundem munus est nere stamina humanæ vitæ

Ultima volventes orarit pensa Sorores

Sunt Parcæ tres, quarum nomina *Clotho, Lachesis, & Atropos*, quas Cicero censet Erebi, ac noctis fuisse filias, & easdem cum Fatis fuisse existimat; unde illud Cleanthis: *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt*. Finguntur præesse vitæ hominis, eámque nendo ducere: hinc Martialis eas etiam vocat lanificas sorores, ait *lib. 6.*

Si mihi lanificæ ducunt non pulla Sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista Deos

2. Est igitur Poëtica amplificatio venusta quædam plenitudo, non futilis, ac inanis verborum redundantia; non enim plenitudo petitur ab umbratili fuco verborum; nec à garriente numerorum strepitu; sed ex optimis quibúsque rerum adjunctis, quibus absque tumore crescit oratio. Sunt adjuncta circumstantiæ, quæ vel inhærent personæ, vel conveniunt rei, de qua sermo instituitur; septem solent numerari *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando*; & significant personam, rem, de qua est sermo, locum, auxilia, quibus res fit, vel facta fuit, finem agenti præstitutum; modum rei factæ, vel faciendæ; ac tempus: in hisce adjunctis solet Poëtis detineri, & proprio indulgere genio. Ovidius lib. 3. Metamorph. fabula 4. descripturus Narcissum se in pellucido fonte, veluti in tersio speculo aspicientem, propriæque elegantiæ inani specie deceptum; incipiens à circumstantia loci lepidè cecinit

Ab adjuncto loci *Fons erat illimis, nitidis argenteus undis;*
Quem neque Pastores, neque pastæ in monte capellæ
Contigerant; aliudve pecus: quem nulla volucris,
Nec fera turbarat, nec lapsus ab arbore ramus &c.

Ab adjuncto Personæ *Hic puer, & studio venandi lassus, & æstu*
Procubuit, faciémque loci, fontémque secutus.

Ab adjuncto rei *Dúmque sitim sedare cupit, sitis altera crevit,*
Dumque bibit, visæ correptus imagine formæ,
Spem sine corpore amat; corpus putat esse, quod umbra est &c.

Utitur Poëta pervenustè aliis adjunctis, hærétque in præcipuo personæ, ac feliciter detinetur in describendis variis Narcissi affectibus.

3. Secundò in amplificandis sententiis utitur Poëta partium rei amplificandæ enumeratione; qua ratione vernam temperiem amplificaret, eò quia pulsis frigoribus auræ incipiant tepere, sinúsque omniferos fœcunda parens tellus recludat, herbarúmque virescentium, gratéque olentium multitudines expromat, prata floribus incipiant ridere; fontes fluant liquidiùs, per virentes agros agni lasciviant, aviculæ cantus solvant; turgeant arbores gemmis, detonsi niteant herbarum tori; cœlum splendeat puriùs, non ampliùs nubibus luridum; venti efflent mitiùs; rivulorum decurrentiú alsisi molliter ad pellucentes lapillos latices aures blando murmure mulceant, oculósque depascant; avium cantus invitent æmulo concentu ad amæna pratorum, innoxios saltus, opaca nemora. Ita Ovidius ab eadem partium enumeratione amplificat Ver.

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis ætas,
Et novo de gravido palmite gemma tumet,
Et modo formatis operitur frondibus arbor,
Prodit & in summum seminis herba solum.
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit, & in pratis, luxuriátque pecus.
Tunc blandi soles, ignotáque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe fingit opes.

Generatim habetur hæc amplificandi ratio cum totum distribuitur in suas partes, vel genus in species, vel hæc in individua. Cicero ut commotam urbem amplificaret, dixit; afflictum feminarum, perturbatos equites, furentem plebem, suspensam, ac solicitam civitatem.

4. Tertiò or latior pateat amplificandi campus solent Poëtæ uti antecedentibus, quæ rem præcedunt, súntque causæ, occasio, vel dispositiones ejusdem. Si velles naufragium navis ex sæviente procella amplificare ab antecedentibus recenseres singula, quæ naufragium præcedere solent, & ut Orator amplificaret infidam maris malaciam, luctantes inter se se ven-

tos; discorrentes per aëra spissas, luridásque nubes diem abripientes, ac in unum cceuntes fœderatæ; cæli touitrua, nubium ex mutuo collisu fragores, micantia fulgetta, ruentia fulmina, repentinos flatus, atros fluctus, & alia id genus naufragium navis præcedentia. Virgilius Poëticè hæc eadem usutpavit antecedentia *lib. 1. Æneid.* navium amplificaturus naufragium.

——— Venti velut agmine facto
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Unà Eurúsque, Notúsque ruunt creberque procellis
Africus, & vastos voluunt ad littora fluctus.
Insequitur, clamórque virûm, stridórque rudentum.
Eripiunt subito nubes, ponto nox incubat atra.
Intonuêre poli, crebris micat ignibus æther,
Præsentémque viris intentant omnia mortem.

5. Quartò plutimum in Poëticis amplificationibus obtinent roboris concomitantia rem, de qua est sermo. Sunt concomitantia, quæ simul existunt cum re, quam propterea dicuntur comitari, quatenus eidem adnectuntur; quo pacto dicuntur bellum comitari proculcatæ segetes, abacta pecora, incensæ villæ, deserti agri, expilatæ domus, expoliatæ aræ, profanata templa, direpta sacra, virgines indignè constupratæ, viduæ ad turpia adactæ, cives molestiis affecti, adolescentes moribus corrupti, artes extinctæ, leges neglectæ, religio obliterata, disciplina deleta; quia hæc & alia hujusmodi solent tempore belli obtingere ob militum licentiam, quâ divina, humanáque omnia confunduntur. Ab hisce concomitantibus Virgilius 6. Æneid. amplificat oppugnationem Troiæ novæ ab Ænea statim à primo suo in Italiam appulsu constructæ: oppugnatur civitas à Turno Rutulorum Rege; & propugnatur ab Ascanio Æneæ filio. Troiani visis Rutulis in urbem timore pereiti se recipiunt, intra cujus mœnia se continent, pulchre Poëta per concomitantia hoc idem amplificat.

Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis
Primus ab adversa conclamat mole Caicus:
Quis globus ò cives, caligine volvitur atra?
Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros:
Hostis adest: eia ingruti clamore per omnes
Condunt se Teucri portas, & mœnia complent;
Namque ita discedens præceperat optimus armis
Æneas.

6. Quintò plurimum itidem habent dignitatis in amplificatione Poetica consequentia, si ricè recenseantur. Sunt consequentia, quæ aliquid consequuntur, quòd si consequentia enumerentur per hypotyposim vim habent uberiorem, plutimúmque illicij. Si maritimam cladem, quâ à Cæsarianis fuerunt Duce Bruto Massilientes olim fracti, à consequentibus vellet orator amplificare, recenseret, quæ Massiliæ post deperditam pugnam obtigerunt, ut sunt luctus civium, mœror nobilium, lacrymæ viduarum, desolatio filiorum, confusio populi, fletus puellarum. Ab hisce consequentibus Lucanus *lib. 3. Pharsaliæ* amplificat fractam à Cæsarianis Massilientium classem maritimam

Inclinant jam fata Ducum: nec jam ampliùs anceps
Belli casus erat: Graiæ pars maxima classis
Mergitur: ast aliæ mutato remige puppes
Victores vexere suos: navalia paucæ
Præcipiti tenuêre fuga. Quis in urbe parentum
Fletus erat! quantus matrum per littora planctus!
Conjux sæpe sui, confusis vultibus unda
Credidit ora viri, Romanum amplexa cadavre:
Accensisque rogis miseri de corpore trunco
Certavêre patres. At Brutus in æquore victor,
Primus cæsareis pelagi decus addidit armis.

Sextò, frequentiùs Poetæ per rerum venustas descriptiones solent amplificare; sunt enim descriptiones, quæ per hypotyposim res exprimunt, exhibéntque sensui spectabiles non absque animi blando illicio. Lepidè à Mambruno hortensis describitur labyrinthus inter delicias loci amœnissimi; ait ipse. 7.

Floribus ad lævam zephyro supposta tepenti
Pumila buxus erat ramos, quæ tonsa comantes
Serpebat vario in labyrinthum Dædala flexu.
Mille trahit, retrahitque sinus, mille orbibus orbes
Implicat, atque vias totidem. Non pervius illi,
Ad capita est vallis, portis panduntur utrumque
Ad latus: introrsum invitat, quæ semita; longè
Abducit, veterémque nova spe fallit, & intro
Admissis semel, ac cæcum in penetrale receptis
Egressum miseris negat irremeabilis error.

Poetæ amplificandi, vel etiam delectandi graciâ rem non simplicitet exhibent; sed pluribus expressam coloribus veluti in tabula spectandam proponunt; ut dicas, eam potiùs pinxisse, quàm narrâsse. Idque ut præstent, rei totam naturam, omnésque circumstantias sedula lustrant discussione; deinde verbis, figurisque idoneis eam exprimunt. Ut lectori vel audienti perspicua fiat. Non enim descriptio summatim rem exponit, neque tenuiter duntaxat delibatam, sed omnibus fucatam coloribus, depictam veneribus, ornatam elegantiis oculis, vel auribus subjicit, ut Auditores veluti in theatrum avocet. Hanc describendi rationem Græci vocant hypotyposim; licèt vocabulum hoc sit commune, adhibeatúrque, quoties aliquid oculis subjicitur. Lepidè Joannes Bussieres in sua eleganti Neovillæ descriptione amplificat speluncam conchis Musivo opere glutinatis, varias referentibus figuras contextam.

Includit quas murus opes! quàm divite gaza
Saxa jacent! taceat regio Peruvina fodinas,
Nobilius ræuum, & raptum de rupibus aurum.
Hic terræ spolia, & Ponti miro ordine cernis
Composita; artifici picturam hic docta minerva
Naturæ sociat. Concha hac velit Indica nasci
Margaris, & grato fontis concrescere rore.
Sæpius hoc deffessus Arar decumbit in antro
Miratus fontem nitidum, & conchylia picta;
Et quamquam Nerei vitreas spectaverit ædes
Sub pelago, rutilans aurum, rostrúmque corallum;
Speleæ anteferat frigus, lymphæque nitorem.

Septimò

8. Septimò venustè amplificantur res per congestas similitudines, ut si descripturus elegantem puellam, ejus oculos bina diceres splendentia sydera, rubentes genas rosas, dentes margaritas, labra corallium &c. eò quia in colore conveniant, & aliquam propterea præseferant similitudinem. Hac amplificandi ratione ludus Scacchiorum lepidè describitur sub specie pugnæ, & exquisitâ carminum elegantiâ a Hieronymo Vida Cremonensi ex congregatione Canonicorum Regularium ad infulas Albæ Pompeiæ assumpto. Placet aliqua ex ejus hac super re poëmate deprompta hic subjicere.

Scacchiorum ludus descriptus

Ludimus effigiem belli, simulatáque veris
Prælia, buxo acies fictas, & ludicra regna.
Ut gemini inter se Reges, albúsque, nigérque.
Pro laude oppositi certent bicoloribus armis.
Principio alterni Reges in prælia mittunt,
Quem pugnæ numero ex omni elegére suorum.
Si niger arma ferens primus processit in æquor,
Continuò adversum semper se candidus offert.
Nec plures licet ire simul facto agmine in hostem.
Propositum cunctis unum, studium omnibus unum,
Obsessos Reges inimicæ claudere gentis,
Ne quò impunè queant fugere atque instantia fata
Evitare, etenim capiunt ita prælia finem.
Haud tamen interea cuneis obstantibus ultro
Parcunt, sed citius quo Regem sternere leto
Desertum valeant, cædunt ferro obvia passim
Agmina; rarescunt hic illic funere semper
Utraque castra novo magis, ac magis area belli
Picturata patet, sternúntque, cadúntque vicissim;
Sed cædentem opus est sublati protinus hostis
Successisse loco, & conatus vindicis alæ
Sustinuisse semel. Mox si vitaverit ictum,
Inde referre licet se in tutum præpete plantâ.
At pedites prohibent leges certaminis unos,
Cum semel exierint (facilis jactura) reverti.
Nec verò incessus cunctis bellantibus idem
Pugnandive modus, pedites in prælia euntes
Evaleant unam tantùm transmittere sedem,
Inque hostem tendunt adversi, & limite recto.
Congressu tamen in primo fas longius ire,
Et duplicare gradus concessum, at cominus hostem
Cùm feriunt, ictum obliquant, & vulnera furtim
Intentant semper lateri, caváque ilia cædunt.
Sed gemini claudunt aciem, qui hinc inde Elephanti
Cum turres in bella gerunt, ac prælia miscent.
Rectâ fronte valent dextrâ, lævâque retróque
Ferre aditum contrà, campúmque impunè per omnem
Proruere, ac totis passim dare funera castris.
Ne tamen obliquis occultent nixibus ictum,
Qui tantùm mos concessus pugnantibus arcu
Dilectis Marti ante alios. nam semper uterque
Fertur in obliquum spatiis nigrantibus alter,
Alter candentis semper se limite versat.
Directique ineunt, ambo fera bella sagittis,
Nec variare licet, quamvis fas ire per omnem
Hinc, atque hinc campum, atque omnes percurrere sedes,
Insultat sonipes ferus, atque repugnat habenis.
Nunquam continuò stipata per agmina ductu
Procurrit tantùm sursum se se arduus effert.
Semper & in gyrum gressus magno impete lunat
Curvatos, duplicémque datur transmittere sedem.
Si nigrante priùs campo expectaverit; album
Mox petere, & sedis semper mutare colorem
Lex jubet, & certo semper se sistere saltu.
At Regina furens animus pars optima belli
In frontem, in terga, ac dextram, lævámque movetur,
Idque iterum obliquum, sed semper tramite recto
Procedit, neque enim curvato incedere saltu.
Cornipedum de more licet: non terminus illi,
Nec cursus meta ulla datur: quocunque libido
Impulerit, licet ire, modò ne ex sanguine quisquam
Hostilive, suóve aditus occludat eunti
Nulli etenim super educto fas agmina saltu
Transiluisse, equiti tantùm hæc concessa potestas.
Cautiùs arma movent gentis regnator uterque
In quibus est omnis spes, ac fiducia belli.
Omnibus incolumi Rege stat cernere ferro
Sublato, pugnâ excedunt, & castra relinquunt:
Ille adeo in bello captus secum omnia vertit. 9.

Cæterum ex ijsdem fontibus Poëtæ amplificationes hauriunt, ex quibus Oratores suas deducunt. Amplificant enim per partium accuratam enumerationem, per antecedentia, causas, adjuncta, Hypotyposes, digressiones, gradationem, comparationem, similitudines, congeriem verborum, ac sententiarum, definitiones conglobatas, & alias formas à nobis in Rhetoricis jam satiatè expensas, quæ proinde non sunt repetendæ.

EXPENSIO X.

De Epigrammatis quidditate, & definitione.

1. Epigrammata, quorum tota dignitas, & laua in arguta, venusta, ac blanda triumphat brevitate, græco significaru inscriptiones, elogia, lemmata, statuis, trophæis, ac imaginibus addenda dicuntur. Plutarchua in vita Isocratis testatur erectam illi à Thimo, teo fuisse æneam statuam hoc epigrammate

Hospitij ergo Timotheus, tum propter amorem

Isocratis, Divi hæc simulacra dicat

2. Plato in Phædro etiam meminit epigrammatis in Midæ Sarcophago incisi; siquidem teste Suida omnes Inscriptiones, licèt versibus non illigatæ, epigrammata vocabantur; ut etiam fatetur Budæus in Thesauro linguæ Græcæ, Nonnunquam epigramma erat simplex, unico constans verbo, & est illud de Marte, apud Pausaniam in Atticie, erat enim epigramma hæc sola vox *Enyalius*, fuit hoc nomen unum ex Martis cognominibus teste Macrobio *lib. 1. Saturnal. cap. 19.* dicitur *Enyalius* qoasi *Bellonæ filius*. Epigrammata ex duabus duntaxat coalescentia vocibus fuerunt Inscriptiones incisæ Herculis statuæ; ut *Orbis domitori*, vel *Herculi Patri*. Et Romuli simulacro *Quiritum Patri*, vel *Urbis conditori*. Plerumque Epigramma erat Monostichon, ut fuit illud incisum sepulcro Cyri Persarum Regia, cujus meminit Onesicritua apud Strabonem lib. 15. Geograph.

Conditus hic sum Cyrus Rex Regum, Ducúmque

Ad monostichon pertinet carmen retrogradum, seu anastrephon, Cancrinum, vel Sotadicum ab inventore, eò quia in se ipsum recurrat incipiendo iterum retrogradè ab ultimo verbo, ut est illud de Abele dicente

Sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo

cui retorsit Cainus resumendo retrogradè idem carmen

Sacrificabo macrum, nec dabo pingue sacrum.

3. Interdum Epigramma duo comprehendebat carmina, cujusmodi fuit illud Ausonij in statuam Veneris Epigram. 32.

Orta salo, suscepta solo patre edita cælo,

Æneadum genitrix hic habita alma Venus.

Et illud in Rufum Rhetorem Epigram. 44.

Rhetoris hæc Rufi statua est: si saxea, Rufus,

Cur id ais? semper saxeus ipse fuit.

Huc revocantur ea disticha, quæ ijsdem literis leguntur retrogradè cujusmodi sunt hæc duo carmina, quæ tribui solent cacodæmoni

Signa te signa, temerè me tangis, & angis

Roma tibi subito motibus ibit amor

si ab ultima incipias litera primi carminis idem retrogradè leges; ut & secundum.

4. Pertinent etiam huc illa carmina; quæ voces continent, è regione sibi respondentes, ut sunt illa de Virgilio, qui varia cecinit

Pastor, arator, eques; pavi, colui, superavi

Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu

Simile est illud recensens pessimos fructus venereæ voluptatis

Corpus, opes, animam, consortia, fœdera, famam,

Debilitat, perdit, necat, adit, destruit, aufert.

Habetur etiam Cephalonimum carmen, in quo initiales cujusvis vocis literæ nomen aliquod exhibent, ut in subjectis carminibua

Scripturæ Ad Normam Cum Tanta Volumina Scribam,

Theiologos Omnes Metior Atque Sophos.

Ex literis initialibus cujusvia dictionis resultat *sanctus Thomas*. Sunt etiam carmina ænigmatica solam rei significationem per modum quæstionis postulantia, ut est illa quæstio Virgiliani Pastoris

Dic, quibus in terris, & eris mihi Magnus Apollo,

Tres pateat cœli spatium non amplius ulnas.

Voluit Virgilius hisce carminibus torquere Grammaticoa, qui propterea eorum explicationem mirè variant. Quidam tamen interpretantur esse puteum, in cujus pellucidis laticibus cœli resplendeat imago.

5. Habetur etiam hæc alia quæstio à Sphinge proposita Oedipo. Dic mihi

Qui mane incedit pedibus natum quaternis?

Luce bipes media? sole cadente tripes?

Et interpretatur de homine, qui infans reptat manibus, ac pedibus. Vir rectus incedit, & senex utitur scipionis fulcimento.

Carmen subinde litteras tantùm describit rei alicujua, ratione figuræ, vel significati, ut in hoc distichio

Cornua ventre gero, numeros in vertice multos:

In pede serpentem dic mihi, sum quis ego?

Est enim vocabulum *MUS*, cujus littera media refert tauri cornua, prima numerum indicat millenarium, ultima figuram exhibet serpentis.

Quæstio aliquando est simul de re, & voce, & carmen dicitur ænigmatogryphum, Ut

Candidior Cygnô, si sum sine corde, nitebo,

Præ pice nigrabor, si mihi corda dabis

Est enim *nix*, cui si adjicias *cor* fit *cornix* avis pice nigrior.

6. Epigramma verò ut ad præsens pertinet institutum, definitur esse *breve poëma simplici indicatione rem aliquam, aut factum, vel dictum exponens, vel ex propositis aliud deducens.* Dicitur *breve poëma*; quia pedum numeris alligitur, adeout usua jam invaluerit, ut quod soluta est oratione scriptum epigrammatia non mereatur nomenclaturam; alia in descriptione verba innuunt duo summa genera Epigrammatis simplicis, & compositi, Simplex Epigramma est,

quod

quod absq; ulla comparatione, aut deductione nudè, ac simpliciter rem exhibet, ut est illud Octastichon, quo septem Græciæ sapientes ita recensentur, ut in quocunque versu, eorum nomina, patria, & sententiæ referantur.

Nomina, dicta, urbes, septem canimus sapientum
Optima mensura est, Cleobulus Lindius inquit.
Te cognosce ipsum Lacedæmonis incola Chilon.
Quique Corinthius est iram rege, ait Periander.
Pittacus at, ne quid nimis, effatur Mitylenis.
Atticus hinc Solon vitæ inquit respice finem.
Non spondere Thales Milesius utile censet.
Plena malorum cuncta. Bias canit urbe Priene.

Et illud de B. Virgine Christi Matre

Partus & integritas discordes tempore longo
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Ut etiam hoc aliud de illo, cui eadem fœmina fuit Mater, soror, & conjux

Me Pater è nata genuit, mihi jungitur illa,
Sic Soror, & conjux, sic fuit illa parens.

7. Epigramma compositum, quod plus habet ingenij, venustatis, & acuminis, est in quo aliquid sic proponitur, ac narratur, ut ex ijs, quæ proposita sunt aliud quidpiam deducatur; ex quo liquet, hoc Epigramma duas habere partes Protasim, & Apodosim, seu Epitasim: est Protasis rei expositio: Apodosis quod inde deducitur; solérque esse aut majus, aut minus, aut par, & æquale, aut diversum, vel contrarium; putârim tamen Apodosim ad omnia se extendere loca topica; non enim Poëtæ in cudendo epigrammate minor patet campus, quàm Oratori, cum Tullius plerisque in locis asserat Poëtas Oratoribus conterminos, quatenus utrique idem pateat spatium, licèt diverso procedant ordine, eò quia Orator soluta, ac libera oratione de re quacumque proposita ornatè, ac laxè dicat; Poëta verò oratione suis illigata numeris. Cæterum ex ijsdem fontibus Poëta haurit argumenta, ex quibus orator sua deducit. Sunt autem hi fontes loca Topica, de quibus fusè egimus in Rhetoricis *lib. de invent.* sic Martialis *lib. 1. Epigram. 10.* à loco definitionis probat Cottam esse pusillum hominem.

Bellus homo, & magnus, vis Cotta videri.
Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est

8. Ab Etymologia nominis lib. 9. Epigram. 12. laudat Earinum, cujus nomen ver significat.

Nomen cum violis, rosisque natum
Quo pars optima nuncupatur anni
Hyblam quod sapit, Atticósque flores;
Quo nidos olet alitis superbæ:
Nomen nectare dulcius beato,
Quo mallet Cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat tonanti.

A simili pravos conjuges pungit acuto Epigrammate 35. lib. 8.

Cum sitis similes, parésque vita,
Uxor pessima, pessimus maritus;
Miror non bene convenire vobis

A repugnantibus lib. 2. Epigram. 75.

Æstivo serves ubi piscem tempore quæris?
In thermis serva Cæciliane tuos

Liquet igitur à singulis locis Topicis posse Poëtam sua depromere argumenta. Non tamen est necesse, illatum ex argumento, seu Apodosi debere semper quoad locum sequi ad Protasim, nonnunquam enim localiter, seu materialiter præcedit, ut in illo Epigrammate Martialis

Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane:
Dantur opes nulli nunc nisi divitibus.

Ordo esset iste: non dantur opes nisi divitibus; sed tu non es dives: ergo non recipies opes, & semper eris pauper.

Solet etiam Epigramma tripartiri; in ge- 10.
nus Exornativum, seu demonstrativum, cujus partes sunt laus, & vituperium, licèt à potiore parte dicatur exornativum; hoc genus tempus respicit præteritum, licèt nonnunquam etiam præsens, ejus finis est honestas, vel turpitudo. In genus Deliberativum, cujus munus est suadere, vel dissuadere. proinde respicit tempus futurum; & ejus finis est utilitas, vel damnum. In genus Judiciale, quod accusat, vel defendit, & respicit tempus præteritum; & justum, vel injustum ut finem. Ad hæc tria causarum genera omnia revocantur Epigrammata, quæ vel laudant homines, vel res alias, aut vituperant, & comprehenduntur in genere exornativo, seu Demonstrativo. Vel suadent, dissuadent, consulunt, hortantur, avertunt, petunt, invitant, consolantur, & pertinent ad genus Deliberativum. Vel demum excusant, accusant, defendunt, exprobrant, & alia id genus præstant, quæ generis sunt Judicialis. In genere Exornativo, seu Demonstrativo eleganter Martialis *lib. 1. Epigram. 40.* Dacianum laudat ab animi candore, justitia, morum innocentia, vitæ honestate.

Si quis erit raros inter numerandus amicos,
Quales prisca fides, famáque novit anus;
Si quis Cecropiæ madidus, Latiæque Minervæ
Artibus, & vera simplicitate bonus,
Si quis erit recti custos, imitator honesti,
Et nihil arcano, qui roget ore Deos;
Si quis erit Magnæ subnixus robore mentis,
Dispeream, si non hic Dacianus erit.

Epigramma vituperans est illud deprom- 11.
ptum ex sententia illa D. Pauli

Littera occidit.

Tu bene ravisti, ne te ulla occidere possit
Littera; nam nulla est littera nota tibi.

In genere Deliberativo Martialis suadet Ju- 12.
lio, ut vitam velit jucundam agere, ac honestam à brevitate ejusdem, ac ærumnis.

O mihi post nullos Juli memorande sodales,
Si quid longa fides, canáque jura valent;
Bis jam pene tibi consul trigesimus instat
Et numerat paucos vix tua vita dies.

 Non

Non bene distuleris, videas quæ posse negari,
Et solum hoc ducas, quod fuit esse tuum.
Expectant curæque, catenatique labores
Gaudia non remanent, sed fugitiva volant.
Hæc utraque manu, complexúque assere toto;
Sæpe fluunt imò sic quoque lapsa sinu.
Non est crede mihi sapientis dicere vivam;
Sera nimis vita est crastina, vive hodie

Catullus suam Lesbiam hortatur ad vitam genialem

Vivamus mea Lesbia, atque amemus,
Rumorésque senum severiorum,
Omnes unius æstimemus assis.
Soles occidere, & redire possunt
Nobis cum occidit brevis lux
Nox est perpetua una dormienda.

13. In genere judiciali Martialis *lib. 11. Epigr. 55.* accusat Zoilum servum fugitivum, & furem sepulchralem.

Unguenta & casias, & olentem funera Myrrham,
Thuráque de medio semicremata rogo,
Et quæ de stygio rapuisti cinnama lecto,
Improbe de turpi Zoile redde sinu
A pedibus didicere manus peccare protervæ;
Non miror furem, qui fugitivus erat.

Defendit verò in eodem genere judiciali sua scripta *lib. 2. Epigr. 8.*

Si qua videbuntur chartis tibi lector in istis
Sive obscura nimis, sive latina parum,
Non meus est error: nocuit librarius illis,
Dum properat versus annumerare tibi
Quod si non illum, sed me peccâsse putabis,
Tunc ego te credam cordis habere nihil.
Ista tamen mala sunt, quæ si manifesta negamus
Hæc mala sunt, sed tu non meliora facis.

14. Dividunt alij Epigramma in sacrum, morale, & prophanum; sacrum suam trahit nomenclaturam à rebus sacris, de quibus agit: morale eò quia versetur circa mores ritè instituendos: prophanum eò quia res complectatur prophanas. Alij dividunt Epigramma in Epicum, Tragicum, & Comicum. Epicum vocant quia laudet Heroës, resque magnas: tragicum quia versatur circa tristia digna cothurno. Comicum circa sales, résque lepidas, ac jucundas. Hisce additur Epigramma satyricum, quod alios vel irridet, vel pungit. Scaliger dividit Epigramma in Mel, Fel, Acetum, & salem; Mel tractat mollis, voluptates, amores; Fel maledicta, exprobrationes, objurgationes, Acetum quod alios mordet instar satyræ. Salem, quia venustates, argutias, lepores exhibeat.

EXPENSIO XI.

De causis Efficiente, Finali, Materiali, ac Formali Epigrammatis.

CUjusvis rei causa efficiens es dicitur, à qua res fit; & quia Epigramma efficitur à Poëta, nulli dubium, quin hic sit ejus causa efficiens, mediante ingenio, ac vena poëtica, quæ plerisque potest præsidiis promoveri, quorum primum est, plena Artis poëticæ notitia; secundum juxta ejus leges carmina frequenter componere, ac clarioris notæ pervoluere Poëtas. Tertium elucubrata carmina severiori limâ perpolire, ut quævis dictio sit pura, sincera, elegans, nitida, illustrata coloribus: Epitheta non ad numeros, pedúmque dimensionem explendam agglutinare; sed ea seligere, quæ rem exprimunt, ac sententiam illustrant, quod præstitit Horatius, qui in arte Poetica ait 1.

————— Carmen reprehendite quod non
Multa dies, & multa litura coërcuit; atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.

Præ cæteris proderit elegantiores imitari Poetas in descriptionibus florulentis, in sententijs, quæ de uno genere versuum retenta phrasi possunt ad aliud imitatione deduci, ut Horatius cecinit 2.

Luctantem Icarijs fluctibus Africum,
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura sui

Poëta carmine elegiaco imitatur Horatium hoc pacto

Mercator metuens pugnantem fluctibus Eurum
Vellet jam ruri tutior esse suo

Plura suppeditant Seneca in tragœdiis, tum in scenis, tum in choris, Ovidius, Horatius, Virgilius, quæ non sine profectu studiosa Tyronis industria imitetur,

Causa finalis movens Poëtam ad cudendum Epigramma est, imitatione, & carmine delectando docere, ut innuit Horatius 3.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci
Lectorem delectando, paritérque monendo.

Causa materialis alia est circa quam; alia ex qua: illa est quidquid circa humanas actiones versatur; quia Poëta potest in illud carmina texere in ordine ad delectandum, & docendum. Potest enim Epigramma versari circa gestum heroicum, & dicitur *Epicum*, & ab alia materia, aliam sortitur nomenclaturam; sicut à re rustica carmina denominantur *Georgica*: à pastoritia *Bucolica*: à selectioribus Pastorum colloquiis *Eclogæ*; quibus paulò altiùs surgentia dicuntur *Idyllia*; à quodam festinandi effusa voluptate vocantur *sylvæ*: si carmine celebretur natalis dies dicitur *Genethliacum*: si nuptiæ *Epithalamium*: si consanato adgratuletur *Soteria*: si discedenti felix iter apprecetur *Propempticum carmen*: si gratuletur revertenti 4.

Epiba-

Epibaterium, si benemerito *Eucharisticum*: si honores adepto *Gratulabundum*; victori *Epinicium*: convivis *scolion*: *Pæan* olim cantabatur Apollini: *Hymni* Numinibus: *Panegyricum* hominibus. In tristibus carmen lamentabile dicitur *elegiacum*, quamquam plerumque lætius admittat argumentum: Defunctis *Epicedium* canitur; vel etiam *Neniæ, threni*. Carmina maledictis, ac conviciis scatentia dicuntur *Satyræ* à procacitate Satyrorum: *Diræ* sunt execrationes,& imprecationes adversus malos: *Erotica*, quæ & amatoria dicuntur, plerumque sunt Fescennina, ac vetita.

5. Materia, ex qua fit Epigramma sunt ipsa carmina, ex quibus coalescit, quot verò esse debeant hæc carmina, non conveniunt Poëtæ: certum est in Epigrammate commendari brevitatem, quia cum sit tantùm quædam inscriptio, ut liquet ex ejus etymologia, amat paucis se expedire. Tum quia acumina, quæ propria sunt Epigrammatis, ita brevitatem affectant; ut eò censeantur magis aculeata, quò pauciora complectuntur verba; quo pacto apophtegmata eò sunt acutiora, quò breviora, analogiam exhibent quædam animalia, quæ ut validius in alia irruant, se contrahunt, resorbentque in se ipsa. Quot autem versibus debeat Epigramma constare. Antonius Minturnua lib. 5. de Arte Poëtica refert, Cyrillum Poëtam Græcum voluisse poëticam compositionem excurrentem ultra tria carmina, Rhapsodiam esse,non Epigramma; ait ipse lib. 1. Anthologiæ Græcæ cap. 44.

Omne Epigramma venustum est distichum ubi auxeris ultra
Acre poema canis, non Epigramma facis.

6. Lampridius, cui ad hæret Sigonius *lib. 9. Epist. 8.* in ea fuit opinione, quâ censuit Epigramma quatuor duntaxat complecti carmina, nec plura, nec pauciora. Alij quina disticha exigunt in Epigrammate. Certum tamen est apud Græcos juxta, ac Latinos, plura extitisse Epigrammata monasticha, seu unius tantùm carminis. In Anthologia Græca cap. 34. habetur hoc de livore Epigramma

Lividus ipse domat proprio se vindice telo

Et illud

Multos Thyrsigeros, paucos est cernere Bacchos

Apud Latinos Martialis lib. 7. Epigram. 97. in Castorem

Omnia Castor emit: sic fiet, ut omnia vendas

Et lib. 8 Epigram. 19. in Cinnam

Pauper videri vult Cinna, & est pauper.

7. Epigrammata scripta duobus, tribus, quatuor, sex versibus fiunt passim obvia. Ne verò ut monet Venusinus dum urceus cepit instituì, currente rotâ exeat amphora, putârim iu carmine elegiaco commendanda esse disticha, tetrasticha, hexasticha; neque damnanda Epigrammata, quæ decem, aut duodecim constant versibus; & ad summum quatuordecim metas ponunt; laxior excursus est elegiæ conterminus. Quòd si versus non fuerint elegiaci, sed in alio genere, ut hendecasyllabi, Anacreontes, scazones, Epodi, & etiam hexametri possunt plures citra piaculum congeri; hinc Martialis plura habet Epigrammata, quæ versus continent supra viginti; imò & aliquando supra triginta,ut Epigramma 57. lib. 3. quod constat triginta duobus hexametris.

8. Forma, quæ ex Aristotele *lib. 1. Physic.* excellens quidpiam est, ratione cujus res est, id quod est, & ab unoquoque discriminatur; in Epigrammate est duplex, intima una, quæ & essentialis dicitur, alia extima, seu accidentalis, illa in Epigrammate est tale genus, ac numerus carminum, quibus Epigramma constituitur in esse Epigrammatis, & differt ab elegia, poëmate, oda, & ab omni, quod non est Epigramma. Forma accidentalis complectitur elegantiam, verborum delectum, ac suavitatem, quâ abdita quadam jucunditate Lector, vel Auditor perfunditur, ac blande allicitur: est enim in Epigrammate forma accidentalis, quæ lectorem voluptate afficit, ac jucundè detinet; ut olim de Herodoti compositione non nemo fassus est, difficilius esse eam deponere, quàm Cyatum: hanc suavitatem fuerunt imitati illustriorea oratores, & poëtæ Thucydides Vir ingentis Spiritus.& regiæ planè eloquentiæ, utpote qui Regum soboles erat, & non minus genere, quàm dictione suavis, ac sublimis; Pericles, cui cognomen admirabilis eloquentia fecit,& cujus in labris Deam Suadam sessitasse fatetur Eupolis; Nestor è cujus lingua teste Homero dulcior melle fluebat oratio. Herodotus suaviloquus, cujus Historia hortum videtur exhibere variis consitum arboribus, innumeris florum distinctum areolis, ex quo suavissimi spirant odores. Horatius Flaccus, qui nonnisi rosas loquitur, & balsama fundit; Martialis qui apes imitatus inter flores pungit; inter aculeos floret; Claudianus, qui grata fluit gravitate; Virgilius æquè inter Pastores ac armatos Heroas grandisonus, ac sedatus. Verba igitur ad Epigrammatis structuram seligenda non sint dura, aspera, nec salebrosa, sed perspicua, fluentia, & plana; quæ illimi fluant Hippocrene. Eximiam hanc virtutem inter Poëtas, qui Latio ceciuerunt in Parnasso consequutus est Catullus, in quo plura legimus mira suavitate referta, ut in Epigrammate 12. in Asinium,cujus frustum ab eodem dissectum subjicio

Nam sudaria Setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Veranius. Hæc amem necesse est,
Ut Veraniolum meum, & Fabullum.

9. Comparantur suavitas, ac venustas Epigrammatis, si rebus natura sua aptis ad sensus, animùmque oblectandum carmina ditescant; ac delectu verborum, quæ plurimum habent illicij, dulcedinis, ac jucunditatis, & aliquid continent non vulgaris eruditionis. Est suavitas odori, ac sapori propria, quatenus odor, & sapor blanda quadam gustandi, ac odorandi voluptate sensum afficiunt; & transfertur ad res alias, quæ nobis sunt oblectamento, vel aliquid præseferunt jucundi, quo pacto dicimus, suaves mores, suave ingenium, amicum suavem; cujus consuetudine abdita quadam perfundimur jocunditate, ut ab eo abscedere gravemur, & absentes ad ipsum alliciamor.

Forma

Forma igitur adscititia, ut ita dicam Epigrammatis, sita est in stylo ejusdem, qui pro argumenti varietate varius esse debet: in rebus enim serijs debet esse gravis, sedatus, sublimis; in jucundis amœnus, floruentus; in ridiculis ludicrus, paulóque remissior: in næniis tristis, ac flebilis. Licèt Epigramma in quovis carminum genere componi possit, ut puro Hexametro, Phaleucio, Hendecasyllabo, Jambico, Scazone, & alio carmine; usus tamen invaluit, quò carmine eligiaco, seu Hexametro, ac Pentametro alternatim scribatur.

EXPENSIO XII.

De Protasi, quâ construitur, & Acumine, quô clauditur Epigramma.

1. INnuimus Epigramma compositum esse, ac coalescere ex Protasi, & Apodosi. Est Protasis in Epigrammate idem, ac præmissæ in syllogismo; & Apodosis veluti conclusio illata ex Protasi: & quemadmodum conclusio continetur implicitè in præmissis, in quibus incipit splendescere, & ex quibus deducitur: ita in Epigrammate Protasis debet ita proponi, ut viam sternat ad Apodosim; quapropter debet Poëta quædam conclusionis, vel argutiæ, aut acuminis, quo clauditur Epigramma, veluti semina jacere in Protasi; quæ deinde efflorescant in conclusione; perindeac semina è sinu telluris erumpentia, ac germinantia non coactè, non violenter, sed blandè, ac suâ sponte.

2. Protasis quâ via sternitur ad Apodosim multipliciter construi solet per aliquam ex Poëseos figuris, præsertim Patheticis, quæ plus habent emphasis; & exprimunt actus vel intellectûs, ut cognitio, ignoratio, ostensio, narratio, didaschia, Ironia, reticentia, præteritio, juramentum, testatio, animadversio, negatio, affirmatio, correctio, repetitio, admiratio, exclamatio, memoratio, præsagitio, dubitatio, inquisitio, interrogatio, & responsio, prosopopæia, apostrophe, ratiocinatio, epiphonema, approbatio, perplexitas: vel actus voluntatis, ut imperium, admonitio, salutatio, blanditiæ, precatio, abominatio, irrisio, execratio, obsecratio, minæ, exultatio, ejulatio, pœnitentia, desperatio, timor, de quibus fusè alibi diximus. In rebus tamen, in quibus nulla affectus vehementia est exprimenda, satiùs est, ac laudabilius per simplicem narrationem inchoare Protasim, quia tunc narratio est magis naturalis: ut in hoc Catulli Epigrammate 9.

Verani omnibus è meis amicis
Antistes mihi millibus trecentis,
Venisti ne domum &c.

3. Acumen, quo Epigramma clauditur, est altera, imò & præcipua pars ejusdem, cui coronam ponit, imponitque coronidem; totum enim compositi Epigrammatis decus, & decor pavonis instar splendet in cauda; imò tanti nonnulli acumen faciunt, ut velint esse Epigrammatis spiritum, sine quo languescat, deficiat, deperdátque suum esse: hinc tametsi Protasis nullo splendeat lumine, nec pingatur colore, si acumen insit, totum fit commendabile, hauritque spiritum ab acumine: hæcque ratio, cur à plerisque Epigramma hocce compositum parietur scorpioni, cui tota feriendi vis est in cauda; vel pugioni, quô punctim hostis impetitur; vel piperi, quod linguam acrimoniâ vellicat, & ubi tritum fuerit, ardorem invehit palato; vel ludieris missilibus ignibus, seu pyrobolis chartaceis arte pyrotechnica tormentario pulvere infartis, qui ubi paxillis appensis, & admoto ad tenue foramen igniario funiculo fomitem susceperunt, statim in sublime feruntur lineam describentes flammeo tractu ex recto arcuatam; postque depastum pyrium nutrimentum sonoro, jucundóque cum bombo in aëre disrumpuntur igneas emittentes in æthere pluvias, quæ veluti stellæ cadentes jucunditate spectatores perfundunt. Quòd si Epigramma in protasi quæstionem aliquam nodosam exhibeat, quæ postea in conclusione repentinâ aliquâ, & inopinata solvatur argutia, tunc multum habet leporis. In id debet Poëta incumbere studij, ut Epigrammatis clausula aliquo semper eniteat ingenii splendore, & acumine; si enim totum Epigramma debet esse verbis nitidum, figuris jucundum, elegantiis venustum, veneribus splendidum; conclusio utpote ejusdem anima debet tota splendescere, & coire in acumen, quod blandè feriat.

Hauritur hujusmodi acumen vel ex aliqua illustri, ac gravi sententia, quo pacto Martialis *lib. 5. Epigr. 10.* de perenni Poëtarum fama concludit 4.

Vos tamen ò nostri ne festinate libelli,
Si post fata venit gloria, non propero.

Vel ex aliqua Historia, aut tabula, ut Martialis *lib. 1. Epigr. 25.* De Cæciliano, qui solus boletos edebat

Dic mihi quis furor est? turba spectante vocata
Solus boletos Cæciliane voras.
Quid dignum tanto tibi ventre, gulâque precabor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Venusta est illa Martialis conclusio à fabulis in Bassum rudem scriptorem. 5.

Colchida quid scribis? quid scribis amice Thyestem?
Quid tibi, vel Niobe, Basse, vel Andromache?
Materia est (crede mihi) tuis aptissima chartis
Deucalion, vel si non placet hic, Phaëton.

Per Epiphonema pulchrè Martialis concludit Epigramma 22. lib. 1. de Mutio Scævola, qui occisurus Regem Porsennam errato ictu satellitem interfecit, & in pœnam erroris dextram manum combussit. 6.

Major decepta fama est, & gloria dextræ.
Si non errâsset, fecerat illa minus.

A consequentibus lepidè clauditur Epigramma de fratre, & sorore altero oculo captis. 7.

Lumine Acon dextro, capta est Leonilla sinistro:
Et potis est formâ vincere uterque Deos.
Blande puer, lumen quod habes concede sorori:
Sic tu cæcus Amor: sic erit illa Venus.

Ab effectu de sene imprudente, cui barba erat prolixa, caput calvum. 8.

Barba

Barba tibi crevit, ceciderunt Marce capilli:
Inde tibi gravis est barba, caputque leve.

9. A causa Martialis carpit avaritiam Diodori in chiragram

Litigat, & podagrâ Diodorus, Flacce laborat.
Sed nil Patrono porrigit, hæc chiragra est.

10. A situ corporis de Christo Domino, & D. Petro cruci affixis acutè concluditur

Cur Petri sursum plantæ, Christique deorsum?
Sub terras ibat Christus, in astra Petrus.

11. A loco eruitur arguta ratio, cur caro plerumque prævaleat in animam.

Quæris, cur animâ caro fortior? Accipe causam:
Hic carnis patria est, hic animæ exilium.

12. Ab Antecedentibus de Marco Tullio, qui secto jugulo interiit.

Quæ Tulli Ambrosiis insedit suada labellis,
Vel ferream poterat flectere blanda necem.
Non flexit vox blanda. Nigras ne fortè sorores
Dulce traheat, rapit mors fera vocis iter.

13. A circumstantiis argutè concludit Julius Cæsar Testi de Christo columnæ alligato.

Est de marmore cæsa columna, ferúsque satelles
Marmoreus: ne te è marmore Dive negem.
Natura hæc marmor: feritate hic marmor: at ipse
Mentis es immotæ, robore marmoreus.
Quin ego dum specto tales ab imagine pœnas
Marmoreus magè sum marmore, ni lacrymo.

14. Ab oppositis, ac repugnantibus lepidè Martialis

Difficilis, facilis, jucundus acerbus es idem,
Nec tecum possum vivere, nec sine te.

Et hoc aliud in Didymum

Insequeris fugio, fugis insequor. Hæc mihi mens est:
Velle tuum nolo, Didyme, nolle volo.

15. A simili de clepsydra, ex qua olim aqua, nunc pulvis effluit. Venet.

Temporis hic index tenuis, qui pulvere manat,
Jam dudum Græcis clepsydra fluxit aquis.
Humor humus factus, sic nos, & nostra figurat;
Dum vita est, lacrymæ, dum morimur cineres.

16. Per comparationem venuste Martialis de Leone Cæsaris

Æthereas aquilâ puerum portante per auras,
Illæsum timidis unguibus hæsit onus.
Nunc tua Cæsareos exorat præda leones:
Tutus & ingenti ludit in ore lepus.
Quæ majora putas miracula; summus utrique
17. *Auctor adest: hæc sunt Cæsaris, illa Jovis.*

A specie acutè Martialis Æliam vetulam edentulam, & tussientem invitat ad tussim.

Si memini, fuerant tibi quatuor Ælia, dentes.
Expuit una duos tussis, & una duos.
Jam secura potes totis tussire diebus.
Nil isthic quod agat, tertia tussis habet.

18. A partium ennumeratione argutè concluditur de Horologio pulsante horas.

Nola silet, stans hora, gravi en traho pondera plumbo,
Ut rota nexa rotis, tinnulóque æra sonent.
Quis teneat lento fugientia tempora nodo,
Si dant & celeres plumbea vincla pedes?

19. A conjugatis circa nomina ludit Martialis in Sabellum.

Odi te, quia bellus es, Sabelle.
Res est putida bellus, & Sabellus.
Bellum denique malo, quàm Sabellum
Tabescas utinam Sabelle belle.

De D. Barbara a conjugatis, Blanchus.

Ergo ego tam mitis, cur dicar Barbara, mitto
Quærere, quòd non sim Barbara facta docent.
Sed Parcæ ut parcunt, ut luci lumine lucent,
Et bellum est bellum; sic ego Barbara sum.

Martialis de partu Phœnicis, & viperæ

Tu pereundo paris viventem mortua Phœnix:
Vipera vi pariens; tu pariendo peris.

In Erasmum

Quæritur unde tibi sit nomen Erasmus eras-mus?
Si sum-mus ego, te Judice, summus ero.

Ab animi effectibus de auro argutè dicitur. 20.

Aurum blanditiæ pater es, natúsque doloris;
Teque carere dolor, teque tenere metus.

A notatione non sine lepore concluditur. 21.

Si prolixa facit sapientem barba quid obstat;
Barbatus possit quin caper esse Plato?

A contradictorio Martialis lib. 2. Epigr. 22. de Fannio.

Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit:
Dic rogo non furor est, ne moriere, mori?

A definitione scitè definitur tempus 23.

Sum genitor veri, domitor livoris aperti,
Index astrorum, filius, atque comes.
Me sequor, & fugio mea per vestigia. Nunquam
Cum sim, quotidie nascor, & intereo

Eleganter etiam concludunt Epigrammata 24. serpentina, in quibus finis revolvitur ad suum principium, ut de Eva, & virgine Matre

Prima fuit mulier, patuit quâ janua letho,
Per quam vita redit prima fuit mulier.

Et illud aliud

Balnea, vina, venus corrumpunt corpora nostra:
Conservant eadem Balnea, vina, Venus.

Per æquivocationem venuste clauditur E- 25. pigramma, præsertim si fiat aliqua comparatio ut est illa Neronis cum Ænea.

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Per ratiocinationem etiam acutè clauditur 26. Epigramma; Ut

Pulvis & umbra sumus, pulvis nihil est nisi fumus.
At nihil est fumus: nos nihil ergo sumus.

Per recollectionem omnium, quæ in Epi- 27. grammate comprehenduntur lepide etiam concluditur, ut in illo Epigrammate de Hermaphrodito, ejúsque morte.

Dum mea me genitrix gravida gestaret in alvo,
Quid pareret, fertur, consuluisse Deos.
Mas est Phœbus ait: Mars fœmina: Junóque neutrum
Cum forem natus, Hermaphroditus eram.
Quærenti lethum, Dea sic ait; occidet armis:
Mars cruce; Phœbus aquis, sors rata quæque fuit.
Arbor obumbrat aquis, ascendo, decidit ensis,
Quem casu tuleram, labor & ipse super,
Pes ramis hæsit, caput incidit omne, tulitque
Fœmina, vir, neutrum, flumina, tela, crucem.

EXPENSIO XIII.

De multiplici in epigrammate lusu, & usu.

1. Variè solent Epigrammata construi, ac variè Poëtæ in iisdem jocari: nonnunquam carmina in ipsis sunt reciproca, seu recurrentia, quatenus ordine inverso leguntur eodem modo, ac directo, ut est illud de Torrente

Præcipiti modo, quod decurrit tramite flumen,
Tempore consumptum jam cito deficiet.
Deficiet citò jam consumptum tempore flumen.
Tramite decurrit, quod modo præcipiti.

Si incipias legere ab ultimo vocabulo retrogradè, perinde leges ac directè. Plus tamen habent venustatis, quæ retrogradè contrarium referunt sensum, ut:

Pauperibus sua dat gratis, nec munera curat
Curia Regalis, quod modo percipimus.
Percipimus modo, quod regalis curia curat
Munera nec gratis dat sua pauperibus

Vel illud de Carolo Cæsare

Cæsareum tibi sit felici sydere nomen
Carole nec fatum sit tibi Cæsareum.

2. Plus etiam laboris ac admirationis habent illa carmina, quæ non iisdem verbis, sed literis, ac elementis prorsus iisdem inverso ordine, à calce scilicet ad caput retrogradè leguntur iisdem prorsus vocibus, ac si recto ordine legerentur cujusmodi sunt illa duo carmina.

Signa te signa temere me tangis, & angis
Roma tibi subitò motibus ibit amor

Et hoc aliud

Sole medere pede, ede, perede melos.

Ut etiam hoc

Si bene te tua laus taxat, sua laute tenebis

3. Imò habentur hæc alia plura, licèt ob metri necessitatem non semper sensum servent, & in iis tem laudanda magis sit scriptoris industria, quàm acumen ingenij

Nemo si diri subsis Busiridis omen
Rara tres animi limina feret arat
Ut serò memores, oro sero memores tu
Sacco tu suberis, sanas si rebus ut occas
Et necat eger amor, non Roma rege tacente.
Roma reges una, non anus eger amor

4. Alia sunt Epigrammata, in quibus lusus in nominum consistit declinatione per casus singulos, ut in hoc disticho de Christi nece.

Mors mortis morti mortem nisi morte dedisset
Cœlorum nobis janua clausa foret

Simile huic est hoc aliud distichum

Pax pacis paci pacem cum pace precatur
Quando Deo ex toto pectore fidit homo.

5. Declinatio per casus singulos unius numeri habetur in hoc Phaleucio

Semper dulce fuit malum Puella,
Et vox blanditiis potens Puellæ,
Si quis crediderit semel Puellæ,
Lusus post odiis habet Puellam
Et mœrens ait, ò vale Puella,
In tota nihil est boni Puella.

Verùm hujusmodi lusus, qui petuntur à casuum declinatione plurimum habent levitatis, parum ponderis, & fere nihil acuminis, & ingenii; & potiùs syntaxeos rudimenta sapiunt, quàm Poëseos venustatem. Ideóque consultiùs ab hisce abstinendum censeo, ne videatur Poeta jocari cum pueris, & ludima gistris.

6. Quemadmodum nomina per suos casus declinantur, ita solent nonnunquam verba conjugari, ut est quod subjicitur, in quo verbum flectitur per varia tempora.

Quod fuit, est, & erit, perit articulo brevis horæ;
Ergo quid prodest esse, fuisse fore?
Esse fuisse fore, heu tria florida sunt sine flore:
Nam semel omne perit, quod fuit, est, & erit.

7. Jocandi gratia construuntur Epigrammata nonnunquam versu leonino, quorum postremæ syllabæ, & mediæ similiter desinunt, ut est illud de Horologio

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum
Quisque potest rebus succurrere, nemo diebus.

8. Aliquando versus sibi respondent in ultimis verbis, Ut

Si dat olu scula	*Ne pete grandia*
Mensa minuscula	*Lautáque prandia*
Pace referta.	*Lite repleta.*

Vel in fine cujusvis versus, ut in subjectis carminibus

Annis mille jam peractis
Nulla fides est in pactis,
Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in factis.

9. Nonnunquam carmina, seu disticha sibi verbis respondent in principio Hexametri, & fine Pentametri, & dicuntur serpentina, eò quia instar serpentis versus quasi in gyrum collecti eo desinunt unde inceperant, tale est illud Martialis Epigramma

Rumpitur invidiâ quidam, carissime Juli
Quod me Roma colit, rumpitur invidiâ
Rumpitur invidiâ, quod turba semper in omni
Monstramur digito, rumpitur invidiâ
Rumpitur invidiâ tribuit quod Cæsar uterque
Jus mihi natorum, rumpitur invidiâ.
Rumpitur invidiâ quòd rus mihi dulce sub urbe est
Parváque in urbe domus, rumpitur invidiâ
Rumpitur invidiâ quòd sum jucundus amicis,
Quòd conviva frequens, rumpitur invidiâ.
Rumpitur invidiâ, quòd amamur quoque probamur
Rumpatur, quisquis rumpitur invidiâ.

10. Lusus plerumque habetur in solis correlativis, quibus posteriora verba referuntur ad priora, ut est illud distichum, quo commendatur Petrus Bembus

Historicus, vates, Rhetor, celebrat, canit, implet
Gesta, ignes, aures, ore, lyrâ, eloquio.

In hoc genere habetur hoc aliud, quod tribuitur Cacodæmoni.

Vertex cum puero, puer alter, sponsa maritus
Cultellis, lympha, fune, dolore cadunt.

Correlativis respondent versus, quos vocant concordantes, in quibus voces secundæ lineæ concordant cum vocibus primæ, & tertiæ; & connexæ cum vocibus primæ reddunt diver-

diversum sensum, & subinde oppositum sensui resolvato ex connexione cum vocibus tertiæ lineæ, Ut

Et canis venatur servat
in sylvis & omnia
Et lupus nutritur vastat

Legitur

Et canis in sylvis venatur, & omnia servat
Et lupus in sylvis nutritur, & omnia vastat

11. Aliquando non voces, sed ipsæ syllabæ eodem modo nectuntur cum syllabis primæ, & tertiæ lineæ, ut in hoc disticho de sancto Nicolao.

Quan lacten Christ dona amor
tum ti us vit is
Tan crescen virt cumula honor

Legitur

Quantum lactenti Christus donavit amoris
Tantum crescenti virtus cumulavit honoris

EXPENSIO XIV.

De quidditate, ac proprietatibus Elegiæ.

1. Qui litteratura sunt humaniore imbuti elegiacâ delectari solent Poësi, quæ cæteris fluit mansuetior, ac floret amœnior, propterea inter Politioris Poëteos vireta plurimum habet aucupii. Tametsi elegia idem latinè souet, ac carmen lamentabile, miserabile, à verbo misereor, eò quia hoc potissimùm genere carminis miserabiles hominum ærumnæ, amorisque querimoniæ canerentur; adeout à Poëtis, lacrymabilis, ac flebilis elegia perpetuis vocaretur epithetis: nil tamen prohibet, quin lætius etiam elegia complectatur argumentum.

2. Elegiaci carminis Authorem plerique Polymnestorem Colophonium, alii Theoclem, Naxium fuisse censent. Horatius tamen non fuit ausus litem dirimere, hæsitque anceps; alia siquidem carminum genera proprias ab Authoribus sortiuntur nomenclaturas, ut *Alcaicum* carmen ab Alcæo Authore, *Anacreonticum* ab Anacreonte: *Aristophanicum* ab Aristophane: *Asclepiadeum* ab Asclepiade: *Glyconium* à Glycone: *Hipponacteum* ab Hipponacte: *Phalecium* à Phalevco: *Pherecraticum* à Pherecrate: *Pindaricum* à Pindaro: *Sapphicum* à Sappho: *elegiacum* autem non ab Authore, sed à verbia misereor, lamentor nuncupatur, unde non mirum, si adhuc dubium, à quo prodierit Authore.

3. Definitionem Elegiæ quod attinet non eam approbo, quam Didymus tradit: esse lamentationem, quæ ad tibiam canitur, seu querimoniam lugubri expressam instrumento; quia etiam alias funebres Poëseos species, ut nænias, & nonnullas odas consueverant Prisci Poëtæ ad tibiam canere, quæ tamen non modico discrimine ab Epigrammate dissociantur. Præsertim cum usus invaluerit, quo nunc temporis Elegiæ non solùm tristia, sed etiam læta, ut amores, nuptias, gratulationes, triumphos, convivia, vota, preces libenter admittant; imò & apertis ulnis amplectantur.

Exactiùs putârim cum Donato *lib. 3. cap. 9. de Arte Poëtica* esse elegiam definiendam breve Poema ex versibus alternatim hexametro, & pentametro coalescens. Neque obstat, etiam Epigramma constare eodem versu alternatim hexametro & penetrametro; quia Epigramma per hoc differt ab Elegia, quia non excurrit ultra sex, vel septem disticha, & exigit claudi aliquo acumine contento in Apodosi, & deducto à Protasi, ut paulò superiùs innuimus: quæ omnia non desiderantur in Elegia, quæ est poema prolixius. Præterea ita elegia constat alternatim ex hexametro, & pentametro; ut non patiatur aliud carminis genus: Epigramma verò ut liquet in Martiali plura alia carminum genera admittit. Præterea Epigramma Protasim tantùm, & Apodosim includit: Elegiæ verò tres continet partes, scilicet propositionem, amplificationem, & episodium, seu digressionem; imò non desunt qui addant quartam nempe invocationem, quam volunt cæteras præcedere velut exordium in oratione. Invocatio tamen à pluribus omittitur, neque censetur necessaria. 4.

Ut autem ad partes progrediamur elegiæ. Propositio est, quâ rei tractandæ argumentum explicatur: & porest hæc propositio esse simplex, vel composita, seu alcititiis ornata phaleris. Simplex est, quæ simpliciter argumentum proponit, seu narrat, quod amplificatione dilatandum est: hæcque propositio simplex Epicis potiùs, quàm Elegiacis convenit. Propertius sæpe hac utitur propositione simplici, ut cum incipit 5.

Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretri,
Armaque de Ducibus trina recepta tribus

Propositio composita est, quæ aliqua illustri vestitur figura; vel insignitur affectu: quo pacto Ovidius per figuram interpretationis incipit. 6.

Ergo erat in Fatis Scythiam quoque visere nostris,
Quæque Lycaonio terra sub axe jacet?

Per Execrationem

Terra tuum spinis obducat leva sepulcrum
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim.

Per Prosopopæiam inducitur Nux arbor loquens, séque conquerens, quia à prætereuntibus saxis petatur, ut aliquem evellant fructum.

Nux ego juncta viæ, cum sim sine crimine vitæ,
A populo saxis prætereunte petor

Amplificatio in Elegia perinde ac in oratione est plenitudo quædam, quæ ex omnibus rerum adjunctis, terminis, & loci commemoratione farcit, ac roborat orationem, sive metro ligatam, sive numeris solutam: est amplificatio elegiaca plenitudo non redundantiæ quia non petitur ex inani verborum fuco, sed ex optimis rerum adjunctis, ut in hac elegia de Christi morientis siti ex Hossehio. 7.

Omnia nunc illi, qui possidet omnia, desunt,
Poscentem gelidæ deficit haustus aquæ.
Exhausêre labor vires, sudórque, cruórque
Fusus, & in tantis nox vigilata malis.
Et via per præceps, humerisque injecta cruentis
Illa trabis moles, sævitiesque necis
Ferte citi lymphas: lympha solabitur haustus,

Arenti, quam vix induat ore sitim.
Heu fera barbaries! morituri lympha negatur,
Pocula quæ spumant felle bibenda ferunt.
Et tamen hæc bibat: fauces simul urit & orat
Peius, amarities, quàm sitis ipsa malum.
O iterum duris erumpite rupibus undæ,
Saxa dabunt vobis rupta dolore viam,
Qui rore, & pluviis sitientes irrigat herbas,
Arida qui vernis imbribus arva juvat.
Qui scatebris fontes, qui fonte evocat omnes,
Vestrá deficiens nunc eget Auctor ope.

8. Amplificatio ob venæ amœnioris egregiam facilitatem, ingeniique elegantiam, & argumenti luctuosi teneram pietatem est laude digna, estque per optima adjuncta: primò ab Antecedentibus, quæ fuerunt causa, cur sitiret, cujusmodi fuerunt exantlati labores, sudor, & cruor effusus; crucis bajulatio: deinde per concomitantia describit Christi sitim ex faucibus arescentibus, ex felle sitienti Christo exhibito: deinde per Apostrophem excurrit ad rupes, saxa, quæ olim frigidos latices dederunt; ad arva, herbas, plantas, quæ vernis imbribus irrigantur, reficiuntur ex Dei munificentia

9. Amplificatio in Elegiis debet fieri per figuras præsertim patheticas concitandis affectibus aptiores; hæ siquidem plurimum præseferunt dignitatis, ac stylo accommodantur Elegiæ, ut si dicas erga patientem Christum per Admirationem

Quis satis hoc capiat? pro me, per vulnera mille
Et potuisse Deum, nec dubitasse mori?

10. Per commiserationem in Christum vulneribus saucium

Si spectò siccis oculis tua vulnera Christe,
Sum cruce, sum clavis durior ipse tuis.

11. Per Pœnitentiam

Pœnitet, & meritò, lacrymis non illa pietas,
Quæ tibi magne Deus, sanguine culpa fletit

12. Per gratiarum actionem

Ut fuso tibi Christe feram pro sanguine grates;
Nulla satis longum sæcula tempus erunt.

13. Per excitationem spei

Spes fugit, ante oculos, mea dum mihi crimina pono.
Cum tua respicio vulnera, Christe redit

14. Per excitationem amoris

Me pete, Amor telis in Christi sanguine tinctis:
Quem læsi toties; sic ego læsus amem.

15. Episodium, seu digressio est cum ab argumento jam proposito, ac sufficienter exposito fit transitus ad rem aliam potiùs ab illo non remotam, quàm cum illo conjunctam. Possunt in Elegiis plures misceri digressiunculæ, quibus amplificatio intertumpatur, postúntque etiam continuari, dummodo Poëta revertatur ad argumentum, à quo discesserat. Ad has digressiunculas viam sternunt fabellæ, Historiolæ, sententiæ rerum; elegantes descriptiones, aliáque id genus, quæ venustatem argumento conciliant: Joannes Rotgerus Æneæ statuam in hortis Burghesiis Romæ locatam, opus Laurentii Bernini mirâ describit elegantiâ inquiens

Aspice Berninî doctô spirantia cœlo
Marmora, Phidiaco par opus ingenio
Aspice Trojugenam curva cervice ferentem
Et patrem, & profugos (sacra paterna) Deos.

Deinde per figuram admirationis ponit digressiunculam.

Quis dolor è muto ducit suspiria saxo?
Qualis in inflexo vertice regnat Amor?

Stylus Elegiæ debet esse pellucidus, politus, tersus, non instar torrentis strepitu numeroso decurrens; sed regalis more fluminis sedatè fluens, perspicuus, tener, sententiis dives, veneribus diffluens, argutiis comptus, qui hortum imitetur variis consitum plantis, innumeris florum distinctum areolis, ex quibus gratissimi spirant odores; adeout stylus Elegiacus non nisi ab imperitis, aut malevolis reprehendi possit; & illis tantùm non placeat, quibus rosæ displicent, & balsama; debet siquidem esse stylus candidus, qui fluat sine salebris, floreat sine sentibus, splendeat sine nube; contineat verba selecta, lenia, sonantia, depicta, non secus ac micantibus illuta flosculis afsarnta; quæque venusto nexu aptè inter se cohæreant; quibus amœna figurarum varietas plurimum conciliet suavitatis. Ad venustatem siquidem elegiæ vel maximè figurarum conferunt ornamenta, quæ in verbis splendent, & in sententiis triumphant, subjicio ex Hosschio hujus politissimi styli aliquot fragmenta decerpta ex elegia de Christi ardenti desiderio patiendi, redolet enim tota elegia pietatem, & elegantiam. 16.

Apostrophe

Junge triumphales currus Amor; indue lauro
Tempora: de magno pone trophæa Deo

Narratio

Ille tibi victus cessit: tua justa secutus
Exilium regno prætulit ille suo.
Utque suum servaret opus, tulit omnia & ingens
Nos vitæ pretium credidit esse suæ.

Exclamatio

Heu pietas! quantas aluit sub pectore flammas?
Quanta & illi, & quoties vota fuere mori!

Comparatio

Non ita suspirat, solvique miserrimus optat
Quem rigida vinctum compede carcer habet:

Repetitio

Non ita Sarmaticis exul confectus in oris
Ad patrios ardet posse redire lares.
Ut nos morte sua meritæ subducere morti
Arsit, & in pœnæ totus amore fuit

Ostensio

Hæc nondum geniti, hæc inopi nascentis in antro
Hæc dura in singula vota jacentis erant.

Interpretatio

Vagierat. Mater frigus nocuisse putavit,
Aut rigido lædi stramine molle latus.

Repetitio

Quáque potest stipulas, & fœnum mollius æquat,
Quaque potest, frigus levit, & arcet ope

Apostrophe

Nil agis ò mater: dolor hic, & causa doloris
Materná tolli sedulitate nequit.
Non tantum plorat, quia cannæ, & stramina lædunt,
Et quia plus duro stramine lædit hiems.

Correctio

Quamvis, & plorat, quia cannæ & stramina lædunt,

Et quia

Et quia plus duro stramine lædit hiems;

Interpretatio

Quantum quod longi mora temporis obstat amanti,
Et videt extremum tam procul esse diem.
Ipsa crucis mora tormentum est tener durius ipsa:
Hanc puer, hanc causam,cur lacrymetur,habet.

Narratio

Creverat,& pariter patiendi creverat ardor:
Jámque fabri patris non leve tractat opus.

Exclamatio

Ah quoties, dum solus erat, fabrilia signans
Instrumenta oculis talia verba dedit!

Desiderium

Malleus en, clavique, & trabs, transversáque ligna
Jussáque porrigimus brachia, lictor ubi es?

Repetitio

Heu mihi! tam lento mea cur pede labitur ætas?
Heu mihi! cur annos non venit ante suos?

Optatio

Quàm vellem menses, fineret Pater, ocyus ire,
Ocyus alipedes currere solis equos!

Apostrophe

O quàm grata mihi venies, asperrima quamvis,
Quæ vitæ venies hora suprema meæ?

Desiderium

Sis licèt immitis, pariturâque mille dolores,
Te tamen hanc ipsam, quâ loquor,esse velim.
Ah propera! & tecum nullus non adveht pœnas:
Sola mihi pœnæ pœna levamen erit.

Leges servandæ in conficiendis elegiis plu-
17. res tradi solent, quarum prima est, ut omne id evitetur quod styli obest suavitati, cujusmodi sunt frequentes Ecthlipses,seu elisiones, & hiulca in medio Pentametri continuatio, Ut

Troia virûm, & virtutum omnium acerba cinis

illa enim continuatio in vocibus *virtutum omnium* in pentametro aspera est, ingrata auribus, & elegiacæ officit suavitati: secunda ne finis pentametri claudatur cum participio præsente, ut *ore nitens*: *mente tumens* hæc participia nonnisi rarò usurpanda sunt pro pentametri clausula; quòd si vim habuerint nominis substantivi, ut *amans*,libentiùs admittuntur. Tertia ne claudatur versus vocibus *eis, eos, is, id*, invenustæ siquidem hæ voces sunt, officiúntque elegiacæ suavitati. Quarta ne eruditionum congesta congeries obscuritatem invehant; licèt allosiones ad fabulas, vel Historias plurimum habeant aucupij, si tamen nimis frequentes fuerint claritati officiunt. Quinta ne Cæsura pentametri fit monosyllaba, quia hæc asperitatem secum trahit, si sola sit; non ita si alia præcesserit monosyllaba, ut in hoc carmine Ovidij

Magna tamen spes est in bonitate mori.

in fine pentametri etiam admittitur cæsura monosyllaba, si alia præcedat monosyllaba, ut in illo Ovidij

Præmia si studio consequar ipse, sat est

EXPENSIO XV.

De Epica Poësi

Epica Poësis, quæ & heroica dicitur ab Heroum rebus præclarè gestis commendandis, laudibus excipiendis, solum hexametrum carmen complectitur, quod antonomasticè epicum audit, adeout hac poësis sit heroica, & ejusdem effectrix Epopæia; materia actio illustris, ac nobilis sive tristi, sive felici exitu terminetur. Potest etiam materia epici carminis, seu Poëmatis esse ficta, & fabulosa, dummodo sit verosimilis, ac probabilis, séamque contineat allegoriam. Cæterum laudabilius semper est, si poëma ex aliqua deducatur gravis Auctoris Historia,cui postea figmenta nectantur poëtica, & ornamenta adjiciantur variæ eruditionis. 1.

Poëma, seu Epicum carmen tres continet partes, Propositionem, Invocationem, & Narrationem. Propositio est brevis perspicua, ac nitida rei dicendæ expositio instar ejusdam exordij respuentis verborum circuitus, inanes vocum ambitus, ac futilis garrulitatis phaleras. Munus propositionis est benevolentiæ captivatio non nugis, sed virtute. Auditores autem benevoli, ac attenti reddentur non verborum circuitu, neque ascititiis parergis, sed rei dicendæ utilitate, ac perspicuitate: si illis exhibeatur res utilis, quæ placuerit, attendent; sin autem inani garrulitate levia, ac frivola iisdem proponantur vix attenta erunt aures daturi. Hæc propositio in epico carmine potest dupliciter exhiberi: primò directè, sique per apertam, & simplicem rei dicendæ expositionem, indicato personæ nomine; quo pacto Joannes Perigaud descripturus obsidionem,qua Ludovicus quartus decimus oppugnare, ac expugnare decreverat Trajectum ad Mosam,incepit elegantissimum suum Poëma 2.

Belligeris tandem cœptis, haud talibus impar
Auspiciis, urbis eligitur, quam gurgite vasto
Obvallat, geminásque Mosa interlabitur arces
Trajecti, Witcique, ingenti, & ponte revincit.

Secundò indirectè per quandam circuitionem, quâ tamen facilè possit personæ nomen intelligi, licèt supprimatur,ut Idem Poëta descripturus oppugnationem, & expugnationem Vesontionis, & Dolæ in Burgundia ab exercitu Ludovici Decimi quarti Francorum Regis incipit Poëma 3.

Protinus ad nutum Regis, sub signa cohortes
Conflaxère; ruunt, peditúmque, equitúmque manipli
Quadrupedum pulsa tellus concussa tremiscit,
Armorum strepitu horrifico, & rumore minaci
Belga paret, trepidat Batavus &c.

Virgilius in sua Æneide eodem modo proponit, quæ est narraturus

Arma virúmque cano, Troiæ, qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lavináque venit
Littora.

Invocatio est divini Numinis imploratio, quæ non est necesse fiat immediatè post propositionem; sed satis est, si habeatur inprogressu

poëmatis, cum occurrit aliquid superatu difficile; tunc Poëta Epicus invocat supremum Numen, vel aliquem ex cælitibus, aut Præpotentibus ut illi vires suppeditet: vel Musas, Phœbum, Apollinem, Nymphas in suppetias vocat juxta poëseos argumentum. Interdum locò invocationis ad res difficiles superandas ponitur adhortatio quædam efficax ad constantiam, ac labores subeundos; quo pacto Æneas apud Virgilium *lib. 1. Æneid.* hortatur socios ad tolerandas ærumnas, & inconcussa firmitate superandas difficultates insurgentes.

O socij (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora: dabit Deus his quoque finem.
Vos, & Scyllæam rabiem, penitùsque sonantes,
Accessis scopulos; vos & Cyclopea saxa
Experti; revocate animos, mæstúmque timorem
Mittite: forsan & hæc olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium sedes ubi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ.
Durate, & vosmet rebus servate secundis.

Possemus hac Apostrophe quemlibet hortari Christianum ærumnis pressum, doloribus fractum, adversitatibus victum ad æquo animo mala quæque toleranda spe futuræ gloriæ in cœlesti patria, ubi jovabit meminisse anteactæ tolerantiæ propter Deum.

5. Narratio præcipua pars epici carminis est gravis, nitida, ac venusta integræ orationis expositio. Non tamen Epicus Poëta tenetur, ut Historicus ordinem servare, ac incipere à primis: potest enim exordiri à medijs, vel etiam ultimis, dummodo præclarum quid præmittat, quo benevolentiam sibi conciliet, & rei novitate attentos habeat adstantes. Narratio Poëtica potest esse tota commentitia, ut est illa Dejaniræ apud Libanium. Dejanira Filia fuit Onei Ætoliæ regis, cujus regia Calydon erat. Fuit Dejanira forma corporis adeo venusta, ut plurimos ad se procoe traxerit; sed priùs Acheloo desponsata est; postea Herculi; verùm nuptiarum gratiâ, ortum est inter ambos sponsoe dissidium, quod certamen invexit, in quo victus Achelous Dejaniram sponsam cessit Herculi victori. Veruntamen cum esset Hercules transiturus Evenum Ætoliæ fluvium, qui tunc temporis aquarum incremento redundaverat, Nessus Centaurus se ipsum exhibuit, ultróque obtulit ad transvehendam Dejaniram, cui cum Hercules annuisset, ipse prius intrepidè tranavit fluvium. Nessus autem adhuc in ripa stans altera neo-nuptam vitiare satagit, quod videns Hercules sagittis Hydræ sanguine infectis centaurum transfixit, qui se moriturum præsentiens, ut Hostem ulcisceretur, Dejaniræ vestem suam proprio fœdam cruore dono dedit, asserens vim eidem amatoriam inesse, quâ si maritus indueretur, ipsum ab aliarum mulierum amore avocatum iri. Mulier nimis credula munus sibi oblatum accepit, cúmque audivisset maritum suum in Eubæa Jaëlem Euryti filiam illicito, adulteróque deperire amore; vestem Lychæ famulo tradidit suo deferendam Hero; qui nil mali suspicatus eam induit sacra facturus ad aram; sed tantis est illicò cruciatibus affectus, ut actus in furorem Lycham à Cenæo monte in Euboicum mare præcipitem egerit; qui tamen in scopulum conversus trajicientibus æquora navibus naufragia minatur. Hercules autem concreditis sagittis, & arcu Phyloctetæ in ardentem rogum se conjecit in Oeta monte. Idque cum audivisset Dejanira dolore percita Herculis mariti clavo se interfecit, ne superstes viveret; ex cujus sanguine nata est herba nymphæa Ovid. lib. 9. metamor.

Victor ab Oechalia cenæo sacra parabat
Vota Jovi, quum fama loquax pervenit ad aures
Dejanira tuas

6. Narratio poëtica est etiam alia de Alphæo, & Arethusa. Est Alphæus fluvius in Elide Peloponnensi, quem Pausanias *lib. 5.* refert occultis meatibus subter marinos fluctus fluere, ac in Arethusam Siciliæ fontem desinere juxta Poëtarum fabulas asserentium, Arethusam venatricem fuisse, cujus amore captus Alpheus cum ei vim inferret commiseratione commota Diana in fontem sui nominis Arethusam convertit & per occultos subterraneósque meatus ne Amasii Alphei pollueretur undis in Elide Peloponnesi, in Siciliam usque Arethusam perduxit, in eam partem Syracusarum, quæ Ortygia dicitur, ubi magna aquarum copia è subterraneis meatibus emergit; idque cum Alpheo amasio innotuisset per Jonium mare ad Arethusam venit, & quamvis per amaros volveretur fluctus, impermistum tamen suum servavit dulcorem. Hæc narratio tota est fabulosa Virgil. *3 Æneid.* in fine Poematis

——— Alpheum fama est huc Elydis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore Arethusa suo siculis confunditur undis

7. Plurimum itidem præ cæteris leporis poëtica narratio de Hyacinthi fabula. Fingitur fuisse adolescens Amycleus formosus, ac propterea ab Apolline dilectus, quem tamen imprudens disci jactu interfecit. Idque fertur ita contigisse. Habuit Hyacinthus amatores duos Zephyrum, & Latoniæ filium, cum verò Hyacinthus Apollini inserviret, Zephyrus ventus eum interfecturus tempus observavit, quo Apollo discum ejiceret: tunc efflavit Zephyrus è Taygeto, & jactum discum ab Apolline magno impetu convertit in adolescentem, quem graviter vulneravit, dejecitque in terram, quæ miserata interfecti adolescentis in florem convertit. Ferunt etiam Poëtæ Ajacem in eundem florem conversum, dum impatientiâ prælati sibi Ulyssis se ipsum interemit. Ovidius utramque fabulam complexus est lib. 13. Metamorph.

——— Rubefactáque sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cæspite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.

8. Est etiam fabulosa Acrisii & Danaës ejus filiæ narratio. Fuit Acrisius filius Abantis, & pater Danaës, qui Prœto fratri in regnum Argivorum successit. Hic cum ab oraculo monitus fuisset, fore ut à nepote interficeretur, filiam suam unicam Danaëm, à qua sola potuissent nepotes nasci turri inclusit munitissimæ, eo consilio ut perpetuam servaret virginitatem, vel

vel ſaltem innupta maneret quandiu Acriſius pater viveret. Sed Jupiter Danaës amore captus in ſpeciem aurei imbris transformatus è ſummo cœlo decidit, & per impluvium in puellæ gremium deſcendit, votique compos factus, Perſeum ex ipſa genuit: quod ubi Acriſius novit, filiam unà cum nato infantulo in arcam impoſitam in mare dejecit, quæ ad littus Apulum appulſa, & à piſcatoribus excepta ad Pilumnum regem deducitur, qui ejus forma captus, & genere etiam adductus, eam ſibi uxorem delegit. Perſeus autem cum adoleviſſet, ſuſceptâ expeditione adverſus Gorgonas victor evaſit. Deinde pugnaturus contra Argos ſaxifico munitur Meduſæ capite, in quod cum Acriſius incidiſſet in lapidem transmutatus vitam exuit juxta oraculi monitum. Perſeus verò Andromedam Cephei filiam marinæ belluæ objectam periculo liberavit, & liberatam propriam duxit in uxorem. Andromede cum formâ gloriaretur ſe Nereidas antecellere, à Nymphis marino ſcopulo fuit alligata, ac ceto devoranda extradita; quod obtigiſſet, niſi Perſeus illac opportunè tranſiens cetum interfeciſſet. Andromede poſtea beneficio Minervæ inter aſtra collocata fuit, & oritur in parte piſcium duodecima.

9. Poëtica narratio eſt etiam quæ de Apolline fingitur à Poëtis, quem Græci ſolem vocârunt. Hunc fingunt fuiſſe authorem carminis, præſidem vaticinii, excelluiſſe arte ejaculandi ſagittas, artem percalluiſſe medicinæ, & citharam inveniſſe; adeout abierit in adagium effatum illud: *quid tibi Apollo cecinit;* ſeu quid tibi reſpondit: alludit ad Apollinis citharam, quam illi tribuunt Poëtæ. Fit etiam paſſim mentio Apollinis tripodis; conſtat enim fuiſſe vas aureum trium pedum, à quibus ſuam haurit nomenclationem, à Vulcano fabrefactum, ac pro munere Pelopi datum cum uxorem duceret. Porphyrius ait, Apollinem eſſe ſolem apud ſuperos, Liberum patrem in terris, & Apollinem apud Inferos, idque cauſæ, cur tria eidem tribuantur inſignia, nimirum Lyra; quæ cæleſtem harmoniam indigitat, Grinæum quod terrenum numen oſtendit; & ſagittæ, quibus numen oſtenditur Inferorum, ac noxium, paratum ad nocendum, ac vulnera infligenda.

10. Fabuloſa itidem ſunt quæ de Baccho narrantur, fuiſſe hunc Jovis ex Semele filium, vini Numen putârunt Poëtæ, qui Bacchum pro ipſo vino uſurpare conſueverunt. Pluribus inſignitur ab iisdem nominibus, dicitur enim Dionyſius, Liber pater, & Bacchus à mulieribus Bacchantibus, ſeu inſanientibus. Dicitur etiam Oſiris, Bromius, Lenæus: magis vulgariter dicitur Bacchus à vociferando, ululando, ac quaſi inſaniendo: hinc Bacchanalia dicta de vita nullo temperantiæ frœno coercita, & vitiis indulgente. Juvenalis retulit ad vitam intemperantem

Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt.

11. Solet tamen Poëtica narratio fundari ſupra verum, ut plus ſortiatur dignitatis, & plura contineat ficta, quæ potuiſſent obtigiſſe, ſúntque veroſimilia. Narratio Epici carminis non debet nuda eſſe, ſed veſtiri eruditionibus poëticis, ornari figuris, & per crebra perſonarum colloquia alios juxta rerum exigentias loquentes inducere ut præſtitit Virgilius præſertim *lib. 1. Æneid.* ubi inducit Junonem alloquentem ventos poſt concitatos æquoris fluctus, commotámque ſævientem procellam in Æneæ claſſem

Eurum ad ſe, Zephyrúmque vocat, dehinc talia fatur
Tantáne vos generis tenuit fiducia veſtri?
Jam cœlum, terrámque meo ſine Numine venti;
Miſcere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego! ſed motos præſtat componere fluctus.
Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis.
Maturate fugam, Regíque hæc dicite veſtro:
Non illi imperium pelagi, ſævúmque tridentem
Sed mihi ſorte datum, tenet ille immania ſaxa,
Veſtras Eure domus: illa ſe jactet in aula
Æolus, & clauſo ventorum carcere regnet.
Sic ait & dicto citius tumida æquora placat.

Suis gaudet Epica narratio amplificationibus intra tamen limites rei probabilis, ac veroſimilis; ſi enim auxeſes exceſſerint. tunc inſoleſcunt, & iram excitant, vel faſtidium creant; ut etiam ſi narratio nuda fuerit, quæ propterea ornanda erit tropis, ac figuris, locupletanda eruditionibus, illuſtranda luminibus. In id præſertim Poëta Epicus debet incumbere ſtudii, ut juxta rerum exigentias dolores, amores, mœſtitiam, luctum, metum, lætitiam, ſpem, cæteróſque animi tum iraſcentis, tum concupiſcentis motus excitet; brevéſque inſerat digreſſiones, ac conciones, quibus perſonæ inducantur loquentes: quo pacto Turnus apud Virgilium *lib. 6. Æneid.* ſuos hac concione hortatur ad novam Troiam ab Ænea ſtatim à priprimo ſuo in Italiam appulſu conditam fortiter oppugnandam, validóque aggreſſu invadendam. Urbem defendebat Aſcanius Æneæ filius 12.

Sed vos ò lecti ferro quis ſcindere vallum
Apparat, & mecum invadit trepidantia caſtra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Eſt opus in Teucros: addunt ſe protinus omnes
Hetruſci ſocios: tenebras, & inertia furta
Palladii, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,
Ne timeant, nec equi cæca condemur in alvo:
Luce palam certum eſt igni circumdare muros
Haud ſibi cum Danais rem, fato, & pube Pelaſga
Eſſe putent decimum, quos diſtulit Hector in annum.
Nunc adeo melior, quoniam pars acta diei
Quod ſupereſt, læti bene geſta corpore rebus
Procurate viri, & pugnam ſperate parati.

Suis etiam epicum carmen delectatur de- 13.
ſcriptionibus, quibus feſtivè jocatur, ac poëticis perfuſum delicijs inter Parnaſſi amœniora vireta triumphat poëtica elegantia: umbratilem venationem, qua equeſter venator canum venaticorum turmâ fugientem cervum inſequitur in tonſis Circæi horti exhibitam buxis exhibet Mambrunus amœnus Poëta S.J. cujus hic ſubjicio fragmentum.

Hic tonſas inter frondes Crura omnia ſolvit
Cervus anhelanti ſimilis: per dorſa per armos,
A capite in duplices funduntur ramea lumbos

Cor-

Cornua, in excelso riget auris vertice, & omnes
Excubat in strepitus, omnésque inquirit in auras.
Inde canum insanus emicat in sævum ille latratum
Totus hiat tritos alter vestigat odorâ
Nare humilis calles, hic pectora lata, pedésque
Arduus in primos, vestigia cæca videtur
Elapsi sensisse feri. Labor omnibus unus.
Affectare viam, facies non una, nec unus
Impetus. Instat eques curvo venator in ære
Inceditque canes, illum non fossa moratur,
Non saltus: Pedites circum fremuere, manúque
Vocéque dant animos & proni corpore currunt.

24. Stylus Epici carminis gravis incedit, sensu sublimie, elegantiis venustos, luminibus nitidus, verborum delectu, rerúmque varietate jugiter splendens, qualem exhibuit Homerus phaleris omnibus ac laciniis opportunè ornatum, ut testatus fuit Hermogenes Rhetorum præstantissimus; adeout non desipuerit Galaton pictor, qui Homerum licèt non satis verecunda specie pinxit evomentem non semicorrupta stomachi onera, non esculenta vinum redolentia; sed flumina nectare, & ambrosia excurrentia, ex quibus circumstantes Poëtæ haurirent. Ex quo Dionysius Longinus Homerum modò Soli orienti, modò Oceano comparat, quia sicut Sol sui luminis faber, fons est lucis omnis: sic Homerus origo Poëticæ venustatis: quin Justinus Imperator Homerum fecit virtutis omnis parentem, quia ut ex solis radiis vestiuntur plantæ, calore animantur; & Oceani venis aluntur omnia: ita ex Homeri carminibus lumen, spiritum, alimentum, nectare, & ambrosiâ suavius hauserunt Poëseos cultores. Quod si in sole Oriente, & occidente depicti in dicolori nube suspiciuntur Phœbei radij ad oculorum oblectamentum: si in Oceano tot rerum opulentia, tot littorum decor, tot insularum amœnitas aucupium ingerit, ac delectationem conciliat: ita in Homeri poësi quot verba, tot margaritæ; quot sententiæ, tot lumina; quot sensus, tot florum areolæ, in quibus voluptas sine satietate delectat. Inter Latinos Poëtas Epicos cæteris dictionis majestate, & elegantiâ antecellit Virgilius omnium facilè Princeps in Bucolicis enim Theocritum superat, quem imitatus est. Ejus Georgica non minus egregia, plurimum ab omnibus semper laudis promeruerunt. Omnium autem perfectissimum opus est Æneis, cui simile vix reperias in omni antiquitate; quantum artis in eo lateat, Julius Cæsar Scaliger ostendit in opere de arte Poëtica. Virgilium imitatus est Statius, de quo tamen diversa extant eruditionum judicia. Claudianus in Epico carmine politicus est, facili tamen fluit eloquentia: argumentum plerumque est accommodatum, præsertim in Panegyricis. In Eutropio, & Rufino, ubi vitia prodit Ministrorum: cæterum hic Epicus Poëta gravissimis refertus est sententijs, plenus vigore. Silius Italicus bellum Punicum Epico carmine egregiè descripsit; ut etiam Lucanus Pharsalia opus eximium, quamvis J. C. Scaliger id ei vitio vertat, quòd pleraque fabulola veræ immiscuerit Historiæ; cum Epicum carmen ab hisce minimè abhorreat fabulosis. Admittit enim poëma plura ascititia fabulosa, quæ Historiæ adnectuntur, dummodo verosimilia habeantur, nec naturæ repugnent Historiæ, loci, temporis, & personarum. Rerum etiam futurarum veluti semina per vaticinia in poemate jaciuntur, & eruuntur etiam à rebus inanimatis, montibus, fluviis, nubibus, ventis. Præter antiquos Poetas Epicos plures extant recentes omnibus elegantiarum deliciis diffluentes, ut Mambrunus in descriptione horti Circæi, soli ingenium, & cœli temperiem describens ait:

Mollior hic cœli facies, hic largior æther
Vestit adorato florentes lumine campos.
Blanditus rerum, & felicis munere Floræ
Dignus amore locus se se venientibus ultro
Objicit, & sensus blandè grassatur in omnes.
Alcinoo, nec se tanti pomaria jactent,
Nec Veneri dilecta suæ Cinyreia regna.

Joannes Bussieres S. J. Epico carmine venustè describit attonsas, palisque innixas, ac implicitas, parietique affixas arbusculas, quas Itali *spaliere di giardino* vocant inquiens

Frugifer est paries fœcundis stromata saxis
Collucent, murúmque nitens Pomona colorat;
Certatim poma arrepunt, & Persica mala
Mista pyris, succúmque bibunt, molemque figurant.
Debilis immenso nutat sub pondere ramus,
Allectátque oculos pronus, dextrámque legentis.
Scilicet excoquitur maturis solibus hortus
Pensilis? succendit paries, æstúmque reflectit.

Ad optimam Poëmatis structuram debet 25.
stylus esse tersus, gravis, luminibus nitens, sententijs affluens, verborum delectu comptus. Narratio brevis, perspicua, clara, dilucida, quæ nil contineat superflui, nil salebrosi; neque crebræ sint fabulæ, neque allusiones, quia hæ perspicuitati officiunt, ut etiam verba absoleta, & frequentes parentheses, præsertim si fuerint prolixæ.

EXPENSIO XVI.

De Poësi Bucolica.

Poësis Bucolica suam trahit nomenclatu- 1
ram à materia rurali, circa quam versatur, & varia sortitur nomina, sicut variæ sunt res pertinentes ad ejus materiam: etenim à re rustica denominatur *Georgica*: à pastoritia *Bucolica*: à selectioribus Pastorum colloquiis *Ecloga*: hisce paulo liberiora, & altius surgentia sunt Idyllia speciem præseferentia brevioris poëmatis. Adduntur etiam *sylvæ*, suntque carmina, quodam calore, ac festinandi voluptate effusa. Quia verò omnes hujus Poëseos species versantur circa ruralia, comprehenduntur sub Poësi *Bucolica*, quæ definitur imitatio actionum rusticarum carmine expressa, quo pacto Virgilius in prima *Ecloga* suæ Bucolicæ, cui nomen Tityrus Pastor, qui personam sustinet Virgilij, cum agrum Cremonæ conterminum amisisset relictis arvis, & patria, fatetur Romam venisse; ubi cum sua eum carmina Mæcenati commendâssent, Mæcenas autem

tem Augustu, amissum agrum recuperavit. Hinc Melibens, sub cujus nomine cæteri pastores Mantuani intelliguntur Tityro adgratulatur, ac felicem deprædirat, & suam è contra calamitatam deplorat finibus suis à veterano milite pulsus. Ipse verò Tiryrus, se tanti beneficij authorem esse jugiter culturum ex gratitudine profitetur. Fingítque se servum, qui libertatis desiderio Romam profectus sit. Unde liquet Poesim Bucolicam versari circa res rusticas, ac pastoritias, quarum actiones eleganti carmine imitatur, ut præstitit Virgilius: Et licèt Bucolica à solis Bubulcis suum traxerit nomen, aptari tamen etiam solet olitoribus, agricolis, opilionibus, venaroribua, piscatoribus, aliísque similibus personis, quarum Poësis Bucolica recenset labores, curas, negotia, altercationes, dissidia, infortunia, guadia, lusus, cantilenas, nuptias, choreas, incantationes, veneficia.

Post violatam à Protoparentibus Dei legem, quos rerum conditor effinxerat, scilicet corpus ex luto, animam ex nihilo; ut jam ab initio, si quid superbiæ regnum affricaret, id statim ortus eluerer, cum non habeat, cœnum, & nihil, quo debeat intumescere. Divina justitia, quos ambitio à statu expulerat innocentiæ ruralium laborum addictos voluit necessitati, quia nulla erat jucundior vita, quæ deperditam gratiam adumbraret. Nullus enim jucundior labor, quàm in agris, hortis, vinetis, pascuis, piscinia excolendis. Hoe vitæ genere etiam Reges ipsi leguntur delectati; Abraham, Loth, Isaac, Jacob, Rex David, aliique plures suum imperium magis in latifundia agrorum, armenta, omnisque generis pecora, quàm in amplitudinem populorum exercuere. Imò ruria decus, vel ex eo eminet, quia illius voluptatis studium eò processit, ut etiam plures Romanos Heroes in sui traxerit amorem: siquidem ab agrirolatione nomina sua desumplerunt; ut Pisones à pisis, Fabij à faba, Lentuli à lente, vel lenticula, Cicerones à Cicere, quæ nomina licèt à leguminibus orta, sunr tamen digna cedro. Ex agriculturæ peritia suum Perosius commendat Sabatium Regem Caspium; Virgilius Galesium. Servius autem Rex in honorem agriculturæ, reique pecuariæ monetam cudi curavit non alio notatam signo, quàm boum effigie; unde & pecuniæ nomen videntur traxisse pecudibus insignitæ. Pacatus summis excipit laudibua Theodosium Augustum, quia tædio urbanæ vitæ affectus suburbanam assumpserit. Neque Constantinum Imperatorem puduit studium profiteri agrestis disripl!inæ, cujus exemplo illecti plures, captíque rure rusticum tugurium ex ulua compactum palustri, vel alga intextum marina Regiæ antetulere purpuræ; maluerunt in humilibus, ac stramineis senescere casis; quàm aureis sub laquearibus mortalitatem exvere; exemplo fuit aliis invictus ille Scipio, cui subacta Africa nomen fecerat; è debellatis populis Romam redux onustus palmis, triumphis celebris, civiúmque reperito plausu exceptus, maluit nihilominus ruri, quàm urbi immorari, & emori; ac ineluctabilem Libithinam exculta præstolari inter olera, quàm superbientes inter parietes auro illitos, picturísque eleganter vestitos. Cato itidem Censorinus teste Plinio optimus æquè orator, ac Imperator, rurali delectatus secessu horas succisivas pomeridianas plantandis vineis, & matutinas nonnunquam antelucanas serendis agris, instruendisque hortis impendebat; nilque illi magis volupe, quàm hortos colere, plantas, floresque excolere; fueritque ex amicis, qui marmoreis villæ foribus inscribi, ac incidi curaverit: *O Felix Cato, tu solus scis vivere.* Senio itidem confectus Periclea cum prudentiâ vigeret, omissis curis Athenarum; contemptiaque dignitatibus, ac honoribus, ruris silentia populi prætulit acclamationibus, & jucundam agticolationi navans operam, Prædij sui in extima farie sequenti gloriabatur inscriptione.

Inveni portum spes, & fortuna valete

3. Viri prudentiâ pollentes, plurimáque insigniti sapientiâ, tunc se rectè vivere autumârunt cum curis, urbisque tumultu liberi ruralem vitam ducebant, pióque agriculturæ quæstu contenti, frugalitatique studentes, valetudini consulebant diuturniori. Hinc monet Sapiens. *Non oderis rusticam operationem, & agriculturam ab Altissimo creatam* cum plena felicitas ex ipsa in nos derivetur, ut cecinit Horatius

Beatus ille, qui procul negotiis;
Ut prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fœnore,

4. Liquet igitur quàm jucunda, quámque utilis sit materia Bucolicæ Poëseos, quæ homines à molestiis distrahit curarum, & in tranquilla collocat beatæ quietis statione. Ut autem è materia ad ipsam revertamur Bucolicam; hæc cùm Pastorum colloquia imitatur, pastoritia dicitur; si Piscatorum piscatoria; si venatorum, venatoria; omnia tamen hæc carmina nomine Eclogæ comprehenduntur; quinimo Ecloga de re sublimiori subinde etiam agit, licèt rustico modo accommodato rudium captui, quâ ratione Virgilius in Eclogis inducit Silenum de rerum cœlestium, ac elementarium differentem naturis. In cantu Bucolico mos viguit, quo fistulâ ex arundine constructa olim adhiberetur, quæ sub pastoritiæ initijs fuit simplex, postea duplex, triplex, & tandem septuplex, seu septem constructa calamis; hujus Author Pan fuisse fertur. Fuit is Dæmogorgonis filius, & creditur fistulam composuisse septem imparibus calamis unà junctia, propter cœli harmoniam. Traditur pugnâsse cum Cupidine, à quo superatua incidisse in amorem Syringis puellæ specie venustissimæ; quam cum Nympharum precibus versam vidisset in arundinem palustrem non procul à Ladone Arcadiæ amne,

Asclepiades res plures hilares, quæque multum habent aucupij. Continet Poësis lyrica insectationes, jurgia, bella, vota, preces, hortationes ad virtutum studia; incitamenta ad culturam bonarum artium: initia ad honestas voluptates, laudes scientiarum, fontium, urbium, Domorum; & etiam vituperia vitiorum, dedecora ignorantiæ, corporis ignominiam, segnitiei detestationem: exhortationes ad labores pro Deo, pro fide, pro patria: ut etiam publicas calamitates, Numinum iras. Horatius *Ode II.* ad Cæsarem Augustum ostendit, Deos Romanis iratos ob Cæsaris cædem; & unam superesse spem in Augusto constitotam; pro cujus incolumitate vota emittit. *Ode III.* Navi Virgilium Athenas vehenti precatur incolumitatem. Postea insurgit in hominum temeritatem; evincitque naturam humanam ad malum proclivem in vetitum niti. *Ode IV.* verborum delectu, floribus elegantiarum vernam describit tempestatem; inde ex floribus statim deficientibus communem moriendi conditionem inculcat, vitæque mortalis, ac fluxæ ostendit brevitatem, *Ode VI.* se fatetur convivijs & amoribus describendis idoneum; finitque varium tragœdiographum bella ab Agrippa gesta occinere tuba grandiori. *Ode VII.* fatetur, alios eleganter laudâsse plures civitates, ut Rhodum, Ephesum, Mitylenem urbes delicijs affluentes, Thebas in Bœotia, Tempe loca amœnissima in Thessalia. Ipse cæteris præfert Tiburem, ejúsque agrum, in quo erat Planci villa. *Ode VIII.* reprehendit juvenem Sybarin æstuantem amore Lydiæ meretricis studentis bona juvenis exsugere, & abligurire. *Ode IX.* rigentem, gelidámque hyemem describit, & ostendit, eò magis esse voluptati indulgendum, quò acrior riget hyems, quam Marogenialem vocat. *Ode X.* laudat Mercurium à facundia dicendi, a nobilitate parentum, ab inventione palæstræ, ac Lyræ; ut etiam à furandi calliditate, & ab alijs, quibus fungitur officijs. Ex hisce liquet materiam Lyricæ Poëseos ad res fere omnes se extendere. Varia itidem hæc Poësis nomina fortitur; etenim vocatur Poesis *Myrica* à Lyra, ad quam hæc carmina canebantur: *Melopia* a melos, vel melica suavitate, quâ aures perfunduntur: Odaria à cantu, pullúque Lyræ: *Pindarica* à Pindaro, qui elegantissimas, ac venustissimas scripsit odas.

3. Cæterum lyrica Poesis perinde ac Ecloga tribus absolvitur partibus propositione, amplificatione, ac episodio, seu digressione. Propositio est modus exordiendi, qui variè fieri potest per invocationem Musæ, Apollinis, Lyræ: per Apostrophem ad personam, vel ad rem, de qua est sermo; per Interrogationem, vel alio modo, quem ingenium suggerit. Horatius per Interrogationem incipit Odam 5,

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urget odoribus
Grato, Pyrrha sub antro?
Cui flavam religas comam,

Per Apostrophem Odam sextam

Scriberis vario fortis, & hostium
Victor Mæonij carminis alite

Quam rem cunque ferox navibus, aut equis
Miles te duce gesserit.

Per invocationem Odam XII.

Quem virum, aut heroa, lyra, vel acri
Tibia sumes celebrare Clio?

Per allegoriam Odam XIV.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus: o quid agis? Fortiter occupa
Portum: nonne vides, ut
Nudum remigio latus

Amplificatio secunda lyricæ Poeseos pars ex ijsdem petitur fontibus, è quibus cujusvis rei dimanat dilatatio; & præsertim a circumstantijs, adjunctis, partium enumeratione, comparatione rerum diversarum. Exemplis, Effectis, consequentibus, & alijs similibus, quibus utitur Horatius; debet tamen hujusmodi narratio esse non minus sensu sublimis, quàm delectu verborum venusta; adeout in ipsa perinde ac in Floræ sinu adolescant elegantiarum vireta, luxurient: explicata foliorum pompâ argutiarum Rosæ; floreant sublimiora candidæ eloquentiæ lilia, quorum suavitate exhilarentur adstantes. Stylus itidem sit nitidus, politus, tersus, qui blande fluat, suaviter oleat, ingeniosè crescat; sitque sonorus, elegans, hilaris; præsertim in fontibus, floribus, sylvis, arvis, hortis, fluvijs describendis; tunc enim debet delicijs diffluere, viretis vestiri, nectare illiniri, & ambrosiâ enutriri; & non tantùm ad aures demulcendas, verum etiam ad mentem rerum frequentijs, ac sententiarum numeris infarciendam. Amat lyrica Poesis figurarum præsertim ornari phaleris, argutiarum nitescere gemmulis, elegantiarum fulciri floribus. Cavendum tamen, ne verborum circuitus, & venustatum congestæ series officiant brevitati, quæ odis semper accidit gratissima; nec asper verborum concursus sit, neve hiulcus; quia cum lyricum carmen debeat ad lyram posse cani, natum est ad aures demulcendas verborum illecebris, vocúmque sonantium suavitate; non ad fastidium accendendum.

Digressio non est censenda pars adeo necessaria, ut sine illa mutila, & manca habeatur lyrica Poesis; potest enim citra piaculum omitti; & si ad uberiorem eruditionum segetem adhibeatur; adhuc liberum est lyrico Poetæ absoluta digressione ad propositum reverti, vel non; prout ipsi magis placuerit; id enim nonnunquam præstitit Horatius præsertim *Ode 13.* in arborem, cujus casu repentino in agro Sabino pene oppressus fuerat: ab illo discrimine digreditur ad pleraque alia pericula, quibus sunt homines obnoxij, ut probet, nunquam homini satis certum esse, quid cavere debeat. 5.

Lyrica Poesis, ut genus, plures complectitur species, quarum præcipuæ sunt Scholion, Epinicion, Epipomoeuticum, Hymnus, Pæan Dithyrambus, Hyperchema, Sæculare carmen, & Epodos; hæ siquidem species sub nomine comprehenduntur odarum, & possunt esse vel simplices, si una tantùm persona absolvantur, per Ethopœiam, vel Vaticinium; & compositæ, seu Dialogicæ, si personæ plures in ijsdem 6.

dem induuntur alteratim loquentes, ac canentes, ut Horatius *Ode 9. lib. 3.*

7. *Scholion* est lyricum carmen à convivis inter epulas recitandum: Scholion enim græcè dicitur quasi intortum, & obliquum, à poculo flexuoso, quod convivis conferebatur, & nefas erat sine cantu exficcare, aut alteri propinare. Talis est Oda 37. lib. 1. in qua Horatius hortatur amicos ad indulgendum vino, & Genio ob victoriam Actiacam Augusti. Fuit ob eam victoriam templum Apollini constructum, & ludi quinquennales instituti.

8. *Epinicion* fuit carmen, quo laudes canebantur victorum, non à Græcis tantùm, sed etiam Romanis; ait enim Suetonius in Nerone: *sequenti die lætum inter lætos cantaturum epinicia, quæ jam nunc sibi componi oporteret.* Cæterum Epinicia Græci vocant celebritates pro parta victoria, cujusmodi sunt ignes nocturni, ac pyræ, quæ ad primum statim victoriæ nuncium ad testandam publicam lætitiam accendebantur.

9. *Epipompeuticum* est carmen triumphale, quod in pompa triumphi publicè canebatur.

10. *Hymnus* est Lyricum carmen, quod in laudem alicujus canebatur, & præsertim supremi Numinis. Ecclesia Christiana utitur etiam Hymnis ad Dei, ac Cœlitum laudes recitandas.

11. *Pæan* propriè erat carmen lyricum in Apollinis laudem compositum; vel ad pestem arcendam, aut imminens malum avertendum, vel ad gratias pro susceptis beneficiis persolvendas.

12. *Dithyrambus* est versus lyricus à Baccho, suam trahens nomenclaturam, quippe in Bacchi honorem canebatur. Stylus hujus carminis turgidus ampullabatur, Bacchique furore audax verbis incedebat sesquipedalibus. Interdum varias complectabatur carminum species, & quasi exlex sine ordine, veluti per enthusiasmum; præsertim delectabatur hexametris, trochaicis, anapæstis, sapphicis, glyconicis, asclepiadeis.

13. *Hyporchema* à saltantibus suam traxit nomenclaturam, qui cum membra repetitis saltibus frangerent, vix mentem servabant integram; eratque lyricum carmen quod veteres inter ducendas choreas canere consueverant, ejus stylus erat remissior.

14. *Sæculare carmen* à sæculo nuncupatum, in cujusvis delapsi sæculi fine, puellæ splendidæ, puerique prætextati in gratiarum actionem Numinibus eccinère; quo tempore per triduum fuerunt solemnes ludi instituti, atrique boves Plutoni mactati.

15. *Epodos* est genus carminis, in quo singulis versibus singulæ clausulæ subjiciuntur, ac veluti accinuntur; idque alio genere carminis, & plerumque breviore: cujusmodi sunt pleraque carmina in odis Horatianis, ubi post heroicum, vel trimetrum Jambicum, statim sequitur Jambicum dimetrum.

16. Satyra Poësis à Lucilio, teste Livio, inventa, quasi satura dici videtur, ob carminis varietatem, rerúmque copiam, quæ ibi tractantur, estque carmen aculeatum pungendis iis, qui vitio indulgent peridoneum: in hoc enim genere ad carpenda vitia scripserunt Lucilius, Horatius, Juvenalis, Persius. Quidam censent satyricam Poësim dici à satyra lance, quæ referta multis, variisque primitiis, in sacrificiis Numinibus offerebatur. Alii à Satyra lege, quæ uno rogatu multa simul complectebatur. Ut ut res se habet de origine nominis: certum est, Satyricum carmen satyricâ licentia castigare vitia, ac vitiosos acriori sale perfricare; ac definiri Satyram, esse Poëma urbanum, jocosum, salibus inspersum ad reprehendendos mores corruptos confectum. Adeout materia satyræ sint actiones humanæ malè olentes, ac propterea joco, risu, sale, acumine pungendæ, carpendæ, ut ad regulam flectantur virtutis: hinc proprium satyræ est, ut respondit Euripides apud Aristophanem percunctanti Æschylo. *efficere, ut homines fiant in civitate meliores.* Hinc satyra homines carpit Sicophantas, Lurcones, nebulones, potatores, inertes, fures, aliósque ejusdem furfuris, qui vitiis indulgent, studia negligunt virtutum; quos ut ad meliorem pertrahat frugem, si non amore virtutis, saltem timore pœnæ, eorum oculis subjicit rotæ affixos sceleratos Ixiones; Actæones à canibus laceratos; Phaetontes de curru Phœbeo miserabiliter excussos; Tantalos in maxima fructuum copia, fontiúmque redundantia fame enectos, siti extinctos; dúmque similes repræsentat, impudicitiam, aleam, ambitionem, avaritiam, & alia vitiorum monstra castigat, certóque petit ictu. Avocat satyrica Poesis à cœno vitiorum ob cœlum ad quod conditi sunt homines, quos propterea Juvenalis Satyra 2. redarguit exclamans.

O curvæ in terris animæ, & cælestium inanes.

Et Satyram primam exorsus est Persius avocando lectorem suum à rerum fluxarum immodica adhæsione; ac caducorum amore.

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane

Idque affinitatem habet cum illo Regii vatis, quo pravitatem hominum ad resipiscendum; & in iisdem contemptum veri boni exprobrat Psalm. 4. *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Quamobrem finis satyricæ Poeseos est à vitiis deterrere, & ad virtutum studia allicere.

Tripartitur Satyra ut placet Scaligero in 17. simplicem, quæ unica narratione ab ipso Poëta absolvitur: Dialogicam, quæ mutuis personarum sermonibus texitur: & mistam, quæ utrique studet, quatenus in Satyra mista modò solus loquitur Poëta: modò personam secum inducit loquentem. Lex autem Satyræ est exlex; quia ut loquitur Politianus; *Poetæ satyrici reprehendunt acriter, nunc insultant impotenter, modò vafrè cavillantur, astutè obrepunt, effluunt lubricè, tergiversantur, illudunt, dissimulant, ardent, versant, suspendunt, feriunt, pungunt, provocant, titillant, attonant, & concutiunt.*

Satyra quandóque incipit ab aliqua insi- 18. nuatione ad benevolentiam captandam accommodata, subinde ex abrupto. Invocationem respuit: propositionem non habet; vel sub aliqua tantùm figura. Vim totam in argumentis collocat, exempla congerit, narrationes rerum

rerum similium adducit; rationes in opposi- tum extenuat, dissolvit. Descriptiones non- nisi breves admittit; digressiunculis utitur, quibus in vitia sævit, ac seriò jocatur; acumi- nibus armatur, quibus licèt citra cruorem, non tamen citra ruborem pungit; & nonnunquam districto etiam gladio pugnat, ferit, punctim, cæsim, eminus, cominus. Satyra plures com- plectens personas mutuis colloquentes sermo- nibus ita construitur, ut Poëta nominatim non exprimat personam, quam reprehendere in- tendit; sed tantùm generatim illam potest cir- cumscribere. Quod si persona redarguenda fuerit avara, vel superba, tunc Poëta invehere potest in avaritiam, vel superbiam in abstracto, ne honori alterius detrahat, aut nomen deni- gret. Possunt tamen aliqui nominari ex fabu- lis, vel historijs, qui simili vitio laborârunt; & in illos linguam, vel calamum acuere; hoc pacto Hermogenes perfidum vocavit Periclem, crudelem Neronem; subdolum Simonem; vi- no madidum Bacchum; delicijs affluentem Sardanapalum; divitem rudem Midam; De- licatulum Smindiridem; Principem regimini ineptum Phaëtontem; temerarios Titanas, seu Gygantes.

19. Stylus Satyræ licèt humilis, ac vernaculæ, vulgarique locutioni similis, gaudet tamen venustate, & eloquentia; ac delectatur sali- bus, quibus redargutio conditur; nonnunquam pro rei, quam explicat, gravitate, severitatem effingit; sed Euro citiùs ad lepores, salésque revertitur, quâ ratione fuit qui satyræ stylum, pilæ pariaverit ludo, quo pulsa erigitur, & cadit, & cadendo iterum erigitur; continet etiam crebras, brevésque sententias, adagia, apophtegmata, æquivoca, scommata, argutias; quia perinde ac in ferculis in hac Poësi nil sine sale placet. Licet Græci ut plurimum versu Jambico senario suas scripserint satyras, usus tamen hodie invaluit, ut solo componantur hexametro ex industria conciso, & inculto abs- que politura. Non debet satyra jugiter esse tetrica; sed passim jucunda, jocorum illece- bris perfusa, & argutiarum inspersa salibus; cum objurgatio cuique obtingat amara illinen- da est illecebrarum dulcedine. Cavendum ta- men ne argutiæ turpitudinem ullam redoleant; nec sales impudicitiæ præbeant suspicionem.

EXPENSIO XXIII.

De Comœdia, Tragicomœdia, & tragœdia.

1. COmœdia definitur à Donato Fabula con- tinens diversa instituta, actionum civilium, ac privatarum, quibus di- scitur, quid sit in vita utile; & quid noxium, illud ut prosequamur, hoc declinemus. Hinc communiter definitur comœdia, quòd sit Poë- sis dramatica, quæ ob docendam humanæ vitæ consuetudinem civiles, ac privatas actiones cum lepore, facetijs, ac salibus imitatur; qua ratione Cicero vocat comœdiam: *imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.*

Quod verò ad nominis originem attinet; comœdiæ dictæ sunt, quia hujusmodi drama- tica Poësis in vicis ageretur apud Græcos; si- quidem comœdijs humilium domorum, non regiarum fortunæ repræsentabantur; & in Italia in compitalitijs ludicris admisto pronun- tiationis modulo, quo dum actus commutan- tur, populus detinetur: unde comœdiæ quasi dicuntur ab actu vitæ hominum, qui in vicis habitabant ob tenuem fortunam, quâ frueban- tur: non verò in aulis regijs, in quibus Prin- cipes pinguiori splendent fortunâ. Comœ- diam apud Græcos dubium est, quis primus in- venerit. Athenienses námque Atticam custo- dientes elegantiam, cum vellent vitio indul- gentes corripere, in vicos, & compita ex con- terminis pagis, villisque confluebant, ibique cum nominibus singulorum vitam publicabant. Accedeerant præmia; siquidem actoribus, quò libentiùs jucundo vocis flexu ad dulcedinem commendationis uterentur, caper dabatur, eò quia animal vitibus noxium haberetur. Ve- stitus comicis senibus candidus erat: adole- scentibus discolor: servi amictu exiguo con- tegebantur, quo expeditiores agerent; vel gra- tiâ antiquæ paupertatis: Parasiti cum intortis palliis in scenam prodibant. Viris jucundis vestitus erat albus; ærumnosis absoletus; te- tricis obscurus; divitibus purpureus; paupe- ribus phœniceus: militibus chlamys purpurea: puellæ habitus peregrinus: lenonis discolor. Syrmata in vestibus dicta sunt, eò quia trahe- rentur, & fuerunt instituta ad scenicam pom- pam; in luctuosis verò personis injuriam, & negligentiam indicabant: aulæa quoque in sce- na intexta sternebantur, eántque ornamenta picta, ex Attalica regia Romam usque delata; pro ijsdem ætas posterior usa est siparijs.

Tripartiri solet comœdia in veterem, quâ 2. regnante in populo licentiâ corrupti mores præsertim nobilium expresso nomine carpe- bantur in choro, ut putat Scaliger; vel in de- cursu comœdiæ, ut censent alij; In Mediam quæ florente Oligarchia à conviciis abstinuit expuncto chori usu; cujus loco digressiones quædam lepidæ permittebantur, quibus scripta Poetarum, vel eorundem effata licitum erat carpere. In Novam, quæ caret omni convi- cio, & aculeo, proinde choro, & digressioni- bus; & tantùm suppresso nomine vitia gene- ratim carpit, licèt majus studium impendat in seligendis argumentis risui movendo aptis. Comœdias veteres scripserunt Cratinus, Ari- stophanes, Theopompus, Phrinicus, & alij. Medias Nicostratus, Anaxilas, Strato, Epi- crates. Novas Apollodorus, Plautus, Teren- tius, & alij.

A vestibus, quibus personæ scenicæ ute- 3. bantur, varias sortita est comœdia nomencla- turas. Palliata dicebatur, in qua histriones more Græcorum palliati prodibant. Togata à Romanorum toga. Prætextata à prætexta fasciis distincta purpureis, quâ induebantur Actores, seu Senatores in scenam prodeuntes, trabeata à trabea, quâ utebantur personæ sce- nicæ: erat trabea vestis togata purpurea cir-

circumducta sub tegmine puniceo, quam aureæ fibulæ annectebant. Tunicata à tunicis, quibus humiles personæ utebantur. Dicitur etiam Planipedia ob humilitatem argumenti, & vilitatem actorum, qui non cothurno, aut socco utuntur in scena, aut pulpito, sed plano pede.

5. Comœdiæ partes pensantur, vel penes quantitatem, vel qualitatem, illæ sunt, quibus comœdia extenditur, & grandescit; & quinque enumerantur Prologus, Protasis, Epitasis, Catastasis; & Catastrophe; hæ singulæ partes integrant comœdiæ quantitatem. Alij adjiciunt Titulum, & argumentum; sed istæ propriè non sunt partes comœdiæ; tametsi apud veteres mos viguerit, quo ante fabulam legerentur. Titulus enim est nomen Auctoris, & comœdiæ: nam cum primum aliqui fabulas ederent, ipsorum nomina pronuntiabantur, prinsquam ne... e... divulgaretur Poëtæ; ne aliqua invidiola po... à scribendo deterreri. Cùm verò per plures ...itiones Poëtæ jam esset auctoritas acquisita nomen præferebatur Poëtæ ad conciliandam attentionem, & benevolentiam.

6. Nomen fabulæ est, quod toti comœdiæ imponitur, & ex multiplici solet fonte erui, scilicet vel à loco, vel à personis præcipuis totius fabulæ, earúmque nomine, officio, patria, cæterisque adjunctis, vel à re, & argumento, scilicet casu, eventu, facto, fortuna, conditione, & similibus. A loco sunt Terentij comœdiæ, quæ inscribuntur *Andria* id est ab Andro Insula. ex qua veniens Crito fabulam solvit; *Leucadia, Brundusia*. A personis præcipuis totius fabulæ denominarur in Terentio comœdia *Adelphorum*, quia præcipuæ in ea personæ sunt duo fratres Adelphi Attici, quorum alter Demea nomine rus coluit, uxorem duxit, filios suscepit duos, Æschinum, & Æsiphonem; alter verò Micio nomine, nec uxorem duxit, nec filios procreavit. A rebus ipsis in Terentio nomen hausit comœdia, cui titulus *Heautontimorumenos*, quia in illa Menedemus inducitur se ipsum excrucians, quia propria duritie filium domo expulerit. In Plauto *Asinaria* inscribitur à facto, seu ab Asinorum numerato pretio: *Aulularia* ab olla perdita, & inventa. Ex ijsdem fontibus sua sortiuntur nomina cætera dramatis genera. Argumentum quod Græcè *Periocha* dicitur, est complexio, seu summa, quâ paucis verbis singula indicantur, quæ in fabula geruntur. Hujus autem non admodum necessariæ partis, illud apud veteres erat artificium, quo initialibus literis nomen exprimeretur fabulæ, ut apud Plautum in argumento, cui Titulus *Asinaria*

Amanti argento filio auxiliarier
Sub imperio vivens vult senex uxorio.
Itaque ob asinos relatum pretium Saureæ
Numerarier jussit servolo Leonidæ.
Ad amicam id fertur. cedit noctem filius
Rivalis amens ob præreptam mulierem;
Is rem omnem uxori per Parasitum nuntiat.
Accurrit uxor, ac virum è lustris rapit.

Prisciano à plerisque tribuitur hoc argumentum breviter indicans; quæ geruntur in fabula; & literis initialibus explicans Titulum *comœdiæ*.

7. *Prologus* est prima in comœdia dictio, seu eloquutio antecedens veram fabulæ narrationem, quâ Poeta, sub aliena, vel ipsiúsmet personæ rem agendam exponit; dicebatur hæc pars Monoprosopas, quia ab una duntaxat persona ageretur; excipitur tamen Plauti Trinumus; in cujus comœdia Luxus, & Inopia pangunt prologum. Species prologi sunt quinque. Alius enim est Prologus commendatirius, quo fabula, vel Poeta commendatur: tales sunt in Terentio Afro Prologi comœdiarum in *Adelphos*, & *Hecyram*, Alius est relativus, seu Anaphoricus refellens adversariorum calumnias, & gratias populo referens: talis est in Terentio Prologus comœdiæ, cui Titulus est *Andria*. Alius est argumentativus exponens fabulæ argumentum; talis est in Plauto Sarsinate Prologus comœdiæ, cui Titulus est *Aulularia*. Alius est mistus hæc omnia in se continens, ut in Plauti *Asinaria*. Alius demum est Ethicus pertinens ad mores cujusmodi est Prologus in *Rudentem* apud Plautum. Hoc interest discrimen inter Prologum, & prologium, quia Prologus est veluti præfatio quædam fabulæ, quia in ipso præter argumentum, adhuc quid aliud ad populum vel ex Poeta, vel ex ipsius fabulæ, vel Actoris commodo præfertur. Prologium autem est cum de solo dicitur argumento.

8. *Protasis* est primus actus, initiúmque Dramatis, quo pars argumenti explicatur, & pars reticetur ad populi attentionem, & expectationem tenendam: unde Protasis solet totum actum primum comprehendere.

9. *Epitasis* est Protasis incrementum, in qua quod in Protasi fuit propositum, incrementum subit, résque implicantur, & turbæ excitatæ intenduntur.

10. *Catastasis* illa est fabulæ pars, in qua implexo jam totius negotij nodo, crescit rerum perturbatio magis, quàm in Epitasi; & in hac parte nodi involutio clarior apparet; & nullum adhuc solutionis lumen affulget; sed Auditorum expectatio adhuc protrahitur; unde Catastasis tertium comprehendit actum, nonnunquam quartum, raro quintum.

11. *Catastrophe* est conversio rerum ad jucundos exitus patefacta cunctis cognitione gestorum, & soluto nodo rerum implicatarum: comprehendit catastrophe integrum Actum quintum. Cui nonnunquam additur epilogus, qui finem comœdiæ imponit, veniam precatur, & perhumaniter dimittit spectatores.

12. Ad qualitatem comœdiæ pertinent fabula, mores, sententia, dictio, apparatus, & Melopœia. Fabula est ipsa res inventa, ac ritè disposita, quæ si fuerit composita complectitur Peripetiam, ceu fortunæ mutationem; cum pannosus ad pinguiorem assurgit fortunam; vel agnitionem, cum ad rei, vel personæ alicujus agnitionem venimus, unde affectus excitantur; ut in *Andria* Terentij. Mores comœdiæ Actoribus effinguntur, qui tamen debent saltem verisimiles

similes esse pro ætate, sexu, & conditione; neque mutandi sunt. Sententia est, quâ comœdia animatur, quæ non adeo frequens debet esse, nec sublimis, sed vulgaris, ac usitata in familiari sermone. Dictio debet esse facilis non violenta, elegans non hiulca, aperta non dentibus fracta. Apparatus complectitur scenas omnes, & Actorum habitus. Debent scenæ rebus accommodari, quæ in comœdia aguntur; ut etiam personarum vestes responderε earundem conditioni. Melopœia est digressio post absolutum Actum, & à Recentioribus dicitur intermedium complectens lusus, saltationes, Machinas, embolia, seu episodia, chorum, concentum, certamina, sales, jocos, & alia id genus, quibus spectatores à fabula devij nonnihil relaxantur. Repræsentantur hæc intermedia à Personis sejunctis à fabula, eorum argumenta petuntur è trivijs, agniportis, popinis, & habent Actores Caupones, fartores, coquos, Bajulos, stolidos, Insanos, sycophantas, Nebulones, Lucrones, Labeones, Frontones, Capitones, & alios ejusdem furfuris homines.

13. Partes comœdiæ per scenas, & actus distribuuntur. Actus est pars peractæ fabulæ; unde actus non determinatur ad placitum Poëtæ, sed tantùm ubi aliqua pars totius fabulæ potest commodè ab alijs sejungi per chorum, ac intermedium. Actus in comœdiis, ut etiam in tragœdiis quinque tantùm sunt, nec plures, nec pauciores, ut docet Horatius

Neve minor, quinto nec sit productior Actu
Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.

14. Actus distribuitur in scenas; est enim scena pars Actus, in qua una, vel plures personæ loquuntur. Plautus *in Mercatore* quatuor personas in scena loquentes inducit. Aristophanes in Ranis nonnunquam quinque, qui numerus non debet excedi, ne fiat confusio. Possunt scenæ in quolibet Actu esse septem, vel octo, vel pauciores, non ita plures. Quoties persona aliqua discedit, vel accedit alia, vel omnes mutantur, tunc nova dicitur scena.

15. Comœdia Iambico carmine fere impuro componi solet stylo vulgari, ac familiari, lepido tamen, & qui sales spargat; sunt enim ludicra, & ex trivio deprompta condienda sale, ut sapiant; non tamen inferuntur, quæ valde aliena sunt a fabula. Interlocutores supra quatuordecim non solent, nisi rarò induci.

16. Tragicomœdia est Poësis Dramatica mista ex tragœdia, & comœdia, propterea admittit æquè illustres, ac humiles personas; res lætas, & tristes; licèt plerumque exitum sortiatur jucundum, tametsi præcedentia tristem, plenúmque luctu fuerint finem minata; Quòd si finis nequeat mœrore carere; inexpectatæ tamen inde debent lætitiæ sequi, quibus luctus temperetur. Stylus tragicomœdiæ debet medius esse inter tragœdiam, & comœdiam.

17. Tragœdia est dicta, quia primum ejus poematis præmium fuerit hircus, qui vineas lædens cremaretur, ut hostia, dum Agricolæ sacra Baccho facerent, ut plerique autumant: vel uter hircinus vino plenus, ut indicat Horatius de Arte Poetica

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Vel quia à fœcibus propriam sortiatur nomenclaturam; quia sceniri faciem fecibus perlinirent tempore vindemiæ in Attica, ne cognoscerentur; definiri solet Poësis gravissima, quâ Regum, Principúmve, aut eorum, qui in Aulis Regum versantur calamitates, excidia, depressiones, defectiones repræsentantur, ut misericordia, & terrore animos ab illis perturbationibus liberet, à quibus hæc tragica oriuntur facinora.

Differt tragœdia à comœdia; quia hæc res civiles, & privatas, illa publicas, & illustres contineat actiones. Comœdia lusus, & sales: Tragœdia perturbationes, & luctus exposcit. Comœdia privatos homines, ac mediæ, imò & infimæ conditionis. Tragœdia nonnisi Principes, Reges, & nonnunquam etiam heroas, ac Numina admittit. Comœdia stylum amat familiarem, excitàtque affectus mitiores. Tragœdia stylum exposcit sublimem, ac gravem, motùsque animi acriores, ac atrociores excitat. Comœdia à turbulentioribus fere rebus initium ducens, tranquillum, lætúmque sortitur exitum. Tragœdia totum quidem argumentum habet luctuosum, exitum autem tristissimum: siquidem tristitia propria est tragœdiæ; quapropter Euripides Archelao Rege petente, ut de se Tragœdiam scriberet, abnuit, & precatus est, ne illi accideret aliquid tragœdiæ proprium, quia ut ait Ovidius 3. *Amor Eleg. 1.* 18.

Venit & ingenti violenta tragœdia passu,

Hinc tragœdias agere proverbij habet speciem, pro eo, quod est tumultum commovere, & funesta ciere.

Cæterum tragœdia fabula est simplex si unitam tantùm actionem complectatur: vel composita si agnitionem, vel peripetiam contineat, vel utramque simul, ut superiùs innuimus in comœdia. Pathetica est, quam comitatur Pathos, seu quæ habet affectus per cædes, vulnera, supplicia. Texitur tragœdia perinde ac comœdia; nisi quòd materia, & personæ sunt diversæ, ut liquet ex vario discrimine paullo ante indicato. Protasis tamen in tragœdia vicem gerit Prologi; in ipsa enim unus, vel duo simul colloquentes fabulam inchoant, & partem potiorem argumenti exponunt. In Epitasi rerum vices, perturbationes, varij casus, imminentia discrimina, metus, iræ, terrores cientur. Catastasis est status fabulæ, nodique involutio. Catastrophe est fortunæ mutatio. Præcipuæ in tragœdia personæ sunt Reges, Principes, Sacerdotes, alijque illustres viri, eorúmque famuli, Nutrices. Actores tragœdiæ olim prodibant cothurnati; & etiam nunc rem illustrem dicimus dignam cothurno; at è contra per rem socco dignam intelligimus rem humilem, vel ridiculam, quia socco utebantur comici in comœdiis. Quemlibet post Actum, in tragœdiis illicò personæ choricæ subeunt in orchestram, 19.

quæ

quæ nunc sunt viri, vel mulieres, vel pueri nobiles, vel rurales juxta fabulæ exigentiam. Munus chori est consulere amicis, favere bonis, cohibere iras, timorem abigere, preces fundere pro miseris. Deum laudare, diras superbis imprecari, sceleltos exprobrare, miserorum lacrymas exsiccare, dolorem lenire, vel cantu, vel colloquio.

20. Solet tragædia componi carmine Jambico senario. Chorus tamen variis gaudet Lyricorum speciebus, ut liquet in Seneca tragico, qui subinde extra chorum utitur etiam hexametro præsertim, ubi loquuntur illustriores personæ. Stylus tragœdiæ est sublimis, gravis, patheticus, figuras complectens, ac sententias selectas. Si nodus sit solutu difficillimus tunc invocantur Cælites, ut opem ferant, vel descendant ipsi nodum soluturi, & induci possunt ex aliqua machina. Ut etiam Inferi evocari possunt, ex deducto, ac hiante pavimento, ac si ex terræ visceribus in scenam prosilirent.

EXPENSIO XIX.

De Fabulis inservientibus Poësi.

1. Comœdiæ, & Tragœdiæ fabulæ esse dicuntur, vel quia fabulas intermisceant, vel quia Actores in iisdem sint personæ fictæ agentes munia, & dignitates, quibus non insigniuntur; & repræsentantes Imperatores, Reges, Principes, heroes cum sint ipsi plerunque ex infima plebe, sibi hac arte comparantes necessaria ad vitæ sustentationem: quô fit ut hujusmodi fabulæ diversa sortiantur nomina pro habitu, & qualitate personarum, quæ repræsentantur; aliæ olim dicebantur togatæ, quarum personæ togis, ac Romanorum cultu erant ornatæ. Aliæ palliatæ, cum personæ Græco more pallis indutæ in theatrum, ac scenam prodibant. Rursus personæ togatæ aliæ dicebantur prætextatæ, in quibus Reges Romani, vel duces inducebantur personarum dignitate ac sublimitate Tragœdiis similes. Prætextatæ autem dicebantur, quia in hujusmodi fabulis utentes prætexta Reges, vel magistratum repræsentabant. Aliæ dicebantur fabulæ tabernianæ ab humilitate personarum, & argumentorum similitudine comœdiis pares, in quibus privatæ, ac humiles personæ inducebantur, quales sunt mercatores, institores, qui in tabernis merces suas divendere consuevetant. Aliæ vocabantur fabulæ Attelanæ jocis, & salibus proximè ad satyram accedentes; suam hæ fabulæ traxerunt nomenclationem ab Attelis Campaniæ oppido, ubi hæ fabulæ repræsentabantur. Aliæ erant planipediæ ita vocatæ à planis actorum pedibus, qui ob humilitatem argumenti, & vilitatem personarum nec cothurnis utebantur neque soccis. Fabula acephala dicebatur sermo mutilus sine capite.

2. Fabula igitur à fando in comœdiis, tragœdiis, vel tragicomœdijs suam ducit nomenclationem. Juvenalis *Et nova nec tristis per cunctas fabula scenas.* Dicitur etiam fabula narratio ad animi oblectamentum inventa rerum nec verarum, nec verisimilium; ut quòd Daphne versa sit in laurum: Cicero. 3. de natura Deor. *Jam verò quod vos illa delectat explicatio fabularum, & enodatio nominum exectum à filio cœlum, vinctum itidem à filio Saturnum?* Fabula interdum moribus exprimendis alienis aptabatur: Horatius satyra 1. *Quid rides? mutato nomine de te fabula narratur.* Hinc fabula est sermo falsus veritatem effingens; seu est ficta narratio, sub cujus fabuloso cortice nucleus occluditur veritatis; hinc Plato in Alcibiade ait, omnem Poësim esse ænigmatum plenam, in qua rerum veritas quibusdam verborum involucris proponitur; sicut periti medici salubre elt consilium dulci aliquo liquore pharmacum temperare, ne terreatur æger saporis, aut succi acrioris amaritie: ita Poëtæ figmentorum, ac carminum lenociniis aures, animósque demulcent, quibus exhibita veritas accidat gratior, vel vitii inoliti redargutio minus displiceat. Ad id inveotæ sunt fabulæ, ut homines erudiantur, à vitiis avertantur, & ad illuda virtutum alliciantur: hinc ex fabulis apud Natalem Comitem *lib. 1. Mythol.* quædam fortunæ inconstantiam, rerúmque humanarum vicissitudines edocent, ut inconcussa animi firmitate novercantis fortunæ impetus retundamus, ejúsque incommoda æquo animo roleremus; talis est fabula de Apolline, qui Admeti Thessalorum Regis armenta adactus fuit per novem annos palcere, & ad munus obeundum Opilionis, ob interfectos Cyclopas, qui fulmina cudere ausi fuerant, quibus Æsculapius ejus filius fuerat interlectus, Olympo enim depulsus humana sub specie apud mortales exulavit.

3. Ab omni perfidia ac impura libidine nos retrahit Lycaonis fabula. Fuit Lycaon Arcadiæ Rex Pelasgi filius, quem Jupiter, quòd aram suam in Lycæo monte mactati pueri sanguine resperfisset in lupum mutavit, ut refert Pausanias in Arcadicis. Ovidius tamen *lib. 1. Metamor.* aliam hujus metamorphosis assignat causam. Cum Jupiter plura de hominum audivisset impietate, certius rem omnem exploraturus relicto cælo in terras descendit, peragratisque aliquot regionibus sub noctem in Arcadiam pervenit ad Lycaonis Regiam, ubi cum se Deum esse significasset, séque vulgus ad sacrificia accingeret, irridens Lycaon eorumdem credulitatem, ea ipsa nocte se periculum facturum dixit, deúmne, ac mortalem suscepisset hospitio, conatúsque est Jovem nocte intempesta dormientem occidere, quod cum frustra tentasset, alia ratione rem aggressus est. Habebat obsides à Molossorum gente ad se missos, quorum unum jugulavit, & partim assum, partim elixum Jovi apposuit epulandum, cujus rei imanitate indignatus Jupiter, immisso fulmine Regiam Tyranni excussit, & Lycaonem in sylvas fugientem convertit in lupum.

4. A turpibus agendis nos retrahit Ixionis supplicium apud Inferos. Fuit Ixion filius Phlegiæ, qui principiò uxorem duxit Diam filiam

Iiam Dejonei, cui cum multa pro dotis compensatione fuisset pollicitus,& ob id parer sponsæ ad eum venisset promissa munera soluturus, Ixion facta strobe, eàque c..nis, ac stramentis contecta, patrem sponsæ in ea fraude peremit, à qua impia cæde cum nec homines, nec Numina eum lustrare vellent, diúque incertus animi vagaretur, Jupiter illius misertus, in cœlum assumptum expiavit. Cúmque purgatus Cœlitibus esset adscitus Junonem deperire cæpit, quam de stupro interpellavit: quod eum Jovi innotuisset, nubem ei sub Junonis effigie apposuit, ex qua centauros genuit. Dejectus deinde in terras, cum passim gloriaretur, se cum Dearum regina rem habuisse; Jupiter indignatus excusso fulmine Ixionem ad Inferos detrusit, curavitque, ut alligatus rotæ perpetuò volutaretur. Ovidius

Volvitur Ixion,& se sequitúrque, fugitque.

5. A vitio sordescentis avaritiæ nos avertit Tantali fabula. Fingunt Poëtæ, Tantalum filium fuisse Jovis ex Plote Nympha, avum Menelai, & Agamennonis. Hic cum Deos convivio excepisset, eorum experturus divinitatem, Pelopem filium membratim discerptum, coctúmque iisdem comedendum exhibuit, sed Dii à nefandis epulis abstinuerunt excepta Cerere, quæ pueri humerum devoravit, pro quo Numina eburneum humerum ei restituerunt, revocatâ per Mercurium Pelopis animâ ab Inferis; sed patrem t..nti sceleris authorem ad Inferos detruserunt, ubi perpetua fame, & siti torquetur; Eridani fluvij aquis, & pomis, quæ capitis ejus imminent fugientibus labra, &dentes: hanc enim fabulam Mythologici de avaris interpretantur. Horat lib. 1. Sat. 1.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina, quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur congestis undique saxis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

6. Ut coërceamus temeritatem, ac audaciæ frænum injiciamus;nobis Poëtæ ob oculos ponunt calamitates Bellerophontis, ac cæcitatem Marsyæ: è contra ut nos ad exercitia virtutum alliciant nobis proponunt præmia Herculis, ac mirificas Elysiorum camporum amœnitates; unde fabulæ nos edocent exercitia virtutum, & fugam vitiorum, dummodo ab ijsdem veloci putridum è sano corpore membrum resecemus, & quæ à parum castis poëtis libidinum excitantur fomenta. Plura etiam prisci Ethnici fabulosa invexerunt Numina,quæ hisce præessent inferioribus, quæ ab ijsdem suam desumebant nomenclationem, ut ait Cicero *lib. 2. de natur. Deor.* inquiens. *Itaque tum illud quod erat à Deo natum, nomine ipsius Dei nuncupabant: ut cum fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum; ex quo illud Terentij: sine Cerere, & Libero friget Venus.*

7. Ex fabulis aliæ vocantur Æsopicæ ab Æsopo Phrygio authore; quamvis non desint qui censeant fabulas, quæ nomine Æsopi circumferuntur ab Hesiodo græco fuisse primum profectas: sed ut ut res est, id omnium suffragio comprobatur,has fabulas plurimum præferre ingenij, & non minus festivas, & delectabiles esse, quàm utiles ob documenta moribus instruendis perapta, quæ exhibent; ratione quorum ab omnibus teruntur, vertatúrque ignaviæ eas nescire, cui propterea dicitur: *Ne Æsopum quidem trivisti.* Aliæ sunt fabulæ Cypriæ à Cypro Insula, ubi usus fabularum erat frequentior. Aliæ Sybariticæ à Sybaritis Magnæ Græciæ populis, qui fabulis vel maximè fuerunt delectati. Aliæ Cilices, à populis hujus nominis, fuerunt enim Cilices adeo mendacijs assueti, ut inde ortum fuerit adagium. Cilix haud facilè verum dicit. Tripartiri solet fabula in rationalem, moralem,& mistam. Rationalis dicitur, quæ fingit personam ratione præditam. Ut accipiter nidum lusciniæ conspicatus pernici vola:u, ac hianti ore advolat implumes etiamnum pullos rapturus, cumque neque tenella pullorum ætas, neque parentis intergemendis questus valuissent prædatricem avem à rapina avertere; auceps ubi famelicam, ac voracem volucrem ex strepitu observâsset adfuit, & raptorem intercepit. Apodosis ad hominem utentem ratione. Qui fraudibus alios circumveniunt, non rarò illi circumventi pereunt. Fabula moralis denominatur à moribus,cum fingimus mores rerum ratione carentium; naturas, ac proprietates brutorum ad hominum mores instruendos, & ad normam virtutum, & æquitatis formandos; vel ad documenta suggerenda, quibus à malis caveamus. Ut Leo esuriens morbum fingebat,sed reliqua bruta ad visitandum ægrum, cavernam decumbentis leonis ingrediebantur, quæ leo devorabat. Vulpes eòdem delata ingredi noluit: rogata causam,cur non ingrederetur; respondit: quia vestigia intrantium quidem video; sed nulla redeuntium. Apodosis: Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Vel Præpotentium familiaritas declinanda. Procul à Jove,procul à fulmine. Fabula mista complectitur utramque moralem, & rationalem. Ut Pica humano sermone vini vendibilis pretium edocta pronuntiare, eadem semper utebatur proclamatione pretij, licèt ob annonæ caritem auctum fuisset, idque iniquiùs ferens œnopola ab eodem indignante ejecta est in fimetum: ubi cum suem se volutantem medijs in sordibus conspiceret: an tu, rogat, vinum quoque proclamasti? Apodosis. Tempori necesse est serviamus; & in aulis principum ea loquamur, quæ ijsdem placeant, dummodo nemini sint damno.

Fabula igitur sive pressè, sive fusè tractetur, debet documentum aliquod continere 8. in ordine ad actiones humanas ritè instituendas. Ut Vespertilio cum grave inter quadrupedes, & volucres bellum exarsisset, ad hostiles quadrupedum partes se contulit, virésque auxit. Sed aquila in subsidium avium veniens victoriam cum suis retulit. Tandem

certis legibus pax sancitur, sed vespertilio excluditur, pennisque spoliatus, nec his, nec illis gratus, latere profugus in tenebris adigitur. Apodosis: qui duabus se partibus in bello ob- noxios faciunt, utrobique solent impingere. Quando verò fabula breviter narratur simplici debet narratione proferri. Ut Leo eum lupo, & canibus venatum concesserat, à quibus in sylva cervus fuit interceptus; divisâ mox in quatuor partes captâ prædâ; primus omnium dixit Leo ego meam accipio partem, quia leo sum, rursus hæc alia pars ad me pertinet, quia fortior sum vobis: tertia itidem pars mea est, quia plus ceteria per saltus, & campos cucorri. Quartam verò qui ex vobis tetigerit, me sentiet inimicum, meósque experietur ungues, & dentes. Apodosis cum præpotentibus non sunt negotia instituenda. Quoties verò fabula fusiùs pertractatur loco exordii nomen exprimitur auctoris, narrantur circumstantiæ, & fit aliqua comparatio; & stylus est floridior, verborum delectu elegantior, figurarum varietate venustior. Debent tamen verba narrationis accommodari subjecto, circa quod fabula versatur. Agno enim aptantur verba mitiora, ac lenia; vulpi subdola, leoni generosa, asino ridicula, pavoni superba: non tamen debent verba scurrilitatem redolere.

Non credas, fabulas fuisse temerè inven-
9. tas, ad nostram enim eruditionem fuerunt institutæ, non ut centeremus, fabulas ipsas veras esse, sed earum significatum verum esse. Quod ex Jovis capite omnia in lucem prodeant ut habetur apud Orpheum est quid fabulosum, nullam sibi concilians authoritatem; sed quod significet omnis creata per Dei Sapientiam, & à Deo ut capite ac fonte omnia procedere, veritas est luce meridiana clarior, quam hæc nos fabula edocet. Hoc significatum veritati consonum reliquæ præseferunt fabulæ. Jupiter ab apibus melle enutritus inter Melissæ, & Amaltheæ Nimphas; significat apud Natalem Comitem, elementa se ipsa gignere, ut apes quæ, mas & fœmina non sunt. Jupiter centauros in nubibus pingens apud Philostratum in vita Apollonii *lib. 11. c. 10.* significat viros principes, qui inutilibus perperam occupantur, ut Domitianus qui tempus impendebat muscis captandis. Ganymedes à Jovis aquila in cœlum raptus, subindicat, eos esse Deo caros quos omnigena virtus ornat. Jupiter in templi porticu collocatus cum sceptro in manu sinistra, & fulgure in dextra indicat stabilem Dei virtutem in regendo mundo, & puniendo delinquentes. Jupiter apud Thebanos arietis pelle indutus (quâ illum quot annis togâ, ariete mactato honorabant) significat quemlibet sceleratum idolum sibi effingere suis conforme moribus. Vulcanus securi Jovis caput adaperiens, unde Minerva dicitur prosiluisse significat, sapientiam nonnisi labore, ac sudore parari Lucil.

Virtutem voluere Dii sudore parari.
Arduus est ad eam, longúsque per ardua tractus
Asper, & est primùm: sed ubi alta cacumina tanges
Fit facilis, quæ dura prius fuit inclyta virtus.

Parabola est quædam similitudo, ac comparatio quasi rerum dissimilium; & Quinti- 10.
lianus ait, parabolam longiùs res, quæ comparantur repetere; ut est illa comparatio. Tam fortiter apud Hipponem fecit Scipio, quàm utique apud Uticam Cato. Differt parabola à fabula, quia hæc semper aliquid fingit; cum illa persæpe fiat absque ullo figmento intermixto: cum sit parabola similitudinis genus, quo rerum gestarum fit collatio, non est necesse intermisceat ullum figmentum; bene tamen similitudinem exhibeat aliquam, quamvis nomina reticeat personarum, ut est illa Christi parabola in Evangelio. Regnum cœlorum simile est homini quærenti bonas margaritas; ubi non exprimitur ulla specialis persona, quæ laboraverit in quærendis margaritis. Versatur parabola magis circa rem factam, quàm fictam, & continet similitudinem, quâ rem unam confert cum alia, ut si dicas circa factum. Phalaris Agrigentorum Rex crudelissimus præter cætera novorum suppliciorum instrumenta taurum conflavit æneum Perilli arte, in quem immissi damnati, igneque subjecto bovis mugitum edebant: cumque artifex ob excellentiam artefacti munus aliquod speraret, jussu Tyranni in taurum à se fabrefactum conjectus, primus artis suæ specimen præbuit. Quinimo & ipse Phalaris, cumejus nimia arrogantia ulterius ferri non posset, facto in eum civium impetu, in quo ipse tauro alios excruciarat inclusus vivus crematus fuit. Apodosis quisque est propriæ fortunæ faber, sitque ipsi quod vult aliis fieri. Vel si dicas: Phalereus deploratus à medicis ob vomicam in imo pectore putrescentem, mortem quæsiturus in aciem profectus est, sed hostis emisso telo vulnus inflixit in ea pectoris parte ubi putredo ulceris stabulabatur, & cum aditum aperuisset puri, sanies tota è vulnere exivit, & Phalereus sanitati restitutus, ibi vitam invenit, ubi alij mortem. Apodosis ab Adversarijs persæpe, quam non speramus utilitatem accipimus.

Propriè tamen parabola est quâ homini- 11.
tribuimus humanam actionem, vocésque earum rerum, quæ cum ratione fieri, vel dici potuerint, (facta tamen non fuit, nec dicta) ad rei cujuspiam veritatem similitudine adumbrandam: & hisce parabolarum fictionibus sacræ scripturæ abundant, quibus veritas dulci quadam illecebrâ faciliùs adumbratur, & à rudioribus percipitur; unde magistro Christo nil familiarius, quàm per parabolas populum erudire: talis est parabola ovis perditæ Luc. 15. Filij Prodigi ibidem. Seminantis in agro, Luc. 8. operariorum in vinea Math. 20. &c.

Apologus ut distinguitur à fabula est 12.
quo bruta animantibus, vel etiam cuique rei inanimæ tribuuntur à Poëtis humanæ actiones, ac mores ad occultam veritatem blandiùs, & luculentiùs depromendam; hæc enim ac si lateret in rerum, ac animalium naturis, ac proprietatibus ab ijsdem beneficio Apologi eruitur; unde Apologus dicitur fabula, in

in qua bruta animalia introducuntur loquentia, quemadmodum sunt Æsopi Phrygij fabulæ; quarum aliquot subjicio.

13. Asinus cum observasset catellum post blanditias, & obsequia suo præstita hero liberalius pasci; cucurrit & ipse; cúmque elatis pedibus in dominum insiliisset, ac lingua demulcere cæpisset, ac lambere heriles manus; cæpit dominus altiori voce exclamare, ac in auxilium vocare famulos, qui fustibus egregiè asinum pulsarunt; quibus ille; quid me verberatis domino adblandientem, & non catellum pariter demulcentem? Apodosis, seu veritas enucleata, est; non cuilibet quodvis officium competere: & indignos a sacris esse amovendos.

14. Græculus captus venustate pavonis ejus emit plumas, quibus se ornavit: inde superbiens genus suum dedignatur, habétque contemptui,séque ad pavones confert, ut pulcrioribus adscitus volucribus supra propriam eveheretur conditionem; sed malè ab hisce mulctatus adigitur ad suos reverti,à quibus non minori indignatione rejicitur. Sub cortice hujus apologi hæc latet veritas. Qui supra sui generis conditionem se effert,& dignitate,quæ ipsi non congruit, vult splendescere; persæpe etiam à propria excidit conditione.

15. Rana bovem tenellas in prato herbas videns depascentem, pari putat posse se magnitudine excellere, dummodo pluribus impliçatam rugis pellem extendere possit, ac opplere; hinc inflata alias interrogat ranas, num magnitudine bovem æquet; & negantibus illis, iterum intumuit; & cum non excresceret ad bovis æqualitatem, rursus intumuit, sed mox disrupta pelle miserè periit. Veritas,quam Apologus obvelat,est: quia homines plebei, humilis, ac abjectæ conditionis ubi arridente fortuna supra propriam evehuntur conditionem, plus æquo intumescentes se ipsos perdunt.

16. Lupus osse infixo gutturi, & respirationis pressus difficultate,mercedem grui spondet si inflecto capite os ex gutture rostro sibi extrahat: quid ni paruit, os extraxit utpote,quæ procero est collo, lupúmque ab illo liberavit incommodo; móxque promissam sibi mercedem petit. Sed lupus subridendo, ac dentes exacuendo respondit; sufficiat tibi,quòd ex ore lupi, ac dentibus caput tuum illæsum exemeris; sit hæc tua merces, & quidem non exigua,quæ vitam tibi servavit. Veritas ex hujus apologi nucleo enucleata, est: Potentes, & improbi beneficium censent si inferioribus minus noceant, licèt ab ijsdem plura susceperint beneficia.

17. Formica cum hyeme eductum de subterranea cavitate frumentum ad solis meridianos radios exsiccaret; cicada esuriens illam accedit, rogátque enixim, velit aliquid frumenti sibi concedere. Cui formica,eh quid tu egisti per totam æstatem? cui cicada,cecini oleæ innixa. Tunc formica,si tu æstare cantasti,hyeme salta. Veritas hujus apologi est, ut non parcamus labori in ætate primæva, nec desides simus in juventute, ne cum alij, qui laborârunt, abundant rerum copiis, nos indigeamus.

Asinus terrorem incussurus reliquis bestiis præcelsum inscendit montem, ubi horrendum cæpit rudere, adeout vulpes, lepores, cervi, & alia id generis bruta animalia timore perculsa præcipiti se fugæ dederint, uno excepto leone,qui impavidus asinuo adivit rudentem, cui dixit, quid tu vanos spargis hic tuo rudore timores? nisi te novissem ad te accedere non fuissem ausus: procul hinc, si nolis meos experiri ungues. Veritas apologi. Plures sunt, qui inani tantum verborum strepitu minas spargunt, putantes posse alios perterrere, cum revera nil ijsdem insit roboris, nisque virtutis, in quos rei orqueas illud effatum: vox vox prætereaque nihil. 18.

Leo rustici caulam cum subiisset, hic illum interceptus ostium, aditúmque clausit, ne evaderet. Sed Leo in gregem priùs grassatus, in armenta cæpit postea sævire, quorum plurima cum videret rusticus humi jacere enecta dolens, januam caulæ statim aperuit, ne quid pejus ei obtingeret. Veritas hujus apologi altiùs mentibus militum hæreat: estque ut hosti præpotenti via etiam ad fugam sit aperienda, quod si fluvius sit fugæ impedimento etiam aureus sit pons construendus, seu omnis facilitas exhibenda, ac ostendenda. 19.

Hircus diuturna siti exæstuans ex præalta rupe in præcipitij imum ubi fons ex hiante rupe scaturiebat,se dimisit, frigidos fontis latices quantum placuit ebibit,proprio plenè satisfecit desiderio, sitimque extinxit; sed de reditu mox cogitans, connititur per exesas rupes in altum ascendere, sed imperviæ cautes tramites negabant: illac pertransiens vulpes subrisit, dixitque hirco: si tantum mentis, quantum pilorum in barba tibi inesset; huc non descendisses antequam de reditu maturè prævidisses. Veritas. Eò progredi nemo debet, unde regredi non potest. Bellum facilè indicitur, & initium commodè ponitur, sed quia anceps alea Martis, plerumque finis est perdifficilis, vel luctuosus; & incendium quod parva scintilla accenderat, plurimæ lacrymæ nequeunt extinguere. 20.

Lupus videns capram in præruptæ rupis fastigio pauca, & macra pascentem gramina, eam vocavit, allexitque,ut descenderet in subjectam planitiem, ubi pratum herbis abundè luxurians pinguiora eidem exhibebat esculenta, ut & fontes pocolentos. Cui sagax capra; non ex amore, quo me prosequeris, neque ex tua charitate ad pinguiora me pascua invitas; neque ut me pascas,in prato, sed ut te ipsum meis carnibus pascas,solicitus es. Veritas sub cortice hujus Apologi est; ut inimico nonnisi cautè fidamus; præsertim cum insuetis beneficijs adnititur nos cumulare. Suspecta sunt hostilia munera. 21.

Galli duo gallinacei in area rusticanæ casæ certamen atrox inierunt, quo avulsis utrinque plumis martium campum opplerunt; tandem pro uno victoria stetit; alter vero victus vere- 22.

verecundiæ suffusus rubore sub tecto se abdidit: victor autem epinicion sibi ob delatam victoriam occiniturus supremo tecti vertici lætus insedit, quò latiùs ejus victoria spargeretur: sed illac pertransiens aquila in occinentem gallum toto impetu se injecit, quem sui juris fecit, & captam prædam ungue aliò detulit. Veritas latens intra hujus Apologi nucleum est: quia persæpe in bello victor superbit tumidus, & post partam victoriam hostem victum flocci faciens habet contemptui; qui tamen plerumque recollectis viribus irruit tantâ audaciâ in hostem victorem, ut, eum vincat prosternat, adigâtque post epinicia, etiam epicedia canere.

23. Corvus ubi Cygnum niveo vidisset colore vestitum, illo delectatus blandimento candoris, ratusque ex aqua albedinem illam obtingere Cygno; aquas cepit & ipse incolere; sed pastu suo destitutus, colorem atrum non mutavit, sed vitam miserè amisit. Veritas non omnia possumus omnes: nec omnia congruunt omnibus: sit quisque sua sorte contentus.

24. Bellum exarserat mures inter, & feles, sed cum illi pluries victi succubuissent, initis consilijs, communi suffragio concluserunt, ut murium duces cornua sibi aptarent, quibus nasum,& oculos felium impeterent; idque cum doces præstitissent, cornibus armati in feles irruerunt audaciores, quos & fugârunt, sed suas subeuntes mures cavernas insequuntur feles, & murium duces ab arctis feraminibus ob laxitatem cornuum excluduntur, qui & à felibus capiuntur. Veritas: qui in bello lupra vires audent faciliùs succombunt.

25. Vespa cum serpente congressa ejus insedit capiti, cúmque eam non posset abigere caput rotæ venientis plaustri subjecit inquiens: dummodo ulciscar, non curo cum hoste mori. Veritas latens in hoc apologo. Plures adeo proni sunt ad vindictam, ut non curent sibi grave damnum inferre, dummodo alteri noceant;& uc vulgaris fert parœmia: duos sibi oculos eruunt ut unum à socio extrahant.

26. Mater cancros filios reprehendebat, quòd obliqua potiùs, quàm recta via incederent, cui filij, nos præi o pia mater, uc à te discamus rectè progredi. Veritas est, quòd nonnulli alienos reprehendunt errores acrioribus verbis, qui tamen ijsdem turpiùs devenustantur. Principes leges sanciunt ab alijs servandas, quas tamen ipsi transgrediuntur. *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Mart.

Graculus videns aquilam rapto agno sursum avolare, ductus æmulatione arietem ipse impetijt, sed ejus villia implicatus hæsit, nec potuit se extricare, & venientis rustici præda fuit, qui alis præcisis captum graculum ad filias domum detulit, quibus rogantibus, quænam esset exigua hæc avis, respondit sibi videtur aquila esse, sed revera est graculus. Veritas: supra vires nil agendum. Altiora te ne quæsieris. 27.

Lupus captam ovem latibulo intulerat, sed supperveniens leo depositam prædam sustulit. Lupus id eminus observans conqueritur, quia leo injustè suam sibi prædam usurpet; cui leo subridens, tuam injustè mihi prædam usurpo; qoia tu justè ab amico accepisti dono tibi datam. Veritas. Malè parta, malè dilabuntur. 28.

Perdix à venatore capta enixim rogabat, ut pristinæ restitueretur libertati pollicita se plures alias perdices venatione capturam; eique aucto fœnore plures alias daturam: cui venator; ideo dignior es morte, quia alieno sanguini insidiaris. Veritas: proditio amatur, ac laudatur, sed proditor condemnatur. 29.

Mulus à vulpe interrogatus, cujusnam originis esset, respondit se Dei esse creaturam; cui vulpes, id sciebam, sed quibus sis natus parentibus hoc scire cupio. Tunc puduit mulum sui paterni generis, ac fateri ab asino se fuisse genitum; unde patrem reticuit, & filius matris memor reposuit: affinis sum equi victoris suæ Cæsareæ Majestatis. Veritas latens sub hujus apologi cortice, est; quòd multos proprij generis pudet, quos non pudet turpissimi sceleris. 30.

Corvus pauca loqui edoctus ranæ audiens loquacitatem eam, interrogavit, unde tantam loquendi copiam hausisset? cui rana: natura pro canda disertam mihi elargita est linguam: sed tu ait rana corvo unde ex-tempore factus es eloquens? arte & labore reposuit corvus; hinc uc labori parcam parciùs, & cautiùs loquor, cum tu multa imperitè blateres. Veritas latens in hoc apologo est: quòd sapiens verba bis ad limam, antequam semel ad linguam adhibet; & priùs quàm loquatur digna loqui edifcit. 31.

LIBER

LIBER II.

De Metaphoricis Poëticarum Argutiarum Fontibus.

VEnuſtiores elocutionis flores delibandos argutæ Palladis in viridario non apum aculeis, verùm ingenij acuminibus ingredimur, quorum divitijs ſi non mella conſtruunt Oratores, ſaltem Attica melos loquuntur, & ſuavitate quadam animos replent, ac mulcent. Argutiæ enim tale dicendi genus exigunt, ut orationem gravi illo, & negotioſo, ſeu forenſi murmure, obſtrepentem cicadam, non faciat; ſed Apelles inſtar tot in ea pingat veneres, quot periodos: gaudet enim argutus ſtylus acutis incedere munitus ſententijs; ſiquidem hoc dicendi genus debet eſſe affluens, pictum, venuſtum calamiſtris, plenum margaritatum: cum enim ſit ad aurium delicias conſtructum, ideò flores undique debet ſpargere; quæ tamen omnia in civili, aut Philoſophica oratione eſſent vitioſa, & peccarent contra proprium ſtatum. Memini ad rem noſtram ingenioſæ machinulæ Chryſtallinæ Coſroë potentiſſimi Perſarum Regis, in qua, ut habetur apud Cedrenum, Cœli immenſitas, ſolis curſus, ſphætarum motus, non alia ducti intelligentia, quàm humano ingenio, ac æternæ micantium ſyderum coruſcationes cernerentur; aderant quóque aliæ machinulæ, è quibus vis aquarum exiliret, quæ modo ſubirent in imbres, modò rigeſcerent in grandines, nunc ſerperent in rivulos, & modò ruerent in torrentes: ſic præſens dicendi genus, veluti pretioſa gemma varia quidem repræſentat, ſed omnia amænè, atque ad delicias: imò Achates eſt, qui lapillus, tam varij ferrur generis eſſe; ut unum lapillum eſſe minimè credas, candidus quippe eſt, rubeus, croceus, cinereus, viridis, niger, ita ut aliarum gemmarum colores illi non videantur ſufficere: ſic præſens dicendi genus lucos, prata, animalia, flumina, & arbores mirabili naturæ laſcivientis ludo floreſcentia exprimit; ſed ad deliciarum aucupium, quippe labitur ſine ſalebris, totúmque irrumpit in flores, ac amænitates argutiarum.

EXPENSIO I.

De Ortu, ac Nomine Argutiarum Poëticarum, & quid sit Argutia.

1. Sirenulæ, ac veneres argutiarum non ab æstuantis maris rejecta spuma, verùm è defatigatæ mentis stillato sudore oriuntur: quapropter antiquissimam jactant originem; licèt sub primis nascentis mundi cunabulis succus, ac sanguis elocutionis corruptus videretur, tamen Thucydides argutiarum sale insipidas cœpit condire orationes; quia, ut loquitur Tullius, vir ingentis spiritus, ac Regiæ planè elocutionis fuit, quippe Regum soboles erat, non minus genere sublimis, quàm dictione. Pytheus etiam, qui primus in fano Musarum fertur Rhetoricam docuisse, librúmque posteris de arte dicendi conscriptum reliquisse; ad condimentum orationis; quosdam etiam disseminâsse argutiarum sales, traditur. Et Themistocles; cujus eloquentiæ palmæ victricibus laureis adhuc efflorescunt, quibusdam etiam leporibus Auditorum attentionem sibi conciliavit; sic etiam in carminibus Homeri plures leguntur margaritæ, plura lumina, tam varia, tam recondita, ut voluptas sine satietate delectet; hac tamen tempestate hæc lumina, seu argutiæ humanæ videntur attigisse eloquentiæ culmen, & quò progrediantur, videntur ampliùs non habere; ubi non salebris, sed sale asperguntur elementa litterarum. De Argutijs fusè, arguiè, ac eruditissimè tractat Emmanuel Thesaurus in aureo, ac gemmeo illo opere, quod plenè sui Authoris pretioso, ac locupletissimo respondet cognomini ob Thesaurum omnium eruditionum, ac luminum Rhetoricæ, quem continet; & cui Titulus est; *Il Cannocchiale Aristotelico, ò sia Idea dell' Arguta, & ingeniosa elocutione esaminata Dal Conte D. Emanuele Tesauro Cavaliere gran Croce de santi Mauritio, e Lazaro.* Iisdem, & ego Aristotelicis innixus principijs hanc de argucijs tractationem expendo; & fontes aperio, è quibus illi dimanant latices, quibus oratio efflorescit. Plura è meo penu exhibeo, plurima selectiora ab alijs excerpta adscito in Exemplum.

2. Nomenclatura Argutiarum diversa semper fuit pro diversitate linguarum, ac dictionum. Eruditissima Græcia facunda, ac fœcunda parens omnium scientiarum; in qua hæc Parnassi vireta cœperunt efflorescere, argutias vocavit *Schemata*, ut habetur apud Aristotelem *de art. Rhe. cap. 20. Circa dictionem unum quidem speculationis genus de schematibus videlicet ipsius*, quæ vox etiam placuit Ciceroni, qui loquens de oratione Calidij, ait: *Erant, & verborum, & sententiarum illa lumina, quæ vocant Graij Schemata, quibus tanquam insignibus distinguebatur omnis oratio.* Et quamvis hæc vox *Schema* Græcè apud Latinos significet figuram; attamen ut interpretantur Aristotelem Expositores, apud Græcos *Gestum* significabat; quapropter Tullius etiam vocat argutias orationis *Gestus*, ait: *Illam concinnitatem, quæ verborum collationem illuminat his luminibus, quæ Græci, quasi aliquos gestus orationis Schemata appellant: quod idem nomen in sententiarum ornamenta ab his transfertur*, & in alio loco Aristoteles totum genus Argutiarum vocavit etiam *Cosmon*, quod à Latinis *concinnitas* interpretatur, sive *calamistrum*, sive *cincinnus*.

Hinc possumus, & nos invenire alium genus *ornamenti*, & postea sumere omnes species ornamenti pro ipsis argutijs. Sumatur igitur hoc altum genus nempe *Ornamentum*, deinde in rerum natura consideremus ea omnia, quæ ornant, vel possunt ornare, sic ab ornamentis fœminarum argutiæ possunt vocari *cincinni, Fuci, Calamistra, Venustates, Gemmæ, Margaritæ, Patagia; Oloserica, spiræ, Amenta, segmenta, Monilia.* Ab ornamento equi possunt dici *Phaleræ*, A. pratis *Flores, Parnassi vireta*, A. Cœlo *Lumina, Sydera*, A. pictura *colores, Minia, Purpuræ*, A. pulchritudine Argutissimus Quintil. *Veneres* vocavit, & in Encomio Isocratis, dicit, *omnes dicendi veneres secutum fuisse*. 3.

Quia Argutiæ etiam alliciunt animos, possumus & nos invenire ea omnia, quæ alliciunt, & vocare argutias, *Orationis blanditias, Sirenulas, Lepores, Illicia, Aucupia; Suavitates, Attica melos, Delicias, blandimenta, Titillationes, Gratias, Urbanitates, Lusus, Ludos, Jocos, Sales, Facetias, Affabilitates, Eutrapelias*; Aristoteles graviori nomenclatura vocavit argutias *Apophtegmata*, ait enim 3. Rher. cap. 11. *Quin etiam Apophtegmata ex eo sunt Urbana, quod aliud significant, quàm verba dicant*; & hoc nomen taliter Plutarcho placuit, ut dicta arguta, ac sententiosa illustrium virorum Apophtegmata appellârit; & extat liber ejusdem Plutarchi Apophtegmatum; quem Augusto dedicârat. Trapezonzius verò interpretatus est illam vocem Apophtegma, & asserit, significare dicta commoda, quoniam *Compsos* Græcè, Latinè idem sonat, ac facetus; & *comus* Numen fingebatur facetiarum; ac jocorum; hinc Plautus exclamavit: *O Juppiter! quàm parvi estis homines commodo*, hoc est *comes*, & faceti; alij etiam latine easdem argutias vocârunt *dulcia dicta, Attica mella*; & Plautus *Mulsa dicta*, Martialis *dulces nugas*; Macrobius tamen meliùs eas appellavit *dicteria*, ex quo oritur; quòd homines arguti dicantur etiam dicaces, quia utplurimum alios pungunt, sic Augustus utraque coronatus lauro Apollinea, ac Martiali, ubi inaudivit, Galbam Egregium Oratorem, à quo cum interrogaretur; an bene perorâsset, & si quid mali commissum esset, corrigeret, hoc respondit acumen: *Monere quidem possum Galbam, corrigere non possum*, præeminenti enim gibbo deformis erat, totum acumen in æquivoco residet, scilicet in illo verbo *corrigere* defectum naturæ, & defectum orationis. Sic Cicero contra Caninium Diurnum consulem, 4.

inge-

ingenium, & linguam acuit; inquiens *Est grande prodigium Patres conscripti Caninio consule, nec pruina, nec ver, nec æstas, nec autumnus, nec nox fuit*, hoc Schema ortum sumit à brevitate hujus consulatûs, & à tempore, quo non fuit consul. Virgilius etiam accusatus, quòd Homerum legitaret, & ex homero illos legeret flores, quibus Heroicum suum Poëma coronavit; Sapienter dixit. *Magnarum esse virium auferre clavam de manu Herculis*, qui conceptus oritur à comparatione, & à metaphora attributionis. Primùm enim à magnitudine Sapientiæ Homerus comparatur cum Hercole; deinde ejusdem Homeri carmina cum clava Herculea. Non vulgaris etiam est argutia Lucij Mallij Pictoris haud obscuri, hic cum deformes haberet filios, formosissimas autem pingeret imagines interrogatus, cur non similes haberet suis figuris filios, acutè respondit, *Mirum non sit, quia filios in tenebris pingo, in luce figuras*: hoc est nocte filios genero, interdiu figuras pingo. Nil sine sale sapit.

6. Quòd si petas, quid sit argutia, Respondetur, argutiam esse dictum aliquod breve, quacunque sententia comprehensum, plurimum præseferens ingenii, ac perspicaciæ, res ipsas inter se dissitas maximè combinantis, ac penetrantis rerum, eventuúmque causas, circumstantias, ac finem; & abdita quæque indagantis, & plerumque ex ipsis aliquid eruentis ab inexpectato, quódque multum habeat acuminis, leporis, aucupij, ac illicij: adeo ut argutia generatim sit præter, aut contra expectationem allata sententia, vel conclusio, quæ rationis nitatur adminiculo, ac recepto aliquo loquendi usu, assignétque causam inexpectatam alicujus effati, vel facti, aut cujusque rei Sic Martialis cum dixisset: *semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane*; addit postea argutè causam ab inexpectato subdens, *Dantur opes nullis nunc, nisi divitibus*. Vel si rei facto, vel dicto aliud inopinatum addatur; ut præstitit Martialis in Epigrammate de Publij Catella, eleganter depicta, nam cum dixisset: *Hanc ne lux rapiat suprema totam*. Ecce facto ratio addita *Pictam publius exprimit tabella. In qua tam similis sibi nec ipsa*: demum concludit *Aut utramque putabis esse veram: aut utramque putabis esse pictam*. Apud Anglos adagium est *stultos vera loqui*: à causa inexpectata.

Anglica veridicos dicunt proverbia stultos:
Ergo Anglis verum dicere stultitia est.

EXPENSIO II.

De causa efficiente Argutiarum Poëticarum.

1. SIcuti à Planetarum Principe, qui sui luminis est faber suos recipiunt splendores syderum turmæ; quibus cœlum verus Argus tot aperit nocturno tempore oculos, quot fulgent sydera; ita omnes humanæ argutiæ, quæ orationis etiam dicuntur stellolæ sua exhauriunt lumina a mente, quæ cæterarum po[illegible] Sol, ac caput, ait Plato apud Dionysium Longinum, *Nunc cupiditatum Gynecæa dispensat; nunc acrimoniæ Andronem regit, nunc desideria veluti volitantes Prodromos emittit, nunc furiales irarum exercitus è castris educit, nunc serena luce circumsepta suavius renidet*. Nam mens est, quæ si explicat alas in æthera vincit Prometheum; si extendit per aera pennas superat Dedalum; pergit cum sole, nec Phaëthontis timet casus; volat quasi pennigera, nec Icari expavescit ruinas; hæc licet brevi unius capitis periodo contenta, momento tamen per omnia immensitatis spatia spatiatur; & quamvis captiva in capite, nullis tamen detinetur vinculis, angusto clausa carcere libertate potitur augusta; immota procul extra orbis confinia peregrinatur; nempe avet etiam in patria peregrina videri, ipsa uno simul immoratur in loco, simul moratur in alio, hic est præsens, ubi absens; maximè distat, cum proximè adest; terras excolit, incolit Cœlum; mare sicco tranat vestigio, flammas inoffenso percurrit pede; res abditas investigat, investigatas comprehendit, comprehensas digerit, & componit, dissipatas colligit, collectas dividit. Naturam rerum omnium caducarum, scientijs & artibus tanquam directis, accertis itineribus pervadat, Cœlorum immensa spatia; terrarum longè, latéque diffusos tractus mira discurrit celeritate.

Neque in hisce acquiescens, è caligine rerum mortalium, ipsa pervadit Cœlorum penetralia; mentésque ab omni conjunctione materiæ defœcatas perlustrat, & usque ad primum universorum Satorem contendit, ejus majestatis perculsa radijs, velut temulenta efficitur, ac simul ei volupe est astrorum ortus, obitus, cursus, progressiones, institutiones notare; dies, menses, annos circumscribere; defectiones solis, & lunæ cognoscere, longéque ante præcognoscere. 2.

Hæc igitur mens duas habet facultates præstantissimas, intellectum, & voluntatem; hâc in amorem fertur, & odium; illo vera secernit à falsis, investigat, cognoscit; & hæc potentia dicitur ingenium, quod est vera causa efficiens Argutiarum, nihilque aliud est, quàm quædam mirabilis vis intellectûs; insuper aliud est ingenium perspicax, aliud versatile; ingenium perspicax dicitur illud, quod perscrutatur, ac penetrat omnes passiones, causas, circumstantias, objecti. Ingenium versatile est; quod simul unit, vel dividit circumstantias, passiones, seu accidentia objecti cogniti, ac invicem nectit. Do exemplum ingenium perspicax apprehendit Divam Magdalenam illachrymantem ad pedes Christi, illam considerat succensam amore divino; modò ingenium versatile uniendo flammas amoris cum lachrymis pœnitentiæ efficit argutias; & considerando divinum amorem esse causam lachrymarum, dicit, *Quale prodigium est hoc? flamma aquam parturit? Olim insani ignis Dea ab aqua maris oriebatur, nunc Magdalena, ut fiat castior venus, non ob aqua tantùm sanctioris vitæ cursum incipit, verum etiam ab igne; forsan quia multis temerata maculis criminum voluit purgari igne & aqua;* 3.

EXPENSIO IV.

Quid sit simplex Metaphora, & quare non sit Argutia.

1. Simplex Metaphora definitur ab Aristotele *3. Rhet. cap. 10. Translatio nominis alieni, vel à specie ad speciem, vel secundùm aliquid, quod proportione respondeat*: Ut si voco dentes *uniones*, seu *Margaritas*, eò quia tam dentes, quàm uniones sint albi; facio translationem à specie ad speciem sub genere *Albedinis*; pari pacto voco labia *coralia*: canitiem capitis, senectutis *nives*: ad conficiendas verò faciliùs has simplices metaphoras, necesse est inveniamus abstractum rei concretæ, ut lilium est *album* in concreto; abstractum hujus albi est *albedo* in genere, quæ prædicatur de omnibus concretis albis, ut de *Nive, lilio, spuma maris, dentibus, osse, carne, ebure, canitie, unione; adamante, lacte, luce, argento*, quæ concreta sunt species albedinis sumptæ loco generis: modò quia juxta principium illud Philosophicum, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, & quia omnes species, vel omnia subjecta alba sunt idem inter se in albedine, ideo invento abstracto, seu genere, fiat translatio nominis alieni à specie ad speciem, & multiplices conficientur metaphoræ: *nives montium* potes vocare *canitiem anni*, & è converso CANITIEM *hominis*, nives *senectutis*: prati *vireta*, & *herbusculæ* vocantur *animati* SMARAGDI hoc est gemmæ virides sumendo unum subjectum viride, pro alio; hoc est unam speciem in genere *viriditatis* pro alia; ut etiam sumendo unam speciem pro alia specie sub genere albedinis, *murmurantes aquarum rivuli* dicuntur *liquida, ac fluxa* CRYSTALLA: Virgilius etiam vocavit LAMPADES *cæli* illa duo majora luminaria *Solem & Lunam*, ut etiam IGNES *inextinguibiles*: Amasii etiam vocant frontis oculos *gemina* SYDERA, quasi illorum paradisum ac felicitatem collucent in objecto amato, ubi sua figunt sydera; per hanc translationem nominum à specie ad speciem Thesaurus vocat nives *frigidas* LILIA *Alpium*, & è converso *lilia animatas hortorum* NIVES.

2. Poëta Italus vocat *cicindelas*, seu noctilucas, vel nitedulas; suntque quoddam muscarum genus, quod noctu lucet; quatenus nunc pennarum hiatu refulget, & modò compressu adumbratur; *Lychnos* pensiles, *lampades* volantes, carneas, ac splendentes *candelas* ait:

Lucciole mie, che d'or la groppa hauete
Lanternini animati
Vive *candele*, e *moccoli* incarnati

3. Hæ autem metaphoræ non sunt argutiæ, quia solùm versantur circa primam operationem intellectûs; unde dicuntur simplices, quia sunt simpliciter apprehensæ à prima operatione intellectûs, ut quando pro canitie concipitur *nix senectutis*, vel quando concipitur *lilium* ARGENTEUM est simplex apprehensio, quia nihil judico de lilio argenteo: sin autem concipiatur lilium, & postea inferatur hoc judicium, *lilium foret in sinu* ARGENTUM, hæc est eadem metaphora continuata, & secunda operatio intellectûs; quæ metaphora adhuc non est vera, ac perfecta argutia, quæ secundùm Aristotelem *est illatio explicans non causam pro causa*, & versatur circa tertiam operationem intellectûs, ut esset, si quærendo non causam pro causa, cur lilium sit argenteum, dicerem. *Lilium florum Rex argenteo se cooperit paludamento, ut dignitatem suam, ac divitias supra cæteros flores jactet; decet enim Regem divitias ostentare suas*, hæc est quædam argutia, quia in illis verbis, *ut dignitatem suam, ac divitias jactet*, assigno non causam pro causa.

4. Quamvis autem simplices metaphoræ non sint argutiæ, sunt tamen argutiarum fontes, & orationis nitidissima lumina, cum perspicuum sit, nulla re magis orationem splendescere, quàm troporum luminibus, ac metaphorarum venustatibus: humi siquidem reperet oratio absque translatarum verborum nitoribus; in squalore jaceret desiurata sine metaphorarum elegantiis; sine gratia displiceret, ac sine acumine frigeret: quia nil sine sale sapit; quamvis ex propriis contexta verbis oratio perspicua sit, non tamen, ut docet Aristoteles *lib. de arte Poëtica cap. 2.* si destituta fuerit metaphoris, magnifica, splendida, ac sublimis erit. Hæcque forsan ratio, cur Philosophus asseverit defœcati, ac præstantissimi esse ingenii metaphoris bene uti: & Cicero in oratore hunc metaphorarum lusum, & usum maximè commendat ad illicium, & aucupium Audientium. Plurimum enim præseferunt metaphoræ venustatis, & illicii, quo nobis arrident, nosque delectant? siquidem voces à propria significatione in aliam veluti è patrio solo in exteras transferuntur regiones; & quia quæ peregrina sunt, ac nova nobis placent; ideo metaphora non potest nobis non arridere, & orationi gratiam conciliare: ita natura nos instituit, ut nobis peregrina magis placeant, quàm nostra; nova quàm absoleta; fuco, & pigmentis ornata, quàm quæ nativo splendore illucescunt.

EXPENSIO V.

Quale sit formale constitutivum Argutiarum Poëticarum.

Vidimus supra argutias propriè non consistere in simplici metaphora, nec versari circa primam, ac secundam operationem potentiæ intellectivæ, sed solùm circa tertiam, undè dicendum est, formale constitutivum argutiarum cum Aristotele esse: *Assignationem non causæ pro causa*, ac propriè esse discursum; est tamen animadvertendum, quòd licèt argutia sit discursus, non tamen omnis discursus est argutia, sed argutiæ sunt *argumenta urbana, ac festivè fallacia*; unde ab Aristotele vocantur, *Apparentium Exthymematum joci*, quia illatio horum enthymematum debet esse aliquod figmentum intellectûs, in quo resplendeat aliqua perspicacia, ac lumen ingenii, nam si ego peterem à te, *cur grandines solùm æstivo tem-* 1.

pore cadant. & tu responderes mihi, quia tertia aëris regio per antihyperistesim æstivo tempore est frigidior, quàm hyemali, atque adeò æstivo tempore humorem aqueum in illa aëris regione à circumambiente frigore constipari in grandines; esset hæc optima responsio metheorologica; sed non esset arguta, quia argumentum non est fallax, nec ibi assignatur non causa pro causa; imò assignatur vera causa, cur grandines æstivo tempore tantùm cadant.

2. Necesse itaque est, quòd argumentum argutum habeat suum acumen per vim, ac lumen ingenij; hoc est per aliquod figmentum amænum, ac festivum, ut est conclusio hujus enthimematis, in qua festivè assignatur non causa pro causa, cur mare bibat omnia flumina.

Salsa sitim pariunt: nihil æquore salsius: ergo
Quid mirum, dulces si bibat æquor aquas;

Vel hoc aliud de amore, & labore, quo amor concluditur esse improbus labor.

Omnia vincit amor, Labor omnia vincit, & ipse
Improbus: ergo amor est improbus Hebre labor.

3. Quapropter Seneca definivit argutias, quòd sint *conclusiunculæ vafræ, & callidæ.* Cujusmodi est hæ de homine barbato, & timido

In cervis, hircis (veterum commenta sophorum)
Ex barba, & pedibus, Cæciliane probas:
Hircum barba facit: superrima te fuga cervum,
Ergo ucrmm nobis ens rationis eris.

Seu hirco-cervus chimæra

Atqui posset quis objicere: ergo omnes fallaciæ erunt argutiæ? Respondeo, id non sequi: quia argutia solùm est juxta Aristotelem Enthimema urbanum, seu fallacia arguta; nam si dicas hanc fallaciam, *omne vivens est sensitivum, aliqua arbor est vivens, ergo est sensitiva*, forma hujus argumenti est fallax, quia extrema non perfecte identificantur cum medio termino; & tamen non est argutia, quia nulla ibi elucet urbanitas. Vel si peteres, cur omnes ingeniosi sive sint Philosophi, sive Poëtæ, sive alij artifices sint melancholici, & Matthæus Dresserus *in lib. de partibus humani corporis, & animæ potentiis pagin. 58.* responderet tibi, quia humor melancholicus cum firmus sit, efficit etiam spiritus, ac motus animi firmiores, ac acriores, vel ardentiores, & Joannes Caramuel in sua Logica obliqua *pag. 471.* hoc probaret subjecto syllogismo: *Spiritus firmior, & ardentior gignit sensum acriorem: sed humor melancholicus gignit spiritum firmiorem, & ardentiorem, ergo melancholicus humor gignit sensum acriorem;* in hoc syllogismo nulla relucet argutia, quia ibi nulla latet fallacia. Propono tibi aliud argumentum verum, cujus conclusio, quamvis sit vera; attamen propter duo opposita videtur habere aliquid amœnitatis, ac talis: argumentum est sorites

Omnes naturæ instinctu abundantiam potiùs, quàm penuriam expetunt.
Quidquid autem vehementer expetitur, id diligenter quæritur.
Quod verò diligenter quæritur, laboriosè obtinetur.
Quod laboriosè obtinetur, jucundè possidetur.
Quod jucundè possidetur, dolenter amittitur.
Quod dolenter amittitur, indesinenter deploratur.
Ergo omnes naturæ instinctu (etiam cùm, GAUDIA, *ac* BEATITUDINEM *terrenam se ambire putant) expetunt indesinenter* DEPLORARE.

Sin verò æquivocando vocares Christum divinum solem, & efficeres hoc argumentum, *ubi Sol est dies est: sed Divinus Sol media nocte erat in caula Bethleemitica; ergo in ipsa nocte dies erat;* hoc argumentum esset argutia, quia est enthimema urbanum. Non tamen in argutiis est efficiendum enthimema hoc modo cum distinctione propositionum, sed magis laconicè; ita ut illatio, & propositiones simul connexæ non appareant; unde eadem prorsus argutia, sic elegantiùs exprimitur. 4.

Fallimur in media natum, qui nocte putamus;
Nam secum nobis nascitur ipsa dies,

Ubi sumitur dies pro effectu solis; supponitur enim una cum die ortus divinus Sol Christus.

Sic quærendo non causam pro causa, cur Christus natus sit in Præsepe, quia non erat locus in diversorio, dicere potes; hominem inhumaniorem fuisse ipsis feris, dum ipsum Deum rejecit, quem in stabulo receperunt belluæ ipsæ humaniores hominibus 5.

Brutum factus homo est; homo brutum; quando tenantem
Excipit hospitio bestia, pellit homo.

Christus Dominus nascitur, cum tota terra vallatur, & velatur caligine præscrutando non causam pro causa, diceres, terram fuisse obvolutam caligine; quia tunc *divinus Sol* CHRISTUS. *& Aurora* MATER latebant Bethleemitico in præsepe.

Nulla queunt toto splendescere lumina mundo
In stabulo postquam Cynthia, sólque latent.

A non causis pro causis Infantis JESU circumcisio prima die, quâ novus incipit annus exponitur. Fausto omine natus inter belluas Deus, ut homines cicuraret, Salvatoris prærogativam re, & nomine nactus, nonnisi precio sanguinis persoluto JEsu nomen assumpsit. Venales noverat in terris Titulos, hos noluit gratis; quàm pretiosum sit nomen JESU ex eo conjice: tanti emitur, quanti totus redimitur mundus. Venerat Athleta nobilis pugnaturus cum tartaro, expugnaturus mortem, novámque propugnaturus in mundo vitam: nudus arenam Bethleemitici Præsepij ingressus oleo perlinitur mox suo, hocque, ut Regem decebat, nonnisi purpureum vulnerata suppeditat caro. Ne tempus pugili desit pugnam inchoat statim, & etiam initio cruentam, cum primùm incipit anni tempus: initiis victoriarum Calendas dedicavit Januarias, ut Jani fores, quas Mars consueverat aperire, clauderet Martio mense, pace, quam mundo relinquerer. Post Dei crepundia inter Verbi fascias coarctari debuerunt anni initia, neque poterant annorum spatia angustias detrectare; postquam ipsa Verbi æternitas angustari voluit in cunabulis. Natalibus tamen destinatum tempus nova venustat fœcunditas, quæ postquam Deum in carne protulit; purpureas in sanguine rolas producit; datura spinas 6.

in

in Calvario. Tempus Deum excepit in carne, quem tota simul parit æternitas; ne nasci cessaret tot jam sæcula natus. Antiquissimus siquidem genere natus, quia semper claruit, majoribus caruit: ut nos edoceat sine majoribus, solam virtutem, veram posse nobilitatem influere; hanc ut nobis daret fascias orientis anni purpurâ ornavit, quam Verbi effusus cruor imbuit.

7. Belle à non causa pro causa concluditur illud heroicum gestum Virginis Thebanæ, quæ à milite violata; illum dormientem, & se ipsam postea interemit.

Dum gemit ereptum Virgo Thebana pudorem,
Sopitum jugulat vindice morte procum.
Tum sibi læta manus, ipsa se fortior infert,
Gaudet, & amissa virginitate mori.
Vivere non potuit virgo sine flore pudoris.
SPIRITUS EST VITÆ *Virginis ipse pudor,*

De genuflexione hominis, & mulieris; argutè concluditur.

Cum defertur honos, demisso poplite, quare
Unum vir, mulier torquet utrumque genu?
VIR SEMEL; AT MULIER BIS *serva creata videtur*
Paret enim patri Virgo, marita viro:

Vel hoc aliud de prudentia Mulierum;

Cur minor uxorum est, Marium prudentia major?
Eva fuit COSTÆ FILIA *non capitis.*

8. A non causa pro causa, si quæris, cur vita hominis sit brevis, ac diutiùs vivat expressus in statua, quàm vivus in corpore, responderi potest juxta aphorismum, *ars longa, vita brevis*, statuæ enim fiunt arte.

Vita brevis Dominis: Statuis longissima: quare?
ARS *quoniam* LONGA *est, ipsáque* VITA BREVIS.

9. Non causa pro causa meliùs assignari potest investigando, cur Tibris Romam ingressus non rectè fluat;

Cur celeri cursu fluitans per mœnia Romæ
Tibris, non recto tramite signat iter
Flectitur, ut septem colles curvatus adoret:
Flectitur, ut longas nectat in urbe moras.

10. A non causis pro causis, cur mors pingatur potiùs cum falce, quàm gladio, arguitè concludit Poëta

Scis cur mors valido non utitur ense, nec hasta?
Omnis cum fœnum sit caro falce opus est.

11. In senem querulum de senij incommodis, & tarditate pulchrè ab inexpectato, Poëta ait:

Sæpe senex querulo superos clamore lacessis
Quòd tibi dat tardos pigra senecta pedes.
Pœna senectutis non est, sunt munera: scit te
Ad mortem celeri currere nolle pede.

12. Pulvereum, & solare horologium produnt quid sit homo:

Pulvis, & umbra tuæ metitur tempora vitæ
Quid sumus ergo Thrasi? pulvis, & umbra sumus

13. Non decuisse Zachariam Patrem Joannis fuisse mutum; venustè ab æquivoco *vocis* concluditur.

Pande catenatæ laxata repagula linguæ,
VOCIS *enim mutum non decet esse patrem.*

Joannes fuit vox in deserto clamantis, & prædicantis Christum venturum

Quæritur cur Christus Judex erit hædis dicturus nescio vos. 14.

Quid mirum est, hædos non nosci à Judice Christo?
Solas agnoscit, qui fuit AGNUS OVES

D. Magdalena cur fleverit ad pedes Christi argutè à non causa pro causa. 15.

Nix ego sum, imò nihil. Sol est, imò omnia Christus
Ad solem hunc veluti nix liquefacta fluo

De spinea Christi corona pulchrè sumpto acumine à spina cecinit Poëta 16.

De Christi spinis quoties epigrammata scribo;
Illa suum in promptu semper ACUMEN *habent.*

Onus Christi leve esse infertur ab arundine ei à Judæis extradita, qui propterea vel nolentes fatentur, ejus legem non esse gravem 17.

Portat arundineo leve Rex de stipite sceptrum,
Rex nempe imperium non grave noster habet.

In medio virorum levis mulier, egregiè carpitur. 18.

Ambulat in medio mulier pomposa virorum
Virtus jam medium perdidit ergo locum.

In furem præmaturè captum 19.

Cur ait ante meum jubeor pendere magistrum,
Fur primo teneras flore tegente genas?
Nil mirum est, inquit, Lictor, fuit ille peritus
Furandi, nimium tu rudis artis eras

Thais & Laconia ex Martial. *lib. 5. Epigramma. 44.* 20.

Thais, habet nigros, niveos Laconia dentes.
Quæ ratio est? emptos hæc habet, illa suos.

Argentum omne superat argumentum 21.

Qui caret argento, frustra utitur argumento;
Qui dare scit, non qui dicere, Rhetor erit.

Populus est vox æquivoca, significans arborem, & turbam gentium; bellè hac voce æquivocatur in commendationem cinerum Cæsaris Augusti, qui in Mausoleo condici sub umbroso nemore populorum jacebant humati; 22.

Populea positus jacuisti, Auguste sub umbra,
Siccáque frondosum condidit ossa nemus,
Sæpe tibi Zephyris mota cervice supremum,
Insonuit tremulo murmure sylva, vale,
Aut amet, aut metuat POPULUS *tua busta, necessè est,*
Vilis amet POPULUS, POPULUS *alta tremat.*

Diva Cæcilia Nobilis Virgo Romana, inter nuptiarum solemnia vulnerato collo, effusóque cruore, amputato capite pubescentem fidem vivificavit, dum ipsa mortem subivit pro fide, mox ad ejus sepulcrum multæ ardent lampades, si quæris non causam pro causa; 23.

Cur tot Cæciliæ post funera lampades ardent?
Conjunxêre faces. MORS, HYMENÆUS, AMOR.

D. Joan. Baptista Christi prodromus, in Aula Herodis, capite plectitur, argutè à non causa pro causa, *Turpia ne videat, non habet iste caput.* 24.

A non causa pro causa argutè quæritur à Bargioccho; cur Christus ante Passionem sanguine sudaverit? 25.

Sanguineus tepidis sudor fluit undique rivis,
Dum langnet nimio victus amore Deus.
An quia non oculis satis est flevisse gemellis:
Purpureo toto è corpore rore gemit?
An sponse, ut lignum, fælicia balsama sudat;
Quæ jam certa meis sint medicina malis?
An mage, qualis atrox Elephas obsessus ab hoste,
Fortior hoc viso sanguine in arma ruat?

26. Et de S. Hieronymo dum saxo pectus tunderet.

Quid tundis generose senex tua pectora saxo?
Excutere an flammæ semina corde cupis?
Extrahere an tentas rugoso è cortice gemmam?
Nam concha est pectus, gemma cor albatum,
Effodere an speras vena de pectoris aurum,
Quo mercator emas aurea regna poli?
Non ita, si validis exploras ictibus, an sint
Corda adamas, vinci nescia verberibus.

27. Julius Cæsar mare innatans cum suis commentarijs, si quæris, cur non mergatur, sic satyricè à non causa pro causa tibi respondet Scitus Poeta.

Ipse natans sibi securum promittere portum
Audet, uterque mergi nescit, inanis erat.

28. Festivus est etiam lusus ille in Cæsarem multiplici confossum vulnere; non causa pro causa est, quia dicebator plures, & habuisse, & fovisse animos; fas erat, ut cuilibet animo peculiaris pateret janua, è qua exitet è carcere corporis, unde loquitur de spiritu, et de corpore, ac de homine;

Ingentes fovisse animos in pectore Cæsar
Dicitur; & vero consona fama fuit.
Nam quo spiritibus par tantis exitus esset.
Præpandit latas plaga iterata vias.

29. Argota est etiam illa conclusio satyrica in Cæsarem Augustum, cui adhuc pueto Aquila dicitur panem arripuisse, tota argutia à non causa pro causa consistit in argumento à minori ad majus tali pacto; si Juppiter mandat, Aquilam ministram, ut illi panem arripiat; à fortiori si judicat Cæsatem indignum pane: judicat etiam indignum vita, ac Imperio contra illud Matt. *Divisum Imperium cum Jove Cæsar habet.*

Augusto propiùs cælo demissa per auras,
Abripuit Cererem, fida ministra Jovis,
Jupiter indigno mandat vi pabula vitæ
Auferri, dignum quis putet Imperio?

30. Nec minorem amænitatem habet hæc alia Satyrica argutia, à non causa pro causa in eundem Augustum, quo imperante fertur tres soles illuxisse: argutia, seu non causa pro causa est ista; quia Cæsar vitiorum turba Orbem totum obscuraverat; ideo tres illuxerunt soles, quia ad vincendas, ac fugandas hasce tenebras unus Sol non erat satis; fit transitus à caligine morali ad umbras physicas;

Tres pariter visi cæli de vertice soles.
Lustrârunt terram Cæsaris Imperio.
Merserat obscurâ terras caligine Cæsar.
Unus non poterat vincere Sol tenebras.

31. Ab æquivocis etiam argutiæ possunt exoriri sumendo unum significatum pro alio sub eodem nomine, sic nox illa atra Imperatorum Nero qui candorem ne quidem in nomine admisit, & qui parvus ita fuit pravus, ut nihil habuerit candidi præter Sindonem; quia in propriæ matris sanguine manus temeravit, æquivocè pungitur, ac simul absolvitur à tanto scelere.

Te absolvo Nero meritas à ventre reposcis
Pœnas, qui tantùm NOXIA MOSTRA *tulit.*

Ubi monstra noxia dicuntur æquivocè, significat enim vox monstri, & monstrum physicum, hoc est brutum; & morale, scilicet hominem vitiosum.

Lusus in verbis sunt etiam, qui subjiciuntur. D. Antonio Abbati Dæmones apparent sub specie Porcorum. 32.

Sub porci specie Antoni te terruit orcus:
Vix aliquid distans PORCUS, *&* ORCUS *habent*

De Stodio Scholastico 33.

Est STUDIUM STADIUM *frustra hic se nemo fatigat*
Ad celsos apices, proxima SCHALA SCHOLA *est*

Claves stemma Pontificis. Aquila Cæsaris 34.

Pontificis duplex Romani tessera CLAVES:
Duplex Romani tessera Regis AVIS

David Rex 35.

REGIUS EGREGIUS *David Psalmista vocandus*
E Grege nam sumptus regia sceptra tulit.

De triplici corona S. Catharinæ 36.

ÆTERNAM, *&* TERNAM *retulit Catharina Coronam:*
Martyr enim, & virgo, denique docta fuit.

In fidicinem mendacem 37.

Dum promissa negas, dum veris falsa remisces,
Tot tibi cum FIDIBUS *Faustule nulla* FIDES.

In Brusionem virum ignavum pauperem 38.

Littera divitias, quis crederet? abstulit una,
Cum declinat OPUS *Brusio perdit* OPES.

In Aldum Maledicum cantorem 39.

Voce CANIS, *mordésque simul sic duplice sensu*
Verbum unum de te dicitur, Alde CANIS

De Pomo Adami 30.

Grande MALUM *fuit id, quo totus perditur orbis,*
Parvum & si MALUM *forte comedit Adam.*

In quemdam Gallum Musicum absurdum 41.

Ad Galli cantum plorabat Apostolus olim
Dum noster cantat, quin faciamus idem

In Cæsarem à Broto confossum 42.

A Bruto CÆSAR *dum cæderis, esse memento*
Nomen ei Bruti, CÆSARIS *esse tibi*

In pauperem nobilem, & jactabundum 43.

Te patet à FABIIS *simul, &* PISONIBUS *ortum*
Nam tua mensa sapit PISA, *capitque* FABAS

In hypocausta Germanorum 44.

Quod Schola, quod Latiæ nunquam docuere, Palestræ
Id Germanorum sola hypocausta docent,
Quódque est Ausoniis INDECLINABILE *terris*
Illic DECLINAT *gens Alemanna* GELU.
declinat, seu devitat, fugitque.

De vino aquâ mixto 45.

LYMPHATUM *vinum, facit, inquis,* LYMPHA *quid inde*
DESIPIAT *vinum, dummodo tu* SAPIAS.

Ad

46. Ad Clytum fucatum juvenem
Qui faciem minio pingit, plumbóque capillos.
Non est hic verus, sed Clyte pictus homo.

47. Aurum magis gravat si absit, quàm si adsit, quia gravatur inops, cui pecunia deest; quatenus premitur paupertate,
Res mira est, vacuam GRAVIUS *portare crumenam,*
Quàm si tota auro divite plena foret.
Et quamvis soleat præsens GRAVIS *esse moneta:*
Absens crede magis Plancè moneta GRAVAT.

48. Ad S. Lupum Episcopum
O custos præclare ovium LUPE *magne Sacerdos*
Grex Domini per te, quàm bene pastus erat.

49. De Homero scriptore cæco
Si vera est de te, quæ fertur fabula, nunquam
VIDISTI *lucem, sed tua scripta* VIDENT.

50. In Lunæ inconstantiam
Te nautæ appellant undosi, cynthia stellam
Nunc terram potiùs, quàm mare Luna regit.

51. In Lupum nullius pretij prædium dantem *Martial. lib. 11. epist. 14.*
Errâsti, Lupe litera sed unâ,
Nam quo tempore PRÆDIUM *dedisti*
Mallem tu mihi PRANDIUM *dedisses.*

52. Ex crimine nostrum discrimen
Criminis est nemo, nemo discriminis expers,
Quos in discrimen crimina sola vocant

53. Chymicus omnia malè conJumens
Rem decoxit iners Chymicus, dum decoquit aurum:
Et bona DILAPIDAT *omnia pro* LAPIDE.

54. Accipere omnes malunt, quàm dare.
Heu nimium crebro nunc ABLATIVUS *in usu est:*
In pretio rursum, quando DATIVUS *erit?*

55. Argutè etiam jocatur super Neronis necem; hic enim sui tortor se ipsum interemit.
Ipse sui tortor, trajecit viscera ferro,
Nullum nobilius dextra peregit opus.

56. Dioscorus Pater frustra verberibus nititur S. Barbaram Filiam dimovere à sancto desiderio Christo inserviendi.
Proficit à flagris mea natâ, Dioscorus inquit,
Sed plus evincit BARBARA, *quàm* FERIO
Alludit ad Logicales figuras syllogismorum.
Christus à Judæis flagellis cæditur.
ERUBUIT *flagrum Domini cum terga cecidit:*
Ad scelus hoc Lictor non tamen ERUBUIT.

57. Christus à Judæis in faciem colaphis cæditur
In faciem PALMIS *Christus gens improba cædit*
Hanc quis PALMAREM *nequitiam esse neget?*

58. In Bambilium barbâ rasum
DE MENTO *tota est tibi Bambile barba resecta,*
Quis DEMENTATUM *te neget esse modò;*
seu sine mente, & judicio

59. De Barba
Barba ORNAMENTUM *bene dicitur esse virile:*
Ornat enim MENTUM *Barba cuique viro*

60. In Ubaldum Lurconem
Quidnam est LUCRATUS, *quando es* LURCATUS *Ubalde?*
Nil de DIVITIIS, *plurima de* VITIIS

61. Nonnunquam argutia consistit in quadam comparatione; sic Caligula, quia triginta vulneribus à milite trucidatur festivè comparatur cum sue Virgilii;
Triginta tibi cur infregit vulnera miles,
Et plaga ad mortem non fuit una satis?
Noverat esse suem malam, ast dubitabat, an esset
Triginta capitum Virgiliana suis.

62. Festivè igitur fiunt argutiæ transeundo de sensu physico ad moralem, ut liquet ex præcedenti conclusione, quâ Caligula dicitur sus, eo quod involutus in omni vitiorum cœno animal potiùs esset, quàm homo. Potest etiam fieri transitus à sensu morali ad physicum: in sensu morali dicitur in scriptura *Vir, & uxor sunt duo in ita carne una:* at quidam logicus transeundo ad sensum physicum, sic punxit quendam sponsum ignorantem deducendo ex illo superiori hanc illationem: ergo tu, qui eras *Bipes* nunc es *Quadrupes;* hoc est *Brutum*.

63. Per comparationem à contrario Thesaurus Neronem pungit, qui dum ardebat Roma Citharam pulsabat, illum æquiparando cum Amphione à contrario, quia si iste pulsando Lyram, ut Poëtarum fatentur commenta, Thebarum mœnia erexit; hic Citharæ sono Romam destruxit;
Non patriæ Cæsar lachrymis, non igne movetur,
Amittunt vires ignis, & unda suas.
Dum video ambustum patriæ fumare cadaver,
Exequias hilari solvit honore lyræ
Vincere Thebani tentant miracula fabri,
Condidit ille urbem, destruit iste lyra.

64. Lepidè confertur Epigramma cum Ape
Omne Epigramma sit instar apis: sit aculeus illi
Sint sua mella, sit & corporis exigui.

65. Per comparationem à simili idem Thesaurus argutè comparat insanæ Veneris illicia, mundique illecebras cum rosa, quæ perit perseverante spina: perinde voluptas venerea citò transit, sed peccatum diu conscientiam pungit;
Auroræ soboles auræ pulcherrima rore
Pascitur, atque perit cum genitrice rosa.
Spina; sed in longum ridens felicior ævum,
Hæres deciduæ vivit acerba rosæ.
Hoc natura licèt spinam servare nocentem,
Atque hilarem subita plectere morte rosam.
Est Rosa flos Veneris, Venerisque simillima flori,
Quod cruciat longum est, quod placet exiguum.

66. Per comparationem à contrario quoddam amœnum ingenium jocosè comparavit Larium fontem cum Clario; fons enim Larius dicebatur etiam Plinianus à loco Possessoris, quia esset in villa Plinij propè Larium lacum, qui nunc dicitur lacus Novocomi, & villa possidetur à Vicecomitibus, hujus fontis scaturigo de scopulo murmurantibus desultibus prorumpens per illa arva flosculis marginata, ac variè vermiculata sinuosis anfractibus decurrit, per integrum sex horarum spatium, quo elapso usque ad minimum quadrantem, statim cessat; & amplius fons in ipso fonte non reperitur: móxque elapsis aliis senis horis incipit iterum è scopulo ingenti murmure, ac magna aquarum redundantia erumpere per alias sex horas;

& sic successivè senarium horarum numerum modò silentio, modò aquarum strepitu adamussim metitur; quapropter huoc super fontem sculptis Characteribus alius scripsit hoc lemma, alludendo ad vices temporis, *Constantia incoustans:* alij *Gratæ vices:* alij magis argutè *nil præpes perpes*, comparatio est ista

Clarior hac nulla est; nulla est obscurior unda,
Abdita dum refugæ causa latescit aquæ,
Attonitas bebetaut docta hæc miracula mentes,
Et linguam gelido lympha stupore ligat.
Larius heu Clario quàm discrepat Amnis ab Amne?
Ille loqui musas; iste tacere facit.

67. Licèt omnes illæ comparationes dicantur argutiæ: tamen amœniores sunt illæ, quæ fiunt quærendo non causam pro causa; ut facit Martialis in laudatissimo illo Epigrammate de ape mortua in succino.

Et latet, & lucet Phaëtontbide condita gutta:
Ut videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum:
Credibile est, ipsam, sic voluisse mori.

Ubi adducendo non causam pro causa loquitur de ape, ut de homine perfecta ratione prædito.

EXPENSIO VI.

Quotuplex sit Metaphora, ex qua componi possit Argutia Poëtica.

1. INnui superiùs materiam propriam *ex qua* argutiarum, esse Metaphoram, modo operæ pretium duxi enucleare hìc quot, & quid sint istæ Metaphoræ, quæ valent ad argutias conficiendas, de quibus fusè, ac eruditè Thesaurus in suo Telescopio Aristotelico. Metaphora definitur ab Aristotele 3. Rhet. cap. 120. *Translatio nominis alieni, vel à specie ad speciem, vel secundùm aliquid, quod proportione respondeat*: ut superius explicatum fuit.

2. Hæc autem Metaphora veluti genus in octo dividitor species, scilicet in Metaphoram Similitudinis, Attributionis, Æquivoci, Hypothiposis, Hyperbolis, Oppositionis, Laconismi, & Deceptionis. Metaphora similitudinis, quæ inter cæteras principem occupat locum, *Est translatio nominis de una specie ad aliam sub eodem genere*; do exemplum: calamus Angelici Doctoris fuit oblongus, sunt consideranda ea omnia, quæ sunt oblonga in rerum natura, & debemus transferre nomen de una specie ad aliam, & dicere; Angelici Doctoris *calamum* fuisse perspicuum argentei aratri *vomerem*, quo hic Bos Mutus Ecclesiæ campum bene coluit; sic potes tu dicere fuisse Apellis PENICILLUM, quo non insanam Venerem, sed Theologicam veritatem in papyro pinxit: formidandum *cometam*, quo excidium hæresi præsagivit; Armonicam *Tubam*, quæ suaviter fidei orthodoxæ genethliacon cecinit; *Clavum* Ecclesiasticæ navis; *Virgam* Aaronis in flores elegantiæ, ac fructus scientiarum simul erumpentem. Sic alii sumendo unam speciem rotunditatis pro alia vocaverunt, *pateram*, seu *craterem* CLYPEUM Bacchi, quia tam *crater*, quàm *clypeus* conveniunt in *rotunditate:* alij etiam *vinum* dixerunt SANGUINEM Bacchi, quia conveniunt in colore, & fluxibilitate.

Seconda Metaphora dicitur Attributionis, 3.
& est translatio nominis à specie ad genus: vel à genere ad speciem: Homerus, ut diceret *Multa beneficia Ulysses contulit Græcis*, sumpsit speciem pro genere, & dixit; *Decem millia beneficiorum contulit Ulysses*: ubi vides, quod *multum* est genus; & *quinquaginta, centum, mille, decem millia*, sunt species. Horatius ut explicaret non convenire simul *vinum, & ferrum* sumpsit unam speciem armorum pro genere, & dixit *Quantum discrepat vino Medus* ACINACIS; è converso aliquando ponitur genus pro specie; ut si dicas, ENSES *in bello feriunt* accipe genus, vel materiam, & dic; *nudatum* FERRUM, *in bello sanguinem sitit, artúsque militum disrumpit*, Virgilius ut exprimeret equum Troianum, qui erat bellica machina; sumpsit machinam in genere, & dixit *scandit fatalis* MACHINA *muros.* Hæc metaphora etiā sumit partem pro toto, vel totū, pro parte, vel effectum pro causa, vel signum pro re signata, ut est illud *cedant arma* TOGÆ; vel illud aliud Plinij irridentis timidum Domitianum. *Timidè navigantem Romanæ* AQUILÆ *spectabant*, ubi sumuntur AQUILÆ pro Romano exercitu.

Tertia species dicitur æquivocatio: æqui- 4.
voca definiuntur à Logicis, quòd sint *illa, quorum nomina sint idem, rationes verò significatæ per nomen diversæ*, ut hæc vox *Canis* significans *sydus cæleste, & animal terrestre, & piscem in mari*, sic per æquivocum de Saturno proprios vorante filios dicitur, EDIT *quos* EDIT, vel illud aliud in Eunucum militem TELA *te decet, non* TELA: aliquando æquivocatio fit inter rem moralem, & physicam: Christus moraliter dicitur *Agnus*, & æquivocando cum significato physico de Christo nato in præsepe potest dici;

Plaudite Pastores, vestra est hæc gloria, Christus
In stabulis nasci debuit, AGNUS *erat*

Nonnunquam æquivocatio sita est in ad- 5.
ditione alicujus litteræ, ut est illud in Judicem ignarum, qui tristabatur, eò quia populus eum honoribus non prosequeretur, *Quando regnat* ONOS, *deperit omnis* HONOS; *Onos* sine aspiratione significat Asinum, cum aspiratione Honorem; aliquando æquivocatio sistit in mutatione litteræ, ut est illud lemma thuris ardentis FRAGRAT, *dum* FLAGRAT: aliquando consistit in variatione literarum, *ut nil præpes, perpes* Vel in detractione alicujus syllabæ initialis: quo pacto JUVENTUS dicitur VENTUS, quia flando perit.

Quarta Metaphora est Hypothiposis, & 6.
definitur ab Arist. 3. Rhet. cap. 10. *Est ea, quæ præ oculis rem ponit, quasi agatur:* unde hæc metaphora tota sistit in expressione rei, quæ taliter repræsentatur, ut videatur geri sub oculis; & quia actiones sunt illæ, quæ vivificant res, ideo magis arguta erunt illa nomina, quæ

expri-

exprimunt aliquam actionem, vel motum, ut est illud Ovidij, BELLA GERUNT *venti, fretáque indignantia* MISCENT; ubi bella gerere, quod est proprium hominum per hypothiposim dicitur de ventis, & Virgilius ait, *Pontem* INDIGNATUS *Araxes;* indignatio est motus animi, & applicatur rei inanimatæ.

7. Quinta species est Hyperbole, quæ latinè superlatio dicitur, quia est *Augendi, minuendive causa:* cujus Metaphoræ Cic. 3. lib. n. 101. duas assignat species, unam ad augendum quæsitam, alteram ad minuendum excogitatam. Hyperbole augens, est illa Virgilij. *Saxa* FREMUNT, VOLAT *atri turbinis instar exitium dirum hasta ferens;* sic de Xerxe dictum fuit, *Vir* MONTIS *instar*, & Virgilius, ut exprimeret altum equum per Hyperbolem, dixit, *instar* MONTIS *equum;* & apud Claudianum habetur, *Et telis* UMBRASSE *diem.* Hyperbole diminuens est fons, à quo dimanant omnia dimiuutiva, ut quando dicitur *Animula, Blandula, Pallidula.*

8. Sexta Metaphora dicitur Laconismus, cùm paucis verbis prolixum sensum explicamus, ut lepidè de Domitiano captante muscas, dicimus *Hostibus fuisse muscam, muscis hostem,* ubi laconicè explicatur, & mollities animi, & pusillanimitas in re militari. Adagia sunt etiam metaphoræ laconismi, quia plus videntur significare, quam dicere, ut est illud *Honores mutant mores* intelligendo, quòd homines in dignitatibus constituti facile superbiant, ac beneficiorum obliviscantur.

9. Septima Metaphora est oppositio, in qua ponuntur duo contraria simul, quæ habent vim arguitæ, ac enthymematis, ut ait Aristoteles 2. Rher. cap. 29. *Quod per opposita dictum est, videtur enthymema,* pulchriora sunt tamen illa opposita, in quibus eadem vox videtur bis reperi, ut est illud *Non oportet* PEREGRINUM *semper esse* PEREGRINUM, ubi vox *peregrinum* in primo loco significat vagantem extra patriam; in secundo loco ignorantem; in qua oppositione etiam latet æquivocatio: huic arguitæ similis est hæc alia in fucatam fœminam: RUBESCIT *non* ERUBESCIT; nec minorem habet amænitatem etiam illud comma Aristotelis 3 Rhet. cap. 11. *Dignum est* MORI, *antequam sit dignus* MORI: hoc est digna res est mori innocens, non nocens: aliquando oppositio etiam fit, cùm demitur, aut mutatur aliqua littera, *ut* AMANS *est* AMENS, MENS AMENA; MUSA AMUSA, hoc est inelegans.

10. Octava metaphora est deceptio, metaphora perquam amæna, ac fœcunda arguriarum mater, & definitur ab Aristotele 3. Rhet. cap. 11. quæ *sit sententia desinens præter opinionem:* ait enim: *quia nova placent, ideo sententiæ, quæ desinunt præter opinionem delectant,* ut est illud cujusdam senis, *spero tibi eventurum hoc anno maximam messem* MALI, ubi tu expectabas maximam messem *Annonæ.* Istæ metaphoræ sunt materia, ex qua conficiuntur omnes argutiæ, & unicum subjectum potest variari per omnes has metaphoras. Si sumantur varianda sydera; per metaphoram similitudinis illa potes vocare *Succensas* FACES, *apertos cælorum* OCULOS, *quibus nocturno tempore Cælum ipsum fit Argus. Cælestis viridarij* FLORES. *Purpureas* ROSAS. *Cælestis Thesauri* CARBUNCULOS *lucentes* &c. Per metaphoram attributionis sumere partem pro toto, scilicet unam stellam pro cæteris, & dic *cedant cælesti* VENERI *terræ pulchritudines: hæc enim propè solem lucet, licet in eclipsi; & Mercurium secum trahit quasi ipsius venustate capsum.* Per Metaphoram æquivoci. *Et habent belligerum suum* MARTEM *sydera, quo hostes debellant.* Per Metaphoram Hypothiposis, dic: *adhuc pallido vultu, fractisque oculis* ILLACHRYMANTUR *sydera sepulto soli in occasûs sarcophago,* LUGENT *inquam squalidæ stellæ extinctum suum Principem.* Per Hyperbolem. *lucentia sydera lachrymarum roscidas pluvias videntur diffundere, ut defuncto parentent soli.* Per Metaphoram laconismi, *salvete cælestis veneris* AMASIJ: quæ verba in prolixiore sermone sonant: valete Mars, & Mercurius, qui vestigia stellæ Veneris sequimini &c. Per Metaphoram oppositionis, *Non* ARDENT, *neque comburunt cælestes ignes, è quibus etiam roris imbres dimanant.* Per metaphoram deceptionis, *Verè belliger es, Martis insignia geris, at scire cupitis, quales strages, qualem effusum cruorem, qualem extinctorum cadaverum struem confecit? Mars est cælestis, scilicet* INERMIS.

EXPENSIO VII.

Quomodo inveniendum sit altum genus per decem Aristotelis prædicamenta.

QUodlibet individuum creatum necessariò debet reperiri in aliqua specie entis, 1.
atque adeò militare sub peculari genere, & est: *Id quod dicitur de pluribus differentibus specie, ut albedo* quæ dicitur de *lacte, lilio, nive.* Animalitas quæ dicitur de *Homine, cane, leone,* quæ omnia differunt specie: ut igitur latissimus pateat ad conficiendas metaphoras campus considerandæ sunt qualitates subjecti, ut sunt colores, ac cæteræ qualitates sensibiles, ut in *lilio* esset albedo. In *rosa* color ruber, deinde inveniendum est genus lilij albi, quod esset *albedo* in abstracto, quia hæc prædicatur de nive, lilio, lacte &c. quæ sunt in diversa specie sub eodem genere *albedinis* invento alio genere sunt consideranda in rerum natura in cælo, terra, elementis, arboribus, lapillis, ea omnia, quæ sunt alba, deinde sumenda est una species pro alia: sic *lilia* dicuntur *animatæ* NIVES *hortorum:* nives frigida LILIA *montium:* canities dicitur frigida NIX *senectutis;* è converso *nix veneranda* CANITIES *montium, ac hyemis, vel senescentis anni:* ubi tu vides, hæc omnia esse alba, & militare sub genere albedinis; & quando dicitur *canities* NIX *senectutis,* duntaxat sumi unam speciem pro alia sub eodem genere albedinis.

Do aliud exemplum. si vis conficere me- 2.
taphoras in vernantes *rosas* primò considera colorem purpureum eiusdem rosæ; deinde sume rubedinem in abstracto, modò sub hoc genere rubedinis considera ea omnia, quæ sunt

rubra

rubra in rerum natura, ut sunt *Aurum, flamma, ignis, purpuræ, sanguis, prunæ accensæ; sydera, solis radij* &c. hæc omnia sunt idem cum rubedine, & quia quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, dic de una specie sub hoc genere, quod diceres de alia; scilicet sume unam speciem pro alia; sit quia *stellæ, & rosæ* sunt idem cum colore rubro, potes vocare *stellas* ROSAS *cœli*, sicuti *rosas* SYDERA *terræ*, sic etiam potes vocare *rosam purpureo indutam paludamento*, & est simplex metaphora, cui si adderes non causam pro causa, fieret argutia tali pacto, *Rosa ideo purpuram induit, ut se florum reginam ostendat*: vel si adderes metaphoram Hypothiposis, diceres: *Rosam purpuram induere, quia cognoscit, purpuram decere florum reginam*: dicimus; *Rosæ purpuram in hortis micare*.

3. Ne dum in prædicamento QUALITATIS potes altum genus invenire, sed etiam in quolibet alio prædicamento, seu categoria: sub prædicamento Substantiæ considerandum est, an substantia sit solida, vel fluida: si vis metaphoras invenire, quæ congruant *lacbrymis*: quia hæ sunt substantia fluida, accipe altum genus, scilicet *substantiam fluidam*; deinde considera omnes substantias fluidas, ut sunt *Ros, lac, sanguis, pluvia, fluvius, latices, flumen, unda, fons, mare*, sic potes dicere lachrymas pœnitentis cœlestem ROREM, è converso, rorem potes vocare *Syderum* LACHRYMAS, *quibus defuncto parentant soli*.

4. In prædicamento quantitatis consideratur subjectum, si est *exile, grande, longum, breve, sphæricum*: à quantitate figuræ dixi superiùs *Craterem*, CLYPEUM *Bacchi*, quia conveniunt simul in rotunditate, ac figura; insuper à quantitate numerica considerandi sunt numeri, ut tria, quatuor, & sunt consideranda ea omnia, quæ conveniunt in tali numero, ut sunt *tres gratiæ, quatuor elementa, quatuor partes mundi* sub alto genere multitudinis considerantur ea omnia, quæ plura comprehendunt, ut *gens, cohors, exercitus, agmina, examen, populus, grex*; sic aves dicuntur *gentes ætheris incolæ*; pisces *cohortes natantes, aquatiles, greges squammigeri, agmina muta natantium*; pecudum greges dicuntur, *quadrupedum exercitus, populi camporum*.

5. In quantitate morali, seu æstimationis, si sit *pretiosum, si vile*, in quantitate ponderis *si grave, vel leve*, sub categoria *QUALITATIS* sunt considerandæ qualitates subjecti, nempe *si sit visibile, si invisibile, si pulchrum, deforme, si perspicuum, obscurum, candidum, purpureum, violaceum, viride*. Sub qualitate auditûs si sonus *sit gratus*, an *ingratus*: sub *qualitate* odoratûs *si suave, si fœtidum*, sub qualitate gustûs si *dulce, si amarum*; sub qualitate tactûs, *si calidum, frigidum, rarefactum, condensatum, siccum, humidum*; sub qualitate figurali si *rectum, obliquum, sphæricum, quadratum, triangulare*: sub qualitate naturali, si *sanum, ægrotum, amabile, lætum*; sub qualitate morali, si *virtuosum, vitiosum*.

6. Sub categoria, *Relationis* ad quod referatur subjectum, ad quam causam, *efficientem, materialem, formalem, finalem*: si subjectum sit homo, ad quos *parentes, consanguineos, societates, amicos referatur*.

Sub categoria Actionis, & Passionis 7.
An subjectum sit *potens*, an *impotens, utile*, an *damnum afferat*: sub actionibus naturalibus, quid producat per potentiam *intellectivam, volitivam, nutritivam*; ab actionibus politicis, an subjectum *regnet, judicet, pugnet*.

Sub categoria SITUS, an subjectum *se-* 8.
deat, an stet, an sit rectum, vel obliquum, vel supinum.

Subcategoria Temporis, an sit *durabile, an* 9.
momentaneum, an in principio, an in fine.

Sub categoria LOCI, an sit *capax, in-* 10.
capax, plenum, vacuum. Sub cathegoria MOTUS, an moveatur *velociter, lentè, rectè, obliquè*.

Sub categoria HABITUS, an sit *dives, an* 11.
pauper, quæ ornamenta, quæ insignia habeat.

Vides nunc quam copiosa sit hæc aurifo 12.
dina à categoriis; vides quot modis possit aliquod subjectum considerari, & quomodo in unoquoque ex ijsdem prædicamentis innumeræ possint inveniri metaphoræ invento priùs alto genere, ut supra dixi, sub quo est facienda translatio de una specie ad aliam, ut quando dico *nives* CANITIEM *anni* sub alto genere albedinis.

Ut igitur inveniam metaphoras in perni- 13.
ciosa Veneris illicia, possum considerare veneream voluptatem sub unaquaque ex prædictis categoriis. Sub categoria qualitatis, quia voluptas venerea est res mala, ac vitiosa, sub alto genere *mali* facta translatione de una specie ad aliam possum illam vocare: *Pestem animæ, venenum, febrim, vulnus, bellum, naufragium, morbum, mortem, infernum, spinam, gladium, ensem, acinacem*, & omnia, quæ in rerum natura sunt mala, vel possunt damnum inferre: si considero veneream voluptatem sub categoria temporis, eo quia citò transeat, & sit momentanea sumenda est *celeritas*, quæ est altum genus sub quo debeo considerare ea omnia, quæ citò moventur, ut sunt *Aquila, fulmen, flumen, sagitta, ignem globus è bellico tormento explosus, lux, quæ momento temporis è cælo ad terras transfertur; cœlestis genius, qui brevissimâ temporis morulâ totum metitur orbem, rosa, quæ citò evanescit, flamma in suam sphæram tendens, cui etiam alæ sunt ponderi*, possum igitur asserere Venereā voluptatem esse *rosam*, quæ citò evanescit, & solùm dumis suis diù pungere conscientiam; esse *aquilam* citò transeuntem; *sagittam*, quæ ictu oculi, & transit, & ferit. De hisce categorijs per decem prædicamenta eruditè disserit Thesaurus in suo thelescopio Aristotelico, ipsum consule.

Hæc est illa aurifodina, quô non terræ, 14.
non montium fossores, sed eloquentiæ cultores ditescunt; nec opus est longa suscipiant itinera, oceanum trajiciant, procellas decumanis fluctibus sævientes timeant, nec ut mittantur in Ophir terram auream, nec in Æthiopiam matrem auri fœcundissimam, nec in Iberiam metallorum feracissimam, sed tantum sufficit, si in proprio se Musæo recipiant, ma-

bus

fibos non ligonem, sed calamum ingerant; & hos pellucidos fontes intellectu pervagentur, lustrent mente, uniones inde hauriens omni pretiosiores thesauro, omni præferendos auro, quia ut scitè Cassiodorus; *Aurum per bella quærere, nefas est; per maria, periculum; per falsitates opprobrium; in sua verò natura invenire:* siquidem Metallarii sine furto divitias rapiunt; opratis thesauris citra invidiam perfruuntur; & soli sunt ex hominibus, qui absque ulla nundinatione pretia emancipantur. Scio plures recensitas olim fuisse aurifodinas, in quibus homines fertei aurum venari satagebant. Est qui in una Hispania quingentas aliquando aurifodinas enumeratas testetur. Ad unicam Carthaginem novam referr Polybius, quadraginta millia hominum assiduè in opere metallico insudâsse; adeout hæc ipsa Carthago referente eodem Polybio in singulos anni dies Romanis enumeraverit viginti quinque millia Drachmarum, ut etiam Asturia, Gallæcia, Lusitania populo Romano vicena millia pondo auri in tributum pensitârunt. Quòd si in unam pecuniæ summam contrahamus, quod Romani è fodinis Hispanicis in annos singulos eruere consueverunt, reperiemus talenta argenti Attica septem millia, centum, & duodecim; quinimò ex divinis litteris constat Salomonis classem ea Ophir attulisse auri talenta quadraginta, & etiam quinquaginta præter gemmas, argentum, & alias merces pretiosissimas. Præterea, quot in Gallis, Norcio, Salassis, Pannonia, Thracia, Macedonia aurifodinæ obtulerint opes fodientibus. Sed nostra hae ab aurifodina longè pretiosiores eloquentiæ cultores eruunt divitias, quibus orationes ditescunt; ac gemmas, quibus pretiosè ornantur. Non me latet, aurifodinas pluribus inopiam peperisse, & alijs fuisse exitio, dum illi curis aliis omnibus neglectis, solis eruendis aurifodinis operam impenderunt, plus inde eruentes damni, quàm lucri; illi verò congestis abutentes divitijs vitiis indulserunt ad extremam perniciem. Plura etiam hominum millia ob auri inexplebilem famam cœlo, & sole relicto in tenebris vitam transigere, miserè elegerunt: & plerumque cæco, & noxio vapore ante tempus consumpti homines non auri nitores; sed præmaturæ mortis invenerunt tenebras, adeo ut vivi terra mersi infeliciùs, ac breviùs vixerint. Secus è nostra aurifodina nil timendum damni; sed plurimum sperandum lucri; aurum exhibent, & gemmas, eò pretiosiores, quò animo, non corpori sunt ornatui.

EXPENSIO VIII.

De Metaphora SIMILITUDINIS sub unaquaque Categoria.

Dilucidato modo inveniendi altum genus, ac considerandi subjectum sub unaquaque ex prædictis categoriis, remanent nunc enucleandæ Aristotelis octo metaphoræ sub unoquoque prædicamento, & primum dicam de metaphora similitudinis, quæ ea Arist. *3. Rhet. cap. 10.* est *Translatio nominis à specie ad speciem, secundùm aliquod, quod proportione respondeat:* Hæc metaphora potest vagari per omnia prædicamenta, ut docet Thesaurus in suo Thelescopio Aristotelico; & hac metaphora utuntur gravissimi authores sumendo genus univocum, vel analogum, accipiendo postea sub illis generibus, unam speciem pro alia: Virgilius sumit unum ventum pro alio, dicens, *Dare classibus* AUSTROS; *pro dare classibus* AQUILONES, & apud eundem mons Ætna dicitur *sicula* FORNAX. Ovidius etiam vocavit *saxa terræ* OSSA; & humorem plantarum *viridem* SANGUINEM *herbarum:* Lucretius sub alto genere *humoris* sumit unum humorem, seu unum liquorem pro alio, & vocat *Pluvias* LACHRYMAS: *uberibus* FLENT *omnia guttis:* si sermo sit de lachrymis, possunt commendari lachrymæ, quas elicit culparum dolor; à prædicamento substantiæ, *lachrymæ* quia sunt substantiæ aqueæ, altum genus erit *substantia fluida,* unde sumenda sunt ea omnia, quæ fluunt in rerum natura, ut sunt *lac, balsamum, vinum, sanguis, pluvia, ros, torrens, flumen, fons, mare,* & sic possum dicere, quòd *lachrymæ, quas elicit culparum dolor sint purissimum* LAC, *quo reviviscit, enutritur, & corroboratur emortua anima.* OPOBALSAMUM, *quo curantur animæ vulnera, seu peccata.* VINUM, *quod lætificat animam.* PLUVIA, *animæ sterilitatem fœcundans.* TORRENS, *omnes animæ spurcitias expurgans.* FLUMEN *in quo lavantur animæ maculæ.* SIZICCI FONS, *impuras animæ flammas extinguens.* OLEUM, *quo Christi Athletæ liniuntur ad victoriam.* MARE, *in quo felix patiuntur naufragium animæ scelera.* AQUARUM CATHACLYSMUS *mundum immundum culparum delens, ac submergens.* GLUTINUM, *quo anima Deo jungitur.* *Sub genere analogo.* MARGARITUM, *quo thesauros suos commutat cum terra cœlum.* JUSTITIÆ SEMEN *in meritorum fructus germinans.* MOLLE TELUM *quo dæmon sauciatur, vulneratur.* TACITARUM AQUARUM VELLERA, *seu* NIVES *quibus anima innocentiæ candorem induit.* CONCRETUM PIGRO FRIGORE GELU, *quo candicat pœnitentiæ candidatus.*

Insuper ab Historiis, ac fabulis possum invenire omnes fontes præclariores, ac dicere. 2 Non ita spectatorum oculis arridebant Tullianæ villulæ è fonte stillantes latices, sicut *lachrymæ* emotriæ animæ: non ita Sizicci fons impudicos Veneris ignes refrigerabat; sicuti *lachrymæ* peccandi libidinem: non ita Dodonæo in fonte accensæ faces extinguebantur, & extinctæ accendebantur; ut hisce in lachrymis

H chrymis

chrymis profani amoris tædæ extinguntur, divini accenduntur: non ita in Sicilia Aristotele teste quodam in latice immersæ, ac præfocatæ aves reviviscebant, ut lachrymarum in onda moraliter emortua anima phœnicis ad instar reviviscit: non ita in Sardinia emanant duro de saxo aquæ venenato angui lethiferæ, ut lachrymæ dæmoni; si Aretusa undarum inter amaritudines dulcedinem servat; lachrymarum rivuli peccati amaritudines expellentes dulcedinem pariunt: si salutare balneum corporis curat languores; etiam lachrymæ animam sanant; ò verè prodigiales lachrymæ, quæ sine voce loquuntur, sine lingua perorant, cadendo resurgunt, sine pudore rogant, sine precibus impetrant.

Claudius Imperator esu fungorum mortuus carpitur per metaphoram similitudinis in prædicamento substantiæ.

Debuit ex Fungis defuncti *Claudius, omni*
Qui fuit in vita nonnisi Fungus *iners*

De Virgine sub cruce lachrymosa piè pius poëta.

Pallet, & in lacrymas nata expirante liquescit
Mater, nunc si unquam Pallida Luna Pluit

3. A substantia jocatur Poëta in Neronem, ad quem D. Paulus vinctus catenis ducebatur; qui ante conversionem dicebatur lupus rapiens.

Hisce catenatus Paulus stetit ante Neronem;
Non erat ille Lupus, *sed fuit iste* Leo

4. Interdum æquiparatur unum individuum aliis intra eamdem speciem, ut cum vir doctus, & probus dicitur esse Augustinus

Augustinus erat calamo, & Chrysostomus alter,
Tullius ore, Cato moribus, Arte Thomas

5. Mulierum capilli à substantia, & per metaphoram similitodinis dicuntur retia; unde de sancta Symphorosa, quæ capillis suspensa martyrium subivit, dici potest, Sparsos capillos hujus Amazonis fuisse retia, quibus cœlum expiscata fuit.

6. A prædicamento Substantiæ cecinit Poëta Italus de Christo columnæ alligato;

Di marmo è la colonna
Di marmo son gli empij ministri, e rei,
E tu stesso signor, di marmo sei
Marmo ella per natura
Marmo quei per durezza
Marmo tu per costanza, e per fortezza
Io che di pena si spietata, e dura
Spettator ne rimango
Marmo son, se non piango.

Latinè interprete Moraschino ita sonant

Marmorea est, quâ tu religaris, Christe columna
Marmoreus qui te Lictor uterque ligat.
Marmorei funes, solido de marmore flagra
Horrida; marmoreum te quoque facit amor.
Ipse ego, ni lachrymans isthæc spectacula cernam
Durius heu! duro marmore marmor ero.

6. De Cicindela, seu noctiluca, seu nitedula estque genus muscarum, quod noctu lucet ignium modo pennatum hiatu, per metaphoram similitudinis à prædicamento substantiæ sub alto genere corporis fulgidi concinnè cecinit alius

Lucciole mie, che d' or la groppa havete,
Lanternini animali
Vive candele, e moccoli incarnati.

Id est noctilucæ aureos deferunt humeros, sintque in campis viventes laternulæ, candelæ volitantes, & lychni carnei; quæ omnia noctu splendent.

De fucatis mulieribus à substantia per metaphoram similitudinis 8.

Quæ pictas geritis facies, vos jure potestis
Dicere cum Flacco Pulvis, *&* Umbra *sumus.*

Quia pictora constat ex coloribus, & umbris; & colores sunt pulvis. A substantia corpus bellè comparatur cum terra; 9.

Telluris lapides sunt Ossa, *metallaque* Nervi
Pellis *crusta*, Pili *gramina* Sanguis *aqua*

De S Catharina Senensi eligente spineam coronam. 10.

Non mirum est, spinas, quod ames, Catharina severa:
Nam Rosa *sub spinis optima quæque latet.*

Ab hoc prædicamento Philomela dicitur Nemorum *siren-plumea.* Pisces vocantur *greges squammigeri, populus natantûm, agmina muta natantûm, genus æquoreum, gentes flucticolæ,* Laurus *arbor Phœbæa, Apollinea.* Flores *sydera terrestria.* Lapides *telluris ossa*, sidera *vigiles nocturni* cœli oculi: Sol mundi jugiter accensa lampas. 11.

In prædicamento Quantitatis amœniores inveniuntur metaphoræ similitudinis, quia magis cadunt sub nostros sensus accidentia, quàm substantiæ; ideo metaphora similitudinis in prædicamento accidentium majorem habet vim. In prædicamento igitur quantitatis sumenda est una quantitas pro alia; quæ tamen ambæ conveniant in similitudine, & sint sub eodem alto genere: quantitas pluribus modis subjectum respicit, nempe si sit *parvum, grande, longum, breve, grave, leve, pretiosum, vile,* unde per hanc metaphoram dicimus *animum* Altum, *voluptates* Breves, *curas* Leves, *negotia* Gravia, *ingenium* Acutum, *hominem* Quadratum. Sed sumendo speciem pro specie in prædicamento quantitatis, primò inveniendum erit altum genus; sub quo conveniant in similitudine plures species quantitatis; do exemplum, volo commendare Angelici Doctoris calamum, necesse est considerem figuram, & formam calami longi, deinde sumo *longitudinem* in genere, & considero ea omnia, quæ sunt oblonga, & dico, *Angelici Doctoris calamum Mercurij Caducei umbram fecisse, sapientior nàmque extitit ipso Mercurio sapientiæ Numine: imò hic calamus Herculea fuit clava, Lernæam Idram hoc est hæresim in nova semper capita repullulantem profligavit. Achillis fuit hasta, quia sine vulnere sanavit: Aaronica virgula, quæ simul politioris eloquentiæ flores; ac fructus sanioris doctrinæ producebat. Vibratum sua*

fuit fulmen non è Jovis arcu, sed è virtutis robore, quo vitiorum monstra profligavit. Divini amoris fuit sagitta, quâ ad sanitatem, ac meliorem vitam vulnerabantur obduratæ impiorum mentes. Ingeniosissima fuit acus, qua Divi Petri pluribus in partibus discissum rete restauravit. Divini solis fuit radius, quo ab Ethnicorum mentibus errorum tenebras expulit; Argentea fistula. Harmonicus tubus, ac animata tuba ad hostium terrorem. Crinitus cometa ultimum excidium impietati præsagiens, Apelleus penicillus, qui veram sapientiæ imaginem delineavit, pinxit. Flammeus ensis terrestris Paradisi, Ecclesiam enim custodivit. Noeticæ columbulæ olivæ ramus, quo dissidentem composuit Orbem. Imò Aquilæ calamus, qui reliquas avium pennas, hoc est scriptorum sui temporis, in tabem redegit. Melioris Promethei facula, quâ gelidissima inflammavit ad virtutes corda. Ariadnæum filum, quo ab errorum labyrintho plures liberavit Theseos. Errantis Horologij non errans indiculus, vera æternitatis tempora indicans. Renascentis Phœnicis calamus, quo morte immortalitatem sibi comparavit. Impiorum omnium malleus. Melioris Tarquinij virgula, qua si non papaverum, Protervorum capita, ac mentes profligavit. Aurea clavis Davidica, qua scientiarum fores nobis adaperuit. Alexandri ensis, quo si non Gordium nodum, omnes tamen Theologicas difficultates solvit.

13. A quantitate alluditur ad illud Sapientis dictum stultorum infinitus est numerus; adest Mediolani Xenodochium stultorum.

Si fatui claustris omnes claudantur in istis,
Non erit in tota plenior urbe locus.

14. A similitudine figuræ in prædicamento quantitatis, oculi sicut dicuntur sydera frontis, sic sydera cœli possunt dici Cœlorum oculi;

Sit nox centoculo, quamvis oculatior Argo,
Plus uno cernit lumine lusca dies.

15. Si velles commendare maximum magni Macedonis animum, eò quia in parvo extiterit corpore, deberes considerare ea omnia, quæ fuerunt pretiosa, & simul continebantur in parvo loco, & ea comparare cum parvi Alexandri grandi animo. In Pyrrhi Regis Achate Parnassus erat totus. Caroli V. in annulo Horologij rotati machinamentum totum. In Opalo exiguæ molis gemmula carbunculi flammescit tenuis ignis, smaragdi lucescit viror, Chrystalli clarescit pretiosissimum gelu: habes etiam Justiniani Imperatoris mensam in Templo Divæ Sophiæ, in qua omnia lapillorum genera, metallorum species, lignorum diversitates mirabili artificio continebantur. Habes eburneam formiculam Polichratis. Quadrigam Myrmecidis, Plinij arborem omni fructuum genere fœcundam, Archimedis sphæram, tabulas Geographicas.

16. In prædicamento QUALITATIS latissimum Argutiarum etiam campum aperit metaphora similitudinis, eò quia qualitas multiplex est, ut sunt colores omnes, qui cadunt sub sensus, virtutes, & vitia animi, & sunt qualitates morales: inter qualitates sensibiles dixi supra, posse sumi unam speciem pro alia; sic dicuntur ARGENTEI *crines seu cani: senectutis* NIVES, *montium* CANITIES, quia hæc omnia conveniunt in eadem qualitate coloris, ut clare patet, & non solùm hæc translatio fit de objectis coloratis; verùm de cæteris virtutum qualitatibus, quæ cadunt sub alios sensus, ex odore dicitur *virtutum* FRAGRANTIA, *vitiorum* FÆTOR. A gustu AMARA *sors*, ACERBA *mors*, DULCIS *recordatio*. A tactu PALPABILIS *error*, MOLLE *ingenium*, ADAMANTINUM, SAXEUM *cor*, FRIGIDUS *sermo*.

Per hanc metaphoram similitudinis in prædicamento qualitatis si vis laudare suavitatem virtutis, eò quòd *concentu virtutis nihil sit suavius:* sub alto genere concentûs, vel musicæ sumes omnia harmonica tam in fabulis, quàm in historijs. Ex sacro codice musicæ Author Tubal habetur; ex vatibus cognoscimus Amphionem, & Orpheum, sic musicam docuisse amor dicitur; Nero, quia pulsabat cytharam, dum urbs tota flagrabat incendio, in morte ejusdem Neronis vices reddens populus etiam risit; ut festivè lusit Poëta. 17.

Reddit jurè vices, festis tibi læta parentans
Vocibus urbs, etiam te moriente canit.

Alcibiades musicam dedignabatur, eò quòd Apollo, & Minerva nunquam didicissent, vel fistulas inflare, vel lyram percutere. Philippus Macedonum Rex Alexandrum filium arguebat, eò quia cytharam ea manu, qua sceptrum gerebat, pulsaret, inquiens, *Non erubescis tam bene nugari.* Sibaritæ musicæ ita fuerunt dediti, ut vel equos ipsos hanc edocerent artem; quarè in bello fuerunt debellati, non arcu bellico, sed musico. Hercules, & Achilles, ut patet ex Homero relaxare animum à curis consueverant musica cheli. Cedant virtutis suavitati, ac concentui, cœlestes illi concentus, quos audire putabat Pythagoras; cedant cygni, Philomelæ, Ariones, Amphiones, Orphei, Sirenulæ: deinde omnia hæc, vel comparabis cum virtute, vel confutabis. 18.

A qualitate sanguinis guttæ, quas in circumcisione effuderat puellus JESUS dicuntur *rosæ*, quia sanguis, & rosæ conveniunt in colore. 19.

Cæditur, & pueri tellus madefacta cruore,
Vernat purpureis undique picta ROSIS.

Rubicunda D. Catharinæ Senensis vulnera à Bargiocchio dicuntur etiam rosæ, & sydera: sumendo unam speciem pro alia sub eodem genere: rubicunda vulnera, rosæ, & sydera conveniunt in qualitate, seu colore rubro. 20.

Sunt Cælum, Catharina, micans, molle ROSETUM
Hæc tua, quæ roseo vulnere membra nitent.
Scilicet hinc stellas radiantia vulnera vincunt,
Hinc eadem superant sanguine tincta ROSAS:
Ast ego te Cælum dicam simul atque ROSETUM;
Nam nimis hæc pariter te retulisse juvat.
Est amor atque Deus, tua qui connubia poscit,
Vult DEUS hoc CÆLUM, *vult amor hasce* ROSAS.

A qualitate duritiei, de muliere pulchrè dicitur. 21.

Dicta fuit mulier, quasi MOLLIOR, *est tamen* EVA,
Non de carne sui sumpta, sed OSSE *viri*

A levitate de eo, cui barba creverat, cùm calvitie laboraret argutè Martialis.

Barba tibi crevit ceciderunt Marce capilli.
Inde tibi GRAVIS *est barba, capútque* LEVE

23. In prædicamento RELATIONIS etiam triumphat hæc metaphora similitudinis: relatio duplex est, alia transcendentalis, alia prædicamentalis; fundamentum relationis transcendentalis dicit essentialem ordinem ad suum terminum, ut causa ad effectum, pater ad filium; hæc igitur metaphora sumit unum correlativum pro alio; sic Statius vocavit Plutonem *Inferorum* JOVEM, eò quia sit frater Jovis; & Silius Italus, *Tartareo est operata* JOVI; sed quod magis facit ad rem nostram, est relatio similitudinis, seu prædicamentalis, quæ nobis latissimum aperit argutè amplificandi campum. Do exemplum, sumatur amplificanda hæc propositio: *Voluptas venerea est hilaris pœna, crudele gaudium, blanda mors*, invenies ea omnia, quæ simul alliciunt, & damnum aliquod afferunt, quia cum voluptas venerea simul alliciat, & enecet, ideo dicit relationem similitudinis cum omnibus illis, quæ simul placent, & damnum afferunt: unde potes amænè dicere: an non Veneris illicia sunt blandæ sirenulæ maris, quæ cantûs suavitate alliciunt nautas ad necem? Certè sunt Sodomiticæ telluris poma pulchra visu, sed inania & noxia, Hircaniæ sylvæ panteræ, quæ odoris suavitate alliciunt, ut trucident. Serpens Cleopatræ inter flores, ac amplexus occidens. Adblandiuntur Veneris illicia, sed simiarum adinstar, quæ partus in pectore amplectentes strangulant. Voluptas Venerea Sardonica est herba, quæ mori cogit in risu, ridicula sanè mors, non ridenda, sed deploranda. Rosa, sed inter vepres. Flos, sed inter colubros. Aqua, sed insulsa, quæ sitim auget, non minuit. Voluptas est ea, quæ si aspicit, Basiliscus est: si deflet Crocodili sunt lachrymæ: si palpat Arpiæ sunt manus; voluptas est melleum fel; dulce absinthium; imò illam dicito Circeum poculum; Christallinum Babylonicæ meretricis craterem; Socratis cicutam gemmeo in ciato, perbrevem pyraustæ lætitiam, circa lumen. Aureum Neronis hamum. Auream Cyri Regis catenam, Fabij Cincinnati poculum, in quo infelix dulcem mortem in lacte ebibit. Linguam solve contra veneream voluptatem, illamque voca Lethæi fluminis undam, quæ memoriam cœli absorbet; Arcadis lacus undas, quæ viros vertunt in bruta, ac lupos; Neronis smaragdum, qui crudelitates fecit suaves; infausta papavera, quæ claudunt oculos cœlo; Avem indicam, quæ teste Plinio, cantu suavissimo enecat; Sodomiticum ignem, qui Lothi mulierem in salis statuam commutavit, ut condiretur fatuitas fœminarum. Nec mirum si noceat Venus, procelloso è mari nata non potest nisi naufragia præsagire: & maris filia, ne esset degener amaritudines secum trahit, quas diffundit.

24. Pari pacto si vellem amplificare paupertatem sancti Cajetani Thienæi, qui relictis opibus, & abdicata rerum omnium terrenarum solicitudine, redditus possidere detrectavit, ut & vitæ subsidia à fidelibus petere, soli divinæ inhærens providentiæ, sumenda essent ea omnia, quæ nuditatem exprimunt, & dicerem: Cajetanum fuisse solem eò nitidiorem, quò spoliatum nubibus terrenæ substantiæ. Dicerem fuisse lilium non alio pictum colore, quàm candore puritatis; fuisse pugilem, seu Athletam in agone nudum, ne succumberet. Divini margariti hoc est cœlestis Regni expiscatorem sine vestibus. Accensam flammam, quæ velociùs ad suam avolat sphæram. Deinde possem rejicere pretiosa hominum indumenta tali pacto. Vestiantur purpura Lacedemonij milites: coccinea induantur veste Cyri bellatores, militia enim Christiana præstantiores duces enumerat, quos nudos charitas facit, si tamen nudi appellandi sunt illi, quos virtus heroica suo indumento ornat, non onerat; fuit superbia illa Sinarum Regum, qui non alio utebantur indumento, quàm flavo aureo filo intertexto Draconum, ac Leonum feritatem exprimente; superbia illa Justiniani, qui sepulchrum stragula veste tegi jussit, in qua opere Phrygio victarum urbium, & Barbarorum Regum, quos ipse debellaverat, effigies essent intertextæ; meliùs est denudari pallio, ne pudicitiâ spoliemur, ut præstitit Joseph; melius est cum Christo nudos milites progredi, & cum Cajetano Atleta strenuo in hujus vitæ Agone Tartarum prosternere, ac de mundo triumphare.

In prædicamento ACTIONIS, & PASSIONIS; 25.
metaphora similitudinis dat motum, & actionem etiam rebus inanimatis; nam si per metaphoram similitudinis in prædicamento substantiæ *roscidæ guttulæ* dicuntur *stellarum lachrymæ*, si in prædicamento quantitatis *gravia negotia*, si in prædicamento qualitatis *canities* montium; pro nivibus, & in prædicamento relationis dicimus, *studium esse patrem scientiarum* in prædicamento actionis dicitur, quod *stellæ* ILLACHRYMENTUR, defuncto soli, ac sepulto in occasûs sarcophago. GRAVITENT *negotia*. Senescant *montes*. *Studium* generet *scientias*. Insuper in hoc prædicamento metaphora similitudinis ne dum animat inanimata; verùm etiam sumit unam actionem pro alia, cum qua dicit similitudinem, ut sit hæc propositio; *Animo heroico Res adversæ exercitium præbent, non exitium*: sumenda sunt ea omnia, quæ dum videntur damna pati, & excruciari, magis perficiuntur, & conferenda cum grandi animo varijs adversæ fortunæ turbinibus divexato: quem propterea compararem cum Asbestino, quod irradiat candidius, & purius evadit inter accensi rogi flammas, unde fuit, qui in Phrenoschemate Asbestinum pinxit inter flammas hoc lemmate *uritur non comburitur*: rursus illum possem æquiparare cum Basilica herba, quæ dum atteritur, grandescit magis; cum palma, quæ dum stringitur, ac alligatur, crescit sublimior, cum candido Chrystallo, quod spirante borea indurescit pretiosius; cum silice, qui tunc splendescit clarior, cum præduro chalibe vulneratur acriùs; cum Sabæa lachryma, scilicet Thure, quod tunc gratum exhalat

odo,

odoramentum, quando in thuribulo exardet, consummitur; quapropter ad exprimendum animum heroicum in adversitatibus immobilem in Phrenoschemate exhibetur thus exardens hoc lemmate *fragrat, dum flagrat*: illum æquipararem cum balsami planta, quæ vulnerata sudorem effundit, quo nostra curantur vulnera, & nostris vulneribus suo vulnere non mederetur, nisi priùs vulneraretur; Cum folle fusorio, qui eò extollitur sublimior, quò deprimitur demissior: cum Luna Planetarum Regina, quæ nocturnis sub umbris lucescit clarior, nec nocturno in theatro emicaret coronata Halone nisi præcederet, vel subsecutura esset tempestas: cum metallorum principe auro, quod in igne purgatur nobilius, ac triumphat defæcatius; cum lino, quod dum torquetur dentato ferro, ac disrumpitur, eò melius fit, & quò crudelius laceratur, eò magis perficitur: cum Phœnice morte immortalitatem sibi comparante: cum saxo, quod nunquam surgeret in statuam, nisi à carnifice scalpro martyrium subiret. Deinde à fabulis possem dicere, quis nosceret Alcidem in cunabulis, nisi angues præfocâsset? quis Achillem, nisi cum Hectore pugnantem? quis Jasonem, nisi Colchidis monstra profligantem? quis Athlantem, nisi valido humero Orbem totum fulcientem, gravíque gementem sub pondere? an non rosa ipsa propè olera herbarum suaviùs germinat? Modò ex his omnibus facilè poteris argutias texere, comparando hæc omnia cum animo heroico variis divexato infortuniis, presso adversitatibus.

26. A prædicamento PASSIONIS habetur lapsus Almæ urbis.

Quid turres, quid fossa juvant, quid murus & Agger?
Quid septem geminæ profuit Arcis opus?
Si fortes animæ, si fortia pectora desint,
Urbibus hæc fiunt nil, nisi terra gravis.
Roma sibi testis, quæ septem Regibus orta
CREVIT, *& totidem collibus alta* CADIT.

27. In prædicamento ACTIONIS, & PASSIONIS sumitur etiam unum verbum pro alio, quia cum verba, ut aiunt Dialectici, exprimant operari; & inter operationes possit dari similitudo, ideo scitè potest sumi una operatio pro altera. Ex tribunali hæ actiones possunt hauriri, CASTIGARE *mores.* CITARE *conscientiam ante tribunal rationis.* PROSCRIBERE *ab oculis immodestiam.* *Ad* JUDICIUM *in speculo vocare cæsariei, ac faciei errores.* DAMNARE *capite delinquentem orationem*, hoc est, commutare non bene elaboratum exordium.

28. Ab Emporiis: *vita hominibus* COMMODATUR *non* DATUR: *Eleemosynis Cælorum Regnum* EMITUR. *Preces piæ* COMMERCIA NECTUNT *cum cælitibus.* *Christi vestigia, qui sequitur* ABDICAT *se à deliciis.*

29. A militia *dare nomen religioni;* PUGNARE *sub Christi vexillo.* *Indicere* BELLUM *Veneri.* *Precum armis* adoriri, expugnare Cœlum. Argumentorum jaculis adversarium LACESSERE. *Scripturarum telis hæresim* OCCIDERE. *Aureis machinis*, seu muneribus ARIETARE *justitiam.* PROFLIGARE *pudicitiam.* *Fraudum cuniculis* EXPUGNARE *virtutem.* *Verborum acuminibus alienam famam* PUNGERE. *Alieno in fletu* TRIUMPHAT *invidia.* *Cum navium exercitu* DEPRÆLIANTUR *iratæ undæ.* *Matutinæ campanulæ ad* PUGNAM *spiritualem Monachos vocant; flagellorum ictibus hostem* PROSTERNERE, & carnem spiritui subjicere.

Ex nautica arte; afflictionum tempestas DEMERSIT *me.* Deliciarum SIRENULÆ alliciunt ad necem. Momento felicitatis MALACIA TEMPESTATE *mutatur inter rumores civium.* FLUCTUAT *Reipublicæ salus.* *In difficultatum* Carybdim *incidit cupiens erroris* SCYLLAM *evitare.* *Gubernante ratione, clavúmque tenente facilè navis animæ cælestem* APPELLIT *portum.* *Pœnitentia post peccatum est* TABULA *post naufragium.* *Hujus hominis fortuna ad* ANCORAM *stat.* *Negotium illud secundis ventis* NAVIGAT. *Puritas juvenis* NAUFRAGA *perit in* MALACIA *Veneris.* *In exigua poculi unda Lysimaci regnum* NAUFRAGIUM *fuit passum.* 30.

Ex Medicina dicitur SANA *mens: hic est* NERVUS, *ac* ROBUR *orationis.* *Epistolarum fomentis amicorum animi sensim* CONVALESCUNT. *Benè* VALES *de crumena.* *Ad extinguendos Veneris ignes lachrymæ* SALUTARE *sunt* STAGNUM, *vitiorum morbi* BALNEO *curantur lachrymarum.* *Criminum vulnera pœnitentiæ pharmaco* CURANTUR. MALE SE HABET *prælium contra Turcas.* *Cretensis civitas videtur in ultima* AGONIA *constituta, jam emoritur, subsidii* PHARMACA *sunt inutilia, seróque* MEDICINA PARATUR. *Causidici, manus auro sunt* LINIENDÆ, *ut litigium* BENE CURENT. FEBRICITAT *Amasius non alio igne, quàm Veneris.* 31.

Ex fabrili arte: *Ad* AMUSSIM *rationis operationes dirigere.* *Orationis superfluitatem limâ castigare.* AFFABRE *orationem absolvere.* *Argumenta fastigiare.* *Dissidentes animos simul* AGGLUTINARE. *Persecutionum ictibus ferreos animos* EMOLLIRE. 32.

Ex chirurgia *vitia radicitùs* ABRADERE. *Pratorum capillamenta, collúmque comas falce* RESECARE; *subditorum divitias* TONDERE. 33.

Ab Agricultura *Ingenium* EXCOLERE, *ut fructus pariat*, *Animi vitia eradicare.* *Virtutum* FLORIBUS *se ornare.* *Semina bonarum artium in animum* JACERE. *Meritorum fructus* CARPERE. *Curva senectus rugis frontem* ARAT, *ubique videntur* DISSEMINATA *cadavera.* AMPUTARE *prudentiæ falce Reip. rumores.* *Triumphorum lauream* METERE. *Albedinis lilia in genis* NUTRIRE. *Sterilescentia ingenia laboris aratro* EXCOLERE. *Unde de D. Thoma Aquinate, dicimus, verè fuisse bovem mutum, qui tam bene Ecclesiæ campum* ARAVIT, *ac* COLUIT. 34.

Ab Architectura, *firma non poterat esse Acabi fortuna, nimia laborabat laxitate, debilibus innixa* FUNDAMENTIS. *Malè* ARCHITECTATUS *est divitias superbia imperante.* *Quis dolos* MACHINABATUR AMAN *in Mardochæum perut, & ejus morte melius publicam* FUNDAVIT *quietem: licèt labentem ejus domum nemo* RESTAURAVERIT. 35.

Ex arte Textoria, *Dolos in Reip. perniciciem* 36.

ORDIRI. *Parcæ, quia non parcunt, ampliùs non* NENT *vitæ nostræ stamina.* *Filum vitæ nostræ multiplici adversantis fortunæ nedo est* IMPLICITUM. *Discursum variis rationibus* TEXERE. *Fractum negotium* REDORDIRI. *Orationem variis argutiis* PHRYGIARE. *Virtutes virtutibus* INGLOMERARE.

37. Ex pictura, *negotium prætextu utilitatis bene* COLORARE. *Alienam famam detractionis maculis* TEMERARE, *&* OBUMBRARE. *Ultimam manum* IMPONERE *orationi.* *Sol flores* COLORAT. *Ver terram* PINGIT. *Elapsa tempestate Phœbus tot radiis, quot penicillis* PINGIT *Iridem discolorem in nubis tela.*

38. Ex Musica, *Dissonantes sensus cum ratione* CONCORDARE. *Virtutum* CONSONANTIA *Deum* ALLICERE, *ut nostras exaudiat preces.* *Vitia* OBSONANT. *Grato murmure* CANUNT *saxosi fontes.*

39. Ex venatione. *Argenteis retibus insidias* TENDERE *pudicitiæ.* *Aureis vinculis* CAPTARE *beneficia;* *In hostium* CASSES INCIDERE. *Venari honores.* Ab omnibus etiam aliis actionibus, ac officiis possunt similes metaphoræ inveniri, ut *Palladis lacte nutritus puer in Musarum sinu postea adolevit: è fracto Jovis capite una cum Pallade suam videtur traxisse originem.* Homo, & Humus ab hoc prædicamento Actionis pariantur.

Est homo sic, ut humus supra se tollitur ipsum
Mente superbit HOMO; *Monte superbit* HUMUS

40. A prædicamento ACTIONIS argutè exprimitur Divæ Aureæ Martyris triumphus, quæ aurea Ethnicorum Numina protrivit; alluditur ad fabulam Jovis descendentis in pluviam auream;

Oppressit Danaèm pluvio si Juppiter auro;
Opprimis *aurifluos, Aurea Virgo Joves;*

Et Divæ Monicæ, quæ piis monitionibus D. Augustinum Deo peperit; sic gratulatur vates haud ignobilis;

Fortunata parens, cui bis licet EDERE *natum*
Ventre semel terris, & semel ore Deo

41. Quia B. Margarita Cortonensis ducta à cane ante conspectum occisi juvenis, quem deperibat; statim se Deo devovit; potest argutè dici ab actione; *Etiam cælum habere venaticos suos canes, quibus hominum feras* CAPTAT, VENATUR, ARRIPIT.

42. Joannes Zisca extrenuus miles Bohëmus, ita sævit in Catholicos, ut testamento reliquerit, detractâ gladio ab extincto proprio corpore pelle tympana tegi ad evocandos milites contra Romanos: ab actione acutè pungitur hic miles;

En furor hic, dignam meruit se Judice pœnam
Mortuus, ut crebris ictibus usque GEMAT.

De bombyce sericis filis carcerem sibi texente, argutè Poëta. ait

Arte mea pereo, tumulum mihi FABRICOR *ipse*
Fila mei fati duco, necémque neo.

Finis rerum humanarum ab actione sic exprimitur;

Humanum in terris nihil est, quod non sit humandum
Avolat hinc animus: cætera SORBET *humus.*

Metaphora similitudinis in prædicamento SITUS respicit modum standi subjecti; *ut sedere, stare, intus, foris, à latere dextro, sinistro.* Sic dicitur à situ. SINISTRA *est mihi fortuna,* hoc est *contraria*, quia ab auspicibus sinistrum latus sumebatur pro contrario; advertendum tamen est obiter, quòd Virgilius dicit, *intonuit lævum*, pro *intonuit dextrum*: ratio est, quia Græci partem sinistram vocabant dextram, & è contra, dexteram sinistram, quia fingebant Deum Giganthea forma, ante nos stare facie ad faciem, & denominabant latera nostra à Dei lateribus; ideóque quia sinistrum latus nostrum correspondebat dextero Dei vocabatur dexterum, hac de caosa in Bullis antiquis ponitur D. Petrus à sinistris D. Pauli. 43.

A situ elagantes etiam possunt dilatari amplificationes, ut si esset laudandus miles ille, qui in bello occisus non cecidit, sed stans egit animam, à situ essent consideranda omnia recta, ut sunt statuæ, sic comparandus esset talis miles cum statua; deinde vel per confutationem, vel per comparationem essent recensendæ præclariores statuæ. Diogenes consueverat gratias petere mortuis à statuis, & interrogatus cur? *ut discam* inquit, *ab hominibus sordidis, ac avaris repulsam pati.* Cato cum ingentem statuarum sylvam in urbe videret, (decebat tunc septem collium Hidram inter sylvas cubare) & cum suam non videret, sapientissimè dixit, *Malo quærant, cur Catonis statua non sit, quàm cur sit*, quia multis etiam ob levem caussam erigebatur statua. Athenis erecta olim videbatur Beroso Ænea statua, & ut Astrologiæ peritissimo aurea indita erat lingua; quid de Bruti dicam statua surgente in sinu urbis hoc lemmate, *utinam viveres*, eò quia occisi Cæsaris vindictas sumeret Roma? quid de Socrate, qui discipulos suos mutas efficiebat statuas? quid de Diogene bonos viros, ac virtute præditos Deorum simulacra vocante? olim ut testatur Suetonius in Tiberio confugere ad Imperatorum statuas idem erat, ac ad tutissimum asylum pervenire. Apud Medos erat Prasitelis nuda Venus, ac Marmorea tanta formositate elaborata, ut vel mortua vivas accenderet flammas, sed impudicas; cavete juvenes, & vivam fugite Venerem, quando, vel extincta accendit exitiales ignes. Durat adhuc Tertulliano teste, durabitque uxoris Loth salis statua, ut humanæ curiositatis fatuitatem suo sale condiat. 44.

In prædicamento LOCI per metaphoram similitudinis sumitur unus locus pro alio, & dicimus *Gymnasium, Palladis* CAMPUM. *ac* PALÆSTRAM. *Alvearia Apum cereas* DOMULAS, *mellea* TECTA, *& sepulchrum vocatur durum* CUBICULUM *mortuorum*; Et à Poetis *sylvæ* dicuntur *virides avium* DOMUS, *Mare* dicitur *undarum, ventorúmque* PALÆSTRA: *humidum* REGNUM: *fluminum* DIVERSORIUM 45.

SORIUM. *Sylvarum antra, prærupta ferarum* Aſylla. Poſſunt etiam loca materialia applicari rebus immaterialibus, & moralibus, ut humilitas dicitur FVNDAMENTVM *virtutum.* Rhetorica *Pantheon, Palatium, atrium, Arca, Armamentarium, Theatrum, viridarium, Cœlum, ſedes, Tronus, Tribunal, Tyrocinium, Officina, Domicilium, Eloquentiæ:* quæ omnia ſumuntur, ut vides à loco; ſic *charitas* dicitur virtutum *Arx* ac *Metropolis.* Poteſt etiam ſumi locus, pro locato, ut cum dicimus MACEDONIAM *universum orbem ſubjeciſſe ſibi* pro Alexandro Macedone. A loco etiam dicimus *Bacchum amare proclives colles; Cererem camporum planities, Pacificam olivam aprica loca:* dicitur etiam INDIA dives opum; & quod ORIENS opobalſama fundat, ſudet SABÆA Regio, ac odoreas ſui thuris animàs nobis inhalet; etiam Troiana tellus equos alebat bellicoſiſſimos; Syriam, & Tyrium dicimus probatiſſimum muricem, ac regalem purpuram ſubminiſtrare; aurum Peruana montium viſcera; Hiſpaniam vellera; Libiam. & Africam nutrire Leones; Hircaniam Tigres; Ethiopiam ſerpentes; Aſiam Panteras; Nilum Crocodillos; Chalcedoniam urſos; Mauritaniam elephantes.

45. A prædicamento MOTVS ſumitur etiam una ſpecies pro alia: ſub genere *motûs* multæ militant ſpecies. Primus motus eſt potentiæ vegetativæ, ut *creſcere, ali, &c. erumpere* proprium eſt pullorum; *pullulare* herbarum; *Gemmare* vithium; *adoleſcere* hominum; *gliſcere, & vernare* plantarum; jam ſumendo unum motum pro alio, dicimus, juventutem FLORERE. *pro adoleſcere*, & contra, ADOLESCERE *herbas.* Hi etiam motus poſſunt rebus moralibus applicari, ut cum dicitur NATA, *eſt mihi occaſio.* GLISCIT *in dies virtus.* *Sapientia tua* FLORESCIT. Secundus motus dicitur *progreſſivus*, ut *volare* aves; *ſerpere* angues; *repere* lacertas; *ambulare* homines; *moveri* aſtra: *aſcendere* ignem; *natare* piſces; *currere* equos; *fluere* flumina; *ruere* fulmina, ex quibus motibus poteſt etiam unus ſumi pro alio, Seneca *fumus altè* SERPIT *in cœlum*; Ovidius VOLITANT *ſuper ora favillæ*; Plinius *adminiculatæ ſudibus* vites REPTANT; Seneca FLVNT *ſcelera per cunctas domus*; Cicero IRREPSIT *error in hominum mentes*; in quibus exemplis tu vides unam ſpeciem motus progreſſivi deſumptam pro alia. Motus à rebus artificialibus ſunt *Trahi, duci, equitare, ludere, rapi.* Horatius loquens de ventis, ait, *ventos ceruleis* EQVITARE *campis*; Seneca *Fulgor teneris, qui radiat genis, momento* RAPITVR. Motus s liquoribus ſunt *inſtillare, fluere, manare, fundere, liqueſcere*, ſic dicimus FLVERE *orationem verborum redundantiâ.* Inſuper motus alius eſt tardus, alius velox, & dicimus CVRRERE *tempus*; PRÆCIPITARE *errores.* Symbola celeritatis ſunt *Aquila, fulmen, ſagitta, Sol, flumen* altis de montium jugis præcipitans, *Lux*, quæ momento temporis è cœlo ad terras defertur; *cæleſtis Genius*, qui breviſſima temporis morula totum metitur orbem; *flamma* tendens in ſuam ſphæram; *ferreus Globus* ab accenſo tormento bellicó exploſus; in ludis Olympicis *Curſor*; *Mercurius*, cuius pedes ſunt alati. Symbola tarditatis ſunt *Teſtudo* de adoleſcente, qui in re litteraria negligens ſit, dicimus, *teſtudineo gradu progredi.* Animalculum quoddam in India, cui nomen eſt *pigritia*, quod animal, quamvis pluribus ſit exceptum verberibus lenium motum non variat; *Remora* d g talis piſciculus, qui proræ affixus ac innixus etiam impellente aquilonis impetu ingentem navim retinet, ac ſiſtit; antartici poli *ſydera*, quæ poſt multorum ſæculorum curſus nondum in noſtri hæmiſpherij aſpectum venêre; *Palma*, quæ non niſi ad centeſimum vitæ ſuæ annum fructus parere conſueſcit, *mare mortuum, lacuna, ſtagnum, torpedo*, ſquammoſo de grege piſcis; qui vel piſcatoris brachium ſimpatica ſua frigiditate ſtupefacit.

A prædicamento TEMPORIS etiam ſumitur una ſpecies temporis pro alia: tempus dividitur in intrinſecum, & extrinſecum; intrinſecum ſunt ætates hominis. *Infantia, pueritia, adoleſcentia juventus, ſenectus*: extrinſecum, *Ver, æſtas, autumnus, hyems*, modò ſumendo tempus extrinſecum pro intrinſeco, dicimus *Vernam tempeſtatem eſſe juventutem anni, & juventutem eſſe ver hominis*; de ſene dicimus, *delapſas gerere in capite nives veneranda canitie, quia in ætatis ſuæ* Hyeme *frigeſcit*; ſicuti accommodas homini tempus extrinſecum; ita vice verſa poteris tempus intrinſecum applicare rebus extrinſecis homini; ut Infantuli *ſunt flores*, Decrepita *eſt quercus*, & Virgilius vocat *frumenta* LACTENTIA, Statius SENIO *venerabile nemus.* Partes etiam temporis poſſunt ſumi multiplicatæ, & una pars pro alia, partes temporis ſunt, *horæ, dies, hebdomadæ, olympiades, luſtra, ſæcula.* Juvenis ac meo dedit religioni anno ætatis ſuæ quintodecimo, ſic dices, *tertium ætatis ſuæ luſtrum illuſtri ingreſſu in religionem explevit.* Luſtrum idem eſt ac ſpatium quinque annorum. Tempus etiam poteſt tribui rebus moralibus, ut *jam* SENESCIT *languida virtus; & vitium, quaſi malorum phœnix*, RENASCITUR. *Virtuti ſunt* COÆTANEA *vitia.* INTEMPESTIVA *ſunt beneficia.* 46.

A tempore amænus etiam eſt hic locus, 47.
quo pungitur quædam Virgo, quæ ſui vultûs candorem jactabat.

Filia ſis dubito tenebrarum; an filia lucis,
Nam genita es noctu. Lælia, nata diu.

A prædicamento HABITUS ſumitur etiam 48.
una ſpecies habitus pro alia; ſic nubes dicuntur terræ ſolis VESTES; *frondes arborum* VESTES; *herbæ viride telluris* PALULAMENTUM; nives *lineæ montium* veſtes: apud Ciceronem habetur *riparum* veſtitus *viridiſſimi*, apud Plinium VESTITA *floribus tellus*; dicimus etiam, *vaginâ* veſtiri *enſem*: è converſo, omnia deſerta potes dicere ſpoliata, ut. *heu crudelem ſortem hyems arbores* ſpoliat, eò, *vel tempore quò frigidiora horreſcunt, ac rigent tempora*; apud Lucretium de ſerpente: *exuit in ſpinis* VESTEM; *& ſerpens ſenectam* exuit: imò colores ipſi ſumuntur pro veſtibus; & tenebræ dicuntur veſtes nigræ, & de ſtellis poſſum dicere,

quod

quòd *luctuosis se* INDVANT *vestibus defuncto soli parentaturæ*, & de lilijs dictum fuit *salvete florum* CANDIDATA *lilia*, ac si albam gestarent togam. Sub hac Categoria habitûs, ne dum veniunt indumenta, ac vestes, verùm quidquid possidetur, ut aurum, argentum, quæ sunt bona physica; vel virtutes, ac vitia, quæ sunt bona, & mala moralia, & ab habitu dicis, quòd fœcunda fuit Lia, sed turpis. Formosa Rachaël, sed sterilis, Fortis Samson, sed mollis; elegantissimus Absalon, sed parricida; Martialis Annibal, sed deliciarum nimis appetens; victoriosissimus Alexander, sed sæpe ebrius; Zeusis in pingendis avibus emicuit; Apelles in equis; Parrasius in velis; Protogenes in hominibus: Titianus in capitibus; Michaël Angelus Bonarotta in figuris, quæ in distantia aliqua positæ erant inspiciendæ, ut videmus Romæ in Lateranensi Sacello; emicuit Cicero in componendis orationibus, non in carminibus; Virgilius heroico in carmine, non in elegiaco; è contra, Ovidius in elegiaco non in heroico; Martialis acuto Carmine cecinit non grandi; Statius heroico, non acuto.

EXPENSIO IX.

De metaphora ATTRIBUTIONIS *per decem prædicamenta.*

1. METaphora attributionis non ampliùs consistit in similitudine, sumendo unam speciem pro alia sub eodem genere, sed sumit ipsum genus pro specie: vel è converso speciem pro genere: quia Aristoteles *Poet. cap.* 20. loquendo de hac metaphora, ait, *Post fieri nominis alieni illatio à specie ad genus; vel à genere ad speciem.* Unde si tu vocas peccatum crudele monstrum, quod monstrum est genus; potes sumere omnes species militantes sub hoc genere, dicendo, peccatum esse, truculentum *Tricerberum, rapacem Arpiam, spumantem Draconem, crudelem tigridem, barbarum Minotaurum, portentosam chimeram, monstrosam Hydram in nova semper capita repullulantem*: è converso potes sumere genus pro specie. sic *fera magnanima*, sumitur pro Leone; *feræ natantes*, pro piscibus: *arbor Palladis* pro olea, *Agmina canora* pro luscinijs.

2. A prædicamento QUANTITATIS sumitur totum pro parte apud Virgilium *sectus* ELEPHAS sumitur pro ebore, habetur etiam apud eundem *ex tribus* TAURIS *intextum opus* pro clypeo triplici coopertus taurino corio; è converso sumitur etiam pars pro toto, ut *capitolium*, pro Roma; vel figura, pro figurato, ut *currens Planeta*, pro Luna; *orbis*, pro mundo apud Thesaurum in suo Telescopio Aristotelico ipsum consulæ.

3. A QUALITATE exprimitur subjectum mediante aliqua qualitate. sic Ovidius vocavit *Echo* VOCALEM *Nympham*, & Seneca æterna SILENTIA pro Inferis, & a qualitate odoratûs vocavit Arabes *gentes* ODORIFERAS: dicuntur etiam *opes*, AVARÆ, *ferrum* CRUDELE, *calamus* ERUDITUS, DOCTÆ *peripatheticorum porticus*, elegans Gymnasium, victor gladius.

4. A RELATIONE exprimitur subjectum per essentialem respectum ad nomina relativa, apud Virgilium *Juno* dicitur CONIVX & SOROR *Tonantis*, & Sol *Phaëtontis* PATER: sic etiam Cleopatra à *Regno Ægypti Ægyptia* CONIVX. Roma REGINA *urbium*; ROSA REGINA *florum*; Diana REGINA *Nemorum*; Neptunus REX *maris*; Pluto *umbarum* TYRANNUS.

5. A prædicamento relationis lepidè expenduntur, Metalla.

SOL *aurum Astrologo est*, *argentum* CYNTHIA; *cuprum*
ALMA VENUS (*Veneri patria Cypris erat*)
MERCVRIVS *vivum argentum*, MARS *funebre ferrum*,
JUPITER *est stannum*, *plumbeus huic pater est.*
Accipe de septem tibi Formice, quæque planetas,
Sat mihi Sol solus, Lunáque sola mihi

6. A prædicamento ACTIONIS exprimitur subjectum mediante aliqua actione, vel præclaro facto, ut sine *Cerere*, *& Baccho* FRIGET *Venus*; hinc est, quòd ex hoc prædicamento oriantur argutæ nomenclaturæ. Ab actione Septimio datus fuit hic titulus PACATORI *orbis*, PROPAGATORI *Imperij* Romani: & Constantino Magno FVNDATORI *quietis*, LIBERATORI *urbis*. Aquila dicitur *Jovis armiger*. Hirundo *veris* prænuncia, Gallus Gallinaceus *avis nuncia lucis*, Philomela Nemorum *Sirenpluma*, pisces *greges natantium populorum*, laurus *arbor Apollinea*, *venturi præscia*; Myrthus *arbor Veneri gratissima*, cupressus *arbor Libitinæ feralis*. Insupet ex hoc prædicamento eadem actio, quæ tribueretur vel plantis, vel mari, vel terræ, vel operibus, tribuitur illorum Numinibus, vel authoribus: ut volo exprimere procellosum mare, sumo *Neptunum* maris Numen, & dico *irascitur* NEPTVNVS; dicimus etiam BACCHVM *bibere pro vino*, CERES *saxo frangitur*, hoc est moritur annona, *lampadi* PALLADEM *infundere* scilicet oleum: MARTIS *vestigia sectari*, scilicet bellum inire; & Martialis pungens quendam Poëtam, cujus carmina judicabat digna, vel aqua, vel igne, sic jocatur apud Thesaurum.

Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
DEVCALION: *vel si non placet, hic*
PHAETON.

7. Quia Deucalionis tempore aquarum cataclysmus orbem universum submersit; & Phaëton orbem inflammavit suo lapsu; sed magis patetticè Andromache apud Senecam Helenam arguit: *cernis hos tumulos ducum, & nuda totis ossa, quæ passim jacent inhumata campis? hæc HIMEN sparsit tuus*, ubi sumitur *Hymen* numen nuptiarum pro ipsis nuptiis, & de quodam Nauta submerso, ait Seneca; *sua verbera* NEPTVNVS *ulcisci voluit.* A passione pari pacto exprimitur subjectum mediante aliqua passione, sic dicitur CRVCIATA *ceres*, FLAGEL-

GELLATUS *Neptunus*, CASTIGATA *Venus.*

8. A situ exprimitur subjectum per aliquem modum standi in loco; sic de illo alio Sardanapalo argutè dictum fuit apud Thesaurum *Pater tuus aut* ACCUMBIT, *aut* DECUMBIT, hoc est, aut comedit, aut dormit. *Pendere animo* sumitur pro dubitare, & pendere è sublimi patibulo; cum quispiam alterum argueret, quòd prandium nimis protraheret, respondit; ego quidem prandeo, sed Pater tuus vel animo, vel corpore PENDET; à situ etiam exprimuntur affectus; in adagium abiit illud *erigere, vel demittere supercilium* ad explicandam, vel humilitatem, vel superbiam: & Ovidius à situ arguit homines participare divinam naturam apud Thesaurum,

Pronáque cum spectent animalia cætera terras.
Os homini sublime dedit, cælúmque tueri
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

9. A Loco sumitur locus pro locato, vel è contra; vel pars loci pro toto loco: Virgilius apud Thesaurum à loco defuncto Cæsari epicedium canit, *Te* NEMUS *Angitiæ; vitrea te Fucinus unda; te liquidi flevere* LACUS. Sumendo partem pro toto dicimus, NILUM *sanguineis fluxisse undis.* TYBRIS *Martis furores extinguet*, scilicet summus Pontifex pacis fœdere Principes Christianos componet: Aliquando etiam sumitur contentum pro continente Virg. *Purpuream vomit ille* ANIMAM, hoc est *cruorem*; aut è converso continens pro contento, ut luget ROMA, hoc est plorant Romani. Hinc fit, quòd per hanc metaphoram animentur urbes, Regiones, Regna, ut *In luctu, in squalore jacebit Orbis totus die extrema judicij.* A loco Aquila dicitur *Ætheris incola.* Pisces *genus æquoreum,*

10. A MOTU exprimitur subjectum attributionis mediante aliquo motu: & ab hoc prædicamento incepi illud elogium in commendationem Philosophiæ, *Adesdum qui dubio adhuc* FLUCTUAS *scientiarum in pelago,* AGITATAM *mentem, in spem erigo portûs*: ab hoc prædicamento etiam dicitur *ingenium* VELOX, animus FLUCTUANS. Motus etiam poni potest pro adjectivo, ac si vicem gereret differentiæ specificæ; sic LUBRICA *monstra* sumuntur pro piscibus. ERRANTIA *lumina* pro syderibus, aeris CURSORES pro ventis, *Medusæus* PRÆPES, pro Pegaso.

11. A prædicamento TEMPORIS Ovidius *totúmque tulit prædivite cornu* AUTUMNUM, hoc est tulit omnes fructus autumnales, & Martialis in racemum clausum hyemali tempore intra amphoram vitream festivè jocatur AUTUMNUM *sterilis ferre jubetur hyems.*

12. Ab HABITU dicuntur PRÆTEXTATI *mores* hoc est pueriles, quia prætexta vestis erat, qua induebantur pueri: & Seneca sic pingit mollem Herculem *crinémque* MITRA *pressit, & famulans stetit, Hirtam Sabæa Marcidus* MYRRHA *comam*: ab hoc prædicamento sumuntur etiam insignia, ut sunt scepta, diademata, purpuræ: quia Tyrannus induit purpuram; Seneca ad exprimendum, quod Tyrannus insomnes percurrebat noctes sumpsit habitum; hoc est purpuram pro ipso Tyranno Imperatore, & dixit, *vigilésque trahit* PURPURA *noctes*; Regum *vitia* dicuntur CLAMIDATA ab habitu, vel *conspicua sunt scelera, quæ* OSTRO *lucent*, ubi sumitur habitus, & applicatur vitio; possunt sumi insignia, Magistratus, stemmata, vel instrumenta, & ille politicus, dixit, *Quòd Reip. securitas sit* SECURIS hoc est justitia; dicitur etiam *Infirma capita onerat* CORONA, *non ornat*: ab insignibus victoriæ Tullius arguit Pisonem natum ex parentibus, qui pluries triumphârunt in bello. *Ex illo seminario triumphorum arida folia* LAUREA *retulisti* & alibi LAUREA *illa magnis periculis parta, amittit longo tempore viriditatem*, & Claudianus de sponsa Palladij *Mavortia Martis nobilitas* SPOLIIS, ARMISQUE *exultat avitis* apud Thesaurum.

Ab hoc prædicamento habentur signa 13.
antiqua, quorum aliqua etiamnum apud nos vigent, quo pacto signa Nobilitatis sunt *Ceræ, & imagines Majorum.* Consularis potestatis, *fasces, sella curulis, purpura, sceptrum.* Regiæ dignitatis *corona.* Muneris senatorij *toga.* Militiæ *sagum.* Romanarum Legionum *Aquilæ*, Romanorum Pontificum, & Ecclesiæ *naves, claves.* Regum Franciæ *lilia.* Imperatorum *Aquila*, Regum Hispaniæ *Leo*, Angliæ *Pardus*, Turcarum *Luna.* Philosophiæ *Pallium.* Poëtis *Apollo cum Musis*, Bucolicæ *fistula*, Heroicæ *Tuba*, Lyricæ Poësis *Cythara*, comicæ *soccus*, tragicæ *cothurnus.* Pacis *olea, clausum Jani templum.* Belli *arma, sagum, Apertum Jani templum.* Legationis *caduceus*, victoriæ *palma, laurus.* Abundantiæ *Amalthea cornu.*

EXPENSIO X.

De Metaphora Æquivoci per singula Aristotelis prædicamenta.

COpiosam argutiarum messem nobis suppeditat æquivocatio, & si Venus, ut 1.
Poëtarum fatentur commenta, originem suam traxit è mari, ab æquivocatione omnes dicendi veneres sorte oriuntur feliciores; differt hæc metaphora æquivocationis à præcedentibus, quia ubi illæ ex differentia conceptuum nomina mutant, ut cum *nives* dicuntur *canities* senescentis anni: è converso æquivoca ex unitate nominis conceptum mutant, ut cum dico *Remp. securiùs non tueri, quàm* SECURI, scilicet justitia: æquivoca sunt ea quorum nomen est idem, res verò significatæ per nomen sunt diversæ: ut hoc nomen *Leo* significans *signum zodiaci, & animal terrestre*, quia *populus* significat *arborem, & multitudinem gentium*, argutè dicitur, *dum cecidit Phaëton* POPULUS *flevit; seu arbor maduit Padi unda, sed dum cecidit Nero* POPULUS *risit*,

Ariſtoteles loquens de hac metaphora 3. *Rhet. cap. 11.* ait, *Omnia etiam probantur, cum per æquivocationem nomen affertur.* Eſt æquivocum luſus in verbis, cujuſmodi eſt ille in Principes. Audite qui imperatis: *malè imperat, qui imperat tantùm.* De illo qui alieno ære gravatus hilari vultu mortem ſubivit. *Nullum libentiùs ſolvit* DEBITUM, *quàm ſupremum.* De Arca Noetica: *Mirum dictu! navis fuit, quæ nec velo acta, neque remige, ſemel omnes mortales in novum orbem trajecit.* De Chriſto Hortum ingreſſo: *Alter Alcides hortum ingreſſus non ut ſumeret, ſed ut abſumeret mala.* De Adamo comedente pomum vetitum. *Tantum* MALUM *orbi attulit prægustatum Adæ* MALUM. Pleramque æquivocatio fit per traductionem; vel Annominationem. De D. Gregorio Thaumaturgo dicitur difficilius ei fuiſſe *mentes*, quàm *montes movere.* De S. Joanne Baptiſta. In deſerto etiam diſertus; quia urbem fugerat, urbes ad ſe traxit

2. in ſolitudinem.

Ab æquivoco feſtivè jocatur Marianus in portam, quam Romæ vocant ſancti Pauli, quæ porta olim à priſcis tergemina vocabatur, quia ea ipſa eſt, ex qua tres Horatij contra Curiatios miſſo in compendium bello proceſſêre. Nunc nomine D. Pauli, qui in hac Oſtienſi via caput flexit ſub gladio, & tres fontes eruperunt, quos inde auxerunt ſuo ſanguine Chriſti Martyres ibidem trucidati; vocatur porta ad S. Paulum; quia itur ad Baſilicam hujus Apoſtoli.

Si via, ſi porta hæc vos ducit ad OSTIA *tybris;*
Ducit, ubi multa eſt HOSTIA *cæſa Deo*
Si propè teſtarum Montem, propè vaſa locatur;
Concidit hac Paulus, VAS *quoque Paulus erat.*
Dicite tergeminam, numero de gentis Horati,
Tergeminam terno dicere fonte volo.

Uxor ſi ſcribatur VCSOR, anagrammaticè

3. eſt ORCUS

Quiſquis ad uxorem rapitur, raptatur ad orcum.
Ritè inverſa ſonant VCSOR, *&* ORCUS *idem*

4. Nec minus jocosè æquivocatur in prædurum ſcipionem, ſeu baculum D. Pauli;

Errabat Paulus per DURA, *per aſpera victor:*
Quid ni? ſi fueras, ſcipio DURE, *comes.*

Et in viam Salariam, per quam olim Sa-

5. bini Sal exportabant è littore maris in proprias urbes; venuſtè jocatur Poëta.

INSIPIDAM *ne crede viam, cui nomina priſca*
Fecit ab advecto turba Sabina ſale.
Sal etiam terræ fuerant, quos terra cavernis
Hæc tenuit; flexo quære ſepulcra genu,
Sed FATUAS *Veneris cave, ne reſpexeris ædes,*
Ne ſalis in ſtatuam tu malè SALSUS *eas:*

Alluditur ad uxorem Loth.

Feſtivè etiam excipitur Pons ejuſdem viæ

6. Salariæ.

Guſtat perpetuas Pons iſte ſalarius undas:
Quis ſcit, an & faciant nomina SALSA *ſitim.*

Jocoſum quoque æquivocum nobis ſug-

7. gerit Pan Numen Piſtorum, ac marmorea ſtatua, ſalientis undæ fontem effundens;

Pan effundit aquas; abeas quicumque fameſcis;
PANE *nequis ſolo vivere: ſed bibere.*

De ſpinea Chriſti corona

De Chriſti ſpinis quoties epigrammata ſcribo?
Illa ſuum in promptu ſemper ACUMEN *habet.*

Lini nomen quoque æquivocum ſumitur 8.
pro nomine Pontificis, & pro tela, quamobrem de D. Lino dicitur;

Hoc LINO *dum ſacra facit, Petrus utitur, aptat*
Retia, velatum ſtat muliebre caput.

Jocoſam feſtivitatem etiam exhibet illa 9.
æquivocatio SS. Vitalis, & Agricolæ MM.

Sanguinis, ut ſacri ferrent tibi Chriſte racemos.
Hi duo certârunt VITIS, *&* AGRICOLA.

Et de ſancta Daria Virgine à Leone in lu- 10.
panari ſervata, ne violaretur ab infamis militibus habetur amæna hæc æquivocatio, in qua alluditur ad Leonem, & Virginem ſigna zodiaci ſimul juncta:

Ergo vel in cœlo VIRGO *eſt bene juncta* LEONI,
Si Leo ſic arcet Damna pudicitiæ

In quandam puellam optantem caſtra ſe- 11.
qui, hæc habet ſcitus Poëta

Lis magna eſt inter caſtos, & CASTRA: *puella*
CASTA *igitur timeat Martia* CASTRA *ſequi.*
Proxima, nam quantum ſunt hæc duo nomina; tantùm
Diſſita longinquis moribus eſſe ſolent.
Cum Venere, at contra, magna eſt concordia Martis.
Heu fuge tu Martem, ni cupis eſſe Venus

De Medico paupere; 12.

Veniſti noſtram laceris MENDICUS *in urbem*
Paulùm mutato nomine ſis MEDICUS,
Pharmaca das ægroto: aurum tibi porrigit æger,
Tu morbum curas illius, ille TUUM

Terra *anagram.* TERAR

Errantem pedibus calcabor humillima tellus.
Vomere proſcindar, dùmque ero TERRA TERAR. 13.

De Eraſmo viro ſtolido

Cum verbum ſit ERAS, MUS *nomen, quid ſit* ERASMUS,
Ingenio Lector colligat inde ſuo

In virum calvum, ac facinoroſum per æqui- 15.
vocum anagrammaticum.

Quæritur in capitis frondoſi vertice, quare
Non habeat CRINEM *Carbulo* CRIMEN *habet*

Vis, & jus litteris anagram. idem, re ad-
verſum, 16.

Vi Jus *adverſum,* VIS *adverſaria juri*
Inverſum: adverſum nomen utrumque ſibi

In virum fortem, ſimùlque timidum;

Tu VIRES, *ac* VIRES, *ſunt tibi Cordule* VIRES 17.
Et pateris VI RES *abripi ab hoſte tuas?*

De perna Weſtphalica

Ne SPERNAS PERNAS, *quas tibi dat Weſtphala tellus* 18.
Juxta IGNEM PINGUEM *ne* SURAS *ignibus* URAS.

Patria quæ?

Illa mihi patria eſt ubi PASCOR *non ubi* NASCOR, 19.
Illa ubi ſum NOTUS, *non ubi* NATUS *eram.*

Et hoc aliud de viſco, quo capiuntur aves, & fiſco quo capiuntur opes.

*Ut viſco capiuntur aves, (*FISCUS, *quaſi* VISCUS
Dicitur) à fiſco ſic capiuntur opes.

De

21. De Fure sublatis pecunijs sibi patibulum construente.

Latronum FINIS FUNIS, *mors ultima merces.*
FURCA *capit* FURES; *hinc pute nomen habent.*

22. Jocosa est etiam æquivocatio in Rhetoricam comparatam à Zenone manui apertæ, & Dialecticam manui in pugnum collectæ;

Rhetorica est palmæ similis, Dialectica pugno,
Hæc PUGNAT, PALMAM, *sed tamen illa refert.*

23. Lepidum quoque est quintuplex anagramma de fide *recta;*

RECTA *fides* CERTA *est*, ARCET *mala schismata, non est,*
Sicut CRETA *fides fictilis*, *arte* CARET.

24. De Prosa, & versu.

Cur vinctus velocior est, quàm sermo SOLUTUS?
Iste PEDES *sermo non habet; alter habet.*

25. In nomen prisci viri octogenarij bene æquivocatur anagrammaticè.

Cur non sunt, ut erant CRISPI *tibi* PRISCE *capilli?*
PRISCUS *ego nunc sum, qui modo* CRISPUS *eram*

Quia à nomine Galenus, per anagramma purum habetur Angelus, festivè jocatur Poëta super nomen per argumentum fallaciæ æquivoci.

Galenus anagramma purum *Angelus*
Angelus es: bonus anne malus. GALENE? SALUTIS
Humanæ custos? ANGELUS *ergo bonus.*

26. Quamobrem sub ratione æquivoci comprehenduntur quoque anagrammata, Ænigmata, & omnes illæ voces, ac propositiones, quæ sensum ambiguum faciunt. Anagramma est *litterarum trajectio, seu transpositio,* ut *Roma, Amor, Mora, Ramo, Maro*, hæc anagrammata sunt pulchra, & fuerunt causa, quòd multa ingenia luderent, seu obluderent, ut præ cæteris Scaliger in Satyrico disticho, acuto tamen: & alibi quia Fabius trahendo moras Romam defendit ab obsidione Annibalis; ait

Unus homo nobis cunctando restituit rem,
Si sæpe arma juvant, sæpiùs ingenium.
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Defensa est parva maxima ROMA MORA

27. Sensum ambiguum habet carmen illud de serpente, qui sub humana specie suasit Evæ, ut vetitum comederet pomum;

Mala mali malo mala contulit omnia mundo

Mala mali scilicet facies mali dœmonis, *male;* idest pomo *mala omnia contulit mundo*, seu damna

28. De puella nente sub arbore Tilia

Filia sub Tilia nebat subtilia fila

Si voce proferatur adest æquivocatio in voce *subtilia*. Joan. 18. *quid est veritas?* anagram. *Vir qui adest* Joan. 1. *Verbum caro factum est.* anagram. *O beatum creas fructum*

O fructum bone Christe, creas, fructúmque beatum
In mundum fructus cum benedicte venis?

Hostia sacra Anagram. *Ah! cor satias.*

Unus Alexandri cor non satiaverit ORBIS.
At mihi sufficiens unus hic ORBIS *erit.*

Maria Magdalena Anagram. *Grandia mala mea*, 29.
vel *à me grandia mala* venustè lusit Poëta

GRANDIA *quæ patior* MEA *sunt* MALA *vulnera monstrans*
E crucis infami stipite Christus ait
Magdala sub cruce flens A ME MALA GRANDIA *clamat*
Hæc meus ah! turpis vulnera fixit amor
Ex oculis amor elicuit tibi Magdala fletum
Et genuit, quis nam crederet? ignis aquas.

Verbum caro factum est *Anagr. Fert voces*, 30.
arcum, tubam,

Parvulus ecce puer voces, arcúmque, tubámque
Fert; exercituum, quis neget esse Deum?

Aliud *Anagramma. Ecce ut fumat urbs Roma*

Ecce Dei casto Roma urbs ut fumat amore.
Ex Bethlem in distans tam procul ignis agit.

Sacramentum *Anagramma Mare sanctum* 31.

O Sacramentum Mare sanctum? mergar in iste;
O utinam, ut peream totus amore mari!

Saulus *Anagram.* Salvus 32.

Qui modo Saulus eras, inverso es nomine salvus

Non tamen necesse est, quòd voces ana- 33.
grammaticæ semper significent; quia paucæ litteræ, aliquando mera ordinis alteratione, ac litterarum transpositione innumeras fere voces parturiunt; ut liquet in voce MARE, quæ videtur mysteriorum pelagus; & quatuor dictiones supra viginti parturit, ut patet in subjecto exemplo.

Mare	Amre	Rame	Emar
Maer	Amer	Rmea	Emra
Mrae	Arme	Rame	Eamr
Mrea	Arem	Raem	Earm
Mear	Aemr	Rema	Erma
Mera	Aerm	Ream	Eram.

Elegantiora sunt tamen, quæ aliquid si- 34.
gnificant pertinens ad subjectum circa quod texuntur anagrammata; ut fuit illud Francisci Bencij in *Gregorium XIV.* Summum Pontificem: GREGORIUS decimus quartus *Murus custodiáque gregis.* Vel hoc aliud pro Clemente nono, qui post Alexandrum VII. assumptus est ad Summum Pontificatum CLEMENS NONUS, *En mons lucens*, MONS quippe fuit ingenij sublimitate, perspicacitate mentis, gentis nobilitate, LUCENS virtutum myriade. Pulchro etiam utitur anagrammate Ecclesia in Hymno Mariano dum intonat, *sumens illud* AVE *Gabrielis ore funda nos in pace, mutans* EVÆ *nomen,* quia mutatis litteris EVA est AVE.

Anagrammata ne dum fiunt mutatione 35.
litterarum ejusdem vocis; verùm etiam dictionum ejusdem carminis, quamquam variatio dictionum non variet sensum, ut sunt hæc quatuor carmina;

Vivat Fernandus quartus, spes altera mundi.
Fernandus quartus, mundi spes altera vivat.
Mundi Fernandus quartus spes altera vivat.
Fernandus quartus vivat spes altera mundi.

56. Hæc autem species anagrammatum vocatur Proteus: differunt igitur Proteus, & anagramma; quod in Proteo mutantur dictiones integræ; secus in anagrammate tantùm litteræ. Difficiliores sunt sensus illorum carminum; in quibus vel litteræ, vel syllabæ taliter construuntur; ut structuræ plurium versuum serviant; & hæ litteræ, seu syllabæ dicuntur metricæ replicationes; quia penes Philosophos replicatio corporis tunc est; cum idem numero corpus reperitur in pluribus locis simul; & semel; sic metrica replicatio est, cum eadem littera vel syllaba in duobus carminibus reperitur: considera benè subjectas lineas metricas

Qu s d t fu ftr
o anguis irus risti de nere avit
H s f m Ch vul l

Hæc duo carmina habentur digna consideratione, & leguntur tali pacto;

Quos anguis dirus tristi de funere stravit:
Hos sanguis mirus Christi de vulnere lavit

57. In quibus præpositis lineis metricis, tu vides unam litteram, ac syllabam in duplici carmine. Hi versus concordantes dici solent, eò quia voces, vel syllabæ sint pluribus carminibus communes, & concordant quoad sensum, cujusmodi sunt hæc alia carmina de cane, & lupo.

Et canis venatur servat
in sylvis & omnia
Et lupus nutritur vastat

Jocosum est etiam illud disticon de uxore non ducenda ad declinandas lites, ac domestica dissidia.

pit tem tem pit lorem
Qui ca uxo li ca atque do
rer re te ret lore

De sancto Nicolao, qui amore Christi omnia donavit, habentur etiam hi versus concordantes

Quan lacten Chris dona amor
tum ti tus vit is
Tan crescen vir cumula honor

58. Hisce similia sunt hæc duo alia carmina, quæ exhibent Christophorus Heluicus, & Conradus Bachmanus lib. 2. artis Poëticæ pag. 319.

Quæ P propter pec per
ira Dei atris cata emit
M fr facies pla red

Hæc carmina artificiosè composita sensum abstrusum quoque involvunt: leguntur autem tali pacto.

Quæ ira Dei patris propter peccata peremit
Mira Dei fratris facies placata redemit

Quia Christus vocatur, & est *Primogenitus in multis fratribus*, ideo possumus, & nos congruo sensu dici *Dei fratres*: dicitur *mira facies* per synedochen sumitur enim pars pro toto, quia per Christi humanitatem redempti fuimus. Vim censentur ænigmaticam continere hæc alia carmina, quæ legi non possunt nisi vox aliqua se habeat instar clavis sensum aperientis. Talia sunt hæc verba, in quibus primum semper additur cæteris

super
O cur tua te
Be bis bia abis?

Quæ ita leguntur

O superbe, cur superbis? tua superbia te superabit

Simile est hoc aliud 59.

sub
Limis latus es ito jiciet:
O qui nulli mors te

Ita leguntur verba:

O sublimis, qui sublatus, nulli subes mors subito
Te subjiciet

Plurimum etiam habent lepotis hæc duo 60.
carmina correlativa, quæ sibi communicantia verba, diversum exhibent sensum, & paulò superiùs jam exhibui.

pic rem tem pit lorem
Qui ca uxo li ca atque do
rer re te ret lore

Voces mediæ si nectantur cum superioribus habent hunc sensum

Qui capit uxorem litem capit atque dolorem

Si vero nectantur cum inferioribus hunc alium

Qui caret uxore lite caret atque dolere

Imò nedum plures syllabæ possunt ha- 61.
bere locum in duplici carmine; sed etiam voces integræ, ut videre potes in subjecto carmine

Salve { Sancta / Virgo / Pura } Parens { Mundi / Mundi / Orbis } Regina { Supremi.

Inter species anagrammatum ponuntur 62.
pariter illæ voces, quarum quælibet littera integram significat dictionem; quia CHAOS est quinque elementorum indigesta commixtio: si sumatur prima quæque littera horum elementorum component hanc vocem CHAOS. Quòd elementa sint quinque fuit antiquorum sententia, licèt hoc placitum rejiciatur à recentioribus, censebant prisci Philosophi, elementa esse: *Ignem, Aquam, Aerem, Terram, Cœlum*: seu ut alii volunt, sunt *Calor, Algor, Humiditas, Olympus, Siccitas*: primæ igitur litteræ horum elementorum dant dictionem

C *Calor* | CHAOS, & quidem Olympum
H *Humiditas* | seu Cœlum esse elementum
A *Algor* | quintum; est quoque dogma
O *Olympus* | Aristotelicum: & tam receptum
S *Siccitas* | in Peripateticorum Schola; ut

Marcus Marci Valerianum Magnum virum Doctissimum ignorantiæ probro redarguat, eò quia asserat, elementa esse tantùm quatuor; cum Aristoteles posuerit quinque. Isti igitur quinque Characteres immixti, scilicet CHAOS quinque elementis ordine carentibus correspondentes CHAOS efficiunt, de quo Ovidius juxta illud Moysis Genes. 1. *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ super faciem abyssi*, ait Ovid. Metam. 1.

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe.
Quem dixére Chaos, rudis, indigestaque moles.

Tibi non displicebit hæc alia æquivocatio per prædictas primas litteras plurium dictionum, quâ æquivocatione expenduntur omnes virtutes,

tes, quæ relucere debent in Monacho, ac viro religioso. Cùm nomen Monachi compositum sit ex virtutibus, in ipso relucere debent omnes virtutes; ut ejus lux luceat coram hominibus, & videant opera illius bona, & glorificent Deum; mens Monachi hortus est, tunc hunc hortum bene arat, cum illi virtutum Myriades exarat, benè colit, cum Deum colit: opportunè irrigat, cum lachrymarum rivulis, vel propria, vel aliena lavat peccata; crescunt segetes, cum humilitate premitur, in ipso luxuriant rosæ, quando charitate fervescit: abundant divitiæ, cum paupertatis leges inviolabiles servat.

M *Modestus*
O *Obediens*
N *Nudus*
A *Amans*
C *Continens*
H *Humilis*
V *Verax*
S *Simplex*

63. Non solùm literæ initiales versuum, sed etiam ultimæ, & quidem ordine retrogrado idem nomen describunt, ut in hoc epigrammate quo intercessio apud Deum imploratur S. CAJETANI Patroni Bavariæ tempore belli. Estque Acrostichon

S *Sancte Pater fave Bavaris averte pavores* S
C *Custodi forti patria tecta manu.* U
A *Auxiliare Pater, placa ter amabile Numen* N
J *Intercede precor pro regione pia.* A
E *Erige lugentes, afflictis gratia fiat.* T
T *Tot mala bellorum semper abesse jube.* E
A *Arma, famem, pestem dextrâ proscribe potenti,* J
N *Nec dubito per te, quin removenda mala,* A
U *Vertes, spero favore tuo discrimina post hac* C
S *Succurrens nobis tempora læta dabis.* S.

64. Ultima denique species æquivocorum est Ænigma vox græca: nec mireris si omnes Latini sibi usurpent hanc vocem, quia eò jam processit græcizandi libido, ut magis clarè pateant voces græcæ, quàm latinæ; & sæpe si latinus esse velles obscurus fieres. Vulgus græcis delectatur vocabulis, & multas voces græcas etiam in latino idiomate sibi usurpat inter cæteras hæ voces græcæ sunt frequentiores. *Cacochymia*, & est idem, ac latinè redundantia vitiosi humoris, *Dysphonia* asperitas vocis, *Dyspnœa* respirandi difficultae, *Dysophria* impatientia, *Disphilus* amicus parùm sincerus, *Dysopia* pudor vitiosus, *Anadilos* reduplicatio, *Anatheosis* latria, seu cultus Dei rectus, *Anathema* cum penultima longa donum Deo dicatum, ac jam tholis suspensum; *Anathema* cum penultima correpta excommunicatio; *Anathymiasis* evaporatio, seu suffimentum; *Anatocismus*, annua renovatio usuræ; *Anaxyrides* braccæ longis femoralibus auro pictæ, ac versicolores; *Anchistrophus* mutabilis; *Anazeuxis* motio castrorum; *Andragathema* res fortiter gesta; *Andragathetes* strenuitas, *Andrago* virago, *Asotus* lascivus, *Philotimus* ambitiosus; *Kyros* Dominus, *Kyrie eleison* Domine miserere; *Phædrus* hilaris, *Phænomena* apparentiæ planetarum, *Phaeton* splendens, *Phagena* edacitas summa; *Phæax* epicureus, seu voluptarius homo; *Phacos* lenticula faciei, seu macula; *Phaleræ* equorum ornamenta, *Philema* osculum; *Philobarbaros* amans barbariem; *Philippus* equorum amator; *Philocrestus* amans bonorum; *Philodemus* amans populi; *Philosophus* amator sapientiæ; *Philautia* amor sui ipsius, *Phragmus* ordo dentium; *Phrenoschema* mentis species, vulgò heroicum symbolum; *Physes* gemmæ artificiosæ; *Physica* scientia de rebus naturalibus; *Phytalica* locus arboribus consitus; *Agaros* vermiculus hinc homunculus, dicitur quoque *Agaros-Achua* levis festuca, *Mysos* odium. *Peria* paupertas, *Mythologia* fabulosa narratio, *Mythologus*, qui fabulas scribit, *Episimacia* designatio; *Pomuta* machina artificiosa; *Agonista* certator; *Antagonista* adversarius; *Agonotheta* munerarius, seu agonis Præfectus: *Agonisma* præmium certaminis; *Agonisterium* locus certaminis; *Agogus* Pedagogus; *Megaligoria* jactantia; *Thaunia* miraculum; *Thaumastus* mirabilis; *Thaumaturgus*, patrator miraculorum; *Ectypa* orginales picturæ, *chroma* ornatus; *Ergasterion* officina; *chresis* usus, *Eudemonia* felicitas, *sphalma* error, *sylloge* collectio, *Exephebus* qui pubertatem exivit, hoc est annum quartum decimum; *Exhomologesis* confessio, seu actus ille, quibus palam testamur nos peccâsse; *Exomæosis* effictio, quâ simulacrum rei alicujus exprimitur, *Exomosia* abjuratio; *Exoplisis* instructio in armis; *catechesis* instructio; *Morodia* stultitia; *Synaxaria* vitæ Sanctorum, ac Martyrum in compendium redactæ; *Synaxis* convivium, vel communio sacrosancta, quasi confractio *Synes*; item congregatio ad orandum sacra mysteria, *Syncatathesis* assensio, seu approbatio; *Encyon* prægnans, mulier gravida, *Hendecas* undecim, unde *Hendecasyllabus* est versus constans ex undecim syllabis, *Endecaetes* qui undecim est annorum, *Eudacrys* qui plorat, *Endelechismus* perenne sacrificium mane, & vespere; *Encyrtos* obliquus, incurvus, *Eudexius* faustus, propitius; *Euchryphias* panis subcinericius, *Encycla* seu *Encyclopædia*, scientia universalis, liber agens de pluribus, *Orcumenicum* universale, unde Concilium *Oecumenicum* universale; *Odyrticus* proclivis ad lachrymas, ut mulier; *Apithanos* persuadendi vim non habens, *Apistus* incredulus, *Apirus* inexpertus, *Apiria* inexperientia, *abbatus* amens; abatos inaccessus, *uranoscopus* syderum scrutator.

Ænigma igitur est vox græca universis nota, secus vox hujus significati, quæ apud Latinos æquipollet allegoriæ obscuræ, ferè omnibus ignota est, Gelius lib. 12. cap 6. *Quæ Græci dicunt ænigmata, hoc genus quidam ex nostris* SCRUPOS *appellarunt*; & tamen si tu dicis *ænigma* ab omnibus intelligeris; sin verò *scrupum*, vix à paucis. Ænigma igitur est obscura quædam, sed exacta descriptio, quæ proprietates, & accidentia descriptæ rei enumerat; quorum singula seorsim sumpta, alijs competere possunt; omnia tamen simul non possunt; in ænigmate debent congeri circumstantiæ obscuræ, quæ aliam rem omnino diversam insinuare videantur: præ cæteris, elegantius ænigma, quod legere potui, hic subjicio 65.

ÆNIGMA.

Quis sim scire cupis? tibi, Lector candidè prodo
Insectus non sum, nec factus. Nosco parentes,
Et solem, & Lunam. Procedo à Patre frequenter,
Sed sine Matre. tamen procedo à Matre frequenter,

Sed sine Patre; duas geneses sum jussus habere.
In neutráque locus Veneri datur: inter Iberos
A venere exortus dicor: qui hoc dogma tuentur,
Non sunt Hæretici. Sum passus stigmata, flammas
Sustinui, plagas etiam; percussus; honore,
Et meritis cresco. Cruce donor. Sum gratus ubique.
Vinúmque, & panis, si vis convertitur in me;
Ex vi verborum, atque iterum conversio tota
Venerat unde redit. Vario sum cognitus Orbi
Nomine; Consilij magni vocor Angelus; alter
Si baculum, scalamve petat mensurus Olympum
Ipse Jacobus ero: si insurgant undique gentes
Ad me confugias, ero scutum tempore belli,
Si vafro infelix tandem capiaris ab hoste,
Ipse Redemptor ero: Lytro, pretióque salutis,
Corpore qui carent nostro, mihi crede carebit,
Hæc satis. Exposui, quis sim. Venerabilis Lector
Me esse Sacramentum si affirmas, falleris; ergo
Si me novisti proprio me nomine prode.

66. Plerique ausi sunt his versibus describere Christum Dominum, falsò tamen, & licèt multa intelligi possint de Christo Domino, attamen sine errore in fide non possunt cuncta intelligi: omnia facilè complanabo, & primò certum est, Christum duas generationes, ac naturas habere divinam, & humanam; in divina procedit à Patre, sine Matre; secus in humana procedit à Matre, sine Patre; passus est ut homo, usque ad mortem, ut genus humanum lapsum, propter crimen Protoparentis redimeret. Convertitur in panem, & vinum ex vi verborum; vocitur Magni consilij Angelus; scala Jacob, qua mediante homines cœlos ascendunt, & ingrediuntur. Enucleabo modò, quæ ex prædictis carminibus convenire possunt Christo Domino, & quæ non.

67. Prima verba *Infectus non sum, nec factus* possent videri his similia, *Genitus non factus consubstantialis Patri &c*, hæc alia verba, *Duas Geneses sum jussus habere*, duas denotarent Christi naturas; illa tamen particula *jussus* non potest in rigore dici sine errore; illa *nosco parentes & Solem, & Lunam*, etiam Christo conveniunt: quoniam Pater æternus *Sol est, & Pater luminum*, & Christus *splendor Paternæ Gloriæ, de luce lucem proferens*: Luna Virgo Mater intelligitur, quæ ab Ecclesia *pulchra ut Luna* dicitur, itaque Christus à Sole; hoc est à Patro æterno sine matre procedit, & à Luna scilicet à Virgine sine Patre nascitur, *In neutraque locus veneri datur*, quia Maria post partum Virgo permansit; illa quoque verba, *sum passus stigmata, flammas sustinui, plagas etiam; percussus; honore, & meritis cresco; cruce donor; sum gratus ubique*: Christi passionem explicant; & illa *Vinúmque, & panis si vis convertitur in me, ex vi verborum; atque iterum conversio tota venerat, unde redit*, ad Eucharistiam spectant: illa quoque *Vario sum cognitus Orbi Nomine*, Christo non repugnant, qui vocatur *Magni consilij Angelus, cœli scala, Redemptor, pretium salutis &c.*

68. Verba, quæ non possunt convenire Christo sunt, *Procedo à Patre frequenter, à matre frequenter* hoc sine hæresi non potest dici, quia si divinitus frequenter nasceretur: formaliter in ratione filij non esset ampliùs æternus; humanitùs quoque de fide est, semel Christum natum fuisse è Virgine; illa *duas Geneses est jussus habere* non possunt dici, quia si jussus est à à Patre; ergo est minor Patre, ut olim deliravit Arius negando, Filium esse consubstantialem Patri, qui error fuit damnatus in Concilio Nicæno: demum illud *Flammas sustinui* propriè non potest dici de Christo; quia in tota sua passione flammas non sustinuit, unde tantùm metaphoricè posset dici; quatenus propter eximiam charitatem subivit mortem, ut salvum faceret, quod perierat.

Ænigma intelligitur de Nummo.

Paraphrasis est, quam subjicio, incipit 69.
Quis sim scire cupis? Tibi Lector candide dicam, loquitur per elegantem Ætopæiam Nummus, & describit se ipsum. Nummus ut observat Gellius est nomen genericum, quod usurpatur pro quacunque moneta. *Infectus* dicitur nummus, antequam sit elaboratus, & tantùm habetur materia rudis metalli, dicitur *nec factus*, quia metallum dicitur factum, quando in vasa, vel in aliam supellectilem est conflatum; nummus verò non dicitur factus, sed signatus, Seneca cap. 2. de beneficiis, *libentiùs donabo argentum factum, quàm signatum*; ergo bene nummus de se ipso ait *Infectus non sum, nec factus, sed signatus*, sequitur *Nosco parentes & Solem, & Lunam*; pro explicatione harum vocum; volo scias; à chymicis *Aurum* vocari *Solem*; Argentum *Lunam*, cuprum *Venerem*. Cuprum est quoddam æris genus, quod a Plinio æs Cyprium vocatur, hoc supposito; bene de se ait nummus, *Nosco parentes, & solem, & Lunam*, scilicet aurum, & argentum: *procedo à Patre* AURO, *frequenter sed sine matre* ARGENTO: vel è converso *procedo à matre* argento, *sed sine Patre* auro; quia aliquando conflantur nummi aurei, aliquando argentei, *Duas geneses sum jussus habere*, quia leges nummos aureos sine mixtione cupri, & argenti; & nummos argenteos cupri, aurique expertes cudi, ac signari præcipiunt. *In neutra datur Veneri locus*, quia uterque nummus cuprum rejicit. *Inter Iberos à Venere exortus dicor*, Iberi, ut etiam plures aliæ nationes ex cupro, seu Venere conflant nummos, *Qui hoc dogma tuentur non sunt hæretici*, veritatem enim dicunt, quia nummi, ex venere oriuntur, seu conflantur ex cupro. *Sum passus stigmata, flammas sustinui, plagas etiam*, hoc est verum, dum nummus funditur in crucibulis, & dum signatur in pilis, *Percussus* dum imagine Principis signatur; *honore, & meritis cresco*, quia nummus signatus effigie Principis plus valet; *cruce donor* multi in ipso nummo crucem imprimunt, & Lusitani suos nummos aureos *cruzados* vocant, & Germani suos asses *crucigeros*, & quia auro, & argento delectantur homines; ideò *sum gratus ubique*: insuper quia nummis emuntur omnia, in nummos omnia verti possunt, quia vendi; & quia in contractibus requiruntur verba, juxta illud: *Verba ligant homines,*

Tan

Taurorum cornua funes, benè subjungit *vinúmque & panis si vis convertitur in me, ex vi verborum, atque iterum conversio tota, venerat unde redit:* quia nummi diversa nomina trahunt à diversis nationibus, *vario sum cognitus Orbi Nomine;* quia Angli suos nummos aureos *Angelotes* nominant. *Consilij Magni vocor Angelus,* & qui dives est, ubique terrarum supremi consilij Rector est, *Jacobos* etiam vocant alios nummos, & multi hisce temporibus per scalam *Jacobi* hoc est pecuniæ ascendunt ad dignitates: apud Gallos, etiam *scutum* dicitur. Demum *si vafro infelix tandem capiaris ab hoste, ipse nummus redemptor ero;* & quia omnia bona temporalia emuntur nummis, ideo *corpore qui caret nostro, mihi crede carebit,* bonis temporalibus. Lepidum quoque est sequens ænigma;

Dic mihi, quæ in cœlis extat vox integra, cujus
In terris tantùm syllaba prima patet.

Hæc vox est *fel-icitas,* cujus prima syllaba tantùm, nempe *fel* apud mortales reperitur, integra verò *felicitas* in cœlis.

70. Nec minus argutum tibi videbitur hoc aliud de Adamo, & Eva, ex Thesauro: *Ex cæno cœlo natus materno ex utero prodivi, & nulla mater me genuit; sine patre ortus ligneam nutricem habui, quæ virum, non puerum me nutrivit: masculus filiam peperi, & sine conjuge prolem habui: quia mater fui; filia, quam peperi, mihi nupsit, cujus eram mater mascula, hæc uno partu filium mihi, & nepotem genuit.*

71. Ænigma igitur definiri commodè potest, *oratio obscura, continens rem notam, quam verborum involucris, ac æquivocorum ambagibus tegit.* Putant aliqui, ænigma differre à Gripho, eò quia illud aliquid contineat, quod plus habet joci, ac lusûs, quàm eruditionis; cum è contra Griphus gravem semper complectatur eruditionem. Verùm Gellius *lib. 1. cap. 2.* Griphos ab ænigmate non distinguit; est enim Griphus sermo adeo obscurus, ac verborum involucris involutus, ut difficulter solvi possit; neque ulla fit mentio in hac Griphi descriptione de lusu, & eruditione; hinc Griphus ab ænigmate non videtur distinguendus; est enim ænigma veluti genus complectens plures horum sermonum species: alia siquidem ænigmata ludunt circa rem; alia æquivocè jocantur circa nomen, vel litteras; alia notas continent clandestinas; alia continuatas metaphoras rei naturam, ac proprietates involventes; alia opposita coacervant; quædã videntur omnino impossibilia; alia abstrusas fabulas historias, vel adagia. Illud præ cæteris videtur ænigma plus habere aucupij, quod labyrinthum ingeniosè imitari studet; in quo videat subinde lector exitum aliquem; sed mox se se magis implicatum experiatur; adeo ut qui Oedipus erat, mox Davus sibi videatur; juxta vulgatum effatum *Davus sum non Oedipus* quod paræmialiter usurpatur à Davo apud Terentium in Andria; Davus pro viro rudi sumitur, qui ad intelligenda obscura ænigmata haud aptus censeatur; cum è converso Oedipus vir fuerit callido, acutóque ingenio, dissoluto enim sphingis ænigmate in proverbium abivit vulgi. Hæc ænigmata consueverunt Prisci homines in conviviis proponere, exhibito illi præmio, qui ænigma solvisset; & qui non solveret, is adigebatur salsuginis poculum haurire, & unico haustu potum sorbere, ut refert Athenæus. Tametsi alibi de ænigmate egerim, subjiciam hic ea, quæ plus videntur habere leporis, & acuminis & præponam subjectum circa quod ænigma versatur. De Araneo expanso rete fucum cum musca capiente dixi superius

Ignavum muscam pecus ambo cœpit Arachne
Sic capitur nolens à capiente capi.

Pecus, seu fucus genus insecti, apis simi- 72.
litudine, muscam cœperat, cum qua in casses aranei incidens capitur ab araneo.

MUSCATUM

Si caput est, currit, ventrem conjunge volabit,
Adde pedes, comedes, & sine ventre bibes.

Caput currit idest *mus;* si ventrem conjungas, seu mediam syllabam, quæ est *ca* tunc volat, id est *musca.* si pedes addas seu ultimam syllabam *tum* comedes, *muscatum* pomum subaudi. Si ventrem tollas, seu mediam syllabam *ca* quod remanet, bibitur scilicet *mustum.*

Pullus ex ovo columbæ, quod Gallina incubuit.

Odit, quem genuit, nescit miser unde oriundus,
An gallina parens, an ne columba fuit.

De disticho includente pedes quatuor mille supra decies centum millia

Mille boves errant, vitulorum millia centum
Musca super vitulum quemlibet una sedet

Fit æquivocatio, & pro pedibus carminum intelliguntur pedes animalium, quæ in carminibus comprehenduntur. Mille boves continent pedes quatuor mille, quia quilibet bos quatuor habet pedes; centum millia vitulorum quadringentos mille pedes. Et muscæ centum mille, continent pedes sexcentos mille, cum cuilibet muscæ sex insint pedes.

Inservit ænigma, si lepidum, si jucundum 73.
fuerit, virtuti Eutrapeliæ, seu honestæ recreationi, & solet in symposiis homines detinere; hinc moris antiquitùs fuit, ut solventi ænigma honoratior carnis portio daretur, & ignoranti salsa potio; illa in præmium, hæc in mulctam. Quærenti quomodo *amores* excitarentur, ac foverentur rectè respondit nonnemo per regulas, quæ in ipso comprehenduntur *Amore* scilicet *more, ore, re* si omittas ex amore unicam litteram per singulas vices habes ænigmatis solutionem; moribus enim similibus, eleganti corporis forma, & opibus excitatur amor. Non ita Ethnicus potuit solvere ænigma hoc de Christo.

Sum quod eram, nec eram quod sum, modo dicor utrumque

Nondum sciverat Ethnicus, Christum esse simul Deum, & hominem; antequam assumeret carnem humanam erat Deus, & non erat homo, & post carnem assumptam est simul Deus, & homo.

Ænigmaticum est itidem illud disticon de corde humano, quod Deus ab homine petit, ac exigit,

Dimi-

Dimidium sphæræ, sphæram, cum Principe Romæ
Redde Deo: tantum vendicat ille tibi.

Scilicet redde Deo COR: prima littera est dimidia sphœra; secunda integra spœra, tertia est prima,seu princeps littera vocis Romæ

75. Solent etiam in familiaribus Epistolis adhiberi salutationes ænigmaticæ, quæ habentur in hisce carminibus

Mitto tibi NAVEM *prorâ, puppique carentem.*
Mitto tibi METULAS *si vis cognoscere vertas.*

In navi prora, & puppis sunt principium, & finis ejusdem, si rollas ex voce *navem* n, & m superest *Ave*; si verò retrogradè legas vocem *metulas* habes *salutem*, quam apprecaris amico. Ænigmaticum itidem est vulgatum illud carmen

Improbe fursur edit, pannum, ac panem? sustineamus

se habet per modum interrogationis, & responsio, quæ est *sustineamus* solvit ænigma per divisionem. *Sus* turfur edit, *tinea* pannum, *mus* panem.

76. Plurimum habet leporis hoc aliud ænigma de Hermaphrodito miserè pereunte, simúlque proponitur, & solvitur,

Dum mea me genitrix gravida gestaret in alvo
Quid pareret? fertur consuluisse Deos.
Mas est Phœbus ait: Mars fœmina: Junóque neutrum,
Cumque forem natus Hermaphroditus eram.
Quærenti letum; Dea sic ait, occidet armis:
Mars cruce: Phœbus aquis: sors rata quæque fuit
Arbor obumbrat aquas, ascendo, cecidit ensis,
Quem casu tuleram, labor, & ipse super.
Pes ramis hæsit, caput incidit amne, tulique
Fœmina, vir, neutrum flumina, tela, crucem.

77. Tritum est illud Jocastæ Thebarum Principis; is consilio Sphingis mulieris peracutè proposuit hoc ænigma scilicet; *quod animal manè quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes esset* Oedipus quæstionem, quæ plura jam defatigaverat ingenia statim solvit; & hominem esse docuit, qui nascens ut quadrupes repit, adultior suis pedibus ambulat bipes, & senex baculo innixus fit tripes.

78. Lepidum præ cæteris est ænigma cujusdam Euphorbi, qui à Patre ex propria fuerat filia susceptus, quam cum suam esse matrem ignorâsset, ei nupsit, quod ænigma comprehenditur hoc distīcho.

Me Pater è nata genuit, mihi jungitur illa,
Sic soror, & conjux, sic fuit ipsa parens.

79. Interrogatus nonnemo, quænam esset illa syllaba tantæ virtutis, quæ regeret,& sus deque everteret mundum, respondit *Jus*; quod mutatis litteris est *vis*, illo enim regitur mundus, hac everritur.

Jus, & Vis apicis nullo discrimine distant,

80. *Vi tamen opprimitur, Jure fovetur homo*

Sed plures ita suis se gerunt in negotiis, ita arte subdula agunt, ut de ijs cecinerit ille

Rebus omnibus peractis
Nulla fides est in pactis,
Mel in ore, verba lactis.
Fel in corde, fraus in factis.

Computus litterarum ænigmaticus seu ænigma Arithmeticum in quo numerantur litteræ.

Bis tria sunt septem, bis sex tantummodo sex sunt.
Sunt ter quinque decem, sunt semel octo novem

Scilicet

Bis tria continent litteras septem. *Bis sex* cantùm litteras sex,

Ter quinque continent litteras decem. & *semel octo* novem litteras.

Ubique crux. Alluditur ad litteram X.

Pix, pax, pex, sax, lex, lux, nex, nix, nox quoque styx strix
Et Rex, & grex, & crux habet ipsa crucem

FELICITAS 81.

Dic mihi quæ in cœlis extat vox integra, cujus
In terris tantùm syllaba prima patet.

Quia in terris non adest nisi *Fel* amaritudinis; & vera felicitas tantùm in cœlis reperitur;

AURUM 82.

Cornigera taurum mitto tibi fronte carentem
Quale solet munus mittere dives Arabs.

Si à voce *taurum* dematur caput, seu prima littera,quæ est T. remanet aurum, quod ab Arabia multo auro divite asportatur in alias regiones

SPECULUM 83.

Sò una mia cosa, la qual non è viva
E par, che viva, se le vai dinanti,
E se tu scrivi, parerà che scriva:
E se tu canti, parerà, che canti.
E se tu t' affacci seco in prospettiva,
Ti dirà i tuoi difetti tutti quanti,
E se sdegnoso gli omeri le volti,
Sparisce anch' ella, e torna se ti volti.

Idest. Unum mihi inest, quod licèt non vivat, vivere tamen simulat; si coram ipso scribis, & ipsummet scribere, manúque calamum ducere tibi videbitur; ut & canere si tu canis: si ipsum aspicias tuos tibi errores indicabit, quos corrigas; sed si terga contemptim eidem vertas, evanescit.

HOROLOGIUM 84.

Non movetur,& semper currit. Astrologiam non didicit, & stellarum cursus metitur: plerumque etiam mentitur,licèt non loquatur.

PARIES 85.

Quis me infelicem penitus neget esse? resectam
Cervicem pario funeris ausa mei.

Paries sublato, P. remanet ARIES bellicum instrumentum ad quatienda, solóque æquanda mœnia urbium.

ADAMAS 86.

Me vis nulla domat, non nudus membra Pyracmon.
Ignea nec cudens Mulciber Arma Jovi.
Res tamen imbellis pedibus fugacibus essem,
Si sine principio, si sine fine forem

Si à voce *Adamas* demas primam litteram A. & ultimam S. superest DAMA animal sylvestre timidum, quodque semper fugit.

CAUPO

Venales propone cibos: si littera desit,
Venalis fiet venditur ipse cibus.

Quia

Quia caupo sublata littera *V.* fit capo avis domestica pinguis, & optimi nutrimenti.

88. VIRTUS

Sustuleris si TE nostro de nomine, rerum
Optima, quæ fueram, rerum sibi pessima dicar.

Quia virtus, quæ optima est, sublata littera *T.* remanet virus, quod est pessimum lethale venenum.

89. ANNUS

Est unus genitor, cujus sunt pignora bis sex,
His quoque triginta natæ sub dispare forma:
Aspectu hinc niveæ: nigræ sunt vultibus illinc:
Sunt immortales omnes, moriuntur, & omnes.

Pater est annus, duodecim filij sunt menses; triginta natæ, dies mensium; albæ horæ diei, nigræ horæ sunt noctis.

90. Litteræ nominis JESUS

Dicito quale putas nomen, quod recta columna
Inchoat, unde tridens fuscina nectit idem;
Flexus utrinque uncus secat, hinc bivij nota claudit
Inde uncus; medio qui stetit ante loco ?

Quæ sequuntur ænigmata sunt selectiora, quæ decerpsi ex Symposio Poëta clarissimo, quia plurimum continent illicij, operæ pretium duxi ea hic subjicere. Eadē habet Caussinus in symbolis.

91. PLUVIA

Ex atro venio longâ delapsâ ruinâ,
De cœlo cecidi medias transmissa per auras.
Sed sinus excepit, qui me simul ipse recepit.

92. FUMUS

Sunt mihi, sunt lacrymæ, sed non est causa doloris.
Est iter ad cœlum, sed me gravis impedit aër.
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

93. NEBULA

Nox ego sum facie, sed non sum nigra colore,
Inque die media tenebras tamen adfero mecum,
Nec mihi dant stellæ lucem, nec Cynthia lumen.

94. FLUMEN, & PISCIS

Est domus in terris, clarâ, quæ voce resultat,
Ipsa domus resonat, tacitus sed non sonat hospes.
Ambo tamen currunt hospes simul, & domus una.

95. PULLUS IN OVO

Mira tibi referam nostræ primordia vitæ
Nondum natus eram, nec eram tum matris in alvo.
Jam posito partu, natum me nemo videbat.

96. NIX

Pulvis aquæ tenuis modico cum pondere lapsus
Sole madens, æstate fluens, in frigore siccus,
Flumina facturus totas prius occupo terras.

97. VIPERA

Non possum nasci, si non occidero matrem,
Occidi matrem, sed me manet exitus idem.
Id mea mors patitur, quod jam mea fecit origo.

98. TINEA

Littera me pavit, nec quid sit littera novi.
In libris vixi, nec sum studiosior inde.
Exedi musas, nec adhuc tamen ipsa profeci

99. ARANEA

Pallas me docuit texendi nosse laborem,
Nec pepli radios poscunt, nec licia tela.
Nulla mihi manus est, pedibus tamen omnia fiunt.

100. TESTUDO

Tarda gradu, lento, speciose prædita dorso,
Docta quidem studio, sed sævo prædita fato
Viva nihil dixi: quæ sic modo mortua canto

RANA 101.

Rauca sonans ego sum media vocalis in unda
Sed vox laude sonat, quæ se quoque laudet, & ipsa
Cumque canam semper nullus mea carmina laudat

FORMICA 102.

Provida sum vitæ, sed non sum pigra labore,
Ipsa ferens humeris securæ præmia brumæ
Nec gero magna simul, sed congero multa vicissim.

TALPA 103.

Cæca mihi facies atris obscura tenebris,
Nox est ipsa dies, nec Sol mihi cernitur ullus.
Malo tegi terra, sic me quoque nemo videbit.

VESPERTILIO 104.

Nox mihi dat nomen, primo de tempore noctis,
Pluma mihi non est, cum sit mihi penna volantis,
Sed sedeo in tenebris, nec me committo diebus.

ERICIUS 105.

Plena domus spinis, parvi sed corporis hospes,
Incolumi dorso, telis complentis acutis
Sustinet armatas sedes habitator inermis.

PHÆNIX 106.

Vita mihi mors est, morior, si cœpero nasci,
Sed prius est fatum, læta quàm lucis origo,
Sic solos Manes ipsos mihi dico parentes.

TAURUS 107.

Mœchus eram regis, sed lignea membra sequebar,
Et Cilicus mons sum, sed non sum nomine solo,
Et vehor in cœlis, & in ipsis ambulo terris

CAPRA 108.

Alma Jovis nutrix, longo vestita capillo.
Culmina difficili peragrans super ardua gressu,
Custodi pecorum tremula respondeo lingua.

PORCUS 109.

Setigeræ matris fœcunda natus in alvo
Desuper ex alto virides expecto sagittas
Nomine Numen habens si littera prima periret.

Porcus orcus

MULA 110.

Dissimilis patri, matris diversa figura,
Alterni generis, generi non apta propago.
Ex alijs nascor, nec quisquam nascitur ex me.

PAPAVER 111.

Grande mihi caput est, intus sunt membra minuta
Pes unus solus, sed pes longissimus unus,
Et me somnus amat, proprio nec dormio somno

MALVA 112.

Anseris esse pedes similes mihi nolo negare,
Nec duo sunt tantùm, sed plures ordine cernis
Et tamen hos ipsos omnes ego porto supinos.

CEPE 113.

Mordeo mordentes ultro non mordeo quemquam,
Sed sunt Mordentem multi mordere parati,
Nemo timet morsum, dentes quia non habeo ullos.

ROSA 114.

Purpura sum terræ pulchro perfusa rubore.
Septáque ne violer telis defendor acutis.
O felix longo si possim vivere fato.

THUS 115.

Dulcis odor nemoris flamma, fumóque fatigor
Et placet hoc superis, medios quod mittor in ignes,
Cum mihi peccandi meritum natura negârit.
Nec mihi pœna datur: sed habetur gratia danti.

MYRRHA 116.

De lacrymis, & pro lacrymis mea cœpit origo
Ex oculis fluxi, sed nunc ex arbore nascor
Lætus honor frondis, tristis sed imago doloris.

117. FARINA

Inter saxa fui, quæ me contrita premebant,
Vix tamen effugi sotis conlisa medullis,
Et nunc forma mihi minor est, sed copia major.

118. VITIS

Nolo thoro jungi, quamvis placet esse maritam;
Nolo virum thalamo per me mea nata propago est.
Nolo sepulchra pati, scio me submergere terræ.

119. HAMUS

Exiguum corpus flexu mucronis adunci
Fallaces escas medio circumfero fluctu.
Blandior, ut noceam mortis præmitto saginam.

120. CAPILLUS

Findere me nulli possunt, præcidere multi
Sed sum versicolor, albus quandoque futurus.
Malo manere niger, minus ultima fata verebor.

121. SERRA

Dentibus innumeris sum toto corpore plena.
Frondicomam sobolem morsu depascor acuto,
Mando tamen frustra, quia respuo præmia dentis.

122. SAGITTA

Septa gravi ferro, levibus circumdata pennis,
Aera per medium volucri contendo meatu.
Missaque discedens, nullo mittente revertor.

123. LAPIS

Deucalion ego sum crudelior hospes in unda
Affinis terræ, sed longè durior illa.
Littera decedat, volucris tum nomen habebo
Lapis apis

124 CALX

Evasi flammas ignis tormenta refugi,
Ipsa medela meo pugnat contraria fato.
Ardeo de Lymphis, medijs incendor ab undis,

125. SILEX

Semper inest intus, sed rarò cernitur ignis,
Intus enim latitat, sed solos prodit ad ictus,
Nec lignis, ut vivat, eget, nec ut occidat undis.

126. QUATUOR RHEDÆ ROTÆ

Quatuor æquales currunt ex arte sorores,
Sic quasi certantes, cum sit labor omnibus unus
Et prope sunt pariter, nec se contingere possunt.

127. TINTINNABULUM

Ære rigens curvo, patulo componor in orbe
Mobilis est intus linguæ crepitantis imago.
Non resonat positus, motus quoque sæpe resultat.

128. PERNA

Nobile duco genus, magni de gente Catonis,
Una mihi soror est, plures licèt esse putemur.
De fumo facies, sapientia de Maro *nata est.*

129. PECUNIA

Terra fuit primò latebris abscondita duris,
Nunc aliud pretium flammæ, noménque dedêre,
Nec jam terra vocor, licèt ex me terra paretur.

130. MILES PODAGRICUS

Bellipotens olim sævis metuendus in armis
Quinque pedes habui, quod nunquam nemo negavit,
Nunc mihi vix duo sunt; inopem me copia fecit.

131. FUNAMBULUS

Inter Luciferum cælum, terrásque jacentes,
Aera per medium doctus meat arte viator.
Semita, sed brevis est, pedibus nec sufficit ipsis.

132. ECHO

Virgo modesta nimis, legem bene servo pudoris,
Ore procax non sum, nec sum temeraria lingua,
Ultro nolo loqui, sed do responsa loquenti.

UMBRA 133.

Insidias nullas vereor de fraude latentes
Nam Deus attribuit, hujus mihi munera formæ
Quod me nemo movet, nisi qui prius ipse movetur.

SOMNUS 134.

Sponte mea vivens varias ostendo figuras,
Fingo metus varios nullo discrimine veros,
Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

Ænigma Jacobi Torelli DE TORMENTO BELLICO pyrio fœto pulvere, perque admotum igniculum exploso.

Pulvis Pyrius primò inventus fuit anno 1378. regnante Leopoldo III. Probo à Bartholdo Schwartz Goslariensi Monaco Religioso S. Benedicti. Is cum Chymicis delectaretur ex sulphure, nitro, & carbonibus compositionem instituit, in quam casu scintilla ignis illapsa statim ingenti crepitu ollam sublatam, & in fornicem illisam confregit, Monacus insolentem miratus effectum, compositionem repetiit, ignémque admovit pari eventu. Tandem hanc eandem materiam indidit canali ex ferreis constructo laminis, cui ferream superimposuit globum; & accensa materia obvia quæque ingenti crepitu discussit. Hinc orta Bombarda, cujus ænigma subjicitur; 135.

Vulcanus genuit: peperit natura: Minerva
Edocuit: Nutrix, Ars fuit, atque dies,
Vis mea de nihilo. Tria danti mihi corpora pastum,
Sunt gnati strages, ira, ruina, fragor.
Dic hospes quid sim? num terræ, aut bellua ponti?
Aut neutrum? Aut quo sim facta, vel orta loco?

136. Ænigma plerumque proponitur sine carmine, ut illud de *Laterna*: est ardens Amazon, ferrea galea, osseo pectore, nigra foris, intus clara: tenebras in vultu gerit, & in sinu flammas: vagatur noctu, diu quiescit. Mendicus etiam ænigmaticè dicit de se ipso: sum ego una littera plus quam Medicus si addas n *medicus*, est *mendicus*.

137. Plurimum etiam continet venustatis ænigma, si exhibeatur per modum Epitaphij, ut est, quod laxandi animi causâ ruri composui, & in quo solvendo per plures horas laborârunt, qui aderant socij, ænigma fuit illud; *Siste gradum viator, & lege. Hic jaceo ubi nullus, vel nulla jacet. Ne mentiaris meum noli nomen ulli pronomini jungere. Solitudine gaudeo, quia multitudini generum semper adhæsi. Mater notha ex patre ignoto me peperit. Filiam ego genus quæ me patrem dixit, filium qui me matrem. Neuter tamen mentitus; quia uterque qualis sim explicuit. Tu solum quate, & abi.* Hoc ænigma Hermaphroditum explicat, qui cum sit simul mas, & fœmina dicitur *ubi nullus, vel nulla jacet*, quæ intelliguntur disiunctivè, quia Hermaphroditus utrumque sexum, ac genus masculinum, & fœmininum complectitur, ideo *multitudini generum semper adhæsit.* Matrem habuit *notham*, seu natam ex illegitimo thoro. Patrem ignoravit, quia non fuit matris maritus. Hermaphroditus utroque usus sexu, ut mas genuit filiam,

filiam, quæ ipsum propterea patrem vocavit; ut fœmina filium pepetit, qui matrem dixit, & uterque verum asseruit.

138. Consueverunt alij per notas clandestinas ænigmata componere, quidam ut significaret in comitiis agi de eligendo Romanorum Rege, curavit pingi primas illas notas musicas FA, RE; deinde addidit illas FA, MI, RE; & tandem subjunxit MI, SOL, RE id est primus petebat Regis electionem. Secundus ut ipse fieret Rex. Sed ultimò respondit Cæsar. *Ego solus Rex.*

139. Aulitus nonnemo significaturus negotia non fluere ad vota curavit pingi herbam Maluam, cui addidit Italica verba *Mal và* id est non bene res se habet; & simul allusit ad plantam, cui nomen est Malua.

140. Alius sciens omnia à Principe obtineri per patrocinium ministri inhiantis pecuniæ, curavit pingi Ministri effigiem, & se ipsum ad pedes pronum, & supplicem, ac è pileo aureos profundentem, quos Ministri famulus in linteo recipiebat. Ad hanc votivam tabellam voluit scribi litteras V. F E. G A. scilicet *votum fecit* seu vacuum pileum, *& gratiam accepit*, votum italice significar etiam vacuum; scilicet vacuum effecit pileum profusione totius pecuniæ, & gratiam accepit.

141. Est igitur ænigma quæstio obscuritate allegoriæ captu difficilis, ut olim fuêre symbola Pythagorica: aliquando totum ejus acumen unica comprehenditur voce; ut cum Diogenes, quia lingua fortiùs, quàm dente alios momorderit vitia corripiens dicitur *canis*: nonnunquam in separatione syllabarũ ejusdẽ vocis ut *Do-minus: in me-moria æterna*; id est stultitia; solet tamen pressiùs sumi pro obscura, & figurata descriptione: ænigma in sola situm rei significatione est illud Virgiliani Pastoris

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo
Tres pateat cœli spatium non amplius ulnas

142. Soletque hæc quæstio interpretari de puteo, in cujus latice, perinde ac in pellucido speculo cœli imago resplendet, & putei aqua tres tantùm ab inspiciente in eadem cœlum ulnas distabat.

Similis videtur esse illa quæstio Oedipo à Sphinge proposita. Dic mihi

Quæ mane incedit pedibus natura quaternis?
Luce bipes media? sole cadente tripes?

Est enim homo, qui è cunis, fasciisque solutus, ne cadat manibus, & pedibus repit, & adultior rectus ambulat; demum senio confectus procedit tripes, quia baculo innixus.

143. Interdum ænigma implicat tantum nodos vocis, & litterarum, ut est illud;

Cornua ventre gero, numeros in vertice multos,
In pede serpentem. Dic mihi, sum quis ego?

Est ipsa sola vox MVS in ventre littera V. imitatur cornua bina. In capite seu Initio littera M. multa habet, quæ numerentur indicat M. numerum millenarium. In pede seu fine littera S. serpentem in spiras revolutum indicat.

144. Quæstio ænigmatica constans ex re, & voce est illa satis vulgata

Candidior Cygno, si sum sine corde, nitebo.
Præ pice nigrabor, si mihi corda dabis.

Est NIX quæ Cygno est candidior: sin autem voci illi addatur hæc alia vox COR, & præmittatur; ex hisce duabus syllabis fit CORNIX volucer plumis nigerrimus. 145

Ænigmati affinis est Anagrammatismus, estque litterarum transpositio nulla omissa, ut alibi diximus, ita tamen ut inde emergat aliqua argutia, sensùsque lepidus, ac venustus, ut cum *Lucianus* transpositis iisdem litteris nulla omissa legitur *Calvinus* eo quia uterque fuerit irrisor cœlitum.

Habetur etiam Chronostichon in carmine, 146.
& Chronologium, seu Chronographicum in sententia, utrumque litteris numeralibus tempus exprimit. Sunt litteræ quæ in hisce adhibentor involucris septem illæ Romanæ M DC LXVI. significat prima littera M. numerum millesimum, D. quingentesimum C. centesimum, L. quinquagesimum, X. decimum, V. quintum I. primum. Hujus Arithmetici anagrammatis solis Romanis numeris plura extant exempla, ut JesVs. 6. VerItas. VIa VIta. quælibet vox continet numerum sextum. Gemioæ hæ voces ChrIstIna aDMIrabILIs indicant annum millesimum sexcentessimum quinquagessimum quintum, quo Christina Suecorum Regina abdicato regno, abjurata Lutheranorom hæresi catholicam est religionem amplexa. Romæ in quodam sareophago habetur hoc Chronologicum Mors aD CœLos Iter continet numerum anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi primi, quo fuit opus illud constructum.

Cephalonyma carmina dicuntor, in qui- 147.
bus initiales cujusvis vocabuli litteræ nomen aliquod produnt; ut in hisce carminibus, in quibus per solas litteras initiales cujusvis dictionis legitur sanctus Thomas.

Scripturæ Ad Normam Cum Tanta Volumina Scribam
THeologos Omnes Metior, Atque Sophos

Palindromum carmen dicitur, quod legitur 148.
retrogradè, ut est illud vulgatum de Abele dicente

Sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo.

Cui respondit Cainus resumendo retrogradè idem carmen.

Sacrificabo macrum, nec dabo pingue sacrum.

Nonnunquam non solùm dictiones, sed 149.
etiam ipsæ litteræ retrogradè resumuntur ut in hoc disticho, quod cacodæmoni adscribitur.

Signa te signa, temere me tangis, et angis
Roma tibi subito, motibus ibit amor.

Versus cancrinus retrogradus est etiam iste

Arva subi, captis, oro sit pacibus aura.

Huc etiam revocari solent carmina, quæ è regione sibi respondent, ut illud de Marone

Pastor, Arator, eques; pavi colui superavi
Capras, rus, hostes, fronde ligone manu.

Æquivocatio aliquando etiam relucet in si- 150.
militudine vocum, ut est aliud Achabi Regis, qui suadente Jezebele conjuge Nabothum oc-

cidit, ut eius vineam sine obstaculo caperet. *Fudit Achabus innocentis sanguinem, ut ex ejus vinea merum biberet, Libithinæ usus falce non* VITEM, *sed* VITAM *vindemiavit, ac prælo subjecit, ut non vinum, sed cruorem hauriret.* Interdum æquivocatio sita est in separatione syllabæ ab eadem dictione, ut in hoc carmine Gallico metro de Calvinistis in prato sepultis

Vuos auez grand tort Catholiques,
Ne sont-ils pas predestinez
Puisqu'ils son au pre-destinez.

Idest, Catholici immerito habent ludibrio, irridéntque Acatholicos Calvini discipulos: siquidem sunt ipsi prædestinati; dum ad pratum sunt destinati. Gallicè pratum, est PRE

151. A prædicamento SUBSTANTIÆ, quia carbunculus significat, & *gemmam, & pestem* Augustus scribens ad Mecænatem hoc æquivoco jocatus festivè fuit inquiens CARBUNCULUM *habeas*, ubi Mecænas intelligebat *gemmam*, è contra Augustus *Pestem*. D. Augustinus fatetur *Calvarium* montem, sic dici æquivocè à *Calva* primi parentis, cujus caput ibi fuisse sepultum fatentur multi: & quia in visceribus Tarpei montis primi Romæ conditores humanum invenerunt *caput*: illicò æquivocè intulerunt Romam fore Mundi *caput*: & de Caino occidente Abelem fratrem suum: *Ne fraternæ litarent victimæ,* VICTIMAM *fecit fratrem; primus hic flagitiorum author mortem invenit, & invexit, horruit mors expiandis sceleribus nata, & primos sibi aditus per innocentis jugulum frangi.* Cyrus dicitur Rex inter Pastores, & Pastor inter Reges: & de Abele Adami filio authore pastoritiæ per æquivoca ait Thesaurus. *Mortalium innocentissimus artium Innocentissimam reperit, scilicet pastoritiam: optimi principatus imaginem, nam errantium pecudum populo sub lege misso Regale munus, & gregale permiscens pedum pro sceptro gestavit, itaque Rex inter oves, ovis inter Reges obsequentissimæ lanigerorum Reip. imperando servivit, serviendo imperavit, villis non jugulo tributum imposuit, petebat sine naufragio phryxeas opes è caula; nam pro auro vellus erat, & germanum vocabulum retinente pecunia pecus* TONDEBAT *non populos.* Æquivocatio aliquando fit per additionem, vel demptionem syllabarum, ut est illud apud Cornificium. *Demus operam ne Patres conscripti* PATRES CIRCUMSCRIPTI *videantur:* vel illud aliud PETIT *quidquid* APPETIT. Aliquando etiam æquivocatio sita est in mutatione syllabarum, ut est illud anagramma purum *laudatar* est *Adulator*, aliquando etiam in divisione syllabarum, ut est illud distichon

Quid FACIES, FACIES Veneris cum veneris ante
Non sedeas, SED-EAS: ne pereas PER-EAS

152. A substantia conciliatur opibus amor
Prima categorias inter SUBSTANTIA *sola*
Plus in amore potest, quàm genus, & species.
In Poetam mordacem
Convenit urticæ mordacibus herba Poësis
Hac tu pro lauro, Dictice dignus eras.
De Luna, Sydere, & signo nummi.

Carmina de cœlo possunt deducere LUNAM
Ex loculis LUNAM *carmina nulla tuis.*

Ab æquivoco festivum est etiam subjectum 153. carmen Italicum, quo describitur à Poëta Italo Citharedus calculo laborans, ac animam agens;

D'Orfeo non è, nè d' Anfion la cetra,
Ch'io tratto, e pur da' SASSI *ella è seguita;*
Ogni SASSO *è un strale, ond' hà forbita*
La morte à damni miei la sua faretra:
Da impetrita furor nulla s' impetra,
Fatti i CALCOLI *hormai son de la vita;*
Già mi convien saldar la mia partita,
E la dura sentenza scritta in PIETRA.
Nova Medusa d' IMPETRIRMI *hà cura*
L' interne parti, & è mia vita, ahi lasso,
Men durevol all' hor, che più s' INDURA.
Per SASSOSO *camin à ciascun passo*
Pauento inciampi, entra una tomba oscura
Mi fà cader finito lubrico SASSO.

Id est. Licet quam chelym pulso, neque Orpheus, neque Amphion viderit unquam; ea tamen illi vis inest, quâ ad se saxa trahit, quorum quodlibet in meum exitium telum est è sævæ Libithinæ emissum arcu. Neque ejus duritiem potis sum emollire, quam ex saxis contraxit, quibus meos calculat dies; adigórque duram mei fati sententiam saxo inscriptam legere. Quasi ex Erebo emersa Medusa in id tantùm videatur studij incumbere, quò mea lapidescant viscera; quæ quò plus induruerint minus erunt duratura: quia saxosum percurrens iter, passim impingo non pedis, sed renum dolore, donec sepulchri saxum lubricum ad Manes sternat aditum.

A QUALITATE festiva oriuntur æquivoca 154. præsertim si sumatur quantitas physica pro morali, vel è contra, sic de homine pusillo, sed docto dicitur PARVUS *est* & MAGNUS, quæ propositio sine æquivocatione videretur contradictoris; & de homine justo, sed gibboso RECTUS *est, sed* NON RECTUS, ubi *rectus* in primo loco sumitur moraliter, in secundo physicè. & ei qui tristabatur, eò quod in mundo nulla esset justitia, nulla rectitudo, respondit argutè alius; *ne tristeris amice, quia* ORBEM *esse* RECTUM *possibile non est* intelligendo de rectitudine physica, quia orbis essentialiter sphœricus non potest esse rectus: à quantitate discreta Juglaris incœpit primum suum elogium, *Amicus silentij Deus est, semel in tota æternitate locutus:* UNO *omnia dixit in* VERBO.

IN UXOREM LEVEM
Dædale quis credat? vox ò mirabilis uxor?
Quò LEVIOR *cuique est, uxor eò* GRAVIOR.
BREVIS *anagrama* VERBIS
Perspicua brevitate nihil magis afficit aures.
In VERBIS, *ubi res postulat esto* BREVIS

Solet etiam in æquivocis fieri transitus de statu physico ad moralem, ut in illo distichо, quo carpitur calvus

Barba tibi crevit, ceciderunt Marce capilli:
Inde tibi gravis est barba, caputque leve.

A quantitate numerica lapis ipse sepulcralis 155. Vespiam litigiosam mulierem sepultâ mordet,

Tres

Tres habuit Furias quondam; sed Vespia Manes
Ut petiit, furias quatuor orcus habet.

156. A QUALITATE habetur illud de Adamo, *ab, quam de minimo perivimus? tantùm* MALUM *attulit* MALUM seu pomum: potest etiam sumi qualitas moralis pro physica; vel è contra; sic dicimus, *Martyrum constantiam magis* CLARVISSE *inter flammas*, à qualitate sensibili habetur illud Martialis *lib. 2. epist. 8.* in Posthumum

Hoc mihi suspectum est, quod oles bene Posthume semper,
Non bene semper olet, qui bene semper olet.

In Poëtam improvidenter argutum

Quò mage falsa caro est, fœtet minus: at tua tantò
Plus fœtent, quò sunt carmina falsa magis.

157. A RELATIONE sumitur unum nomen relativum, quod plura significet, ut est illud distichon de Rege:

Rex regnat solus, cur non regit omnia solus?
Qui regit, & Regitur, rectiùs ille regit.

Virga Jesse Maria parit in hyeme Christum

Quæ dedit hunc VIRGO *brumali tempore fructum*
Fertilior quavis arbore VIRGO *fuit.*

158 Ab ACTIONE habetur illud Adami apud Thesaurum ex Rege *Agricola*, *quia Numen non colus, terram colui*, ut etiam est illud in Saturnum proprios comedentem filios EDIT, quos EDIT, & illud in quendam Rhetorem magis aucupiis volucrum præstantem operam, quam literis: *Citius camporum* LEPORES, *quàm oratorum* LEPORES *assequeris.* Acthæon canes, quos PAVIT, PAVET.

Et de fama quæ *Mobilitate viget, viresque, acquirit eundo*, cecinit Poëta Italus

Sovra l'ali del falso hor buona, hor trista
Velocissimo mal la fama vola,
VOLA, *e nel suo volar gran forze acquista,*
E quanto vola più, più il vero INVOLA

Id est: Falsi buccinatrix Fama, læta, vel tristis pernicissimo volatu terrarum tractus pervagatur; & quo citius volat, eo uberiora virium acquirit incrementa; quæ tamen veritatem obscuriùs sepeliunt, vel minuunt, vel delent.

159. Ab actione de puella moniali dicitur *nexa & nixa* Deo non labitur. De fonte artificioso *Lusus & usus.* Ab hoc prædicamento coquus ille juvenis, qui artem cibos coquendi cum addisceret sumptu prænobilis viri interiit, lepidè moriens cecinit.

Heu coquus infelix! DECOXI tempora multa,
Nec mihi nec Domino utilis arte fui.

Jocosum ab hoc fonte est Epitaphium Despauterij insignis Grammatici

Grammaticam scivit multos docuitque per annos
DECLINARE *tamen non potuit tumulum.*

160. A SITU lepidum est, ac simul Satyricum illud in Neronem propriam jugulantem matrem.

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem
SVSTVLIT *hic matrem*, SVSTVLIT *ille Patrem.*

161. A prædicamento Temporis argutè æquivocatur super filias Job, quas peperit post passam calamitatem. *Tres post calamitatem peperit Job filias; scilicet, ut grates perpetuò Deo rependeret monitus est numero* GRATIARVM. *Primam appellavit* DIEM, *nempe vaticinatus erat verum, cum dixerat post tenebras sperare* LVCEM; *& quis eum solem virtutis negabit, si pater fuit* DIEI. *Secunda filiæ nomen indidit* CASSIÆ *ab odorosio fructice: mirum sanè; qui jacuit in sterquilinio, genuit ex se* FRAGRANTIAM. *Tertiam* ABVNDANTIAM *appellavit, nec mirum se abiiciens in fimum agrum stercoraverat, non poterat, nisi* ABVNDANTIAM *parere.*

162. A LOCO nec minorem amœnitatem habet illud in D. Alexium,

Ignoti major laus est, & gloria Alexis,
Nunquam tam celebris ni latuisset, erat.

Et de Christo nato;

Nato CAVLA *fuit Pastoribus illa patebat,*
Sed tamen & patuit Regibus, AVLA *fuit,*

De Christo spinea corona redimito.

Ecce Dei VERBVM *pungit spina horrida*, VERBVM
Quis neget in spinas jam cecidisse Dei? 163.

A loco locatur lepidè Poëta in separationem D. Petri & D. Pauli dum properarent ad subeundum Martyrium; adest etiamnum Romæ hujus separationis memoria, qua Divus Paulus festinabat ad aquam jugiter manantem; D. verò Petrus ad Janiculi collis fastigium senili pede tendebat;

Hinc Paulus quasi VAS *manantes pergit ad undas.*
JANICVLVM *superi* JANITOR *orbis adit.* 164.

A loco etiam festivè concluditur circa Puteum, in quo corpora Divi Petri, & Pauli fuêre humata.

Hoc Petrus, & Paulus puteo jacuere repositi;
Nec stupor, in puteo si PETRA, VAS *que latent*

Quia assurgit vaticanæ Basilicæ structura è ruinis hortorum Neronis: à loco dici potest, *quòd Imperator crudelissimus sustineat cum majori parte corporis D. Petri, etiam ejus capacissimum Templum, cujus* SPIRITVM SVSTINERE *non poterat.* A loco etiam natalis Veneris, lepidè commendat Poëta quamdam virginem insignem formâ, ac pudicitiâ in mare mersam.

En sinus immitis pelagi, quo mersa puella,
Tam forma insignis, quàm bene casta jacet.
An quia bina VENUS *spumosis altera nasci,*
Debuit ex undis, altera rapta mori?
Æquoris ut maculas Virgo memoranda pudore
Eluat occumbens, quas tulit orta Venus.

165. A loco etiam amœnitatem pasit vulgatum illud, *Patria sapientis omnis terra.*

Est domi ubique bonus sapiens, non exulat usquam
Omne SOLVM *forti patria, & omne* SALVM.

De illo superbo viro, qui sepulchri structora magnifica cupiebat sibi immortalitatē captare;

Ne pereat tua fama struis tibi Paule sepulcrum,
Tamquam non possint ipsa SEPVLCHRA MORI

Quòd moriantur etiam sepulcra; seu Tempus edax rerum, etiam sepulcrales structuras evertat,

tat, ac in pulveres conterat occinuit Ausonius

Miramur periisse homines, monumenta fatiscunt
Mors etiam saxis nominibusque venit.

Et de amoris inconstantia

Usque fluit fugitivus amor, refluitque vicissim,
Ut mare, quid mirum, nam Venus orta MARI

166. A loco plurimum habet illicij illud carmen, quo significamus medios sedentes ad prælongam mensam esurire, eò quia fercula ad duo tantùm deportarentur extrema; & per æquivocationem à loco confutatur vulgatum illud adagium. *Medium tenuêre Beati.*

Esuriunt medij primi saturantur, & imi.
Errant, qui dicunt, medium tenuêre beati.

167. A MOTU tritum est illud scomma, NIL PRÆPES, PERPES, vel illud aliud Aristotelis non oportet PEREGRINVM semper esse PEREGRINVM, seu ignorantem,

· A motu Venus inconstans arguté redarguitur,

Nulla fides Veneri levis est, interque planetas,
Ponitur (haud inter sydera fixa) Venus

In Rasfalum cancrivorum

Quando voras multos in cœna Rasfale cancros,
Hos indigestos nocte sequente vomis.
Hos ego vulgares certè non judico cancros,
Vivi, atque exanimes, qui RETROIRE *sciunt.*

168. Ab HABITU festivum est illud de paupere sepulto

Vita mihi exilium, requies at certa sepulcrum,
Nudus eram vivus, mortuus ecce TEGOR.

De homine etiam nascente, & moriente;

Ex utero Matris venisti nudus in orbem,
In terram tectus syndone Paule redis,
Plus defers igitur tecum, quam Paule tulisti,
Plus REDDIS *matri, quam* DEDIT *illa tibi*

Et de Christo nato, & nudo,

Cur jacet investis, qui vestibus omnia donat.
Has sibi detraxit, quas dedit ille tibi.

169. Festivè etiam comparatur ab æquivoco in prædicamento habitûs Divus Franciscus cum Christo.

Exue Franciscum tunica, laceroque cucullo,
Qui Franciscus erat, jam tibi Christus erit.
Francisci exuvus (si qua licet) iudue Christum.
Jam Franciscus erit, qui modo Christus erat.

Divo Antonio Eremitæ Dœmones se te in porcorum formis obiiciunt,

Antonius licèt orcus ait, tigrimque, lupumque,
Atque referre suem, noverit atque bovem;
Ora tamen porci velocius induit ORCVS
Nam simul addita erat littera PORCVS *erat.*

170. Et in virginem quandam, cui nomen erat Margarita, quæ una cum aliis virginibus aurigerâ quadrigâ vehebatur, festivè jocatus est Italus Poëta æquivocando soper nomen Margaritæ significans fœminam, & gemmam.

Ne fia stupor, se con le gratie in choro
Vada tra l'ori un bel Nume raccolto,
Conuien legar le MARGARITE *in oro*

Idest si aurea Margarita vehitur rheda non mirum. Gemma auro inseritur,

Lusus verborum subinde consistit in sola mutatione unius, vel alterius litteræ ejusdem verbi; ut in hoc tetrastico de tentatione.

AFFICIT *in primis quævis tentatio mentem,*
EFFICIT *assensum postea, ut caveas.*
INFICIT *inde scelus conceptum pectore, tandem*
OFFICIT *æterno dum crematigne reum.* 171.

Facilem tamen modum inveniendi æquivoca suggerunt vocabularia, Calepinus, Amalthea Onomastica, Lexicon; lunt legendi hi libri attentè, quia ubique materiam suggerunt æquivocandi V. C. tu legis sub littera, t, tela, æ, est ea, quæ texitur, deinde sub hac voce legis telum, i, & significat sagittam, ecce quàm argutè jam potes æquivocare: sic de milite molli, ac Veneris illecebris dedito, alius dixit TELA, *potiùs, quàm* TELA *te decet.* Sub littera i legis involucrum, & significat lintheum tonsorum, & involutorium, vel involutum, die igitur æquivocè *cavendum est ne caudidum involucrum obscuræ mortis sit involutorium*, post vocem *phrænesis*, tu legis *phronesis*, & est sapientia, jam de illo Monacho, qui fingebatur stultus, ut ab omnibus contemptus ad perfectionis apicem perveniret, posses dicere PHRÆNESIS, *illa* PHRONESIS *fuit*: tu legis vocem *plaga, æ*, quæ significat vulnus, & rete aucupij, de Christi vulneribus potes dicere *Christi* PLAGÆ *amoris fuut* PLAGÆ, vel Christi vulnera nobis non sunt vulnera, sed pharmaca,

Pharmaca sunt potiùs quàm vulnera, vulnera Christi,
Curat enim plagis VULNERA *nostra suis.*

Hæc industria nectendi vocabula æquivoca fœcunda est Argutiarum parens; sic militem socordem carpere possumus. *Telis* in Gynæceo *torquendis*, quàm *telis* in castris *intorquendis* aptior; pugnavit sexies, sed Parthorum *more, ore,* nunquam hostem *aspexit*, *despexit* semper terga eidem ostendens. Martyrem cui carnifex manum obtruncaverat laudamus. Cadit sub *securi secura* resurgendi dextra; & *palma* illa præcisa *palmam* rapuit. De Paradisiaca arbore humano generi fatali. Grande tori genti attulit *malum* haud ingens *malus*. Beatæ sylvæ fructum dum carpunt Protoparentes sylvam totam amittunt nepotes. De Antiocho dicitur, Non homines tantùm verùm & Elephantos conscripsit, *bellum* non ratus, nisi *belluæ* decertarent. Lipsius scitè dixit: nil regna citius *secat*, quàm multiplex *secta*. De Juda Proditore: dœmones *fugare* potuit, *fugere* non valuit. De sancto Laurentio: miles tuit, loricatam fortitudinem tyranno objecit, & tunc bellica virtus suaviùs *fragravit*, cum acriùs *flagravit*. De Gallico exercitu olim irruente in urbem Romam; cave tibi Roma cave: Nunquam *Gallus* cecinit, quin Petrus amarè fleret. De Elia dante, vel negante pro arbitrio pluvias. Jussisti, & confestim factum cœlum *æreum*; imperâsti, & repentè factum est *tercum*. De Absolone: Lancea illius *cordi* intentata est, sed invenit *excordem*, seu filium sine amore in patrem. De Flavio Vespasiano: Ad spectacula theatrum dedit: sed *spectaculum* se ipso nobilius dare non potuit, 172.

potuit, dignus & ipse *spectari*. De Adamo Emanuel Thesaurus, quia Deum non *coluit*, terram *coluit*.

EXPENSIO XI.

De Metaphora Hypothiposis per omnia prædicamenta.

1. HYpothiposis præ cæteris figuris eminet, quia dat motum, ac animam etiam rebus inanimatis est enim figura, quæ rem ponit præ oculis: unde illius specifica differentia est expressio objecti ad vivum, quâ taliter exprimitur, ut potius videatur esse objectum potentiæ visivæ, quàm auditivæ. A substantia dicitur. *Aurum sua luce homines* OBCÆCARE. *Aurum metallorum principem, hominumque Tyrannum humana pectora* EXCRUCIARE, Ovidius animando substantiam aëris, scilicet ventos dicit, *Bella* GERUNT *venti, fretáque indignantia* MISCENT; ubi etiam dat animam, ac passiones aquæ, & mari, inquiens *fretáque* INDIGNANTIA, & Virgilius *Pontem* INDIGNATUS *Araxes*: vel illud aliud *Immaniáque ossa serpentum, passim tumulis exanguibus* ALBENT

De S. Catharina Martyre

Dum vidit pugnas in virgine terra viriles
LAC *nisi vidisset crederet esse* VIRUM

In fœminam inconstantem

Mobilitas cœli laus est, constantia terræ,
In te TERRENUM *nil tua Philis habet.*

2. A QUANTITATE exprimitur aliquod objectum quantitativum mediante aliqua actione, Seneca loquens de grandi Ciceronis Ingenio dixit, *Illud ingenium, quod solum Populus Romanus par Imperio habuit*: a quantitate figuræ dicimus ACVTVM *Ingenium. Ignorantiam* CRASSAM, *caput* SPHÆRICVM. *Hominem* QVADRATVM GRANDESCIT, GIGANTESCIT *mare*, scilicet intumescit.

IN GARRULUM

Vox tua mensuris desiderat è tribus unam:
Lata satis, nimium longa, profunda parum.

3. A QUALITATE *adhuc* RUBET *effusus sanguis Martis in area*: & dum volumus exprimere hominem vitiosum, dicimus *virum* TETRVM, *ac* FÆTIDVM *siccis oculis spectare cædem, ac stillantem sanguine pugionem ostendere. Virides palmas non alio* CRESCERE *humectatas humore, Bellonæ in campo, quàm sanguine.* Apud Claudianum *spumis* IGNESCERE *fræna*: dicimus etiam LIVESCERE, IMPALLESCERE *mare*, CÆCUTIRE *aerem, Rugire, frendere, stragem* MINARI *bellicum clangorem*

In effigiem S. Brunonis ad vivum expressam cecinit Poëta

Sic oculos, sic Bruno manus, sic ora ferebat,
Dissimile in vultu nil sinit esse color
Rumperet ore sonos etiam: sed sancta silendi
Regula composito non sinit ore loqui

De vita hominis instar fluminis

Ad mortem sic vita fluit, velut ad mare flumen,
Vivere nam res est DULCIS, AMARA *mori*

A RELATIONE *tempus filios suos* ENECAT, *&* VORANDO *omnia quos edit, edit*; somnus dicitur FRATER *mortis*, & Favor Principis SOCIVS fortunæ, ut etiam paupertas MAGISTRA artium. 4.

Ab ACTIONE, *nocturnas umbras* OBCÆCARE *omnia. Sydera* ERRARE *aereos per campos. Flores* LUDERE *in sinu terræ. Naves* EQUITARE *mare. Sagittas* VOLITARE *per aëra. Fœminas* RVBESCERE *non* ERVBESCERE. *Mare undis suis scopulos* ARIETARE, *in cautes* IMPINGERE, *ac se* INFRINGERE; *vel mare dum spumat rabiem* DESPVMAT. A passione *Mare* EXASPERARI, INSANIRE, FVRERE *à ventis* VAPULARE, *ac membratim se se* LANCINARE. 5.

Ab actione Cornificius tragico pinxit calamo hominem crudelem. *Iste quotidie per forum medium, tanquam jubatus Draco serpit; aspectu rabido circumspiciens huc, & illuc, si quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare, quem ore attingere, dentibus mordere, lingua aspergere possit.* 6.

Ad effigies Regum Hispaniarum Philippi III. patris, & IV. filij Argutè argutus Poëta.

Conjunctum occiduo solem, qui quæris Eoüm
Hic ades, hic oculum fige, & utrumque pedem;
Hesperus hic, illic roseo stat Lucifer ortu.
Sol CADIT *hic, illic* SVRGIT: *utrique fave.*

In imperitum Poëtam canentem in sylva lurida carmina

Amphion sylvas, sylvas Rhodopeius Orpheus
Carmine & attonitas traxit uterque feras.
Ast ubi in sylvis tua RVCTAS *metra Dysilui.*
Horrescunt sylvæ, diffugiuntque feræ.

A SITU *supini colles latum conjugium Bacchi amant.* PENSILES *Semiramidis horti omnia fructuum genera ubertim suppeditant.* A situ jocosè describitur à Mariano Roma, eò quia devastari ab hostibus nunquam potuit, nullus enim reperitur, qui hanc terram insano marte petivit, & redierit lætatus violâsse; 7.

Provida selegit sapientia Numinis urbem,
Hic stabilis sedem condidit illa suam:
Quam neque vis hominum, quam perdere nulla pericla,
Nec poterunt Mystæ viribus ignis aqua:
Ardeat æstivis vesana canicula flammis
Effluat inverso Tibridis unda vado.
Ceu PETRA *flammatos Ecclesia respuit ictus;*
Ceu NAVIS *refluas prævalet inter aquas.*

A LOCO; *lilia, ac rosæ vernant in* GENIS *puellæ. Belligerant in* AERE *nubes. Pallor* VULTVM *tingit. Gladiatoria turba in* ARENAM *descendit. Furens mare suis vorticibus navibus* SEPVLCHRA *fodit, ac hyanti fauce clamantium vota ridens, nautas absorbet.* 8.

De Christo nato in præsepio venustè Poëta.

Qui tulit inclusas sub Apolline Principe Musas.
Annulus, hic cunctis, Pyrrhe stupendus erat.
Et nux Iliadem primi quæ parva Poetæ
Strinxerat angusto cortice rara fuit.
Ast ubi vile capit tantum præsepe tonantem:
Annulus hic nihil est, Ilias ista parum

9. A MOTU. *In occasu sarcophago sepulto sole* ERRANTIA *sydera suo parentant Principi:* VOLITANT *per aera sagittarum nimbi:* EXULAT *pudor à vultu Veneris.* VOLAT *undique fama.* FLUCTUANT *cogitationes civium inter Reip. seditiones, & suspicio* IRREPIT *in animos omnium. Furente aquilone mare* PERSULTAT, *ac* BACCHATUR.

In claudum

Claudicat, & semper titubat pede Pontius uno
Hexametrum in gressu, Pentametrúmque refert.

Facilis descensus in Aula

Nemo gradus nisi per plures ascendit in Aula:
Ad descendendum plus satis unus erit.

10. A TEMPORE: *senescens* HYEMS *undique venerandam nivium canitiem ostentat:* & in descriptione tempestatis alibi dixi *Statim atro nubium involucro effusa est nox, simul varijs undique procellis incerti fluctus cœperunt prospectum adimere, regimen impedire, & uno tempore unda gemit, littus mugit, tonat cœlum, strident antennæ, ejulant Nautæ.*

11. Ab HABITU dicimus *animum* VESTITUM *omni virtutum genere. Verno tempore arborum series viridibus se* INDUERE VESTIBUS; *& senescente anno sua deponere* PALUDAMENTA, *ac* SPOLIATAS, *frigoris fieri ludibrium. Orationem nudam argutijs* VESTIRE. *Ridente sub tauro viridi* VESTITAM *pallio terram ridere.*

De Lothi uxore

Vivere me iratis fecit de marmore Diris
Rursus ego ut lacrymer, rursus ego ut moriar,
Vivo equidem sine corde tamen: non error ab arte est
Cum Superos sprevi, tum sine corde fui.

De Paupere, mendico, & divite

Pauper in urbe parum, mendicus nil habet usquam
Dives habet nimium: quis nisi nemo satis.

EXPENSIO XII.

De Hyperbole per decem prædicamenta.

1. HYperbole est veritatis superlatio, atque trajectio, augendi, minuendive causâ; unde duplex assignatur species ex Cic. *lib 3. n. 101.* una ad augendum quæsita, altera ad minuendum excogitata; differt ab hypothiposi, quia hæc objecta & animat, & vivificat: illa minuit, vel magnificat; sic à prædicamento substantiæ ab Eschine *mus* dicitur MONS, à Virgilio equus Troianus *instar* MONTIS *equus*, & Claudianus UMBRASSE *diem*, & Ovidius per hyperbolem plura somnia tali pacto expressit.

Somnia vana jacent, totidem, quot messis ARISTAS,
Sylva gerit FRONDES *ejectat littus* ARENAS

Et infami senes Susannæ possunt dici *animati montes* ÆTNÆ, eò quia sub canitiei nivibus impudici amoris foverent incendia. & Ætneum incendium per hyperbolem dicitur CATACLYSMUS *igneus:* per comparationem cum substantia Latinus Pacatus sic commendavit Theodosium Imp. *cedat terra Cretensis parvi Jovis gloriata cunabulis, & geminis Delos illustrata Numinibus, & alumno Hercule nobiles Thebæ. Majus Numen dedit Hispania, quod videmus scilicet Theodosium*

De Terra comparata cum animali

Telluris lapides sunt ossa, metallaque nervi
Pellis crusta, pili gramina, sanguis aqua.

A quantitate Martialis de Aula Cæsaris *lib. 8. Epigr. 56.*

Hac augusta tamen, quæ vertice sydera pulsat
Par tectum cœlo, sed minor est Domino.

A quantitate Martialis argutè contempsit prædiolum sibi traditum ab amico; 2.

Rus hoc dicere: Rus potes vocare.
In quo Ruta facit nemus Dianæ.
Errasti Lupe, littera sed una,
Nam quo tempore PRÆDIUM *dedisti*
Mallem tu mihi PRANDIUM *dedisses.*

Mors, & Lanij

Mors nisi mactaret juvenes, lanijque juvencos,
Omnia stultorum plena, boumque forent.

A QUANTITATE numerica Hecuba apud 3.
Senecam; *& vos meorum liberûm magni* GREGES: & Achilles irascens Agamennoni, noléns que ei vendere opus artificiosum ait: *nec si mihi dares tot munera, quot arena, & pulvis* SCRUPULOS *habent.*

De mure, qui epigrammata voraverat

Quid esse grande dixeris
Epigramma? bis decem mihi
Voravit una syllaba. Scilicet MUS

A QUALITATE *redolentem Arabiam parturiunt nostra prata,* & Virgil. *qui candore* NIVIS, *anteirent cursibus* AURAS. 4.

A qualitate Martialis in Labullum lib. 12. Epig. 30.

Non es mihi crede bonus: quid ergo?
Ut verum loquar, optimus malorum.

A RELATIONE Alexander Macedo dicitur *Jovis* FILIUS, & in quibusdam Ruderibus antiquæ Romæ leguntur hi inscriptionum termini. *Divinis* FRATRIBUS, *ac semper Augustis. Æterno Imperatori.* DOMINO *orbis terrarum. De omni hominum genere meritissimo. Devotus Numini, majestatique ejus. Naturæ universæ amori. Beatissimo fœtui, fortunatissimóque Principi* 5.

De Matre Machabæorum

Magna parens: quis te verè neget esse parentem;
Qua natis ipso in funere das animum?

Sui juris homo

Sum meus inde mihi, videor satis esse beatus:
Non habeo famulos, Aulice, nec dominum.

De S. Sophia, quæ Fidem, Spem, & Charitatem filias peperit

Te Sophiam vicisse sophos nos credimus omnes
Cur? quia virtutum cerneris esse parens.

Ab ACTIONE Nazarius animat ipsa elementa, sicque Constantini Magni victoriam commendat. *Nondum satis tempestivo mari. Affuerunt tamen navigantibus felices auræ, & fluctus secundi, beatissimámque victoriam etiam elementa juverunt.* & de Phœnicè igne combusto, ac renato dicitur. *Natura* LABORAT, *ut æternam rependat avem,* & Fabianus orator in Suasoria Alexandri. *Immanes propone tibi belluas, aspice, quibus procellis fluctibúsque Oceanus sæviat, quas ad litte-* 6.

littora undas agat. NATURA PENITUS RECESSIT. Dicimus etiam. *Nubes in cœlo Plegræa tanquam in area gigantes, cœlum videri* LACESSERE, *terrámque interturbare.*

De Juda suspenso

LAPSUS *erat nuper Judas dum quærit JEsum*
Ne rursus cadat, hac arbore FULCIT *onus.*

Christus in cruce nudus

Frigora non patior, quantumvis frigeo: námque
Quo nudus magis est, hoc magis ARDET *Amor.*

7. Ab Actione, & Passione lapsus Phaëtontis solis filij in Padum fluvium hyperbolicè describitur ab Italo Poëta.

Fumano i poli, Atlante stesso appena
Con gli omeri sostien cadente il Mondo:
Trema, e s'apre la terra, e nelli abissi
Penetra il lume; onde Pluton ne pave.

8. A Loco de Juvene Amasio dicimus, *gestare in pectore igneum* ÆTNAM: *vel illius pectus esse Vestalium* TEMPLUM, *ubi perpetuus ignis amor est:* & de sene *gestare in* CAPITE *nivosum Decembrem.*

De Divo Joanne Chrysostomo in exilium misso.

Expulsus patria, patriámque reductus habebat
Exilium in patria, patriam in exilio.

9. A TEMPORE *Senescens* HYEMS *diuturnis pluvijs amissas telluris opes luget.* DIURNO TEMPORE *vocales sylvæ animos alliciunt;* NOCTE *videmus, squalidas stellas stilas roscidas persundere.*

Caro cur obluctetur spiritui

Fallor? an hic parêre animabus inertia nolunt
Corpora, sint animis, quòd SENIORA *suis*

10. Ab HABITU arguta est illa Martialis conclusio, in qua post enarrata varia ædificia, ac Fana à Domitiano constructa, ac Numinibus dedicata; sic ab habitu hyperbolicè concludit:

Expectes, & sustineas Auguste necesse est:
Nam tibi, quod solvat NON HABET ARCA JOVIS

EXPENSIO XIII.

De laconismo per decem prædicamenta.

1. LAconica scommata, veluti elocutionis gemmæ exigua brevitate totam comprehendunt argutiarum pretiositatem; sunt veluti adamantes in exili corpusculo magnum pretium includentes; si in Pyrrhi Regis Achate Parnassus totus aspiciebatur sculptus; & in Caroli Quinti annulo horologij rotati machinamentum totum devolvebatur: ita laconicis sub sententijs grandes latent conceptus. In hac re ars perfectè videtur imitata naturam; nam si in Opalo exiguæ molis gemmula Carbunculi flammescit ignis; smaragdi lucescit viror; Christalli pretiosum gelu; ita plures argutiarum flores laconismi in exilitate feliciter vernant: laconismus ferè semper unitur cum æquivoco.

2. A prædicamento SUBSTANTIÆ *securitas Reip. est* SECURIS, hoc est justitia, quod esset idem, ac dicere, *Exercenda est justitia, ut Resp. bene administretur.* habetur etiam apud Thesaurum illa exclamatio laconica, ac æquivoca Prothoparentis nostri. *Ah! quàm de minimo perivimus, tantum malum attulit malus,* ubi illa vox æquivoca *malus,* seu arbor vetita explicat causam lapsûs Adami, ac totius humani generis: & pauperem ignobilem, satyricè commendamus; *Illustrem eum quis non dixerit, in cujus penatibus sol ipse semper habitat,* hoc est, *tanta laborat paupertate, ut nec etiam tectum habeat, quo à solis radijs se defendat.* Argutum est etiam illud Agamemnonis Regis, quo arguit Achillis filium, scilicet *Hos scyros animos?* hoc est, an non recordaris te natum nothum, gnatúmque semihominis, qui unà cum mulierculis nebat. Nec minorem redolet suavitatem illud Satyricum scomma in Domitianum Imperatorem, qui muscas venabatur, *Hostibus musca fuit, muscis hostis,* ubi ejus imbecillitas, ac pusillanimitas in re militari satis exprimitur.

In Medicum ignarum, & garrulum

Omnibus in morbis offers te Pontice nobis
HIPPOCRATEM, *nos te malumus* HARPOCRATEM, seu silentem

De lacrymis, quibus amorem testamur

Expressâ tacitum lacrymâ testamur amorem.
Gignit amor Lacrymas, quis putet? ignis aquas,

A QUANTITATE: *undique surgunt albicantium ossium montes,* ad exprimendam magnam stragem in bello, vel *Carbo nostræ vitæ comburit stamen,* ubi carbo æquivocè sumitur pro peste, quod esset idem, ac dicere, *Dum grassatur pestis; sicut pallea igne citò comburitur, sic homines solo tactu cadunt,* & de pendente è patibulo dixit ille. Grandior fuit mortuus, quàm vivus. 3.

In Linum bibonem

VITA *tibi sit longa cupis Line? pocula* VITA,
Si bibere est animus PLURIMA, PAUCA *bibe.*
quod fiet diu vivendo. Plus bibit diutius qui vivit: & minus vivit, qui intemperate bibit: ergo minus bibit.

De Christi amore

Ignis amor veteres quondam sensêre Poëtæ
In te crediderim non fuit ignis amor.
In terram te traxit amor; petit ignis olympum.
Aut amor hic non est, aut GRAVIS *ignis amor.*

A QUALITATE Philosophus Ethnicus de Juvene, qui in Senatu Romano proprij genitoris causam defendens erubuerat laconice dixit 4. à qualitate coloris ERUBUIT *salva res est:* & de pœnitente viro dicitur etiam PALLESCUNT *cinere ora, ad indicandum maximum divini amoris incendium, quod fovet in sinu.* Et de homine pernicioso, qui e patibulo pendebat, dictum fuit *nil magis* PERSPICUUM *egit, quàm mortem.*

A RELATIONE dicimus AMICUM *Judæ,* intelligendo hominem proditorem, malevolum, 5. qui solùm insidias tendit; vel DISCIPULUM *Veneris* intelligendo hominem effæminatum uxorium, ac carnis illecebris deditum. Ethneid

tardiorem, ut significemus, virum agere detrectantem. Negotium *Gordiano nodo implicatius*, seu pluribus obvolutum difficultatibus. *Novum Anaxarchum*, seu hominem fortem, tolerantem tormenta, & ridentem adversam fortunam. Anaxarchus ita tormentis superior fuit, ut videretur corpus exuisse; etenim cum tunderetur in mortario dixit; *follem tunde Anaxarchi, non Anaxarchum*. *Oedipo nil opus*; cum scilicet res caret difficultate, & aperta, ac nota est. *Polymnestore crudeliorem*; scimus enim Polymnestorem avaritiâ captum proprium occidisse Patrem. *Esse alterum Loth in Sodomis*, de viro illibato inter impuros, ac impios. *Telam Penelope retexere* cum agitur de re levis momenti. *Sisyphum imitari* scilicet hominem vafrum. *Neronem redivivum agere* hoc est hominem crudelem. *Nostrum Tiresiam* de ignorante.

6. A relatione de Adamo

Indignus PATRIS *est venerando nomine, quando*
Nos priùs occidit, quàm GENERAVIT *Adam.*

De conjuge imperante marito

Ducit, agit miserum, quò vult Quintina maritum
Grammatici fugite hinc; hæc vir, & hic mulier.

7. Ab Actione. *Scribit super undas*. FLAGELLAT *auras*. *Æthiopem* LAVAT, hoc est variis desudat in operibus, sed in cassum, quia suscepta negotia ad felicem exitum nescit ducere: *alter Icarus altiùs* VOLITAVIT, quàm par fuerit.

8. Ab actione, De humana vita

Quod volo non possum: possum quod nolo vicissim,
Tota hominis vita est nil nisi nolo, volo,

Mars alios premit, alios opprimit.

Divitibus nummos, vitam Mars tollit egenis:
Est ne hoc pauperiem tollere, vel facere?

9. De Medico imperito

Non finit in longo miseros putrescere morbo;
Absolvitque brevi morte: benignus homo est.

De Amore proprio

Se solum Labienus amat, miratur, adorat,
Non modò se solum, se quoque solus amat.

Quia nullus altus est qui eum amet.

10. A passione

In Medicum imperitum, & audacem

Qui tuus est patiens ò terque, quaterque beatum;
Ægrotare illum non patiare diu,

quia cito moritur.

De gratia, quæ nunc non datur gratis.

Quæ fuit à Domino promissa petentibus olim
Gratia, nunc solis dantibus illa datur.

In usurarium

Usuram pietatis opus, Ruffine negabis:
Quando patrem usura Sotibianus alit?

11. A SITU; *Alter Vespasianus moritur* RECTUS, *ac* ALTIOR *cæteris hominibus*, scilicet suspensus patibulo propter plura patrata scelera, & ad eius filium, amicum illudentem dictum fuit, *Est cur me despicias tu, cujus pater* SUBLIMIS *obierit.*

In Evam obsequentem à situ

Quod dabat hostis Evæ pendebat ab arbore pomum,
Esse loco ponis dignus uterque fuit.

A LOCO, IBI *nullum est discrimen*, UBI *nullum crimen*. *Si Veneris illicia amaritudines fundunt; ne mireris à matre non degener filia; hoc est è mari nata, amaritudines debuit haurire, quibus suos cruciaret Alumnos.* Satyricum est etiam illud, quo pungimus, stultum: dicimus enim *Et dolere caput, & non posse curari, nisi media capitis vena resecetur.* 12.

Amor ex oculis nascitur. Ergo perperam cæcus credirur.

Gignitur ex visu, non ergo, Firmice cæcus
Nascitur, ex oculis cum generatur Amor.

A prædicamento Motus & Loci per metaphoram Laconismi acutè pungitur, qui asserebat terram moveri; 13.

Stare negas terram; nobis miracula narras;
Hæc cum scribebas in rate forsan eras.

A TEMPORE jocosa est illa prosopopœia, quâ pauper sepultus sic loquitur; 14.

Vita mihi exitium, requies, at certa sepulchrum;
Nudus eram vivus, mortuus ecce tegor.

Et in Epitaphio Athei

Mortuus est quasi victurus post funera non sit:
Sic vixit, tanquam non moriturus erat.

Ab HABITU. *Si vis componere mundum; dele hæc duo pronomina* MEUM, TUUM: tritum est etiam illud lemma mulieris Spartanæ sculptum in filij clypeo, *aut in hoc, aut cum hoc.* Jocosum est quoque illud Martialis, quo pungit quendam ex humili fortuna ad altiorem dignitatem evectum, ac grandem in digito gestantem annulum. *Annulus iste tuis fuerat modò cruribus aptus.* 15.

De sancta Apollinaria virum simulante

Pro mitra Galeam, chlamydem pro cyclade sumpsit
Utque virum fugiat, se facit esse virum

De Biante Philosopho

Omnia qui dixit *mea mecum porto*: videtur
Uxorem sapiens non habuisse Bias.

Ex hac metaphora laconismi ortæ sunt illæ antiquæ notæ, in quibus unica littera, vel duæ integrum significabant nomen, in quibusdam ruderibus antiquæ Romæ leguntur insculptæ hæ litteræ, A AA F.F.QV.TY. scilicet, *Auri, Argenti, æris, flator, fabricæ Quirinalis Tyberini.* B. M. FEC. *Benè merenti fecit.* B. V. A *Boni viri Arbitratu.* D.E. H L.IO.LIB PRI.DN MAR. PV.ET LI P. *Dedicatus est hic locus Jovi liberatori primo, deinde Marti pugnatori & libero Patri.* E. V.V. N V. V E *Ede ut vivas; Ne vive ut edas.* FO. S.V.P XX. INV. MM. LDBL. *Fode sub via pedes viginti invenies monumentum laudabile.* GL. S.H INT. E. *Gloria sua hic intus est.* HIC. LOC. HÆR N.SEQ. *Hic locus hæredem non sequitur.* IHS. XPS. *Jesus Christus.* I. M.I.ST. B. ABCD. *In memoria justi sunt bona abscondita, vel in monumento isto sunt bona abscondita.* O.A.C. O N T. I. *Ob Augusti Cæsaris obitum nos timor invasit.* P. P.P.P. ES S. S.S E V. V.V.V. V. V. F. F. F F. *Primus Pater Patriæ Profectus est, secum salus sublata est, venit victor validus, vincens vires Urbis Vestræ, Ferro, Fame Flamma, Frigore.* R. R. R. F. F. F. *Regnum Romæ Ruet, Ferro, Flamma, Fame.* S P Q.R. *Sabinensi populo quis resistet? Senatus Populusque Romanus.* S. ✠. F. Q.R Salva 16.

crux

crux populum quem redemisti. Beda ex prædictis litteris S P Q R. præsagiuit stragem Gothorum, *stultus populus quærit Romam.* & hæretici satyrice contra Pontificem hæc tuerunt interpretati, *sublato Papa Quietum Regnum*, quibus responderunt Catholici, *Salus Papæ, Quies Romæ.*

17. Ex hac laconismi radice aliæ pullularunt ultimis hisce diebus ænigmaticæ compositiones, in quibus signantur duntaxat primæ singularum vocum litteræ, cæteræ notantur interjectis punctis, ita ut punctorum numerus indicet numerum litterarum eiusdem vocis, & tunc est ingeniosior compositio; cum singula principia vocum eadem signantur litterâ Hoc scribendi genus pulchriora exercet ingenia, quæ in investigando sensu plurimum insudant: subjicio hic Pananagogiam de Deo sacramentato, scilicet elogium sacramenti, in quo singulæ voces incipiunt per litteram P. tali pacto

P.... P........., P.. P.......... P...,
P...... P.......P.......... P.......
P......,
P.. P.......
P....... P.., P.......
P........ P...... P...... P............ P........,
P...... P.... P...... P........,
P....... P.......... P..... P...... P........
P........, P......., P.....
P....... P..... P.......... P...... P........
P..........
P........, P........., P.......... P...... P......
P........
P.... P........ P.......... P...........
P........
P........., P......., P.........
P........, P......., P........, P......., P.......... P........
P...... P.....
P........ P....... P....... P.........
P......., P........., P......., P...,
P... P........... P.........
P...... P......

Legitur hoc modo:

Primo Psalmotori, pro Peccatoribus passo,
propria Patibula Perpendenda Præbenti
Psalite
Pio Pellicano
Præcordia Pura Pandenti
Pretiosum Poculum Profula Prodigalitate Propinanti,
Pinguis Panis Pabulum Porrigenti,
Perennes Parnasidis Palmas Plectro Pascentes
Præludite, Plaudite, Psalite;
Paradisi Portam Pulcherrimis Pyropis Perlucidam
Patefacienti,
Prolapsos, Prostratos, Peccatorum pondere Pressos
Prælevanti,
Plena Paradisea Promptuaria Peregrinantibus
Præparanti,
Perditorum Pectora Propriæ Passionis Pretio
Perlucranti
Præcinite, Plaudite, Præcantate.
Perfidos, Protervos, Pertinaces Prementi, Præterrenti, Plectenti
Pangite, Psalite,
Parsimonia Puritatem, Puritate Pudicitiam
Pudicitia Probitatem, Probitate Pacem
Pace Prosperitatem Propaganti
Plaudite Plaudite.

18. Venetijs in commendationem Senatoris Petri Pauli Paruta fuit, qui ludicro lusu elogium texuit, in quo cuiusvis vocis Italicæ littera initialis est etiam P.

Pietro Paolo Paruta
Prode, Prudente, Pervidente
Produsse palme per Patria, piantando

Palma
Publico propugnaculo
Provido, presidio per premunire Principal provincia
Pellegrino posa:
Passegia per potente piazza: pensa
Prefiggi premij Per Paruta: poi parti.

EXPENSIO XIV.

De metaphora oppositionis per decem prædicamenta.

1. AMphitheatrum quoddam inspiciendum nobis aperit metaphora oppositionis, in quo pugnantium, ac collidentium inter se se vocum, seu argutiarum robora gratius perspiciuntur; siquidem contraria contrarijs opposita magis elucescunt, imò gaudet hæc metaphora contrarijs, & pugnas inire; ne triumphi materia desit, ac occasio pugnæ nunquam deficiat; eò meliùs triumphat, quò contrarijs vallatur. Aristoteles hanc metaphoram satis commendat 3 *Rhet. c.* 2. ait, *Contraria simul collocata maximè apparent*, & 2. Rhet.c.29. *Quod per opposita dictum est, id videtur enthymema, sicuti enim inter colores, contrarij invicem positi maximè elucescunt; sic conceptus contrarij in oratione ad maximum elucent ornamentum.* Solent hæc contraria in quatuor partiri genera, In Adversa, Privantia, Affecta ad aliud, & Contradicentia. Adversa sunt, quæ militantia sub eodem genere plurimum differunt, ut virtus, & vitium, conveniunt enim in genere *qualitatis moralis*; licèt inter se maximè differant.

2. Per hanc oppositionem D. Ambrosius de Elia *cap.* 12. priùs describit vitium ebrietatis; postea virtutem temperantiæ ait: Fiunt ebrietate divites, qui sunt in veritate inopes: aurum donant, dispensant pecunias populla, civitates ædificant, qui non habent, undè cauponi potus sui pretium solvant; fervet enim vinum in his, & nesciunt, quid loquantur: divites sunt, inebriantur; mox ubi vinum digesserint, cernunt se esse mendicos: uno die bibunt multorum dierum labores; de ebrietate ad arma consurgunt; calicibus tela succedunt, pro vino sanguis effunditur, & ipsum sanguinem vina fuderunt. Calix Divi Hieronymi per hæc opposita argutè commendatur;

Facundi calices, quem non fecêre DISERTUM?
Quem non ELINGUEM, *reddidit iste calix?*

3. In virtutem, & vitium arguté iocamur alludentes ad illud adagium, QUOD RARUM CARUM.

Commune est vitium, tamen nil est carius illo;
Res utilis virtus, rara sit usque licèt,
In amicum frigidum
Ignis amor si sit veluti proverbia dicunt,
Heu mihi, quàm tuus est FRIGIDUS *ignis amor.*

4. Privantia sunt habitus, & ejus privationes, ut mors, & vita; lux tenebræ; somnus vigilia; visus cæcitas. A privantibus amœnè expenditur somnus septem dormientium. Hi dicuntur fuisse septem nobiles milites Ephesini, qui maluerunt post varios cruciatus in speluncam claudi, & per trecentos annos ibi dormire, & mori; quàm vigilare ad cultum falsorum Numinum sub Decio Imperatore. *Illud antrum Morphæi crede, in quo si mors illos non rapuit, somnus saltem mortis frater eos consopivit.*

Post varios casus, Divi requiescite: vobis
SOMNUS *erat quasi* MORS: MORS *quasi* SOMNUS *erit.*

Per privativa habetur etiam morale hoc scomma;

MORTUUS *ut* VIVAS; VIVUS MORIARIS *oportet*:
Assuesce ergo priùs, quàm moriare mori.

5. Homo quidam, qui mortis timore oppressus, mortem perhorrescebat; sic consolatione lenitur, & à timore avertitur per opposita privantia;

Plorabas cum NATUS ERAS. *fuit ergo voluptas*
Nulla, tibi nasci; cur dolet ergo MORI?

6. De vipera etiam, quæ pariendo perit, ac moritur, & de Phœnice, qui moriendo renascitur argutè dicitur ab oppositis.

Tu PEREUNDO PARIS *viventem mortua Phœnix,*
Vipera vi pariens, tu PARIENDO PERIS.

Gratitudo puerorum, & senum brevis
Quod bene fit puero perit, & si permanet ille;
Decrepito quod fit, non perit, ipse perit.

In Eremicolam impatientem.
Ne succenseres, turbam subterfugis? erras:
Non tibi turba: tibi tu fugiendus eras.

Et de Equite quodam Hierosolymitano Romæ casu à præduro pane perempto,

O nova res, nunquam sæclis audita vetustis,
Quo debent homines VIVERE *panę* MORI.

7. Affecta ad aliud, vel ut à Logicis appellantur relativa, ea sunt, quæ se mutua naturalis affectionis consociatione complectuntur, ut *datum acceptum.* Relata etiam connotant plurea Historias convenientes simul in aliqua ratione: sic Bargiocchua lepidè expendit Historiam illius matris, quæ diruta terræ motu Antiochia inventa est mortua, & lactans infantem vivum: alluditur ab opposito ad matrem Hierosolymitanam, quæ in obsidione Hierosolymæ sub Tito Imperatore, ne fame periret proprium mandit infantem:

Cum cecidit magno terræ concussa fragore,
Clara per Argolicas Antiochia plagas:
Inventa est genitrix præbens lac mortua nato,
Qui de materno funere vivus erat.
O mirum! Solymæa parens crudelior urso,
Ne pereat, Nati membra tenella vorat.
Hæc perit, ut fugat maternos filius annos,
Illa feris peior, mater at ista fuit.

8. Margarita Justiniana Monialium cœnobium ingressa, à relatione Historiarum sibi gratulatur pro recisa coma;

Et Sampson imbellis erat si crine reciso.
Pugnabo abscissis fortior ipsa comis.

9. Demum contradicentia sunt opposita, quorum unum negat, quod alterum affirmat, & de eodem non possunt vetificari: illa tamen opposita sunt amæniora, quæ aliquam æquivocationem involvunt, ut in hoc Italico versu. NELLE CALME *d' Amor si fà* NAUFRAGIO. Mirabile est etiam illud tetrasticon, in quo per opposita definitur Amor.

Lex exlex: lux atra: via invia: serva potestas:
Irrequieta quies: & male fida fides.
Turpis honos: pietásque ferox: odiosa voluptas:
Pax discors: stans mobilis: ægra salus.

10. A SUBSTANTIA arguta sunt illa opposita Virgilij apud Thesaurum *Mulcentem* TIGRES, *& agentem in carmina* QUERCUS: *& audetque* VIRIS *concurrere* VIRGO. Per hanc categoriam amænè describitur Bombyx serici faber, ac textor;

Verme, che poscia beve ostri reali,
Pretiosa Prigion tesse col labro;
Indi muore, e rinasce angell', o fabro;
DEDALO *al Labirinto*, ICARO *all' ali.*

In sculptorem improbum

O metamorphosis! tibi SAXA *simillima fiunt.*
Tu SAXIS *similem te facis esse tuis.*

11. A substantia de Julio Cæsare, quia mollis erat, ait Thesaurus: VIR *fæminis fuit, viris* FOEMINA, *in utroque Cæsar, qui Romæ propugnator non regnavit, regnavit expugnator.* De Cæsare Augusto, *Doluit patria cùm Augustum Principem fecit, gavisa, cum habuit, timebat* CARNIFICEM, MEDICUM *experta. Licèt vitijs immersus, vitiorum tamen severus ultor, quæ admittere pudebat, committere non puduit*, & de Flavio Domitiano occupato in captandis muscis, *Scena interdixit Histriones solus Histrio daturus scenam. Hostibus* MUSCA *fuit, Muscis* HOSTIS. Et de Eva prima hominum matre, Prodiisti ex OSSE, sed evasisti CEREA, nisi malum aliquod grave, vel omiuari, vel parere poteras, nempe prodiisti ex vulnere; erubuisti mulier, quia nuda: erubescant *aliæ*, quia lascive vestitæ: post mulierem mundo fatalem, muliebris inventus est mundus. Gemmeus torques curvatur in anguem, ut esset (ait Clemens Alex.) sceleris imagini pretium; errabas dum credebas consilium rectum percipere ab angue spiris intorto; flexit ille te flexibus tuis, flexisti tu quoque virum illecebris tuis; propinasti *acceptum* virus viro. Meritò datus est tumor ventri; cui fuerat tumidus fastus mentis, fructum edidisti arboris gaudens, sed fructum edidisti uteri dolens.

12. A QUANTITATE Terentius *pro peccato* MAGNO PARUM *supplicij satis est*, & Seneca in suasoria Alexandri, ait, *Alexander orbi* MAGNUS, *Alexandro Orbis* ANGUSTUS: à quantitate numerica Ovidius, *Quam meruit pœnam* SOLUS *digessit in* OMNES: à quantitate ponderis Seneca; *interdum* LEVIORE *incommodo* GRAVIORA *sanata sunt vulnera* & Momus ille, quia quidam Princeps licèt justè, ac sanctè imposuerat vectigalia super folium, quod vulgò dicunt tabacum, acutè à quantitate ponderis dixit Italicè

E dal rigor delle superbe soglie
S' impongon le GRAVEZZE *anch' alle foglie.*

Hoc est: oneribus etiam folia à Principibus gravantur, quæ natura levitate dotavit, Ut videantur tributa, & vectigalia rerum repugnare naturis

Contrà argutè parem se dicit calvo

Calve meos nunquam potui numerare capillos,
Nec numerare tuos. Jam sumus ergo pares.

De Epigrammate

Res ais est epigramma LEVIS *cum scribitur in te*
Cur fers ergo LEVEM *rem* Line *tam* GRAVITER?

De vita longè petenda ex temperantia

Si tardè cupis esse senex, uteris oportet
Vel MODICO *medicè, vel medico* MODICE

De Fortunæ inconstantia

Non hæc inconstans ut pictor imagine fingit
Sed tantùm constans in LEVITATE *sua est.*

A QUALITATE. Cicero: *in Fuga* FOEDA *mors* 13.
est: in victoria GLORIOSA. Seneca loquens de Cæsare. Fuit ferendarum *injuriarum* IMPATIENS; *faciendarum* CUPIDISSIMUS. De Venere à qualitate corporis, & animi dicitur;

Principium DULCE *est, at finis amoris* AMARUS,
LÆTA *venire venus* TRISTIS *abire solet*

Ausonius de scriptura, *in* ALBA *pagina*, NIGRÆ 14.
Cadmi filiæ currunt. Virgilius ALBA *Ligustra cadunt vaccinia* NIGRA *leguntur*, Ovidius: *sed fuit in* TENERA *tam* DURA *superbia forma.*

In somnia, quæ opposita in vigilia efficiunt.

Quæ mala sunt, bona sunt; mala, sunt bona somnia quare?
Gaudeo si mala sunt; si bona sunt doleo.

In calumniatorem improbum

Quod laceras Jodoce meam mihi gaudeo famam.
Laudari est, homini displicuisse malo.

Sanitas sæpe epota perdit sanitatem.

Una salus sanis nullam potare salutem.
Non est in totâ vera salute salus.

Martialis ad Parthenopæum tussim nimia delicatè curantem lib. 11. Epigram. 46.

Mella dari, nucleósque jubet, dulcesque placentas.
Et quidquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas totis tussire diebus;
Non est hæc tussis Parthenopæe, gula est.

In confessiones D. Augustini

Virtutes alij proprias per compita vulgent:
Tu mihi vulgato crimine major eris.
Nam tibi mutato surgit de crimine virtus:
His quod erat virtus, incipit esse scelus.

A RELATIONE de Hermaphrodito dicitur: 15.
Nec mas, neque fæmina, sed uterque: mas inter fæminas; fæmina inter mares; idem sibi FRATER, *&* SOROR, VIR, *&* UXOR, *nec lanis aptus, sed nec armis, utrumque sexum dedecorat, aptior tamen magis telis quàm telu.* Thesaurus in suo ænigmate, sic introducit Adamum loquentem per opposita relativa. *Nec orbus, nec Posthumus fui, sed* PATRIS *expers; vel fecit me* PATER *non genuit.* MATREM *non habui, quæ me habet; lignea nutrix sine lacte* VIRUM *me aluit, non* PUERUM: FILIAM *non* FILIAM UXOREM *duxi, quæ simul nata, & nupta uno partu* NEPOTEM *mihi, &* FILIUM *genuit,* REX *sine urbibus,* DIVES *sine auro, sine* MAGISTRO *eruditus lyceum apertus tot nactus Auditores, quot homines.* Le-

pidum est quoque illud ænigma in Æ lipum, qui propriam duxit in uxorem matrem AVI GENER, PATRISQUE *viralis fuit*, FRATER *suorum* FILIORUM: & FRATRUM PARENS. *Uno Avia partu* LIBEROS *peperit* VIRO *ac sibi* NEPOTES: *monstra quis tanta explicet?* & Ovidius de Mirra Virgine, quæ Patris amore capta eum eo nuptias anhelabat.

Tunc eris, & MATRIS *Pellex, & adultera* PATRIS?

Tune SOROR *nati*, GENITRIXQUE *vocabere* FRATRIS?

Seneca. HOSTIS *est, qui mihi non monstrat* HOSTEM.

Lex Lis argutè pugnant.

FILIA *lex litis bona* FILIA *pessima* MATER

FILIA *lis legis* MATER *bona pessima* NATA

De Juda Proditore, & projiciente pecunias

Mammonæ simul, atque Deo FAMULATUR *Judas*

Jungere divitias, pauperiemque cupit.

At miser ut DOMINIS *voluit servire* DUOBUS

Obsequio DOMINUM *perdit utrumque suo*

De famulo serviente duobus Dominis

Tu DOMINOS *sequeris geminos: mirabile dictu,*

Si vel utrique places tu, vel uterque tibi.

16. Ab actione, & Passione oriuntur illa arguta lemmata Phrenoschematum, ut est illud super thus exardens in turribulo FRAGRAT *dum* FLAGRAT. In fontem DESCENDO *ut* ASCENDAM. In basilicam herbam conculcatam pedibus: *dum* CONTERITUR GRANDE CIT *sublimior*. In Palmam DEPRESSA *crescit* SVBLIMIOR. Super Asbestinum linum expositum flammis. URITVR, *non* COMBVRITVR. Super arundinem agitatam vento FLECTITVR, *non* FRANGITVR. Super Simiam inter amplexos strangulantem proprios partus OFFICIT OFFICIIS. In sphæram cœlestem. QVIES INQVIES Super sagi tam vibratam ab arcu nihil PRÆPES PERPES. Super Phœnicem morientem in flammis: *se* PARIT *dum* PERIT; dignum scitu est etiam illud Alexandri Severi; intellexerat Pius Imperator aulicum quemdam Vetrurium nomine regias dignitates vendidisse, jussit illicò fumo suffocari; interim Buccina or inclamabat *Fumo* PERIT *qui fumum* VENDIDIT, & certè fumum crede dignitates, quæ lachrymas ab oculis Vetrurij, sic ubertim excuerunt.

17. Ab hoc fonte scaturiunt etiam illa effata, quæ paucis comprehensa verbis plura in Politicis significant. Ut sunt hæc. *Melius tondere quàm deglubere:* quia princeps non debet sanguinem elicere a subditis. *Marcet sine adversario virtus. Audentes fortuna timet. Bonis nocet, qui parcit malis;* quia tunc scelera in perniciem pro. borum impunè grassantur *Esto quod audis. Festina lentè. Fumo pereat fumi venditor. Injuria unius minæ multorum. Vana est sine viribus ira. Nil difficilius, quàm bene imperare. Miles legendus non emendus. Nil aliter, Oderint dum metuant.* Vox tyrannica, quæ multos principe egit præcipites. Verum illud Taciti dicentis: *Metum, & terrorem infirma esse charitatis vincula. Placere vivus, laudari mortuus volo. Princeps miser quem latet veritas. Qualis Rex talis grex. Qui timetur timeat. Regni clementia custos. Rex viva lex. Tutum silentii præmium. Negotia tamdiu tuta quamdiu tecta. Celare dolorem difficile. Eripere telum, non dare irato decet. Malè partum, malè disperit. Malo nodo malus cuneus. Nunquam periculum sine periculo vincitur. Parendum necessitati. Quod pudet pigeat. Quod cito fit, cito perit. Festina lentè. Tempori te tempera. Vive ut vivas. Ne quid nimis. Ubi mel, ibi fel. Aurea claris omnem januam aperit. Qui nescit dissimulare, nescit imperare.*

18. De vulneribus Christi;

Pharmaca sunt potiùs quàm vulnera, vulnera Christi,

CVRAT *enim plagis vulnera nostra suis.*

Prisca fides taceat flores è sanguine NASCI

Nunc ipsis cruor è floribus EXORITVR

Et de Divo Benedicto

Tam BENE-DICTVS *eris, quàm* Bene-FACTOR *eras*

Marcus Tullius de Cæsare, & Pompeio, *utinam societatem, vel nunquam* INIVISSENT, *vel nunquam* DIREMISSENT.

Lepidum est illud *urbs alitur, & alit rus*

Urbs sterilis fructus agrorum in stercora vertit:

Fertilis in fruges stercora vertit ager.

Rex & Tyrannus

Jussa boni Regis precibus præpone Tyranni.

Cum rogat ipse, jubet: cum jubet ille rogat.

Religiosus, & Politicus sæcularis

Quod bene fit, malè nimium si fiat apertè. Relig.

Occultè dum fit, quod malè, bene fit. Polit.

Moriendum in vita, ut vivas post mortem

Mortuus ut vivas, vivus moriaris oportet.

Ergo priùs discas, quàm moriare mori.

19. In Doctores

Hi mihi Doctores semper placuere, docenda

Qui faciunt, plus, quam qui facienda docent.

20. Tempus edax rerum

Tempore tempus edax edit omnia Dydime; sed tu

Dum nugando teris tempora tempus edis.

21. De vano promissore

Omnia te dicis facturum: nil facis Asme,

Nempe labor minor est dicere, quàm facere

22. De Nerone occidente matrem

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?

Sustulit hic matrem; sustulit ille patrem.

S. Genovefa Matri cæcæ visum reddit

A matre in LVCEM *Genovefa est edita: matri*

Grata iterum LVCEM *dat Genovefa suæ.*

23. A Loco, & situ de D. Catharina Senensi, quæ vivens auream Christi coronam respuens, spineam fuit amplexa, & post mortem Romæ in Sacello Sacratissimi Rosarij Templi Divæ Mariæ super Minervam ejus corpus jacet.

Claudit Senensem Catharinam Altare Rosarij,

Vixerat in spinis, nunc tumulata rosis.

De Morte quoque; & Marte à loco ubi Bellum non belle geritur;

Omega

Omega nostrum MORS est MARS alpha malorum

In BELLO distant OMEGA, & ALPHA patum.

Plinius de Traiano Imp. ut tantum SUPRA ceteros, quantùm INFRA te cernerentur. Seneca: HUC vota mittam, illa QUO mitti haud queunt.

De viro forti, & Nauta

Omne SOLUM forti patria est, fortem excipe nautam

Pontivagis nautis omne SALUM patria est

24. A loco

Oriens infidelis, Occidens fidelis

Floret DEXTRA fides in mundi parte SINISTRA

In mundi EXTRA parte SINISTRA fides

25. A situ de Claudio Tiberio Nerone; Vir in pessimis acuto ingenio, obtuso in optimis, DEXTERAM Fortunam, SINISTRAM virtutem habuit.

26. A MOTU Ovidius Ire vagas quercus, & flumina STARE coëgi. Et de tempore idem Ovidius: Tempora sic FUGIUNT pariter, pariterque sequuntur. Habetur etiam illud scomma Augusti Cæsaris FESTINA LENTE. Festivè etiam adhibetur oppositio in prædicamento Motûs, si ordinatim post plurium quietem causa assignetur aorundam motuum specie differentium, ut in hisce carminibus.

Nux, asinus, campana, piger sine verbere cessant.
Hæc dura, hic tardus, hæc tacet, ille jacet:
At simul ut plagam palmæ senserit vel ulmi:
Hæc cadit, hic pergit, hæc sonat, ille studet.

Assignatur causa diversorum motuum, vel actionum, quæ opponebantur quieti plurium.

27. A prædicamento TEMPORIS Tertullianus de Pavone; SEMPER ipse NUNQUAM ipse, & Ovidius de Invidia: Anxia LUCE gemit, NOCTE gemit. Terentius plus HODIE boni feci imprudens, quàm sciens ANTEA. Claudianus SEMPERQUE tenemus, quod superi meruêre SEMEL.

A tempore de Christo nascente, & patiente

O nati Christi bona nox! o lux mala passi!
Lux mala luce caret: nox bona noctis caret.

28. Ab HABITU Thipheus apud Nonnium exultans post gigantomachiam: Pulchrum est mihi FISTULAM post FULMINA sumere.

29. Animadvertendum est in calce hujus capitis, quòd oppositio non solùm relucet inter opposita; verùm etiam inter duos terminos disparatos, ut quando ad explicandam volubilem inconstantiam juventutis, dicitur, Quid est JUVENTUS, quàm VENTUS. Nonnunquam oppositio splendescit inter unum terminum positivum, & alterum negativum, ut de echo, LOQUITUR sine LINGUA: de columba Architæ Tarentini VOLITAT, & non VIVIT: de horologio semper CURRIT, & nunquam MOVETUR: de umbra FUGIT, & NON TIMET.

Pauper sepultus

Nulla mihi vivo domus, at nunc certa sepulto est
Vitaque paupertas, mors mihi divitiæ,
Vita mihi exilium, requies at certa sepulcrum
Nudus eram vivus, mortuus ecce TEGOR

Gallia ipperens novitatis in vestitu

Cupis doceri, Gallicæ juventuti
Quod vestium placeat genus?
Quodcunque nunquam placuit, hoc Nestor
Quodcunque placuit displicet.

Aliquando opponitur huic per GEMINATIONEM, dignum est mori, antequam sis dignus mori: vel per dilemma; aut experta juras, aut non experta pejeras; vel per IDENTITATEM AGENTIS, & PATIENTIS. Qui terras ignibus urit, uritur igne novo: vel per NEGATIONEM Sparta ibi mutos habet, ubi non habet: vel per GRADATIONEM. Ovidius Infelix sua viscera traxit; tractáque; calcavit, calcatáque rupit. 30.

31. Ab hisce oppositis arguté Eques S. Jacobi Carolus Andreas Sinibaldi mihi jam dudum devinctus amicitia cecinit Etrusco, seu vernaculo carmine in prematuram mortem Joannis III. Subjeschi Poloniæ Regis

Marte, per non soffrire amulo in Terra
contro il Sarmato Re spinse la morte,
ch' intenta à segnalarsi assalse il Forte,
E l' atterrò mentre non era in guerra.
Che s' ei l'Astra i brandia, che mai non erra,
E quel Ferro, ch' à Dire apre le porte,
Marte, e morte, al Valor che rende aborte
Le forze altrui, giti sarian sotterra,
Ma di si chiara, e di si nobil spoglia
Del grande Eroe non andò morte altera
ch' il suo nome immortal morte si spoglia.
Ne Marte anco godè d' invidia intera,
ch' il gran Giovanni in sù l' Eterea soglia
Ad occupar gli andò la propria sfera.

Idest; Ne Mars æmulum experiretur in terris, cujus præclara gesta suam obscurarer gloriam; mortem accersitam in Poloniæ Regem lacessivit, quæ virorum fortissimum bellatorem prostravit extra castra. Quòd si armis munitus suis pugnâsset; mars, & mors minimè prævaluissent. Sed si vicit mors inerme corpus, cujus exuvias secum detulit in sepulchrum: ejus nomen, fama, & gloria mortem ipsam vicerunt immortalitate donata. Neque gloriari potuit magnum vicisse Joannem, cum in cœlum avolaverit, ejúsque sedem occupaverit Est mars in terris Belli Numen; & in cœlis Planeta.

32. Per metaphoras oppositionis habetur mirabile illud ænigma de Phœnice, de quo plura argutè apud Tertullianum. Siste viator; & mira audi. Hæc est fœcundissima illa virgo, quæ sine mare fœta, suimet genitrix est, ac soboles, altrix & alumna; quæ vitalis interitus, lætissimique lethi cupiditate capta delicias in funere, sepulchrum in delicijs, cunabula experitur in sarcophago, ubi redivivi cadaveris sui præfica, & pronuba, oritur cum moritur: odoratum thalamum in tumulo jucundis myrrhæ lacrymis perfusum construit, & læta letho inhiat. Mox ferales è solari lampade mutuata faces, alarum flabro diventilans pyram accendit, ut clariora in ipsa experiatur cunabula; sese enim parit, cum perit, simul fœta, & adulta, nata

nata, & nacta è morte vitam; alia siquidem, & non alia supremum sibi diem celebrat, & natalem; epicedium sibi canit, & epinicion. Eadem sibi Clotho, & Atropos sempiternum vitæ stamen incidendo redorditur.

13. Plurimum igitur habent illicij, & acuminis illæ argutiæ, quæ ex contrariorum quasi pugna, & dissimilibus pugnantibus eruuntur; tunc totum acumen situm est in concordi discordia. Ab hoc fonte manârunt plurimæ argutiæ, cujusmodi sunt illæ de Caligula in castris nato: dicitur enim: *In mortis vestibulo vitam hausit: nondum puer jam miles: priùs gladium vidit, quàm solem; sed præposteram vixit ætatem, nam ut Mavors natus, ut Bacchus vixit, fortior puer, quàm adultus.* Illæ verò argutiæ centenitur plus habere aucupij, quæ præter spem, & opinionem aliquid exhibent; ut cum de D. Joanne Chrysostomo dicitur: securitatem, quam daret alijs, eripuit sibi. Vir in omnibus aureus, tametsi tolerantia eum ferreum probaverit. Veram invenit patriam, cum in exilium properaret. De viro resipiscente, quique postquam vitiis indulserat, virtutum incumbit culturæ habetur. A vitiijs exorsus, in virtute confecit ætatem, miserandus quòd ita incœperit; mirandus quòd ita desierit. Ludicrum est illud de præcoci ingenio. Curre curre magne vates, me juvat lentum sequi. Tarda quercus esse malo, quàm citò repens cucurbita.

14. Per opposita de Christo, & D. Petro cruci affixis argutè per interrogationem, & responsionem.

Cur Petri sursum plantæ, Christique deorsum?
Sub terras ibat Christus: in astra Petrus.

Argutum est etiam quòd per opposita habetur de partu Phœnicis, & viperæ.

Tu pereundo paris viventem mortua phœnix:
Vipera vi pariens, tu pariendo peris.

Plurimum habent illicij illæ oppositiones, quæ habentur per carmina retrograda

Signa te signa temerè me tangis, et angis
Roma tibi subito motibus ibit amor.

15. Aliquando non singulæ litteræ, sed integræ voces retrogradè releguntur, ut est illud Dialogicum distichon Abelis, & Caini fratrum

Abel *Sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo*

Cain *Sacrificabo macrum, nec dabo pingue sacrum.*

EXPENSIO XV.

De metaphora deceptionis per decem prædicamenta.

1. Vltima metaphora est deceptio, quæ inter cæteras plurimum habet leporis, ac aucupij, plurimósque spargit flores, qui animum exhilarant, ac suavissimè mulcent; virtus hujus metaphoræ sita est in eo, quòd intellectus urbanè ab inexpectato decipiatur; fitque quando tu credis ex antedictis periodum desinere uno modo, & de facto præter tuam opinionem sed argutè desinit alio modo quem non expectabas & hæc novitas objecti exhilarat animum. Ut illud Martialis

Munera qui tibi dat locupleti Gaure, senique:
Si sapis, & sentis, hic tibi ait: MORERE.

2. De viro probo inter alios nefarios, moribúsque corruptos, rectè dicitur. *In corrupto sæculo ille integer: ut scias magna inter vitia magnæ virtuti locum esse.* Huc spectat illud de Caligula Cæsare, qui primus aurea usus est corona

Primus Apollinea commutas fronde metallo
Cæsar, & aurifero stringis in orbe caput.
Insano capiti fragiles per tempora frondes
Non sat erant: nodo Te meliore ligas.

3. De Tyranno, qui Martyri linguam præcidi jusserat, dicitur: *Non abs re linguam innocenti jubet præcidi: prima enim Tyranni cautio est in linguas.* Habetur etiam illud de carminibus argutis

Hæc ego jure sales Epigrammata dixero: quare?
Nempe sui faciunt sæpe relecta sitim.

4. De viro timido, qui grassante peste mortem timuit, *tot inter mortes mortem reperies, miseriùs enim est misero animam trahere, quàm tradere.* De Poeta scitè dicitur: *Tum maximè sapit, cum maximè furit*, ubi tu expectâsses, *cum maximè studet.* Habetur & illud Timonis Momi in contemptum Platonis: *Dux ille Plato, cujus ab ore melos manabat, quali lepida modulantur voce* CICADÆ, ubi tu expectâsses dulcisonos Cycni cantus. Deceptio itidem fuit illa prisci comicè dicentis amico: *spero tibi eventuram hoc anno maximam messem mali*, ubi amicus ab amico credidisset audire *maximam messem annonæ*: celebris itidem apud Plautum Parasitus per hanc metaphoram ab inexpectato se jactavit inquiens: *Patres, Avos, Proavos, Abavos, Tritavos meos, nullus potuit vincere edacitate*, tu expectâsses audire *in bello.* Demaratus quendam laudaturus, qui lyram, seu instrumentum musicum, in quo quot fides, tot resonant voces haud egregiè pulsabat dixit: *Certè egregiè hic mihi videtur delirare* scilicet insanire. Lepidum itidem est illud in Neronis obitum. *Didicit tandem orbis infortunia rarò incedere solitaria, dum post luctuosam Principis nostri necem nova in Imperium tonuit procella ranarum coaxantium.* De Rege Joram scitè dicitur: *Ad regnum elatus fratres sustulit, nempe Tyrannus sanguinem sitit, quem timet; nunquam latus nisi cum epicedia canit*, expectâsses *nisi cum bibit.* De eodem: *Rogo denium caruit, non tumulo; igne fraudatus, quem meruit, nimirum Tyranno maxima pœnarum est, post necem non lucere, ac inter Manium umbras fordescere.* Plerumque deceptio fit per mutationem alicujus verbi in vulgato effato, quo pacto encomium, quod Fabio Maximo tribuitur: *Unus homo nobis cunctando restituit rem.* Cæsar Augustus per mutationem unius solius verbi inflexit in laudem Tiberij, de quo dixit *unus homo nobis vigilando restituit rem.*

5. Hujus metaphoræ meminit Aristoteles 3. *Rhet. c. 11.* ubi ait, *sunt etiam urbanitates per translationem ex deceptione*, & infra, *quia nova placent, ideo sententiæ, quæ desinunt præter opinionem delectant*; ex quibus verbis deducitur totam venerem hujus metaphoræ consistere in conclusione ab inexpectato, ut videre potes in subjecto carmine Italico in argutam lytam;

Un'

Un' animato legno,	*Hor' alta, & or dimessa,*
Da bella man veloce,	*Ciò che mai sè confessa,*
Vidi ridotto à segno,	*E come ciò s'accorda?*
Che in sua canora voce,	*Miserello, ch' egli è, pende à la corda,*

Id est: lignea chelys argutè a C.haredo pulsata adeo vocem verba exprimentem exhibet tensam, ac remissam, ut quæ non perpetravit delicta, audiatur fateri. Non tamen mirum; chordarum torquetur supplicio, seu tortura.

5. A SUBSTANTIA jocosa est conclusio illius epigrammatis in simiam, quæ ut ignem accenderet sumpsit pro ignea scintilla cicindelam, seu Noctilucam, vel ut vulgò aiunt, muscam noctu lucentem;

Simia, ut accenso nova frigora trumperet igne,
Ingerit EXTINCTO *ligna cremanda* FOCO,
Et CICINDELAM *sumens, putat esse* FAVILLAM,
Quâ valeat calidas ore parare faces
Sed quo plus buccis insuflat sedula plenis,
Quæsitos ignes suscitat aura minus,
O fœlix error! nam si hæc SCINTILLA *fuisset*
Sufflasses digitos, simia mæsta tuos.

6. A substantia Homerus in ranarum, pugna Lectorem decipit;

Nobile Martis opus, grandique vibrata tumultu,
Arma cano: cum belligero stimulante furore,
Fortia magnanimi moverunt prælia MURES

ubi tu credebas audire *moverunt prælia* RANÆ sumit itaque unam substantiam pro alia. Ridicula vero est conclusio illius comediæ, ubi ingens aderat populorum multitudo; *Ite, abite, valete* MUSCÆ. alij enim expectabant *valete auditores homines;* & Martialis de quodam Momo, *Non est hic Cyriens Cosme, sed* CANIS.

7. A QUANTITATE de eo, qui totum dissipaverat patrimonium: *hic filiu suis reliquit* MAGNUM Nihil. Apud Terentium aiebat Getas *O si quis daret mihi talentum* MAGNVM, cui respondit Cremetes; imò *malum:* interim ille expectàsset, *imò maximum,* & senex irascens famulo: Ispero tibi eventuram hoc anno maximam messem MALI; servus verò credi disset *maximam messem* ANNONÆ. De Filio prodigo OMNIA *distribuit pauperculis* MERETRICVLIS, tu expectasses VIVIS.

8. A QUALITATE morali est illud carmen Martialis *Gaude Zoile non vitiosus homo es, sed* VITIUM, ubi Zoilus credebat audire, *sed virtute* PRÆDITVS. Apud Plautum ridicula est illa deceptio Parasiti iactantis gesta suorum majorum; *Patres, Avos, Proavos, Atavos, Abavos meos non quisquam poterat vincere* EDACITATE. tu putasses armis. Martialis lib. 12. Epigr. 30 in L.bullum

Non es, crede mihi, bonus: quid ergo?
Ut verum loquar, optimus malorum.

9. A RELATIONE. Adam, quia unum comedit malum, omnia nobis evomuit mala; quid credis patrem non habuisse? MATREM PROPRIAM LIGONE TRUCIDAVIT: tota deceptio relucet in illis verbis *Matrem propriam trucidavit,* quia enim Deum non coluit, terram matrem ligone coluit.

10. Ab ACTIONE barbara est illa deceptio apud Homerum, qua Cyclops virorum vorator Ulyssi dixit: Egregium tibi honorem facio, ut te postremum comedam; hinc honor Cyclopeus abijt in adagium; quò significamus, aliquem sub umbra, ac prætextu amicitiæ aliquod damnum nobis inferre. Ancilla Spartana interrogata ab Hero, *quam artem exerceret:* prudenter respondit. FIDELITATEM. De Flavio Domitiano Imperatore, dicitur; *Nec Martis minus, quàm Minervæ* ACERRIMVS, *sua manu infestas legiones delevit* MVSCARVM. *Bis Navali prælio fortiter interfuit.* IN ARENA *Sarmatas, Dacas, Barbaros omnes Imperij hostes* SVPERAVIT BARBARIE. De eodem. Fratrem instituit, ut attolleret.

11. A PASSIONE Martialis argutè, ac lepidè,

Munera qui tibi dat locupleti, Caune, scis que,
Si sapis, & sentis hic tibi ait MORERE.

De Lunæ ecclypsi collata cum defectu fœminæ

Ecclypsim rarò patitur Sol, Luna frequenter;
Est magis ad lapsum fœmina prona viro.

12. A MOTU Martialis acutè punxit avaritiam cuiusdam amici, qui ad cænam illum non invitaverat.

Irascar licèt usque voces, mittasque, rogesque;
Quid facies inquis? quid faciam VENIAM,

A motu passionum animi habetur illa ridicula deploratio Martialis ob consumptam incendio domum Theodori;

O scelus, ò magnum facinus, crimenque Deorum:
Non arsit pariter, quod DOMUS, *&* DOMINVS.

In quo disticho affectus miserationis desinit ab inexpectato in affectum complacentiæ de malo alieno.

13. A prædicamento TEMPORIS arguta fuit responsio Bardellæ, qui ob multa patrata crimina die Sabbathi damnatus patibulo, respondit sacerdoti Religioso, qui in patibulo ei dixerat, *Macte animum fili, quia vesperi cænabis in paradiso.* Respondit ipse. *Curre tu quæso admodum reverende pater ad cænandum pro me; ego libenter renuncio tibi hanc sanctissimam cænam, quia die Sabbati semper consuevi jejunare;* & de illo Imperatore, qui eadem die, qua creatus fuit Imperator solvit naturæ pensum, ait Cicero: quæris quanto tempore imperaverit Cæsar. Respondeo Cæsarem Imperatorem nec ver, nec æstatem, neque Hyemem, neque autumnum, neque noctem vidisse. Jocosa quoque est illa deceptio Martialis

Sæpe rogas, quot habes annos? Respondeo nullos:
Quomodo? Quos habui, Pontice, non habeo.

14. A LOCO apud Plautum iocosa est illa salutatio Argyrippi *vale apud* ORCVM: à loco etiam miles Spartanus videns in quadam tela delineata gesta, ac picta facinora Atheniensium dixit: fortissimi sanè Athenienses, ac strenuissimi sunt in TABVLA, scilicet in tela, non in campo.

campo. A loco de Christi nativitate. *Subiit suburbanum antrum paritura Virgo, comite Josepho viro sanctissimo; nondum enim urbes Virginitas, & sanctitas incolebat.* De Caino eleganter dicitur. *Urbem primus condidit, & meritò; ut si campis securitatem depulerat, carcerem sibi moliretur, sed nulla impijs tuta latebra.* De Trossulo

Sæpe genus jactas Romanum Trossule: credo;
Nam Romæ multos legimus esse Brutos.

15. Ab HABITU Virgo Spartana interrogata à non locuplete Juvene Amasio, *quam dotem haberet*, respondit, *Pudicitiam*, ubi juvenis expectasset decem, vel duodecim talenta: lepida est etiam illa Aristotelis pungentis quendam virum ulceratis incedentem pedibus, *is lepidè incedebat, geminos in pedibus gestitans elegantissimos* DERNIONES, quæ vox græca latine significat ulcera; tu igitur expectabas audire elegantissimos calceos: & de mancipio, quod remum in triremi semper tractaverat. Vir ille præclarè semper vixit, ac illusteis fuit; scilicet *torquatus in pede.* De Divn Paulo primo Eremita pulchrè dicitur

Totum te palmis vestiri Paulo necesse est
Namque tui toto corpore victor eras.

EXPENSIO XVI.

De Regulis conficiendi plures argutias in idem subjectum.

VIdimus quomodo octo Aristotelis metaphoræ transcendere possint per omnia decem prædicamenta: modò superest enucleanda regula conficiendi argutias per eadem prædicamenta, ac metaphoras: qua in re viam nobis aperuit Emanuel Thesaurus in suo opere, cui Titulus est *Il cannocchiale Aristotelico* Telescopium Aristotelicum, ubi proponit Apem in electeo clausam, ac sepultam. Proposito igitur objecto considerandum erit, an sit objectum simplex; an compositum; objectum simplex est v. c. *Musca, Apis, ursus*: objectum vero compositum est, quod componitur ex multiplici voce, *ut ursus percurrens sylvam in foveam melle repletam ab apibus labitur, ubi dulci captus visco emoritur;* ubi potes considerare circumstantias *ursi, & mellis* per decem prædicamenta tali pacto. 1.

URSUS.	MEL.
Substantia.	
Animal, Monstrum, Megera, Arpia, Pilosum corpus, fera sæva, carnifex pecudum Lernæum monstrum.	*Flumen dulce, Opobalsamum saucium, florum sudor, viscus pretiosus, humor aureus, nectar concretum, lac cœli.*
Quantitas.	
Bellua grandis, gravis, monstrosa, oblonga, informis crudelissima, ingens fera.	*Liquor gravis, informe corpus, formas se in omnes vertens, stilla florum, ruralis merx, apum onus,*
Qualitas.	
Fera obscura, horrida, rauca, ignobilis, fœtida, crudelis lurida.	*Liquor dulcis, illustris, flavus, pretiosus, tenax, auro concolor, sapidus, gratus palato.*
Relatio.	
Crudelitatis pater, hostis hominibus, amicus sanguinis, Arpiæ, ac Megeræ similis, sylvarum filius, monstrorum parens, fera insociabilis.	*Apum filius, ex avibus genitus liquor, coquorum turbis amicus, palato carus, auro similis, gustui gratus, ferculis familiaris.*
Actio & Passio.	
Homines occidit, greges dilaniat, innocuis nocet, lapides proiicit, & ferit; alias feras insectatur: informes suos fœtus lingua efformat; assuescit asperis.	*Muscas captat, insulsa edulia condit, aureus fluit liquor, dulcedine omnia suaviter condit, ceras sacris aris ministrat, palatum illicit, languidum præ fame stomachum reficit, amissas vires restituit.*
Locus & situs.	
Præruptis nascitur in antris, opaca nemora occupat, per alpium juga currit; campos depopulatur, sylvarum incolis timorem incutit.	*Nascitur inter flores, adolescit in sinu Rosarum, in alvearijs perficitur, inter flores, & lilia crescit, ac prope flumina discit fluere: & in alvearijs concrescit.*
Motus.	
Per nemorum opacitates vagatur, pecudes insectatur, cum venatoribus pugnat, montium juga conscendit, vallium ima petit, Currit per avia sylvarum.	*Lentè fluit, diffunditur dulciter, crescit lacte florum nutritum, viros alit, vires reficit, ab apibus legitur, & asportatur in alvearia.*
Tempus.	
In antris ac niveis montium jugis hyemat, prolixam trahit vitam, redeunte vere gaudet, æstate annona, Autumno fructibus vescitur.	*Verno tempore cum floribus ab ape matre colligitur; æstivo tempore magis liquescit. Autumno hominibus dispensatur.*
Habitos.	
Pilosum monstrum, acuto armatum ungue, prædura pelle loricatum.	*Dulcedinem habet, aureo colore vestitur, inter fluxas habetur opes.*

2. De urso igitur seorsim sumpto à melle, ac simpliciter considerato, dici potest per prædictas notiones categoricas. *Ursus est carnifex pecudum, animal crudele, sordidum corpus, Lernæa fera, Megæra sylvarum, Arpia montium, fera obscura, ignobilis, crudelis, sævitiei pater, amicus stragis.*

stragis, ac sanguinis: Tartaro similis, qui homines occidit, greges dilaniat, innocuis nocet, lapides projicit, & ferit; præruptis nascitur in antris, opaca nemora occupat, per alpium juga currit, nutritur in sylvis; per nemorum opacitates vagatur, pecudes insectatur; cum venatoribus pugnat; in antris ac niveis montium jugis hyemat, prolixam trahit vitam, acuto armatur ungue, ac prædura pelle loricatum monstrum sævit magis.

3. De melle etiam eodem modo dicitur. *Lac cœli, opobalsamum famis, flumen dulce, florum sudor, viscus pretiosus, liquor gravis, informe corpus, viscus dulcis, auro concolor, flavus, illustris, tenax; apum filius, ex loricatis aviculis natus, palato carus liquor, qui muscas captat, insulsa edulia condit, aureus liquor fluit; dulcedine fercula suaviter condit, ceras sacris Aris ministrat, nascitur inter flores, & inter lilia crescit, ac propè flumina discit fluere, sed lentè, crescit postea fluidus liquor, lacte florum fartus, ac homines alit; verno tempore cum floribus ab ape matre gignitur, æstivo tempore magis liquescit, & autumnali tempestate illius aureæ opes colliguntur, dulcedinem habet, & quia aureo vestitur colore inter fluxas habetur opes.*

4. Si vis modo de urso capto in melle conficere venustas argutias necesse est, unias hæc duo objecta *ursum*, & *mel*; ita ut ex duobus objectis conficiatur unica metaphora & propositio, vel affirmativa, vel negativa.

5. In prædicamento substantiæ ursus dicitur *Arpia*, mel *viscus dulcis*, conjunge modò hæc duo objecta Arpiam, & viscum, dulcem, & dic; A substantia *Tuti estote auri, argentique possessores securas sine securi servabitis vestras opes à fure liberas, Arpiæ namque pretioso capiuntur visco. Fures naturam immutârunt, qui capiebant, jam capiuntur visco. Vos corrigite; qui asseritis crudeles feras, ac Megæras non despumare nisi venena, & amaritudines; dulcedines etiam amant; oh naturæ prodigium! fera dulcedo sævit; portentosa certè est hæc fœcunditas ursus melleas opes parturit. Non ampliùs jactetur Hebræi Alcidis Leo, licèt favum mellis genuerit ore; simile etiam prodigium ursus exhibet. Olim flebilis Niobe in saxum, nunc ursus in aureum migrat liquorem.* A quantitate; *Nunquam Africa tam magnum parturijt portentum, ut hic videtur grandis fera in corpore informi: hæc fera vile suum detestata natale nobilitatur pretioso in liquore, & mendica ditescit aureo in luto.* A qualitate; *Fulva fera flava ditescit in ope; aspice ut dulci nobilitetur liquore ignobile monstrum; an non diceres, ursum apis naturam induisse? quàm benè mellificat? at magis amaram, ac acerbam experitur sortem in ipsa dulcedine. Vilissima fera in melle pretium acquirit, de alieno superbit.* A relatione; *immanitatis pater cum apum filia copulatur, mites ne, an immanes speras fœtus? loricatæ apis filius olim flavus, modò fulvus efficitur à fera.* Ab actione & passione; *mortua est feritas, ursus mella propinat, an non aucupio delectantur apes, insidias in sylvis tendunt etiam truculentioribus feris, viscus est mel, quò incauta capitur fera: sylvarum in nundinis suas aureas exposuerant opes apes, in furto deprehensus ursus melleis detinetur compedibus; cave, & tu, ne in dulcibus Veneris illecebris laqueum reperias, quo æternis detinearis cruciatibus.* A prædicamento sitûs, & loci. *Exesis qui tutè cubabat in antris in hortorum amœnis, ab opibus, ac apibus allicitur ad necem, magis sunt extimescendæ Veneris, quàm Dianæ, ac Martis insidiæ; in melle latet ursus, sicut in pratis latet anguis in herba; securam nullam cense voluptatem; olim crudelissimus Imperatorum ursus auream habitabat domum Romæ; nunc ferarum Nero aureis constructam opibus ab apibus foveam occupat.* A tempore: *Mortalis fera dulci in hoc melle amaram sibi comparat immortalitatem. hyemat in dulcedine, & simul æstuat rabie:* A motu: *Venatrix fera sylvas percurrit, non ut capiat, sed ut capiatur; & jam à lento velox tenetur, quia efflante Borea dulce fecit in melle naufragium.* Ab habitu *divitias contemnite; quando aureis se induunt vestibus feræ; si aurum pretiosum est, quia rarum; pretiosum ampliùs non censeatur, quia non est rarum, cum etiam feræ illud nolentes habeant.*

Adde, quod notiones objecti, ne dum à cathegorijs; verùm ab alijs circumstantijs, apologis, ac historiis possunt erui: unde si subjectum erit mortuum, erunt consideranda ea omnia, quæ ad mortem spectant: ut A substantia: *Cinis, accensæ faculæ. Illachrymantes ceræ, Libithinæ falx.* A qualitate *Crudelis mors, invida, insidiosa, acerba, tristis, gelida, frigida, pallida.* Ab actione dicimus: *Diem claudere. Ultimam vitæ periodum absolvere, vitæ epilogum finire. Vitæ filum obtruncare. Libithinam sua falce juvenum tenellas herbas, & flores metere.* A Ceremonijs: *Funus, Exequiæ, Neniæ Præficæ.* A loco habentur: *Feretrum, Rogus; Bustum, urnam, sepulchrum, cenotaphium, Mausoleum, Ægypiæ Pyramides, stix, Elisium.* Ab instrumentis, *Falx, Telum, Forsex, funebres faces.* 6.

EXPENSIO XVII.

Quomodo objectum Physicum possit uniri, cum morali ad conficiendas poëticas argutias.

Sicuti propositiones dialecticæ constant ex unione prædicati cum subjecto; ita veræ argutiæ conficiuntur ex unione duorum objectorum, quæ dicant aliquam oppositionem adinvicem; ex qua unione resultat aliqua affirmativa, vel negativa metaphora ex octo assignatis supra cum Aristotele: & sicuti duo objecta physica, ut patet in præcedente expensione simul uniuntur, ex qua unione plures consurgunt argutiæ; ita pari pacto possunt uniri simul objectum physicum, & objectum morale. Quia verò objectum morale non cadit sub sensum, ideo illud erit considerandum ad modum rei sensibilis, ut *peccatum* est objectum morale, illud tamen potest percipi, ut objectum physicum: scilicet ut *horridum monstrum*. Est tamen advertendum quòd objecta moralia, si considerentur, ut physica: debent sumi illa objecta physica, quæ cum moralibus sunt proportionata, ut esset *peccatum cum monstro; Virtus cum flore; charitas cum Rosa; Puritas cum lilio.* 1.

Hoc optimè obſervârunt Ægyptij, qui in ſuis hieroglyphicis ad exprimendam v. c. *Pacem* ſculpſerunt *Ramum oleæ*, ad indicandam *Magnanimitatem*, *Leonem*; ſic etiam apud nos *Cuculam* dicimus eſſe ſymbolum *Pietatis*. *Papaver*, *ſertilitatis*. Ponatur igitur hoc Thema: D. *Petrus ſuo illachrymatur peccato*, ubi tu vides duo objecta unum phyſicum, ſcilicet *Lachrymas*; aliud morale nempe *peccatum*; inveſtigentur modò notiones utriusque objecti, tali pacto.

LACHRYMA.	PECCATUM.
Subſtantia.	
Opobalſamum, quo ſauciata anima curatur; Glutinum, quo anima Deo unitur; lac, Fons, Margaritum, Juſtitiæ ſemen.	*Immane monſtrum, venenum animæ, Peſtis, Gladius, Libitinæ Falx, tricerberus, hydra, Megæra rabida, machæra lethalis, & cruenta.*
Quantitas.	
Sphæricus globus, Cataclyſmus, Pluvia, Mare, Naufragium culpæ, Piſcina Siloë.	*Pondus animæ, quo ruit in Tartarum; Grande venenum perbrevis, Pyrauſtæ lætitia. Magna pernicies.*
Qualitas.	
Molle telum, fluida unda, clara, illuſtris, caſta utilis, ſalubre pharmacum, nobile lavacrum.	*Melleum fel, dulce abſcinthium, tormentum gratum, nox animæ, turpe monſtrum, Mors blanda, vulnus lethale.*
Relatio.	
Culpæ inimica, mater virtutis, filia divinæ gratiæ, ſoror pœnitentiæ.	*Animæ inimicum, ſimile monſtro, Luciferi filius, Pater omnium malorum, genitor mortis, Tartari frater.*
Actio & Paſſio.	
Conſcientiæ maculas lavat, peccatum expellit, fluida currit, ut naufragium aperiat peccato.	*Innocentiam trucidat, caſtitatem debellat, virtutes expellit, animam vulnerat, fores gehennæ aperit. Gehennæ flammas accendit, æternos cruciatus accerſit.*
Locus & Situs.	
Oculorum gemmæ, capitis fontes, ſolitudinis amaſiæ, tormentarij globi, quibus violenti expugnant, ac rapiunt cœlum.	*In terreſtri paradiſo natum, ad infernum trahit viros, ſacrorum cœnobiorum inſidiator; urbium devaſtator. Gehennæ incola. Tartari ſocius.*
Motus.	
Per tacitas ſolitudines vagatur, urbium commercia fugit; deorſum fluit, ſed ſurſum animam elevat.	*Grandiores urbes ingreditur, in aula creſcit, ad lupanaria currit, Religioni inſidias tendit, emporia percurrit, officinas ingreditur, in plateis bacchatur.*
Tempus.	
In alienæ mortis contemplatione naſcitur, in clauſtro hyemat; nocturnam quietem frangit, cum virtutum floribus vernat.	*In umbris vivit, in bacchanalibus ferijs otioſæ laſciviæ operante licentia tripudiat, horridam hyemem parturit animæ,*
Habitus.	
Argentea guttula, divino rore aſperſa. Margaritum cujus pretio cœlum emitur, pellucida gemma qua anima reſipiſcens ornata diteſcit.	*Armatum non ferro, ſed illecebris; dulcia venena habet, & propinat, tenebris obvolvitur, miſerijs dives;*

2. Præter hæc duo objecta adeſt etiam tertium ſcilicet *oculus*, à quo emanant lachrymæ, cujus notiones etiam poſſunt conſiderari tali pacto. A ſubſtantia Oculus poteſt dici. *Amoris tæda, piſcatoris Cupidinis rete, ſagittarij amoris telum.* A quantitate *Brevis globus, ſphærica gemma; puſillum lumen; rotundum frontis ſpeculum; exilis animi feneſtra; cordis cuniculus, quo vel ſine pulvere pudicitia proſternitur.* A qualitate. *Nivi concolor, illuſtris, albus, caſtus modeſtus.* A relatione, *Amoris pater, Veneris frater, amicus lucis, carus amaſiis.* Ab actione, & Paſſione, *Magnetica virtute corda rapit, pudicitiam illaqueat, Cupidinis flammas excitat, animos allicit, modò luget, modò ridet, & arridet.* A Loco, *frontis Chriſtallinum ſpeculum, capitis lumen, faciei decor.* A motu, *inconſtans, facilis mutationi, movetur ſurſum, deorſum, à dextris, à ſiniſtris.* A tempore, *die lucet cum ſole, clauditur nocte, verno tempore illi arrident flores.* Ab habitu. *Niveo colore circumdatur, palpebris munitur, ſuperciliorum arcus habet, ut ſervat caſtitatem,*

Inſuper, quia lachrymæ ſunt aqueæ, poſſunt Apologi, ac Hiſtoriæ ad aquas ſpectantes in unum colligi. *Ut Sizici fons impudicos Veneris amores, ac ignes refrigerabat. Dodonæo in fonte accenſæ faces extinguebantur, extinctæ accendebantur. In Sicilia Ariſtotele teſte, quodam in lactice immerſæ extincta aves reviviſcebant. In Sardinia lethales emanant duro de ſaxo aquæ veneno angui noxiæ. Arcadu lacus undæ viros vertunt in lupos. Lethei fluminis aquæ memoriam abripiunt. Hyades ſeptem ſorores ſemper illachrymantur.* Modò coacervato hoc materiei choragio facilè erit argutias texere, ſicuti artifex parata materia cōficiendæ domûs ſtatim fundamenta jacit. parietes erigit, officinas dividit, totámque domûs ſimetriam perficit; igitur detur hoc thema. *Divus Petrus fractis oculis culpam ſuam amarè luget,* ſic argutè poteſt amplificari, *Fabula ne cenſeatur Dodonæi fontis mentitum prodigium, quod fuerat fictum, factum divi Petri confirmat, Geminus lachrymarum fons, Amoris flammas, quas propè prætorij ignem extinxerat Petrus, iterum accendit.* 3.

Non

Non ampliùs jactentur Siculi latices, feliciùs hisce in undis reviviscit Deo Petrus. Quos propè undas ardores conceperat, propè igneas prunas extinxit; sed iterum oculorum unda ardorem, & ignem excitavit. Ne mireris si in prætorio hominem non noverat; suum sequebatur solem à longè; tenebris circumseptus proprium ampliùs non cognoscebat Magistrum. Novus tamen in arte mentiendi ita feliciter eam exercere non poterat; quin, vel cum mentiretur, promeret vera: planè non noverat hominem, quia non ampliùs erat ille, quem viderat in horto. Egressus ab igne prætorij in aquæ irrupit lachrymarum; minor fuisset Christo moriente concussio; si hæc ipsa etiam petra fracta non fuisset. Molle telum vulneri assuetum, feritatem exuens pretiosa exhibet opobalsama, quibus vulnera ipsa curarentur. Triumphant fluida hæc tela de Achillis sagitta, meliorem reconciliant sanitatem. Fœcundam credite hanc ipsam petram; tam copioso irrigata rore dabit, & ipsa fructus suos; & justitiæ semina etiam super petram prolapsa germinabunt in flores, ac fructus heroicæ virtutis. Nascentem Ecclesiam lacteo hoc liquore meritò prævenit Ecclesiæ caput, ut citiùs in ea crescerent pœnitentiæ fructus. Novæ legis Alcides Lernez peccati hydræ non ignem, sed aquam obiecit; ut feliciùs irrigatæ palmæ crescerent in fœcundissima Petra. Imò & igne Amoris, & aquis pœnitentiæ armatus, de culpæ monstro triumphavit. Aqua & flamma dissordes olim, ac rivales, socordes modò contubernales in hac petra associantur. Nempe pœnitentiæ virgâ percussa petra puriores propinat modò latices Amoris flammis; quàm olim in deserto extinguendæ siti Israëlitarum. O dira pœnitentia! cur oculos istos gemino supplicio igne, & unda detorques? ah, crudelitatem excuso: propè prætorij ignem obscura nimis fuerant hæc lumina, & igne, & unda suas abstergunt umbras, quas ante ignis splendores contraxerant. Ludit amor in oculis, æstuat in unda, natat in flammis, omnia potest Amor. Flamma rivulos, rivuli flammas alunt. Ne mireris, causam dicam, Amoris lampades sunt oculi, lachrymarum oleo non extinguuntur earum lychni, sed aluntur. Fuerit felix Namaan ille Syrus, qui in Jordane Elisei monitu mersus è lepra surrexit, emergens ab unda liber. Fuerit felix cæcus ille, qui inter latices Siloe nascentem primò vidit solem; at felicior Petri sors exigua in unda grande peperit culpæ naufragium.

EXPENSIO XVIII.

Aperiuntur plures alij pellucidi fontes, è quibus argutiarum rivuli dimanant.

1. Tantæ delicatum hujus sæculi palatum assuevit lautitiei, ut nonnisi Atticis bellarijs delectetur, respuátque quidquid non sapit, pigeátque decorticandi pyri Ganeones in symposiis, quo forsan abstinerent, nisi turbinatim advolutus pomo cortex illuderet oculis, & gutturi adblandiretur; ita quæ hac tempestate ingenia eloquentiam excolunt, nil appetunt avidiùs, nil sitiunt ardentiùs quàm argutias, quibus oratio efflorescit, ac lumina, quibus eloquentia enitescit splendidiùs. Quia verò aliqua acumina epigrammati potiùs congruunt, quàm deserviant orationi; ut liquet ex metaphoris hactenus expensis, ex quibus eruuntur argutiæ, ideo operæ pretium duxi hic attexere leges aliquot oratorijs inveniendis acuminibus peridoneas: plerumque inest argutiæ levitas, quam epigramma, vel etiam familiare colloquium non semper respuit, quæ tamen gravitatem dedecet oratoriam: risum enim moveres, si gravi orationi acumen illud Mureti de Nasuto insereres,

Si tuus ad solem statuatur nasus, biante
Ore, bene ostendet dentibus hora quota est.

Ac si per metaphorum proportionis, ac similitudinis in prædicamento quantitatis nasum stylum diceret imminentem horologio sciatherico, & dentes notas horarum. Sunt etiam pleraque alia acumina, quæ minimè orationi conveniunt, ut illud de Attalo viro faceto

Attale salsus homo es, cur? quia multa bibis.

Vinum præsertim generosum spiritus suppeditat, quibus mens incalescit, ac facetias, salésque effundit. Plurimum etiam continet levitatis hoc aliud acumen de milite barbato nuper è pugna profugo

Hircum barba probat, nuperrima te fuga Cervum.
Ergo merum nobis Ens rationis eris. Seu hirco cervus.

2. Est argumentum sophisticum arguté concludens: à barba miles hircus dicitur, à veloci fuga Cervus; quòd si est hirco-cervus; ergo jam non miles in castris; sed ens rationis in scholis, miles imaginarius, ac solo nomine miles; Hujus generis est etiam acumen aliud de viro rudi, optante promoveri ad amplam dignitatem, qua tamen dignus minime fuit habitus

Doctior; & Musis, & Phœbo doctior esses,
Si foret ex omni stipite Mercurius.

3. Alludit autem ad statuam Mercurij, ad quam construendam non omne lignum assumebatur, quod dedit locum adagio: *Non ex quovis ligno fit Mercurius*, ad indicandum; non quemlibet aptum esse ad quodlibet officium. Habetur etiam illud de Othone *Sylvio* sibi paulò ante necem oculos eruente: *Dormire quia voluit, ideo fenestras clausit*, alluditur ad somnum, qui dicitur frater mortis. Frigidum etiam haberi solet acumen illud Hegesiæ, qui in Alexandri Magni laudibus nati ea nocte, quâ templum Dianæ Ephesinæ conflagravit, dixit; mirum non fit, si Dianæ templum tam gravi incendio arserit; quippe Diana in ipso Olympiæ partu occupata, & obstetricandi laboribus distracta, ignem non valuit restinguere. Hoc acumen licèt ab incendio, ignéque procedens adeo Plutarcho visum est frigidum; ut censuerit ipsum solum suffecturum ad totum extinguendum incendium, quo Dianæ templum conflagravit.

4. Præter præexpensas metaphoras solent etiam argutiæ desumi ab oppositione plurium coëuntium in unum acumen, quod est quasi

 con-

contrariorum pugna, ac dissidentium cohærentia in unum, qua ratione acumen quod ab hoc fonte eruitur dici solet concors discordia, quatenus plura opposita simul concordant in ordine ad aliquid significandum, ut cum de D. Maria Magdalena illacrymante suis culpis ad pedes Magistri cruci affixi dico; *Paranymphus amor novæ adest nuptæ, addictæ cælesti sponso; consueta apparat sponsarum parerga. Flammas scilicet amoris, & lacrymarum, ut ignis aquam, aqua ignem nutriat. Prodigium hoc est Divini amoris aquis flammas alere; & flammis aquas, & ignes è fontibus haurire oculorum.* Ab hoc fonte oppositorum de Juda Proditore dicitur: A signo pacis exorditur bellum; osculo amoris internuntio lethalis odij prodidit venenum, cùm Magistrum prodidit; amicitiæ tesseram in symbolum posuit proditionis, & omnem supellectilem charitatis in usum odij traxit. Tribus Erebi Furiis addidit se quartam, habuit & ipse tœdas suas, quibus mundi lucem non augeret, sed extingueret. Habes in contrariorum quasi pugna concordiam discordem, cum dissidentia simul coeunt in eadem acumina efficienda. Ab hoc fonte oppositorum D. Ambrosius de S. Agnete dixit: Mori adhuc nescia, sed parata; nondum idonea pugnæ, jam matura victoriæ, certare difficilis, facilis coronari; & quæ non habuit quo ferrum reciperet; habuit quo ferrum vinceret.

5. Secundò eruuntur acumina à causa inexpectata alicujus effectus, & dicti præcedentis, sive causa intrinseca sit, sive extrinseca, ut est illud Martialis redarguentis avaritiam amici, à quo non fuerat ad cœnam invitatus.

Irascar licèt usque voces, mittásque rogésque
Quid facies? inquis: quid faciam? VENIAM

6. De discipulis dormientibus in horto cum Christus ab ipsis oraturus recesserat, dixi: non mirum si orante in secessu Magistro vigiles non egerint discipuli excubias, solis absentia non potuit nisi somnum conciliare. Quamdiu Christus non adest, vigilare non valent homines, ad quos excitandos necesse est revertatur Deus; quo recedente aut mors nos occupat, aut mortis imago. Ab inexpectato dicitur de milite iactabundo: *hic hostem ubi adversum vidit; dirùm fremuit, gladium nudavit, altéque mortem interminatus,* OCYSSIME FUGIT. De illo servo, qui factus liber promotus fuit ad dignitates illustriores argutè dixit alius *A primis annis equestri dignitate insignitus torquem gerebat* IN CRURIBUS.

7. Tertiò a destructione prioris sententiæ, & tunc eruitur ab hoc fonte acumen, quando alicui dicto, vel sententiæ subnectitur alia, quâ præcedens destruitur, quo pacto de viro laudato cum privatam ageret vitam; & cui vitio vertebatur præclara dignitas, ad quam fuerat assumptus dicimus; *clarior vir ille fuisset, si obscurior mansisset: dignus officio nisi fuisset officio functus. Promoveri meruisset si promotus non fuisset.* De Diocletiano impio Imperatore dicitur, dignus imperio fuisset, si non imperâsset. De Nerone. Imperio dignus antequam imperâsset; *indig*nus fuit cum primum cœpit imperare. De milite ob virtutem bellicam electo in regem, quem non laudabiliter egit, dicitur; regna promeritus, si non regnâsset. De viro paupere probo, quique dives factus vitiis indulsit, ac improbus fuit. Poterat felicior dici nisi felicitatem fuisset assecutus. De viro ditissimo, sed illiberali. Vir sanè in omnibus aureus, nisi quod avaris non placeret. Eruitur etiam ab hoc fonte acumen cum præcedentia gravia destruuntur per aliquod subsequens ridiculum, quodque non respondet antecedentibus, quæ statim corruunt, & nihili fiunt; cujusmodi est illud Homeri in descriptione belli inter ranas initi.

Nobile Martis opus, grandique vibrata tumultu
Arma cano: cum belligero stimulante furore;
Fortia magnanimi moverunt prælia MURES.

Quartò lusu verborum, seu à conjugatis, traductione, & Annominatione jocosa eruuntur acumina, quæ tamen gravi aliqua sententia censerem temperanda, ne in aucupia deflectant levitatis. Ut de viro prædivite nato, & miserrimè mortuo dixi olim *Affines initijs suis sunt fines, vitam, quam divitijs inchoaverat, vitijs clausit.* Habetur ab hoc loco illud Tullij in Verrem: quæ ista cum cognovisset novus Astrologus, qui non tam *cæli* rationes, quàm *cælati* argenti duceret &c. De S. Joanne Baptista. In deserto etiam disertus, qui urbem fugerat, urbes ad se traxit; & hominum frequentias fuit in solitudine expertus. De S. Gregorio Thaumaturgo dixi *Inermi prece cælum expugnavit, & montes; monumentum æquè, & documentum relinquens posteritati: faciliùs plerumque esse montes, quàm mentes movere.* Habetur etiam illud de Clementia Principis. Non superest quem metuas hostibus metuende Princeps: unum hoc time, ne timeare, *animorum* victor pariter, & *armorum*. De S. Martino. In solo Miserorum amore adeo constans fuit, ut facilè posset quisque conjicere eum sub Constantio militiæ posuisse tyrocinium. De quibusdam, quorum nomina encomiastes Panegyrista cum cæteris laude dignis non recensuerat, habetur ab hoc fonte. Novo supplicio scelera ulciscitur, dum tacet sceleslos. Calamo punit, quos expungit; accusat, quos silet. Huc etiam spectat illud aliud. Illis modulantibus in furorem acti hostes inter se digladiantur, paribúsque momentis canunt, & cadunt; Chordarum concordiâ cordium discordiam irritante. Risit mors Musicam imbellem, & vidit infidorum numerum cadere, ad fidium numeros. Argutum est etiam quod Catholicus Poëta in hæreticum Musicum retorsit;

Ore manúque canis, caneres tamen aptius Aule,
Si te tot FIDIBUS *jungeret una* FIDES.

Simile est illud de auro, & aura à qua aurum suum trahit nomen

Cur AURUM *instabili nomen deduxit ab* AURA
Fluxa nimisque fluens est utriusque fides.

A motu animi, qui in ciendis affectibus vel maximè habetur ad motum corporis; elegans est allusio illa in rudem concionatorem fugantem Auditores.

Quis

Quis neget orando populum te Flacce, movere;
Orantem quando concio tota fugit.

Concio significat multitudinem convocatam ad audiendam orationem; io quo sensu Salustius ait *concione advocata, hujusmodi orationem habuit:* & Cicero in Læl. *Concio, quæ ex imperitissimis constat, tamen judicare solet.* Significat etiam concio orationem ipsam, quæ habetur ad populum; & suggestum ubi oratio recitatur.

11. Quintò eruuntur argutiæ à penu omnium eruditionum, quoties hæ rebus nostris congruunt non sine venustatis illecebra, ut cum de oratore celeberrimo Cardinalium adscito cætui dicitur: rectè Vaticanæ purpuræ Patribus adlectus est orator noster, ne scilicet suus Mercurio galerus deesset. De milite timido, ac fugitivo dixit Poëta

Dum fugis ex acie, frustra culparis Alane.
Pugnam Parthorum more, modòque cies.

Allusio est ad Parthos pugnantes cum fugiunt. De Monoculo pollente ingenio etiam Poëta cecinit

Sit nox centoculo quamvis oculatior Argo
Plus uno cernit lumine lusca dies.

Vel

Non patitur geminos soles illustris olympus:
Cum cœlo quiddam frons tua moris habet

Venustum est etiam illud acumen in venatorem,

Candide venaris lepores, sed prædia perdis
Actæon, canibus sic eris ipse tuis.

12. Sextò à circumstantiis seu adjunctis desumuntur acumina. Circumstantiæ sunt, quæ rem circumstant, ut tempus, locus, occasio, instrumenta, & alia id genus. Adjuncta alia dicuntur rei, alia personæ; illa sex solent recenseri, locus, tempus, occasio, modus, facultas, instrumenta. Adjuncta personæ sunt duodecim: Nomen, natura, virtus, habitus, fortuna, vita, affectio, studia, consilia, facta, casus, occasio. Ab adjuncto nominis hauriuntur acumina, si investigetur nominis etymon, à quo aliquid venusti in laudem, vel vituperium alterius inferatur; ut est illud in laudem S. Maximi ex Juglare, Maximus capacissimi nominis mensuram factis exequans, etiam in minimis se Maximum exhibuit, sua magnitudine omnium oculis prodiitus; nunquam se maximum doluit, nisi cum omnium minimus esse non posset, ideo se Maximum negans, quòd se in dies studeret facere majorem. Seriò jocosum ab adjuncto nominis est illud epitaphium insculptum sarcophago cujusdam fœminæ Principis, cui nomen erat Margarita, quæ gemmam, seu unionem significat. Natura ostreo, mors tumulo Margaritam claudit. Frugalem quis malè fingat Libithinam, cum plebeio non contenta cibo Cleopatræ assuescit pretiosissimis ferculis, Margaritas ut sorbeat in pulverem atterit. Væ mundo ab ingluvie famelicæ mortis, hæc ut famem acuat delicatia, ac pretiosis assuescit dapibus. Ab Etymologia nominis de D. Barbara dicimus; Barbariem suum fuisse in Barbara mentitum nomen. De Nerone Imperatore dixi olim, Omni exutus candore sola nigredine fuit delectatus, quâ mores æquè & nomen obscuravit. Poëtæ etiam ab hoc fonte sua hauriunt acumina. Bidermanus de S. Clara

Præsentem gestas ipso præ pectore solem.
Hinc bene Te Claram dicere quisque potest.

Et de sancta Ursula collata cum ursis, quæ sunt constellationes cœlestes.

Ursa minor, majorque vale, mea carbosa posthac
Ursula cum sociis Virgine luce reget,

13. A circumstantia temporis hauriuntur etiam acumina si considerentur dies, menses, annus, & signa cœlestia, quæ tunc tempori respondent. Ab hac circumstantia temporis Juglaris natalia commendat Ludovici Justi Galliæ Regis, Galliæ Medicus è Matre Medicea Cosmæ, & Damiano Medicis festo die infesto regno peperit genitus spem salutis, Primus nascentis sæculi Autumnus fœcunditatem suam commendavit hoc fructu: sanctissimam animam non alius potuit, quam sanctior annus concipere. Fuit ille plane Jubilæus mundo, cui tantam faceret Deus indulgentiam. Ab hac eadem circumstantia in funere Victoris Amedei Sabaudiæ Ducis epicedium suum expressit, ac dolorem inquiens. Pluvius vobis è cives autumnus est serenitate sepulta, Ulciscimini fletibus præteritæ felicitatem æstatis. Ob obiti vindemiam lachrymatum offerente; adeo autumnum nequivit evadere summa Principis maturitas: sole Libram ingresso decrescere lux magis hominibus cœpit, quàm diebus. De Principe tempore bacchanaliorum emortuo arguté dicimus, Amisère tunc nomen suum Hilaria, & initia gaudij luctus occupavit, tridoúmque illud, quo bacchus Methaneam præire consueverat, conspersit cinere, obruitque lacrymarum pluvijs, ut diris, non lyris destinaretur. De Fœmina Principe nata, nupta, & mortua sub Autumnum. Fructum quem terris Autumnus dederat; cœlo mox maturum Autumnus è terra decerpsit, quem cœlitibus sisteret. Hymenæus ut maturitatem hanc juvaret calorem subministraturus faces suas Autumno addidit; nimirum fœminarum Principum æquissima à Libra nunquam deflexit. October qui eam dederat thalamo, dedit & tumulo; nata, nupta, & denata in ligno justitiæ; morum, & amorum probitatem significavit. Lucina, Hymenæus, & Libithina unà convenerune uno tempore, ut luderent cum hac fœmina, quæ lusit, sed vitam jocando perdidit. Sol tanti admirator funeris in Libra etiamnum hæret quasi non alia digniùs lance possit explorari jacturæ hujus magnitudo, quàm cœlesti. Timeant homines; cœlum nonnisi in Libra omnes suos examinat: fortunas, & infortunia æquissima bilanx trutinat; ac librat, De Regali Principe Hyacintho à Sabaudia è vivis sublato cum tristis vigeret hyems à circumstantia temporis, & nominis etymologia argutè dicimus. Infensa floribus hyems nec unum toleravit Hyacinthum, quem lethali gelu decoxit; tam mites animos non alij, quàm immanissimi dies perdunt; si tamen eos perdunt flores, quos vet exci-

excipit æternum, ubi amæniùs vernant. De Caduceatore Gabriele Virgini Mariæ Verbi divini nunciante incarnationem pulchrè Juglaris à circumstantia temporis ait. Mensis item, & terris bellorum, & cœlo fœderum est. Martio nomen Martis adimite, ex quo finem ejus nostræ pacis initia consecrârunt. Deputentur Aprilis dies, quibus tam ingens facta cœlorum apertio est. Virga Jesse vel in miraculis ordinem observans naturæ, datura fructum in hyeme, florem concepit in vere. Ubi facta dierum, & noctium æqualitas fuit, in terram usque redundavit ex cœli æquitate justitia. Ita diebus ijsdem, & unus Sol in Ariete, & alius in Agno est.

14. A circumstantia loci solent etiam acumina hauriri si proprietates vel etymologiæ locorum applicentur rebus, de quibus contingit sermo, quia Bethleem interpretatur civitas panis, festivè à circumstantia loci de Christo in Bethleemitica Caula nato dicitur. Daturus Deus de se ipso convivium hominibus civitatem panis suo destinavit adventui, & ne opsonia deessent, ibi factus est caro, ubi panem locus suppeditavit. De quodam viro nobili qui decessit è vita in Monasterio sancti Faustini, quod adiverat exercitiorum spiritualium causâ, rectè orator in defuncti parentalibus dixit. Nullibi felicior mors poterat sibi obtingere; quàm ubi Faustinus suo nomine æternam protendit faustitatem. De sancto Joanne Chrysostomo à loco: Joannes eloquentiâ aureus, tolerantiâ ferreus, pretiosior adhuc fuit ferreus, quàm aureus; ferrea siquidem constantia virtutes omnes excoluit; metuens verò sylvescere in urbe, secessit in sylvas quæsiturus innocentiam inter feras, quàm inter homines non repererat. D. sancto Gregorio Nazianzeno scitè à loco. Bonarum artium avidus, malarum incapax, ut Minervam raperet Athenas profectus, ita eam coluit, ut mereretur habere. Quò tamen se meliùs agnosceret cupiens ignorari, quam nunquam amiserat innocentiam in Eremo quæsivit. D. S. Arsenio à circumstantia loci dixi. Exuturus inter feras, si quid ferinum induisset inter homines, ex aula secessit in caulam, vitæ innocentiam belluarum præsidio custoditurus; eremum incoluit, ut ibi virtutes excoleret, ubi tellus sylvescit; nullibi flores virtutum vernant feliciùs, quàm inter solitudinis vepreta. Ab hoc eodem loco, quia Christus natus est in præsepio inter cicures belluas, argutè Juglaris lusit. Frumentum Electorum maturum in palea statim apparet, quia ceciderat in terram bonam non expectavit æstatem, quamvis æstas credi potuerit stabulante sole Taurum inter, & Virginem.

15. A claritate natalium, ac nobilitate sanguinis illustria etiam eruuntur acumina, quibus oratio splendidè efflorescit. Per reticentiam potest orator laudare virum prænobilem, si dicat. Non recensebo imagines, ceràsque avorum; id enim perinde foret, ac in solem Meridiano jubare coruscum oculos conjicere, & tenebras in ipsa luce venari. Nunc enim Avitos ejus fulgores quævis palpebra impunè adspexerit. In tantæ lucis fulgorem oculos non conjicerem, quin vindex in palpebra lumen experirer: cui Aquilæ non insunt acies oculorum, ad hunc nobilitatis nitorem, perinde ac ad solem perstrictis oculis necesse est cæcutiat. De S. Ludovico Tolosano argutè à nobilitate natalium habetur. Ludovicus è Rege natus ad Regnum; nunquam se Regem credidit, nisi eum se subderet sibi, ratus illum verè Regem esse, qui se ipsum rectè regit. De S. Carolo Borromæo. Claritatem sanguinis ab Avita nobilitate nactus, vix natus propria virtute cœpit augere; studijs addictus virtutum innocentiæ candorem, quem cum lacte suxit ad extremum usque vitæ intemeratum servavit; moribus niveus, amoribus flammeus nescias, an ex fulgure, vel ex fulgore originem traxerit. In funere cujusdam prænobilis adolescentis dicimus. Crescet hinc luctûs materies, ubi è tam nobili arbore tantæ spei virescentem ramum noveris orbatæ Libithinæ recisum falce Nequit non esse luctuosum, eos extingui, quibus tam splendidè nasci contigit: æquè tristior occasus affligit, ac ortus serenior recreaverat.

Ab adjunctis rei in gentilitio stemmate 16.
pictæ, vel sculptæ veluti è pleno fonte plura hauriuntur acumina, quibus mirè oratio splendescit; quia in Avito Lubomirsckiorum stemmate habetur fluvius; Orator plura ex ipso hausit acumina, quibus gentem Lubomirsckiam commendavit inquiens. Ab hoc tu amne stare inscio, quin bono Reipublicæ devolvatur, in largiendo celeritatem didicisti. Illius nomen dulcedinem nec inter maria amisisset. At idem ut patriæ fida semper tranquillaque statio, ita barbatis Myoparonibus naufragium paravit inevitabile. At quoties fluvius iste rubuit cruore Barbarorum? quoties in castris triumphales irrigavit palmas? quoties victrices abluit lauros? Solent plerumque laudari Principes ab insignibus Regijs, ut à diademate Regio, sic: Plures retroactis sæculis regnârunt in terris Reges, in quorum vertice præter ascititiam coronam, nil astulit auri: sed tua mentis immensæ capacitas ipsi auro fulgores addit, quibus illustrius tuo irradiat in vertice, neque impressum capiti aureum pondus ita tuam valet mentem opprimere, ut hæc in rem boni publici non subvolet. Amanti Reipublicæ bonum oneri non sunt honores. Expallescit hoc aurum, se noscens feracissimum consiliorum caput unicâ exornare glebâ, cum serenior irradiet in fronte Majestas, & nitidior splendeat in mente prudentia. A sceptro posset dici. Regale hoc sceptrum Herculeæ clavæ superâsse fortitudinem omnes sciunt, cum effrondescere plurics viderint in victrices lauros; magis siquidem hostibus patriæ fatalis fuit, quàm Herculis clava monstris Virtute bellica gemmeam tibi fortunam associâsti; alij auro vitream sibi; tu ferro adamantinam tibi.

Septimo à definitione, vel descriptione 17.
rei, si enucleemus, quid res sit, vel non sit; ingeniosa plerumque eruuntur acumina, quæ

pluri-

plurimum prælegerunt illicij, cujusmodi est illa definitio, quâ Martialis post varios lusus in Attali plures virtutes; eum ab inexpectato demum definit esse Ardelionem, seu virum inquietum, huc, atque illuc currentem, ac negotijs se omnibus immiscentem.

Declamas belle: causas agis Attale, bellè
Historias bellas, carmina bella facis
Componis bellè mimos, epigrammata bellè:
Bellus Grammaticus, bellus & Astrologus:
Et bellè cantas, & saltas, Attale bellè,
Bellus es arte lyræ, Bellus es arte pilæ.
Nil bene cum facias, facis attamen omnia bellè,
Vis dicam quid sis? Magnus es Ardelio

18. Principem virtute bellica clarum, ac in lucem editum sub initium Octobris, eum Sol signum Libræ in Zodiaco percurrit argutè definimus esse Justitiæ simulacrum; & dixi. Olim è terris in cœlum avolate Astræam eorruptos hominum mores, & amores coëgisse, commenta fatentur poëses: impollerum non diffitebitur Historia Justitiæ vivum simulacrum è summo cœlo in imas terras delapsum; hoc voluit Deus, ut mundus coleret in nostro Principe, cui cœlum in ipso horoscopo Libram dedit, & Mars gladium addidit. Argutæ sunt etiam illæ definitiones Amoris, quibus Bauhusius quæris, quid sit?

Humor, an ignis amor? vitreos si consulis orbes
Humor amor. Pectus consulis? ignis amor.
Ut cor mergit aquis, sic urit pectora flammis,
Icaron inde biceps, hinc Phaetonta facit.

19. Ab hoc loco lepidè lusit Ausonius inducens per Prosopopæiam Echonem eloquentem cum pictore, qui in tabella meditabatur eam delineare.

Vane quid affectas faciem mihi ponere, Pictor
Ignotámque oculis sollicitare Deam?
Aeris & linguæ sum filia, mater inanis
Judicij, vocem, quæ sine mente gero.
Extremos pereunte modos à fine reducens
Ludificata sequor verba aliena meis.
Auribus in vestris habito penetrabilis Echo:
Et si vis similem pingere, pinge sonum.

20. Octavo à notatione, & conjugatis plures solent lusus erui, præsertim à nominis significatione; huc etiam pertinent Æquivoca, Antitheses, Analyses, Paronomasiæ; ab hoc fonte hauriuntur argutiæ, quibus jocamur in nomen alicujus, quem laudare intendimus. De D. Ambrosio dicimus. Ambrosium cœlesti imbutum nectare, & ambrosiâ fartum, nonnisi dulcedinem sapere; hinc examina apum lacteis, tenellisque labellis insidentium puero ministrârunt, ut dulcedini vel à cunis assuetus nonnisi mellea loqueretur verba; ejus calamus cum nihil obscuri scripserit, attramentum non fuxit: sed nectar hausit; ut dulcedine virgineas paginas persunderet: totum meritò dulcem fatemur, cujus nec nomen dulcedine vacuum fuit: re tamen, quàm nomine dulcior, mel ante habuit in ore, quam voces.

21. In Joannem Vitellium agentem animam lepida est ab hoc loco illa deprecatio

Juppiter omnipotens vituli miserere Joannis,
Quem mors festina non finit esse bovem.

D. S. Stephano Protomartyre, cujus nomen coronam significat, & omen est victoriæ, dixi. Quàm providè denascitur Stephanus, cum nasceitur Christus, debebatur regio infantis DEI capiti corona, nec alia poterat aptior Stephano inveniri; cujus vel ipsum nomen coronam sonat, estque triumphi omen; triumphavit Stephanus, quia lapidibus cœlum expugnavit; quod & occupavit, & ne sine purpura ingrederetur proprio voluit sanguine imbui. Festivus est locus in Erasmum

Quæritur unde tibi sit nomen Erasmus Eras-mus,
Si sum-mus ego, te judice summus ero.

22. De S. Hilario à nominis notatione dicimus exhilarâsse oppressam ab Ario Ecclesiam, & sua hilaritate tetras errorum caligines sugâsse, malaciæque post sævientes procellas accivisse serenitatem.

23. Argutum est etiam illud Tetrasticon de S. Barbara ab hoc fonte

Ergo ego tam mitis cur dicar Barbare, mitte
Quærere: quod non sim barbara facta docent.
Sed Parcæ ut parcunt, ut luci lumine lucent,
Ut bellum est bellum; sic ego Barbara sum.

Ab hoc fonte lusum exhibet aliud tetrasticon de Amente, & Amante 24.

Dicite cur longa est Amentis syllaba prima
Insano contra cur in Amante brevis?
Sic credo furor est Amenti par, & Amanti
Sed furor est illi longus, huic brevis est.

De S. Donato dicimus, fuisse à Deo donatum, ac natum propterea virtutibus; nactum eas fuisse summas, ut ipsum Deo natum crederemus non mundo. De S. Maximo capacissimi mensuram nominis excelsis implevisse virtutibus, ac sanctissimis gestis æquâsse. De S. Fulgentio: mentem adhuc hærere antipitem, an ex fulgure, aut ex fulgore originem suam traxerit; fulgure siquidem flammigeri zeli malos exterruit, fulgore splendentium virtutum bonos allexit; & licet nonnunquam desierit fulgurare; nunquam tamen desiit fulgere. 25.

26. Nonò à partium enumeratione nobis plerumque suppeditantur argutiæ, ut eum recensitis aliquibus partibus inferimus per modum argumenti poëtici aliquid jocosum, ut est distichon Oweni in mulierem comptam.

Pluma super caput est, & sub pede suber: utrumque
A capite ad calcem te probat esse levem.

Jocosum à numeratione dentium est tetrasticon Martialis in Æliam anicolam edentulam.

Si memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes:
Expuit una duos tussis, & una duos.
Jam secura potes totis tussire diebus.
Nil istic, quod agat, tertia tussis habet.

27. Decimò à causis, & antecedentibus; si bene antecedentia aptentur rebus uberem solent argutiarum segetem suppeditare, ut si causam rei assignemus ludicram, probabilem, vel hyperbolicam præsertim ab inexpectato,

pectato: ut si quæram, cur aurea sint Regum Diedemata, & respondeam à causis Ludicris 1. quia decet metallorum Regem Regum capita coronare, ac embire. 2. quia metallorum Princeps plebeia fastidiens capita principum vertices jure exigit suo. 3. Quia metallorum nobilissimum nonnisi nobilibus vult capitibus copulari. 4. ut innuat Regios mores, ut illustrissimi sint, aureos esse oportere. 5. ut significet ipsam quoque regiam majestatem honore æquè, ac onere premi, ac gravari, 6. ut indicet, etiam Principum libertatem vinculis obnoxiam esse, licèt aureis. Vides quot causæ ludicræ assignentur; & quot ex ijsdem enascantur argutiæ, quibus oretio efflorescit. De carne, & spiritu à causa ludicra jocosum est disticon.

Quæris cur animâ caro fortior? accipe causam
Hic carnis patria est, hic animæ exilium est

28. Lepidum est itidem Merrialis Epigramma de sue, quæ ex vulnere peperit.

Icta gravi telo, confossâque vulnere mater
Sus pariter vitam perdidit, atque dedit.
O quàm certa fuit librato dextera ferro?
Hanc ego Lucinæ credo fuisse manum.
Experta est cumen moriens utriusque Dianæ,
Quaque soluta parens, quaque perempta fera est.

29. De Juda Proditore à causis ludicris argutè dicitur. Quales Judam tenebræ comprehenderint ex eo conjice, quòd cum laternis, & facibus solem quæsat Tribus Averni Furiis quartam se addidit, habuit enim & ipse tædas suas, quibus vesanæ mentis flammas agitaret. Mundi locem splendentibus quærit facibus, non ut augeet suo lumine, sed extinguat. De stella quæ Magos perduxit ed nati Christi præsepe, eisque in itinere semper præluxit, quæritur cur evanuerit, cùm primùm præsepium Magi appulêre; & à causa ludicre pulchrè concluditur id contigisse; quia propè solem, seu Christum, sydere extinguuntur; etenim vicino sole sydera non splendent. De Christo die Veneris passo

Luce obijt Veneris, Veneris sle terba. Videter
Causa Dei passi con minima esse Venes

30. Undecimò ab effectis, & consequentibus præsertim inexpectatis desumuntur argutiæ, quæ plurimum habent eucupij, ut est illud tetrasticon de fratre, & sorore altero oculo captis

Lumiee Acon dextro, capta est Leonilla sinistro:
Et potis est forma vincere uterque Deos.
Blande peer, lumee, qeod habes coecede sorori:
Sic te cæcus amor; sic erit illa Venes.

31. Ab hoc loco dicimus, Judam lethali osculo purissima infecisse Christi labia; & Christum cruci affixum venire ad patrem noluisse, nisi priùs quà felle, quà aceto labia lavâsset; & hanc fuisse rotam ejus sitim, ut spongiâ detergeret si quid letiferi de Judæ osculo fortâssis superesset; hinc cum gustâsset, seu cum labia abstersisset, noluit bibere. Lepidè Martialis in Bassum rudem scriptorem calamum acuit, ut indicaret quasi foret dignus præmio

Colchida quid scribis? quid scribis amice Thyestem?
Quid tibi vel Niobe, Basse vel Andromache?
Materia est (mihi crede) tuis aptissima chartis
Deucalion, vel si non placet hic, Phaëton.

A consequentibus Hieronymus Preti post 32. descriptum miræ velocitatis equum concludit, adeò esse velocem, ut si solis trahendæ rhedæ adderetur paucioribus horis diurnus absolveretur cursus, diésque nobis forent breviores, currentem equum Poëta Italus sic describit.

Figlio de l'aura, emulator d' venti
Curfor veloce, e volator senz' ale:
Di cui vola più tardo elato strale
Volan per aria i fulmini più lenti.
Il tuo corso à mirar corron le genti:
Ma per seguire tuo corso occhio non vale:
Non corre il cielo à le tue piante eguale
Men veloce il pensier muovon le menti.
Tona il nitrito: e la ferrata zampa
Sparge de le faville i lampi intorno;
E pur selce non tocca, orma non stampa.
Te brama il Sol per lo suo carro adorno:
Ma trahendo del dì l' ardente lampa,
Breve faresti Sol tuo corso il giorno.

Latinè interprete Bargiocceho sic sonat

Filius est auræ, ventorúmque æmulus acer,
Qui volox, & terram nec pede signat equus,
Cujes anhelantes mirantur lumina cursus:
Currere sed pariter lumina nella valent.
Qui pede ferrato, cee fulgura clara, favillas
Spargit, & hienitu dum fremit ore, tonat.
Quem cuperet propriis Phœbus junxisse quadrigis:
Sed fegerent cursu tunc breviore dies.

Duodecimò à similibus: est similitudo 33. collatio duorum, vel plurimum, quæ licèt alioquin differant, conveniunt tamen in aliqua ratione; ut perinde sine justitia corruit respublica; ac sine clavo furente procella perit navis. Hinc ad similia reducuntur Allegoriæ, Metaphoræ, comparationes, paritetes, & alia id genus: adeout similia uberrimam suppeditent argutiarum segetem. A simili per Allegoriam habentur hi lusus in Christi circumcisionem ex Jugleri. Novum Deus perditis hominibus statuens Magistratum salutis, æterni sui consulatus euspicijs, Calendas Januarias dedicavit. Anni fores, ne percussori Angelo ultra patetent, sgui fuerunt fenguine liniendæ. Janus alter geminæ naturæ, non frontis, præfectus mensibus, prima hac templi sui apertione nova bella portendens, quia venit gladium mittere, eum primùm impulit in se ipsum. Lacteam non ampliùs credamus cœli viam; qui enim primus eam ingreditur sanguineam experitur. Hi lusus deducuntur à simili, vel per Allegotias, vel per comparationes. Ab hoc fonte argutè de clepsydra, in qua aqua fuit in pulveres mutata ait Poëta

Temporis hic index tenuis, qui pulvere manat,
Jam dudum Græcis Clepsydra fluxit aquis.
Humor humus factus sic nos, & nostra figurat
Dum vita est, lacrymæ? dum morimur cineres.

34. Lepidè Bauhusius tres hominis hostes ab hoc loco innuit, inquiens

Unum Grammaticum, Logicúmque, & Rhetora vitæ:
Hos modò viteris; cætera tuta tibi.
Quis Rhetor? mundus fallax. Logicus? Cacodæmon;
Semper declinans est caro, Grammaticus.

Pulcherrimum est Epigramma de sancta Maria Magdalena, quæ per continuatam allegotiam navi comparatur.

Tuta per undantis refluos tibi pectoris æstus,
Magdala, divino lumine puppis abit.
Unda tibi lacrymæ, mens navis, vota rudentes
Spes malus, gemitus flamina, vela preces,
Temo timor, remi curæ, pudor anchora, merces
Unguentum, comites crimina, Rector amor.
Pande rati tu, Christe sinus: & inhospitus hospes
Secum indignanti murmure turba fremat.
Hic merces deponit Amor, puppimque ligabit;
Cautes sunt plantæ, ductáque vincla comæ.

35. Tertiodecimò à dissimilibus venusta hauriuntur acumina quibus oratio ex oppositorum pugna triumphat. Argutia ab hoc loco est concors discordia, ut de S. Joanne Chrysostomo. Securitatem exuit, qua cives indueret, vir fuit plenè aureus, nisi quòd tolerantia ferreus, pretiosior tamen ferreus, quàm aureus. Ut patriam inveniret in exilium properavit. Ab hoc loco est illud Martialis

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem.
Nec tecum possum vivere, nec sine te.

36. Ab oppositis elegans est Epigramma de Christo cruci affixo

Pro servis Dominus moritur, pro sontibus insons
Pro ægroto Medicus: pro Grege Pastor obit
Pro populo Rex mactatur, pro milite & Auctor,
Proque opere ipse opifex, proque homine ipse Deus
Quid servus, sons, ægrotus, quid grex, populúsque
Quid miles, quid opus, quidne homo solvet? amet.

37. Quatrodecimò eruuntur Argutiæ à Genere, & specie quatenus ascendimus, vel descendimus, donec argutus aliquis elucescat mentis conceptus, ut habetur in Disticho de Asello, qui consumpserat librum Homeri

Carmina Iliaci libros consumpsit Asellus
Hoc Fatum Trojæ est, aut Equus, aut Asinus.

38. Lepida ab hoc loco est etiam querimonia Anseris, quem Romani arbore suspensum jaculis petebant. Anseres olim publicè in Capitolio alebantur; eò quia custodibus omnibus somno sopitis, Romanos ad defensionem arcis excitâssent, & arcem suis veluti excubijs à Gallocum vi, & impetu servâssent. Anser igitur conqueritur.

Quid benefacta juvant? quid vos servâsse Quirites?
Et capitolini Templa superba Jovis?
En jaculis summâ pendens ex arbore, vestris,
Postmodò victori præda futura petor.
Ergo non aliam tanta feritate decebat.
Quàm vestri altricem sanguinis esse LUPAM

Principi, qui post cruenta bella tandem pacem invictis suis daturus subditis quietem adgratulantur populi cum Arcum triumphalem ipsi Urbem ingredienti construunt addita inscriptione. *Ingredere fortunatissime Princeps: pro Jani foribus, quas nobis clausisti, has triumphales tibi aperuimus.* Claudere, & aperire oppo nuntur. 39.

Quintodecimò venustæ sunt illæ argutiæ, quæ concludunt præter opinionem, ut si dicturus de re insigni, quid ludicrum inde inferam, ut in illo epitaphio Martini Prudoni metro gallico. Is in aulæis acu phrigia curaverat vitam, & gesta S. Dionysii repræsentari 40.

Priez Dieu pour Martin Prudon
Qui a fait faire cette vie.
Que Dieu luy fasse pardon
En rime, & en tapisserie.
Il morut l' an mil cinq cents neuf
Tout plein de vertu comme un œuf

Idest, Deum rogate ut veniam impertiatur Martino Prudonio, qui in hisce aulæis acu pingi vitam & gesta D Dionysii curavit; obijt anno millessimo quingentesimo nono, plenum virtutum, non secus, ac ovum.

Tu expectâsses quid nobilius, ac grandius. Tale est etiam illud Martialis

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus,
Rem magnam præstas zoile si bonus es.

Sextodecimò ab oppositis plures etiam eruuntur argutiæ, ac lusus. De DEO ubique præsente, & omnia vidente, ac sciente cecinit illo 41.

Omnia cum videat, nulli Deus ipse videtur.
Solus ubique PATET, *solus ubique* LATET

De vita hominis ancipite, varijsque obnoxia vicissitudinibus, gaudij præsertim, & tristitiæ

Gaudia post luctus veniunt, post gaudia luctus.
Semper in ambigua speve, metuve sumus

De illo, qui cum male viveret, bene bi berec 42.

Displicet insipiens novitas, & stulta venustas,
Seu vetus est vinum diligo, sive novum.

De Tyranno 43.

Omnia formidant, formidantúrque Tyranni
Semper habet comitem vis metuenda metum

De lingua hominis eloquente, & obloqueote

Quid melius linguâ, linguâ quid peius eadem?
Tristia cum dulci toxica melle gerit.

De S. Alexio ignoto paterna in domo

Ignoti major laus est, & gloria Alexis,
Nunquam tam celebris, ni latuisset erat

De vita brevi & Sapientia breviore

Cum sit præcipiti vicina senecta juventæ
Cum sapere incipimus, desipere incipimus.

De Poëta obscuro

Carmina componis, quæ nemo intelligit, hoc est
Nole tacere Bubo, sed neque velle loqui.

De illo qui cum solem aspexisset excæcatus fuit

Heu miser in medio perdo mea lumina sole;
Quique diem generat, surripit ille diem

In molliter comptum adolescentem

Natura vir est, sed femina redditus arte,
Communis generis denique factus homo est

De Amore plura prædicantur contraria

Libertas, carcer; pax pugna; dolenda voluptas,
Spes, metus est; fel, mel, feria, ludus, amor

De Magis Eois Regibus quærentibus in partes occiduas Christum natum

Hactenus Eoo Sol duxit ab axe quadrigas
Mersit & Hesperio pronus in amne rotas.
Sed tamen occiduus Phœbus tunc venerit oris
Cum solem Reges ex oriente petunt

44. Decimoseptimò uberem argutiarum segetem suppeditant Repugnantia oppositè, & appositè affirmata de diversis subjectis, ita tamen ut utrumque repugnans utrique non competat subjecto; sed unum alterius vicem subeat, ut cum dicimus: *Res misera Medicus est, cui nunquam bene est, nisi malè sit alijs; quia alienæ ægritudine medici crumena convalescit.* De his qui aliena vitia carpunt, & propria non vident, quæ emendent; sunt Argi ut alienos videant errores: talpæ verò ne proprios cernant

Crimina qui cernunt aliorum, nec sua cernunt
Hi sapiunt alijs, desipiuntque sibi.

De surdo oculato, & de cæco aurito argutè ab his repugnantibus dicitur

Cur oculis pollet surdus, cæcúsque quid aure?
Ille oculis audit, auribus iste videt.

Interdum hæc repugnantia per mutuam permutationem venustè concludunt; ut est illud distichon de Christo nato, & toto amabili

Cor mihi Christe rapis: da cor mihi Christe vicissim
Corde tuo liceat vivere, vere meo.

45. Nonnunquam repugnantia inter se convertuntur, & de eodem prædicantur subjecto; ut cum de inope pio, ac virtutum cultore dicimus, esse sua inopiâ divitem. De Jobo, suis infortunijs fuisse fortunatum, suisque miserijs felicem, & tunc saniorem extitisse cum in fimeto exulceratus pluribus torquebatur doloribus, laborat morbis; sed tunc fit transitus de corpore ad animum; quo pacto de divitijs affluente, & vitijs indulgente: dicimus infelicem esse illius felicitatem

46. De S. Martino qui prodest vivis, & mortuis: scitè ille.

Et tibi viventes debent Martine salutem,
Hanc etiam debet mortua turba tibi.
Vivere nam rectè per te didicere sepulti,
Et per te vivi sic didicere mori.

De lege, & lite

Filia lex litis, bona filia pessima mater
Filia lis legis mater bona pessima nata

Urbs rure alitur, & urbe rus

Urbs sterilis fructus agrorum in stercora vertit
Fertilis in fruges stercora vertit ager

Martialis ad Didymum lib. 5. Epigram. 80.

Insequeris fugio, fugis insequor, hæc mihi mens est
Velle tuum nolo, Didyme nolle volo.

Quæ pueris, & senibus præstantur beneficia citò pereunt

Quod bene fit puero, perit; & si permanet ille:
Decrepito quod fit non perit, ipse perit

De eo qui pauca donat accepturus plura

Donat ut accipiat; non accipit, ut det Acerra:
Accipere est illi meta, sagitta dare.

Si cum vivimus morimur, cum morimur 47.
vivimus: est transitus à corpore ad animum: si morimur vitijs viventes, vivimus Deo morientes.

Mortuus ut vivas, vivus moriaris oportet,
Adsuesce ergo priùs, quàm moriare mori.

Tempera te tempori, ut tempora tibi serviant.

Temporibus, si ritè sapis, servire memento
Omnibus: ut tempus serviat omne tibi.

Qualis vita, mors ita; est mors echo vitæ præcedentis

Ut tibi mors felix contingat, vivere disce.
Ut felix possis vivere, disce mori.

Quo differant discrimine Roma, & Bononia.

Quo Roma dispar sit docta Bononia dicam:
Hæc facienda legit; illa legenda facit.

In Avarum morientem

Omnia das, quia nil potes hinc auferre: dedisses,
Si tecum posses omnia ferre? nihil.

Medico non utaris, ut diu vivas, tempe- 48.
rantia optimum pharmacum

Si tarde cupis esse senex, utaris oportet
Vel modico medicè, vel medico modicè

Dives divitijs & curis abundans, sed quiete vacuus

Cura diem perdit, noctem tenet improba cura;
Divitis in media est nulla quiete quies.

Tempus nil agendo omnia absumit; & vir levis nugando tempus consumit.

Tempore tempus edax edit omnia Dydime; sed tu
Dum nugando teris tempora, tempus edis.

Decimo octavo ab alienatis solent argutiæ 49.
peti, sunt alienata non solùm in quibus aliquod proprium alienatur, seu negatur de subjecto, vel aliquod non proprium de eodem asseritur, quod repugnantibus est commune: sed etiam quod non proprium rei, eidem tribuatur, & loco proprij substituatur; ut si cœli sydera dicas olympi rosas; & flores terræ sydera. Hæc alienatio à re, statu, ac significatione propria fit argutè: à persona est illa argutia de Domitiano arcu muscas insequente: *Fuit hostibus musca, muscis hostis* alienatur per antitheum ab homine, muscisque adscitur.

D. S. Cunegunde Sigefridi Palatini filia, & 50.
Henrici Romanorum Imperatoris uxore, quæ Augustæ Windelicorum cum in suspicionem violati thori venisset apud maritum per ignitos vomeres illæsa nudis pedibus incessit, suamque integritatem, ac innocentiam probavit. Venustè ab alienatis

Exploratorem Cunegunda ut contigit ignem
Non fuit in planta sensus, in igne fuit

In

In avarum custodientem pecunias in cistis ferreis

Ferrea cista auri custos, tibi ferrea porta,
Ferrea tota domus, ferreus & Dominus

In calvum pluribus temeratum sceleribus

Omnibus amissis à tergo, & fronte capillis:
Quid tibi jam restat perdere? calve caput.

De Amore qui dicitur ignis, cui competit levitas, tribuitur gravitas

Sit licet ignis amor, non leve pondus habet.

De S. Maria Magdalena suis illacrymante culpis

Forsitan ipsa minus si non peccasset, amasset:
Nam flammis oleum lacryma amantis erat

51. Plerunque alienatio fit à causa, vel effectu, & tunc assignatur non causa pro causa, vel non effectus pro effectu, ut de S. Maria Magdalena sub cruce lugente cum strophiolo exsiccaret lacrymas, vultum tegit

Magdala sub cruce stans, dic pictor cur tegit ora?
Dum tegitur, melius pingitur iste dolor.

De cæco Evangelico, qui a Christo visum accepit

Non sine causa oculos illi natura negârat
Debebant medico nobiliore dari.

In scriptorem æquè prolixum ac confusum

Scripsisti æternos, si fas mihi credere libros
Fine carent libri, principióque tui.

52. Fit itidem alienatio cum aliquid a moribus, legibus consuetudine modo, & ordine alienatur, ut de illo qui gloriabatur esse sui juris

Sum meus, inde mihi videor satis esse beatus:
Non habeo famulos Aulicæ nec dominum.

De Tito Vespasiano Hierosolymam occupante, ac evertente

Prodigus Isiadûm Cæsar cupit esse Sacerdos:
Non tantùm vitulos, integra templa litat.

Seu nec locis sacris parcit, & templa ipsa solo æquat. Frequentius peccant oculi, quàm manus.

Si quoties peccant dextri effodiantur ocelli:
Mundus in exiguo tempore luscus erit.

Christus cruci affixus nudus, cur non frigeat.

Frigora non patior, quantumvis frigeo: namque
Quo nudus magis est; hoc magis ardet amor.

53. A loco haud inconcinnè fit alienatio. De Flavio Domitiano, qui timore percitus fugit in capitolium

Imbellum ne credas ducem capitolia scandit,
Quod vincendo nequit, hoc fugiendo facit.

De ebriolo ganeone argutè dicitur

Nunquid in opposito sentis te Virginis ortum
Sub amphora, vel piscibus?

De ignobili jactante suam nobilitatem, pungitur ab arte parentum, ut detumescat

Mater erat nutrix; Pater in mare retia misit:
Hinc sua condecorat linea longa genus.

De Arbore immutata per anni tempestates

Ver viridem, flavámque æstas me fervida, canam
Autumnus; calvam frigida fecit hiems.

54. Decimonono nascuntur argutiæ etiam à comparatis sive per se, sive ratione alicujus proprietatis, vel effectus, & præsertim, cum res in speciem diversæ similitudine aliqua minus obvia inter se comparantur, ut cum Rex Grex, lex dicuntur *Rex pastor, populique greges, sunt pabula leges*

Venustè Navis, & avis comparantur

Puppis cauda, carinaque venter, proraque rostrum
Velaque sunt alæ, totaque navis avis

Homo & humus per comparata

Est homo, sic ut humus, supra se tollitur ipsum:
Mente superbit homo; monte superbit humus.

A dissimilibus comparatis fit etiam argutia ut de speculo, & echone

Nil in se præter vocem vitale habet Echo:
Ut vivat speculum nonnisi voce caret

55. Vigesimò petuntur etiam argutiæ ab allusione in vocibus, vel sententijs inflexâ vocis, vel sententiæ significatione; voce vel sententiâ immutatâ; ut in vulgari disticho

Apta Duci non est uxor, non apta Regique,
Quæ Duci non est apta, nec apta Regi.

De D. Margarita alluditur ad nomen quod gemmam sonat

Vellet inops fieri, sed dum se possidet ipsa
Margaris in cassum credo feretur inops

Crimen nostrum est discrimen

Criminis est nemo, nemo discriminis expers;
Nos in discrimen crimina nostra vocant.

LIBER III.

De Mythica Eruditione.

NUlli dubium, mythicam eruditionem plurimum præſeferre aucupij ad animos demulcendos, moréſque ad virtutis normam componendos; in promptu ſiquidem ſunt teſtes, non è trivio proletarij; ſed illuſtriori litteraturâ inſignes; id adſtruunt D.Thomas, & Ariſtoteles; quorum eadem eſt ſententia; ad id aiunt, inventam Mythologiam, ut hæc innata ſuavitate delinitas hominum mentes ad virtutis amorem, conſectationémque promoveat: *Poëtica fabulæ* (ait Angelicus Doctor in Epiſt. ad Tim. cap. 4. lect. 1.) *idcirco inventæ ſunt, quia (quemadmodum ait Ariſtoteles in Poëticis) Conſilium Poëtarum erat, ut mortales adducerent ad virtutis adeptionem, ac vitij fugam; ad quæ ſimplices homines, melius repræſentationibus, quàm rationibus adducuntur. Duo igitur in Poëticis fabulis reperiri neceſſe eſt, & ut contineant verum ſenſum aliqua ſimilitudine involutum; & ut aliquid utile repræſentent.* Quo pacto Protheus Tethyos filius omnes induens formas, virum exhibet prudentem, cæterorum conſiliis pro data opportunitate ſe accommodantem: Alcides redux ab orco redivivus, invictum animum, cui ad virtutem nulla via invia: Daphnes caſtitatis culturâ in laurum mutata, virginitatis honorem jugiter vireſcentem: Orpheus Phlegetonteis ab oris harmonico lyræ ſono extrahens Euridicem, orationis vim, quâ plures à peccato liberantur: Caſtor, & Pollux exiguo prodeuntes ab ovo, & in cœlis mox ſplendentes, eminentias dignitatum perſæpe ab humili loco ſuam trahere originem: Amphion acceptâ à Mercurio lyrâ ſaxa trahens, Thebarúmque mœnia conſtruens vim, ac energiam eloquentiæ ad prædura, ac ſilicea corda emollienda, & ad virtutis culturam pertrahenda: Hercules proſtrati leonis pelle veſtitus, virtutem poſt exanthlatos labores majus enanciſci decus: Mercurius caduceo diſſidentes animos componens, virum ſapientem, & eloquentiâ præſtantem, qui blando eloquio populi tumultus ſedat, & rixas extinguit: Endymion inter Somniandum felix, mortalis vitæ felicitatem ſomnium eſſe: Aſtræa cœlum è terris coinquinatis ſcelere repetens; rarò juſtitiam in judice divitiis inhiante ſuam figere ſedem: Antheus decertans cum Hercule, atque ex contactu telluris vegetior, nervoſiórque reſurgens, virum humilem, qui depreſſus altior evehitur: Tantalus in aquis medüs

diis sitiens avarum divitiis affluentem, & simul egentem, ac iisdem inhiantem: Narcisus amore captus propriæ imaginis se in fluvium demittens; amorem proprium plures persæpè perdere: Rapax aquila Promethei pectus dilacerans, conscientiam læsam animum torquentem: Theseus Ariadne filo è Cretensi labyrintho evadens, virum sapientem, qui duce prudentiâ ardua quæque superat, ac pericula declinat. Sisyphus labore inutili ingens voluens saxum; eos, qui rebus inutilibus occupantur; séque sine fructu torquent, ac tempus inutiliter terunt.

Fabulæ igitur ex Poëtis ab oratoribus assumptæ, & variis sensibus accommodatæ, multum affundunt suavitatis, plurimum habent aucupij ac præseferunt utilitatis ad bonos mores instillandos. Quamobrem Poëtarum lectio perutilis est ad variam eruditionem. Nunquam Tullius ad eam dicendi gloriam efflorùisset nisi à puero Poëtarum assuevisset lectioni. Quidquid etiam in oratoribus Græcis splenduit eruditionis, & elegantiæ, id ex Homero hauserunt. Demosthenes alioquin gravis, rigidus, ac austerus, has Poëtarum fabulas opportunè adhibuit; quia plurimum habent festivitatis; ut monet Fabius *lib. 5. cap. 11.* & animos rusticorum, atque imperitorum solent blandiùs allicere, ac quadam perfundere voluptate, quâ faciliùs iis consentiunt, quibus delectantur. Deos igitur, Deásque fabulosas conspectui subjiciemus; quorum veneratio sicut est summè detestabilis ad imitationem; ita eorum mythologia plurimùm utilis est ad ingenuam eruditionem. Non enim mentio facienda est ulla de idolorum monstris, quæ in sacris recensentur paginis, quale fuit *Moloch*, cujus in amplexus miserabiliter cremandi pueri per ignem impellebantur vel *Astarthe*, seu Venus, Sidoniorum Dea, cui Salomon ex Sapientissimo desipiens Templum extruxit: vel Philisthæorum *Dagon* infernè piscem, supernè præseferens hominem: vel squamosa Babyloniorum bellua *Bel*, quam Daniel obsipatâ interemit offâ: vel Mohabitarum *Chamos*: Accaronensium *Beelzebub*: vel Aaronis ex fuso auro conflatus *vitulus*: vel Sidoniorum *Astaroth* ovem referens: sed illa tantùm recensebimus Numina, quæ stulta superstitio sive picta, sive ficta coluit, ac Deos credidit, quorum alios Majorum gentium, seu maximos; alios cælestes, ac superos; alios minorum, gentium, seu medioximos; alios terrestres, semideos, ac infimos; alios inferos, indigites, seu ex hominibus Deos factos vocavit. Siquidem Romani, Imperatores suos consecraturi, seu in Divos relaturi, quæ relatio *Apotheosis* græcè dicitur, simulacra defunctorum insigni pompa ad pyram consueverant deducere, è cujus supremo fastigio in formam tabernaculi constructo aquilam subjecto igne dimittentes, in Cœlum unà cum ave Principis animam deferri credi voluêre; cui propterea divinos decreverunt honores. Dicebantur etiam Dii minorum gentium, seu minori fulgentes honore, quos ut ait Plinius *2. de natur. Deor.* propria merita vocârunt in Cœlum, & Diis ad-

adſcripſerunt, adeout *Adſcriptitii* etiam dicerentur, vel indigetes, eò quia nullius rei ampliùs indigerent, vel quia Diis eſſent adſciti, ad ſuperos evecti, & ab hominibus in Deos relati: ſic Æneas *Jupiter indiges* habitus eſt, de quo à genitrice Venere expiato, ac Deo facto cecinit Ovidius 14. Metamorph.

Luſtratum genitrix divino corpus odore,
Unxit, & ambroſiâ cum dulci nectare mixtâ
Contigit os, fecitque Deum, quem turba Quirini
Nuncupat indigetem, templóque ariſque recepit.

EXPENSIO I.

De Diis cæleſtibus Jove, & Apolline.

1. FAbulas exhibemus Numinum, non ullius cultûs causâ, id enim impium foret, ac execrandum, ſed eruditionis gratiâ. *Sunt fabulæ* (ut placet Iſidoro lib. 1. Etymol.) *à fando dictæ, fictæ, quia non ſunt res factæ, ſed tantummodo loquendo dictæ;* poſtea cum placerent; etiam pictæ. Quia futilis horum Numinum turbæ Princeps adſtat JUPITER, à Jove altiùs fundamentum jacimus. Dicitur Jupiter in genitivo Jupitris, ut cenſent plerique viri eruditi; vel Jupiteris, ut Priſciano placet; non verò Jovis, eò quia hic genitivus non ſit à Jupiter; ſed à nominativo Jovis. Hoc enim Numen Jovis priùs vocabatur à juvando; poſtea addito altero vocabulo dictus eſt Jupiter, ſeu juvans pater: ſicut veteres *Vejovem* dixerunt Deum, cui dempta eſſet juvandi facultas. Colebat priſca ſuperſtitio quoſdam Deos, ut prodeſſent; quoſdam, ne obeſſent, placabant. Finxerunt Poetæ *Jovem Opis, & Saturni* fuiſſe filium, in Creta Inſula eodem cum Junone partu editum, & in Ida monte à Curetibus educatum; idque clangulò, ac inſcio patre; cum Saturnus ex pacto inito cum Titano fratre filios ſuos omnes devoraret. Cúmque in virum adoleviſſet, eique innoteſceret, etiam tunc patrem vitæ ſuæ inſidiari, regno eum pepulit; & cum Neptuno, & Plutone fratribus ſuis regnum diviſit. Cum autem ſorte Jovi regiones ab oriente ſitæ; Plutoni occidua pars; & Neptuno tractus obtigiſſent maritimi; data occaſio fuit fingendi, Jovem cœli, Neptunum Maris, & Plutonem Inferorum Reges, ac Deos. Jupiter Junonem ſororem ſuam uxorem deinde duxit, quæ ei Vulcanum peperit.

2. Fingitur JUPITER eburneo, aureóque inſidens ſolio, corona aurea redimitus, lævâ ſceptrum, dextrâ fulmen præferens, quod in ſubjectos Gigantes à ſe olim devictos intorquet; adſtat aquila, quam ſibi delegerat, ut fulmina porrigeret dimicanti contra Gigantes; vel quia in ejus olim conſederit capite, regnúmque portenderit; hinc aquila *Jovis armiger ales* audit. Non tamen ſolus Jupiter fulmina fingebatur, in audaces, ac ſceleſtos intorquere; ſiquidem facultas vibrandi fulminis, fuit etiam tributa Vulcano, & Minervæ, hinc dicebantur *Minervales manubiæ*, ſeu fulminum jactus; eò quia Minervæ ſidus turbulentiores ſub æquinoctio verno tempeſtates moveat. Fulminum *manubiæ* etiam Junoni tribuebantur; varia fulminum genera recenſet Plinius *lib. 2. c. 43.* ex quibus duo priſci Romani agnoverunt, diurna, quæ Jovi; & nocturna, quæ Summano, ſeu Plutoni tribuebant. Præcipua tamen poteſtas vibrandi fulmina uni dabatur Jovi; ut locum fecerit parœmiæ *Procul à Jove, procul à fulmine* & dicitur de quovis præpotente, qui poſſit nocere.

Hinc Jupiter variis ſignificabatur nominibus; ut *Tonans, & Fulgens,* ab Auguribus, cui 3.
templum dicavit Auguſtus, appenditque ejus ſimulachro tintinnabulum. *Tonitrualis* ab Apuleio. *Fulminator* à fulminibus vibrandis, quod proprium illius munus erat Virg. 1. *Æneid.* alloquens Jovem,

—— O qui res hominúmque, Deúmque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres.

Capitolinus à colle capitolino, in cujus vertice fanum habuit, quod Tarquinius Priſcus vovit; & Tarquinius ſuperbus conſtruxit. *Tarpeius* ab ipſa rupe, in qua fuit hocce templum erectum, *optimus, Maximus,* quia poſſit, & velit omnibus prodeſſe. *Dodonæus* à Dodona Chaoniæ urbe in Epiro, cui conterminum erat nemus Jovi ſacrum, quercubus conſitum, vetuſtiſſimo totius Græciæ oraculo celeberrimum; in hoc duas columbas conſulentibus reſponſum dediſſe quidam fabulantur; quarum altera Delphos, altera verò in Ammonis Jovis templum evolavit; alii arbores ipſas vocales fuiſſe finxerunt, & oracula conſulentibus ediſſe. Dictam à Nympha quadam marina ejuſdem nominis. *Ammon,* vel *Hammon,* quia in deſertis Libyæ ſub arietis coleretur ſpecie. Cum Liber pater, ſeu Bacchus per deſertum Libyæ

exer-

exercitum duceret, extrema siti laborantem, implorâsse à cælitibus auxilium dicitur; & illico apparuisse arietem, quem dum fugientem prosequitur pervenisse illo duce ad limpidissimum fontem; hinc desiderio potitum existimâsse, arietem illum fuisse Jovem; cui amplum templum in arena illa construxit, vocavitque Deum *Ammonem*, seu *Arenarium*; & in fano illo colebatur Jupiter sub forma arietis pede fontem indicantis Baccho sitienti. *Elicius* eò quia precibus cœlo eliciatur Ovid. 3. Fast.

Eliciunt cælo, te Jupiter; unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciúmque vocant.

4. Multiplex alia est Jovis nomenclatio, dicitur enim *Diespiter*, quasi diei, lucisque parens: *Rejupiter* à nocendo. *Tonans* à ciendo tonitru, quo Deos consentes, & consiliarios in concilium deliberaturos vocat. *Custos* a custodia urbis; extat imago Jovis custodis in Neronis numismatis; in quibus Jupiter in solio sedens dextrâ fulmen habet, lævâ hastam cum epigraphe *Jupiter custos.* A feriendo, quod hostes feriat, dicebatur *Feretrius*; vel etiam à ferenda pace, ut censet Festus; vel à ferendis in ejus templum spoliis opimis; qualia ipsi, primus omnium Romulus obtulit, cæso Acrone Cæninentium Rege: *spolia opima* dicebantur, quæ in pugna victoris exercitue Dux, hostium Duci detrahebat. Ab Italiæ regione, quam Latium vocant *Jupiter Latialis* nuncupabatur. *Lapideus*, per quem jusjurandum concipiebant Romani omnium sanctissimum; quo dicebantur jurare per Jovem lapidem; fuit hoc cognomentum Jupiter sortitus; vel ab ipso lapide, quem Saturno oblatum, Ops ejus uxor, Jovem esse dixit; in quo sensu scripsit Eusebius, *in Creta regnâsse lapidem* scilicet Jovem: vel à lapide silice, quem in sanciendis fœderibus juraturi tenebant hâc formula. *Si sciens fallo, ita me Diespiter, salvâ urbe, arcéque, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem*; quem tunc jurans projiciebant Jupiter *opitulator* dicebatur quasi opis lator. *Centipeda* a firmiori stabilitate, quòd eò firmiùs res dicantur consistere, quò pluribus nituntur pedibus. *Alumnus*, quia omnia aleret. *Ruminus* a rama, seu mamma, quâ enutriret animalia. *Pistor* à pinsendo, eò quia Romanos edocuerit artem conficiendi panes. *Pluvius* à demittendis pluviis reficientibus telluris ariditatem; ejus simulachrum Athenienses venerabantur in Hymetho monte collocatum, de quo Tibullus

Arida, nec pluvio supplicat herba Jovi.

5. Demum vocabatur Jupiter etiam *Xenius*, seu *Hospitalis*, eò quia crederetur dare jura hospitibus: hinc suam traxerunt originem munera, quæ donabantur hospitibus; & à Latinis *Lautia*; à Græcis *Xenia* dicebantur. *Stator*, à stando, cui templum alterum consecravit Romulus, quòd suorum fugam stitisset adversus Sabinos malè pugnantium. *Olympius* à cœlo; quod Græci olympum vocant; vel ab urbe olympia olympo monti contermina, templo Jovis ex quinquennali ludorum celebritate toto orbe clara. Moris hinc fuit, quò prisci homines in conviviis primum craterem generosiori oppletum falerno in honorem Jovis olympii exsiccarent.

Plerique apud Ciceronem *2. de natur. Deor.* 6.
Jovis nomine cœlum ipsum voluerunt intelligi, & per Jovem tonantem, coruscantem, significârunt cœlum nubibus fœdum, fulguribus coruscum, tonitru minax. Virgil. 10. Æneid.

Panditur interea domus Omnipotentis olympi

Alii per Jovem aërem indicarunt, & quæ in 7.
ipso concrescunt, ut fulgura, tonitrua, imbres & alia id generis meteôra Unde Horatius 1. Od. *jacet sub Jove frigido*, seu aperto sub aëre, quo pacto dicimus etiam *sub dio frigido*, Lucretius lib. 1. Æthera vocat Jovem, & terram Junonem ejus conjugem, cui assentitur Virgilius 2. Georg.

Tum pater omnipotens, fœcundis imbribus Æther,
Conjugis in gremium lætæ descendit, & omnes 8.
Magnus alit, magno commistus corpore fœtus.

Plura finguntur a Jove; atrais fac nora, quorum pleraque non sunt probro vacua. Gigantes montes montibus addentes, rupésque rupibus ad cœli expugnationem solo prostravit fulminibus ictos *Cicer. 2. de nat. Deor.* Lycaonem ob patrata flagitia vertit in lupum, ejúsque regiam immisso fulmine incendit *Ovid. lib. 1. Metamorph.* Junonem sororem suam in Cuculum mutatus spe nuptiarum allexit, & compressit *Doroth. 2. Metamor.* Æginam Æsopi Bëotiæ regis filiam in ignem commutatus inflammavit libidine, spoliavit virginitate: *Ovid. 6. Metamorph.* Antiopam Lyco Thebarum regi nuptam sub forma Satyri vitiavit, *Ovid. 6. Metamorph.* Danaen Acrisii Argivorum Regis filiam turri inclusam a patre, constupravit in imbrem versus aureum per tegulas immissum in puellæ gremium. Auro nil impervium, *Ovid. 4. Metamorph.* Ledam Tyndari Laconiæ Regis uxorem in cygnum transformatus vitiavit, *Arat. in Phænon.* Clytoriam venustissimam puellam apud Thessalos conversus in formicam stupro fœdavit. *Arnob. apud Gyr.* Ganymedem Trois filium in Ida monte venantem per immissam aquilam rapuit, habuit in deliciis, & nectari Deorum miscendo, ac ministrando præfecit. *Boccat. lib. 1. de Geneal. Deorum.* Europam, Agenore Phœnicum Rege oriundam sub Tauri specie evexit in Cretam, ac stupravit. Hisce fabulis veritas adumbratur; nimirum eos belluinam induere figuram, qui pudorem exuunt; & homines libidine degenerare in Bruta

APOLLO cœlestium Nominum ab Ethnicis cathalogo adscitus, juvenis est specie venustulus, & venustate decorus, imberbis, ac intonsus, dextrâ sagittas, & arcum, lævâ citharam tenet, aureo fulgens vellitu, laureo coronatur serto. Hic unus instar multorum est; ait Porphyrius eundem in cœlo esse solem, in terris Liberum patrem; & apud Inferos Apollinem. Id tria ejusdem insignia produnt: Lyra cœlestem connotat harmoniam; sagittæ ostendunt noxios homines ab ipso puniri, ac detrudi ad inferos: Grynæi cogno- 9.

Verani Pantheon Tom. II.

cognomen indicat Numen esse terrenom. Vocatur *Apollo Grynæus* à Grinæo nemore conterminuo Clazomeni Asiæ urbi, in quo Apollo colebatur Virgil. 4. Æneid.

Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo

10. Et Grynæum nemus in finibus Æolidis Apollini consecratum, denominatur à Grynæo finitimo oppidulo, ut refert Strabo *lib. 13.* Pluribus aliis donatur Apollo nomenclationibus. Dicitur *Cynthius* à Deli monte Cynthio; unde etiam Diana Cynthia. *Delius* à Delo Insula, ubi natus est ex Latona Cœci Titanis filia, à Jove compressa: geminam Latona ex hoc Jovis compressu prolem concepit; quod ægrè ferens Juno Pythonem serpentem in illam misit, quem tamen Latona fugiens se recepit in Delum insulam, ubi Apollinem, & Dianam eodem partu in lucem edidit. *Phanæus* eo quia Phœbeâ suâ luce cuncta clara, ac manifesta reddat. *Antistes Camænarum*; eò quia in monte Parnasso novem præsic musis. *Delphinius*, eò quia Pythona serpentem Delphina dictum interfecerit. *Delphicus* à Delphis Boëotiæ urbe, quæ terræ dicitur umbilicus, quia in illa Aquilæ binæ Jovis jussu emissæ, altera ab occidente; ab oriente altera æquabili volatu Delphis sibi occurrissent. Fuit ibi Apollini amplissimum extructum fanum, in quo responsa dabat consulentibus, licèt non priùs, quàm eadem accepisset à Jove: hinc ortum adagium: *Quid tibi Apollo cecinit?* seu quale dedit responsum? allusum est ad Apollinis citharam. Hoc fuit celeberrimum illud oraculum, quod nato Christo Servatore fertur siluisse; & Augusto Apollini enixim addicto silentij causam sciscitanti respondisse.

Me puer Hebræus, Divos, Deus ipse gubernat
Cedere sede jubet, tristémque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc nostris, abscedito Cæsar.

11. Dicebatur etiam *Pythius* non tantùm à Pythone serpente, quem occidit; sed etiam *à consulendo*. Nemo siquidem fuit ex Dijs, quem frequentiùs Ethnici consulerent, & crebriora ederet oracula, præsertim in templo Delphico, quò gentes omnes confluebant, ut orbis totius vocaretur oraculum. Fundebantur ibi oracula per puellam virginem, donec earum unâ violatâ; decretum postea fuit, ut imposterum à grandæva muliere puellæ induta habitu redderentur, quæ à Pythio Pythia, à Phœbo Phœbas diceretur; quo verò pacto illa numen conceperit discors est opinio. Tullius censet, fuisse anhelitus quosdam terrarum; quibus afflatæ mentes oracula ederent. S. Joan. Chrysostomus putat, hanc Pythonissam fuisse fœminam in tripode sedentem, à maligno occupatam spiritu; quem per inferna emissum, & per genitales partes subeuntem excipiebat; & ipsa furore percita resolutis crinibus debacchabatur, emittens ex ore spumas, loquénsque furoris verba. Tripus verò, in quo Pythia vates sedisse dicitur, mensa fuit tribus fulta pedibus, supra quam recumbebat Vates, cum affundere vellet oracula; hæcque mensa cortina etiam dicebatur à Pythonis serpentis corio, quo obtegebatur Alij tripodem dixerunt fuisse vas, in quo Phœbas mergeretur antequam responsa daret. Dicunt alij, & forsan meliùs, tripodem fuisse vas aureum, ansatum ternis nixum pedibus, cui insidebat Pythia Sacerdos. Ferunt hunc tripodem à piscatoribus jactis retibus repertum fuisse; & à Thalete Milesio Apollini Delphico dicatum.

Multiplex alia erat Apollini nomenclatio; 12.
vocabatur itidem *Didymæus* à gemino sydere sole, & luna, quibus nocturno, & diurno tempore orbis illustratur. *Nomius* non solùm quia pastorem egerit, & Admeti gregem duxerit ad pascua; verùm etiam quia Sol cuncta, quæ in terris gignuntur, calore foveat, ac benigno suo influxu promoveat. *Pæan* à sedandis molestiis; vel ut placet alijs à feriendo, quia Sol æstivus radijs suis perinde, ac aureis jaculis feriat, ac noceat. Pugnanti etiam cum Pythone Apollini acclamabatur à matre, & spectatoribus *Medere Pæan. Jace, immitte Pæan.* Hinc usus invaluit, quò non solùm hymni omnes in Apollinis laudes compacti *Pæanes* dicerentur; verùm etiam ipsæ acclamationes in delatis victoriis celebrandis nomine *Pæan* significarentur *Jo. Pæan* quo pacto suum agebat triumphum Amasius ille levissimus apud Ovidium 2. deart. amand.

Dicite Jo Pæan, & Jo bis dicite Pæan:
Decidit in casses, præda petita meos.

Tribuitur Apollini inventio Medicinæ, 15.
Musicæ, Poëticæ, ac Rhetoricæ; quâ de causa Camœnis præesse dicitur; & vaticinandi, jaculandique ars, quam edocuit mortales, quos cum sibi tot beneficijs devinxisset ab ijsdem in cœlestium Numinum fuit numero recensitus. Has dotes se gloriosè venditans enarrat fugienti Nymphæ, quam deperit apud Ovid. Metamor.

———Nescis temeraria nescis
Quem fugias, ideóque fugis———
Jupiter est genitor; per me quod eritque, fuitque,
Estque patet; per me concordant carmina nervis,
Certa quidem nostra est; nostra tamen una sagitta
Certior, in vacuo, quæ vulnera pectore fecit.
Inventum medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum est subjecta potentia nobis.

Quæ finguntur ab Apolline gesta, hæc sunt 16.
memoratu præ cæteris digna. Cyclopas cudentes fulmina ad unum omnes vibratis telis confixit ad ulciscendam Æsculapij filij sui necem; quem Jupiter fulmine interfecerat, eò quia arte medica vitâ functos ex stygia palude revocaret; quæ causa fuit, ut summo cœlo deturbatus Apollo, divinitate spoliatus, miseriisque obnoxius exulare fuerit in terris jussus, inopiâque compulsus ad pascendos Admeti greges. Otij verò pertæsus ad fallendum tempus dicitur citharam invenisse. Rursus ad Lyræ harmonicum cantum fertur Troianæ urbis mœnia construxisse Ovid, in Epist. Parid.

Ilion

Ilion aspicies , firmatáque turribus altis
Mœnia Apollineæ, structa canore lyræ.

15. *Hyacinthum* puerum elegantis formæ, indolisque flebilis cum imprudenter interemisset, id dolens præstitit , ut ex ejus in terram fuso cruore flores Hyacinthi nascerentur. Ovid. 10. Metam.

Ecce cruor, qui fusus humi, signaverat herbas.
Definit esse cruor, Tyriòque nitentior ostro
Flos oritur, formámque capit, quam lilia ; si non,
Purpureus color his, argenteus esset in illis.

16. *Daphnem* virginitatis studio claram, & pudore inclytam, quam efflictim deperibat in laurum mutavit arborem callissimam, quæ nec frigoris violentiâ, nec æstûs vehementiâ patitur se violari, semper virens, jugiter læta. *Cyparissum* adolescentem venustissimum , ac dolentem ob occisum præstanti corpore cervum ; quem à teneris *educârat* in arborem sui nominis convertit, seu *Cupressum*, ut semper lugeret, ac funeribus jugiter interesset ; est enim cupressus arbor funebris. *Bolinam* Nympham, diu persecutus , assecutus nunquam est; siquidem maluit illa fluvij, in quem se demersit , extingui lymphis, quàm impudicâ ardere flammâ. Nec caruit præmio pudor invictus; si vita caruit , claruit immortalitate; Apollinem , mortémque vicit, quam subijt pro tuenda virginitate, *Clytiam* Leucothoës sororem , eò quia amoris impatientiâ extabesceret , solémque irretortis oculis semper intueretur in florem convertit, quem *Heliotropium* vocamus. *Midæ* Regi Phrygiæ, eò quia palmam adjudicaverit stolidè *Pani*, cum quo Apollo canendo certaverat , aures protraxit, ac in asininam produxit longitudinem, ac formam Ovid. 11. Metamor.

Induitúrque aures lentè gradientis aselli ;

EXPENSIO II.

Expenduntur, quæ de Marte, Mercurio, & Baccho fuerunt ficta, vel dicta.

1. Mars Belli præses à priscis Ethnicis fictus, & dictus , quia in castris maribus præfuerit : sivè fictus, sive pictus exhibeatur; eum nobis repræsentârunt, vultu trucem , aspectu ferocem, oculis flagrantem , fronte exasperatum , totóque ore , ac habitu terribilem, cædes anhelantem , incendia , ac strages spirantem; exitia , & funera minitantem ; cujus clypeus flammeum solis orbem lacessit , gladius fulgurat , galea eminet in capite suis armata cristis; torax, & lorica ferreis lamellis, quasi sqoammis conserta pectus munit ; & ne ulla pars corporis inermis esset; hunc bucculâ, per quam respirare , ac liberè duceret spiritum præmunierunt ; gladio ab uno, fica ab altero latere cinxerunt, ut hostes expectatione priùs,quàm aspectu feriret; prius vulneraret præsentiâ, quàm telo. Si equo insideret , is erat fortis,generosus, cursui , pulveri, ac laboribus assuetus, cui caput cervices, pectus, & cæteros artus non molles phaleræ, non sericæ laciniæ ornabant ; sed graves grassæque ferri laminæ operiebant ; & ipse Sessor armatus gladio,& hasta, protectus ocreis, munitus loricâ , galeâ, clypeo, jaculis, nil ad pompam ostentabat , sed utrinque durities ferrea, asperitas, horror, chalybs , acies , acumen, ut non nisi cædes videretur spondere. Si essedo veheretur , currum trahebant Audacia,& Terror,præeuntibus Discordia discissis vestibus, & Ira succensas agitante faces, aurigante nescio qua furibunda fœmina armis undique tecta, & à Marte protecta; estque Bellona auriga currûs, Martis comes, cui in bellum eunti, currum, & equos parare creditur, & de qua Virgilius 8. Æneid.

——*Sævit medio in certamine Mavors*
Cœlatus ferro, tristesque ex æthere Diræ,
Et scissa gaudens vadit discordia, pallâ,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Dicitur Bellona a bello , cui cum Marte 2.
præest; huic proprio sanguine sacerdotes Bellonarij sacrificabant, de quibus Lactantius lib. 1. cap. 12. *Sectisque humeris , & utraque manu districtos gladios exercentes, currunt, efferuntur, insaniunt.* Hisce peractis sacris putabantur divino afflati spiritu futura prædicere, Martis currum pressius describit Claud. in Ruff.

Fer galeam Bellona mihi , nexúsque rotarum
Tende Pavor, Fræna rapidos Formido jugales

Hæc est effigies ficta, & picta Martis, cujus 3.
propterea nomenclatio est multiplex ; à Poëtis enim dicitur *Mavors* per epenthesim,eò quia magna vertat. *Gradivus* à gradiendo. *Quirinus* à Sabina voce *curis* , seu *Quiris*, quæ hastam significat ; hinc oritur vox *securis* , quasi semicuris , & hasta brevior. *Salisubsulus* a priscis Latinis à saltitando ob inconstantiam,ac levitatem indolis; vel ob incertos belli exitus cum anceps semper sit alea Martis, *Enyalius* ab Enyo, seu Bellona.

Mars fingitur fuisse *Jovis*, & *Junonis* fi- 4.
lius; velut fabulatur Ovidius ex Homero *Iliad.* 5. solius Junonis , cum hæc turbaretur ; eò quia ex percusso Jovis mariti capite sine fœmina conciperetur , ac nasceretur Minerva ; oceanum versus profecta scrutatura, quo pacto posset & ipsa sine viro parere , cúmque ex itinere fatigata ad fores Deæ Floræ conjugis zephyri consedisset , ab eadem interrogata , cur ad oceanum pergeret ; & cognitâ suscepti itineris causa, bono Junonem jubet esse animo, spondétque facturam se voti compotem, si id Juno Jovi haud aperiret ; quod cum Juno jurejurando obfirmâsset; tunc illam Flora monuit , in campis Olenis florem esse, quo summa digitis tacto statim conciperet absque interventu viri. Idque experta Juno concepit, peperitque filium , quem *Martem* nominavit , qui postea uxorem duxit Nerienem sic dictam, quòd eo vocabulo lingua Sabina *virtus*, & *robur* significetur , unde Claudia Familia Neronis nomen hausit.

Pauca ab hoc belli Numine finguntur pa- 5.
trata; unúmque recensetur involvendum potius tenebris , quàm luci exhibendum ; nisi fœdo

sub cortice pulchrum lateret documentum. Ferunt enim Marte cum Venere concubuisse; eósque Vulcani fallaciis tam abscœnè jacentes catena invisibili irretitos, ac omnium Deorum risui expositos fuisse. Hinc Ovidius

Fabula narratur, toto notissima cœlo,
Mulciberis, capti Mársque, Venusque dolis.

6. Tandem Neptuno intercedente fuerunt à Vulcano soluti. Nimirum quodvis turpe facinus licèt tenebris sepeliatur; licèt adhibeantur fidelissimi excubitores; licèt opem præstent fœdissimi voluptatum administri, quæ rantur latebræ, ac omnia criminum integumenta; nunquam tamen solem arcebit divinæ justitiæ; sed patebit scelus, superis, ac inferis explodentibus; & scelerati vinculis producentur conscientiæ irretiti.

7. Sacra fecêre Marti ex animalibus *lupum*, & *equum*; illum ob ferocitatem, hunc eò quia in bello præstet. Ex volucribus *Picum*, & *Vulturem*, ob rapacitatem; & *Gallum* ob vigilantiam, quæ vel maximè milites decet. Ex Plantis *gramen*, eo quia in urbibus bello æquatis solo, ac incola viduatis enasci, ac serpere consueverit; atque in iis soleat locis progerminare, quæ humano fuerunt madida sanguine.

8. Mercurius adulescens asserebatur ad singularem effictus elegantiam, ad omnem factus eloquentiam; erat siquidem specie venustâ, ore hilari, fronte serenâ, argutis oculis; & totum vultum ingenuitas constanti sereno hilaraverat, lilia, & rosas in eminulis genis honestus pudor visus erat conseviſſe; utrumque turgidulum supercilium, morum gravitas nullo fastu tumida subnigra lanugine tenuiter arcuabat; cæsium oculis Minervæ colorem vegeta ingenij vis indulserat; aures modicas, tenerásque rosea temperie docilitas coloraverat; os facundia opifex ad omnem concinnaverat eloquentiam: Decor reliqui corporis insusitatus eleganti partium consensione coalescens, fine suo pulcherrimam exhibebat harmoniam. Alatus erat illi galerus, alatique calcei; virgam manu tenebat itidem alatam, ac duobus illigatam serpentibus.

9. Nomen hoc finxerunt Poëtæ ex *Jove*, & *Maia* Atlantis filia genitum. Macrobius, & Suidas aiunt, Junonem aliquandiu mammam infanti præbuisse, ejúsque lac cum avidiùs sugeret, ore jam pleno effluxisse in cœlum; & viam quam vocant lacteam, græcè *Galaxiam* signâsse. Hujus officium Numinis multiplex fuit; præcipuum Jovis mandata perferre, ac cæterorum jussa Numinum deferre; hæcque causa, cur Deorum nuncius diceretur; ut etiam famulus, eò quia ad eundem pertineret Deorum cœnaculum verrere, sordes purgare, lectos sternere, ac alia abjecta exercere ministeria. Putârunt quidam cum Sophocle, Mercurium adesse morituris, & animas corporeis solutas vinculis ad orcum deducere; & quæ apud Elysios campos tempus explessent, iterum in vitam revocare, ac in recentia reducere corpora. Hæc omnia indicantur a Virg. 4. Æneid

Dixerat: ille patris magni parêre parabat
Imperio, & primùm pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, sive æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit: hâc animas, ille evocat orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit:
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.

Dicitur Mercurius literas invenisse, & claruisse facundiâ, dicendique facultate, adeo ut Hermes à Græcis diceretur ab interpretando; hinc Deus oratorum, & Rhetorum fuit habitus. Rursus fuit inventor fœderum mensurarum, ponderum, ut & vendendi, emendi, ac mercaturam exercendi; hinc à mercibus sesunt Mercurij nomen traxisse: quapropter fuit etiam creditus Deus Mercatorum, & lucri. Furandi arte ferunt excelluisse, furúmque antesignanum, ac Deum fuisse itidem habitum: etenim quo die natus est, Boves Admeti Regis abegit custode Apolline; cui dum de furto queritur; sagittas, quas intentabat subripuit. Veneri etiam ipsum amplectenti, zonam subtraxit; imò, & mira dexteritate Jovi sceptrum abstulit; & etiam in ipsa fulmina ni flammas timuisset, rapaces injecisset manus. Rursus ineundæ pacis fuit Mercurius eloquentissimus Mediator; hac de causa eum Poëtæ descripserunt aureis catenulis, quibus mentes devinciret adstantium; videreniúrque catenulæ ex ore defluere; & non mortales tantùm; sed & Deos ipsos superos, & inferos, si fortè dissiderent ad concordiam unà componebat. Hinc Ovidius 5. Fast. de Mercurio cecinit 10.

Pacis, & armorum, superis, imisque Deorum
Arbiter, alato qui pede carpit iter.

Hæc vis dissidentes componendi animos 11 indicatur per virgam illam alatam, & complexu serpentum illigatam, quam manu tenet; quámque acceperat in munus ab Apolline ob lyram antea ipsi datam. Vis mira virgæ illi inerat controversias dirimendi; idque liquet vel ex ipsis anguibus, in quos cum Mercurius ex itinere incidisset interpositâ virgâ statim conciliavit, mutuóque nexu implexi hæserunt ipsi virgæ, seu caduceo; hinc caduceatores dicuntur, qui ad pacem ineundam nuncij mittuntur, eò quia diffidentia principum capita componant, flammásque furentis discordiæ extinguant. Sicut Prisci per *faciales* bella indicabant; ut etiamnum apud Turcas moris est per equorum abscissas caudas; ita per *caduceatores* bellorum flammas extinguebant.

Cæterum fingitur Mercurius, Hermaphroditum ex sorore Venere genuisse, quem ob 12. formæ elegantiam, & absque foto venustatem eximiam cum deperiret Salmacis Nympha per sylvas, quas venatu adibat perditè insequebatur; & licèt pluries amasia fuisset adolescentem aggressa repulsam semper est passa. Hinc ad superos conversa iisdem enixim supplicavit, ut saltem ex duobus corporibus, proprio scilicet, & illo perditè amati adolescentis unum fieret, quod impetravit; & Hermaphroditus, seu mas simul, ac fœmina coaluit.

Battus

Battus quidam equarum custos, vaccas Admeti Regis à Mercurio subduci pascenti Apollini cum vidisset, & ab eodem rogatus, ne furtum cuidam aperiret, & ille promisisset; ob violatam postea fidem ab eodem Mercurio excandescente conversus fuit in perfidum lapidem, qui etiam nunc Index dicitur Ovid. 2. Metamor.

At Battus; postquam est merces geminata sub illis

Montibus, inquit, erant, & erant sub montibus illis.

Risit Atlantiades; & me mihi, perfide prodis? Me mihi prodis? ait, perjuraque pectora vertit In durum silicem, qui nunc quoque dicitur index.

13. Moris fuit, quò prisci homines in viarum divortijs lapideas collocârint statuas, quæ protensa manu, digitóque exporrecto, quà sit eundum indicarent, dictæ propterea statuæ indices ab indicandis locis. Romani in trivijs, compitisque has locatas habuerunt. Athenienses pro foribus ædium ad domûs custodiam, & ad fures arcendos: & dicebantur *Hermæ* ab Hermete, seu Mercurio. Imò constat, consuevisse Romanos Mercurij, & Minervæ statuas unà nectere, eásque vocâsse *Hermathenas*; & in eadem communi ara utrique simul sacrificia obtulisse. Plura alia præstitit Mercurius. Matrem enim liberavit è carcere. Argum centoculum interfecit. Prometheum in Caucaso relegavit.

14. Bacchus, seu Jachus dator vini, ac temulentorum probrosum Numen vehitur curru; vel dolio insidet; nudo est corpore, ore rubicundo, lascivis oculis, inflatis genis; gestu languescit, mollitie trangitur, vinóque plurimo madet; obesus ei est venter, pectus tumens, ac adipale; pampineo, simúlque hederaceo redimitur serto, & pro sceptro thyrsum tenet, seu hastam ferro præfixam hederâ, & pampinis circumvestitam. Currum trahunt tigrides, vel leones; aut lynces; vel Pantheræ, Numenque stipat ampla temulentorum cohors; ac satyrorum; cobalorúmque incondita turba; sequuntur Bacchantes Tyrrigeræ impudico saltu festa agentes; claudit que agmen Silenus aurito insidens asello. Quod verò risum movet, huic Numini cornua appinguntur Ovid. in Ep. Sapph.

Accedant capiti cornua, Bacchus eris

quasi non pauciores cornutos Bacchus, quàm Venus effecerit. Cornutus fingitur Bacchus à poculis, quæ primis temporibus cornua erant bovina. Pingitur iuvenis imberbis juxta Tibullum

Solis, æterna est Phœbo, Bacchóque juventa

quia repuerascunt ab immodico vino etiam ætate provecti, liberaliùs haustui indulgentes, usúmque deperdunt rationis. Nudus exhibetur, quia illi habentur nudi, qui pergræcantes mentem exuunt. Vel quia multo madidi vino nil tegere valent, nilque dissimulare, ut vulgò dicatur *in vino veritas*. Hederâ coronatur; quia folia hæc semper virentia nativo frigore æstum temperant ebrietatis. Bacchantes, seu fœminæ lymphaticæ, & ad omne fœdum scelus projectæ sacra agunt Bacchi; quia vinum viriles emollit animos, quia mero madidi luxu diffluunt. Tigres, ac leones Bacchi trahunt currum, quia vinum ad iram inflammat; & facilè ad furorem stimulat. Larvati viri, & fœminæ promiscuo sexu bacchanalia agunt; quia amant scelera sub larvis latere: vel quia ea voluptas vera non est, cum incedat larvata. Hilaritatem Bacchus affectat; quia id vino inditum; cor hominis lætitiâ afficere, gaudióque perfundere. In vite vitam hominis sitam dicerent, adeo vitæ grata est vitis: sed plerunque in vino mergitur vita, & extinguitur, naufragium passa, quæ largioribus navigabat in poculis.

Fingitur Bacchus *Jovis* ex *Semele* filius, 15. quem peritrictâ fulgure Semele, exanimata tonitru, & fulmine in cineres redactâ Jupiter insutum femori gestavit, pepetitque maturum lucis usuræ. Ovid. 3. Metamor.

——*Genitricis ab alvo*

Eripitur, patrióque tenet (si credere dignum est)

Insuitur femori, maternáque tempora complet.

Natum puerum Jupiter Mercurio tradi 16. dit deferendum in Eubam ad *Macrim* Aristæi filiam, quæ melle primùm labra infantis illinit, magnáque curâ enutrit, donec adolescat. Hujus Numinis nomen est multiplex. Vocatur *Bacchus* ab immodestè, ac inverecundè agendo; seu ab insaniendo; quo pacto mulieres Bacchi comites, quæ *Bacchæ*, vel *Thyades* vocantur furore concitæ, ac rabie correptæ insanire dicebantur; ut etiam *Mimallones*, quia Bacchum imitarentur. Dicebatur itidem Bacchus *Biformis*, eò quia Juvenis fingeretur, & senex; imberbis, & barbatus. *Jacchus* à verbo clamo, vociferor. Hinc Claudianus

——*Lætúsque simul procedit Jacchus Crinali florens hedera, quem Parthica Tigris Velat, & auratos, in nodum colligit ungues.*

Pelle quandóque tigridis indutum incedebat hoc Numen; cui nomen etiam erat *Dionysius* à Jove, à quo genitus dicitur, & à Nysæis Nymphis, à quibus fuit educatus: vel à verbo *pungo* eò quia cum nasceretur corniculis latus Juvis pupugisset. *Dithyrambus*, eò quia bis in lucem editus crederetur: vel quia antrum, in quo fuit educatus duo habuerit ostia. *Dæmon bonus*, eò quia sublatis mensis in ejus honorem extremum poculum circumferri in conviviis soleret. *Bimeter*, quòd geminas quasi matres habuerit Semelem, à qua conceptus; & Jovem, à quo fuit in lucem editus. *Bromius* ab incendij crepitus tonitruique sonitu, quo ejus parens perijt. *Briseus* à Brisa Lesbi promontorio, ubi colebatur. *Bugenes*, quasi à Bove genitus, ut censet Clemens *in stromat.* hinc à Græcis dicitur *Tauriformis*, *Tauriceps*; vel quia cornua tulerit affixa capiti: vel quia boves aratro primus conjugâsse feratur: vel quia Jovis Ammonis filius fuerit, cui arietinum erat caput. *Liber Pater* à liberando, discutit enim vinum tristitiam, & liberat à mœrore: vel quia in universis coleretur liberis civitatibus: hinc liberatis habebatur symbolum: eadem ratione dice-

diccbatur etiam *Lyæus*, & est idem ac liber, eò quia temulenti liberè secreta effutiant; vel quia liberet à curis Ovid. de art. amand.

Cura fugit multo, diluitúrque mero.

Demum vocabatur etiam *Triumphus*, eò quia triumphantibus acclamarent milites dum capitolium conscenderent *Io triumphe*. Meliùs tamen, ac laudabilius vocabatur Bacchus *Rectus* eò quia quendam Athenarum Regem teste Pausania *in Bœot.* docuerit vinum aquâ diluere, ex quo contigit ut homines, qui antea vino madidi gressu labante vacillarent; rectà ire incæperint.

17. Tam multa sunt, quæ Bacchus hominibus beneficia contulit in dirimendis controversiis, condendis urbibus, sanciendis legibus, ineundis societatibus, referendis victoriis de hoste profligato, ut ferè singulæ gentium nationes sibi in Numen deligerent. Neque solus Bacchus, sed & ejus sociæ *Bacchæ* fœminæ à sacris Bacchi, thyrso terram percutientes, mellis, lactis, ac generosioris vini feruntur rivulos elicuisse, & pleraque alia egisse mira in humani generis commoda virtute sibi à Baccho impertita. Cæterum Bacchus artem invenit serendi vites, eámque homines edocuit; ut & modum ex uvis eliciendi vinum; mellisque conficiendi rationem. Sed si commendatur Bacchus, eò quia primus vites severit; non debet vacuus laude dimitti *Asinus* ille *Naupliæ*, qui eas abrodendo effecit feraciores, hominésque edocuit esse vites amputandas. Bacchus navigationem itidem artémque mare trajiciendi primus ostendit cum Phœnicibus imperaret. Homines pecudum more palantes, ad civilem vitæ consuetudinem traduxit. Indos subegit, Triumphos, & regium diadema invenit. Midæ Phrygiæ Regi bene de se merito vim dedit, quâ in aurum verteret quidquid manu attingeret: verùm sumpturus cibum, & potum, cum animadvertisset etiam aurum fieri, sibíque pereundum fame, & siti; cognovit stolidus nonnisi perniciosa postulâsse. Ovid. 11. Metamor.

Annuit optatis, nociturâque munera solvit
Liber, & indoluit, quod non meliora petisset.

18. Græci cæteris fuerunt proniores in Bacchi cultum: hinc senum venerabilem chorum illi sacrarum legimus apud Platonem *2. de legib.* vocabantur hi senes Liberi duces, & illis cæteri parebant. Ab Atheniensibus teste Suida Bacchus in paludibus colebatur; neque abs re, siquidem paludes dixeris ebrios, ac temulentos vitiorum vermibus scatentes. Fuisse ab Atheniensibus præcipuo honore habitum Bacchum, illud argumento est, quòd *choros Dionysiacos* omnibus præferrent, ut refert Athenæus *lib. 4. Gymnosoph.* inquiens: Athenienses choros Dionysiacos omnibus prætulerunt. Quin apud eosdem octavus mensis Baccho sacer erat; ac plura sacrificia instituta: ut *Oscophoria*, in quibus pueri pampinos manibus gestantes, tributum è sacro Dionysii templo, in sacellum Palladis precabundi decurrebant. *Epilenæa*, seu certamina, quæ instituebantur diebus vindemiæ post inventum Torcular exprimendis uvis idoneum. Certabant enim inter uvas calcandas, quis citiùs plus eliceret musti, cantantes simul Baccho laudes. *Trieterica* quorum meminit Ovid. *in fast. & 6. metam.* & brumali, nocturno tempore celebrabantur: & sic dicta quia post tertium annum Bacchus ab Indica navigatione revertisset. Tunc *Bacchæ* armatæ circuibant urbes vociferantes, resque futuras prædicentes. *Bacchanalia*, seu *Orgia*, vel Dionysia fuerunt festa priùs celebrata à fœminis mense Februario; postea per fœminas viris mixtas, puellisque adjunctos juvenes. Hicque turpissimus lusus cum etiam Romæ vigeret, edicto Senatus fuit sublatus. Imò Romani Senatus consulto non solùm Liberum Patrem, ejúsque mysteria ab urbe; sed etiam à tota Italia depulerunt teste Tertulliano *in Apologet cap. 7.* inquiens: *Liberum Patrem cum mysteriis suis consulto senatûs authoritate non modò Urbe, sed universa Italia eliminaverunt.* Et rectè, quia urbes tunc veriùs liberæ, cum Libero Patre viduatæ. Liberi filia, seu ebrietas expellenda est ab urbibus; ablegand a est temulentia, quæ mentis demergit libertatem.

Sacros fuisse Baccho calices; ejúsque dex- 19.
teræ Priscos Liberi Patris cultores potatorium cantharum posuisse meminit Arnobius *lib. 6. adversus gentes* inquiens: *Æsculapius bacculo, Ceres mammis cum glandibus, aut in manu Liberi Patris pendens potorius cantharus.* Forsan ne Bacchi cultores erubescerent calices exsiccare cum Numinis simulacrum id præstaret. Imò in festo Bacchi bibendi fiebat concertatio; & corona præmij loco ei dabatur, qui plus cæteris bibisset; & ille habebatur victor, qui victus fuerat à vino. Meminit hujus instituti Ælianus *lib. 2. de var.* his verbis. *In Bacchi etiam festo præmium ordinatum est ei, qui plus bibisset aurea corona.* Indi verò in Bacchi templo vindemiæ instrumenta partim aurea, partim argentea suspendebant, ut refert Philostratus in vita Apollonij *l. 2. cap. 4.* inquiens: *Falces, cophinos, & torcularia, & cætera vindemiæ instrumenta, partim aurea, & partim argentea in templo suspensa Dionysio, ut vindemianti conspiciuntur.* Nec illud hic prætereundum. Bacchum luto inungi solitum, refert Suidas ritum hunc, ac ejus originem inquiens: *Fabulantur Bacchum à Titanibus malè acceptum, & gypso inunctum fuisse, ut agnosceretur. Ac eum quidem morem esse absoletum, post autem solitum luto inungi ritûs causâ.* Excitat pleronque fictus iste Deus veras rixas, & licèt somnum conciliet, non tamen bella sopit, sed parturit. Hinc est quòd Bacchi simulacrum prope Palladem, quæ bellorum Dea est prisci homines collocârint, significaturi, bella sæpe à mensibus, à calicibus suam trahere originem. Persæpe in haustu immodico pax mergitur, & concordia perit; & rixæ suscitantur, ut non immeritò S. Petrus Chrysologus *serm. 16.* vocet temulentiam fœcundam litium parentem; cædiúmque matrem; ab exsiccatis calicibus ad sanguinis effusionem facilis est transitus: vino fœde madidi homines plories sanguinem fundunt.

Qualis ebriosorum sit indoles ex eo con- 20.
jicitur, quòd Tygres, Pardi, Lynces, atque

Pan-

Pantheræ Bicchi currum trahere dicerentur; ui diiceremus, harum ferarum immanitatem, ac fetitatem vinum immodicè bibentibus facilè imprimi, si enim spectemus temulentos, ac eorum mores, & motus, ferarum potiùs characteres, quàm hominum nobis objiciuntur. Meretrix illa Babylon, quæ mundi, carnisque concupiscentiæ exhibet symbolum, poculum aureum io manu habet; & super hastam seder, quia illius voluptates ferinæ suoi. Non est hominis harum voluptarum siccare calicem, sed belluæ ferocientis. Homo si fuerit sui compos nocituras fugit illecebras, noxias declinat voluptaics. Venena propinai meretrix aureo suo poculo; & si flores exhibet sucatæ voloptatis veoeno sunt illiti, & mortem cum illecebris exhibent. Fugienda suot Circæa hæc pocula, contemnendæ venenatæ illecebræ, quæ læiæ ad lethum ducunt.

EXPENSIO III.

Quæ de Junone, Pallade, & Aurora Finxerunt Poëtæ donantur explicatu.

1. JUNO cœlestium Dearum princeps Satutni ex Ope filia, Jovis soror, & conjux, curru vehitur aureo, quem Pavones bini explicatâ caudarum pompâ superbientes trahunt. Sedet ipsa majestate gravis, corporis proceritate decora, colore lactea, froote serena, oculis fulgida, ore venusta; & toto vultu ad delicias, ad amorem eleganter efficta. Illi manus sceptro tractando peridoneæ; capitis vertex ad coronam apprime accommodatus, & totius corporis habitus formosissimus, plenúsque dignitatis. Fingitur nata in Samo Iusula ubi tandiu mansit, quandiu florem illum custodivit, qui semel amissus nullo fit ampliùs pretio venalis. Thaumantis, seu Iris Electræ filia, & Harpyarum soror perinde Junonis fuit addicta famulatui; ac Mercurius Jovis. Alata fingitur Iris ob celeritatem, quâ jussa exequitur Junonis heræ; imò & suo vehi arcu. Ejus præcipuum munus erat, fœminarum animas corporeis exsolvere vinculis; ut liquet in Didooe ægrè animam agente Virgilius 4. Æneid.

Tum Juno omnipotens longum miserata dolorem
Difficilésque obitus, Irim dimisit Olympo,
Quæ luctantem animam, nexósque resolveret artus:
Ergo Iris Croceis per cœlum roscida pennis,
Mille trahens varios adverso sole colores
Devolat, & supra caput astitit. Hunc ego Diti
Sacrum jussa fero, téque isto corpore solvo:
Sic ait; & dextrâ crinem secat; omnis & una
Dilapsus calor; atque in ventos vita recessit.

2. Habuit Juoo conjux ex Jove Marito liberos Vulcanum, Martem, & Heben; licèt plerique fabulentur Heben à sola Junooe genitum: cum enim sterilitate laboraret; cum primùm in Jovis convivio agrestes comedit lactucas, in utero Hebeo coocepit, peperitque absque consortio Jovis; à quo tamen ob eximiam corporis elegaotiam, vultúsque venustatem delecta fuit, ut Juventuti florentissimæ præesset, ac pocula ipsi Jovi ministraret. Quia verò inter ministrandum contigit, ut turpi quodam casu risum accumbentibus movisset; indignatus Jupiter eam à tali abdicavit munere, suffecto in ejus locum Ganimede ab Aquila rapto.

JUNONIS nomenclatio multiplex est: vo- 3.
catur *Pronuba* eò quia præesset nuptijs Non eoim nuptiæ celebraotur legitimæ, nisi auspicarentur à Junonis invocatione. Virgil. 4. Æneid. *Tellus, & pronuba Juno dant signum* dicitur *Regina*, quia Jovis conjux, ita se ipsam vocat apud Virgil 1. Æneid.

Ast ego, quæ divum incedo Regina, Jovisque
Et soror, & conjux

Sospita à sospitando, seu servando; eò quia sub ejus tutela essent fœminæ *Populonia*, eò quòd populus eam precaretur; vel quia ex nuptiis populi multiplicarentur. *Opigena*, quòd fœminis in partu laborantibus opem ferret. *Nuptialis*, quia res sacras facientes, fel victimis exemptum projicerent post ejus aram; ut discerent conjuges nil iracundiæ, nilque fellis habere. *Juga* à jugo, & conjugijs, quibus Juno præest. *Socigena*, quia nubentes associaret. *Lucina* à luco, in quo templum habuit; vel à luce, quam credebant infantibus receos natis dare. Ovidius *in Fast.*

Gratia Lucinæ, dedit hæc tibi nomina Lucus;
Vel quia principium, tu Dea lucis habes.

Egeria, quia partui egereodo crederetur 4.
opitulari. *Februla*, seu *februata*, eò quia Februario meose sacra fierent, erántqoe *Lupercalia*, quo tempore à Lupercis, seu Sacerdotibus Panos nudo corpore per urbem cursitantibus, prægoaotium mulierum maous, uterósque Junonis amiculo, seu caprina pelle verberantibus, februebantur, seu purgabantur. Februa dicebantur quæcunque, purgamenti causâ, in quibuscunque sacrificijs adhibebantur. Plioius verò asserit. Februa esse omoia, quibus malefactorum coolcientiæ purgarentur, ac delerentur delicta, ut defunctorum Manes placidi redderentur. Ovid. 2. Fast.

Februa Romani dixêre piamina patres

JUNO igitur dicebatur *februata*, qoia mense 5.
Februario ei sacra fiebant, & ejus feriæ erant Lupercalia. *Cinxia* Juno à cingulo, quo cingebatur puella nubens. Hujus solutio cinguli auspiciis fiebat Junonis, quia Præses haberetur nuptiarum. *Juno Hoplosmia* quia apud Elidem omni armorum iostructa genere coleretur. *Calendaris Juno*, eò quia calaretur, seu vocaretur à Sacerdotibus ioitio cujusque mensis, quæ calendæ etiam dicuntur *zelotypia* fuit Juno apud Poëtas famosa; idque ex eo conjicitur, quòd Jo filia Inachi à Jove adamata, ob interventum Junoois, oe agnosceretur, cum fuisset ab eodem Jove in Juvencam conversa Juno suspicata quod res erat, petiit juveocam sibi dono dari; quam cum accepisset, custodiendam tradidit Argo centoculo Ovid. 1. Metamor.

——Servandam tradidit Argo
Centum luminibus cinctum caput Argus habebat
Inde suis vicibus, capiebant bina quietem.

Cætera

Cætera servabant, atque in statione manebant.
Constiterat quocunque loco, spectabat ad Io,
Ante oculos Io, quamvis aversus habebat.

6. Verum cum Io ab Argo molestissimâ custodiâ premeretur, ægrè id ferens Jupiter per Mercurium cum interficiendum curavit. Hinc indignata Juno œstrum pellici immisit, cujus aculeis exagitata in Ægyptum usque profugit; ubi implorata Jovis ope pristinæ fuit formæ restituta, Regique nupsit Osiridi. Juno verò Argum in Pavonem mutavit ejúsque oculos intexuit caudæ. Non Jovis, non Junonis imperio, sed vitiorum turpitudine degeneres in bruta homines vilescunt.

7. Pallas, quæ & Minerva à Minis dicitur, torvóque aspectu terrorem incutit eam aspicientibus. Virago illa est truculento aspectu, locóque muliebris mundi armis toto integitur corpore; neque abs re; decuit siquidem armatam esse; quæ bello, cujus fuerat inventrix præesse dicitur: hinc gallus, quia pugnax avis illi est sacer; ut etiam noctua; quod verò in Pallade terribilius, quia angues non solùm in Ægide, seu clypeo gestat; verum & in pectore medio, est que Medusæ caput. Virgilius 8. Æneid.

Ægidáque horrificam, turbatæ Palladis arma
Certatim squammis serpentum, auróque polibat,
Connexósque angues, ipsamque in pectore divæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo,

8. Fuit Medusa filia Phorci ex Ceto marina bellua, quæ unà cum duabus sororibus Euryale, & Stenione Gorgadas insulas in oceano Æthiopico tenuisse feruntur: hinc sorores Gorgonides vocantur. *Medusa* cum esset venustâ, ac insigni formâ, crinésque haberet ad aureum vergentes colorem; horum splendore captus Neptunus in Minervæ fano cum illa concubuit, genuitque Pegasum equum. Hanc verò sibi illatam injuriam iniquo ferens Minerva animo, *Medusæ* crines in angues mutavit, eâ vi præditos; ut quotquot Medusam aspicerent in lapides verterentur. Cúmque nemo impune hoc posset monstrum intueri. *Perseus* Jovis ex Danaë filius, Mercurij talaribus, falcatóque ense accepto, & Palladis scuto, ut ære repercussam effigiem illius videre impunè posset; ex tempore cum Medusa, & angues una sopirentur; uno, sed validissimo ictu Medusam interfecit, ferúmque ejus dissectum caput redux tulit in patriam; contigit tamen, ut guttæ sanguinis decidentes in solitudine Africæ mutarentur in serpentes. Lucanus lib 9.

Squallebant latè Phorcinidos arva Medusæ

9. Pallas ex Jovis cerebro sine matre progenata fingitur, eò quia liberalibus artibus, honestisque disciplinis credatur itidem præesse Ovid.

——De capitis fertur sine matre paterni
Vertice, cum clypeo prosiluisse suo

Natâ Minervâ aureos imbres in Rhodo Insula pluisse refert Claudianus

Auratos Rhodus imbres, nascente Minerva
Induxisse Jovem fertur.

10. Cæterum Poetæ hac Palladis fabula sapientiam nobis indicârunt, non quæ viribus comparatur humani ingenij; sed quæ ex inexhausto divinæ sapientiæ fonte creditur dimanere; quâ ratione fingitur hæc sapientiæ Dea ex Jovis cerebro absque matre genita. Armata fingitur, & pingitur Pallas à Jove in lucem edita; quia viri sapientis animus, magnitudine consilij, ac virtutibus omnibus perinde ac armis præmunitus, nec vinci, nec expugnari potest; virtus licet premi possit, ounquam tamen opprimi: & verè sapiens contra novercantem fortunam armatum se exhibet, & infractum malis adversis, ac calamitatibus inexpugnabilem. Virginitatis addicta culturæ fuit Pallas, & castitatis studio insignis; quia vera sapientia nonnisi animo à vitij fœditate defœcato amat copulari; sapientia cum integritate quàm bellè consentit. Absonè in lupanari statua dicitur Minervæ locari, ut innuit Ennodius *contror. 7.* quia non simul cohærent Venus, & Minerva; scientia, & luxuria; malè in Veneris castris Minervæ surgit statoa; quia sapientia puritatis amica; hostis est impuritati; videant libidinum lupanaria, quàm indignè sapientiam excipiant: qui sub Minerva militant, contra Venerem pugnant, cui inextinguibile indicunt bellum. Ferox fingitur vultu, trucique obtutu, quia sapientiæ alumnus nec ab oculorum lenociniis, nec à forma corporis commendationem accersit. Sapientia fucos omnes exosa non minus splendet viliori vestita panno, quàm coruscet in purpuræ splendore; nec minus habet majestatis jacens in cœno, quàm regali insidens Throno; quia ut eleganter Claudianus

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausúve petit clarescere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nihil indiga laudis,
Divitijs animosa suis immotáque cunctis
Cladibus, ex alta mortalia despicit arce.

Noctua Minervæ sacra, eò quia cæcas inter caligines haud cæcutiens noctis vincit tenebras, attingens obtutu, quæ sub ipsis involvuntur objecta, ejusdem adpingitur simulacro; 11.
quia sapientis sit symbolum; qui excussis ignorantiæ tenebris, ac errorum fugatâ caligine, ea videt propiùs, in quibus alij cæcutiunt. Ferunt itidem, Minervam lanificium invenisse, ac exercenisse; quia quæ pudicitiam excolunt puellæ, nunquam debent otio indulgere; sapientiæ quippe Noverca est otiositas, quam fugiunt, quæ sapientiæ, ac pudicitiæ student mulieres, vestigia sequentes *Penelope* Isari filiæ, & Ulyssis Uxoris, quæ absente totos viginti annos marito, nullis aut parentum precibus, aut procorum pollicitationibus adduci potuit, ut fidem, quam viro discedenti dederat secundis nuptijs violaret. Cúmque Proci acriùs instarent; tantùm moræ ab ipsis postulavit, quantum telæ, quam tum in manibus habebat absolvendæ sufficeret; quod cum à Procis impetrasset, quidquid interdiu texuerat, noctu retexebat; & hoc commento eorum cupiditatem in reditum distulit mariti. Abeunt à suo munere mulieres, quæ otium cogitant, torpori se dedunt.

Palla-

22. *Palladium* antiquissimum fuit Palladis simulacrum tatale urbibus, in quibus custodiebatur, præsidium itidem, ac pignus; ut significaretur, respublicas nunquam florere lætiùs, neque administrari laudabilius, quàm sapientiæ præsidio. Fuit *Palladium* Palladis simulacrum in arce Troiana, quod eo tempore, quo arx, templúmque Minervæ ædificabatur de cœlo cecidisse fertur; atque in templo nondum tecto sibi locum delegisse. Quæ res cum omnibus esset miraculo ab Apolline responsum fuit, tamdiu urbem incolumem fore, quamdiu simulacrum illud intra mœnia servaretur.

23. Palladis multiplex est nomenclatio vocatur *Pallas* à Pallante quodam gigante, quem ipsa interfecit. Vel quia in Pallaute palude primùm visa fuerit. *Minerva* à minuendo ut placet Ciceroni, quia cum sit bellorum Dea, mortalium solet numerum minuere in pugnis, quibus utrinque cadunt plures exanimes, opplentúrque imbuta humano sanguine arva enectis cadaveribus. Vel à monendo quia eum habita sit Dea sapientiæ, munus ejusdem est docere, ac monere. A Minerva oritur *Minerval*, estque præmium magistris docentibus solitum exhiberi ad compensandum susceptum laborem. Vocatur etiam Minerva *musica*, quia ut refert Plinius *lib. 8. c. 34.* in ejus Gorgone, ad ictus citharæ tinnitu resonaret. Vel quia tibiarum ipsa excogitaverit usum; quibus cum aliquando ad marginem pellucidi fontis caneret, suúmque esset in subjectis laticibus vultum intuita ob tibias inflandas fœdiorem, dicitur tibas omnes projecisse. Unde cecinit Ovidius

I procul hinc dixit, non est mihi tibia tanti,
Ut vidit vultus, Pallas in amne suos.

24. Minerva *Glaucopis* etiam vocatur, vel quia cæsios habuerit oculos, seu coloris viridi albo nonnihil temperati; vel quia truci, ac formidoloso esset aspectu, qua de causa Dracones dicuntur Glauci, *Cæsii*. Minerva *Tritonia* dicitur à palude, ubi educata fuit, de qua Lucanus lib. 9.

Et se, dilectâ, Tritonida dixit ab unda

25. Minerva *Pylætis*, seu *porta* dicebatur, eò quia in portis urnium, ædiúmque januis ejus effigies collocaretur; perinde ac in suburbiis imago Martis; ut significarent rem agendam esse foras vi, & armis ad hostes arcendos; in urbe verò, ac intra mœnia non Martis; sed Minervæ operâ esse tem administrandam, scilicet concilio, & prudentiâ. Minerva *Parthenos*, seu Virgo colebatur summâ Religione Athenis in arce, cujus fanum vulgo *Parthenon* dicebatur. Coluit enim Minerva virginitatem, perinde ac Diana in sylvis, & Vesta in templo. CúmqueTiresias Minervam aspexisset nudam usum amisit oculorum; sed Jupiter in solatium cæcitatis illi concessit divinationem Statius lib. 1 n. Theb. *Sibi callidus ista Tiresia, nateque canat.*

26. Aurora purpureo vecta curru, quem bini albeotes equi trahunt croceo splendet paludamento; specie venusta, vultu serena, flores utraque manu spargit. Fingunt Poetæ, Auroram Deam esse, ac filiam Telluris, & Titanis; Solis, ac Lunæ sororem: Astrorum, ventorúmque matrem; idque conjicit Homerus ex rutilanti hujus Deæ ore, roseisque digitis. Est siquidem Aurora tota rutilans, ac veluti aurea, nuncia solis, cujus ortum stipata floribus antevertit. Fingit Ovidius *7. Metamorph.* ab Aurora raptum *Cephalum* Æoli filium venustissimum; vel ut alii putant Deionei, & Æoli nepotem. Hic *Procrin* Hyphili regis filiam habuit uxorem; sed non minùs ab Aurora ejus capta venustate, & elegantia diligebatur; quæ illi canem *Lælapem*, & duo hastilia, cum venatione delectaretur, dono dedit. Hinc Procris suspicans maritum suum alterius mulieris captum amore, furtim eum in sylvam est secuta experitura num aliam adamaret, propterea inter virgulta se abscondit. Cephalus itidem lassus ex itinere, & æstu, sub Fagi umbrâ sedit, invocavitque Auroram. Suspicata tunc Procris pellicem esse Auroram; quò rem omnem distinctiùs cognosceret, propiùs voluit accedere: videns autem Cephalus virgulta commoveri, ratus feram ibi latere, jaculum venatorium immisit; & insciens uxorem Procrin interfecit; & Aurora Cephalum postea rapuit. Ovid. lib. 3. de art. aman.

Latmius Endymion non est tibi Luna pudori
Nec Cephalus roseæ præda pudenda Deæ.

Tithonus Laomendontis filius specie decorus, 17.
ac juvenis elegantiâ venustissimus ab Aurora itidem fingitur raptus. Erat is pulcherrimus omnium; adeo ut candido in illo vultu florerent cum liliis rosæ; flavi in vertice capilli retia effingerent amoris: in cute levitas, & mollitudo; in forma dignitas, in venustate modestia regnarent: nullus illo magis festivus; lepores, urbanitates, & gratiæ ab ejus melleo ore nunquam exulârunt; nullæ in supercilio nubes, nulla in fronte torvitas, nulla in oculis acerbitas; nil in illo molestum, nil triste; sed explicata, tranquilla, & serena omnia; iis accedebat mira corporis agilitas, ac levitas par avibus, robúrque membrorum constans; ac decor totius corporis inusitatus, eleganti partium consensione coalescens ad singularem venustatem. Is igitur ab Aurora perardenter dilectus raptus fuit in cœlum, ubi Aurora eum conjugio sibi junxit, ac genuit *Memnonem*. Id etiam marito fertur impetrâsse, ne vita decederet unquam; cúmque in decrepitam venisset ætatem, & illum vitæ tæderet, Auroram obsecravit, ut mori posset, nagavit hæc, esse id in sua potestate; ut autem quod posset, præstaret, virum commutavit in cicadam; quam dicunt extremo confectam senio depositis exuviis non interire, sed in ovum, florentémque renasci juventam.

Memnon verò Auroræ ex Tithono filius 18.
cum Troiam venisset ingenti orientalium populorum multitudine suppetias laturus Priamo, singulari certamine cum Achille pugnans interfectus est; vel ut putant alij à Thessalis insidijs occisus; cum verò in rogo cremaretur, Auroræ precibus in avem mutatus est; & ex eadem pyra multæ aliæ aves evolârunt, quas

Memnonias dixerunt. Has ferunt quot annis ex Æthiopia ad Memnonis sepulchrum, quod est juxta Ilium advolare suo parentaturas Authori. Virgilius 1. Æneid. de Memnone

Eoásque acies, & nigri Memnonis arma.

19. Ferunt, Memnonem Æthiopem fuisse, seu nigro colore, ut refert Strabo lib. 15. ubi meminit ejus sepulturæ: unde Memnonius color est niger. Ovid. 3. de Pont. Eleg. 3.

Memnonio Cygnos esse colore putem

Quod verò de Memnonis statua ex nigro marmore insigni cælaturâ, ac arte elaborata, & Thebis Ægyptiorum in Serapidis fano erecta fertur, fidem videtur excedere: nimirum hujus simulacri os ad primores Phœbeæ lampadis radios suavissimam emisisse vocem, solémque salutâsse exorientem; & occidente sole flebili sono cantum edidisse lacrymabilem; quasi de illius tristaretur occasu; lætaretur ortu.

EXPENSIO IV.

Subjiciuntur, quæ mythologi de Venere, & Latona tradiderunt.

1. VENEREM si audis, fœminam opus est tibi imagineris, cujus venustatis splendor claritatem extinguat omnis muliebris pulchritudinis. Nil elegantius natura; nil pulchrius poterat ars effingere. Eleganti hæc, quæ Dea fingitur, eminet corporis statura. Ludunt in vultu cum liliis rosæ, colludunt in ore Gratiarum puriores illecebræ; splendent in oculis blandiores juxta, atque lætiores festivitates; in fronte Auroram æmulatur cum depulsis, dissipatisque tenebris, ac illita purpurido, rutilantium syderum flammas castigat; florúmque suavissimas pluvias demittit in terram. Capillorum cincinnis nil concinnius fingi potest; igitur ore nil dulcius, elegantius nihil; quippe candidissimas vincit candore dentium margaritas; & coralliorum minium nativo cedit labiorum purpurisso. Manus, si colorem spectes lactis candorem vincunt; si formæ præstantiam, nil ars potest elegantius effingere. Diffusus color ex lilijs, rosisque mistus toto efflorescit corpore, vernámque videtur exhibere floridam temperiem, quam nulla possit hiemis acerbitas offuscare; nec prohibere, quin rosas imiretur, primores orientis Auroræ nitores excipientes. In argenteo ejus finu amœnitates, & amores blandè luxuriant; & licèt adscititijs non gaudeat hæc ornamentis cæterarum more puellarum; sed proprio eniteat splendore; gloriosa tamen tumet, delicias spirans, ac mollitie diffluens. Ejus latera gemini stipant Cupidines, & ternæ circumstant Gratiæ; sequénsque Adonis elegans ephœbus exundantem colligit incedentis Deæ laciniam. Vacuus sequitur currus, quem binæ trahunt columbæ Veneri obsequuturæ. Adstant ad vices columbarum supplendas si defessæ fuerint cygni, & passeres.

2. Hæc est illa Venus, quæ honestiori nomenclatione Dea audit Venustaus, pulchritudinis, elegantiæ, leporis, hilaritatis deliciarum, ac Gratiarum omnium: cum revera omnium sit mater turpitudinum, perditi amoris excitatrix, meretricularum patrona, impudentium fautrix Procorum, impurissimarum libidinum Architecta; stupris, adulterijs incestibus famosissima; cujus rhedam meliùs traherent lues, & malè olentes hirci; cujus latera aptiùs stiparent Erebi Megeræ, aliæque Furiæ exitiales flammas agitantes; & omnia sus deque iniquè evertentes; cujus vestes congruentiùs texerent serpentes venena evomentes, quàm bombyces serica nentes fila ad luxum promovendum. Sed ea erat Ethnicorum cæcitas, quæ vel ipsis sceleribus suas erigeret aras; & patrocinante corruptorum licentiâ morum ipsa flagitia triumpharent.

Nonnunquam VENUS pingebatur, ut speciem referret Puellæ venustissimæ, è maris fluctibus emergentis; conchâ unionibus prædivite vectæ. Vel provectæ mulieris tenentis manu concham, stipatæ, ac redimitæ floribus; quæque argenteum lævâ manu gestaret speculum; nitere̍tque sandalijs multo illitis auro, aureisque fibulis. Sicyonij referente Pausania *in Corinth.* Venerem colnerunt alterâ manu papaver tenentem; alterâ malum, cui exceptis suibus, omnium animalium femora coosecrârunt. Oderat ob sordes Venus sues; licèt ipsa fœdiùs sordesceret. Apud Eleos Veneris simulacrum (ut refert Plutar. *libro de Iside, & Osiride*) pede testudinem premebat, ut innueret, eas ab ipsa non amari puellas, quæ testudinem imitantes nunquam domo exeunt foras vagaturæ. Veneri Ethnici attribuerunt etiam baltheum, multiplicis coloris, in quo suavitates, deliciæ, lenocinia, illecebræ credebantur contineri. 3.

Finxerunt Poëtæ, *Venerem* ex maris spuma, & genitalibus à Saturno excisis, & in mare projectis natam; & in conchâ margaritæ instar jacentem, perinde ac in cunis, Zephyrum in Cyprum Insulam alportâsse; & illuc appulsam Horas suscepisse, gremio blandè fovisse, educâsse, & mox adultam Dijs obtulisse, qui ejus venustate, ac amore capti certatim eam quisque sibi expetebat in uxorem; sed uni tantùm nupsit Vulcano. Venus igitur luxuriæ marer, ac meretricularum patrona ex mari orta fingitur, quia blanditiarum malacis plures allicit, quos impudici amoris procellâ, ac æstu mergit: qui naufragium non vult pati, ab his se aquis subducat; sævum hoc luxuriæ mare declinet. Honestè, & eleganter meretricum opus aquis designatur, ut scribit S. Hieronymus *epist. 12.* ad Gaudentium de infantulæ educatione. *Bibat de fontibus suis, & non quærat cisternas luparum dissipatas, quæ purissimas aquas pudicitiæ continere non possunt:* per lupas meretrices intelligi notum est ex Aristeneto *epist. 18.* inquiens: mulier nomine Thalxinoe, pudicitiam simulata, vestem super oculos adducens, sensímque inde respiciens, malis artibus illectabat improvidam juventutem: præferebat quippe Lupa ferissima mansuetissimi speciem canis: hæc ille. Cæterum meretrix aquis impuris & malè olentibus 4

tibus imbuta est, & cloacam refert vermibus scatentem. Muliebres aquas petebat, qui apud Philostratum aiebat, *Neque fons, ne bibas; neque pomum, ne capias; neque pratum, ne accedas; sequere mulier, tu etiam leges, & sitim viatoris æstuantis feda, quem suum sydus perdit.*

5\. Per aquas nescio quid impurum, vel ipsi Ethnici significârunt. Veteres enim Poëtarum fabulæ imbrem aureum, & in eo stuprum Jovis finxerunt; quò spectabat Terentius *in Eunucho*, ubi rem appositè describit. Quin imò etiam Salomon opus meretricium significaturus, aquarum metaphora utitur Proverb. 9. *Ita enim transibis ad aquam alienam*: hoc est juxta septuaginta Interpretes: *illicitis voluptatibus frui voles, si procacem mulierem spectes.* Qui per pontis angustias transeunt, ne fluxus subterlabentis aquæ caput tenter, & decidant, oculos avertunt. Hoc idem præstent, qui mergi impudicis nolunt aquis; majus ab hisce mulieribus nobis periculum imminet. Luxuria ita fluit, ut quos allicit suis sepeliat fluctibus. Adeo aqua meretricibus fuerat familiaris, ut eâ opus metirentur meretricium; clepsydris enim meretrices utebantur partituræ horas pluribus: ait Athenæus *lib. 5. cap. 8. Metychen meretriculam ad clepsydram nefario vacâsse operi; unde & clepsydra dicta est.* Sed cur id tactum? An quia horas adulteris corpus suum prostituentes mulieres dividerent, quibus inservirent pluribus? Non me fugit id factum. Non enim uni tantùm suum locare corpus volebant hæc libidinis mancipia; id innuit Seneca lib. 3. de Benefic. cap. 16. inquiens: *Quam invenies tam miseram, tam sordidam, ut illi satis sit unum adulterorum par? nisi singulis divisit horas, & non sufficit dies omnibus? nisi ad alium gestata est, apud alium mansit?*

6\. Utinam perditissimum hunc morem nostra ignorarent tempora; sed viget adhuc mos, quo prodigiosæ luxuriæ fœminæ amasiis suis non diem tantùm; sed & ipsam dividunt noctem; ut plurium saluti obesse possint, ac multos ad stygias pertrahere paludes; non satis illis cum uno, vel altero perire; nisi cum multis infeliciùs pereant; quorum opes priùs exhauriunt. Meretrices aquis etiam Plautus comparat, quas describit ad instar fluvii, rapidè ferri, & amatorum suorum fortunas veluti torrentes secum rapere; ita habet *in Bacchid.* ubi Pistoclerus in meretrices incidens ait: *Rapidus fluvius est hic, non hàc temerè transiri potest:* Cui Bacchidea *atque Ecastor apud hunc fluvium aliquid perdendum est tibi, manum da, & sequere.*

7\. Elegantior tamen, propriórque est maris similitudo, quam exhibet *in Truculento* ubi Geta servus aliquid de mercede meretricis decerpere volens, quam per ipsum Pynarchus Dominus mittebat; opes, quibus herus affluebat, ritu fluminis in mare aquas exonerantis, ac evomentis in meretrices ipsum erogare, asserit his verbis: *Nam hoc assimile est, quasi ex fluvio, qui aquam derivat sibi. Nisi derivetur enim omnis ea aqua abit in mare.* Deinde meretricem festivè eum mare componit: quippe meretrices insatiabiles omnia absorbeat; nihil evomituræ. Fatui sanè, ac deliri mortales, qui in æstuantia hæc maria suas evomunt substantias, proprium exitium proprio sumptu ementes. Sitit meretrix sui cultoris opes, quas hnc in mare expiscatur: scitè Costalius premens Venereos visus

Imbibit humorem lethali noxia morsu
Dipsas, & in venas frigida virus agit.
Paulatimque sitim miseros effundit in artus,
Et sicca indignis conficit ossa modis.
Infam meretrix censum expiscatur amantis
Poscit & accensæ pignus amicitiæ.
Captaque propositis retinet præcordia philtris
Hujus, & immemorem non sinit esse sui.

Scyllæa est meretrix vorago, eos enim vorat, quos ad se trahit. Vorago est, non virago, undis obruit, quos amplectitur; dum ludit lædit ad necem; cum mulcet ferit, & sævit; quia mulier procax, & quæ suis illecebris viros decipit, voce allicit, ore vorat; ut non virgo, sed vorago scyllea sævior audiat: hinc seriò lusit ille 8.

Mulier melle mollior
Et quò nitentior, eò nocentior;
Quæ dum te fovet, sibi favet.
Est non Virgo, nec Virago, sed Vorago;
Quæ viros vorat, & amando mandit.

Voraginem si times, muliebribus ne fidas illecebris, noxias fuge Veneris aquas. Lethales sunt aquæ, infectæ veneno, quia venereæ. Vix à veneno Venus distat cognata nomina, sed re viciniora; pulchrè ille 9.

Per venas veniens prisci dixêre venenum
Quantulum ab hoc etymo discrepat ipsa Venus.

Hinc tertius Poëta alludens ad necem, quam Venus procax infert, cecinit,

Si Venus orta salo est, & si glomerante procellâ
Naufragus in scopulos ejicitur amans.
Sic & Amor, si mors, & si funesta cupressus
Morti sacra, maris lenta revoluit aquas,
Lilia non Veneri, violæ, myrtúsque, rosæque,
Una, sed è cunctis sacra cupressus erit.

In idem argumentum seriò ludebat alius, rémque ita versabat

Amica sunt amoribus fluenta; sed aquæ istæ suos habent ignes, quos foveant, non extinguant; suas habent hæc fluenta flammas, quas alant: olim novæ nuptæ attingere ignem, & aquam jubebantur, ritûs causas nonnullas recenset Plutarchus *quæst. centur. Roman.* inquiens: *Cur nubentem attingere ignem, & aquam jubent? Utrum quod horum inter elementa, & principia hæc fœmina, ille mas sit; atque ille motus exordium fundat, hæc subjecti, ac materiæ vim. An quia ignis purgat, & aqua expiat. Debet autem munda, & sancta, quæ nupta est permanere.* Sed fortassis propiùs rem attigit, qui censuit ignem, & aquam in novis nuptiis nexum significare risûs, & gemitus, quibus nuptæ vitam temperant. Hinc haud abs re cecinit ille 10.

Cur nova nupta viro flammas, & flumina confert?
Frigida cum calidis miscet, & illa simul?
Hæc via conjugii: accedunt omnibus æquè
Cum gemitu risus, cúmque quiete labor.

11. De igne,& aqua licèt rivalibus,sed in amasio contubernalibus, ita ludeba Poëta cum ea quam miserè deperibat

Ad te me jubeas, vel per freta rauca venire
O Sophia stagnent igne licet, veniam,
Efficerent lacrymis oculi, ne flamma voraret,
Contra undas æstus pectoris ille foret.
Nec mihi posciam aliquam sublimi è turre lucernans
Quæ mihi monstraret per vada cæca viam.
Nec modo respiciam dominæ radiantis ocelli,
Milleno valeat lumine nota pharos.

12. Festivè in amore mare, simúlque Vulcaniam deprehendit fornacem,qui non sine lepore argutè lusit

Non magnum si videt amor, ferit, urit, & undâ.
Huic sunt ad fines spicula, flamma, mare,
Vulcanus, conjux, Gradivus matris amator.
Nata mari, est genitrix nequitiosa Venus.
Dat mare sævitiam, Mars tela intincta cruore,
Blanditias genitrix, Mulciber ipse faces.

13. Veneris aquas, seu adamatæ mulieris lacrymas ignes fovere, flammas accendere jocosè innuit, qui cecinit.

Invisis lacrymas fallax expressit ocellis
Lydia dum læso fœdere inane queror.
Ora ego perspicuis dum tingi candida gemmis
Adspexi, lacrymas miscui,& ipse meas.
Quot guttas,visa est totidem fudisse favillas.
Queis magis accendor, quàm Vesuvinus Apex.
Heu quænam misero requies servatur amanti
Si fluit ex tenui maximus ignis aqua

14. Ita est, licèt è maris spuma orta Venus, licèt ex aqua emerserit, igne tamen gaudet,& nonnisi flammas ejaculatur; quod expendens scitus Poeta festivè lusit

Si Venus, ut mendax docuerunt turba, Poëta
De mediis verè nata putatur aquis.
Qui fieri potis est, mediis ut fluctibus orta
Assiduo nostrum torreat igne jecur?
O dolor! ô quid jam miseri speretis amantes?
E media vobis nascitur ignis aqua.

15. Non flammas tantum ex aquis orta Venus excitat, sed quatuor unà miscet elementa, ut chaos videatur amor revocâsse: scitè ille.

Igneus est nobis vigor, intra corda favillas
Qui gerimus Veneris de face flammivoma
Aërios referunt suspiria plurima ventos,
Quæ de sollicito pectore missa fluunt.
Cum gemitu lacrymas, & acerbos fundimus imbres

16. *Mox vos in cinerem solvet amarus amor.*

Fabulam de Venere ex aquis orta variè versant Poetæ, quorum aliquot placet hic subjicere lusus. Fuit qui non approbavit ex aquis natam Venerem; quia melius finxissent Poetæ, eam suam è generosiori vino traxisse originem, eò quia sit Bacchus addictus Veneri; vinum enim fomentum est luxuriæ, quam nutrit: scitus ille

Emersam ex undis Venerem,cur pingis Apelles?
Spumifero natam tu mage pinge mero.

17. Nihilominus ex fluctibus Venus orta perhibetur, neque incongruè; ut scilicet marinis fluctibus inconstantiorem nosceremus amorem, ac ipsis marinis procellis sæviorem. Pulchrè ille cecinit.

Quàm scitè genitam dixerunt Cyprida Ponto
Antiqui? Fluctus sunt utrinque graves.
Vis tamen haud vexat tumidos Aquilonia nautas
Quandoque quin curvet lenior aura sinus.
Assidua sed amans urgetur quisque procellâ
Sic Luna occiduum sertque, refertque fretum. 18.

Quàm appositè finxerunt Poëtæ natam Venerem ex fluctuum marina spuma; quia inanis *spuma* est omnis volupras, quæ ab impuritatis aquis enascitur, ebullitque ex amoris æstu: *spumea* voluptas est, in nihilum confestim abitura, quæ à luxuriæ aquis, quæ à Veneris natalitiis pullulat incunabulis. De re brevi duratura non absre paræmialiter dicitur *ad modum spumæ aqua innatantis se habere.* Oseæ 10. *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spuma super faciem aquæ.* Est Venerea voluptas spuma gracilis, quæ quovis vento dispergitur, & flagellata fluctibus in nihilum abit: pulchrè Petrus Chrysologus serm. 8. *Gubernante Christo, flante Spiritu S. evanescunt Spumæ voluptatum.* Non fœdatur voluptatum spumis, Christi qui vestigia sequitur. *Spumea* est voluptas Venerea; nec mirum si ex luxuriæ aquis producatur, cum & ipsa Venus ex maris spuma orta perhibeatur; nimirum ut illicò nobis innotesceret, spumæ similem esse carnis delectationem, à qua solidi nihil sperandum. Vanida,imò salsa est omnis voluptas, quæ è luxuriæ fluentis dimanat. Hinc Fulgentius *lib. 3. Mytholog,* vocat libidinem dulce nihil; ita enim circa Lycomedis nomen Philosophatus: ait, *Lycomedem græcè sonare dulce nihilum: omnis enim libido, & dulcis est, & nihil est.*

A nihilo vera non est voluptas speranda, 19.
neque vera dulcedo haurienda; delirarr mentem habet, qui aliter sibi persuadet. Licèt voluptatem aliquam videatur libido afferre; decipit tamen hæc voluptas, & nudo blanditur nomine; scabie laboranti est similis, *qui si scabiem defricet,* ut loquitur Theodorus Studita serm. 113. *oblectari videtur, neque oblectatur, quin serìò crucietur; & eò magis, quò plus defricat. Ad eundem modum libidine captus dolorem, non voluptatem, æstum non quietem, mœrorem non oblectamentum capit miserandus, exspes, attonitus, qui vel umbras extimescat.*

Hæc dixisse satis de natalitia Veneris spu- 20.
mâ. Aliqua supersunt addenda de varia ejus nomenclatura. Est illi nomen *Venus* à veniendo, quod ad res omnes veniat, ut censet Tullius 2. *de nat. Deor.* Vel quia per eam omnia animalia proveniant, ac progignantur. Vel dicitur *Venus* quasi *venusta;* veriùs tamen quasi *venenum.* Ab Atheniensibus vocabatur *amica Venus,* id est sine prudentia: exulat enim prudentia, & ratio à Veneris regno: nam prudentia cum Venere non cohæret, jungitur castitati; ille enim prudens, qui castus 1. Petri 4. *Estote prudentes* Syriacè *estote casti;* ac si castitas prudentiam contineret: nequè aliquis futurus sit prudens, qui castitatis non sit cultor. Abest à Veneris castris etiam ratio, quia hæc flucti-

bus mergitur, è quibus emersa Venus. Vocabatur etiam *Apaturia* à verbo fallo; quam apposite? nil enim Venere fallacius, nil Veneris blanditiis fraudulentius. Cum Venus blanditur rosas videtur exhibere explicatâ foliorum pompâ illicientes; spinarum tamen aculeis, corda pungit, pectus lacerat, viscera discerpit, mentem discruciat. Hinc Faustinus Traducius in suo triumpho stultitiæ de Venere

——Est fœmina tota ars
Tota dolus, tota insidiæ, temerariæ tota:
Totaque garrulitas, rabies, & tota venenum,
Iræ, odijque memor, gravis, impetuosa cruenta,
Lege simul cum mente carens ratione, modéque.

21. Venus *Cypria* dicitur, eò quia in Cypro Insula adoleverit, vel quia educata, vel culta ibi fuerit: quo pacto dicitur etiam *Cytheris*, & *Cytherea* à Cytheris Insula, in quam illa primum conchâ marina fuit advecta. Venus *Erycina* ab Eryce Siciliæ monte, in quo Æneas Matri Veneri Templum construxit, omnium elegantissimum. Horatius lib. 1. Od. 2.

Sive tu mavis Erycina ridens
Quam jocus circum volat, & Cupido

Ab Homero dicitur etiam Venus *Philomedea*, seu quæ risum amat. Risus enim propriè eblandienti congruit Veneri, cum dicatur nata ridendo; & gaudij dicatur præses. Venus *Idalia*, seu *Acidalia* vocatur ab Idalio Cypri monte, & Acidalio fonte. Venus Marina, eò quia ex maris spuma dicatur nata, Ausonius de Venere

22. Venus *Anadyomene* id est emergens ex aquis, Venus *meretrix*, quia in Insula Cypro prima docuerit fœminas quæstum facere ex corpore. Venus *Murcia*, quasi myrtea, eo quia sit myrtus Veneri sacra. Venus *Paphia* ab urbe Cypri, cujus sacra thure tantùm, & floribus instituebantur. Hinc Virgilius

Ipsa Paphum sublimis abit, sedésque revisit
Læta suas; ubi Templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.

23. Simulacrum hujus Veneris, non colebatur humana specie; sed referente Tacito lib. 2. *Erat continuus orbis, latiore initio, tenuem in ambitum, metæ modo exsurgens; & ratio in obscuro:* & lib. 3. ait sæpe contigisse, ut informes Deorum Statuæ colerentur, quod innuit etiam Lucanus.

——Simulacráque mœsta Deorum
Arte carent, cæsisque extant informia truncis

24. Et Tertullianus in Apologet. ait: *Pallas Attica, & Ceres Farrea sine effigie, rudi palo, & informi ligno prostant.* Et Arnobius lib. 6. ait: Arabes informem coluisse lapidem. Demum Venus *Verticordia* dicebatur quasi vertens corda, eò quia animos mortalium curis sollicitaret, ac levaret, de qua Ovidius 4. *Fast.*

Templa jubet fieri Veneri, quibus ordine factis
Inde Venus, verso nomina corde tenet.

25. Quæ à Venere finguntur gesta adeo sunt fœda, ut citra modestiæ maciem recenseri vix possint; scorta enim, & flagitia, ipsa pateavit; quis enim salvo pudore memoriam excipiat tot fœditatum? quæ satiùs si nobis effluxerint è mente, prorsúsque memoria exciderint. Quis sine pudoris læsione referat *Nyctimenem* pestifero afflatu Veneris, & execrandâ libidine peremptam Patrium temerasse cubile? ac propterea fœdam mutatam in noctuam, seu feralem volucrem, quæ conscia culpæ lucem fugit? mea potiùs arescat lingua, si vel eorum nomina velim recensere, quos vel armavit in mutuam perniciem; vel impulit ad nefandos concubitus; vel sordidas convertit in belluas. Proderit tantùm Veneris prodere dolum, quem Hippomenem edocuit ut Atalantam cursu vinceret.

Fuit ATALANTA Schœnei, vel ut alij malunt, Iiai Argivorum regis filia, virago non tam forma capitis, quàm laude pedum; non tam oris decore, quam cursûs pernicitate præstantissima. Hæc consulto oraculo, an deberet nuptias inire; triste accepit responsum, nimirum exitiales fore, si iis animum adjiceret. Hinc à nuptijs omnino abhorrens in sylvas se abdit, ubi cum venatu delectaretur sejunctâ ab hominum turbis, prima aprum Calidonium sagittâ vulneravit. Verùm fugientem Atalantam ardentioribus votis sequuntur Proci; quibus illa: frustra, inquit, prehensatis connubii honorem; nemo vestrum me potiturus est, nisi me priùs cursu præcesserit: ero tunc victoris præda; sed hac una me ad cursum conditione accingam, ut sit mors, victi pœna; placuit conditio. 26.

Venit ad hanc legem temeraria turba procorum

Currunt singuli, vincuntur omnes, qui innoxiam pedum culpam luunt capite, indictam subeuntes pœnam. Non tamen ferale exemplum Hippomenem deterruit à certandi consilio; neque spem vincendi abjecit. Acceperat hic à Venere poma tria aurea in hortis decerpta Hesperidum. Itaque Hippomenes prosilit in certamen, cursúmque init cum Atalanta; quam cum semel aspexisset antecedentem projecit ante ipsam pomum unum aureum, cujus aureo fulgore illecta 27.

Declinat cursus, aurúmque volubile tollit.

Alterum deinde projicit, novam inn ectu rus Atalantæ moram; & cum tertium eodem misisset exitu metam attigit Hippomenes prior, cum Atalanta in aureis colligendis pomis occuparetur. Quàm multæ vincuntur auro puellæ! Dolo Veneris nupsit Atalanta, & illum perdidit aureo pomo florem, qui nullo fit ampliùs auro venalis; cúmque in æde magnæ matris, nolla Numinis habita reverentia, cum illo concubuisset, in leænam conversa est, & Hippomenes in Leonem; & impletum oraculum, exitiales futuras Atalantæ nuptias. 28. 29.

Veneris comites fingebantur *Cupido, Charites, & Adonis.* Cupidinem amoris cæcum Numen Hesiodus vult natum ex chao, & terra: Simonides, & Cicero ex Marte, & Venere: Arcesilaus ex nocte, & æthere: Alceus ex Lite, & Zephiro: Sappho ex Venere, & cœlo: Seneca ex Venere, & Vulcano: hæc opinionum varietas ex eo oritur, quia multiplex fit amor: ex Ovidio duplex

Alma fave, dixi, geminorum mater amorum

Honestus scilicet, & turpis; illum utpote ind

genuum ex Venere, & Jove patre natum volunt; hunc obscœnum Erebi, & Noctis filium esse dixit Cicero *lib. 3. de natura Deorum*: unde ille amor est probus; hic improbus, cui junguntur comites *Ebrietas, dolor, inimicitiæ, contentiones.* Fingitur Cupido armatus flammis, & telis, aureo scilicet, & plumbo, ut liquet ex Ovid. *lib. 1. Metamorph.* de Daphne, & Apolline. Rursus cæcus, nudus, alatus, arcitenens, volatilis, cæcus. Licèt Apuleius de Asino Aureo illum describat puerum, Deorúmque natu minimum; in cæteros tamen principatum exercet; habetúrque omnium fortissimus. Quin & ipsa Venus sine illo carere gratiâ, destitui viribus dicitur, ut ipsamet fatetur apud Virgilium 1. Æneid.

Nate meæ vires, mea magna potentia solus.

30\. Est tamen *Cupido* puer, quia judicij expers; plerunque quò quis amantior, eò amentior: cæcus quia vitia haud videt rei amatæ, in quam cæco fertur impetu. Alatus quia nil amore volucrius; illicò transit, ac evanescit; & quam mane deperibat; aversabitur vespere.

31\. CHARITES, seu Gratiæ tres finguntur à Poëtis, ACALIA, THALIA, & EUPHROSYNE juxta Hesiodum in Theogonia Jovis, & Eurymones filiæ: vel ut malunt alii, Veneris, & Liberi: has veteres nudas pinxerunt, quia gratias inter amicos non deceat esse fucatas, nec tectas. Tres tantùm numerantur; quia una beneficium dat, altera, accipit, tertia reddit. Finguntur, & pinguntur juvenes, quia suscepti beneficij memoria nunquam debet senescere; nec evanescere. Iugiter rident, quia beneficia hilari vultu dari debent; ita solent pingi ut duæ nos intueantur, tertia sit aversa; quia pro suscepto beneficio duplex à nobis gratia reddi debet, ne beneficijs vincamur. Pinguntur itidem connexæ; quia decet gratias insolubiles esse. Tradunt etiam eas in Acidalio fonte, qui est Orchomeni Bœotiæ urbe lavari; quia pura decet beneficia esse, nil sordidum in spe retributionis habere. De Gratijs eleganter Mantuanus

———— Properate sorores
Gratiæ ab Orchomeno: tu primum Aglaia decoro
Lætitiam præ te ore ferens, tecúmque Thalia
Cuncta sacrum viridi strophio caput Euphrosyneque
Læta genas læta, os roseum, vaga lumina læta.

Aglaia dicitur ab hilaritate: Thalia à viriditate, & concinnitate: Euphrosyne ab oblectatione.

32\. ADONIS Cynaræ Cypriorum Regis, & Myrrhæ filius ob formæ elegantiam, orisque venustatem Veneris delicium fuit, quem ministrum sibi delegit. Hic inter venandum Apri dente vulneratus sub inguine interijt. Venus ob amasii necem liquescens in lacrymas; ejus cruorem, quo tellus madebat in florem commutavit Anemonem, qui sanguini est concolor. Venus autem opem latura *Adonidi* amasio animam jam jam agenti, passis capillis, ac nudis incedens pedibus, quorum altero spinâ vulnerato fuso cruore Rosam, quæ priùs alba effloruerat, purpuravit; & exinde purpuram induit. Fingunt alij, Venerem, & Proserpinam cotam Jove litigâsse, utra Adonidem sibi administrum adsciseret; quibus à Jove missis ad Calliopem Musam, cuius edicto, esset controversia dirimenda, rem ita Calliope composuit, ut Adunis senos menses ministraret Veneri; & alios superstites Proserpinæ obsequeretur. Hanc Adonis fabellam latiùs describit Ovidius in calce libri 10. Metamorph. inquiens

———— Nec plena longior hora
Facta mora est, quum flos de sanguine concolor ortus
Qualem quæ lento celant sub cortice granum
Punica ferre solent: brevis est tamen usus in illo
Namque malè hærentem, & nimia levitate caducum.
Excutiunt ijdem, qui perflant omnia venti.

S. Hieronymus in Ezechielem de Adonide 33. hæc habet; Quem nos Adonidem interpretati sumus hebraicè, & syriacè *Thamuz* vocatur. Unde cum juxta gentilem fabulam in mense Julio, Amasius Veneris, & pulcherrimus Juvenis occisus, ac deinceps revixisse narretur; eundem Julium mensem eodem Hebræi, & Syrij appellant nomine; & anniversariam ei celebrant solennitatem; in qua plangitur quasi mortuus: & postea reviviscens canitur, atque laudatur. Unde apud Ezechielem Prophetam legitur: Ecce ibi mulieres sedebant, plangentes Adonidem. Ubi vult fuisse idololatrism celebratam in honorem Adonidis. Hactenus Hieronymus. Cæterum ab Adone natum habemus adagium *Adonidis horti*; dicuntur enim proverbialiter res leves, & amœnæ quidem, non tamen utiles; desumpta est hæc parœmia ab hortis ad solam consitis voluptatem, qui Veneri, ejúsque Amasio Adonidi sacri censebantur.

LATONA postrema cœlestium Numinum 34. Cœi Titanis, ex Phœbe filia fuit, formæ præstantia, corporísque venustate paucis secunda. Hanc ob eximiam pulchritudinem cum Jupiter deperiret; fœdè compressit; cumque ex utero tumente, illam Juno prægnantem sensisset è summo cœlo in imas dejecit terras; ipsâ priùs tellure jurare jussâ, ne parituræ ullum concederet locum; præterea immisit Pythonem serpentem, qui toto orbe pellicem persequeretur ad necem. Sed Latona in Delo Insula complexa oleam enixa est Dianam, (ut canit Orphæus *in hymno*) quæ statim obstetricis officium matri præstitit, & Apollinem suscepit nascentem.

LATONÆ præstantia invidiolam excitavit 35. in Niobe. Fuit hæc Tantali filia, & Amphionis Thebarum Regis uxor, quæ ægrè ferens Latonam tot cumulatam muneribus, inflata vaniore fastu Latonam cæpit habere contemptui, ejúsque aspernari dotes, séque illâ præstantiorem jactare, eò quia septem illa filios, totidemque filias viro pepererit suo, & omnes præstanti forma, ac docili indole. Verùm ut Latona se à Niobe contemni novit, Apollini, & Dianæ injungit, ut injuriam matri illatam ulci-

ulciſcantur. Filij obſequentes pharetram ſagittis inſtruunt; & ad Niobes ſe conferunt regiam; & jaculis filios primum, tum filias, & patrem confodiunt: & Niobe in ſaxum verſa dicitur, quia ex nimia doloris acerbitate attonita obmutuit, ac veluti lapideſcens malis diriguit

——————*Orba reſedit*
Exanimes inter natos, natáſque virúmque,
Dirignitque malis

A Statio in ſylvis dicitur Niobe *Sipyleia mater* queniam facta ſaxea turbine venti in Sipylum patriam rapta ſit; ubi fixa cacumine montis.

36. *Liquitur, & lacrymis etiam nunc marmora manant.* Hoc eſt in marmor Niobe mutata fuit, à quo fons lacrymarum adhuc manat.

EXPENSIO V.

Enucleantur quæ Mythologi exhibent de Dijs terreſtribus Jano, & Saturno.

1. BIfariam à Mythologis dividuntur Numina terreſtria. Alia ſiquidem urbes, & campos promiſcuè incolunt, quæ propriè terreſtrium ſortiuntur nomenclationem. Alia quæ nonniſi rure, & in ſylvis degunt, quæ propterea Numina nuncupantur ſylveſtria. Dij primi generis quinarium non excedunt numerum; ſúntque *Janus, Saturnus, Vulcanus, Æolus, Momus*; & totidem Deæ *Veſta, Cybele, Ceres, Muſæ, Themis.* Dij ſylveſtres, ac Ruſticani ſunt *Pan, Sylvanus, Fauni, Satyri, Sileni, Priapus, Ariſtæus, Terminus.* Deæ, verò *Diana, Pales, Flora, Feronia, Pomona, & Nympharum multiplices Chori.* Quæ de Jano, & Saturno fuerunt à Poëtis ficta, dabimus hîc calamo picta.

2. Putant plerique ex Mythologis JANUM ſuam fuiſſe ſortitum nomenclaturam ab *hiatu* detracta aſpiratione, eò quia fores Jani templi aperiantur, pateántque inſtar hiatûs. Alij *Janum* putârunt ſolem, qui exoriens lucem mundo aperiat; & occidens claudat. Alii cœlo, & Hecate procreatum finxerunt; & per *Janum* cœlum intellexerunt, quaſi *Eanum* ab eundo, ut loquitur Cicero *lib. 2. natura Deor.* eò quòd cœlum ſemper eat, dum in orbem volvitur; atque ex ſe initium faciens, in ſe refeватur. Hinc pingitur Bifrons alterâ facie ad nos converſa, alterâ averſâ; quia æquè à tergo poſita, atque à fronte proſpicit. Dextrâ clavem, ſiniſtrâ virgam tenet; aráſque habet duodenas ſuis ſubjectas pedibus. Vel Bifrons pingitur *Janus*, quia annus ex ſe initium faciens, fini occurrat; vel quia præterita ſciverit, & futura prævidetit. Vel quod Janitor ſuperorum, ac inferorum extiterit, ac januas aperiret: *unde fit,* ait Cicero, *ut tranſitiones perviæ Jani; & fores in liminibus profanarum ædium Januæ dicerentur.*

3. JANI templum erat Romæ ad infimum Argiletum; quod ſæviente bello patebat; & inita pace claudebatur: unde teſte Servio *Patultius*, & *Cluſinus* cognominabatur à *patefaciendo, & claudendo.* Ferunt hoc fuiſſe Romæ Templum, quod à Romulo poſt pacem cum Tatio initam conſecratum fuit Jano Bifronti, ut innueret, duos populos Romanum, & Sabinum in unum coaluiſſe; & Numam Pompilium Romuli ſucceſſorem edixiſſe, ut aperiretur impoſterum tempore belli; clauderetur verò cum Romanus populus pace potiretur. Cur verò graſſante bello templum Jani aperiretur, hæc conjectura adferri ſolet; quia Romulo contra Sabinos pugnante, calida aqua ex eo loco eruperit, quæ hoſtilem fugavit exercitum: Quàm bellicoſus erit cenſendus? quem modica aqua in præcipitem egit fugam: unde pugnaturi Romani templum illud aperiebant, ſimile a Diis quaſi expectaturi auxilium: vel quia bellum inituri debeant de pace cogitare; neque unquam eſſe bellum ſuſcipiendum, niſi pacis firmiùs ſtabiliendæ cauſa. Utriusque nominis meminit Ovidius

Nomina videbis, modò námque PATULTIUS *idem*
Et modò ſacrificio CLUSIUS *ore vocor*

Ritum hujus templi aperiendi, & claudendi 4.
deſcribit Virgilius lib. 7. Æneid.

Sunt geminæ belli portæ (ſic nomine dicunt)
Relligione ſacræ, & ſævi formidine Martis,
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora; nec cuſtos abſiſtit limine Janus.
Has ubi certa ſedet Patribus, ſententia pugnæ
Ipſe quirinali trabeâ, cinctúque Gabino
Inſignis, reſerat ſtridentia limina conſul.

Ritum claudendi Virgilius deſcripturus 5.
inducit Jovem evoluentem Veneri arcana Fatorum

Aſpera tum poſitis miteſcent ſæcula bellis,
Cana fides, & Veſta, Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt; diræ ferro, & compagibus arctis
Claudentur belli portæ; Furor impius intus
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremet horridus, ore cruento. 6.

Conſtat autem, Templum hoc ter fuiſſe clauſum. Primò regnante Numa: iterum poſt bellum Punicum ſecundum: tertiò poſt bella Actiaca, quæ confecit Auguſtus; quo tempore pax quidem fuit, quantum ad exteras gentes attinet, ſed Romani bellis flagraverunt civilibus.

Tenet Janus alterâ manu haſtam, quaſi 7.
bellum indicaturus. Alterâ clavem, vel quia valuas, fores, ſeráſque putabatur inveniſſe. Vel quia eſt anni Janitor; ac primo præerat menſi, quem ſuo nomine Januarium vocârunt. Hinc aræ duodecim ipſi fuerunt dicatæ pro numero menſium: & mos ille viguit Romæ, ut nonniſi in Jani templo Conſules inaugurarentur, qui propterea dicebantur aperire annum à kalendis Januariis: tunc nova Laurus abjectâ veteri imponebatur Jani ſtatuæ. Ovid. 3. Faſt.

Laurea flaminibus, quæ toto perſtitit anno,
Tollitur. & frondes ſunt in honore novæ

Arnobius *3. contra Gent.* ait clavem fuiſſe Ja- 8.
no tributam; eò quia veluti janua crederetur mortalibus datus per preces ad Deos adire volentibus; quibus veluti aditum aperiret. Quod cauſæ fuit, cur in omnium Numinum ſacrificiis,

ciis, precationis principium à Jano duceretur; eique priùs sacra fierent, quàm reliquis: hinc Ovidius inducit Janum respondentem Interroganti 1. Fast.

——— Cur quamvis aliorum Numina placem.

Jane, tibi primùm thura merúmque fero?
Ut possis aditum, per me, qui limina servo
Ad quoscunque voles, inquit, habere Deos.

9. Belli præsertim Duces similes debent Jano Bifronti esse, ut quæ ante, quæque post terga sunt intueantur; id enim ad solertiam imperantis referendum est; qui & præterita nosset, & futura prospiceret: sicut *Anteverta*, & *Postverta* divinitatis aptissimæ comites. Hinc Persius in Satyra exclamat

O Jane à tergo, quem nulla ciconia pinxit

Felix censendus ille Princeps, qui à tergo illudi nequit, nec impunè irrideri; cum omnia intueatur à fronte à tergo. Aiebat Sertorius rei militaris haud ignarus, debere belli ducem plus respicere; seu mentis lumen, prudentísque animi vigilantiam in ea magis; quæ retro sunt, quàm quæ ante intendere. Et equidem certum est, peccari sæpe in multis, & incommoda magna incurri, si quæ à tergo sunt negligantur. Sic in veterum monumentis legimus, florentes alioquin legiones cæsas, & usque ad internecionem deletas, eò quòd imminentem à tergo hostem non vidissent. Quòd in Juda Machabæo magno illo patre Patriæ, & ductore victricium legionum S. Ambrosius animadvertit. Is contra exercitus regios bellum adorsus, commisso prælio, cum à primo ortu diei in vesperam dimicaretur, dextrum cornu evertit: sed dum fugientes sequitur à tergo vulneri locum dedit; & immortali vita dignissimus mortem oppetiit. Janus Bifrons per parœmiam dicitur de viro maximè circumspecto, qui futura prævideat; & oculos jaciat in præterita, Vir prudens Argum tento. culum imitatur, ut cura vigili linguia lustret.

10. Saturnus à Poetis fuisse fingitur antiquissimus Deorum, qui ex Ope uxore Jovem genuit; & ipse Cœlo, & terra, seu Vestâ natus, qui propterea Cœlus, vel Cœlius, sive *Uranus* Græcè diceretur. Fratres habuit *Cyclopas*, *Oceanum*, *Titanum*, *Centimanos*, aliósque multos: sorores autem *Cerenem*, *Tethym*, *& Opim*, quam postea duxit uxorem, à qua exorta Vesta mater effecit, ut Saturno paternum Regnum deferretur, excluso Titano, ad quem hæreditario jure pertinebat: verùm cum matrem, & sorores nosceret in fratrem propensas, tempori cedendum ratus, jure quoque cessit suo, illúdque in Saturnum eâ conditione transtulit, ut nullam ille prolem educaret masculam; sed post ipsius mortem ad Titani liberos Regnum rediret. Saturnus igitur suscepto regno cum plures, quos ex Ope uxore liberos susceperat, devorâsset, ac datam servâsset fidem, idque animadvertisset Opis ejus uxor; cum uno partu Jovem, & Junonem fuisset enixa; hunc ei obtulit: illum verò elam nutriendum in Ida monte curavit à Curetibus Cretæ populis, adhibitis Corybantibus, seu Cybeles Sacerdotibus, qui timpanorum, ac cymbalorum pulsu obstreperent, ne pueri vagitus audiretur: verùm cum Saturnus puerum deposceret, quem ut cæteros voraret; Opis lapidem illi ostendit pannis involutum, quem partu illo à se editum simulabat: quem ille acceptum sine ulla cunctatione devoravit; rursus peperit Opis Saturno inscio Neptunum, quem similiter clam educari curavit. Demum alios duos enixa est partus Plutonem, & Glaucum; hunc Saturno ostendit, illum abscondit. Verum detecta tandem fraude, cum Titanus rescivisset fratri prolem masculam superstitem esse; suósque filios ea ratione à successione pulsos esse, bellum adversus Saturnum suscepit, eúmque, & Opem sororem captos muro inclusit: sed à Jove Saturni filio devictis profligatisque Titanibus liberati sunt ab angustijs carceris. Interea Saturnus ab oraculo edoctus fore, ut à filiis regno pelleretur; jámque nosceret sibi à Jove parari insidias; séque ab eodem regno pulsum iri; in Italiam profugit, ubi diu apud Janum Regem Latitavit; idque causæ fuisse ferunt, ut postea pars illa Italiæ Latium diceretur, & populus eamdem excolens Latinus. Hinc Ovid. 1. Fast.

Inde diu genti mansit Saturnia nomen
Dicta fuit LATIUM *terra latente Deo.*

Inde Saturnus à Jano in societatem regni 11. vocatus in id incubuit studij, ut populos nativa feritate barbaros, ac neglectâ morum culturâ agrestes cicuraret; ac ad civilem flecteret consuetudinem. Saturno tunc regnante, auream fuisse ætatem fabulantur Poetæ; terrámque sua sponte expertem vomeris, & aratri fruges ubertim dedisse; & nullis designatas limitibus agrorum possessiones fuisse. Ovid, 3. Amor. Eleg. 7.

Signabat nullo limite, fossor humum.

Aureum sæculum aureo stylo describit 12. Lactantius *de Just. lib. 5. cap. 5.* A Saturni igitur temporibus, quæ illi aurea vocant, exempla repetunt justitiæ; & ideo id aurei tempo-ris non erant dissidia, non inimicitiæ, non bella, neque hominum clades; quia

Nondum vesanos rabies nudaverat enses

ut Germanicus Cæsar canit in Aratæo carmine

Nec consanguineis fuerat discordia nota.

Imò nec ulli, qui nudarentur gladii extitère. Quis enim præsente Astræa, vigente 13. Justitia ausus alteri fuisset insidias struere? aut de pernicie vicini cogitare; cum nemo quidquam concupisceret, & omnes

Malebant tenui contenti vivere cultu.
Ne signare quidem, aut partiri limite campum,
Fas erat.

Quippe cum Deus communem omnibus 14. terram dedisset, & communem degerent vitam, non ut rabida, furénsque avaritia sibi omnia vendicaret, nec ulli deesset quod omnibus nasceretur; unde

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant.

Regnante igitur Saturno, ait Posidonius apud Senecam *in Epist.* infirmiores à validioribus tuebantur, Fortitudo arcebat peri- 15.

cula,

cula, beneficentia augebat, ornabâtque subjecto. Non erat cuique aut animus in injuriam, aut causa. Terra fertilior erat illaborata; & in usus populorum non diripientium larga. Quidquid natura protulerat, id minus invenisse, quàm inventum monstrare alteri, voluptas erat; nec aut ulli superesse poterat, aut deesse; inter concordes dividebatur. Nondum valentior imposuerat infirmiori manum; nondum avarus abscondendo, quod sibi placeret, alium necessarijs quoque excluserat. Non habebant domos instar urbium Spiritus; at liber inter aperta flatus, & levis umbra rupis, aut arboris, & pellucidi fontes, rivique non opere, nec fistula, nec ullo coacto itinere obsolfacti; sed sponte currentes, & prata sine arte formosa, inter hæc agreste domicilium rusticâ positum manu. Meminit hujus aureæ ætatis Virgil. 8. Æneid.

Primus ab æthereo venit Saturnus olympo
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legésque dedit, Latiúmque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris
Aureaque ut perhibent, illo sub Rege fuêre
Sæcula, sic placida populos in pace regebat.

16. SATURNI quod nomen attinet, censent Mythologi, perinde *à satu* derivari, sicut *à portu* Portunnus; *à Nuptu*, Neptunus; primitùs Satunnus, postea Saturnus dictus est à ferendis, colendisque agris; primus siquidem fertur, Italos docuisse artem colendi tellurem; adeout Sterculius à Romanis etiam diceretur, eò quia usum induxerit stercorandi agros; quod causæ fuit ut cum falce pingeretur, quâ pratorum stramen subsecatur, & flavæ segetes demetuntur agrorum. Fabulantur Poëtæ, hanc falcem à Saturno in terras proiectam in Siciliam cecidisse, ac Messanæ urbis portum efformâsse Charybdim arcendo ab illo portu. Alij putant eam delapsam Drapanum, quæ alia est Siciliæ urbs. Cur verò Saturnia hæc falx delapsa potiùs fingatur in Siciliam, quàm in aliam Græciæ ditionem.

17. Id fortassis causæ fuit; quia situs Messanensis portûs, ex qua parte Charybdim excludit, arcétque, quamdam exhibet figuram falcis; ut etiam situs Drapanensis urbis. Probabilius censerem cum aliis, Siciliam locum huic fabulæ dedisse, eò quia sit regio tritici feracissimâ, & pascuis uberrima, quasi tot segetibus secandis minus apta foret falx humana arte fabrefacta. Alij malunt, Saturnum vocari à Saturando, vel quia annonâ populos saturet; perinde ac ejus uxori Opis nomen tribuitur; quia esurientibus opem ferat.

18. Alij putant vocari Saturnum, eò quia ipse proprijs saturetur filijs, quos devorat. Hinc pingitur Saturnus senex, cadaverosus, cano capite, promissâ barbâ, scapulis in fornicem arcuatis, arescentibus faucibus, sulcata fronte, recurvo mentu, genis luridis; & cui tota facies rugetur, oculi caligent, articuli vacillent, crines decidant, dentes putrescant, corpus incurvescat, ac vires deficiant. Dextrâ manu puerum admovet ori vorandum; sinistrâ serpentem tenet in circulum inflexum, caudámque sibi mordentem. Adstant instrumenta duo, falx rubiginosa, & clepsydra: quia Saturnus devorans filios, eosdémque revomens adumbrat tempus, quod dicitur edax rerum; omnes structurarum molitiones, operáque omnia hominum absumens, cujus quasi dentibus singula conteruntur, quorū pleraque intercessu subsequentis seculi restaurantur, & collapsa redintegrantur. Sunt qui filios Saturni, seu Temporis mentes interpretantur, quos producit, devorat, & iterum nova revomit instauratione. Non clepsydra temporis symbolum tantùm Saturno tribuitur; verùm etiam rubiginosa falx, quia Tempus hâc omnia demetit; nec quidquam adeo siliceum est, quod potis sit hujus falcis aciem retundere.

Quia verò siccis oculis, & citra doloris sensum fertur Saturnus proprios devorâsse liberos; ideo *Saturnia indolentia* locum dedit parœmiæ, quâ utimur, cum quis nullo pulsatur dolore, nullóque torquetur mœrore, cùm alii angustiis premuntur, & calamitate anguntur; & in casibus, qui excutere compassionem, vel in siliceis cordibus valerent; cujusmodi fuisse Stoicos ferunt, qui Philosophica falce affectus omnes amputare nitebantur: non probantur tetrici apathes, nec approbantur, qui Saturnia indolentia aliena mala spectant. 19.

EXPENSIO VI.

Donantur explicatu, quæ Mythologi finxerunt de Vulcano, Æolo, & Momo.

ANtelucanos jam quærimus Fabros ferrarios in officina, ubi alii subvectos à Carbonario insundunt ustrinæ carbones; alii ignes flammásque excitant, atque inflantes folles auras accipiunt, ac reddunt, animántque nigricantes carbones in splendentes prunas; quibus inferunt metalla, quæ igne candefacta extingunt in lacu; ignique iterum imponunt, emolliúntque violentiâ ignis; & emollita forcipibus extrahunt, cudúntque super incude malleis, quos elevatis, reductísque brachiis ad numerum pari intervallo, & harmonico percussu librant, vibrántque in subjectum ferrum, quod cusum lentant in laminas, variéque formant, ac figurant in plura optima, vel pessima instrumenta. 1.

Siquidem ijsdem tellurem scindimus, arbusta serimus, vites squalore deciso, annis singulis cogimus juvenescere. Hisce extroimus tecta, cædimus saxa, dolamus ligna, perpolimus scabrities. Sed si hæc omnia utilia: ad bella, ad cædes ferreis etiam utimur instrumentis, quæ in eadem cuduntur officina; ut haud immeritò exclamârit Plinius l. 34 c. 14. *Quàm sceleratissimam ingenij humani fraudem! siquidem ut mors ocyus perveniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennásque ferro dedimus:* alludit ad tela missilia, & sagitas, quibus alæ adjiciuntur. Quem verò ferraria in hac officina 2.

vides hominem claudicantem, corpore cætera proceriorem, sed à quo omnis exulat venustas, fugit elegantia, VULCANUS est, qui suis despectus à parentibus è summo cœlo præcipitatus fuit in Insulam Lemnum, quo casu fracto sibi crure claudus effectus est; imò & cervicem fregisset, nisi Lemnii è cœlo ruentem extensis perhumaniter ulnis excepissent; quod causæ fuit, ut Vulcanus susceptum rependens beneficium sedem ibi fixerit, suam & mox instratam à nobis ferrariam officinam aperverit, usúmque ignis, & ferri docuerit. Hinc Vulcanus à Virgilio 8. Æneidum *Lemnius*, ut etiam *Mulciber*, vel *Mulcifer* à mulcendo, & molliendo ferrum dicitur.

3. Fuit igitur VULCANUS à priscis Ethnicis habitus ignis præses; unde & *Vulcanus* dictus est, quasi *canus* per aëra volitans: quia volat Flamma, & candida est. Varrò tamen *lib. 4. de lingua latina* putat, Vulcanum dictum fuisse à violentia ignis, & fulgore ejusdem, quasi *Fulganum*. Filius fuit Jovis, & Junonis, qui ob deformitatem è cœlo hunc filium in terras præcipitârunt; ferúntque cecidisse in Lemnum Insulam, ubi ab Eurymone Oceani filia, & Thecide nutritus est. Fingitur faber Deorum: quia Jovi fulmina, & Dijs arma adversus Tytanas cudit. Non tamen Vulcanus admissus unquam fuit ad mensam Deorum. Virgilius Ecloga 4. de Vulcano

Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est

4. Mirum tamen, quod deformis, fumosus, claudus faber, fœdus corpore, turpis ore, pilosus pectore, sordidus brachiis, recalvus fronte, curvus humeris; cui erant oculi luridi, obtutus incerti, genæ conniventes; supercilia, vel intertasa, vel intervulsa; os hiulcum; labrum rostratum; barba fulva, densa, dissipata; crines hispidi, & impexi; color vultus ex livore fuligineus; & reliquum corpus invenustum, deforme, mancum, fœdum, ac mendosissimum; Dearum omnium venustissimam fuerit uxorem nactus; nimirum formosissimam Venerem, quam in adulterio cum Marte deprehensam, utrumque adulterum invisibilibus catenis ita colligavit, ut neuter abire posset, donec ab omnibus Diis illuc accitis visi, ac derisi essent.

5. Minervam Vulcanus ducere in votis habuit annuente etiam Jove, sed repulsâ passus ex deciso in terram sanguine fœdissimum monstrum procreavit, quod *Erichtonium* dixêre: pedes erant illi horribilis dracnis, quorum deformitatem, ut tegeret, primus currûs usum fertur invenisse. A Vulcano artificiosè fabricata plura recensentur, ut monile Hermiones, Ariadnæ corona, currus solis; Achillis, & Æneæ arma. In honorem Vulcani fuerunt Romæ festa instituta *Vulcanalia*, & feriæ solemnes, quibus diebus animalia pleraque injiciebantur in ignem. Ab Atheniensibus fuerunt itidem in honorem ejusdem celebrata festa *Chalcea*, quibus ignes accendebantur Vulcani gratiâ, & lætitiæ causâ. Liquet etiam in monte Æthneo fuisse Vulcano insigne constructum templum, in quo à finitimis colerecur populis, eique supplicarent, ut Æthnei crateris, flammarum arceret volumina; hocce à templo Vulcanus *Æthnei* cognomen sortitus fuit. Ferunt vigiles hujus templi custodes fuisse canes, eâ narium sagacitate præditos, ut castè, ac religiosè ad illud venientibus obviarent, variisque illiciis, ac blanditiis invitarent ad templum, ad quod præeuntes viam præmonstrarent: secus sceles tos, ac nefarios horrendis latratibus ab ingressu templi prohiberent; & hinc non recedentes etiam dentibus dilacerarent, membratimque discerperent.

Fabulantur Poëtæ, Fœminam jussu Jovis à Vulcano malleo cusam, ornatam dein reliquorum Numinum donis, ac PANDORAM vocatam; cui Pallas sapientiam contulit; Apollo musicæ peritiam; Mercurius facundiam, artémque bene loquendi, animósque ad vota flectendi; Venus formæ decus, ac speciei venustatem; & alia Numina alia concessêre dona. Addúntque, Jovem ob injurias sibi à mortalibus irrogatas indignatum misisse in terram Pandoram cum pyxide clausa, quam detrectavit aperire: cumque illam detulisset ad uxorem Epimethi fratris Promethei, & illa ob innatam curiositatem pyxidem aperuisset; morbos, & mala omnia, quibus erat pyxis oppleta in humanum genus effudit sola spe in pyxidis fundo superstite. 6

Fuit hæc Pandoræ pyxis olla Vulcani in hominum perniciem malis omnibus plena. Homines in aliorum nati perniciem per parœmiam dicuntur ollæ Vulcani similes; tales sunt homines sævi, crudeles, iram spirantes, nocentes omnibus, parcentes nemini, omniúmque damna quærentes, *Per ollam* ait Berchorius *homines intelliguntur crudeles, ac Tyranni igne furoris succensi, similes ollæ Vulcani, quæ puteus est in Sicilia, qui semper spirat ignem.* 7.

Arma Vulcania dicuntur de viribus fortibus, ac invicta; quòd si armà Vulcano cusa velimus ad doctrinam flectere; arma Vulcania dicuntur argumenta, quæ difficulter retunduntur: hinc S. Augustinus *lib. 2. contra Academicos cap. 1.* ait: *Eò fit ut Academicorum arma, quando cum eis ad manus venitur, ne mediocribus viris, sed acutis, & bene eruditis, invicta, & quasi* VULCANIA *videantur.* Consecrare autem Vulcano libros; perinde est, ac scripta tradere flammis comburenda; eò quia ob errores, quibus scatent non censeantur digna aliâ luce. Liber enim qui erroribus sit refertus proverbialî sale dicitur, esse Vulcano consecrandus, nec alia dignus luce, quàm illâ flammarum: tales sunt libri, quos mali Auctores in sui, & aliorum perniciem edunt; quia vel impia continent dogmata; vel rerum impurarum fœda narratione lectorum incestare aures possunt. 8.

Vulcani administri famularem in officina ferraria eidem navantes operam, carbones infundentes ustrinæ; folles inflantes; & candefactum ferrum super incude malleantes sunt *Cyclopes*, Neptuno, & Amphitrite nati monoculi, unicum in media fronte habentes oculum figura orbiculari. Tres fuerunt cyclopes, quorum meminit Virgilius 8. Æneid. 9.

Ferrum

Ferrum exercebant, vasto Cyclops in antro
Brontesque, Steropésque, & nudus membra Pyracmon

10. Ex eodem Virgilio conjicimus, plures alios fuisse cyclopes; & tres recensitos fuisse principaliores post ipsum Vulcanum, quorum propterea nomina exprimit, & alia supprimit subdit enim

———— Alij ventosis follibus auras
Accipiunt, reddúntque: alij stridentia tingunt
Æra lacu: gemit impositis incudibus antrum
Illi inter sese, multa vi brachia tollunt
In numerum versántque tenaci forcipe ferrum.

11. *Cyclopes*, & *Polyphemus* mysticè dicuntur humani generis hostes, habet quisque suum Cyclopem, à quo tunditur; habet & suum Polyphemum insidias ad internecionem struentem. Fuit Polyphemus monstrum cyclopibus haud absimile; habuit & ipse unicum duntaxat in fronte oculum, furtis, cædibúsque alebatur. Hunc Ulyssea vino generosiori inebriavit, & torre in ejus oculum defixo luce privavit. Ulysses ut Homerus tradidit post Troiæ excidium, illuc oberrans, ac loca subinde commutans, in Cyclopum Insulam appulit. Cúmque è navi descendisset, ac per Insulam inscius oberraret, in antrum quoddam incidit, illic signa quædam incolarum nactus, consedit incolas expectans. Venit autem vir quidam prodigiosæ, ac inusitatæ magnitudinis: neque enim ut Homeri verbis utar *similis erat viro frumentum edenti*, Cyclops hic erat armenta pascens, eáque jam in antrum reducens; qui cum Ulyssem, ejúsque socios conspexisset, quinam essent rogavit. Ulysses autem cum alia, tum nomen suum exponit; *Utim* se ipsum parum mutato nomine vocavit. Tum verò ille duos ex ipsis simul arripuit, atque contrivit; eorúmque corporibus sibi cœnam paravit: qua ex re metu perterritus Ulysses, vino quod secum in utre detulerat, eum delinit, ac verbis mulcet, munúsque hospitale ab eo requirit; ille verò: hoc, inquit, hospitale munus do, quòd te postremum comedam: tunc Ulysses cum eum vino inebriâsset oculum confodit. Eleganter, ac lepidè Virgilius 3. Æneid. id describit,

Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro.
Vidi egomet duo, de numero cum corpora nostro
Prensa manu magna, medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, saniéque aspersa natarent
Limina: vidi atro, cum membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impunè quidem; nec talia passus Ulysses,
Oblitúsque sui est Ithacus, discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus vinóque sepultus
Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum
Immensum, saniem eructans, ac frusta cruenta
Per somnum, commixta mero; nos magna precati
Numina, sortitique vices, unà undique circum
Fundimur, & telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torvâ solum sub fronte latebat,
Argolici clypei, aut Phœbææ lampadis instar.

12. Nunc *cyclops excæcatus* proverbiali tale dicitur de viro potente, sed qui careat oculo prudentiæ; hinc de Davide dicitur, quod hostem suum vicerit, straveritque carneam turrim, superbia sua excœcatum cyclopem: exutus prudentiâ is excæcatus dicitur à Platone, eò quia sit prudentia mentis oculus. Inde Cyclopæi nuncupantur ludi, cum saltans in scena inducitur Cyclops Polyphemus; unde Horatius de Sarmento, & Ocio ore fœdo, ac facie turpissima cecinit

Campanum in morbum, in faciem per multa jocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat,
Nil illi larva, aut tragicis opus esse cothurnis.

ÆOLUS jovis filius ex Acesta, sive Sergesta filia Hipponiæ Troianæ; à quo Hippotades audit. Ovidius 15 Metamorph. 13.

Quod sacer Hippotades tibi sit, qui carcere fortes
Contineat ventos.

Hic in hospites benignus fuisse, & Æolias à se nominatas Insulas in ora Siciliæ tenuisse perhibetur; ac habitâsse in una ex illis septem Insulis, quas nonnulli Vulcanias à Vulcano nuncupant; licèt communiùs Æoliæ vocentur ab Æolo, quarum una proprio nomine strongylen dicitur, ex cujus fumo, quinam venti futuri essent in triduum prædicebat: unde ventorum Rex putatus est Æolus, ac ventorum agmina sub ejus cieri, vel coërceri potestate creduntur. Hanc Æoli regiam describit Virgilius

Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris,
Æoliam venit; Hic vasto Rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempestatésque sonoras
Imperio premit, ac vinclis, & carcere frænat.
Illi indignantes, magno cum murmure montis,
Circum claustra fremunt: celsa sedet Æolus arce,
Sceptra tenens, mollitque animos, ac temperat iras.
Ni faciat, maria, ac terras, cœlúmque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens, molémque, & montes insuper altos
Imposuit, Regémque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas sciret dare, jussus habenas.

Cæterum ventos non Æolus, sed Deus dedit, *quos*, ut ait Regius Psaltes *educit de Thesauris suis, qui ambulas super pennas ventorum, & omnibus ijs nomina ponis.* 14. Prosunt venti, & obsunt; commoda afferunt, & perniciem; siquidem eorum vis est tanta, fragor ita vehemens, sibilúsque dissonus, ut in campis firmiores divellat arbores, ædificia evertat, animantia rapiat, segetes proterat; in mari procellas commoveat, fluctus cieat decumanis sæviores; atras, sordidásque nubes conglomeret, ex quarum sinu universo repente impetu se se effundens Eurus naves evertat, obruátque, vela dilaceret, malos diffringat, gubernaculum rapiat; & naves laxatis compagibus labefactatas ad extremum deducat discrimen. Prosunt verò venti si moderatè flaverint; quia tunc aerem suscitant, ventilantq; ne si sit immobilis, vitium contrahat, & corrumpatur: eorum beneficio fructus maturescunt, corpora vigent; nubes vehuntur ad pluviarum effusiones; quibus telluris siccitas recreetur; camporum ari-

ditas restauretur. Pulchrè Seneca *lib. 5. natur. quæst. cap. ult.* Non ex una causa, inquit, ventos, aut invenit, aut per diversa disposuit: sed primùm, ut aëra non sinerent pigrescere; sed assidua vexatione utilem redderent, vitalémque tracturis subministrarent; & nimbos compescerent, Nam modò adducunt nubes, modò diducunt, ut per totum orbem pluviæ dividi possent. In Italiam Auster impellit. Aquilo in Africam rejicit. Etesiæ non patiuntur apud nos nubes consistere. Iidem totam Indiam, & Æthiopiam continuis per id tempus aquis irrigant. Quid? quod fruges percipi non possunt, nisi flatu supervacua admixta servandis ventilarentur; nisi esset quod segetem excitaret, & latentem frugem ruptis velamentis suis, quæ folliculos agricolæ vocant, adaperiret. Quid? quod omnibus inter se populis commercium dedit; & gentes dissipatas locis miscuit? Paucis interjectis subdit Seneca. Dedit ille ventos ad custodiendam cœli, terrarúm que temperiem; ad evocandas, supprimendasque aquas; ad alendos satorum, atque arborum fructus, quos ad maturitatem cum aliis causis adducit ipsa jactatio. Dedit ventos ut commoda cujusque regionis fierent communia; non ut legiones, equitémque gestarent, nec ut perniciosa gentibus arma transueherent,

15. Momus postremus terrestrium Deorum ex nocte matre, & somno patre progenitus ea de causa fingitur, quia Numen tenebricosum, ac somnolentum est, hebetis ingenii, sed quod aliorum facta, curiosiùs investigat, ut perstringat, irrideat; unde ipsi est nomen Momus significans irrisorem: licèt nihil Momus agat commendatione dignum; nullum edat opus, sed perpetuo torpescat otio; ejus tamen institutum erat, aliorum Deorum facta, & dicta inquirere, ut si quid omissum deprehenderet, aut perperam admissum, id acriùs carperet. Hinc Neptunum, Vulcanum, & Minervam de artificio contendentes, Momus adscitus litis arbiter perstrinxit. Cum Neptunus Taurum, Minerva domum, Vulcanus hominem effecisset, Momus singulos carpsit; Neptunum arguit imprudentiæ, quod Tauri cornua ante oculos affixisset, sic enim certiori impetu feriret. Minervæ improbavit opus, eò quia domum non effecisset versatilem, ut facilè circumagi posset, Vulcanum dixit inconsultissimum in efformando hominem, eò quia fenestram non aperuerit in pectore, quâ facilè introspicerentur, quæ latent in corde; tunc non fuisset homo ausus quidquam fallaciæ moliri.

16. Insurgunt etiamnum insipientes Momi, qui blaterantes in eorde suo quod Regius Vates edixerat *Non est Deus* ausi sunt mundi opificium carpere, aientes; quorsum tot micantium siderum in cœlo formæ, num satis una Phœbi lampade, uno sole collustrari cœlum poterat? Quorsum in mari tot margaritæ, tot marmoris, auri, argentique venæ in imis terræ visceribus, quibus sine suo dispendio caruisset mundus? quorsum hæc a summo rerum conditore inducta? Num satiùs fuisset cœlum amplius extendere; terras laxiores ampliare, mundos plures propagare ad uberiorem plurium animantium usum; quàm unum ex tot tanta sedulitate conquisitis ornamentis expolire? Hæc & similia insipientes Momi æquè ridiculè, ac impiè effutiunt carpentes ipsius veri Numinis opificium elegantissimum, omnibúsque suis absolutum numeris.

Hinc ortum duxit Parœmia, quâ vulgò dicitur *Omne pulchrum odisse Momum*: vel quicquid est pulchrum sequitur Momus, seu summa libertate carpit, ut nulli parcat, in omnes sæviat: unde quivis censor rigidus, ac severus, qui curiosius aliorum labeculas investigat, is Momus audit; quo sensu Clemens Alexandrinus *lib. 7. Stromat.* ait *quicquid est pulchrum sequitur Momus.* Huc etiam spectat quod habet S. Gregorius Nazianzenus in Poëmate de Virginitate

——— Ipsis convivere nulla
Invidia est, oculos, nec ob id Momus acerbas
Injiciet soleas stridorem emittere dicens.

Alludit ad fabellam, quâ fertur, Momum in Veneris soleas, & crepidas linguam acuisse, ut liberiùs feriret. Hinc S. Gregorius Nazian. car. 3. eit. 17.

Advigila, ne te Momus, sceleratâque lingua
A tergo incautam feriat, famámque veneno
Inficiat, laudesque tuas carpátque malignè.

EXPENSIO VII.

Subjiciuntur quæ Mythologi de Vesta; Cybele, & Cerere finxerunt, & dixerunt.

Quam suspicis in aprico sedentem colle matronam, ætate gravem, sed specie decoram, deliciis affluentem, auro, gemmisque ornatam, floribus stipatam, tympanum manu tenentem, Vesta est Saturni filia ex Ope matre, seu Terra, quæ Vesta dicitur à vestiendo, quia plantis, herbusculis, floribus, arboribus, frugibus vestiatur. Sedet, quia terra vi sua stat, ac in media, & ima mundi sede immobilis hæret. Ovidius in Fastis 1.

Ex Ope Junonem memorant, Cererémque creatam
Semine Saturni, tertia Vesta fuit
Stat vi terra suâ, stando Vesta vocatur

Tympanum tenet, eò quia tellus horrisonos ventorum flatus suis includat visceribus, è quibus non sine ingenti fragore foras erumpunt, nutúque telluris; quam validis motibus plerumque funestè succuti experimur; ut cum Virgilio 6. Æneid. sentiamus. 2.

Sub pedibus mugire solum, & juga celsa moveri.

Imò tanto nonnunquam impetu exiliunt, ut ingentia saxa sursum evehant, quæ tellus aperto hiatu, eructat ut cecinit Lucretius

Extruditque simul mirando pondere saxa.

Cum hæc non sine fragore, & pulsu obtingant Vestæ tympanum veteres mythologi tribuerunt. Flores etiam sponte enascentes ejus exornant vestes; & omnia animalium genera certatim eidem adblandiuntur, quia singulis 3.

pascua

pascua suppeditat. Qui verò mundi centrum ab igne occupari autumârunt; ij Vestam pro igne perpetuo, ac immobili usurpârunt, scilicet pro igne subterraneo, conservato in terræ meditullio intimo; & sicut ignis, nullius certæ est figuræ. Hinc Ovidius 6. Fast.

Nec tu aliud Vestam, quàm vivam intellige flammam

Effigiem nullam Vesta, nec ignis habet.

4. Cum figuram Vesta indueret orbicularem, terram, tunc signatam voluerunt, quæ sphœricæ est figuræ. Hinc olim mensæ rotundæ Vestæ fuerunt appellatæ; eò quia terræ instar ad victum necessaria suppeditarent. Primitiæ omnium sacrificiorum Vestæ offerebantur; quia è terra oriuntur singula, quæ offerri possunt ex fructibus, & animantibus.

5. Fuit etiam VESTA domorum Præses, & Custos, quæque artem domûs construendæ induxisse perhibetur; ut moris olim fuerit Romæ, quo in omnibus privatarum ædium vestibulis Vestæ prostaret simulacrum, cui diebus singulis sacrificare consueverant & à Vesta domorum vestibula putant plerique derivari. Perhibent, Vestam hanc Virginitatem summo excoluisse studio, ac unicè in deliciis habuisse; adeout cum Jupiter ejus frater optionem ei dedisset, quidvis postulandi, aliud non petierit nisi ut ipsi liceret, illibatam jugiter servare virginitatem, quam auro, gemmis, ac divitijs omnibus prætulit; & sacrorum omnium primitiæ deferrentur; quod non solum impetrâsse fertur; verùm & id honoris à Romanis obtinuisse, ut in ejus templo inter cætera Imperij sacra pignora ignis perpetuus à Virginibus Vestalibus singulari diligentiâ custodiretur, non in focis, sed in vasis fictilibus suspensus e templi fornice. Sin verò casu quodam extingueretur, indicto iustitio, publica, & privata negotia intermittebantur, donec piaculum expiâssent negligentiam. Quòd si Virginum incuriâ id obtigisset, graviter ipsæ à summo Pontifice plectebantur.

6. Hinc ortum adagium de homine sub alterius protectione tutus: *Inter Vestæ penetralia servatus;* seu in tuto constitutus, ac veluti in asylo, ut attingi non debeat, nec lædi, loci sanctitate, ac religione defensus; quia è templo, & è penetrali Vestæ nefas erat quidquam extrahi; nec eò ingredi ulli licebat præterquam Pontifici, & Virginibus Vestalibus, quarum leges apud Vulterranum, ut habetur in fragm. antiq. Ethru. c. 2. hæ fuerunt. *Vestales Virgines omnes sint patritiæ, quarum parentes per trecentos annos senatores fuerint, à duobus Pontificibus eligantur, & earum major alijs imperet; non recipiantur majores decem annis, nec septem minores: earum cura sit ignem perpetuum conservare; si fortè sanctus ignis extingueretur, à Pontifice maximo cædi jubeatur.* Habes parentes, ætatem, electionem, munus, ignémque perpetuum, quem servabant. Rursus lex excludebat inopes, mutilas, & non legitimo matrimonio natas. Pergit siquidem eadem lex. *Inopes, & aliqua parte corporis debiles, illegitimo coitu natæ Vestales esse non possunt.* Erat itidem Vestalium munus noctu excitare ad sacra facienda. Quòd si petas, à quo primùm fuerint Vestales institutæ: Livius *lib. 1.* primum Vestalium Virginum Institutorem asserit Numam Pompilium, cujus fuerat illa lex, quam refert Cicero 3. de legibus: *Virgines Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.*

7. Moris itidem fuit apud priscos Ethnicos, quo Virgines sanguine etiam clariores greges custodirent; idque infertur ex Homero *Odyss. 12.* ubi ait:

——Phetusa Lamphatiaque

Has quidem ut educavit, peperitque veneranda mater

Trinacram ad Insulam relegavit, ut procul habitarent

Ad oves custodiendas paternas, & incurvos boves.

8. Quòd prisco ævo juvenes, Virginésque non plebeiæ tantùm; sed nobiles, ac Regiæ gregis pascendi munus exercuerint; & id apud priscos homines honori datum, testatur Philo *lib. de vita Moysis* inquiens. Arabes exercent pecuariam, pascuntque greges promiscuè viri ac mulieres, juvenes, virginésque non plebei solùm, sed & nobiles. Septem puellæ unius Sacerdotis filiæ gregem ad quendam fontem adduxerunt, demissisque per funem urnis, per vices certatim hauriebant, fundebántque aquam in proximos alveos, donec implerentur. Hactenus Philo. De Hebræis Virginibus signatè id tradit Clemens Alexandrinus *lib. 4. Stromat.* ubi ait: *Puellæ Regiæ pascebant oves apud Hebræos:* quin & universæ venationi vacâsse fatetur idem Author subdens. Jam ergo mulieres non minus, quàm masculi, & domum custodiunt, & venantur, & gregem pascunt; additque illud carmen

Acriter, & Cervi vestigia Cressa sequuta est

9. Moyses *Genes. 29.* de Rachele ait: *Nam gregem ipsa pascebat;* quia tunc id in usu fuit: & in Amoris Cantico *cap. 1.* sponsus ad custodiam gregum mittit sponsam *Abi post vestigia gregum:* tametsi Rachel, & sponsa nobiles fuerint, pascendis tamen gregibus adjiciuntur.

10. Non Vesta tantùm, neque solæ Vestales ob custoditam virginitatem fuerunt mundo celebres; sed & plures aliæ, quæ causa servandæ castitatis, vel sylvas incoluerunt, vel mortem vitæ prætulerunt incæstu fœdandæ; ut Virgo illa Mantuana, quæ violentiam procorum declinatura in Mincium fluvium se dedit præcipitem, ut scitus ille Poëta narrat.

Proximus Andinis ubi Mincius influit amnis
Et Latius curvo ponte coronat aquas
Illic rivali jactatam turbine Nympham
Firmiùs illo ipso ponte stetisse ferunt.
Nam ferus instabat, furiisque urgebat adulter;
Inde viam claudens ensibus, inde fugam.
Illa tamen, si non, ait est quo viva recedam:
Certè erit hic aliquid quo moritura cadam.
Continuo de ponte minas risura procaces,
In patrios fluctus libera Virgo ruit.
Territus ille fugâ, cur te ipsa miserrima mergis?
Mincius est, inquit, quò peritura cadis.
Verticibus magnis trahit ille, rapitque natantes:

Mincius est: Amnem, stulta puella time.
Illa, nihil metuo mersuri gurgitis iram,
Ira pudicitiam dum tueatur, ait.
Nulla locum sperent in tali incendia Nympha;
Quæ toto admotas obruit amne faces.

11. CYBELE turrita Dea suam trahit nomenclaturam à CYBELE Phrygiæ monte, ubi ejus sacra fuerunt primùm instituta. Festus tamen censet, Cybelem vocari eò quia homines ageret in furorem; & ejus sacerdotes in caput saltarent, comámque rotarent furiosi, horrendo ululatu futura prænunciantes, de quibus Lucanus lib. 1.

————Crinémque rotantes
Sanguineum, populis ululârunt tristia Galli.

12. Suidas refert, hanc Deam vocari etiam *Rheam* à verbo *fluo*, quia bonis circumfluat; ac esse Deam montanam, vehique leonum jugo. Alii eam dicunt *Opem*, eò quia sit Dea telluris; perinde ac Vesta; hoc tamen discrimine, quòd Vesta terram significaret partim incultam; propterea incederet partim velata, partim nuda; quia terra ubi culturam excipit vestitur frugibus, ac plantis; nuda verò in alpium jugis, & aliis locis ubi fugit aratrum. CYBELE verò, seu Ops terram significat omni jam genere florum, ac fructuum ornatam, cultam urbibus, ac munitam arcibus, quod causæ est, cur pingatur cyclade floribus aspersa, turritóque capite. Vocatur etiam *Berecynthia* à Berecyntho castello Virg. 6. Æneid.

————Qualis Berecinthia mater
Invehitur curru, Prygias turrita per urbes
Læta Deûm partu

13. Hinc vocabatur itidem Numinum mater, quia tellus omnia gignit; Verùm Diodorus *lib. 4. c. 5.* cui assentitur Eusebius *de Præparat. Evangel.* censet, ideo *Cybelem* matrem omnium nuncupari, quia cum medicinæ peritia excelleret, puerorum morbis remedia adinvenit. Audit *mater alma* ab alendo; *mater Bona*, quia omnia ad victum bona abundè suppediter. *Mater Fauna,* quia animantibus favear, exhibeátque pascua. *Mater Fatua* à fando, quia pueri in lucem editi, non priùs voces dare crederentur, quàm terram attigissent. Hæc *Dea Bona* tantæ fertur fuisse pudicitiæ, ut nemo eam vir, præter virum suum viderit unquam, vixque ejus nomen audierit; hinc moris fuit sacrificandi in operto Bonæ Deæ, virósque excludendi à templi aditu: unde Tibullus lib. 1. Ele. 6.

Sacra Bonæ, maribus non adeunda, Deæ.

14. Fanum, in quo huic Deæ fiebant sacra *Opertum* vocabatur; ut sacra ipsa opertanea: hine Silius *lib. 3.* vocat Plutonem *opertum Regem* & Lucanus lib. 6.

Nosse domos stygias, arcanáque Ditis operti

15. Silentium præsertim cum hæc sacra agerentur religiosè servabatur, cujus meminit Virgil. 3. Æneid. *Fidáque silentia sacris.* Pythagoreorum mos fuit, quo Deum Silentio, ac taciturnitate colerent; unde Plutarchus de loquacitate, ait: Loquendi homines magistros habemus; tacendi Deos, ab illis Silentium accipientes in initiationibus, ac mysteriis. Eadem *Idæa Mater* ab Ida Phrygiæ, vel Cretæ monte ubi insigni fuit honore culta. *Pessinuntia* à Pessinunte Phrygiæ emporio, è quo fuit Romam delata, non sine tamen prodigio: tum enim navis, quâ veheretur ad Tiberis ostia hæsisset vado: Claudia Vestalis, quæ ob amœniorem corporis cultum, ingeniúmque liberius malè audiebat, detracto cingulo navem arenis detentam facilè expedivit, traxítque ad littus; & Virginum manibus fuit Cybele in urbem solemni pompa, communi plausu delata.

Alij malunt, *Pessinuntiam* dici, à quodam 16.
Phrygiæ agro, in quem hujus Deæ simulacrum è cœlo ferunt cecidisse; ex quo lapsu locus *Pesinus,* & Dea *Pessinuntia* dicitur. Hic Phryges primùm orgia huic Deæ celebrare consueverunt ad fluvium Gallum, à quo Cybeles Sacerdotes Galli vocantur. In eo constat fuisse Ethnicos errore, ut quâ in re maximè religionem sitam esse vellent, eam è cœlo mentirentur in terras delapsam, ut *ancile,* seu breve scutum ita ex utroque latere recisum, ut nullus in eo angulus videri posset; & summum infimúmque ejus latus medio pateret: hoc ferunt tempore Numæ Pompilii de cœlo decidisse, simúlque auditam vocem, omnium potentissimam fore civitatem incolumem, quandiu in ea mansisset *Ancile* Ovidius lib. 3. Fast.

Ecce levi scutum versatum leniter aurâ
Decidit: à populo clamor ad astra venit.

Et paucis interjectis vocat hoc scutum *An-* 17.
cile, quòd omni ex parte recisum est. Hoc iidem finxerunt *de Palladio,* seu simulacro Palladis in arce Troiana, nimirum eo tempore, quo arx, templúmque Minervæ ædificaretur de cœlo cecidisse, & in templo nondum tecto sibi locum delegisse; & ab Apolline responsum fuisse: tandiu urbem incolumem fore, quandiu simulacrum illud intra mœnia servaretur: unde non mirum si effigiem Deæ Cybeles etiam effinxerint è cœlo in terras delapsam. Ex Apulei sententia eadem erat Dea Cybele, ac Bellona, & Isis.

Pingitur, & fingitur Cybele viridi induta 18.
cyclade floribus ornata discoloribus, turrito capite; altera manu clavem, alia baculum tenens pastoralem. Curru vehitur, quem duo trahunt leones. Cum hæc Dea significet terram, quæ urbes, & turres sustinet, scitè turritum gestat in capite diadema. Clavem manu tenet, quia hyeme terra quasi sub sera suas occludit opes, quas profusâ munificentiâ, auctóque fœnore vere reduce læta recludit. Curru vehitur, quia terra propriis librata ponderibus, suísque in se se nutibus conglobata subsistit. Rotis tamen sustinetur carpentum; quia terra rotatur, ac in orbem volubilis agitur. Trahunt currum leones; quia nil est tam indomitum, quod comitate, & consuetudine non cicuretur. Vestis multiplici est flore distincta, variísque picta animalium figuris; quia hujusmodi ornatus terræ congruit.

Sacra Cybeles incondito tympanorum, 19.
ac Cymbalorum strepitu, ac furiali sacrificantium ululatu agebantur. Hoc fertur memoratu dignum, quòd Sacerdotes non manibus, sed pede templum aperirent; & prohiberentur

tur

tur aditu, qui allium gustassent: & nonnisi sedentes sacra Mysiæ operarentur; & cor victimarum huic offerrent Deæ. Inter arbores Buxus illi erat sacra, quia ex ea fistulæ fierent. Refert Diodorus Siculus, hanc Deam docuisse homines choreas, cantúmque in tibia: item quatere, & pulsare tympana, quibus solet etiam ejus exornari effigies.

20. Cybeles ministri fuerunt *Corybantes* ita vocati, quia in sacris peragendis caput jactarent, & quasi cornibus arietarent lymphatici. *Curetes* etiam recensentur inter Cybeles Sacerdotes; fuerúntque Cretenses, vel Eubæi. Hi tondebant à fronte cæsariem, ab occipitio capillati, ne ab hoste anteriori comâ caperentur.

21. Ceres Dea frugum, vel vis insita terræ feraci à priscis Ethnicis putabatur; suámque sortita est nomenclaturam à gerendis frugibus, quasi *Geres*, ut censet Tullius *2. de natur. Deor.* vel ab antiquato verbo *cereo*, quod idem est, ac *creo*; quod cunctarum frugum creatrix sit, & altrix: vel à verbo *fero*, eò quia artem invenerit colendi terram, & ferendi legumina (exceptâ fabâ) & frumentum, & ex illo conficiendi panem, Ovid. 5. Metamor.

Prima Ceres, unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentáque mitia terris;
Prima dedit leges. Cereris sunt omnia munus.

22. Cum antea squallerent agri, sentibus, vepribúsque inhorrescerent, urticis repentibus hispidi, ac inutilibus obsiti plantis, Ceres artem invenit tellurem colendi; & agriculturam invexit; cujus beneficio terra nunquam sine usura reddit, quod accepit; hæc enim eum gremio emollito, & subacto sparsum semen excipit; primùm id occatum cohibet; deinde tepefactum vapore diffundit; elicitque herbescentem ex eo viriditatem, quæ nixa fibris stirpium sensim adolescit, culmóque erecta geniculato, vaginis jam quasi pubescens includitur; è quibus cum emergit frugem fundit in spica structam; quæ contra minorum avium rapaces morsus, ut loquitur Cicero in Catone, vallo munitur aristarum; Quòd enim tellus pulcherrimum æquè, ac amœnissimum exhibeat intuentibus spectaculum; tunc præcipuè, cùm Sol auro similior, altior splendet, & prata collucent floribus, turgent gemmis arbores, nitent detonsi herbarum tori, & per virentes agros plaudunt blando concentu turmæ volitantium avicularum; & terra vestitur smaragdino succrescentium segetum virore, ornatur floribus, ditescit plantis, locupletatur frugibus, ac speciosos explicat veris redivivi honores; id Cereris debetur industriæ, quæ suo labore tantam promovet amœnitatem, ac ubertatem.

23. Græci Cererem vocant *Thesmophoron*, seu legum latricem; quia antequam ipsa usum agriculturæ edocuisset; homines nulla lege vivebant: postea Cereris beneficio cum homines cœpissent agros excolere, cœptum est de agrorum finibus, qui antea nulli erant usui, disceptari, ac litigari; eámque primam volunt fuisse legum, ac juris originem; & unde Ceres *legifica* dicta fuit.

24. Cæterum Ceres Saturni, & Opis filia ita corporis elegantiâ, & formæ decore excelluit, ut ipsos etiam Deos in sui amorem pelliceret: siquidem refert Hesiodus in Theog. Cererem à Jove, & Neptuno fratribus suis perditè concupitam, ac oppressam fuisse; ex illo Proserpinam; ex hoc incertum, num filium, vel equum pepererit. Ferunt Cererem insequentis Neptuni declinatura libidinem in obvias sese equas immisisse, ac speciem statim induisse equæ; quod cum primum Neptuno innotuit; figuram, & ipse assumpsit equi; equámque inivit, ex qua Arionem genuit equum: hinc Ovidius 6. Metamor.

Et te flava comas, frugum mitissima mater,
Sensit equum.

25. Idque fortassis causæ est, cur Pausanias referat, aram fuisse in Elaio Arcadiæ monte Cereri dicatam; cujus simulacrum ligneum specie fœminea, sed equino capite, flammis injectum, ignis vinceret voracitatem, nilque inde traheret damni. Alij putant, Cererem ex Neptuno non equum enixam esse; sed filiam, quam Arcades ob reverentiam *Heram* dixerunt. Quia verò Ceres ægerrimè tulit sibi abreptum pudoris honorem in luctu, in squalore atro obducta peplo jacuit, diúque latuit. Pan verò sylvarum Deus eam in antro invenit delitescentem, nunciavítque Jovi, qui per Parcas ad eam delegatas, suasit ut mœrorem deponeret, oculos siccaret, & squalorem exueret: paruit *Ceres*, emersitque è latibulis ingenti omnium gaudio; cum per id temporis, quo delituit epidemica lues, aliæque calamitates genus omne afflixerint animalium; ac segetes, frugésque corruperint.

26. Hinc Ceres fingebatur à Poëtis matrona insignis, staturâ procerâ, cæteris fœminis eminentior, specie venusta, majestate venerabilis, subflavis comis decora, plenioribus mammis, turgente sinu, spiceo serto cingente caput; dextrâ facem præferens accensam, lævâ spicarum, papaverúmque manipulos; vel ligonem, & calathum, pro semine ex brachio pendulum; vel etiam falcem, & flagellum trituratorium inter arbores pomis onustas. Fingebatur etiam serpentibus provehi, & curru alato. Spicea corona indicat, Cereris beneficio agriculturam vigere, ac segetes flavescere. Speciei elegantia, & corporis venustas exhibet terram arboribus consitam, herbis vestitam, ornatam floribus, & frugibus ditescentem. Mammæ in sinu turgentes telluris feracitatem, frugibus fœtam, perinde ac mater mammarum lacte suos alit fœtus; ita tellus suis fructibus, ac herbis cibos cunctis suppeditat animantibus, quæ alit; dicta propterea Ceres *altrix*, & *alma*. Facem præfert accensam ob Proserpinam à Plutone raptam. quam cum Ceres vellet inquirere, dicitur inflammâsse tædas ignibus ex Æthneo cratere erumpentibus: vel forsan innuit semen mandatum terræ; quòd illud, ut citò germinet, ac quasi reducatur ardentem solis calorem, ac pluviam per facem, & luctum Cereris significata, desideret. Papaver gestat; quia acrioti correpta dolore ob

raptam

rapitam Proserpinam, & nullam posset quietem capere, Jupiter papaver ei præbuit edendum, cujus virtute sopiretur, & somni dulcedine mœroris mitigaret acerbitatem. Reliqua quæ gerit instrumenta indicant, fuisse Cererem agriculturæ inventricem. Porrò serpentibus vehi fingitur, currúque aligero (cujus gratiam, usúmque Triptulemo Eleusini Regis filio ob liberale hospitium concessisse dicitur) quia semen, sicut serpentes, humorem amat; ac de terra succrescendo serpit. A Poëtis eleganter usurpatur Ceres pro pane; perinde ac Liber Pater pro vino: Terentius in Eunucho: *sine Cerere, & Baccho friget Venus.*

27. *Cerealia* dicuntur sacra Cereris à Triptolemo instituta, quæ Plinius *lib. 24.* vocat *Thesmophoria* à Cerere *Thesmophora*, id est legum latrice. Plutarchus verò hæc sacra vocat *Adonia*; & refert tanta fuisse religione hæc festa celebrata, ut feriæ pollutæ crederentur, si id temporis, quis cum uxore concubuisset. In sacrificijs Cereris vinum non adhibebatur; unde Plautus in *Aulul.* ansam sumpsit jocandi, Megadorum Cereri nuptias esse facturum; eò quia nihil vini fuerit ad nuptias allatum: per parœmiam si fortè in convivio deesset vinum, dicebantur convivæ *Cereri sacrificare*, seu abstinere à vino. Præcipua Cerealia fuerunt *Eleusinia* ab Eleusio oppido, in quo fuêre peracta; ex quibus alia fuerunt majora in honorem Cereris; alia minora dicata Proserpinæ. Qui majoribus vellent initiari; moris erat, ut vestes, quibus tunc erant induti, non potiùs exuerent, quàm usu detritæ in frusta conciderent. In hisce sacris religiosè servabatur silentium; nec quidquam evulgare ausus quis fuerat; faces in ijsdem deferebantur refricandæ memoriæ causâ Proserpinæ à Cerere quæsitæ ardentibus tædis per trivia, & compita; magnisque clamoribus, populi vocabant Proserpinam complentes aëra tristi ululatu Virgilius 4. Æneid.

Nocturnisque Hecate trivijs ululata per urbem.

Refert Pindarus in Isthm. consuevisse Ethnicos in ijs festis ludos etiam instituere, in quibus victores hordeaceo donabantur serto.

28. Alia sacra, seu Cerealia vocabantur *Thesmophoria* à Cerere legum latrice: hæcque ferunt fuisse instituta à Triptolemo. Qui sacris initiabantur octiduanum præmittebant jejunium; & vinum ab ejus aris amovebatur. porcus Cereri immolabatur, eò quia fruges contereret Ovid. 2. Fastor.

Prima Ceres, avidæ gavisa est sanguine porcæ
Ulta suas merito cæde nocentis opes.

Cereri autem coronæ offerebantur flavescentibus intextæ spicis. Tibullus

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores

29. Alia præcipua Cerealia fuerunt *Ambarualia* instituta ad lustrationes arvorum, agrisque impetrandam fertilitatem, hac fuerunt nomenclatione donata, quia victima per agros circumduceretur, & ambiret arva. Agebantur hæc Cerealia à singulis Agricolis porcam prægnantem, aut vitulam ducentibus ternâ circuitione per arva, & sata; maturis jam frugibus, lætis clamoribus, ac læta saltatione, plausúque rusticorum; quorum unus à cæteris delectus quernâ redimitus corona Cereris decantabat laudes: postque oblatum mulsum lacte mixtum antequam fruges colligerentur Porcam Cereri immolabant, hujus sacrificii solemnia describit Virgilius 1. Georg.

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret;
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho:
Térque novas circum, felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus, & socii comitentur ovantes;
Et Cererem clamore vocent in tecta neque ante
Falcem maturis, quisquam supponat aristis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu
Det motus incompositos, & carmina dicat.

EXPENSIO VIII.

Amœniorum Musarum, Themidis, Astrææ, & Nemesis producuntur fabellæ.

Quám graphicè, quàm venustè hac in tabula Pictor collem lauretis consitum pinxit, ac finxit Cithæriades sorores cum Juvene laureis coronato ibi sedentes! quàm solerter arborum proceritates, ac dejectas in sinum collis disposuit umbras; duxitque pennicillo differentiam linearum alternâ se vice juvantium ad expressionem sedentium Camœnarum, quarum membra aptissimo nexu inter se se colligantur, effingun'que diversa Virginum venustissima corpora; quibus recessus, ac depressiones umbrarum plurimum adjiciunt venustatis; ut & ab ijsdem luminum exultantes eminentiæ! Certè si suspiciamus 1.
in figuris symmetriam; ordinémque inter se se 3.
partium, vultuum argutias, pedum contractiones accommodatas sedentibus; colores sive fictitios, sive nativos variè ad singularem suavitatem temperatos; nil poterat Pictura nobis exhibere venustius, nil elegantiùs. Quàm variè sedent, quàm blandè rident, quàm venustè
splendent ad umbram laureti? quàm scitè lyrâ, 4
fistulis, citharâ, alijsque musicis instrumentis ludunt? aliæ cymbala pulsant, aliæ argutis digitis citharas sollicitant; istæ lyrâ canunt, illæ fistulas inflant, hæ voces fidibus modulatè temperant; & omnes junctis animis, & linguis discordi sonorum concordia, ac discrepante numerorum consentione, voces, sonósque simul implicantes, illidentes, copulantes concentum efficiunt ad suavissimam respondentem harmoniam deliciis perfundentem aures, ac lenocinio rapientem animos.

Quæ igitur in hoc amœnissimo colle sedent virgines ludentes musicis instrumentis sunt Musæ, quas Poëtæ novem finxerunt, easque Musicorum, ac Poëtarum Præsides, omniúmque magistras scientiarum ex Jove, & Mosyne, seu memoria genitas; quia oportet virum eruditum intellectu pollere, ac memoriâ vigere; omnium siquidem scientiarum Thesaurus beneficio memoriæ acquiritur, & 2.

con-

conservatur. Has finxerunt in Helicone habitare, qui mons est Bœotiæ Phocidi affinis, à quo Musæ *Heliconiades*, vel *Heliconides* nuncupantur. Distat Helicon non procul à Parnasso Phocidis monte, æmulus illi ambitu, & celsitudine. Hinc dicuntur Musæ etiam Parnassum incolere, & ipsæ *Parnassiades*: & quia Phocidi confinis est Aonia, vocantur & ipsæ *Aonides* ab Aonia regione: aliâ nomenclatione vocantur etiam *Citharides*, vel *Cithæriades* à Cithærone monte, quem in Attica regione incoluerunt. Musæ *Pierides* vocantur à monte Pierio in Thracia, vel ut fabulantur alij à Virginibus ex Piero, & Anippe natis, quæ cum Musis certare ausæ in Picas finguntur mutatæ. Alii putant Musas dici *Pierides* à Pieria, quæ regio est Macedoniæ, Emathia antè dicta; censentque hanc fuisse MUSARUM patriam appellatam *Pieriam* à proximo nemore, cui nomen est Pieris. Musæ *Thespiades* vocantur à Thespia oppido Heliconi contermino. *Pegasides*, & *Hippocrenides* ab Heliconis clarissimo fonte, qui à Græcis Hippocrene dicitur, & à latinis fons caballinus à Pegaso equo alato; qui saxum ibi ungulâ feriens fontem aperuisse fabulantur Poëtæ; putantes hunc equum eum esse, qui inter sydera collocatus est; licèt alij velint, esse Bellerophontis equum. Musæ *Libethrides* vocatæ sunt à fonte Macedoniæ in ea regione, quæ Magnesia dicitur. Hic fons Libethros Musis fit sacer. Musæ *Pimpleides*, seu *Pimpleæ* à Pimpla Thraciæ monte, vel à fonte Pimpleo, qui scaturit in radice ejusdem montis. Musæ *Castalides* vocantur à fonte Castalio in radicibus montis Parnassi Musis sacro, qui à Castalia Nympha nomen assumpsit. Musæ *Aganippedes*, seu *Aganippææ* ab Aganippe Fonte.

3. Mirum tamen quod Musæ nullibi fingantur incoluisse urbem, sed montes, colles, sylvas, & secessus. Causa tamen in promptu; quia viris studiosis tranquilla commoratio procul ab hominum frequentiis, negotiorum curis, ac bellorum strepitu deligenda est; quia ut innuit Ovidius Tris. l. 1. Eleg. 1.

4. *Carmina secessum scribentis, & otia quærunt.*

Non Ethnici tantùm, sed etiam Hebræi hunc ruralem adibant secessum daturi operam studiis. Fuerunt siquidem illis certa loca à turbis sejuncta, ab hominum frequentiis dissita, in quæ studiorum causâ interdum se recipiebant: talem fuisse *Naioth* in agro urbis Rhamata scripsit Cajetanus, quem Chaldæus interpretatur *domum doctrinæ*, ubi Samuel ab aulæ strepitu semotus instituebat mystas suos ad omne officii genus, ac divinæ legis intelligentiam. Hebræi itidem apud Lyranum explicant illud Geneseos 25. *Jacob habitabat in tabernaculis* de gymnasiis literariis, ubi divina mysteria, & oracula viri edocebantur à duobus magistris Melchisedech, & Heber procul ab urbano tumultu; quia literarum studia gaudent secessu, amant nemora, & ut scitè Gregorius Nyssenus in vita Moysis: *aliquid amplius vir studiis addictus literarum reperit in sylvis, quàm libris*: Hinc Horatius: *scriptorum Chorus omnis amat nemus, & fugit urbes.*

Id de se testatum voluit M. Varro *lib. 3. de re rustica*, qui ubi aviarium suum verbis descripsit elegantibus, *directum esse ad flumen ab Insula ad Museum suum*; vocat Museum locum Musis consecratum, ac studiis destinatum. Et Tullius 2. *Philipp.* acriter in Antonium invehitur, quòd Cassinatem illum Varronis fundum nullo jure occupaverit: ait Tullius alloquens Antonium. *Advolas in M. Varronis sanctissimi, atque integerrimi fundum Cassinatem, quo jure.* Et non-nullis interjectis subdit. *At quam multos dies in illa es turpissimè perbacchatus? O tecta ipsa misera! quàm dispari domino studiorum suorum. M. Varro voluit esse illud non libidinum diversorium. Quæ in illa villa antea dicebantur, quæ cogitabantur, quæ literis mandabantur, jura populi Romani, monumenta majorum, omnis sapientiæ ratio, omnisque doctrinæ. At verò te inquilino (non enim domino) personabant omnia vocibus ebriorum.* 5.

Cicero etiam ipse *l. 12. in Attic.* de horti emptione cogitare se scribit, ut ne Romæ in turba sit, & ne urbe absit. Erant enim juxta urbem Romanorum horti, & qui in illis degebant abesse non videbantur, cum statim urbi adessent. Quæ verò in talibus hortis extruebantur ædificia, voluptuaria ut plurimum erant, & amœnitatis causâ constructa: ut de Claudio Cæsare ait Suetonius cap. 5. *Tum demum abjectâ spe dignitatis in otium concessit, modò in hortis, & suburbano, modò in campaniæ secessu delitescens.* Est ruralis secessus studiis literarum promovendis peropportunus, quasi in cœlo puriore animus cum corpore fiat robustior, idque sibi contigisse testatur Seneca *Epist. 104.* inquiens. In Nomentanum meum fugi, seu in villam, Quid putas? urbem? imò febrim, & quidem mihi surrepentem, jam manum injecerat; illud mihi in ore erat Domini mei Gallionis, qui cum in Achaia febrem habere cœpisset, protinus navem ascendit, clamitans non corporis esse, sed loci, morbum; ut primum gravitatem urbis excessi, & illum nidorem culinarum fumantium, quæ motæ quidquid pestiferi vaporis obruerant cum pulvere effundunt, protinus mutatam valetudinem sensi. Quantum deinde adjectum putas viribus, cum vineas attigi in pascuum emissus, cibum meum, id est studia literarum invasi: non remansit ille marcor corporis dubii, & malè cogitantis: incipio toto animo studere. Hactenus Seneca. Hujus ingenuæ rusticitatis desiderio incensus Ovid. cecinit,

O rus quando ego te aspiciam, quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc somno, & inertibus horis,
Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ.

Perhibent itidem Essæos, Judæos Academias suas ad ingeniorum, motúmque institutionem habuisse juxta lacum *Asphaltitem*, hortósque balsami, ac palmarum à populorum tumultu, urbiúmque strepitu dissitos.

Quia verò non omnibus conceditur hoc suburbani prædii altum silentium; nec loci amplitudo, ut mens liberior sit; adhuc intra urbium claustra, & in privato, angustóque larè habet ubi se explicet mens addicta studiis 7.

Musarum: non enim ut brutorum, ita animorum impetus caveis coërcetur; ait Seneca de Tranquil. *Exigua sæpe area arte describentis in multos usus patuit, & quamvis angustum pedem, dispositio facit habitabilem.* Locus igitur ad vacandum studiis in urbe, privatisque domibus in ea deligendus est domûs parte, quæ remotior est ab urbano, ac domestico strepitu; quia ut monet Quintilianus: *secretum quærunt studia.* Hinc Persius Sat. 1.

Scribimus inclusi numeros ille, hic pede liber

8. Distrahitur mens obstrepentibus utrinque exterioribus; & difficulter quis attento animo vacabit studio inter Serræ stridores dum acuitur; inter nundinarum æstus; juxta cyclopum officinas dies, noctésque incudem tundentium; prope penulatorum jurgia in foro, vel triviis conductorem expectantium; prope mendiculorum centurias stipem lamentabili nænia rogantium; prope circulatorum præstigias, fabulásque narrantium; muliercularum clamantium circulos, infantium plorantium vagitus; famulorum confabulationes; in hisce locis perdifficile est vacare literarum studiis. Idque causæ fuit, cur Horatius suam excusârit tarditatem in mittendis ad Jolium Florum carminibus, quia in urbe versaretur clamosa, inquieta; ubi operum redemptores, & cæmentarij perpetuò circumstrepunt in torquendis lapidibus, ponderibus trochleâ, & tympano sustollendis; ubi muliones, & geruli perpetuò vociferantur, vel satiscentes sub oneribus acutiùs anhelant; ubi plaustra, vehicula, & funera luctantur in viarum angustiis, ac turbas cient; ubi vel canis rabiosa latrat, vel sus lutulenta grunnit; postea concludit Horatius

I nunc, & versus tecum meditare canoros.
Tu me inter strepitus nocturnos, atque diurnos
Vis canere?

9. Obstrepentes in urbe tumultus eludunt, declinántque qui Musis antelucanas consecrant horas; Aurora Musis amica semper fuit; & æquum est ut honestissimæ occupationi matutinas horas, seu florem temporis, tranquilliorem diei partem impendamus. Tunc animus à somno recens, & in genium vegetum vividiùs incumbit studio, firmiúsque adhærescit Musis. Musarum non censentur contubernio digni, qui non surgunt priusquam ut cecinit Persius Satyr. 3.

———Clarum mane fenestras
Intret, & angustas extendat lumine rimas.

10. Eorum Musæ respuunt consuetudinem, quorum incustoditum ætatis florem, neglectámque temporis fluentis usuram somnifera Morphei decutit virgula, molli culcitrâ conciliante soporem. Demosthenes ideo Musis gratissimus, quia ut refert S. Hieronymus plus olei consumpsit, quàm vini; & omnes opifices nocturnis semper vigiliis præcucurrit; idque causæ, cur gallus gallinaceus Mercurio studiorum præsidi sit sacer; quia excitandis ad upera hominibus, somnóque rumpendo natura eum genuisse videtur; Mens defæcatior ab improbis, vagisq́ue simulacris est horis antelucanis, cum nondum obstrepentes tumultus sensus pulsant exteriores; sicut in amphora quod purius, ac sincerius est primùm effluit; postea turbidum subsidit; ita quod optimum est in mente, quæ nobilior, & princeps est hominis pars primùm effunditur; qua de causa apud Romanos ludi literarum summo mane aperiebantur; unde Juven. Sat. 7.

Dummodo non pereat mediæ quod noctis ab hora
Sedisti.

Quis eum censeat laude dignum, qui alto 11.
jam sole adhuc jacet semisopitus, cujus vigilia medio die incipit? sedulis literarum cultoribus placuit semper ea culcitra, quæ obsisteret corpori, noctémque circumscriberet; ut aliquid ex ipsa in diei transferretur incrementum. *Modicum somnum natura desiderat* ait Seneca Epist. 11. *ignavia immensum.* Si objicias, in Pollucis Thesauro unum, eumdémque somni, & literarum esse Mercurium præsidem; & apud Trœzenios moris fuisse, ut in una, & eadem ara somno sacra, & Musis simul fierent; id de somno prisci illi homines intellexerunt serotino; eò quia mens post diurnam contentionem, & stomachum cœnâ plenum sit ad studia minus idonea; quo tempore indulgendum est necessariæ quieti ad vires reficiendas, ut primo mane mens expeditior studia repetat.

Qui nonnisi meridiana luce libros vo- 12.
luunt, lucubrationes scribunt; hi cum cicadis obstrepunt; non cum Musis canunt. Refert Plato in Phœdro cicadas olim homines fuisse ante Musas; natis deinde Musis, & canere edoctis, nonnullos ex cœtu illo cantûs suavitate delinitos, ita huic indulsisse voluptati, ut cibi, potúsque immemores inedia deficerent: unde ortum, *Cicadarum genus Musarum beneficio, haud ampliùs ullius alimoniæ indigum; solóque cantu vivere cicadas:* insuper hoc cicadis munus demandatum, ut singulis Musis renuncient, à quo studiosorum quæque præcipuè colatur, quod & studiosissimè præstant, & maximè delectantur, certamcimque canunt super capita eorum, qui per æstivos calores disputant in pomariis; & illos qui procumbentes tenellis in herbis otio diffluunt, ac somnolenti oscitanter dispandiculantur, perinde irrident, ac pecudes sub umbra secus pellucidos scaturientium fontium latices meridiantes. Ex hac fabella conjicit Plato, studiosos aliquid habere commune cum cicadis, & musis; hoc tamen discrimine, quod solertes musis, desides cicadis consocientur: & revera cicadæ modulantibus se exhibent adjutrices teste Photio *in Epist. ad Joan. Patricium.* Certabant, ait, canendi gloria Eunomius Locrinus, & Reginus Delphis in frequentissimo Theatro, cui mirificè placebat. Interea accidit, ut unâ è fidibus disruptâ, cicada statim advolaverit, & citharæ insidens jugo fractæ chordæ sonum expleverit. Solenne est itidem Philologis cicadis Poetas indicare; hinc illa parœmia, quam Demetrius Phalareus Dionysio; & Aristoteles Stesicoro attribuit. *Non oportere cuique Poëtarum injuriam esse, ne cicadæ ex humo canant.* Tametsi nonnulli Poëtarum ita stylo humi repant, ut è terra geniti; atque à

pul-

pulvere videantur originem traxisse; nihilominus censuit Plato non esse irridendos, quia adhuc stylum tenent sicâ formidabiliorem, quo plurimum possunt damni adferre. Theacritus in sua Daphinide Thyrsim commendans à carminis suavitate, eum cum cicadis contulit. Asserit Aristoteles *lib. 3. de Animal. cap. 30.* hoc ingenium esse cicadis, ut ibi sint numerosiores, ubi plures sunt oleæ arbores, quæ symbolum sunt pacis, quâ studia literarum promoventur, ac florent. Nil aptius ad tranquillitatem animi invehendam, ærumnasque hujus fluentis vitæ excutiendas studio litterarum, præsertim divinarum: Amphides scitè id monet inquiens:

Non est ullum humani infortunij
Solatium dulcius in vita, quàm ars:
Dum enim animus disciplinæ vacat suæ,
Lætanter præternavigat, & obliviscitur calamitates.

13. Musæ novem Poësis finxit, quas pinxit natura in celebri Achate gemma, quam Pyrrhus Rex, qui bellum gessit in Romanos, fertur digito gestâsse; quàm bellè in gemma nitent musæ, quæ nonnisi pretiositatem sapiunt. In gemma illa spectabantur novem Musæ totæ gemmeæ, & Apollo Citharam pulsans. *Non arte* ait Plinius lib. 37. cap. 1. *sed sponte naturæ, ita discurrentibus maculis, ut Musis singulis sua redderentur insignia.* Ut autem nomina recenseamus singularum: prima à probitate vocis *Calliope* dicitur; hæcque Rhetoricæ præesse creditur, atque arte pollere flexanimâ. Secunda *Clio* à gloria, & celebritate rerum gestarum, quas canit, & eadem Historia nuncupatur. Tertia *Erato* à canendis amoribus; vel quòd homines docti ab alijs amentur, ac laudentur de hac Musa Ovidius 2. de Arte.

Nunc mihi si quando puer, & Cytherea favete
Nunc Erato, nam tu nomen amoris habes.

14. Quarta *Thalia* à cantus lenocinijs, ac voluptate. Huic Musæ Comœdiarum, & Geometriæ inventio tribuitur. Quinta *Melpomene* à canendo dicta, seu concentu faciendo. Hæcque creditur cantilenas invenisse, & Tragœdiis præsidere. Sexta *Terpsichore*, eò quia choreis delectetur, & à nonnullis *Citharistria* vocatur. Septima *Euterpia*, quasi bene delectans ob suavitatem concentûs: aliqui Tibicinam vocant à tibijs; quibus præesse dicitur; hanc aiunt fuisse inventricem Dialecticæ. Octava *Polymnia*, quòd memoriâ excellat. Huic Historiæ conscribendæ usus tribuitur, ad quam multum requiritur memoriæ. Hujus Musæ ingenio tribuitur (ait Cassiodorus *in Varijs lib. 4.*) quòd carminibus additæ sint Orchestrarum loquacissimæ manus, linguosi digiti, silentium clamosum; seu *gestus*, & *actio*. Nona *Urania* à cantu rerum cœlestium, vel à cantûs divinitate. Virgil. in Epigram. novenas Musas carmine complexus est.

Clio gesta canens transactis tempora reddit.
Melpomene Tragico proclamat mœsta boatu.
Comica lascivo gaudet sermone Thalia,
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.
Terpsichore affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu.
Carmina Calliope libris heroica mandat.
Uraniæ cœli motus scrutatur, & astra.
Signat cuncta manu loquitur Polymnia gestu.
Mentis Apollineæ vis has movet undique Musas.
In medio residens complectitur omnia Phœbus.

Babunus 4. Epig. novem Musarum nomina unico complexus est disticho, & novem Musas undenis tantum pedibus stare coegit firmius memoriæ. 15.

Calliope, Polymneia, Erato, Clio atque Thalia
Melpomene, Euterpe Terpsichore, Uranie.

Themis cœli, & terræ fingitur filia, quæ castitatis studio Jovis nuptias fugiens, ab eo in Macedonia compressa fuit. Hæc Dea putabatur, quæ hominibus prçciperet id petere quod æquum, & fas est. Habuit antiquissimum oraculum in Bœotia ad Cephisum amnem. Ovid. 1. Metam. 16.

Fatidicámque Themin, quæ tunc oracla tenebat.

Themidis simulacrum ad eos deferebatur, qui dicturi essent ad populum, ut monerentur; nihil dicendum esse publicè, quod æquum, & sanctum non esset. Hæc est illa Themis, ex qua dicuntur in lucem editæ *Justitia, Lex, Pax*, quam Hesiodus vocat *pudibundam*; quia pudorem ei afferret quidquid esset contra jus, & æquum. 17.

Astræa Astræi, & Auroræ fingitur filia. Fuit Astræus unus ex Titanibus, qui contra Deos arma movisse dicuntur. Hic cum Aurora fertur concubuisse, & ex ea generâsse Astræam, & ventos, qui Astræi fratres ab Astræo vocantur ab Ovidio 14. Metam. 18.

Aëráque, & tumidum subditis concursibus æquor
Astræi turbant, & eunt in prælia fratres.

Malunt alii esse Jovis, & Themidis filiam, justitiæ antistitã, quam Poëtæ fingunt aureo sæculo è cœlo in terras migrâsse, & tandem mortalium sceleribus offensam cœlum repetisse. Ovidius 1. Metam. r.

Ultima cœlestum terras Astræa reliquit

A Poetis sumitur Astræa pro ipsa Justitia Virgilius 1. Georg.

——————Extrema per illos
Justitia excedens terris, vestigia fecit.

Nemesis ex Jove, & Necessitate genita; vel ut placet aliis Mythologis ex Nocte, & Oceano; credebatur Dea scelerum ultrix, & remuneratrix virtutum ostendens, quid quemque fatere deceat. Statius lib. 13. 19.

Est Dea quam Nemesim dicunt, Dea magna potènsque,
Quæ bona Cœlestum concessu cuncta Deorum Possidet.

Nemesi sacrificabant Romani ad bellum profecturi, ut significarent, se nunquam arma movere nisi justis de causis. Alio nomine vocatur *Adrastea* ab Adrasto Rege Argivorum, qui primus aram ei condidit. Alatam eam finxerunt ad insectandos facinorosos. *Rhamnusia* item dicebatur a *Rhamnunte* Atticæ oppido, ubi templum habuit, & ejus statua ex uno lapide decem cubitos altitudine æquavit, rotam eidem tribuerunt, symbolum velocitatis, quâ in ultionem ferrur. Cæterum Nemesis indi- 20.

cat vim illam divinam, quâ improbi puniuntur. Ab aliis NEMESIS vocatur Justitia puniens, & fingitur cum fræno equorum, & mensura cubitali, quia refractarios domat, & æqua mensura res dimetitur. Statua Nemesi ab Athenienfibus post devictos ad Marathonem Persas erecta fuit ex iisdem marmoribus, quæ collata fuerant ad erigenda contra Græcos trophæa. Redimita diademate, fraxini ramum sinistra tenebat, dextrâ phialam; cui Ausonius carmen adjecit *Græcis trophæum, & Persis Nemesis*; indicâtque, Deum esse superborum ultorem, quos à tergo insequitur: liquidem fraxinus hastas; & phiala sanguinis significavit effusionem.

EXPENSIO IX.

Donantur explicatu, quæ de Diis rusticis sylvas incolentibus Finxerunt Poetæ.

1. SYlvestres Dii finguntur sylvas incolere, & pinguntur cornuta monstra, seu ut semiferi homines villis obsiti, caprinis pedibus, equinis caudis instructi ad terrorem pueris incutiendum. Suntque *Pan, Sylvanus, Silenus, Satyri, Fauni, Priapus, Aristæus, Terminus*.

2. Primus, qui mihi lustranti umbriferum Deorum Regnum arboribus consitum, sylvis refertum obviat, semicaper est cornutus, pinu coronatus, ore rubro, ac ridente, stellato pectore, caprinis pedibus, hircinâ caudâ, pelle obductus distinctâ maculis; fistulam imparibus compactam calamis manu admovens ori inflandam: si nomen hujus rustici Numinis scire cupis, PAN est, quem Poëtæ Pastorum, ac totius naturæ finxerunt Deum genitum, ut putat Herodotus, ex Mercurio, & Penelope; cum hanc ille deperiret, nec in sua posset vota flectere, dicitur speciem induisse candidissimi hirci, & ejus amorem meruisse, eámque in Taygeto monte gravidâsse, & PANA genuisse, quem leporis involutum pelle in cœlum extulit; iterum descensurum in terras, terrorem incussurum non pueris tantùm, sed & nonnunquam armatis exercitibus: refert enim Pausanias, hoc Numen Gallis, qui Brenno Duce in Græciam irruperant, eum Delphos jam essent expilaturi, ac eversuri, per noctem eum injecisse terrorem, ut præcipiti se fugæ dederint insequente nemine. Hinc dicuntur *terrores Panici*, cùm quis sine causa perterretur.

3. Cæterum PAN ex ipso vocis etymo significat universum, propterea ejus pars superior hominis cœlestia designat, ubi omnia cum ratione administrantur; inferior pars hispida, & caprina mundum indicat inferiorem, herbis, vepretis, arboribus hispidum, sensuum affectionibus obnoxium, ut etiam putori, ac corruptioni. Pardi pellis variis distincta maculis innuit varietatem tum siderum in cœlis, tum viventium in terris. Pinu coronatur, quia Deus est sylvestris, ac solitarius; gaudet enim pinus solitudine, simùlque ostendit unum solum esse mundum. Cornutus est in fronte, quia lunam in novilunio designat, cujus vis potissimum in hæc inferiora influit; & penus dicitur cæterorum siderum, eò quia in illam suos refundant influxus derivandos in hæc inferiora. Promissa ad pectus pendula barba solares indicat radios. In pectore Nebridem habet stellam ad stellarum imaginem, quia à solis radio suos reliqua sidera nitores hauriunt. Caprinos habet pedes, ut ostendat etiam terræ soliditatem. Fistula cum septem cicutis, vel imparibus calamis simul juncta totidem cœlestium sphærarum prodit harmoniam. Nonnulli huic Numini addunt Amorem humi prostratum: quia natura amore propagatur, & conservatur. PANEM cornoa inflantem, ad cujus sonum turbæ fugiant Alciatus Emblemati 122. pinxit ad indicandum *Panicum* terrorem, qui subitò sine causa hominibus incutitur.

PAN apud Arcades colebatur, ut universæ naturæ Dominus, qui moveat, ac promoveat singula. Finxerunt eum inflantem fistulam, & puellas circumducentes choreas, ac tripudiantes; eò quia putârunt invenisse choreas. Fabulantur cum Cupidine aliquando pugnâsse, & ab ipso victum incidisse in amorem *Syringis* Virginis, quam, cum transire Ladonem Arcadiæ amnem non posset, Nympharum precibus in palustrem calamum mutatam novisset, ex illo statim composuit fistulam, quæ a puellæ nomine *Syrinx* vocatur, Ovidius 1. Metamor.

Panáque, cum prehensam, sibi jam Syringa putaret,
Corpore pro Nymphæ, calamos tenuisse palustres.
Dúmque ibi suspirat; motos in arundine ventos
Effecisse sonum tenuem, similemque querenti.
Arte nova, votique Deum dulcedine captum.

Ferunt tunc ex illa arundine compegisse fistulam. Cæterum moris fuit, ut huic Deo in sacrificiis lac, & mel in pastorum poculis offerretur. In Arcadia frequentiori honore colebatur, adeout dicatur PAN Deus Arcadiæ.

SYLVANUS Deus sylvarum, à quibus propriam trahit nomenclationem; fingitur senio nonnihil confectus promissâ barbâ ad pectus pendulâ, humana facie, fronte rugis exasperata, statura pusillus, cruribus caprinis. Is dicitur habuisse unicè in deliciis Cyparissum puerum, specie venustum, corpore elegantem; eumdémque in arborem sui nominis, seu in cupressum transformâsse. Fabulantur Mythologi, Cyparissum cervam habuisse mansuetissimam, eámque intensiori fuisse prosequutum amore, quam cum Sylvanus imprudens occidisset, puer doloris impatientiâ contabuit; cujus necem ægrè ferens Sylvanus in Cupressum arborem eum commutavit, quam amasii desiderio dicitur jugiter circumferre: & id causæ esse, cur fingatur, ac pingatur Sylvanus protensâ manu tenens cupressum arborem, cui semper adhærescit, ut cecinerit Virgilius 1. Georg.

Et teneram à radice ferens Sylvane Cupressum

Quæ verba explicans Servius ait, Virgilium non

non solùm distinxisse Sylvanum à Deo Pane, verum etiam illum dixisse pecorum, & agrorum Deum. Sanctus Hieronymus in vita Paulæ refert hominem equo mistum visum, ac interrogatum barbarâ, sed humana voce ostendisse iter, & hunc fuisse *Hippocentaurum.* Satyrum quoque aduncis naribus, fronte cornibus aspeгatâ, caprinis pedibus fuisse humana voce loquutum refert S. Augustinus *lib. 15. de civit. cap. 13.* inquiens Sylvanos unà cum Faunis, quos vulgo incubos vocant, ad improbas sæpe accessisse mulieres, & earum appetivisse, ac peregisse concubitum. Esse itidem subterraneas specus, sylvas, & homines referunt præ cæteris Historiæ Anglorum; & duos producunt adolescentes fratrem, & sororem ex caverna quadam emersisse corpore nudos, penéque virides, Anglicæ linguæ ignaros, nec quidquam eorum comedentes, quæ ab Anglis comedi solent; sed tantum pisa, fabasque virides; & cum loqui Anglicè didicissent, retulerunt plurimos esse homines ijsdem in cavernis simili colore.

6. Silenus fingitur grandævus, simis naribus, calvo capite, auribus asininis, ac patulis, corpore exiguo, sed obeso, ventriculoso, asino insidens, quem Bacchi esse ferunt. Hunc fabulantur fuisse Bacchi nutritium, pædagogum, ac socium, ideóque semper vino madidum, ac tremulum, quia ebrietas tremorem invehit, & vitam in senium protrudit; Virgilius Ecloga 14.

Silenum pueri somno videre jacentem
Inflatum hesterno venas, ut semper Jaccho.
Serta procul tantum capiti delapsa jacebat,
Et gravis attritâ, pendebat cantharus ansa.

Est cantharus poculi genus, quo ad liberiorem haustum Bacchus utebatur. Cum verò Silenus pedestre haberet iter baculo innitebatur; quia vino madidi titubantes gressus ferulâ regere consueverunt; fuit hæc ferula genus arbusculæ, ex qua Sileni baculus Ovidius 4. metamorph.

Quique senex ferulâ titubantes ebrius artus
Sustinet, & pando, non fortiter hæret asello.

Et 2. de Arte, ridens Silenum asello delapsum, quia vino maderet, ait:

Ebrius ecce senex, pando delapsus asello:
Clamarunt satyri, surge age, surge pater

Satyri quippe Silenum habuerunt veluti patrem ob invectam senectam; & ipsi cum senescerent *Sileni* vocabantur.

7. Satyri vocantur eò quia in libidinem semper sint proni, ii abulantur in sylvis sub procera quercu, patulis diffusa ramis. Habent & ipsi cornutum caput, pedes caprinos, tibias, & manus aduncas, totúmque corpus villis hispidum, & caudam equinâ paulò minorem. Plinius *lib. 7. cap. 2.* ait, esse animalia quadrupedia in subsolanis Indorum montibus pernicissimis, humana effigie, rectè currentia. Satyrum à D. Antonio visum fuisse in Eremo Ægypti refert S. Hieronymus in vita ejusdem Antonii inquiens. Vidit homunculum aduncis naribus, & fronte cornibus asperâ, cui extrema corporis in caprarum pedes desinebant; & præmisso signo crucis, quum quisnam esset interrogasset Antonius, respondisse fertur: Mortalis ego sum, unus ex accolis Eremi, quos vano errore delusa Gentilitas Faunos, Satyrósque, & Incubos appellat. Veteres pro sylvestribus Diis coluerunt Satyros; licet nullum animal hoc Deorum genere salacius; nullum ad libidinem pronius: id probat Pausanias *in Att.* exemplo quorumdam nautarum, quos cum marini procellosi æstus in desertam Insulam abripuissent, viderunt se in eadem satyrorum grege circumseptos; & exanimatis præ metu nautis, & vectoribus in navim ad littus appulsam satyros insiluisse, virisque relictis irruisse in fœminas insolentis libidinis turpitudine.

Satyris specie corporis, & morum consuetudine adnectuntur Fauni, qui & ipsi à Poëtis Dii putantur Agrorum, & sylvarum: a Satyris non videntur quasi discrepare nisi nomine tenus, nam figurâ externâ satyros referunt. Habent & ipsi frontem armatam cornibus, caprinos pedes, tibias, manúsque aduncas, corpus villis hispidum, pineis amant ramis coronari; pinguntur stupentibus similes; & ab agrestibus hominibus Dii habentur agrestes. Putant plerique Faunos è terra genitos post diuturnam vitam interire Ovid. 1. Metamor. 8.

Sunt mihi semidei sunt rustica numina Fauni.

Priapum Numen hortense Liberi Patris, 9.
& Veneris Ethnica superstitio censuit filium, hortorum præsidem. Pudendum, obscœnúmque est Priâpi nomen, & numen; ferúntque, Venerem, postquam Lampsaci hunc in lucem edidisset fœtum, ejus aversatam deformitatem illum abdicâsse: & licet gratus visus fuerit Lampsacenis fœminis, ab earumdem tamen maritis fuit ab urbe pulsus: sed postliminio revocatus, jussu oraculi hortorum Deus habitus est; idque causæ, cur herbis hortensibus coronaretur, & falcem gestaret, ejúsque simulacrum in hortis collocaretur, veluti custos ad fures, ac prædatrices arcendas aves, & feras Virgil. 4 Georg.

Et custos furum, atque avium cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi

Cui consonat Tibulli Distichon

Pomosisque, ruber custos ponatur in hortis,
Arceat ut sævâ falce, Priapus aves.

Horatius *Satyr. 8.* describens deformitatem Priapi inducit ejus statuam per lepidam Prosopopæiam ita loquentem

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum,
Cum faber incertus, scamnum faceretne Priapum
Maluit esse Deum; Deus inde ego furum, aviumque
Maxima formido

Aristæus filius fuit Apollinis ex Cyrene 10.
filia Penei Arcadiæ limpidissimi fluvii Hic fertur in Arcadia regnâsse; oleas excoluisse, & primus omnium artem edocuisse eliciendi ex olivis oleum condendis ferculis peridoneum; ut & melis usum in iisdem ad invehendum dulcem saporem gustui lenocinantem, lactisque coagulum, & alia pleraque, quorum meminit Justinus *lib. 4.* Primus itidem apum ex bu-

Hanc parturientes Junonis, Lucinæ nomine invocabant; Junonem vocârunt à juvando; Lucinam, quod partum in lucem proferre putaretur. Virgilius Eclog. 4.

Casta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo.

6. Alii putant dici *Lucinam*, quia oculis, & luci præsit. Alij à luco, quem Romæ in Exquiliis habuit. Eadem *Hecate*, seu *Proserpina* dicta est, vel quòd centum victimis placaretur. Vel quòd centum annos errare faciat insepultos. *Hecate* triceps canino, equino, & medio inter hæc humano capite vim triplicem lunæ prodit in cœlo, terra, sub terra; hac de causa Hesiodus *in Theogon.* putat, illas tres Deas non nisi unam esse, vires suas exerentem in cœlo, terra, sub terra. Virgil 4 Æneid.

Tergeminámque Hecaten, tria Virginis ora Dianæ

Cui assentitur Claudianus 2. de raptu Proserp.

Ecce procul ternis Hecate variata figuris

7. Putant alij, Dianam triformem indicare lunam, cujus triplex est figura, seu luminis varietas; siquidem cum crescit falcatam se prodit conspicuam, cum adolescit inflectitur in semi orbicularem figuram; cum plena fuerit totum implet orbē, totóque est circulo corusca: cujus splendore captus Endymion Pastor intimo est eam amore prosequutus; & vicissim Luna eum adamavit; à qua fabulantur Poëtæ in Latmio Cariæ monte fuisse sopitum; non ob aliam causam, quàm ut dormientem semel deosculaRetur; & hunc à Jove ferunt petiisse perpetuum somnum; unde Cicero 1. *Tuscul.* ait: *Endymion si fabulas audire volumus, nescio quando in Latmio obdormivit, qui est mons Cariæ nondum experrectus. Num igitur eum curare censes cum Luna laborat, à qua consopitus putatur, ut eum dormientem oscularetur.* Hinc nata Parœmia *Endymionis somnum dormire*; & in eos torquetur, qui se se immodico somno saginant, vel qui diuturno marcescunt otio; neque ullo se studio, arte, vel negotio exercent, malentes feriatam agere vitam. Prætermissis tamen fabulis Endymion insignis fuit Astrologus, qui primus Lunæ cursum mensus est, hinc orta fabula, & creditus sub dio jugiter dormire; quia semper specularetur.

8. DIANÆ nomenclatio est multiplex. *Hecate* dicitur ut putat Hesiodus, quia e loco perquam dissito suos jaciat radios, demittat nitores. Diana *Trivia* vocatur à triviis, in quibus à Cerere matre abjecta fuit, & à Pastoribus enutrita; ut ejus statua in foribus collocaretur domorum Virgil. 4 Æneid.

Nocturnísque Hecate triviis, ululata per urbes

9. Dicebatur igitur *Trivia*, quia in viis, triviisque crederetur præesse, & Athenienses in triviis ei sacra faciebant in singulis noviluniis. *Hecaten* ferunt præfuisse veneficijs, ac fuisse infensam hominibus fœminam, enormi corporis proceritate, capite horrifico ad incutiendum terrorem, cui pro capillis erant viperæ simul innexæ: pedes erant serpentini, & totum corpus monstrosum: hinc spectra quæ peractis veneficijs apparebant *Hecatæa* vocabantur. *Lucina* quia infantibus in lucem venientibus opem ferret, & obstetricis munere functa esset matri suæ Latonæ, cum Apollinem fuit enixa. Diana *Chitonia*, seu *Tunicata*, eò quia solerent fœminæ partûs defunctæ doloribus, ac pristinæ incolumitati restitutæ Junoni facere sacra: & Dianæ suas, ac infantium vestes consecrare. Diana *Dictynna* à retibus venatorijs: & quia cum Virgo Britomartis inter venandum in retia incidisset, ac vovisset Dianæ sacellum, si evaderet, ope Dianæ evasit & Dianæ *Dictynnæ* voti compos sacellum construxit.

10. *Diana* immisso telo Chionem Dædalionis lectissimam filiam confodit, quia hæc se fuerit ausa Dianæ præferre, ac gloriaretur Ovid. 11. Metamor.

Se peperisse duos, & Dijs placuisse duobus.

11. *Chionem* ob formæ elegantiam proci plures amarunt; cujus & nuptias concupierunt, sed uni Pæonio Epidaurensi nupsit. Redeunte tamen Mercurio à Cylleno monte, & Phœbo Delphis ab ambobus visa est, qui ob speciei singularem venustatem ejus amore capti, & separatim ejus concubitum petiissent: Apollo in noctem distulit: Mercurius verò statim caduceo eam tetigit, ac in profundum soporem alligavit, simúlque vitiavit. Mox accedente nocte, Apollo induit anûs formam, & ad eam intravit, ac oppressit; adeout Chione ex Mercurio pepererit Autolicum arte furandi infamem; & ex Apolline Philamonem, qui carmine, & citharâ plurimum valuit. Ovid, 11. Metam. de Autolyco

——————Furtum ingeniosus ad omne
Qui facere assuerat, patriæ non degener artis
Candida de nigris, & de candentibus atra.

Chione, quod Dijs placuisset postea superbiâ elata ausa fuit se Dianæ præferre, quâ re indignata, Diana sagittis eam interemit Ovidius 11. Metam.

——————Faciémque Deæ culpavit. At illi
Irâ ferox mota est; factisque placabimus inquit;
Nec mora; curvavit cornu, nervúsque sagittam
Impulit, & meritam trajecit arundine linguam.

12. Diana *ultrix*, ut fabulantur Poëtæ, e sylvis aprum ad evertendos agros immisit, quem MELEAGER occidit. Fuit hic Oenei Calydoniæ Regis filius ex Althæa conjuge, quo recèns nato, sibi visa fuit videre tres Parcas igni assidentes, manúque stipitem tenentes æqualem puero; quem fuerat enixa; Recedentibus Parcis Althæa extinctum stipitem diligentissimè asservavit, Adulto deinde Meleagro, cum spreta ab Oeneo Diana immensæ molis aprum immisisset, qui regionem illam longè, latéque vastâsset; Meleager robustissimorum juvenum delectu aprum interficiendum persequitur: immiscet se venatoribus habitu ementito ATALANTA Virgo, quæ prima vulnere Aprum cruentavit, quem Postea Meleager interfecit, ejúsque caput Athalantæ Jasii Argivorum Regis filiæ dedit, veluti partem spolij in præmium, qoòd prima agrum vulneraverit Ovidius 8. Metam.

——————Exuvias, rigidis horrentia setis
Terga dat, & magnis insignia dentibus ora.

13\. Cúmque ipsius Meleagri avunculi indignantes, vi munus Virgini datum eripuerint, eos Meleager indignabundus peremit. Althæa auditâ fratrum nece dolorisimpatientia in furorem acta, fatalem stipitem, diu in cubiculo asservatum in ignem injecit, quo exusto, Meleager etiam exustis intus intestinis consumptus est; ardente quippe stipite ardebat & Meleager. Hunc enim stipitem arripuerant Parcæ, quando Althæa enixa est Meleagrum, ac injecissent in ignem Ovidius 8. Metam.

Tempora, dixerunt, eadem, lignóque, tibique
O modò Nate, damus. Quo postquam carmine dicto,
Excessêre Deæ; flagrantem mater ab igne
Eripuit ramum, sparsitque liquentibus undis,
Servatúsque diu, Juvenis servaverat annos.

Sed postea indignata, quòd Meleager Avunculos interfecisset

———Dextrâque aversa trementi,
Funereum torrem, medios conjecit in ignes.

14\. Pales alia fingebatur ruralis Dea, quæ Pastoribus, & pascuis præsideret; ideo pingebatur in campis stipata opilionibus fistulas inflantibus, & armentis; colore subfulvo, habitu vili, crassóque, absque luxu, sine cultu ullo vestium. In ejus honorem fuerunt festa quædam instituta; quæ *palilia*, vel ut alij malunt *parilia* vocabantur à *pariendo*, quia pecorum partui credebatur præsidere. Hanc Virgilius Eclog. 5. vocat *magnam matrem*, & *Vestam*; & 3. Georgic. epitheto *magnæ* eam condecorat,

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus
Pastor ab Amphryso.

Huic Deæ sacra solvebantur, quæ *palilia* à Deæ nomine vocabantur, & pro uberiori pabuli proventu ei à Pastoribus offerebatur lac, & liba ex milio. Erat libum genus dulciarij ex farre, caseo, melle, & oleo compactum; nonnunquam ex milio, & butiro. Consuetudo invaluit, quâ hujusmodi liba sacrificijs adhiberentur. Alij censent liba dici à Libero Patre, quod etiam indicat Ovidius *lib. 3. Fast.*

Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus ille
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt
Melle pater fruitur, libóque infusa calenti
Jure repertori candida mella damus.

15\. *Palilia* festa Romæ celebrabantur undecimo, vel duodecimo kalendas Maji, quo die Romulus urbem condidit, non tamen intra mœnia, sed in agris à Pastoribus, ad lupos arcendos à grege, morbósque averruncandos à pecoribus. Ferunt hujusmodi festa vario fuisse ritu peracta: siquidem Pastores accensos palearum acervos, certo spatij intervallo dispositos hilares saltu transiliebant, & vario suffitu ex Rosmarino, Lauro, fumóque sulphuris pecudes, & armenta purgabant. Ovidius 4. *Fast.* hæc festa describit.

Alma Pales, faveas pastoria sacra canenti
Prosequar officio, si tua facta meo.
Certè ego de vitulo cinerem, stipulámque fabalem
Sæpe tuli, lævâ februa tosta, manu;
Certè ego transilvi, positas ter in ordine flammas
Virgáque roratas, laurea misit aquas

Meminit hujus prisci ritûs instituti in memoriam Urbis conditæ Propercius *l. 4.*

Ubi festus erat dixêre Palilia patres;
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.

Ab agris, campísque flavescente segete fluctuantibus, ad hortorum amœna virentia transeo; ubi ab elegantia loci, amœnitate prospectûs, culturâ plantarum, areolarum viriditate, florum varietate, odorum suavitate allicior, trahor, rapior. In ipso aditu oculos circumferens occurrunt omnia eleganter concinnata, vagisque plena curiositatibus. Hic regnat induta purpurâ florum Regina Rosa, hortorum decus, veris redivivi amœnissimum ornamentum; floridissimæ tempestatis partus speciosissimus; terrestre sidus vitæ particeps, splendor hortorum, flamma odorifera, & totius venustatis epitomen. Surgit Lilium Rosæ nobilitate proximum, cæterísque excelsius floribus, cujus bulbosa radix ad humum summam longiorum foliorum effundit pompam; è quorum medio globo rectus erumpit caulis, politus, ac lævis, æqualiter teres, perpetua circumseptus luxurie foliorum sensim decrescentium, assurgente scapo, qui ad binos, vel ternos se ab humo elevans cubitos apicem coronat, viridante panicula oblongorum calicum; viriditate in candorem sensim sine sensu abeunte, mox dehiscunt calices, & ab angustiis in latitudinem se se laxantes effigiem referunt calathi resupinis per ambitum labris, tenuique filo, & semine, stantibus in meditullio crocis. 16.

Exilic è telluris sinu Anemone odoris quidem expers, non ita decoris, & dignitatis. Ejus cauliculus, licèt exilis, laniginosus, semipalmaris, floriferis tamen abundat oculis; ut omnium voluptati oculorum abundè prospiciat. Sunt qui hunc florem vocant Adonidis ab apro interempti. Vel Veneris lugentis Adonidem lacrymas, quæ in risum concrevere ridentis Veris. 17.

Suam prodit venustatem ocellus flos, quem diceres cæterorum florum hausisse decora omnia; siquidem est in ipso niveus lilii candor; cosæ igneus rubor, Amaranthi livens purpura, Ranunculi coccinum, Anemones ostrum, Iridis conchylium; vel horum omnium confusa quædum mistura colorum. Ibi coronantur Imperatorij flores, cum quibus non audent alij in contentionem de principatu venire: corona enim est sibi iste flos, & umbella sui folij. Certant de candore cum nive tenuiores Gesmini, & odoris suavitate Arabum vincunt suffitus. Germinant è bulbosa genitrice, & altrice evolutis foliolis tuberosæ, argenteas in flore imitantes tubas, quòd si sonum non edunt; longè tamen, latéque odorem diffundunt hi flores, & amorem sui concitant, etiam ignoti; ut & admirationem nondum visi. Serpunt humi exiles, sed odoratæ violæ, quas vernæ lucis prænuncias terra mater emittit, staturâ quidem minimas; sed cæteris majores natu; & licèt inter agrestes, plebeiáque enascantur, & adolescant herbulas; nil tamen nisi generosum spirant; nilque redolenc nisi nobile. 18.

Tulipa

19. Tulipa exilit Proteus florum; nulla siquidem in planta æquè versicolor naturæ licentia lascivit, quàm in tulipa, cui natura concessit ut quidquid venustatis, & gratiæ alijs dispersum est, flos iste in se colligat, obtineátque flos unus omnia; quæ seorsim alios nobilitant, ac commendant; colores flos iste induit modò absoleros, modò splendentes, nunc tetricos, aliàs lætos; nunc austeros, modò suaves, abeántque sensim alij in alios, mutétque semper formas, nunquam suæ speciositatis oblitus.

20. Surgit & Hyacinthus in omnes prope, & ipse colores, tum naturæ, tum artis transiens: modò enim candidus, probat nigra, vel purpurea vaccinia eximiè posse exalbescere, ut alba ligustra alieno victa candore cadant: modò cinereus Phœnicem se prodit florum, qui suo è cinerario efflorescit vegetior: modò cœlo concolor Archimedem ludit, dum cœlum angustiori contrahit sinu; modò colores alios, & alios sexcentenos non fictos, non fucatos, sed veros, & constantes vario è statu trahit, ut Admirationis filiam, fugitivam Iridem provocet etiam adverso sole, & vincat.

21. Emicat & Narcisus qui nunc argenteo, nunc aureo distectis colore; in orbem se diffundit foliis calicis figuram induentibus, quorum quina, nonnunquam sena floris absolvunt ambitum, mediúmque coronant calicem, qui delicatè lactea inter folia lactescit, ac splendidè pallescit decolor, aut circa summam oram croco illitam lepide rubescit. Suam & Jonquilla prodit hîc venustatem, luteo perfusa colore, tenuis ot viola, in stellulam radiata ut Narcisus, celsitate tulipam exequans, odora ut ocellus.

22. Demum non ridentis Veris universa proles hîc tantùm lepidè jocatur; sed & fontium latices salientes ad plenius oculorum oblectamentum suos habent lusus. Per subterraneos meatus, variásque fistulas se insinuans aqua in altitudinem redire cogitur suæ originis, ac exilire ex marmoreo cratere, ex cujus labro subtilis instar veli expanditur aqua, dimittitúrque in subjectam piscinam; ubi marmorei natantes obludunt tritones eminente ore, resupinatóque capite sidera suspicientes; hi caudis in piscem desinentibus, ac sinuosis, latices videntur agitare, sinistrâ manu craterem fulcire, dextra cornu inflare, & aquas altiùs ejaculari.

23. Quæ verò has inter hortenses amœnitates spatiatur fœmina delicijs affluens, ornata floribus, venustè compta, eleganter vestita FLORA est hortorum Dea, florúmque præses, quæ ab Ovidio *in Fast.* CHLORIS vocatur desponsata *Zephyro*, à quo munus accepit, ut haberet florum omnium potestatem: est enim CHLORIS eadem cum ea, quæ à Romanis FLORA vocabatur, de qua Ovidius 4. Fastorum *Chloris eram, quæ Flora vocor.* Agit de hac Claudianus *in Rapta Proserpinæ.* Ferunt autem Floram apud Romanos fuisse meretricem, quæ cum ingentes opes corporis quæstu congessisset, populum Romanum scripsit hæredem, certámque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos *floralios* vocârunt; institutis etiam festis quæ *floralia* dicerentur. Cum verò id senatui visum postea fuisset turpe, ac flagitiosum: ab ipso nomine argumentum sumi placuit, quo rei pudendæ non vacuæ turpitudine dignitas adderetur, quâ excussâ infamiâ Deam finxerunt esse, quæ floribus præsit, eámque quot annis oportere placari, ut fruges cum arboribus, & vitibus prosperè efflorescerent. Refert Plutarchus simulacrum Deæ Floræ à priscis illis Romanis fuisse collocatum in æde Castoris, & Pollucis, tunicâ vestitum, dextrâ flores fabarum, ac ciceris tenens; eò quia in festis, ludísque floralibus Ædiles fabam, & cicer, aliáque legumina populo spargerent.

24. FERONIA Floræ assidens fingebatur Nemorum Deaà ferendis arboribus; vel quia Feronia ut plerique autumant, sit vis illa arboribus indita ad ferendos flores, fructúsque producendos. Communiùs tamen habebatur Dea Nemorum: unde Virgilius 7. Æneid. *Et viridi gaudens Feronia luco.* Lucum habuisse fertur sub monte Soracte, qui cum fortuitò arsisset incendio; & ob id transferre aliò Deæ simulacrum incolæ vellent, aiunt, nemus subitò revixisse, ac deperditas foliorum comas iterum assumpsisse.

25. POMONA suam à pomis sortitur nomenclationem, perinde ac Mellona à melle. A Romanis colebatur ut Dea fructuum, frugúmque omnium, quas plantæ, arborésque producunt; sive illæ in pomarijs colantur, sive in campis, aut montibus oriantur. Non enim omnes pomiferæ arbores hortorum amant amœnitates. *Nam aliæ* (ait Boëtius de Consol lib. 3. Prosa 11.) *in campis, aliæ montibus oriuntur; alias ferunt paludes, aliæ saxis hærent. aliarum fœcundæ sunt steriles arenæ, quas si in alia quispiam loca transferre conetur, arescant.* Omnes tamen veluti in terras ore demerso trahunt alimenta radicibus, ac per medullas robur, corticémque diffundunt, quem cœli objiciunt intemperiei. Arbores tamen nobiliores solertiori studio excoluntur in pomario, seu loco pomiferis arboribus consito Propertius lib 3.

Nec mea Phæacis æquant Pomaria sylvas

26. POMONÆ id demandatum officij dicitur, quò ejus ope arbores radices infra terram agerent, cortice rudiori caulem à frigoribus tutiorem obducerent, ramos in partes omnes diffunderent, quos floribus, frondibúsque vestirent, qui postea fructuum ubertate onusti, gravitate ponderum incurvescerent. Huic Deæ tribuitur inventio insitionis per surculos, quando scisso trunco surculus fœcundæ arboris inseritur in sterili; seu cum oculus unius arboris alteri adnectitur, fitque inoculatio plantarum. Quæ verò inseritur arbor per medium rotundè secatur ea parte, quæ maximè nitida, polita, & sine cicatrice est; cavétque insitor, ne liber lædatur. Dein præcisi trunci plaga scalpello peracuto lævigatur. Ipse truncus tribus infra secturam digitis arctissimè tæniæ nexu perligatur, mediúsque acuto

cultro ad id accommodato eo fine truncus diffinditur, ne fissura coërcente vinculo laxitatem dehiscat; dein adacto cuneo sive osseo, sive ligneo fissura custoditur. Surculi verò ad insitionem decerpuntur ex ramis anniculis, aut bimis, qui modicè jam induruerint, fere palmares, & integri, qui ex utraque parte in speciem cunei deraduntur, quantum demissus cuneus spatij dederit; ita tamen ne medulla nudetur; neque lateris exterioris cortex detrahatur. Sic parati surculi insititij deprimuntur in rimam, ut eorum liber libro, seu cortici arboris utrinque, ac supernè fiat æqualis, gemmis extantibus duntaxat binis, vel ternis. Plaga illitu ceræ cum terebinthi resina obducitur, foliisque vestitur, ac defenditur à pluvia, solisque æstu; post dies aliquot folia removentur, quia tunc si surculi insititij è caule humorem traxerint, incipiunt gemmæ turgere, & arbor, ac insititius surculus simul coalescunt; fitque ex duabus una arbor. Usurpari solet hæc insitio verna tempetie, cum arbores fertili succo gravidæ in germinationem turgent; faciliùs tunc, & libentius insititijs surculis succos suppeditant.

27. Fabulantur Poëtæ, *Pomonæ* occupatæ in suis excolendis pomarijs, & præsertim in amputanda ferro sylvescentium fructuum luxurie, adfuisse vetulam edentulam, vietam, annis, ac viribus defectissimam, sussarcinatam, aridam, exsuccam, bucculentam, pendentibus genis, recedentibus oculis, extante deorsum mento, depresso introrsum ore; nec hanc veram fuisse; sed ementita specie *Vertumnum* Etruriæ Deum, qui suam desumpsit nomenclationem, eò quia in quas ipse vellet se vertere figuras, facilè posset. Hic Pomonam, quam amore deperibat anili sub specie adijt, cui & nuptias suasit Ovidius 14 Metamor.

At si staret, ait, cælebs sine palmite truncus,
Nil præter frondes, quare peteretur, haberet.
Hæc quoque, quæ juncta vitis requiescit in ulmo
Si non juncta foret, terræ acclinata jaceret.
Tu tamen exemplo non tangeris Arboris hujus?
——In juvenem redijt, & anilia demit
Instrumenta sibi; talisque apparuit illi,
Qualis ubi oppositas, nitidissima solis imago
Evicit nubes, nullaque obstante reluxit.
Vimque parat: sed vi non est opus: inque figura
Capta Dei Nympha est; & mutua vulnera sensit.

Non tamen hiscæ Deabus putes suas de-
28. fuisse ancillas pedissequas famulaturas ad nutum. Fuerunt siquidem & Nymphæ, quæ ijsdem obsequerentur, seu puellæ comptæ, formosæ, venustæ, elegantes, agiles, expeditæ ad parendum. Ex hisce aliæ fuerunt Nymphæ cœlestes, quæ cœlestibus sphæris præsiderent, siderúmque influxus in hæc inferiora distribuerent. Aliæ terrestres, quæ montes incolerent, & hæ *Oreades* vocabantur. Aliæ quæ præsiderent arboribus, & vocabantur *Dryades*, & *Hamadryades*; vel *Napææ*, quæ saltuum, ac vallium curam gererent. *Lemoniades*, quæ pratis, & campis præsiderentur. Aliæ erant Nymphæ marinæ, quæ & *Nereides* à Nereo Deo marino vocabantur: ut etiam *Thetydes*, eò quia censerentur *Thetyos*, & *Oceani* filiæ. *Naiades*, quæ fontibus præsiderent. *Fluviales*, quæ fluminibus. *Limnades*, quæ lacubus, & stagnantibus aquis. Fuisse etiam Dijs Nymphas in ministerium attributas liquet, cum Jupiter apud Ovid. 1. Metam. id fateatur.

Sunt mihi semidei, sunt rustica Numina Fauni
Et Nymphæ, satyrique, & monticolæ Sylvani

Neptunus itidem suas habuit Nymphas 29.
Nereides, & *Oceanitides*. Phœbo non defuerunt *Aganappides*, & *Musæ*: ut nec Baccho *Bassarides*, *Eloides*, *Thyades*. Diana suas habuit venatrices. Ut Juno suas, de quibus ait:

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ.

Non hîc omittendum quod fabulantur 30.
Poëtæ de *Arethusa* Dianæ Nympha, non minus pudica, quàm pulchra. Hæc æstivos temperatura calores in pellucidum descenderat fontem, ut corpus lavaret, æstúmque levaret. Sed Alphæus fluvius, qui Virginem adamavit emergens è gurgite, voce primum Nympham vocat, dein gressu accellerato illam adit. Fugit Arethusa, sequitur Alphæus; cúmque effugere illa non posset Dianæ implorat opem, à qua in fontem sui nominis statim mutatur, liquescens in latices purissimos. Sed Alphæus Ovid. 5. Metamorph.

——————amatas
Amnis aquas; positóque viri, quod sumpserat ore cognoscit
Vertitur in proprias, ut se illi misceat, undas,

Verùm adhuc Arethusa ne Amasii Alphæi pollueretur aquis per subterraneos cuniculos in Siciliam aufugit, & juxta Syracusas uberrimo ac pellucido aquarum gurgite emergit: unde & Syracusæ *Arethusides* à Poëtis dicuntur.

Præter hactenus recensita terrestria Nu- 31.
mina adhuc superessent alia plura ruralia, quorum turba perinde multiplicatur, ac res ipsæ pertinentes ad rura; adeout singulis præfuerit proprium Numen. Dea *Rusina* putabatur præsidere Ruri cuilibet. *Collina* collibus. *Vallonia* vallibus. *Hippona* credebatur equis, & stabulis præsidere. *Bubona* bobus. *Seia*, cui erat cura de seminibus, quandiu tellure, glebisque obruta laterent. *Segetia* dicebatur à segetibus, quibus præerat, cùm primùm herbescens viriditas è summa humo inciperet emergere, aurisque diventilari. *Runcina* ab agris runcandis. Ut etiam Deus *Occator*, qui præesset agris cum occarentur. *Sator* cum seruntur. *Sarritor* cum sarriuntur. *Robigus*, cui curæ erat, ut rubigo à satis averteretur; & huic Numini fuerunt instituta festa Robigalia kalendas Maji. Deus *Stercutius* ita vocatus, & in honore habitus, quia usum invenerit agros stercorandi. *Nodosus* quia præsideret nodis, ac culmorum geniculis. Dea *Volusia* putabatur præsidere involucris folliculorum, vaginisque aristarum. *Patelina* spicis erumpentibus è folliculis. *Flora* spicis efflorescentibus. *Lactucina* herbis tenellis, & adhuc lactescentibus. *Matuta* fructibus assequentibus maturitatem. *Hostiliana* segetibus, quæ novis aristis æquantur. *Tutullina* segetibus in manipulos jam collectis, quas tutebatur. *Mellona* vocabatur, quia rationem

exco-

excogitaverit mellificij conficiendi. Deus *Pilumnus* dicebatur *à pilo*, & quia artem invenerit pinsendi frumentum.

EXPENSIO XI.

Subjiciuntur de Diis, monstrisque Marinis fabulosè narrata.

1. E Jucundo Sylvarum horrore, ac amœna agrorum cultura, hortorúmque florescentibus areolis, ad marinam descendimus planitiem; cujus pulchritudo plurimum adfert illicij, & species oblectamenti: delectat mira Insularum multitudo; orarum, ac littorum amœna varietas. Hic æstuantis Oceani fluctuant campi; alibi veluti stato æquore jacent. Mox ipsa undarum congeries ad lunæ imperium excitatur; & perenni reciprocatione, quâ pelagus in se recedit, nudantur littora, producuntur vada; & iterum fluctibus obruuntur: neque desunt belluarum ibi natantium monstra; disparia squammiferi gregis genera; aquisque immersa viventia; quorum alia fluitant, alia faxis, & scopulis nativis inhærent testis: ibi dissidentium ventorum, ac discordantium fluctuum prælia, & spumantibus undis collisa cecaunia; mox veluti inita pace antra cepetunt ventorum agmina, & amico fœdere reconciliantur fluctus. Ne tamen hæc temerè obtingerent tribuenda erant etiam marinis aquis Numina, quæ fluctibus imperarent; & squammiferos greges moderarentur. Sunt hæc Numina Dij, quos Poëtæ marinos vocitrunt, ac descripserunt Conchis insidentes, vehique Tritonibus Conchas trahentibus per liquidissimam æquoris planitiem; ac Oceani campos longè, latéque diffusos.

2. Totius squammei gregis maderator, marisque Numen est NEPTUNUS trifido sceptro celebris, cyaneo fulgens amictu, cæsarie intonsa, & subnigra; oculis cæruleis, qui mox prominenti insidet conchæ. Mox medio nudo corpore super aquas eminens equis vehitur, quos ex terra percussa excitâsse fingitur; currúque vehitur accinctus Tritonibus, addentibus rotas marinis fluctibus, cum tumidi per æquora devolvuntur. Suam NEPTUNUS trahit nomenclationem vel à *nando* mutatis primis literis, ut censet Cicero *lib. 2. de Nat. Deor.* vel ut placet Varroni à *nubendo*, seu tegendo; quia perinde ac cœlum nubes; ita mare terras obtegit: ait Varro, *Neptunum* esse Deum Maris, vel ipsum mare, quia terris nubat, seu cooperiat.

3. Fingitur Neptunus marini regni moderator, & filius Saturni ex Ope, quæ ut à patris voracitate illum subduceret, ut est in fabulis, abscondit, equinum pullum loco *Neptuni* recèns nati marito objiciens vorandum: expulso dein Saturno Aquæ Neptuno in fortem cecideruut, & maritimi Regni moderationem obtinuit. Jussu Jovis, & juvante Apolline muros Troianos condidit Laomedonti serviens. Deinde *Amphitritem* duxit uxorem. Fingitur hæc fuisse Oceani, & Doridos filia. Per Metonymiam ponitur etiam pro mari, dicitúrque *Amphitrite* à circumterendo; quia Mare undique terram terat, ac lancinet. Ovidius 1. Metamorph.

———Nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

4. Duxit Neptunus uxorem Amphitritem postquam ejus molestias diu tulisset: tandem Delphini operâ, & blanditijs delinita nuptijs assensum præstitit, & Delphinus in gratiam præstiti beneficij celatus est in cœlum. Præter Amphitritem alias Neptunus uxores duxit, nempe *Salaciam*, & *Venliam*, illam à salo, seu maci dictam, ut censet S. Augustinus 4. *de civit.* vultque significari inferiurem maris aquam. *Venlia* à veniendo suam desumit nomenclaturam, eò quia fluctus reciproco æstu veniant, & fugiant; accedant, & recedant. Feruut à Neptuno productum equum Virgil. 1. Geocg. *Magno percussa tellure tridenti*, & inde fuisse vocatum Hippium, seu equestrium certaminum præsidem; & ad ejus aram in circo eos fuisse ludos celebratos, quibus exprimebatur Sabinarum Virginum captus. Erat ara subterranea, in qua sub Dei Consi nomine facra peragebantur. Vocabatur Deus *Consus* à dando consilio; & quia hoc plerunque tectum erat, ne cæteris pateret; ideo in loco tecto, & obscuro Colebatur Consus, cui martio mense solemnes instituebantur ludi, ac *festa Consualia*, & per id temporis cessabant equi ab opere; & muli floceis coronabantur fertis. Hocce ab equo, quem Neptunus in Attica produxit percussâ tellure tridente, equi marini Hippocampi vocantur, quia priores tantum habeant equinos pedes; & caudas piscium, ut illos describit Statius 2. Thebaid.

Illic Ægeo Neptunus gurgite fessos
In portum deducit equos; prior haurit habenas
Ungula, postremi solvuntur in æquora pisces.

Idque causæ, cur Virgilius 4. Georg. vocet marinos equos *bipedes*

———Magnum qui piscibus æquor
Et juncto bipedum curru metitur equorum

Fabulantur Poëtæ, *Neptunum* per æquora equitantem inducere cœli serenitatem, & æquoris malaciam Virgil. 1. Æneid.

———Tumida æquora placat,
Collectásque fugat nubes, solemque reducit.

5. Neptunia proles multiplex fingitur; clariores tamen Neptuni filij fuerunt *Phorcus*, & *Proteus*; ille Thefeâ Nympha natus est; Rexque fuit Corsicæ, & Sardiniæ Insularum; quem ab Atlante navali prælio victum, fluctibúsque obrutum; postea socij superstites in Marinum Deum conversum dixerunt; eique divinos exhibuerunt honores Virgil. 5. Æneid.

Tritonésque citi, Phorcique exercitus omnis

Hic pater fuit Medulæ, quæ ob id nomine patronymico *Phorcynis* dicitur. Proteus Phocarum, seu vitulorum marinorum pastor Phœnicam Nympham habuit matrem, vel ut placet alijs Tethyon. Hic vaticiniorum peritissimus, in quamlibet se formam transmutavit, Virgilius 4. Georgic.

Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Ceruleus Protheus magnum, qui piscibus æquor,
Et juncto bipedum curru metitur equorum.

Hæc vis formas induendi omnes fuit etiam Vertumno tribu-a, cui est nomen à *vertendo*, quatenus facilè in alias se formas vertit. Periclymenus Nestoris frater pari facultate fuit à Neptuno donatus, quem demum Muscæ formam induentem Hercules interfecit.

6. TRITON alter fingitur Deus marinus ex Salacia marina Nympha, vel ut placet pluribus ex Amphitrite filius, humana pingitur specie umbilicum tenus; reliquis inferioribus partibus piscem refert; fingitúrque habere duos priores pedes equinos; caudam bifidam, lunatámque; capilli sunt illi apio palustri haud absimiles. Fabulantur Poëtæ, hunc fuisse Neptuni tubicinem. Tritonem describit Virgilius 10 Æneid. canens

Hunc vehit immanis Triton, & Cærula concha
Exterrens freta; cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem præfert, in piscem desinit alvus
Spumea semifero, sub pectore murmurat unda.

7. Tritonia vocatur etiam Minerva, quia temporibus Ogygis Regis ad lacum Tritonidem, ex quo Triton fluvius erumpit, virginali primò habitu induta apparuerit: & Herodotus refert, ibidem puellas Virgines in venerationem Palladis quot annis consuevisse lapidibus pugnare; vel etiam fustibus.

8. OCEANUS cœli, & Vestæ filius, & maritus Tethyas etiam fingitur à Poëtis Deus Marinus Virgil. 4. Georg.

Oceanúmque patrem rerum, Nympháśque sorores

9. Vocatur *Oceanus* Pater rerum, quia non solùm pater est omnium fluminum, quæ suam ab Oceano trahunt Originem; verùm etiam animantium, ac Deorum. Hinc finxerunt Poëtæ, tria filiorum millia sb una uxore Tethy suscepisse. Quorum clarissimus fingitur fuisse *Nereus* vates insignis, etiam ipse Marinus Deus, qui ex *Doride* uxore, eadémque sorore ingentem suscepit Nympharum turbam, quæ à nomine Patris *Nereides* vocantur. Hunc Orpheus in *Argonaut.* Deorum *antiquissimum* vocat; & Virgilius 4. Georg. *Grandævum.* Tropicè sumitur pro mari præsertim *à Persio Satyr. 1.*

Et qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin.

10. Recensetur Deos inter Marinos etiam PALÆMON Athamantis, & Inûs filius, qui alia nomenclatione *Melicertes* audit. Hic patris furorem declinaturus unà cum matre, ex edita rupe in subjectum mare se præcipitem dedit; & Ambo Marini Dii sunt habiti; mutatisque nominibus, Mater *Leucothea*, seu *alba Dea* vocata fuit; creditúrque esse *Aurora*. Ille verò à Græcis *Palæmon*, à Latinis Portunus appellator, eo quia præesse portubus crederetur. Fuerunt in Palæmonis honorem à Theseo Isthmia instituta, quorum præmia erant coronæ ex pino compactæ, quæ à Palæmone vocatæ & ipsæ fuerunt *Palæmoniæ* Claudianus 8. Paneg.

Cuncta Palæmonijs manus explorata coronis
Adsit

11. Erat Isthmium unum ex quatuor sacris certaminibus, quæ universæ Græciæ concursu celebrabantur; quorum duo dicata erant Dijs immortalibus, Jovi certamina Olympia, Apollini Pythia: & totidem mortalibus, Nemæa Archemoro, Isthmia Palæmoni, ut in Epigrammate Atchiæ è Græco latinè translato liquet.

Quatuor Argivis certamina sacra feruntur
Bina hominum natis, binaque cœlitibus
Phœbo, ipsique Jovi, puero Archemoro, & Melicertæ.
Poma, oleastra, apium, præmia pinus erant.

GLAUCUS Piscator Marinam itidem fuit divinitatem expiscatus. Hic cum pisces rete captos in ripa explicuisset, & hi ex contactu cujusdam herbæ se colligentes in fluvium prosilierint; admiratus Glaucus virtutem herbæ, eum & ipse gustâsset, pisces sequutus, in aquas desiluit; marisque Deus est habitus. Alij fabulantur, Glaucum insignem fuisse Urinatorem, qui cum sæpius inspectantibus suis municipibus, se in fluvium dejecisset, diúque sub aquis moratus semper emersisset; tandem cum illis frustra expectantibus non rediret, putârunt, Glaucum Deum evasisse Marinum: hinc orta Paræmia: *Glaucus comesa herba habitat in mari.* Adagium hoc in eos torquetur ironicè, qui cum miserijs angantur, felices videri volunt. 12.

SIRENES à Poëtis finguntur esse monstra Marina, quæ superiori sui parte Virginis formam referant; inferiore in piscis caudam definant. Tres fuisse sirenes Poëtæ fabulantur, Acheloi fluminis, & Calliopes Nymphæ filias, quarum nomina fuerunt *Parthenope*, *Lisia*, & *Leucosia.* quæ cum litus Siculum incolerent, nautas illac æquora trajicientes cantus suavitate in naufragium pelliciebant Ovid. de Arte. 3. 13.

Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora
Quaslibet admissas detinuere rates

ULYSSES autem cum illac enavigaret, sociorum aures cerâ obturavit, ne insidiosos sirenum cantus exaudirent; séque navis malo jussit alligari, quo pacto periculum imminentis naufragij evasit. Sirenes verò cum se contemni viderent, doloris impatientiâ in subjectum se mare præcipitârunt. Refert Ovid. 5. Metamor. Sirenes fuisse comites Proserpinæ, eámque raptam diu quæsiisse, quam cum non invenissent, maluerunt in Marina converti monstra sursum versus virgineam formam, & postrema corporis parte piscem referentia. Voce, citharâ, & tibijs tam blandè canebant, ut cantus dulcedine nautas sopirent, sopitos demergerent, ac demersos vorarent Virgilius 5. Æneid. 14.

Jámque adeo scopulos Sirenum advecta subibat
Difficiles quondam multorúmque ossibus albos

Harum una voce; altera tibijs, tertia lyrâ canebat; primò juxta Pelorum, postea Capreas Insulas incoluerunt.

Mare procellis exæstuans fluens, & fluctuans est præsens vita; non caret illicijs hoc mare: Voluptates omnes sirenes sunt, quæ suis illecebris homines fallunt; alliciunt, ut illaqueent; blandiuntur ut mergant. Sciè Synesius 15.

nesius in Epist. ad Herculianum ait: *Audivi doctum virum, qui fabulam allegoricè exponeret, Sirenes denotare voluptates, quæ delinitos, & suavitate illarum captos paulò post interimunt*, Quod de Venereis voluptatibus à vero haud aberrat. Sirenes fuisse meretriculas aliqui perhibent, quæ ob cantus, verborúmque suavitatem advenas illicerent, & oblivionem quandam patriæ, rerúmque suarum conciliarent. Hanc vim byssinis meretricularum verbis tribuit Heliodorus *lib. 1.* inquiens de homine hisce irretito illecebris: *Verbis tanquam à Sirena quapiam delinitus*. Cavendæ sunt impudicarum illecebrarum sirenæ, quæ dum oblectant, decipiunt, & deceptos interimunt. Luxuria, quæ omnium voluptatum censetur maxima, dum carnem videtur mulcere, non mulcet, sed mordet; & rabie acta in rabiem agit, quem corripit.

16. SCYLLA marinum monstrum variè fingitur, ac pingitur. Plerique pectore tenus eam delineant venustissimam fœminam, senis tamen caninis capitibus monstrosam. Alij tamen ita illam pingunt, ut superna corporis parte mulieris, infernâ lupi speciem exhibeat. Ut ut est, liquet Phorci fuisse filiam, quæ cum mutuo Glauci amore teneretur, indignata Circe, quæ Glaucum afflictim deperibat, Scyllam sibi præferri; fontem in qua sordes corporis lavare, ac levare consueverat, noxijs infecit herbis; cujus rei ignara Scylla, fontem ingressa in caninos rictus mutatur, & Metamorphosim exhorrescens in subjectum mare se præcipitem egit, ubi in scopulum naufragijs infamem effingitur versa. Re tamen vera, est Scylla, ut ipsemet oculatus sum testis, Mons præruptus saxeus mari imminens in freto Siculo ab Italia Siciliam dirimente ex parte Calabriæ in adverso littore à turri, quæ lingua vernacula à Siculis Pharus dicitur Messanensis.

17. CHARYBDIS in eodem Siculo freto est gurges immanis in littore Messanensi non procul à portu insanis undarum voluminibus jugiter exæstuans, suisque vorticibus obviasetiam naves absorbens Virgil. 3. Æneid.

Dextrum Scyllæ latus; lævum implicata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos; & sydera verberat undâ.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris
Ora exertantem, & naves in saxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo.
Pube tenus; postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas, utero commissa luporum.

18. Est igitur CHARYBDIS gurges vorticibus nautis periculosus in freto Siculo, ubi Marini fluctus contrarijs cursibus unà collisi disrumpuntur, trahúntque in diversa naves illàc transcientes: nusquam aliàs tam torrens fretum, & non solùm citato impetu, verùm etiam sæviori æstu procul visentibus terribile, ac terrorem incutiens: undarum inter se collidentium tanta est pugna; ut aliæ veluti terga dantes vorticibus in imum descendere videantur; & aliæ quasi victrices in sublime ferri ovantes, quibus ad cumulum triumphi technicos, festivósque ignes videntur suppeditare conterminí montes Ætnæ, ac Æolidum Insularum crebrâ displosione pyrobolos ejaculantes decumanos.

Habet Luxuriæ Mare sua brevia, suósque scopulos; habet libidinis fretum suas voragines, suásque Scyllas, & Charybdes: est libido sæva Charybdis, quæ sectatores suos per vortices ducit, & absorbet. Cavenda hæc charybdis, quæ non corporis modò navigium exsorbet; sed & mentis, animæque navim; quò illa plus blanditur, eò tetriùs sævit, cui adnectitur naufragio infamis Scylla; ita monet peritus Nauclerus S. Hieronymus *Epist. ad Heliodorum* inquiens: *In illo æstu Charybdis luxuriæ salutem vorat scylla, seu renidens libido blanditur*. Qui hæc inter discrimina tutus? Quis has inter voragines circumactus naufragium non timeat? Qui tot circumseptus scopulis collidi non expavescat? Libidinem pulchrè pariavit Scyllæ Poëta 19.

Hic succincta canes ubi scylla regurgitat undas
Ah! ne tu simili sorte libido roret.

Impudica quævis fœmina sæva est Charybdis, scortis enim vorat, quos blanditijs allicit: hæc est ejus fraus per circuitus blandarum vocum pellicere; dulcia mortem inferentibus commiscere, ut veneno perimat mellis dulcedine deceptos: obsessa semel pectora mollissimis seductionibus decipit; circuitionibus irretit, & gurgitis hiatu devorat; hinc Horatius

———Ah miser!
Quanta laboras in Charybdi.
Digne puer meliore flammâ.

Anaxiles apud Athenæum *lib. 3.* monstris, & feris fœminam conferens; Scyllæ itidem, & Charybdi eam parem fecit, inquiens: *Neque Draconem, neque Chimæram flammivomam, neque Charybdim, neque tricipitem scyllam, Ponticam Canem, neque Sphingem, Hydram, leænam, viperam; neque volucres Harpiarum genus, neque ullam demum bestiam diritate sua conferri potest cum impudica fœmina*. Charybdis meretrix est, quæ omnia absorbet nunquam expletur: plura semper appetit, licèt omnia objecta devoret, ac deglutiat; bona omnia abligurit non bona mulier; meretricia voracitas Charybdis est gurges rebus inhians, quas devoret. Non in solo Siculo freto vorat Charybdis, quos ad se alliciendo trahit; sed etiam domi Charybdim habet, qui mulierem alit impudicam; hæc enim plerunque totius domûs substantiam, bona omnia, opes singulas absumit, nunquam satur, nunquam plena. Vident plerique domestica hac Charybdi absorberi opes omnes; & tamen non solas gazzas; verùm & corpus, mentémque patiuntur hac satanica voragine sepeliri. Mulierem perinde ac Charybdim homines absorbere non diffitetur Philostratus *Epist. ad uxorem scribens*: *Quænam hæc nova corporum pigneratio? quæ tyrannis? Ducis me aspectu, & trahis nolentem; quemadmodum navigantes Charybdis absorbeat: Erant ergo, & amoris luxus, & oculorum venti, quibus si quis semel implicatus sit, demergitur. Hoc igitur ne Charybdis quidem potuit: flati temporis erat naufragium, & si* 20.

quis paulisper sustineat, salutis copiam adipiscitur, arbore reperta in medio pelago, qui verò in hoc mare semel delatus est, huic exitus imposterum non patet. Fugienda est impudica fœmina, declinanda hæc Charybdis, si fugis, ipsa fugit: verus ille.

Cede, Venus cedit: si stas magis impia lædit;
Si fugias Veneris prælia, tutus eris.

EXPENSIO XII.

Eruuntur ab inferis, quæ de dijs Inferis fabulosè dicuntur.

1 AVernum Inferorum regnum ingredimur tartareas lustraturi umbras, non nisi tetrum spirantes horrorem, terrorésque incutientes illuc accedentibus. Arcent, quæ illic obversantur oculis, non homines tantùm, sed & ipsas aves. Quippe dicitur *Avernus* quasi *avibus carens*; vel quia aves supervolitantes gravi loci odore correptæ cadant exanimæ; vel quia sulphureæ exhalationes conterminũ aëra adeo extenuant ut aves sustinere nequeant, neque il ucavolare. Averni fauces describit Virgilius 6. Æneid.

Spelunca alta fuit, vastóque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorúmque tenebris:
Quam super haud ullæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis; talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:
Inde locum Graii dixerunt nomine, Avernum.

2 Rursus describens loci illius incolas, & monstra, tormentorúmque genera subdit.

Luctus, & ultrices posuere cubilia curæ:
Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus
Et metus, & malè suada fames, & turpis egestas
(Terribiles visu formæ) Lethúmque Labórque
Tum consanguineus Lethi sopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferúmque adverso in limine bellum
Ferreique Eumenidum thalami, & discordia demens,
Vipireum crinem vittis innexa cruentis.

3 Primus, qui Avernum ingredientibus venit obviam est senex cadaverosus, squalidus sordidus incultus, cui barba intonsa ad pectus depluit, facies rugatur, caput tremit, dentes putrescunt, corpus incurvescit. Hic tristis, querulos, morosus, austerus, pertinax cymbâ remo actâ obviat illuc accedentibus: est autem senex iste squalidus Inferorum Portitor, cui nomenclatio per antiphrasin est *Charon*, quasi *Acharon*, seu sine gratia, quia nemini indulget, in omnes severus. A Poetis fingitur animas defunctorum per terna Inferni flumina Acherontem, stygem, & Cocytum ad aliam ripam transvehere. Hinc orta paræmia de re summè tristi *Charontis janua*; vel de imminenti vitæ discrimine. Refert Hesychius, Charontis januam dictam à priscis hominibus fuisse unam è carceris ianuam, per quam damnati Judicum sententiis ad supplicium ducebantur. CHARON igitur mortuorum animas turmatim ad litus confluentes naviculâ remo actâ transvehit ad ripam alteram, & indiscriminatim reges, principes nobiles, plebeios, doctos, indoctos, Horatius, *lib. 2 ode 14.*

Charontis unda scilicet omnibus
Quicumque terræ munere vescimur
Enaviganda sive Reges,
Sive inopes erimus coloni.

Cui adstipulatur Ovidius alio metro, non aliâ sententiâ.

Fata manent omnes, omnes expectat Avarus
Portitor, & turbæ vix satis una ratis.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam:
Omnia sub leges mors vocat atra suas. 5

Vocat Ovidius CHARONTEM portitorem *avarum*, quia neminem transvehit cymbâ nisi priùs soluto vectoræ pretio exigens, à singulis ad minimum unum, vel alterum obolum. Eleganter Virgilius *6. Æneid.* describit Charontem transvehentem mortuorum animas per inferorum flumina.

Portitor has horrendus aquas, & flumina servat
Terribili squalore Charon, cui plurima mento
Canities inculta jacet: stant lumina flamma.
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat.
Et ferrugineâ subvectat corpora cymbâ 6
Jam senior, sed cruda Deo, viridisque senectus.

Plerique poëtarum quatuor recensent Averni flumina, per quæ Charon animas transvehit, *Acherontem, Stygem, Cocytum,* & *Phlegetontem*, Acheron accedentes animas excipit. Fingitur *Acheron* ex Cerere natus in specu absque patre; qui cum lucem sustinere non posset, defluxit in inferos, mutatus in fluvium amarissimum, quem Poëtæ usurpant pro Inferis Virg. *7. Æneid.*

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo

STYX Græcis mœstitiam sonat: hinc sumpta occasione Poëtæ Stygem paludem esse apud Inferos dixerunt; apud superos in ea veneratione habitam, ut nefas ducerent, quidquam eorum, quæ per Stygem jurâssent, non observare. Si quis Deorum violâsset, centum annis à nectare abstinebat, Numinisque majestate erat privatus Virgilius 6. Æneid.

——————Stygiámque paludem 8
Dii cujus jurare timent, & fallere Numen.

COCYTUS latinè luctus dicitur fingitúrque, apud Inferos fluvius à styge profluens, strepitu lamentabili; fluxúque gemente, damnatorum gemitus imitante Virgilius 6. Æneid. 9

Cocyti stagna alta vides, stygiámque paludem.

PHLEGETHON fingitur quartus inferorum fluvius flammis æstoantibus rapidus; undis enim tumet igneis, flammeósque fluctus evolvit Virgilius 6. Æneid.

Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis 10
Tartareus Phlegethon torquétque sonantia saxa.

Transvectæ defunctorum animæ per hos Tartareos fluvios ad regiam rapiebantur *Plutonis*, cujus in atrio excubare fingebatur *Cerberus*, qui à Poëtis describitur canis triceps, Inferorum custos; quem ab Hercule catenâ ab inferis extractum fabulantur, Virgil. Æneid.

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro.

PLUTO Saturni filius ex ope conjuge, & frater Jovis, atque Neptuni, cum ad regni par- 11
titionem cum fratribus accessisset, fabulantur

Poë-

poëtæ, Jovi obtigisse plagam orientis; Neptuno pelagi Insulas, & Plutoni natu minimo partem occidentalem, secus inferum mare. Hinc datus est locus fabulæ: Jovi Imperium cœli; Neptuno maris; & Plutoni Inferorum obtigisse. Dicitur PLUTO à divitiis, eò quia opes omnes ab inferis, seu intimioribus terræ visceribus eruantur: id causæ est, cur poetæ latini DITEM eum vocent; quia ut ait Cicero 2. *de natur. Deor.* Terrena vis omnis, atque natura Diti patri dedicata est, quia recidunt omnia in terras, & oriuntur è terris: alio nomine Pluto vocatur *summatus*, quasi summus deorum Manium, qui sepulcrorum, honorúmque funebrium, qui mortuis impendi solent usum induxit; hinc creditur in mortuos exercere principatum. Vocatur etiam Orcus, quasi urgus ab *urgendo*, quia omnes in interitum urgeat. Sedet autem *Pluto* in solio tenebricoso utrinque umbris ad obsequia se moventibus stipatus; deatrâ non sceptrum, sed clavem gerit; sinistrâ feralis ramum cupressi; diadema, quoco ronatur ex cupresso est intextum. Peplum Narcissi flore acu pictum est illi pro regio paludamento. Est Narcissus flos Plutoni in deliciis; eò quia Proserpina hunc florem carperet, quando à Plutone rapta fuit. Clavem pro sceptro gerit, quia semel ingressis ejus regna mortuis nullus ampliùs patet regressus; foribus enim obseratis, nemini claves concredit; sed ipsemet servat. Virgil 6. Æneid.

Facilis descensus Averni;
Sed revocare gradum, superásque evadere in auras
Hoc opus, hic labor est.

11 PLUTUS sicut nomine, ita etiam re est *Plutoni* perquam affinis. Fingitur *Plutus* à Græcia Deus divitiarum, quas natura parens in intimis terræ visceribus non procul à tartareo regno generat; quasi nulla sit ad inferos via compendiosior illâ divitiarum, nulla procursior, quàm divitiis inhiare, easque quærere, & congerere. Ad Plutonis regna, æternásque flammas viam divitiæ sternunt, emolliúntque, & possessores suos ad tartara comitantur. Locus ipse unde aurum eruitur ad inferni flammas vocat auro inhiantes; ad terræ viscera intimiora pertinent auri mineræ; hinc aurum ad locum ssndens nativum secum faciliùs rapit suos possessores, à se tamen priùs possessus. Suas divites cum dite sedes habent; Inferorum ignem timeant, qui cum Inferorum Præside tantam sibi cognacionem usurpant; scitè S. Ambrosius divites parians Diti inferorum Numini *lib. de stab. cap. 6.* ait: *Ipsum nomen considera, Ditem dicunt gentiles Inferorum præsulem, arbitrum mortis, Ditem appellant, & divitem, quòd nisi mortem dives inferre non noverit, cuj regnum de mortuis, cuj sedes inferi sunt? quid est enim dives nisi quidam inexplebilis gurges divitiarum, inexplebilis auri fames?* Finxerunt poetæ *Plutum* Deum divitiarum orbatum oculis, claudum in accessu, alatum, & pernicissimum in recessu, natura timidum, judicij expertem: sed quàm scitè fingitur cæcum Numen illud, quod viros probos persæpe non videt, neque considerat merita in distributione divitiarum, quibus plerumque improbi cumulantur: accedens claudicat, quia opes non nisi seriùs, ac diuturno labore comparantur: recedens alas explicat; quia opes partæ, & congestæ nisi frugaliter dispensentur, velocissimè dilabuntur: fingitur Plutus etiam timidus, quia ditescentes non sine metu suis excubant opibus, quas sollicitè custodiunt.

PROSERPINA Jovis ex Cerere fingitur filia; 12
quæ cum in campis Lunæis (locus est amœnissimus in Siciliæ meditullio, qui propterea umbilicus Siciliæ dicitur) unà cum alijs lectissimis puellis flores legeret, Pluto, cuj nulla dearum ob corporis turpitudinem voluit nubere; ex ijsdem Virginibus Proserpinam formâ cæteris præcelleatem, animique præstantiâ insignem rapuit, sibique delegit in uxorem; & abreptam secum asportavit, & non longè à Syracusis per patentem hyatum penetravit sub terras, & locus inde emersit, in quo Syracusani quot annis dies aliquot festos agere consueverunt in honorem raptæ Proserpinæ, ut testatur Cicero *6. in Verrem.* Timore perculsæ reliquæ Nymphæ ob raptam à Plutone Proserpinam se fugæ dederunt in partes diffitas. Cúmque accederet Ceres, filiámque raptam quæreret, nec ullo posset in loco invenire finitimo Lunæis illis campis, tædas accendit ignibus, qui ex Æthnæ hiatu foras erumpunt; quæritque per singulas mundi partes Proserpinam; de cujus tandem raptu certior facta ab *Arethusa* Nympha, vel ut alijs placet à *Cyane*, ira exardescens petijt à Jove, ut communem filiam ab inferis sibi revocare liceret: idque impetravit, sed ea lege, dummodo Proserpina nihil ibi apud inferos gustâsset; quia verò *Ascalaphi* judicio palam factum fuit, aliquot mali punici grana illam gustâsse, omnis spes reditûs fuit illi interclusa; quod cum ægrè tulisset Proserpina Ascalaphum fœda metamorphosi commutavit in bubonem nocturnam avem tristium semper rerum ingratissimam prænuntiam. Ceres tamen cum precibus non desisteret Jovem delinire, ac flectere in sua vota; randem fertur impetrâsse, ut Proserpinæ senis quot annis mensibus secum apud superos; totidémque apud Inferos cum marito esse liceret Ovid. lib. 5 metam.

Et Dea, regnorum Numen commune duorum
Cum matre est totidem, totidem cum conjuge menses.

Hoc Poëtarum commentum Mythologi ad Lunæ transferunt naturam, quæ sub inferiori hemisphærio delitescens tantumdem temporis nobis occultatur, quantum fit in superiori nobis conspicua Virgil. 1. Georg. 13

Quamvis Elysios miretur Græcia campos
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem

Alij per *proserpinam* intelligunt terræ fœcunditatem; vel semen, quô fœcundatur; quod hyeme sub terra latet; æstate verò foras erumpit, ac *proserpit*, à quo *Proserpinam* suam videtur nomenclationem traxisse; ac dici mediam anni partem habitare in inferis; alteram apud superos. Non desunt, qui putent *Hecaten* eandem esse cum Proserpina. Fingitur HECATE Jovis, & Latonæ filia soror Apollinis, quæ & Diana dicitur; & à Virgilio Deo tergemina 14

quia

quia in cœlo crederetur esse Luna; in terris Diana; apud Inferos Proserpina, dicta *Hecate* quia centum victimis placaretur; vel quia centum annos jubeat insepultos errare. Alij putant *Hecate* monstrum fuisse triceps, capútque dextrum habuisse equinum; sinistrum caninum; medium suis agrestis. Ovidius 9. metam. *Túque triceps Hecate.* Veteres cœnam perparcam, & impendiò frugalem per paræmiam *Hecate cœnam* vocârunt, eò quia apud Inferos tenuissimo victu, minimóque cibo, eóque vilissimo viveret. Hinc Hecatombe fuit sacrificij genus, in quo centenæ unius generis mactabantur victimæ, ut centum oves, centum boves; in sacrificio verò Imperatoris centum leones, centum Aquilæ.

15. Plutonis administræ fingebantur tres Parcæ, quarum nomina erant *Clotho*, *Lachesis*, & *Atropos*, quas Cicero Erebi, & noctis fuisse filias scribit; imò & easdem cum Fatis; unde habetur illud Cleanthis: *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.* Vocantur Parcæ vel à partu ut placet Varroni, eò quia nascentibus hominibus bona, vel mala conferre censeantur: vel a Parcendo per *antiphrasin*, quia nemini parcant. Horatius l. 2. Ode. 3.

Divésne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, & infima
De gente sub dio moreris
Victima nil miserantis Orci.
Omnes eôdem cogimur: omnium
Versatur urna: Serius, Ocyus
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

16. Finguntur Parcæ vitæ hominum præesse, ac nendo eam ducere. Idque causæ, cur à Poetis sorores lanificæ vocentur Martialis lib. 6.

Si mihi lanificæ ducunt non pulla sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista Deos.

17. Clotho dicitur à verbo *neo*, Clotho enim colum gestat, & nendo stamen ducit: Lachesis fusum versat: Atropos filum forfice incidit. Tres Parcæ ait Apuleius tria fata sunt numero cum ratione temporis facientia, si potestatem earumdem, ad similitudinem ejusdem temporis referamus: quod enim in fuso perfectum, ac absolutum est, rationem habet præteriti temporis; quod torquetur in digitis speciem præsefert temporis præsentis; quódque nondum ex colo tractum est, subactúmque cura digitorum tempus futurum videtur designare. Hinc Parcæ dicuntur habere fati nomen, & ideo sunt ternæ numero. Est autem *Fatum*, ait Tullius, *De Fato, & 1. de Divinit.* id omne quod à Deo constitutum, & designatum est, ut eveniat: seu ut loquitur Chrysippus: est sempiterna quædam, & indeclinabilis rerum series, & catena se se voluens, & implicans per æternos consequentiæ ordines, è quibus connexa est. Unde Parcarum munus est fatale exercere lanificium; nósque monere nostram conditionem, ac mortalitatem; nam ut scitè ille

Ecce sumus pulvis, sumus ecce miserrima tellus,
Et nostri fugiunt, ut levis aura, dies,
Solvimur ut nebulæ, surgens, ut in aëra fumus,
Et veluti solvi sole pruina solet
Carpimur, ut stipulæ rapido carpuntur, ab igne:
Nil nisi vivendo somnus, & umbra sumus.
Unde igitur fastus venit, unde superbia nobis?
Quos Fatum, præter tot mala, triste rapit.

Parcis famulantur *Furiæ* trina Erebi mon-
stra fœmineo quidem, sed horribili vultu ad 18.
terrorem incutiendum; armantur accensis facibus; anguibus colla, humerósque verberantibus. Dicuntur noctis, & Acherontis filiæ, quarum nomina sunt Alecto, Tisiphone, & Megæra: dicuntur Furiæ, quia homines sceleratos in furorem agunt: finguntur virgines, quia cum sint malefactorum ultrices corrumpi nequeunt, quominus meritas reposcant pœnas: vindicant enim, ac torquent impios, quos perterrent, tædisque ardentibus insequuntur. Virgilius 12. Æneid.

Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ,
Quas & tartaream, nox intempesta Megæram
Uno, eodémque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosásque addidit alas.

Servius putat esse dicendas *Divas* in cœlo,
Furias in terris, *Eumenides* apud inferos: vo- 19.
cantur etiam canes à Virgilio lib. 6. Æneid. *visæque canes ululare per umbram;* ut etiam à Lucano 6. Pharsal. *Stygiásque canes in luce superna Destituam.* Furiæ tamen ab Atheniensibus *Eumenides* dicebantur, quasi placabiles, & benignæ; ipsisque Fanum construxerunt, & sacrificijs, cæsisque hostijs stato tempore litârunt. Iisdem in Latio fuit dicatus lucus *Furinæ* dictus. Munus furiarum est in scelerum cognitione, ac vindicta, & in animorum sibi malè consciorum exagitatione versari; idque causæ, cur apud Euripidem in Oreste Deæ speculatrices vocentur Virgilius 3. Æneid.

——Et scelerum furiis agitatus Orestes
Excipit incautum patriásque obtruncat ad aras

Cicero pro Roscio Amerino, ait Furiarum nomine à Poëtis nihil aliud significari, quàm animum sibi malè conscium, & scelerum scientijs, veluti quibusdam stimulis exagitatum; adeout impij non Furiarum verberibus, nec flammantibus tædis, sicut est in fabulis exterreantur; sed angore conscientiæ torqueantur.

Nox itidem fingitur apud Inferos Dea 20.
antiquissima è Chao in lucem edita, si tamen luce digna censenda est, quæ luci adversatur; neque ullo fœdere potest eidem copulari; imò & Erebus censetur inferorum pater; atque ex nocte, & Erebo nasci mortem atris alis, stellato peplo; cui Poëtæ ideo nullum construxerunt templum; neque ulla instituerunt sacrificia, quia mors inexorabilis est, nec ullis flectitur precibus, nec sacrificijs delinitur, nec hecatombis, hinc Virgilius.

Desine fata Deûm flecti sperare precando
Stat sua cuique dies; breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ

Et Horatius indicans inexorabile Fatum lib. 4. Ode 7. cecinit

Cum

Cum semel occideris, & de te Te splendida Minos
Fecerit arbitria:
Non, Torquate genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
Quæ dederis animo.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum.

21. Mortis frater SOMNUS est homescentibus instructus alis, cujus Regiam ingressa Iris Junonis nomine perurbanè salutat apud Ovidium 15. Metamor.

Somne quies rerum, placidissime somne Deorum
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministerijs mulces, reparásque labori

Virgilius 6. *Æneid.* describens hanc somni Regiam binas recenset portas, quibus somnia emittuntur.

Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, quâ veris, facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens Elephanto,
Sed falsa ad cælum mittunt insomnia Manes.

22. Somni minister fingitur MORPHEUS, qui heri jussu quoscunque hominum vultus fingit, imò verba, & mores, ac gestus imitatur; ut propterea omnes dicatur formas induere Ovid. 11. Metamor.

Excitat artificem, simulatorémque figuræ
Morphea.

Suos & Regiæ Plutonis tribuerunt Poëtæ judices ternis adstantes Parcis, totidémque Erebi Furijs flammantes tædas agitantibus ad terrorem damnatis incutiendum; suntque hi terni Judices *Minos, Æacus, Rhadamantus,* qui ob laudem prudentiæ, æquitatis, & scientiæ, quâ floruerunt apud Cretenses, animarum hinc decedentium fuerunt judices constituti. MINOS Jovis, & Europæ fingitur filius, Rexque Cretæ, qui primus Cretensibus æquissimas dedit leges. Hic cum haberet uxorem *Pasiphaën*, & illa ex tauro genuisset Minotaurum, Dædalum quòd bovem ligneam fabricasset, sub qua latens cum tauro uxor concubuerat, persecutus, in Siciliam pervenit, ubi à Cocali Regis filiabus est interfectus; & apud Inferos ob insignem justitiam Judex delectus Virgilius 6. Æneid. *Quæsitor Minos urnam movet.* ÆACUS Jovis, & Æginæ filius, primum Insulam, in qua regnavit Æginam à matris suæ nomine vocatam voluit, cum antea diceretur Oenopia, ut censet Ovidius lib. 7. Metamor.

Oenopiam veteres appellavere sed ipse
Æacus Æginam genitricis nomine dixit.

23. Hunc tantæ justitiæ fuisse ferunt, ut etiam apud inferos à Plutone deligeretur in animarum judicem, ut sceleratorum peccata discuteret, ac promeritas pœnas inferret. RHADAMANTUS Jovis ex Europa filius Rex Lyciæ, justitiæ cum fuerit severus executor, fingitur à Poëtis apud Inferos nocentum explorare culpas ut innuit Virgilius 6. Æneid.

Gnossius hæc Rhadamanthus habet durissima regna
Castigátque, auditque dolos, subigitque fateri,
Quæ quis apud superos furto lætatus inani
Distulit in seram commissa piacula mortem.

Judicandi autem munus ita *Pluto* partitus est *ex Plat. in Georg.* ut Asianos Rhadamantus, Æacus Europæos judicarent, tenerêntque ambo baculum. Minos verò sceptro insignis aureo solus sederet, discuterétque ut supremus judex Æaci, & Rhadamanti judicia; ut si quid inter eos ortum esset ambigui, decisione solveretur.

24. Sicut improbi patrata scelera promeritis, & æquissimis luebant pœnis; ita innocentes, ac virtutum cultores suis donabantur præmijs: erátque pro ipsis apud inferos locus, voluptatibus, ac delicijs affluens; seu *campi*, qui dicebantur *Elisii à solutione*, eò quia animæ proborum hominum corporeis solutæ vinculis loca illa peterent, postquam purgatæ essent à levioribus noxis; quas cum inter mortales viverent, contraxerant. Fingebatur à Poëtis locus ille regio amœnissima, situ præcelsa, specie elegans, bonis opulenta, delicijs affluens, in cujus meditullio pulcherrimum pratum perpetua luxurians viriditate in latam expatiaretur planitiem viretis amœnam, florum varietate discolorem; & circa illud, nemus omni arborum specie ad singularem elegantiam consitum, umbras discumbentibus suppeditans placidissimas, quibus stratum substernerent lascivientes flores: cuncta ministrarent efflantes zephiri, ac tepentes favonij præter vinum, quod discumbentibus non miscent; quia eo non indigeant nectare potati. Fontes ibi fingebantur pellucidis discurrentes laticibus, qui sinuosis flexibus, ac mæandris felicia arva perennibus fœcundarent humoribus. Unum ex Elisiorum incolis fuisse Æneam, fatetur ipsemet apud Virgil. *6. Æneid.*

Quisque suos patitur manes; exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus

Hæc arva eleganter describuntur a Virgilio subdens

Devenere locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos æther, & lumine vestit
Purpureo, solémque suum sua sidera nôrunt.

25. Fluvius itidem fingebatur apud inferos, cui nomen Lethe ab oblivione sumptâ nomenclatione; eò quia si quis pellucidos ejus gustâsset latices præteritorum omnium oblivisceretur. Ubi enim sæculis pluribus defunctorum animæ in Elysiis campis fuerant commoratæ epotis Lethæis laticibus reverti ad superos credebantur, atque in recentia transmigrare corpora. Quod ut libenter præstarent, necessum fuerat; ut non solùm voluptatum, quas in campis Elysiis perceperant oblivíscerentur; verùm etiam malorum omnium, quæ perpessæ fuerunt cum inter mortales viverent. Unde Virgilius 6. Æneid.

——— *Animæ quibus altera Fato*
Corpora debentur Lethæi ad Fluminis undam
Securos latices, & longa oblivia potant.

(o)

T EXPEN-

EXPENSIO XIIII.

Exbibentur monstra Tartarea, & damnatorum tormenta, quæ Poëtæ fuerunt commenti.

1. PLura fabulantur in stygia palude horrenda monstra, terrorem solo intuitu accolis umbræ tartareæ incutientia. Præ cæteris recensentur CENTAURI Thessaliæ populi secus Pelion montem habitantes, qui primi equi fræna injicere, eósque domare cæperunt; atque ex ijsdem pugnare, illis insidentes, quos contermini accolæ cum primùm eos vidissent equitantes, putârunt, illos membra superiora humana habuisse; equina inferiora, quasi equi quid unum essent cum insidentibus ijsdem. Fabulantur Poëtæ: Ixionem à Jove Deorum immortalium mensæ adhibitum, & Junonis amore captum eam de stupro interpellâsse, quod cum illa viro suo indicâsset, Jovem Ixioni nubem subjecisse in Junonis imaginem transformatam; eámque pro Junone compressisse, & ex ea *Centauros* genuisse, inde *Nubigenos* dictos. Huic fabulæ ansam præbuisse creditur oppidum quoddam; cui nomen nubes apud Thessalos, ubi creduntur habitâsse Centauri. Hi cum in nuptijs Pirithoi vino maderent, & sponsam rapere conarentur à Theseo, & Lapithis partim cæsi fuerunt, & partim in fugam acti: hinc orta parœmia *mens non inest Centauris*, & torquetur in vecordes nitentes id efficere, quod non valent: vel etiam in appetentes rei alienæ; quam minimè assequuntur. *Centauri* fuerunt etiam dicti *Hippocentauri*; eò quia equis insidentes, boves œstris agitatos stimulis ad tecta direxerint. Ex Centauris celebriores fuerunt *Chiron, Eurytus, Amycus, Gryneus, Rhœtus, Arneus, Lycidas, Medon, Pisenor, Cameas, Mermeros*, & *Pholus*, qui dicitur Herculem hospitio suscepisse Lucan. lib. 6. *Hospes & Alcidæ magni Phole.* Centauros à Baccho victos describit Virgilius *lib. 2. Georg.*

2. GERION fingitur fuisse Rex trium Insularum, quæ in Iberia Baleardes dicuntur, ac interfectus ab Hercule, cujus etiam boves abstulit. Hunc tricorporem, & tergeminum esse fingunt, quia præfuerit tribus illis præfatis Insulis adjacentibus Hispaniæ. Fingitur etiam bicipitem habuisse canem, quia terrestri æquè, ac navali prælio plurimum valuit.

3. HARPYÆ finguntur fuisse Ponti, & terræ filiæ, maris Insulas incolentes, propriam trahentes nomenclationem à verbo *rapio*, eò quia rapinis, quibus assueverant, viverent, corpore volucri, vultu virgineo, manibus aduncis, quas describit Virgil. 3. Æneid.

At subitò horrifico lapsu, de montibus adsunt
Harpyæ, & magnis quatiunt clangoribus alas;
Sive Deæ, seu sint Diræ, obscœnæque volucres,
Tristius haud illis monstrum est, nec sævior ulla
Pestis, & ira Deûm, stygiis se se extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida semper
Ora fame.

Alij Harpyas dixerunt Neptuni filias, quia fere prodigiorum omnium pater sit; quia ut opinatur Thales Milesius, omnia ex humore procreantur: unde orta parœmia *Neptuni filij*; dicitúrque de illis, quorum ignoramus parentes. Alij putant HARPYAS fuisse filias Thaumantis, & Electræ; quas Virgilius tres esse dicit *Ællo, Ocypetem, Celæno*; quarum postremam Homerus *Podargen* vocat; & ex ea progenitum zephyrum ventum. Hesiodus verò duas tantùm Harpyas nominat Ællo, & Ocypetem. Virgilius 3. Æneid. 4.

——Strophades Graio stant nomine dictæ
Insulæ Jonio in magno: quas dira Celæno
Harpiæque colunt aliæ.

GORGONES a Poëtis finguntur tres Phorci, Cætique filiæ, quarum nomina *Medusa, Sthenio*, & *Euriale*; quibus caput erat non capillis, sed viperis una implexis horridum; quo tantum terroris intuentibus incutiebant, ut in saxa illicò rigescerent. Dicuntur hæ sorores habitâsse Dorcadas Insulas in Oceano Æthiopico sitas; & nomenclaturam trahere à Truculentia. Alij putant *Gorgadas* Insulas tenuisse, & inde *Gorgonides* dictas. Medusæ crines cum antea auri colorem referrent, plurimúmque præseferrent venustatis; & quibus maximè Amasio suo placuerat in horrificos angues Minerva mutavit; eísque vim indidit, quâ omnes eam aspicientes in lapides verterentur. 5.

LAMIÆ à priscis Poëtis mulieres putabantur, vel verius dœmonum horrifica quædam phantasmata; quæ formosarum puellarum venusta specie assumptâ pueros, & adolescentes blanditijs illectos vorare credebantur. Hæ cum foris essent oculatissimæ, ut aliena curiosiùs pervestigarent; domi prorsus cæcutiebant. Horat. 1. carmin. 6.

Neu pransæ Lamiæ puerum vivum extrahat alvo 7.

Philostratus in Apollonio ait, Lamias à quibusdam *Larvas* appellari, & *Lemures*; à nonnullis etiam *Empusas* unum habentes oculum, unúmque dentem, quo uterentur cum domo exirent; & domi illum in vasculo reponerent. Facies Lamijs erat mulieris, ut etiam pectus, & mammæ; inferiores corporis partes erant squammis obsitæ, ac in caudam desinentes serpentis. Dicuntur homines devorâsse fraude circumventos: siquidem nudato pectore, uberibúsque detectis, demissis præ pudore oculis ad confabulandum alliciebant, & proximè accedentes involabant in fauces, & suffocatos crudelissimè laniabant. Plura de Lamijs habet Cœlius Rhodiginus *lib. 29. cap. 5.* qui plura desiderat, ipsum consulat.

CHIMERA aliud apud Inferos horrendum monstrum terrores solo aspectu incolis, tartarei antri incutiens, caput fingitur habere leonis, flammas, tetrúmque fumum hiante evomens ore, pectus itidem leoninum; ventrem capræ, & caudam horrendi Draconis, de qua Lucretius 8.

Prima leo, postrema Draco, media inde capella.

Unico versu singulas recenset hujus tartarei monstri distinctas partes, quas Ovidius 6. Metamor. describit bino carmine 9.

Quo-

Quoque Chimæra jugo, mediis in partibus Hircum Pectus, & ora Leo, caudam draconis habebat.

10. Est *Chimæra* Mons Lyciæ ignivomus, in cujus cacumine leones dicuntur inhabitare; in sinu, ac medio cum pascuis abundet greges pabulantur caprarum; ad radices verò stabulancur humi repentes serpentum turmæ, venena spargentes. Hinc datus locus fabulæ, Chimæram, monstrum esse flammas evomens, caput, & pectus leonis habens, ventrem capræ, caudam draconis. Et quia Bellerephon Glauci filius primus omnium dicitur hunc incoluisse montem, atque habitabilem reddidisse; finxerunt Poëtæ, Chimæram à Bellerephonte occisam; eò quia nullum incolis montis illius adferret damnum. *Chimæram præferre* paroemia habetur, quæ in eos torquetur, qui minimè suo funguntur munere, sed alieni sunt à proprio instituto; & monstruosa varietate laborant, varios mores induentes, varios hominum status referentes. *Chimæris pasci* itidem quodam adagij sale de iis dicitur, qui mente magna moliuntur, quæ tamen nunquam consequi valent.

11. Sphinx juxta Poëtarum commenta monstrum itidem fingitur horrendum ex Typhone & Echidna genitum; cujus caput, facies, & manus blandæ puellæ similitudinem referebant; corpus canis, alæ avis, vox hominis, ungues leonis, cauda draconis. *Sphinga* nomenclatio a *constringendo*, vel *vinciendo* originem trahit; eò quia prætereuntes ita stringeret suis quæstionibus, ut se ab illis extricare non possent. Ait Lactantius, sphinga monstrum fuisse, alas, & ungues habens instar Harpyarum, quod scopulo insidens publicæ imminenti viæ insolubilia ænigmata prætereuntibus proponeret; & quotquot dissolvere non valerent unguibus in frusta discerperet: ænigma erat illud: *Quodnam animal mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes esset*: cujus ænigmatis nodum ita *Oedipus* dissolvit, ut hominem esse diceret, qui à cunis, fasciisque solutus in infantia manibus, ac pedibus repens quadrupes est; ætate procedente, cum incipit adolescere, fit bipes, eò quia nullo alio incedens nitatur adminiculo, quàm pedum: ingravescentibus mox annis assumpto scipione gradicur tripes: quam solutionem Sphinx tam ægrè tulit, ut se statim de editiori scopuli fastigio præcipitaverit. Hinc ortum adagium: *Davus sum, non Oedipus*, eò quia Oedipi ingenium in scitè proponendis, simulque dissolvendis ænigmatum scyrpis claruerit; adeout in proverbium abierit ejus nominis appellatio; & ad solvendam difficultatem extricatu perdifficilem per paroemiam dicimus nos indigere Oedipo, seu viro sapiente, qui scyrpum dissolvat; unde *Davus sum, non Oedipus*; perinde est, ac propriam prodere insufficientiam. *Davus* in comoedijs nomen est servile; adeout *Davus* perinde esset, ac servus, & homo hebes nullius ingenij. Horatius de Arte Poëtica ad Pisonem vers. 114.

Plurimum enim intererit Davúsne loquatur, an Heros

Est itidem in proverbiis *Oedipi imprecatio*: 12. De tragicis, & ingentibus malis. *Eteocles*, & *Polynices* de more patri ex unoquoque sacro partem anteriorem mittere consueverant. Cum verò per imprudentiam coxam misissent; ille existimans id non ex inconsideratione, sed contumeliæ causâ factum, imprecationibus diris eos est execratus.

Tormenta, quæ Poëtæ apud inferos fuerunt commenti exhibentur in celebrioribus damnatis. Plures enim a Poëtis finguntur ob patrata flagitia apud inferos dirè torqueri, inter quos Tantalus Jovis ex Plote nympha filius, Agamemnonis, & Menelai avus. Hic cum Deos convivio excepisset, eorundem exploraturus divinitatem, Pelopem filium membratim discerptum, coctúmque in plura fercula eisdem appoluit comedendum. Illi verò a netandis epulis abstinuêre, unâ exceptâ Cerere, quæ pueri humerum ad famem explendam devoravit; pro quo alij Dij eburneum humerum restituerunt; & revocata per Mercurium ab inferis anima, *Pelopem* ad vitam revocârunt; à quo postea, & *Hippodamia* conjuge nati sunt *Astreus*, & *Thyestes*, quorum iste exulare jussus, eo quia Atrei uxorem compressisset, aliquanto post ab exilio ad domesticos lares revocatus, Atrei opera, filios ex adulterio susceptos lancibus illatos in communem mensam comedit: cujus facinoris horrore Sol fertur retrocessisse, ne spectator esset nefandi convivij, reflexo ad auroram cursu. Tantalus nepotibus scelestior adactus ad tartara, huic addictus est supplicio, ut perpetua fame, ac siti torqueatur; Eridani fluvij aquis, & pomis, quæ capiti ejus imminent, allicientibus, simúlque fugientibus; coactus à cibis ori proximè admotis abstinere dentes; & à pellucidis laticibus mentum abluentibus detrahere labra siti arescentia Ovidius 13.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

Hinc *Tantali pœnâ cruciari* capit proverbialem 14. salem; & torqueri solet in eos, quibus adsunt quidem bona, sed his frui negatum est; dicitur etiam de avaris auro jugiter inhiantibus de quibus Lucianus dixit in Timon. *Quid est autem, quòd adversus illos indigneris, quandoquidem utrique pœnas egregias luunt? Alteri quidem dum Tantali in morem neque bibere sinuntur, neque edere; sed ore sicco duntaxat inhiant auro.* Sed *Tantaleum poculum libare* usurpatur in tesseram firmandæ, magisque stabiliendæ amicitiæ, ut censet Beroaldus vir eruditissimus ex Philostrato referens illum Hieronymi locum vulgatissimum in liminari pagina veteris testamenti, ubi ait; Ut Jarcham in Throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem audiret docentem, ita differit: Jarchas apud Indos Philosophorum Princeps est, penes quem Tantali statua subscriptione notata est, quatuor cubitorum longitudinis, quæ similis propinanti phialam porrigit, in quam humor distillat incorruptibilis. Ex hoc Tantali poculo consuescunt bibere Indici Philosophi, antequam somno indulgeant, jugem humorem perinde fundente, ac si ex fonte scaturiret. Est autem amicitiæ firmandæ causa hujusmodi comporatio

apud Indos inventa, qui ministrum habent, pocillatorémque Tantalum, propterea, quòd hic amicissimus, mansuetissimúsque erga homi-
15. nes habitus est.

SALMONEUS inter damnatos à Poëtis recensitus fuisse fingitur filius Æoli, & Rex Elidis, qui cum divinos sibi honores petulantiùs quæreret, Jovémque structo æneo ponte tonando, & jaciendis fulminibus imitaretur, ab eo fulmine ictus ad inferos detrusus est. Superbiâ siquidem elatus regios fastidivit honores, & divinos ambijt; quod ut assequeretur pontem super urbem excitavit æneum, & agitatis super illum plaustris vacuis, quadrigisque obstrepentibus tonitrua imitabatur; & in quem ipse fuisset accensam facem jaculatus, eumdem jubebat illatim occidi; ac si alter in cœlis Jupiter fulmina in flammantibus rædis vibraret; quæ non valerent, homines in terris declinare. Hominis arrogantiam non tulit Jupiter, eúmque præcipitavit in tarrara. Hunc SALMONEI tumorem, & fastum referens Nonnus ait: Salmoneus Æoli filius Rex Thessalorum erat, vir in Deos impius, ac nefarius. Hic coria quædam sicca, ac dura consuens, atque accommodans, ac lebetes quosdam cum corijs pulsans, sonos quosdam edebat, atque ardentes faces manibus gestans, insolenter jactabat se, Jovis instar tonare, ac fulgurare: quoad tandem à Jove fulminis ictu oppressus est. Hinc Salmonei fastus, tumor, & superbia ivit in proverbium, dicitúrque de homine supra modum elato, ac superbiâ inflato; de ipso enim per parœmiam dicimus, *Salmoneum è corio tonantem referre*; præsertim si supra vires elatus minas, cædésque evomat. Virgilius de Salmoneo ad inferos detruso 6. *Æneid.*

Vidi, & crudeles dantem Salmonea pœnas.
Dum flammas Jovis, & sonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic invectus equis.

16. SISYPHUS itidem ex Poëtarum sententia ad inferos detrusus Æoli filius mortalium omnium suæ ætatis astutissimus fuit, qui cum Atticam latrocinijs, ac rapinis expilaret à Theseo occisus est. Poëtæ fabulantur eo supplicij genere apud inferos plecti, ut saxum ingens in montis editissimi verticem cogatur provolvere; quódque ad summum cacumen cum pene extulerit, repente deorsum relabitur, ut iterum perpetuo labore in montis verticem volvat Ovid. lib. 13. Metam.

Aut petis, aut urges rediturum Sisyphe Saxum.

17. *Sisyphi Saxum revolvere* parœmiam sapit, quâ inanis, ac supervacui laboris quempiam insimulamus. Petrus Blesensis in eum parœmiam torsit, qui impenso, simúlque inani labore divitias congerebat, ait ipse epist. 91. *Non deest tibi saxum Sisyphi, dum congregando divitias labore continuo, & supervacuo te affligis.* Sisyphum referre parœmiali schemate dicitur de viro improbo, & exlege, qui meritas patrati flagitij pœnas luat. *Sisyphi vitam agere* dicuntur, qui ambitionis æstro acti honoris culmina quærunt; & principatûs appetentes regnare student: scitè Lucretius

Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est
Qui petere à populo fasces, sævásque secures
Imbibit, & semper victus, tristisque recedit.
Nam petere imperium, quod inane est, nec datur unquam
Atque eo semper durum sufferre laborem,
Hoc est adverso nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen à summo jam vertice rursum
Volvitur, & plani raptim petit æquora campi

BELIDES à Belo avo nomenclationem trahentes, 18. perinde ac Danaides à Danao patre, finguntur à Poëtis fuisse quinquaginta virgines sorores, quas Danaijs totidem fratris sui filijs despondit uxores; cùm verò accepisset ab oraculo à genero interfectum iri; filias præmonuit, ut peractis nuptijs pugionibus, cultrisque se armarent, & viros vino, luxuriáque sopitos nudato ferro jugularent. Virgines patri obtemperantes viros interfecerunt, unaquæque suum, cui nupserat, excepta Hypermnestra, quæ Lynceo viro suo pepercit, qui postea occiso Danao, regnum apud Argos invasit; scelestæ autem filiæ in pœnam patrati flagitij apud Inferos detrusæ, eo finguntur supplicij genere perpetuò plecti, ut dolium pertusum conentur aquâ implere; unde tantùm effluat, quantum illæ possint infundere, quod est cribro haurire aquam: hinc *Danaidum dolium* parœmiali sale sumitur pro bararro aliquo inexplebili; & pro homine insatiabilis cupiditatis. Solet etiam; *in Danaidum perforatum dolium infundere* usurpari parœmialiter pro inutili, cassóque labore: Ovidius 4. *Metamor.*

Assiduas repetunt, quas perdant Belides, undas.

IXION fingitur a Poetis filius Phlegiæ, qui 19. uxorem duxit *Diam* filiam lectissimam Deionei, cui cum multa pro compensatione dotis pollicitus esset; & ob id pater sponsæ ad eum venisset recepturus suum munus. *Ixion* factâ scrobe, eáque arundinibus, ac stramine intecta, patrem sponsæ ea fraude peremit; à quo flagitio cum nec homines, nec Dij eum lustrare vellent, diúque incertus vagaretur; tandem Jupiter illius misertus in cœlum assumptum expiavit. Cúmque à patrato scelere jam purgatus apud superos degeret, in Junonem cæpit amore exardere, eámque de stupro interpellavit. Quod cum Jovi innotesceret, nubem illi sub Junonis effigie apposuit, quam corrupisse fatuus adulter dicitor, atque ex illo compressu, Centauros fœda monstra nata esse fabulantur. Dejectus mox Ixion in terram, cum passim gloriaretur, se vitium intulisse Deorum Reginæ; indignatus Jupiter fulmine ad Inferos Ixionem detrusit, curavitque ut ibi rotæ volubili alligatus perpetuò circumageretur. Hinc Ovidius

Volvitur Ixion, & se sequitúrque, fugitque

PHLEGYAS Martis filius, & Rex Lapi- 20. tharum in Thessalia pater Ixionis, Nymphæque Coronidis, quam cum ab Apolline vitiatam sensisset, irâ percitus Templum ejus Delphis ad summam constructum elegantiam excitato incendio combussit vindicaturus injuriam filiæ illatam. Apollo indignatus telo eum confodit, & ad inferos detrusit, ubi hac fingitur pœna torqueri, ut sub ingenti saxo ruinam jugiter minitantem sedens semper illud casurum suspicetur, jugique timore angatur Virgilius 6. Æneid.

——*Sedet æternúmque sedebit*
Infelix Theseus, Phlegyasque miserrimus omnes

Admo-

Admonet, & magna testatur voce per umbras;
Discite justitiam moniti, & non temnere divos.

21 TITANES Cœli, & Vestæ filij sex finguntur fuisse fratres, & quinque sorores, ex quibus unus fuit *Japetus* pater Promethei; alius *Hyperon*, qui motus solis, lunæ, ac stellarum fertur observâsse; idque causæ fuit, cur à Poëtis sol *Titan*, vel *Titania Lampas*; Luna *Titania*; Diana quoque *Titania* dicatur Lucanus lib. 2.

Flammiger aut Titan quassatas hauriat undas

Fabulantur poetæ, TITANES ab arata contra Deos *Vesta*, seu terra in ultionem genitos fuisse, vocarique *Titanes* ab *ultione*. Ipse verò Titan Saturni frater natu major, cum ereptum sibi regnum hæreditario jure debitum, frustra repeteret; in Jovem arma movit, à quo una cum suis profligatus in tartara detrusus est.

22 TITYUS filius fuit Jovis ex Elera Orchemeni filia, quam prægnantem Jupiter timens Junonis iram occultavit in quodam terræ hiatu; quod ansam dedit ut puer ab ipsa editus terræ filius crederetur; qui postea cum adolevisset, perfectámque attigisset ætatem, captus amore Latonæ matris Apollinis ausus fuit eam de stupro interpellare; hinc indignatus Apollo vibrato telo eum confodit, dejecitque ad tartara; ubi ejus jecur vulturibus lancinandum opposuit; hac lege ut absumptum pristinæ restitueretur integritati, ut nunquam vultures à discerpendo jecore desisterent, nec Tityus à tormento illo liberaretur. Virgilius *6. Æneid.* ait, Tityum terræ exporrectum novem jugera occupare, postquam fulmine ictus ad Inferos deturbatus est; atque jecur vulturi exedendum appositum unà cum luna incrementum subire, & decrementum: ait Maro.

Nec non Tityum terræ omni parentis alumnum
Cernere erat; cuj tota novem per jugera corpus
Porrigitur, rostróque immanis vultur adunco
Immortale jecur tundens, fœcundáque pœnis
Viscera rimatúrque epulis, habitátque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis

Nec dissimile de Tityo cecinit Ovidius 4. *Metamor.*

Viscera præbebat Tityus lanianda, novémque
Jugeribus distractus erat.

Parœmiali Schemate hominem curis agitatum, varijsque discerptum molestijs, ac importunis cogitationibus dicimus, Tityj spirare simulachrum. Lollinus tract. de scrupulis, id festivè innuit, inquiens: *Placuit ad se accersiri hominem, quem ut conspexit humo oculos defixum, ærumnis, ac macie enectum, Tityj vulturium corde depascentiu spirans simulachrum, sibi non ignota esse dixit ejus incommoda.* Unde Tirij imaginem, referre proverbiali sale in eos quadrat, qui varijs solicitudinibus, curísque mordentur; hi Tityj jecur habere dicuntur.

23 GIGANTES à poëtis inter detrusos apud inferos etiam recensentur. Finguntur Gigantes è terra, cœlique sanguine nati, celsissimæ staturæ, draconum pedibus horribiles ab irata tellore procreati in perniciem Hominum, ut scilicet contra superos arma moverent; Jovémque de cœli possessione dejicerent. Quamobrem cum dijs congressi è summis montibus, quos alijs alios addebant ejaculari in cœlum ignitas arbores, & saxa ingentia, rupésque excelsas torquere cœperunt; quæ deinde cum in terras reciderent montes efficiebant; & quæ in mare insulas, ut describit Ovidius *I. metamor.* Pugna indicta fuit in phlegræis campis prope Campaniæ oram, quæ à subterraneis ignibus, aquarúmque calidarum, quibus abundat, ac perenni earundem fluxu *Phlegra* etiam nunc à Neapolitanis dicitur. Ex Gigantibus verò alij Jovis fulmine icti, alij Apollinis telo confossi, alij aliorum Hominum armis interfecti, omnes internecione deleti sunt, ac ad inferos detrusi. Ex hisce immanis fuit, ac sævus BRIAREUS, cui erant brachia centum, & capita quinquaginta ut describitur à Virgil. *6. Æneid.*

Ægæon qualis, centum, cuj brachia dicunt,
Centenásque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribúsque arsisse, Jovis cum fulmina contra
Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses

Hic fingitur uno impetu centum scopulos contra Jovem vibrâsse; a quo tamen prostratus centum vinctus catenis sub Æthnam montem detrusus est; qui quoties latus moveret ingentes mons ille flammarum globos evomeret.

Alius ex gigantibus fuit TIPHON sola Junone genitus, fingitúrque tantæ magnitudinis, ut cœlum vertice contingeret, ac dextrâ manu orientem, sinistrâ occidentem metiretur; & ex humeris centum emitteret draconum horribilia capita; toto corpore pennis obrecto, impexo crine, flammantibus oculis, ignésque ore eructante. Hic in pœnam temerarij ausûs fingitur oppressus totà quàm latè patet Sicilia Insula, quæ in tria distinguitur promontoria, quibus figuram exhibet triangularem, à qua *Trinacria* etiam dicitur. Ovidius. 1 Metamor. 24

Nititur ille quidem, pugnatque resurgere sæpe
Dextrâ sub Ausonio manus est subjecta Peloro
Læva pachyne tibi, Lilybæo crura premuntur
Prægravat Æthna caput.

Pelorus, Pachynus, & *Lilibæus* vocantur tria prærecensita Siciliæ promontoria Macrobius *lib. 1. Saturnal cap. 20.* hoc de Gigantibus commentum explicat de hominibus tumidis, impiis, & Atheis; ait ipse: Gigantes quid aliud fuisse credendum est, quàm hominum quandam impiam gentem Deos negantem; & ideo existimatam Deos pellere de cœlesti sede voluisse? Horum pedes in draconum volumina desinebant; quod satis significat, eos nihil rectum cogitâsse; totius vitæ instituto gressu, atque progressu in inferna vergentes. Hinc more gigantum in cœlum conspirare parœmiali schemate torquetur in homines elatos, fastuosos, eósque omnes, qui suis sceleribus pugnare contra cœlum videntur, ut innuit Farcherius in epistola ad Hieronymum Gabionetum inquiens: *Tot nunc cladibus orbis concussus, novis in dies criminibus ostendit se interire posse: peccata, quibus urgetur, & quæ in ejus excidio fomitem suggerunt, reprimi omnino non posse, ut more gigantum, ut in fabulis, homines in cœlum conspirâsse videantur. Quid enim, ut interim tam multa, tam detestanda cri-* 25

mina sileam, quid tot, & tam nefandæ blasphemiæ portendunt?

EXPENSIO XIV.

Recensentur, quæ de dijs minoribus fuerunt fabulæ adinventæ,

1 DIj minores, seu minorum gentium ij dicuntur, ait Tullius 2. *de natura deorum*, qui minori fulgent honore, quàm cæteri majorum gentium, & de quibus hactenus diximus: minures tamen sua merita, ut loquitur Cicero, in cœlum vocârunt; dijque adscripserunt, unde *adscriptitij* etiam vocantur. Nullagens fuit, quæ tot deorum millia invexerit, sicut prisca Romanorum, constat enim, Romanos singulis fermè rebus suum præteeisse Deum, seu potius præfixisse. Hesiodus triginta millia deorum esse censuit; & solas segetes duodecim commendâsse Numinibus, scilicet deabus *Seiæ, Segetiæ, Tutilenæ, Proserpinæ, Nodato, Voluntinæ, Patelenæ, Hortilnæ, Floræ, Lacturtiæ, Matutæ, Runcinæ*: & eum domui custodiendæ unus sufficiat homo vigil, Romani uni duntaxat januæ custodiendæ ternos proposuereDeos, scilicet Deum *forulum* qui fores, Deam *Cardeam*, quæ cardinem; Deum *Limentinum* qui limen servarent. Quod si rebus minimis toc præfixêre Deos, quid putandum erit de rebus maioris momenti; ut eleganter scripsit S. Leo: *Roma cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus; & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem; si nullam respuerer falsitatem.* Quærit tamen S. Augustinus *Lib. 4. de civic. c. 8.* Quid causæ Romanis fuerit, ut tot inter examina deorum, quos Romani adorabant, unum Deum Christianorum tot prodigijs celebrem, tot virtutibus insignem, tot miraculis clarum templis suis exclusérint? adeout referente Tertulliano *in Apologetico:* cum Tiberius ad senatum retulisset de CHRISTO in numerum deorum recipiendo, Senatus respuerit: cur igitur Roma tot inter minutos Deos non etiam CHRISTUM receperit? Respondet S. Augustinus: Socratis sententiam esse; unumquemque Deum sic coli oportere, quemadmodum se ipse colendum esse præceperit; proinde hanc summam necessitatem factam esse non colendi Deum Hebræorum, & Christianorum; quia si alio modo eum colere vellent, quàm se colendum ipse dixisset; non utique eum colerent; sed quod ipsi finxissent. Si autem illo modo colere vellent, quo ipse diceret; alios sibi colendos non esse cernebant, ac per hoc res, puerunt unius veri Dei cultum, ne tot falsorum Numinum offenderent examina. Maluerunt pluribus millibus falsis adhærere; quam unum verum Deum colere cæteris repudiatis. Eos igitur hic perfunctoriè recensebimus.

2 DII PENATES sum à penu sortiuntur nomenclaturam. Est penu omne esculentum, & poculentum, quo vescuntur homines: non tamen significat ipsos cibos diebus singulis paratos in prandij, vel cœnæ usum; sed quidquid ad futuri temporis usum in loco aliquo quem inde *penuarium* vocamus, servamus sea conditum. Hinc loca penetralia à poetis vocabantur, in quibus deorum servabantur effigies: ait Varro, Deos fuisse in intimis cæli penetralibus dominantes, quorum nec numerum, nec nomina scimus, & sine quibus nequimus vivere, nec sapere: sunt enim qui penitus nos regunt ratione, calore, ac spiritu. Hos Deos Etrusci *Consentes*, *Complicésque* vocârunt, eò quia putârint a consilijs esse Jovis; & cæterorum principes.

Tres finxerunt poetæ fuisse deorum penacium ordines. Quorum primus comprehenderet Deos illos, quibus provinciarum, ac Regnorum cura erat demandata; & ij absolutè vocabantur *Dij Penates*. Secundus eos complectabatur, quibus munus incumbebat singulas tuendi urbes; & ij dicebantuc cum addito *penates patrij*, de quibus Virgil. 3

Tu genitor cape sacra manu, patriosque Penates

In tertio, & postremo ordine censebantur dij, qui domibus singulis præerant, de quibus passim poetæ, & præsertim Virgilius lib. Æneid.

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor
Ilium in Italiam portans, victosque Penates

Persæpe Penates tropicè usurpantur pro domibus ipsis, in quibus ab Ethnicis colebantur, ut cum Virgilius 8. *Æneid.* ait: *Nostris succede Penatibus hospes.* Imò non poetæ tantùm, sed etiam oratores eleganter usurpârunt Penates pro domibus ipsis, in quibus colerentur. Tullius pro Sext. dixit *Exterminare aliquem à suis Penatibus dijs*, id est domibus: & Quintil. declam. 260. ait: *Liberos pellere domo, & prohibere Penatibus,* 4

DII LARES etiam fuerunt domestici cum domi colerentur, quibus, & domesticus focus *Sacer* erat; unde vulgus *focularè* quasi aris focum vocat domesticum locum: unde Lares credebantur dij domestici, qui ad urbis commoda dicebantur vigilare inter compita, de quibus Ovidius in Fast. 5

Lucifero subeunte Lares delubra tulerunt
Fitque gravis, gemináque parit, qui compita servant
Et vigilant nostra semper in æde Lares,

Censebantur igitur *Lares* dij domestici præsides itinerum, & vicorum; quæ ratio fuit cur colerentur in compitis, & ludi in eorumdem honorem instituerentur, qui *Compitalitij* diecebantur, in quibus simulachra virorum, ac mulierum ex lana compacta suspendebantur in compitis, & indicabant heros domorum, ac liberos; servi siquidem per pilas laneas indicabantur. Hunc diem vocârunt festum deorum inferorum, quos dixere *Lares*, & putârunt contentos esse laneis hisce simulacris, ut viventibus parcerent. Moris etiam fuit quo pueri eùm bullas deponerent, eas Laribus consecrarent. Persius. 6

Bulláque succinctis Laribus donata pependit

A nonnullis etiam dii agrorum habebantur: hinc Tibullus

Vos quoque felices quondam nunc pauperis agri
Custodes fertis munera vestra Lares

Lares dij communiter perinde ac Penates domibus credebantur præesse privatorum; unde Plautus in Aulu l. *Ego Lar sum familiaris ex hac familia, unde exeuntem me aspexistis.* Hinc Lares perinde ac Penates usurpantur pro domibus Martialis lib. 1.

O mihi curarum pretium non vile mearum
Flacce Antenorei spes, & Alumne Laris!

Nonnunquam sumitur Lar pro sola parte interiore domûs Ovid. 1. fast.

Omnis habet geminos hinc atque hinc janua frontes:
E quibus hæc populum spectat, illa Larem

8 Finguntur *dij Lares* ex furtivo concubitu Mercurij cum *Lara* Nympha procreati; cum enim *Lara* Jovis adulteria indicâsset, indignatus Jupiter linguam ei præcidit, & ad Stygiam relegavit paludem garrulam; cum verò Mercurius suo fungens munere eam ad inferos deduceret, reluctantem viciavit; & inde geminos sustulit qui à matre *Lares* sunt appellati. Hinc plures putant Lares genios censentes unicuique duos esse Lares unum bonum) alterum malum. Cæterum dij Lares caninis vestiebantur pellibus, & ut refert Plautus *in probl.* in canis figuram exhibebantur, adeout canes sacri dicerentur, & locus Laribus sacrum *Lrarium*, in quo Dijs Laribus primitiæ offerebantur frugum; & homines thure, ac vino ijsdem supplicabant; indéque mos cœpit colendi Lares, & mortuos domi conditos venerandi, ut Deos Lares.

9 *A Laribus incipere* sapit parœmialem salem, & significat à domesticis, ac familiaribus initium esse sumendum. Synesius proverbiali saliva, ex uno, eodémque lare dixit pro eodem principio inquiens lib. de Providentia: *Ut ex eodem Lare ortum habeant res tantopere diversæ, sitque una duorum germinum radix.* Lari sacrificare abivit in adagium; torquetúrque in tenaces, qui de proprio bono nemini quisquam impartiunt: ut etiam in convivas edaces, qui nihil de appositis ferculis mittunt amicis, nec quidquam faciunt reliquum: siquidem priscis Romanis religiosum erat ex ijs, quæ Lari immolabantur aliquid foras efferre.

10 Dii Genii, qui suam à gignendo sortiuntur nomenclationem, finguntur vim habere rerum omnium gignendarum; vel saltem efficere, opémque præstare, ut gignantur: hinc ex Isidoro *lib. 8. Ethim. cap. ult.* Genialis lectus in nuptijs sternebatur in honorem Genij. *Genialis Dies* itidem dicitur, quâ in lucem edimur, & quam præcipua hilaritate traducimus; & *genialem vitam agere* idem est ac lautè, ac lætè vivere; ut *genio indulgere* sibi satisfacere. Fuerunt, qui dicerent, Genios Deos aquam, terram, ignem, & aërem, quia rerum primordia, ac semina sunt. Duodecim quoque cælestia signa cum sole, & luna hosce inter Deos recensebant, à gerendo, eò quia multa gerere possent; hinc genii geruli fuerunt vocati. Eundem esse Genium, ac Larem plerique autumârunt. Euclides Socraticus duos censuit cuilibet oppositos genios, seu duos Lares, bonum unum, alterum malum. Statius *lib. 5. Theb.* finxit, pinxitque genium exhibentem figuram serpentis, cui adhæsit Persius sat. 1.

Pinge duos angues; pueri, sacer est locus extra
Meiite 11

Exhibebantur etiam genij sub specie pueri, aut puellæ; & platani folijs genialis arboris coronabantur. Sacra fiebant genio præsertim die natalitio, & flores, vinúmque fundebantur populo, Statius 6. *Funde merum genio*: & Horatius.

Floribus, & vino genium memorem brevis horæ

Genio sacrificare cæde non fuit moris, ne die ipso natali, quo vitam acceperunt homines, alijs animantibus adimerent. Officium Geniorum fuit Tutores esse, ac Præsides virorum: hinc dij *Præstites* etiam vocabantur; quos Ethnici invocabant in rebus agendis, ut ijsdem præsto essent. 12

13 Dii Nuptiales non solùm fuerunt *Jupiter adultus. Juno* itidem *adulta; Venus, Suada, Diana*, verùm & plures alij ex infima Deorum plebe, ut *Pugatinus*, cujus officium erat marem cum fœmina maritali jugo jungere. *Domiducus*, qui Neo-nuptam in domum duceret Sponsi. *Domitius*, qui Sponsam in domo sponsi degentem custodiret. *Manturna* Dea, quæ amorem, & concordiam inter conjuges promoveret. *Virginensis*, quæ invocabatur, cum Virgini nuptæ Zona solveretur. *Cinxia Juno*, quæ Zonam solveret. *Mutinus* super cujus fascinum sedere nova nupta jubebatur, ut refert S. Augustinus *de civit. lib. 9. cap. 9. Pertunda*, cujus officium sanctiùs subticetur, ait Augustinus, ut humanæ parcatur verecundiæ. *Viriplaca*, quæ viros placaret in uxores indignatos. Huic Numini refert Valerius Maximus fuisse Romæ fanum constructum, quò venire solerent conjuges, quoties inter illos jurgia intercesserant; ibique omni acerbitate depositâ concordes domum revertebantur. *Matuta* è cujus templo servæ arcebantur; unica duntaxat admissa à Matronis, cui colaphos infligebant. Ab hac Dea mater non filijs suis, sed sororum liberis bona precabatur; proinde cum illius sacris matres intererant, non suos, sed sororum filios ulnis gestabant. *Mena*, quæ menstruis mulierum præerat. *Februa*, quæ in purgationibus invocari consueverat.

Ut feliciora forent conjugia precum fusu etiam ab Ethnicis initiabantur, qui consueverunt ante conjugij opus preces fundere, ac recensitos Deos rogare, ut nuptias felices, ac fortunatas esse vellent, ut refert *Achilles Tatius, de Clisophi, & Eucipp.* Amor. *lib. 8. in calce.* 14

Sacrificijs etiam Deos sibi propitios reddebant in nuptijs, quos & precibus sua nitebantur in vota flectere. Camelis ob id nupturas Virgines usas tradit Gyraldus in historia Deorum *Syntagmate 17.* ubi ait: *Arabes pingues, & saginatos camelos in ara ignoti Dei sacrificabant, nupturæ Virgines camelis Deos propitiabantur.* Rebecca futura Isaaci uxor camelum ascendit, & ad sponsum ducitur *Genes. 24.* Utebantur nupturæ virgines camelo in bonum omen; quia honestissimum est animal, & ita verecundum, ut fœminam congressurus solitudinem petat, ne videri facilè possit. Thus in nu- 15

nuprijs, & coronas adhibitas indicat Plautus in Aulul. ubi Euclio Senex

Nunc thusculum emi, & hasce coronas floreas
Hæc imponentur in foco nostro Lari
Ut fortunatos faciat Nate nuptias,

16 Quasi felices esse sine sertis, & thure nuptiæ non possent. Porcum in nuptijs immolari solitum, liquet ex Varrone *lib. 11. de re rustica cap. 4.* ubi ait. *Nuptiarum initio antiqui Reges, & sublimes* viri in Hetruria in *conjunctione nuptiali nova nupta, & novus maritus primum porcum immolant*: Idque ad firmum inter conjuges fœdus feriendum, pacémque stabiliendam; siquidem hujus animalis mactatione fœdus feriebatur, & pax initiabatur, ut refert idem Varro

17 Dij prægnantibus præsides censebantur *pilumnus* à pilo suam trahens nomenclationem. *Deverra* dicta à scopis, quibus verritur. *Intercidona* ita vocata à securis intercisione. Horum speciale demandatum munus erat, Sylvanos Deos prægnantibus infestos arcere: quia ut loquitur S. Augustinus de civit. lib. *7. Nec arbores amputantur sine ferro, nec far conficitur sine pilo, nec fruges coacervantur sine scopis; his culturæ signis, incultus, sylvestrisque Deus prohiberi credebatur intrare fœtæ cubiculum.*

18 Parturientibus præsidentes aderant Deæ plures, quibus cura hæe erat, ut fœtus feliciter ad lucis hujus ederetur usuram. Præcipua fuit *Lucina*, seu Juno, lævâ manu accensam præferens facem; dextra erat illi vacua, & expedita ad suscipiendam prolem. *Lucinæ* jungebatur *Diana*, de qua Cicero *2. de natur. Deor.* cum Tymæus dixisset, qua nocte Alexander natus esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagrâsse, adjunxit, minimè esse mirandum, quia eum Diana in partu Olympiadis interesse voluisset opem præstitura Alexandro venienti in lucem; absuit domo; nec prohibere potuit incendium, nec voraces arcere flammas. Hisce adnectebantur aliæ, ut *Egeria*, à partu egerendo dicta. *Prosa*, seu *Prorsa*, & *Postuerta*, seu *Anteverta*, aut *Porrima* à recti, perversique partus potestate, & nomine difficilis partûs, & præposteri avertendi gratiâ. *Genesa*, quæ fœtum in lucem venientem excipiebat, Hisce addebantur Nixij dij ab enitendo, seu pariendo; præerant fœtui ab utero prodeunti; & cum mater doloribus correpta illum niteretur parere.

19 Nascentibus, ae naris plures fuerunt dij Præsides instituti, quos recenset S. Augustinus *4. de civit. cap. 11. Janus*, cui redebatur munus demandatum aperiendi vitæ januam. *Opis*, quæ ferret opem ingredientibus mortalem hanc vitam. *Nascis*, quæ nascentibus suis prodesset officijs. *Cunia*, quæ cunabulis præesset, ac dormientibus advigilaret infantibus. *Carmenta*, quæ fata caneret nascenti puero. *Vagitanus*, qui vagienti in cunis puero præsideret. *Levana*, quæ depositum in terra ab obstetrice puerum levaret. *Rumina*, quæ nutricis mammam infanti immulgeret. *Potina*, quæ potionem præberet. *Educa*, quæ infantibus cibo assuescentibus suppeditaret escas. *Ossilago*, quæ infantis ossa per totum corpus consolidaret. *Carnea*, quæ internas corpusculi carnes tueretur, ac servaret incolumes. Putabatur hæc Dea præesse vitalibus humoribus, seu corporis cardinibus Ovid. lib. 6. Fast,

Prima dies tibi Carna datur: Dea cardinis hæc est, 20

Nundina à nono infantium die, qui & lustricus dies, dicebatur; eò quia infantes illo die lustrarentur. Is enim in natis masculis apud Romanos erat nonus, in puellis octavus, ut refert Macrobius *lib. 1. Satur. cap. 16. Statanus*, qui præesset puerilitati; in ejus enim tutela pueri esse credebantur, cum primum stare, ac ancipiti gressu incedere inciperent, ut ex Varrone de liberis educandis refert Nonius. *Fabulinus*, qui pueris primò fari incipientibus præesse putabatur; cuj etiam à Romanis sacra fiebant, eum primum eorum pueri fari inciperent. *Paventia*, quæ pavores, ac terrores averteret, ne ij pueris incuterentur.

Adultis nec plures defuere præsides Dii. 21
Juventus, credebatur Dea, quæ post prætextam juvenilis ætatis exordia exciperet. Prætextæ, ac bullæ gestandæ mos á prisci Tarquinij filio deductus fuit, Utebantur pueri apud Romanos prætextâ usque ad diem tyrocinj, seu ad annum decimum septimum. *Agenoria*, quæ ad agendum excitaret. *Strenua*, quæ homines adigeret ad strenuè ac fortiter agendum. *Stimula*, quæ illos ad honestè operandum inusitato more stimularet. *Horta*, quæ ad præclara gesta hortaretur. *Hora* à necessitate dicta, quia præesse crederetur pulchritudini. Hanc Romani putârunt esse *Hersiliam* Romuli uxorē, quæ post mariti apotheosin in cœlum translata pro Hersilia vocata est *Hora*: de ipsa Ennius.

Téque Quirine pater veneror, Horámque Quirini 22

Quies Dea itidem habebatur, quæ quieti præesset; cui exrra urbem fuit ingens fanum extructum, hujus deæ meminit S. Augustinus l. 4. de civit. çap. 16. *Murcia* habita fuit socordiæ Dea. *Murcidum* enim prisci Romani hominem ignarum, & inertem vocabant. Habuit hæc Dea facellum Romæ sub monte Aventino, qui & ipse *murcus* dicebatur. *Adeona*, & *Abeona*, quæ adeundi, ac abeundi præberet facultatem. *Vibilia*, quæ aberrantes in viam reduceret. *Vacuna* quæ otiosis præficiebatur, *Fessonia*, quæ fessos post exantlatos labores reficeret. *Meditrina* medicamentorum Dea, unde *meditrinalia*, seu sacra Deæ meditrinæ, quæ eum agerentur, prisci Romani vinum recens, & vetus medicamenti causa degustabant. Mos erat, ait Festus, latinis populis, quo die quis priùs gustaret mustum, diceret boni ominis gratiâ: *Vetus novum vinum bibo veteri novo morbo medeor.* Ab hisce enim verbis Meditrinæ nomen hæc Dea accepit. *Vitula* à vitulando dicta, seu lætitiâ gestiendo, eò quia lætitiam, quæ vitæ temperantur incommoda adferret. *Volupia*, à voluptate quam inveheret: præerat hæc Dea voluptatibus; & in ejus honorem prisci Romani facel-

lum

lum construxerunt Romæ circa navalia non procul à porta Romanula. *Pellonia* potena credebatur ad pellendos hostes *Numeria*, quæ doceret Arithmeticam, & numeros. *Angerona*, quæ animi angores, mentisque molestias discuteret; cui sacra à Romanis instituta fuerunt, cum lue quadam, & anginæ morbo populus Romanus vexaretur: unde ab angore tollendo suam desumpsit nomenclaturam. *Heres Martea* ab iis colebatur, qui aliquam adirent hæreditatem. *Laverna* Dea erat apud Romanos, in cujus tutela fures esse putabantur, qui etiam *Laverniones* dicti fuerunt: *Averruncus* Deus colebatur, eò quia mala averruncare, seu depellere, ac avertere crederetur, & infortunia propulsare. *Consus* consiliorum Deus putabatur. Templum habuit sub tecto circo, ut ostenderetur tectum debere esse consilium, quod *tamdiu tutum, quamdiu tectum.* Quirino & singulis corporis membris suos affixerunt Romani deos; capiti enim credebatur præesse *Jupiter*, pectori *Neptunus*, fronti *Genius*, superciliis *Juno*, oculis *Cupido*, renibus *Venus*, posticis partibus *Pluto*, pedibus *Mercurius* digitis *Minerva*.

EXPENSIO XV.

De Dijs Indigetibus, eorúmque commentis.

1 QUos ex hominibus ob præclara gesta solemni apotheosi prisci præsertim Romani Dijs adscripserunt; hos Deos indigetes nuncupârunt, eò quia nullius ampliùs rei Numinibus adsciti indigerent. Vel ut placet alijs, quia certis quibusdam locis veluti affixi, in iisdem degerent; eorúmque præcipuam susciperent curam, & quasi demandatam sibi provinciam sedula vigilantia administrarent; idque causæ, cur Æneas Jupiter Indiges habitus sit, de quo à Venere expiato, interque Deos relato ait Ovidius 14. *Metamor* sacram describens Apotheosin.

Lustratum Genitrix, divino corpus odore
Unxit, & ambrosiâ cum dulci nectare mixtâ
Contigit os, fecitque Deum, quem turba Quirini
Nuncupet indigetem, templáque arisque recepit.

2 Apotheosis, seu consecratio alia fuit privata; publica alia: illa fiebat eum parentes liberos, Liberi parentes, aut viri conjuges, & conjuges viros, vivis ereptos, ac immortalitate donatos, privata colerent religione; hinc dij illi Penates, & Viales dicebantur. Hic autem honor denatis tribuendus in utilitatem cessisse civitatis testatur Varro; quia cives tali illicio animos excitabant ad præclara gesta. Et Alexander Macedo sibi ad res gerendas dixit stimulo fuisse; quòd filius Jovis Ammonis haberetur. Apotheosis publica erat, quâ homines præclaros, & heroes in deorum numero publicè solemni ritu collocabant sive ob eximia gesta; sive ob singularia beneficia, quibus posteritatem obstrinxerant; sive ad turpissimam ostentationem, vanissimam superstitionem, & religiosam dementiam. Hic honor delatus primùm fuit Romulo, deinde Julio Cæsari, & Augusto, de quo Manilius.

Jam facit ipse Deos, mittitque ad sydera Numen;
Majus, & Augusto crescit sub principe cœlum.

Ex senatûs authoritate, ac populi Romani assensu alijs etiam Imperatoribus fuit similis honor delatus, exceptis Tiberio, & Caligula, quos tradit Suetonius, vix fuisse adeptos honorem communis sepulturæ. Apotheosis publica vel à senatu fiebat; vel hoc invito ab ipsis Imperatoribus, etenim licèt senatus reclamaret, Antoninus Adrianum, & Severus, Commodum solemni consecratione inter Deos retulêre. 3

Ritus Apotheosis is erat. Imperatore mortuo, corpus splendido funere sepeliebatur; effictio priùs simulacro cereo, quod defunctum exprimeret Imperatorem; illúdque in ipso aditu, seu vestibulo palatij Imperatorij eburneo, sublimique impositum lecto aureis exornato stragulis, ita collocabatur, ut jacentis ægri speciem quam simillimam exhiberet. Per dies septenos lectû stipabant à dextro latere Senatores atrati; à sinistro squalidæ, ac mœrentes matronæ; aliæque principes fœminæ candido obductæ amictu. Medici invisuri simulacrum frequenter accedebant; arteriam pulsúmque explorabant; manum fronti admovebant calorem capitis sagaciter inquisituri; monebántque periclitari decumbentis salutem; mox periculum imminere; & tandem conclamatum esse de illius vita; & jam mortalitatem exuisse. 4

Tunc à Senatoribus, alijsque delectis ex ordine equestri exportabatur Lectus in forum vetus; in quo consueverant Reipublicæ Gubernatores abdicare se magistratu. Lecto ibi in edita, & ornatissima arca posito, accedebant nobilium puerorum, ac puellarum chori alternatim cantu lamentabili defuncti laudes recensentes. Inde solemniori pompâ extra urbem in campum Martium deferebatur totâ comitante nobilum catervâ; civium, ac populi promiscua, & conferta turbâ. Sequebantur legiones militum in plures directæ ordines, propriis præfulgentes gladijs; quos sequebantur famulorum confertæ turmæ deferentes munera pretiosissima, splendida dona, & exquisita fercula. Claudebat agmen ara ex ebore gemmis illuminata; & auro splendens. Postquam hæc præterierint, ascendebat suggestum ad id paratum Successor in Imperio, & culta oratione; in laudes, ac virtutes sui prædecessoris diffundebatur, ostendens virtutem morti haud obnoxiam esse, & donandam honore immortali. Horatius *lib.* 3. *Od.* 2. 5

Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via:
Cœtúsque vulgares, & udam
Spernit humum fugiente pennâ.

Peractâ ab Imperatore Panegyri; Pontifices, & qui supremam gerebant tunc magistratus è loco movebant lectum; quem deportandum tradebant selectis ex equestri ordine viris. Præibant Senatores, postremus sequebatur Imperator. Cúmque pervenissent in campum Martium; extabat ibi præcelsa pyra lignea quadrangula in aræ extructa speciem, innixa columnis; ornata statuis, decorata picturia elegantioribus, vestita peristromatibus, aulæis acú- 6

que Phrygia pictis: huic aræ infimæ laxæ, & quadrangulæ superstructa visebatur alia paulò minor; & huic tertia eadem proportione arctior secundâ; tertiæ imponebatur quarta angustior; & huic quinta itidem arctior quartæ; & quintæ omnium minimæ, quæ fastigium claudebat operis figuram exhibentis pyramidalem, eminebat in summo vertice Aquila pede illigata stamine, parvúmque Imperatoris defuncti simulacrum, veluti ejusdem animam dorso sustinens. Posito lecto funebri intra secundam hujus pyræ contignationem, impressóque osculo ab Imperatore, cæterisque ex senatu, & magistratu cereo defuncti simulacro; incipiebant equites primùm, deinde pedites Decursiones inire motu pyrrhico circum pyram; intrà quam certatim injiciebantur exquisita, & odorata unguenta, aromata, resinæ, odoramenta; & alia id genus excitandæ, nutriendæque flammæ perapta; quæque suavissimo suffitu odoratum mulcerent; Demum accedens Imperator cum flammante face; ignem pyræ admovebat, quæ illicò flammas concipiebat; & stamine, quo illigabatur aquila combusto, hæc è pyræ vertice sursum avolabat simulacrum secum advehens defuncti Imperatoris, qui propterea ad cœlum ascendere credebatur. Ad quod ingerendum, altiúsque figendum populorum opinioni; non solùm aquilæ sunt ministerio usi; sed nonnunquam etiam hominis subornati testimonio, quique jure jurando testaretur, se præter aquilam, & simulacrum eidem alligatum, illum, quem consecrârunt conspexisse in cœlum ascendisse; ut refert Livius de quodam Julio Proculo, qui asseruit se vidisse Romulum euntem in cœlum: & Livia referente Dione l. 53. decies sestertium dono dedit Numerio Attico, ut juraret, à se visum Augustum cœlos ascendentem; liquet etiam ex eodem Auctore ob eamdem causam in consecratione Drusillæ Lucium Geminum senatorem ingentia, ac pretiosa munera accepisse. Perinde ac viri eodem ritu consecrabantur, & fœminæ, quarum pyræ loco aquilæ pavo apponebatur. Ad delendam ex animis mortalitatis opinionem nomen priùs immutabatur: Romulus enim post apotheosim Quirinus vocabatur. Reliqui Imperatores retento proprio nomine *Divi* pronomen tantùm assumebant, per quod distinguerentur à diis; quia *dij* essent perpetui, ac æterni; *divi* autem ex hominibus assumpti, quasi diem suum obivissent, ut interpretatur Varo.

7 Non tamen dij omnes indigetes hac solemni apotheosi consecrati fuere; plerique enim habiti fuerunt dij Indigetes ob sola præclarè gesta, ut Ulysses, Achilles, Orpheus, Atlas, Prometheus, Æsculapius, Perseus, Castor, & Pollux, Theseus, Jason, Hercules, & alij; de quibus aliqua subjicio

8 Ulysses filius fuit Laërtiæ, rexque Ithacæ & Dulichij insularum, à quibus multiplicem sortitus est nomenclaturam; adeout dicatur à Poëtis modo Ithacus, & modo Dulichius. Hic ab Homero fingitur vir præditus præcellenti facundiâ, multâ experientiâ, vafer consilio; belli gloriâ insignis; honoris, laudisque appetens, ob id laborum patientissimus. Nupsit Penelopi Icari filiæ, lectissimæ fœminæ prudentiæ juxta, & castimoniæ laude celeberrimæ Poëtis, ex qua Telemachum filium suscepit. Adeo Ulysses Penelopem adamavit, ut ardente Trojano bello, & reliquis Græciæ principibus ad bellum proficiscentibus, ipse insaniam simulaverit; fore sperans, ut tanquam bello inutilis domi relinqueretur; junctis enim diversi generis animalibus littus proscindebat, salémque serebat loco frugum; non tamen Palamedem virum prudentiâ clarum potuit latere; qui ut illius detegeret technam aranti Ulyssi Telemachum filium in sulco objecit; Ulysses tunc ne filium læderet aratrum sublevavit; quo argumento deprehénsum fuit ejus insaniam simulatam esse; & adactus ad bellum strenuè se gessit; & Græcos egregiè juvit; effecítque ipse solus potissimùm, ut Troja caperetur, amotis omnibus impedimentis fatalibus, quæ ne caperetur à Græcis obstabant: Palladium enim ex eadem urbe rapuit; Achillem inter Lycomedis regis filias virginali habitu latitantem ad bellum pertraxit: sagittas Herculis à Philoctete impetratas transtulit ad castra Trojana: Cinerem Laomedontis, qui super Scæa porta Ilij servabatur, clam sustulit: Rhæso Thraciæ rege occiso equos ejus abduxit priùsquam Xanthi latices degustâssent: erant hæc omnia in Trojanorum fatis, & sine quibus Troja expugnari non poterat. Occiso Achille in armorum illius judicio Aiaci prælatus est. Captâ Trojâ, Orsilochum Idomenei Cretensis regis filium obstantem, ne legitima pars prædæ sibi decideretur exortâ rixâ interfecit. Demum Polyxena ad Achillis tumulum jugulata, & Astyanacte Hectoris filio ab edita turri præcipitato cum navim conscendisset, immensâ viginti annorum navigatione adversâ tempestate semper à patria exclusus, varia passus est rerum discrimina,

9 Ejectus enim ventorum impetu in Africam ad Lotophagorum littus appulit, ubi cum Socij lotum gustâssent ægrè inde revelli potuerunt. Vela tandem dans ventis in Siciliam delatus est; ubi Polyphemi antrum cum duodecim socijs adivit; ex quibus cum Cyclops, sex devorâsset, perusto stipite Ulysses Polyphemum excæcavit, & pellibus arierum involutas cum socijs sopertis tibus antrum evasit; & in Aeoliam navigans ab Æolo ventos in utre coactos obtinuit; cúmque jam proximus Ithacæ esset, soluto utre à Socijs thesaurum inesse credentibus, reflante illicò in contrarium vento; iterum in Aeoliam pulsus est; sed ab Aeolo abactus devenit ad Læstrygonas, quos ob immanitatem declinans appulit ad Circæum scopulum, ubi socijs à Circe in belluas mutatis Ulysses sumpto adversus ejus veneficia pharmaco, quod Mercurius miscuerat, & in ejus specum districto gladio irruens; veneficam

ſicam adegit ad reſtituendam ſocijs priſtinam formam; & ex ea ſibi conciliata Telegonum filium ſuſcepit.

10 Ægrè deinde ab ea dimiſſus ad Oceanum pervenit, ubi ſacris peractis ad inferos deſcendit, ibique ex Anticlea matre, Elpenore, & Tireſia vate de multis certior factus revertitur ad Circen: & Elpenorem ſocium, qui nuper vino madidus de gradibus deciderat, honorificâ proſequitur ſepultura. Deinde ad Inſulam Sirenum trajiciens; earum cantum ne audirent; ſocijs cerâ aures obturavit; ſéque ad navis malum alligavit; & earundem evaſit blandas, ac allicientes inſidias.

11 Inde in Syllam enavigans, & Charybdin non abſque vitæ diſcrimine in Siciliam venit ad ea loca ubi Phaëthuſia ſolis filia cum duabus ſororibus greges paſcebat; juſſitque ne quid damni illis inferretur: ſed dormiente Ulyſſe ſocij famæ adacti ſuadente Eurylocho plura ex gregibus animalia mactârunt; quod ſcelus poſtea naufragio luerunt; adeout omnes perierint uno excepto Ulyſſe, qui arrepto navis malo per novem dies à ventis, & fluctibus hinc, illincque agitatus tandem ad Ogygiam inſulam appulit, & à Calypſo Nympha ſuſceptus ſeptem annis ejus eſt conſuetudine uſus, & Nauſithorum, ac Nauſinoum filios ex ea genuit referente Heſiodo. Ulyſſis poſtea miſertus Jupiter, Mercurium in Ogygiam miſit, imperavítque Nymphæ, ut Ulyſſem dimitteret.

12 Hinc conſtructa rate iterum Ulyſſes mari ſe committit, fluctúſque trajicit; cúmque jam Phæacia prope littus perveniſſet, immiſsâ illico à Neptuno ſæviente procella navis ad ſcopulos alliſâ diſrumpitur; actúmque, atque conclamatum de Ulyſſe fuiſſet, niſi ejus miſerta Leviothoë tabulam jamjam naufraganti ſuppeditâſſet; cui ille innitens per tumentes fluctus incolumis in Phæacenſium portum adnatavit; cúmque prorſus nudus eſſet inter frondes, ac vepreta ſe ſe occultavit: ſed à Nauſicaa filia Alcinoi repertus, ab eadem veſtes quibus tegeretur accepit.

13 Poſtea favente Pallade ad Areten Alcinoi conjugem deductus dona, naves, ac ſocios accepit, qui illum in Ithacam reduxerunt, in qua dormientem cum donis depoſuerunt. Excitatus deinde à Pallade ipſiua monitu veſtes laceratas, ac pannoſas mendicâ induit, quibus ad ſuos ſubulcos pervenit; inter quos Telemachum ex Penelope filium vidit, & incognitus ducitur domum; ubi poſt multas ſibi à procis illatas injurias, cum filio, & duobus ſubulcis, quibus ſe indicaverat, ex compoſito arma capiens procos ad unum omnes trucidavit, Penelopemque ſuam plenus jubilo recepit.

14 Cúmque ex oraculo didiciſſet ſe à filia interemptum iri, ſeceſſit in locum abditum, in quo tutiorem vitam duceret. Telegonus verò filius ex Circe ſuſceptus patrem ſuum videre cupiens, Ithacam proficiſcitur, ubi cum incognitus à domo patris prohiberetur ortâ contentione, patrem incognitum ſpina venenoſâ trigonis piſcis transfixit: Numero tamen Deorum indigetum adſcitur, habetúrque in honore.

15 Achilles Pelei, & Thetidis filius à matre adhuc infans ſtygijs undis immerſus fuit: & inde invulnerabilis emerſit, adeout ejus corpus tela omnia retunderet, nec ulli daret locum vulneri: nec ſauciari ullo modo poſſet, ea excepta pedis parte, quâ prehenſus à matre fuerat, dum Stygiis undis ablueretur. Achillem à Chirone Centauro perhibent educatum, ac nutritum ex leonum viſceribus, aprorúmque, & Urſorum medollis loco lactis fuiſſe paſtum; ex quibus infractam hauſit animi fortiendinem, ac pectoris inconcuſſam firmitatem, totiúsque corporis invictum robur: hinc tantæ fertur fuiſſe fortitudinis, ut teſte Gellio *lib. 2. cap. 11.* Duces inſigni fortitudine, ac in bello invicti Achilles nuncuparentur, *Animus Achilleus* parœmialiter dicitur de imperterrito, & qui neſcius duris vinci, nec blanditijs flecti immobilis in propoſito perſiſtit, Achilleus enim animus nullis expugnatur machinis, nullis flectitur blandimentis *Argumentum Achilleum* dicitur quod eſt inſolubile. quidquid univerſim invictum, ac inſuperabile creditur, id Achilleum audit. Achilles Romanus ob inſignē fortitudinem dictus eſt Lucius Sicinius dentatus, quia pugnaverit in hoſtem centum, & viginti prælijs 16

De Achillis haſta etiam fabulantur Poëtæ, quòd eadem inflicto à ſe vulneri ſalubris fuerit: neque defuerit, qui eamdem haſtam aſſumpſerit in ſymbolum addito lemmate *Vulnus, opémque gerit*; & illi adamuſſim quadrat, qui una eademque lingua vulnerat, & medetur: hinc illud Hier. Nov. lib, 3. *Priùs me lingua feriebas, nunc molliori utens ſermone vulnus ſanas; Achillis. ut, dici ſolet, haſta fuit tua lingua, vulnus quod fecerat ſanat,* 17

Cum autem ex oraculo accepiſſet Thetis interfectum iri Achillem in bello Trojano; & aliunde Calchas vates dixiſſet ſine Achille expugnari Trojam non poſſe; Ulyſſis aſtu adactus eſt arma ſumere. Móxque matris juſſu latet Achilles habitu ementito puellæ in regio Gynecæo apud Scyron unam ex Cycladibus inſulis, inter filias Regis Lycomedis; id cum innotuiſſet Ulyſſi illuc ſe contulit varijs cum mercibus perſonam fingens exteri mercatoris cúmque ſuas in gynecæo merces expoſuiſſet dandas venum; ſtatim puellæ regiæ pro inſita ſexûs indole, inaures, armillas, ſpecula, monilia, & alia id genus ſpectantia ad mundum muliebrem oculis luſtrant, manibus pertractant. Achilles verò ſtatim manus inijcit in gladios, clipeos, caſſides, & alia bellis gerendis apta inſtrumenta; hinc ex genio, & ingenio virum ſe prodens, adigitur ad bellum, arma eidem Vulcanus ſuppeditavit Thetidis rogatu impenetrabilia. In Trojana obſidione Hectorem Priami filium interfecit; ille viciſſim à Paride fratre Hectoris interfectus eſt, ſagittâ in eam pedis adactâ partem, quæ ſola ex toto corpore vulneri manſerat obnoxia; eò quia Stygio latice prehenſa à manu Thetidis non fuerat abluta. 18

Orpheus vates genere Thrax Calliopes, & Apollinis filius acceptâ à patre Lyra, quam illi Mercurius dederat, tam ſcitè illam pulſavit; ut feræ inſitæ ſibi à natura feritatis ob-

oblitæ mites ad ipsum accederent, & cicures finerent se tractari; imò non feras tantùm mitiores reddidit; sed citharæ pulsu, vocisque cantu adeo valuit, ut sylvas, & saxa moverit; fluviorum cursum prohibuerit; sylvas in admirationem concitaverit, volucres rapuerit. Euridicem uxorem habuit, quæ, Aristæum vim sibi inferentem cum fugeret, à serpente occisa est; ob cujus necem Orpheus contristatus arguta cum sua lyra ad Inferos descendit, ubi lyræ pulsu, & cantûs suavitate ita fertur tricerberum demulsisse, & Proserpinam in sua flexisse vota, ut uxoris ad vitam reditum impetraverit; ea tamen lege, ut conjugem non priùs aspiceret, quàm ad superos ambo pervenissent. Orpheus tamen ob amoris impatientiam indictam sibi à Proserpina legem transgressus, amisit iterum Proserpinam; idque causæ Orphæo fuit, ut deinceps vitam cœlibem ageret; & alios plures ab amore fœminarum alienaverit. Hinc cum ipse oblatas sibi plures nuptias rejecisset; ac juvenes multos à mulierum deterruisset consortio à Mænadibus inter Bachi sacrificia juxta Hebrum fluvium membratim discerptus est; ejus tamen membra per agros disjecta Musæ collegerunt ac honorificæ illa sepulturæ dederunt. Lyra verò, & caput in Hebrum fluvium dejecta ad Lesbem insulam delæta sunt; ubi caput incolæ in sepulcrum intulerunt. Lyra in cœlum assumpta sedem inter astra obtinuit Virgilius Eclog. 3. meminit Orphei.

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus

19. Qui suorum operum harmonia, ac blanda suavitate lectores suos demulcet, is parœmiali quodam sale Orpheus dicitur. Adeptus hoc nomen est Lyræ suæ dulcedine Propheta Regius, quem Euthymius *in præfat. Psalm.* vocat *Sacrum Orpheum.* Siquidem si Poetæ fabulati sunt, Orpheum vocis cantu, & lyræ pulsu tantum valuisse, ut fluvii ad ejus cantum sisterentur, advolarent aves, feræ feritatis oblitæ accurrerent: feliciùs David Sacer Orpheus sua harmonia non fluvios sistit, sed cogitationum fluctuantium undas sedat, ac æstuantis mentis prohibet tumultus; motúsque animi tum irascentis, tum concupiscentis ad miraculum usque compescit, quod est feras cicurare psalmorum dulcedine. S. Basilius homil. 1. in Psal. 1. *Psalmus* inquit *tranquillitas est animarum, gubernator pacis; tumultus, & undas cogitationum sedans, ac compescens.*

20. Qui ex imperito, indocto, ineloquenti fit doctus, peritus, eloquens & à rusticitate ad eam transit facundiam, quâ Auditores rapiantur in admirationem, is parœmiali Shemate *Ex Arione mutatus dicitur in Orpheum.* Proverbia item etiam sapit salem; *Tenere cum Orpheo plectrum,* ut etiam cum Æsculapio baculum, cum Archimede radium; cum Euphrato horoscopium; cum Vitruvio perpendiculum, cum Euclide mensuras; dicitúrque de viro, qui varias artes ita calleat, ut de singulis valeat egregiè disserere: hinc Sidonius Apollinaris *lib. 3. Epist. 3.* efferens Claudiani doctrinam, librumque de statu animæ exclamat. *O liber multifariàm pollens! O eloquium non exilis, sed subtilis ingenij! quod nec per scaturigines hyperbolicas intumescit, nec per tapinotismata depressa tenuatur. Ad hoc unica singularisque doctrina, & in diversarum rerum assertione monstrabilis, cui moris est de singulis artibus cum singulis artificibus philosophari; quæque si sors exigit, tenere non abnuit cum Orpheo plectrum, cum Æsculapio baculum, cum Archimede radium, cum Euphrata horoscopium, cum Perdice circinum, cum Vitruvio perpendiculum quæque nunquam investigare destiterit cum Thaleta tempora, cum Athlante sidera, cum Zeta pondera, cum Chrysippo numeros, cum Euclide mensuras.*

21. Orpheo suppar fingitur AMPHION eadem siquidem arte uterque ex æquo claruit; uterque lyræ pulsu non homines tantum, sed pecudes, & ipsa saxa movit. Fingitur Amphion Jovis, & Antiopes filius, vel potius Mercurii, à quo suscepta lyra adeo suaviter, ac scitè pulsavit, ut saxa ad struendos Thebanos muros dicatur traxisse, ut ait Horatius de Arte Poët.

Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis,
Saxa movere sono testudinis & prece blanda
Ducere, quo vellet

Nimirum quia eloquij suavitate homines alioquin rudes, & incultis moribus ad obsequij civilis pellexit disciplinam; ut idem Horatius videtur exposuisse, quia cum dixisset *sono testudinis* addidit, *& prece blanda.*

22. ARION Orpheo, & Amphioni associandus est. Fuit Arion citharœdus nobilis, & Poëta Lyricus ex Methymna Lesbi urbe ortus, qui primus dithyrambos invenisse fertur; hic cum artis, quam profitebatur, beneficio plurimas congessisset pecunias, & ex Italia Corinthum trajiceret, viderétque à nautis, qui opibus suis inhiabant sibi insidias strui; nonnihil Spatij temporis ab illis sibi concedi postulavit, quo veluti Cygnus moriturus suas sibi exequias caneret; sibique antequam mortalitatem exueret vocis cantu, ac Lyræ pulsu parentaret; idque cum impetrâsset è celsa puppi carmen orthium Diis marinis cecinit; quo absoluto se in mare demisit, ubi à Delphino exceptus ad Tænarum Laconiæ promontorium est pervectus: Ovidius lib. 2. Fastor.

Ille sedet citharámque tenet, pretiúmque vehendi
Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.

23. Periculum cum evasisset ad Periandrum Corinthiorum tyrannum se contulit; qui gravissimo supplicio jussit nautas puniri. Delphinus in præmium præstiti beneficij, in cœlum elatus cæteris adscitur astris.

24. ORION quasi Urion ex urina fingitur trium deorum genitus. Cum enim Jupiter, Neptunus & Mercurius terram peragrarent, & ingruente nocte ad pauperem quendam Hyreum divertissent, hic ore hilari eos suscepit; cúmque Deos esse animadvertisset occiso bove iisdem sacrificium obtulit; hoc officio motus Jupiter optionem illi dedit aliquid muneris à se petendi; respondit Hyreus à se nil magis desiderari quàm filium, & si voti compos fieret, nil ipsi magis esset cordi: conjugem tamen se non

ha-

habere, neque velle ullam ducere ob fidem datã morienti uxori, se aliam non ducturum. Jupiter tunc, & reliqui Dij hospites corium immolati bovis sumpserunt, in quod cum urinam emisissent, jusserunt terrâ obrui. Decimo post mense Hyreus, ut jussus fuerat, corium retegit, puerúmque inde natum miratur, quem ab ipsa re *Urionem*, seu *Orionem* nominavit.

26. Hic cum adolevisset Dianæ se comitem adjunxit; cujus in illam amor, cum intra honestatis limites haud contineretur; & insolentiùs proprijs fidens viribus gloriaretur nullam extare feram, quam non vinceret, ac interficeret, Dij insolens verbum ulciscentes scorpionem è terra recèns natum miserunt, à quo ictus Orion miserè perijt. Diana satellitis sui obitum ægrè ferens, eum in cœlo juxta cauri signum constituit. Lucanus verò à Diana scorpione emisso enectum dicit, & Deorum miseratione in cœlum sublatum. Ubi est signum cœleste, quo oriente turbulentiores excitari solent tempestates: hinc Virgilius *lib. 1. Æneid.*

Quum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.

27. Osiris fing tur tu ille Jovis filius ex Niobe Phoronei filia, & successit Phoroneo in Regnum Argivorum; postea Ægialeum præfecit Regno Achaiæ, & ille gloriæ appetens ad Ægyptios transfretavit, quibus non tam armis victis, quàm humanitate, & collatis beneficijs sibi devinctis, videns; Isidem (quæ Io antea vocabatur) Inachi primi Regis Argivorum filiam duxit uxorem, ubi cum illa literas, Osiris varias artes Ægyptios docuissent, divinos sibi honores promeruerunt. Verùm à Typhone fratre occisus Osiris, primus mortalitatem, quam exuit, qui immortalitatem se crediderat assequutum, agnovit; qui ab Iside uxore diu conquisitus, inventus tandem apud Phialam juxta syrenem laceratus, sepultus est in Abato Insula illius paludis, quæ Memphi est contermina, quam & stygem vocant, seu paludem mœroris, ad quam nonnisi Sacerdotes, eósque mitratos certis quibusdam diebus accedere voluit. Sed cum apparuisset Ægyptijs bos quidam, Osirim putârunt, coluerunque ut Deum, quem vernacula lingua *Apim* nominârunt, seu Bovem. Tibullus lib. 1. Eleg.

Te canit atque suum pubes miratur Osirim
Barbara Memphitem plangere docta bovem.

28. Qua verò post necem ejus corpus inventum fuit arcæ inclusum inde *Serapis* dictus fuit; adeout terna hæc nomina *Osiris, Apis, & Serapis* vulgò unum, ac idem Numen significent. De Osiride hæc habet Eusebius *lib. de præparat. Evang.* Ægyptios ferunt primos omnium motum, ordinémque cœlestium corporum admiratos Solem, & Lunam Deos putâsse; ac Solem quidem Osirim, Lunam Isim nuncupâsse, à proprietate quadam inditis ipsis nominibus. Nam si quis ad latinam linguam verba transferat multoculus Osiris dici potest; neque id abs re. Radijs enim suis quasi multos rebus immittit oculos, quibus omnia perspicit, ut Poëta dixit

Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras

Isim verò Priscam latine dicere possumus; Lunæ hoc nomine indito, quoniam sempiterna, priscáque sit; cui idcirco cornua appingunt: vel quia cum minor est cornuta videatur: vel quia bos apud Ægyptios ei dedicatur.

Atlas fingitur fuisse Mauritaniæ Rex, humerisque suis cœlum sustinuisse. eò quia omnium primus cursum Solis, ac Lunæ siderúmque omnium versationum rationes animi vigore, ac solertia deprehenderit. Fuit Atlas Promethei frater, qui cum monitus esset ab oraculo, ut caveret à Jovis filio, nullum hospitio suscipiebat: idque Perseus Jovis ex Danaë filius ægrè ferens, ostendit ei caput Gorgonis, quo conspecto Atlas in montem conversus est durissima Metamorphosi; ejus fastigium adeo celsitudine erigitur, ut oculos fugiat intuentium, nec cerni possit. Hinc datus locus fabulæ; ut Atlas Mauritaniæ Rex cœlum suis humeris fulcire diceretur; fere è medio monte nubes unà conglobantur; toto anni tempore nives servat; hunc montem columnam cœli etiam ipsi indigenæ vocant. Ab huc monte populi incolentes Athlantes dicuntur, & soli dicuntur esse Anonymi, cum generatim Athlantes nuncupentur. De hoc monte Virgilius 4. Æneid. 29.

——Jámque volans apicem, & latera ardua cernit
Atlantis duri cœlum, qui vertice fulcit,
Atlantis, cinctum assiduè, cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulsatur, & imbri.
Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.

Parœmiali schemate de homine se magnis involuente negotijs in propriam perniciem dicimus *novum Atlantem cœlum sustinere.* Atlas enim cœlum hospitio excepit; deprehensus autem quòd illi struxisset insidias, præceps datus est in mare Atlanticum; propriúmque sibi malum accersivit. Malum enim accersitum dicitur, cujus ipse causam praebuerit. 30.

Prometheus Filius à Poëtis fingitur Japeti, & Pater Deucalionis, qui homines è luto dicitur finxisse felici adeo exitu, ut Minerva ejus admirata solertiam obtulerit ultrò si quid ad sui absolutionem operis desideraret eorum, quæ in cœlis sunt; & ipse petiit cœlestem ignem, quo effictos ex luto homines cœlesti animaret igne. Minervæ igitur ope in cœlum evectus, lustratis omnibus, solísque ignem conspicatus, hominibus animandis peraptum, admovit solari rotæ ferulam, quam secum tulerat, eáque accensâ ignem cœlestem in terras asportavit. Ob furtum hocce gravissimè indignatus Jupiter, Pandoram misit in terram cum pyxide malis oppleta; quam offerret Prometheo; qui veritus id quod erat donum recusavit; quod tamen acceptavit Epimetheus ejus frater, qui aperiens pyxidem mala omnia imprudens effudit in terras; cúmque facti eum pœnituisset, clausit illico pyxidem, & solam spem in fundo hærentem, ne delaberetur retinuit. Horatius lib. 1. carm. id innuens cecinit 31.

Audax Japeti genus,
Ignem fraude mala gentibus intulit
Post ignem ætherea domo
Subductum, macies, & nova febrium,
Terris incubuit cohors

Jussit verò Jupiter *Prometheum* in rupe Caucasea alligari per Mercurium adhibita aquila, quæ ejus cor jugiter exederet. Per ironiam *Alter Prometheus* dicitur, qui audaci temeritate in cœlestia, ac divina fertur, & abditissima divinitatis arcana summa arrogantia rimatur; erroresque inter homines disseminat. Paræmiali sale dicimus ei, quem monere volumus, ut in rebus agendis, præsertim si magni fuerint momenti, ut seria præmittat consilia, non verò post illas: *Præstat Prometheum esse, quàm Epimetheum.* Ille aoluit Pandoræ pyxidem dono oblatam acceptare; iste donum suscepit, pyxidem aperuit, & facti illum pœnituit. Plures sunt, qui in rebus gerendis rati nihil esse periculi: negligunt de ijsdem prævium inire consilium; idque causæ pluribus fuit, ut inciderint in mala irreparabilia; & tunc senserint consultandi necessitatem; cum occasio jam effluxerit. Præstat Prometheum potius esse, quàm Epimetheum. Fuerunt hi duo fratres, in hoc discrepantes, quòd Prometheus consilium præmitteret rebus agendis: Epimetheus verò postponeret, quem propterea facti pœnituit.

32. DEUCALION Promethei filius fingitur, cui adulto Epimetheus patruus Pyrrham filiam matrimonio junxit. Cúmque apud Thessalos regnaret, ingens diluvium contigit; quò humanum genus funditùs deletum fuit, uno Deucalione, ejúsque uxore Pyrrha servatis, qui arreptâ naviculâ in Parnassum montem fuerunt delati; cum verò cathaclismus cessasset, & aquæ descendissent diminutæ, Deucalion Themidis oraculum adijt consultaturus de humani generis restitutione: Themidis oraculum fuit *ut ossa magnæ matris post tergum jacerent.* Conjectis igitur post tergum lapidibus, quos Deucalion jecerat hi in mares; quos Pyrrha in fœminas vertebantur. Juvenal. Satyr. 1.

Ex quo Deucalion nymbis tollentibus æquor
Navigio montem ascendit, sortésque poposcit,
Paulatimque anima caluerunt mollia saxa.

33. ÆSCULAPIUM Apollinis ex Coronide Nympha filium Poëtæ finxerunt Medicorum, & medicinæ Deum: pinxerunt verò senem sensibus hebescentem, fronte rugosa, crinibus defluentibus, articulis vacillantibus, corpore incurvescente; qui cum incederet nodoso niteretur scipione; cui tamen corona laurea cingebat caput, & canes latera stipabant. Gerit coronam compactam ex lauro, quia hæc arbor ad plurimorum valeat malorum remedia. Nodoso nititur scipioni, ad indicandam medicæ artis difficultatem. Canes eidem adpicti significant medici fidelitatem; debet medicus perinde ac canis esse fidelis. Alij putantes Æsculapium incertis natum parentibus, à cane fuisse enutritum, adstruunt proinde canes consuevisse primos homines Æsculapio appingere. Fingitur senio confectus, quia medicus longa indiget experientia, annisque plurimis, ut suam calleat artem. Dicitur Apollinis ex Nympha Coronide filius; quia ille vim solarem; hæc aërem significat; & ex sole cum aëre puro conjuncto salubre exurgit in aëre temperamentum, quod prodest sanitati. Quia igitur Æsculapius summa cum laude artem medicam exercuit, ac ampliavit in Deorum numerum relatus fuit; & cultus primùm Epidauri, ubi natus fingitur, inde Romam accitus, urbem grassante lue epidemica liberavit; quæ causa fuit, cur eidem in Insula Tiberina Templum dedicaretur; ubi sub ingentis serpentis specie colebatur; ea ex causa, quia Romani cum Epidaurum venissent exportaturi Æsculapij numen, ingens serpens in eorum navim se injecerit, quem illi Deum rati Æsculapium Romam secum detulere, eique divinos exhibuerunt honores.

Adolevit ÆSCULAPIUS sub tutela *Chironis* medici, à quo artem medicam perdidicit, in qua sic excelluit, ut ægris valetudinem, conclamatis redderet sanitatem; quinimo fabulantur Poëtæ, mortuos ipsos ad vitam revocâsse. Fuit *Chiron* Centaurus Saturni, & Phyllyræ filius, dimidia sui parte equus, reliqua homo. Fingunt Poëtæ, Saturnum cum Phillyram Oceani filiam adamaret, ejúsque uteretur consuetudine, Opis uxoris interventu turbatum, se illicò in equum convertisse; & Phillyram ex illo gravidam fœtum peperisse, cujus anterior pars hominem, posterior equum referret, eúmque Chironem nominâsse: qui ut primùm adolevit, in sylvas secessit; ibique herbarum virtutes, virésque edoctus, in præstantissimum medicum evasit. Hic postea à Peleo, & Thetide accitus propter probitatem, peritiam, & justitiam, quibus cæteros virtute antecelluit Achillis pædagogus est institutus, quem citharæ artem, & herbarum usum edocuit. Ab eodem Æsculapius artem medicam accepit, & Astrologiam Hercules. Demum cum Herculem hospitio suscepisset, ac ejus curiosiùs arma pertractaret, contigit, ut una ex Herculis sagittis Lerneæ Hydræ imbuta veneno illi in pedem fortuito lapsu decideret, vulnúsque infligeret, quod cum nullo pharmaco, nulláque ope sanari posset, dirissimis tortus cruciatibus postremum vitæ diem claudere non potuit, quia utroque parente immortali natus esset. Cúmque à superis impetrâsset, ut immortalitatem sibi cum morte liceret commutare in cœlum translatus est, ubi & sagittarij munus est ipsi demandatum.

EXPEN-

EXPENSIO XVI.

Subjiciuntur pleraque alia de Diis indigetibus commentitia.

35. PERSEUS à Poëtis adscitus Dijs indigetibus filius fuit Jovis ex Danaë Acrisii Argivorum Regis lectissima filia, quam Jupiter ejus amore captus commutatus in speciem aurei imbris vitiavit. Horatius l. 1. carm.

Inclusam Danaëm turris ahenea
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis,
Nocturnis ab adulteris.
Si non Acrisium, virginis abditæ
Custodem pavidum, Jupiter, & Venus
Risissent : fore enim tutum iter & patens
Converso in pretium Deo.

36. *Acrisius* pater Danaës cum ex oraculo didicisset fore aliquando, ut à nepote occideretur, filiam munitissimæ turri inclusit. Cumque Jupiter eam deperiret, nec alius pateret ad illam accessus, & aditus; assumptâ specie aurei imbris per tegulas turrim ingressus puellæ stuprum intulit, & Perseum peperit, qui avum postea interfecit. Ubi autem Acrisio nunciatum fuit filiam prolem suscepisse, jubet Danaëm unà cum suscepta prole arcæ includi, & in subjectum demergi mare. Verùm extractâ à piscatoribus arcâ, Pilumno Regi delata est, qui Danaëm sibi junxit uxorem, ejúsque filium Perseum educavit, qui post quam adolevit, talaribus à Mercurio donatus, ac adamantina falce, Plutonisque galea munitus, ac Minervæ instructus ægide, seu scuto æreo, ita splendente, ut speculi pellucidi instar species redderet rerum objectarum. Hic hisce munitus ad bellum adminiculis Andromedam Cephei, & Cassiopes filiam quæ ob matris superbiam; quæ se Nereidas formæ præstantiâ antecellere gloriabatur, à Nymphis scopulo alligata, & Ceto devoranda exposita fuerat, liberavit; illac enim peropportunè proficiscens cetum marinis fluctibus innatantem vibrato gladio, objectóque scuto interemit, & solutia è rupe vinculis, quibus Andromede illigabatur, eam sibi in uxorem junxit; & tandem Minervæ beneficio in cœlum delata sedem inter cætera astra obtinuit; oritúrque in parte piscium duodena.

37. PERSEUS mox susceptâ adversus *Gorgonas* expeditione congressus est cum *Medusa* Gorgonum principe, vipereâ cæsarie formidabili, ejus caput in scuto aversus irruens, Pallade manum dirigente amputavit: quod deinde in ægide adligatum abstulit, & ad illius aspectum plures in saxa convertit. Præ cæteris *Atlantem* Mauritaniæ Regem. Ex sanguine verò, qui ex cæso capite in terram defluxit, natus est Pegasus equus alatus, qui cum in Helicona montem evolâsset, saxum ungulâ feriens fontem aperuit, qui græcè Hippocrêne dicitur, seu fons equinus. Postea eum ex Pirene Corinthio fonte biberet, à Bellerophonte captus est.

BELLEROPHON fuit Glauci Regis Ephyræ filius, inclyto decore conspicuus, ac virtutis maximæ. Hic cum à *Stenobœa* uxore Prœti de re venerea interpellatus esset, veritus hospitalis Jovis indignationem urentem insano igne fœminam constanter repulit; verùm repulsa, ac furore mulier amens apud virum innocentem hospitem accusavit: qui hospitij jure motus illum domi interficere noluit; sed datis codicillis ad *Jobatem* socerum in Lyciam misit. Lectis codicillis *Jobates* in ultionem intentati criminis ad Solymos domandos Bellerophontem misit, ut sub palliato prætextu pugnæ interiret. Verùm cum Solymos præclarâ victoria domuisset, & pluribus objectus periculis semper victor vitæ discrimina evasisset: postremò ad interimendam Chimæram missus illam summa cum laude superavit. Hinc *Jobates* virtutem *Bellerophontis* admiratus, alteram illi ex filiabus cum regni dimidia parte dedit; ex qua Isandrum, Hippolochum, & Laodamiam suscepit, ut refert Homerus *lib. 6. Iliad.* Idque cum audisset *Stenobœa* sibi ipsi mortem conscivit. *Bellerophon* verò ex felici rerum successu elatus, cum in cœlum cum Pegaso evolare niteretur, immisso à Jove œstro equo excussus in eum decidit campum, qui postea *Aleius* nuncupatus fuit. *Pegasus* verò à Jove inter sydera est relatus. Qui verò sibi nocet, exitium sibi creat, parœmiali schemate is alter Bellerophon dicitur. Proverbiali sale producuntur etiam *literæ Bellerophontis:* siquidem cum quis literas veluti commendatitias perfert, quæ contra ipsum sunt descriptæ, eique plus obsunt, quàm prosint; dicitur Bellerophontis literas afferre. 38.

CASTOR, & POLLUX fratres gemini fuisse finguntur Jovis ex Læda filij, qui & *Tyndaridæ* passim à poëtis nuncupantur, ut & eorum soror Helena Tyndaris. Fabulantur Poëtæ Lædam uxorem fuisse Tyndari Laconiæ Principis; & Jovem ejus captum amore in Cygnum turpi metamorphosi se mutâsse (qui postea fuit astris adscitus) & cantûs suavitate, alijsque lenocinijs mutuum Ledæ amorem sibi conciliâsse; ac in ejus sinum, irruentis aquilæ quasi impetus declinaturum, veluti in asylum advolâsse, eámque compressisse, licèt ex marito jam gravidam; & Ledam ex eo compressu duo deinde ova peperisse; quæ paulò post exclusa in lucis uluram hos geminos fratres CASTOREM & POLLUCEM effuderunt, qui ad communem laudem adoleverunt, fuerúntque juvenes præstantiâ formæ insignes, & pinguntur equis albis insidentes. Non tamen soli ex gemino illo ovo prodierunt: sed ab ovo quod Leda à Jove conceperat *Pollux* & *Helena* nati sunt, qui fuerunt immortalitate insigniti, quia divino fuissent sati semine. Ex altero ovo, quod erat à Tyndaro conjuge exclusi sunt *Castor*, & *Clytemnestra*, morti abnoxij, quia ex parente mortali progeniti. 39.

CASTOR, & POLLUX ubi primùm adoleverunt mare piratis illud infestantibus purgârunt, & ob id Dij maris habiti sunt: quosque sævientibus in procella fluctibus solent nautæ 40

implo-

implorare, ut à naufragij liberentur discrimine; opémque ferant, ne navis ad scopulos collisa mergatur. Uterque postea cum Jasone ad Colchicam expeditionem sunt profecti; in qua Pollux Amycum Bebryciorum Regem insidias sibi struentem interfecit. Dein ambo domum reversi Helenam sororem à Theseo raptam reduxerunt, subactis, qui pro Theseo pugnabant, Atheniensibus; à quibus ob humanitatem, aliásque egregias animi dotes, & præsertim Clementiam erga victos *Servatores* sunt appellati, quia vitæ servaverint, quos vicerunt. Dijque malorum depulsores sunt habiti, ut albentes agni eorum aris immolarentur; & ipsi inter Deos *Apotropæos* fuerunt recensiti, seu inter Deos malorum depulsores; quibus etiam Romæ insigne dedicatum erat fanum in foro; eò quia Romanis adversus Latinos periculoso, ac ancipiti in prælio crederentur suppetias tulisse. Hi tamen fratres licèt eodem partu nati, nacti varia fuerunt studia. Unde Poëta Venusinus

Castor gaudet equis; ovo prognatus eodem,
Pugnis: quot capitum vivunt; totidem studiorum
Millia

Tandem cum Castor diem suum obiisset, ferunt Pollucem (qui eodem ovo cum Helena natus immortalitate fruebatur) fratris desiderio a Jove petiisse, ut immortalitatem suam posset cum fratre denato partiri, quâ te impetrata fingunt Poëtæ alternis vicibus, eos, & mortem oppetiisse, & revixisse. Virgilius 6. Æneid.

Si fratrem Pollux alterna morte redemit
Itque, reditque viam

Ambo fratres tandem translati in cœlum, ac mutati in sidera, *Gemini* etiam nunc vocantur; quorum dum unus oritur, occidit alter frater. Creduntur hæc sidera fausta trajicientibus æquora, bonúmque adferre omen. Clytemnestra verò nupsit Agamemnoni, quem reducem è Troiana expeditione, consilio, & operâ Ægysthi ex insidijs interfecit; occisura etiam Orestem filium, nisi Electra soror eum ab imminente subtraxisset violenta nece; clámque ablegâsset ad Strophium Phocensium regem; cum quo duodenos demoratus annos inde patriam reversus Clytemnestram cum Ægystho adultero interemit.

41. Castor, & Pollux dicuntur fuisse Dioscuri; & *Dioscurorum vitam agere* paræmialem sapit salem, torquetúrque in illos, qui fortunæ sentientes alternantes vices, modò delicijs diffluunt, & commodis abundant; nunc premuntur miseriis, ærumnis obsiti. Talis fuit apud priscos Romanos Alcibiades, vir summæ elegantiæ, & claris facinoribus inclytus cum utramque fortunæ aleam experiretur aiebat, se Dioscurorum vitam vivere; seu *Castoris*, & *Pollucis*, quorum hic fuit immortalis, cælitum ambrosiâ pastus: ille mortalis apud nigros Manes: sed partita inter se felicitate obtinuerunt, ut alterna vicissitudine, qui hodie esset beatus, & purpureo lumine gloriosus, eras in Erebo tenebris absolesceret. Hanc & nos vitam ducimus, & continuò vetustam fabulam in scenam producimus; quid hac mortali vita instabilius? quid magis fluctuans, rerúmque obnuxium vicissitudinibus? Hodie nos fortuna in sublime attollit; cras nos in tenebricosum detrudit orcum ærumnarum; modò virtutum cultu â efflorescimus; dein vitiorum vepretis obruimur; Castores veri, & Polluces, Dioscuri miserrimi sunt filij hominum, in quos quadrat illud Regij Vatis: *Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos.*

Theseus Æthræ filius fingitur ex Ægeo Atheniensium principe; quo imperante *Minos* Cretensium Rex cædem filij persecutus Atheniensibus bellum indixit; siquidem Athenienses per invidiam illum interfecerant, eò quia in certaminibus omnium primus palmam præripere. Minos igitur debellatis, victisque Atheniensibus hanc illis legem injunxit, ut annis singulis septem ex illustriori nobilitate lectissimi adolescentes in Cretam à Minotauro vorandi mitterentur. Sorte eum Athenis extraherentur mittendi; contigit ut quarta sortitione Theseus debuerit in Cretam trajicere; navem ergo velis prætentam nigris vexillis, aliisque armamentis ejusdem lugubris coloris instructam conscendit, à patre acerbissimo torto dolore præmonitus; ut si quò forte Numine propitio discrimen Minotauri evaderet in patriam redux, vela explicaret alba, & cætera navis armamenta ejusdem albi coloris; ut posset ipse statim felicem conjiceere exitum; ac lætari de filio reduce. In Cretam appulit Theseus, labyrinthum ingressus audax Minotaurum est aggressus, ac interemit; & suppeditante *Ariadna* filum, ejus beneficio inextricabilem labyrinthi carcerem evasit; Cúmque Athenas eadem quâ venerat ferali nave repeteret, immemor paterni moniti. Ægeus ex præcelsa specula filij navem prospectans lugubri colore funestam ratus filium à Minotauro devoratum in subjectum mare doloris impatiens se præcipitem dedit, quod ab ejus nomine mare Ægeum fuit posthac infelici nomenclaturâ vocatum. Fuit Ariadne Minois Cretensium Regis filia, quæ Theseum filo extricavit è labyrintho, & in patriam reducem secuta est usque ad Naxum Insulam, ubi à Theseo ingrato fuit derelicta; Desertæ tamen puellæ miseretus *Liber Pater* uxorem eam sibi junxit; coronámque illi dedit septem stellis illuminatam, quam illeà Venere acceperat, quæque astris adscita fuit post Ariadnæ necem. Fingitur hæc à Diana occisa, quia virginitatem non coluerit. 42.

Plura memoratu digna peregit Theseus. Etenim debellavit Amazones, & earum reginam Hippolytem rapuit, ex qua Hippolytum genuit. Fuerunt Amazones virili animo fœminæ, quæ in muliebri pectore masculam virtutem, & cor virile servârunt, incolentes eam Scythiæ plagam, quæ fluvio Tanai alluitur. Nomen Amazonum traxêre à mamma, quæ illis à cunis amputabatur, ne sagittis vibrandis esset illis impedimento; vel quia ut pluribus placet, communem vitam sine viris agerent: ne tamen muliebris hic exercitus defectu propagationis 43.

tionis periret; cum finitimarum gentium viris congredientes propagationi consulebant, ita tamen ut prolem masculam vix in lucem editam perimerent; puellas verò educarent mammillam dextram iisdem præcidentes, ac inurentes, quò expeditiùs uterentur dextro brachio jaculandis telis, peltisque vibrandis in hostes. Rursus Theseus Creontem Regem Thebarum prohibentem Argivos in bello cæsos sepeliri interfecit. In Attica terribilem, ac indomitum taurum populo infestum inflicto vulnere prostravit. Phædram sibi conjugio junxit. Scironem, Procrustem, & Scinim nequissimos Atticæ grassatores interfecit. Centauros debellavit. Thebas domuit. Pirithoum insigni coluit amicitia, cum quo etiam descendit ad inferos ad rapiendam Proserpinam: enecto tamen Pirithoo ipse aliquandiu in vinculis Plutonis fuit detentus, donec ab Hercule liberaretur. Demum senio confectus patria, & Regno pulsus trajecit navi in Insulam Syrum, ubi appulsus periit interemptus à Nicodemo. Primus Athenis fertur instituisse Panathenæa, seu communem celebritatem in honorem Minervæ.

44. *Filum Thesei trahere Theseum* proverbiali schemate dicitur de auxilio universali, quo opem indigentibus ferimus, ac ipsdem subvenimus. Parœmiæ originem dat Zenodotus, referens, Theseum permultis viris fortissimis in certaminibus auxilio fuisse: quippe, qui, & Meleagro adfuit in interficiendo apro Calydonio: auxiliatus fuit Pirithoo cum centauris pugnanti: item Herculi cum Amazonibus belligeranti. *Sine Theseo aliquid aggredi* solet etiam parœmialiter usurpari, & torquetur in eum, qui fidi alicujus Consiliarii, virique prudentis operâ destitutus, operi alicui manum admovet, cui ex se le est impar.

45. Jason Diis indigetibus præ cæteris adscitus, filius fuit *Æsonis* Thessaliæ Regis ex *Polymela*, seu ut placet aliis ex *Alcimede*; quem pater moriens Peliæ fratri in tutelam commendavit, tradito etiam Regno, ea tamen lege, ut illud Adulto Jasoni cederet. *Alcimedes* verò suspectum habens *Peliam* Jasonem Chironi alendum dedit. Jason igitur cum adolevisset ad repetendum paternum Regnum venit; sed Pelias patruus commentus fraudem, Jasonem Colchos ad auferendum aureum vellus navigare jussit, specie quidem inde asportandi aurei velleris; re autem ipsa ut itineris labore pressus occumberet. Vellus aureum pellis erat arietis, quam alii candidam, alii purpuream fuisse putant. Hunc arietem Phryxus Athamantis filius, à Nephele matre olim acceptum, sibi malè metuens ab Inûs novercæ insidiis, unà cum sorore Helle inscenderat, fugâ vitæ consulens, sed ariete vecti cum ad Pontum, ex qua parte mare est angustius, appulissent, Helle fluctuum agitatione perterrita decidit in mare, quod ab illa suam sortitur nomenclaturam, diciturque *Helle* & postea cum addito *Hellespontus*. Phryxus verò feliciter transvectus ad Æetam Colchorum Regem confugit, à quo perbenignè acceptus Jovi, aut Marti, ut fabulantur plures, arietem immolavit astris postea adscitum; ejus verò pellem, seu vellus in Martis luco suspendit ab arbore; ex eo autem quòd vellus hocce ab arbore pendulum aureum referret colorem *vellus aureum* dictum est, quod veluti divinum pignus, remque sacram tauri ferocientes, ignem, fumúmque naribus efflantes custodiebant, ut & pervigil immanis draco.

Jason igitur jussu Peliæ patrui eam conscendit navim, quæ ab opifice *Argos* dicta est, unà cum novem supra quadraginta lectissimis sociis, qui laudis, ac gloriæ appetentes Jasonem sunt sequuti; & omnes *Argonautæ* dicti. Inter quos eminebant præ cæteris Hercules, Orpheus, Castor, & Pollux. Datis vento velis inter navigandum ab itinere deflectens appulit Jason ad Lemnum Insulam, ubi ab Hypsipyle Lemni regina non solum hospitio, sed & thalamo susceptus est: dein pluribus perfunctus periculis ad Phineum regem pervenit, à quo muneris loco edoctus est, quomodo per Cyaneas portas inter se concurrentes ad Colchos usque tuto posset itinere tumidos illos trajicere fluctus; cúmque Colchidem appulisset; Medea Colchorum regis filia capta Jasonis formâ à certissimo ipsum eripuit exitio; ostenditque, quâ ratione & æripedes tauros perdomare, & draconem pervigilem sopire posset. Ejus consilia sequutus Jason Tauros subegit, Draconem sopivit, vellúsque aureum abstulit; & nocte intempesta clam cum sociis, & Medea fugam arripiens ad Istri ostium appulit, adversóque flumine subiens ad eum tandem locum pervenit, ubi Danubius Liburniæ montibus proximus effluit. 46.

Æta Rex fugientes insecutus est, quem ut Medea ut remoraretur, Absyrtum fratrem, quem ad id viæ comitem duxerat, frustatim discerpsit, & lacerata, recentique sanguine madentia membra sparsit per agros, quibus colligendis pater ab insequendo retardatus est. Interea Jason navim, quâ vectus erat suis, & socimrum humeris, superatis montibus in mare Adriaticum deportavit. Sospes in patriam cum aureo vellere revectus est, ubi Medea notpote veneficiorum peritissima Æsonem Jasonis patrem senio confectum veneficiis in pristinum restituit juventutis florem. Duos *Jason* ex *Medea* filios suscepit; sed cum postea *Creusa* Corinthiorum regis filiæ amore flagrans eam sibi in uxorem junxisset. Medea ægrè ferens divortium, Creusam unà cum tota regia extictato incendio exussit. Alii adstruunt, Medeam, ut Jasonis ulcisceretur perfidiam ignem in scriniolo clausum muneris loco misisse ad Creusam filiam Creontis Corinthiorum regis, quo ipsa cum tota regia exusta est. Porrò Medea filios geminos a Jasone susceptos conspectante patre trucidavit, discerpsitque in frusta, quæ cruore fumantia objecit Jasoni: sunt qui referunt, Medeæ postea reconciliatum Jasonem Aetem socerum à Persa fratre pullum in regnum restituisse, ac pleraque alia præclara gessisse, ob quæ divinos in Asia fuerit honores promeritus. Putant alii, Medeam contrucida- 47.

tis filijs, & exusta Creusa cum tota Corinthiorum Regia volatu magico triveneficam Athenas se recepisse. Latiùs describunt hanc fabulam Appollonius Rhodius, Vallerius Flaccus, & Seneca Tragœdus.

48. Non ferro semper matres, quos pepererant filios perdunt; sed & blanditijs, ac voluptatum illecebris enecant. Non matres illas dixeris, quæ in liberos molles deliciarum flores perfundunt, ut masculum exuant vigorem, induántque gynæcei mollitiem. Non matres sunt, sed novercæ, quæ liberos quasi Sardanapali posteritatem enutriunt; & quidquid virilis inest, voluptatibus frangunt. Sunt sanè Medeâ ferociores, quæ filiorum corpori deliciarum luxu blandientes, animum nimia mollitie trucidant.

49. *In Medeæ sinu nidum locare* proverbialem salem sapit, usurpatúrque ad indicandum malè ei aliena committi, qui sua non valuit servare. Medea filijs non pepercit suis, quos in patris conspectu trucidavit; inde conjiciendum, alienis haud parcituram. Concinnè Politianus

Medeæ statua est misella hirundo,
Sub qua nidificas, tuos ne credas
Huic natos rogo, quæ suos necarit.

50. Claudit HERCULES agmen Heroum, quos Ethnica Poesis Dijs adscivit Indigetibus. Fingitur HERCULES Jovis, & Alcmenæ filius, qui ob fortitudinem, ac præclara gesta creditur inter Deos relatus. Cicero *lib. 3. de natura Deorum* sex enumerat Hercules, quos operæ pretium est distinguere.

51. Primus *Hercules* fuit, qui certavit cum Apolline de tripode. Erant *tripodes* (ait Servius) mensæ in templo Apollinis Delphici, quibus superpositæ *Phœbades* vaticinabantur; alio nomine *Tripus* dicitur *Cortina*; Plinius lib. 34. cap. 3. *Ex ære factitaverunt, & cortinas tripodum nomine Delphicas, quoniam donis maximè Apollinis Delphici dicabantur.* Tripodibus Græci viros donabant cæteris fortiores, quia non facilè succumbunt. Horatius *lib. 4. carm. Ode 8.*

Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum.

52. Alter fuit *Hercules* Ægyptius, quem aiunt, Phrygias literas conscripsisse.

53. Tertius ex Idæis Dactylis, cui inferias afferunt; seu sacrificia, quæ Dijs inferis, ac Manibus solvuntur, de quibus Virgilius 9. Æneid.

Absenti ferat inferias, decoretque sepulchro

54. Quartus fuit Jovis filius ex Asteria Latonæ sorore, qui Tyri colitur, filiámque habuit Carthaginem. Quintus Hercules, qui *Belus* dictus fuit apud Indos. Sextus Thebanus ex Alcmena, & Jove tertiò genitus, & de quo hic loquimur. Fuit *Alcmena* Amphitryonis Thebanorum Regis uxor, quæ à Jove delusa concepit, peperitque Herculem. Fabulantur Poetæ Jovem Amphitryonis absentis sumptâ exteriori specie, mentitóque habitu venisse Alcmenæ domum quasi ex itinere reducem. Hinc in fraudem facili negotio inducta mulier, fallacem Deum non solùm excepit hospitio, sed etiam thalamum tamquam marito paravit; filiúmque ex eo concepit, ac peperit eâ membrorum mole, ea virium firmitate, eóque corporis robore; ut parem non habuerit. Prægnans etat Alcmena ante patratum cum fallaci Numine adulterium; & ab Amphitryone jam conceperat masculam prolem, quam eodem partu cum Hercule dedit hujus lucis usuræ, & Iphiclum nominavit, qui tantæ fuit pedum celeritatis, ut de ipso cecinerit Orpheus in hym.

Nam super extremas segetum currebat aristas
Nec siccos fructus, lædebat pondere plantæ

Juno autem Jovis conjux odio exarsit in 55. Herculem, quem ut perderet duos immisit angues, à quibus adhuc in cunis vagientem interficeretur; sed fortissimus pusio unges movens in angues, utrumque anguem, ungue discerpsit, & occidit; hinc Ovidius in Dejan. alloquens Herculem in cunis vagientem, cecinit.

Tene ferunt geminas pressisse tenaciter angues,
Cum tener in cunis jam Jove dignus eras.

Ope tamen Palladis infanti Herculi mox reconciliata Juno ubera admovit. Verùm cum supra ætatem avidiùs lac puellus inclytus exugeret, & mammam asperiùs succuteret, à Junone indignata depulsus non nihil lactis effudit, quod in cœlum defluens viam lacteam signavit; & guttæ aliquot, quæ in terram defluxerunt, in lilia statim effloruerunt, quæ à Poëtis dicuntur etiam *Junoniæ Rosæ*. Duplex fuit Herculi nomen à robore enim immenso, quo valuit, ac cæteris antecelluit hominibus vocatur *Alcides*; à rebus præclarè gestis, & præsertim ab odio Junonis *Hercules* nuncupatur. Fuit enim Junonis odium Herculi occasio superandi plura pericula, résque præclaras agendi.

Herculis præclariora gesta duodecim à 56. Poëtis recensentur. *Leonem Nemæum* trucidavit. Fingitur hic leo à Lunæ circulo delapsus in Nemæam sylvam, quæ & Cleone dicebatur, unde etiam *Leo Cleonæus* dictus, qui cum loca infestaret contermina, neque ullo posset gladio interfici. Hercules liberaturus regionem illam à diuturna infestatione leonem illum unguibus discerpsit, & detractam pellem pro thorace adhibuit. Idque causæ Herculi leoninam induendi pellem.

Hydram septeno capite horribilem *Lernea* 57. in palude stabulantem, ac finitimis populis terrores incutientem ferro trucidavit, igne extinxit: ea fuit hujus monstri natura, cui si unum amputaretur caput, aliud recens pullularet, nisi sisteretur igne sanguis ab inflicto vulnere difluens. Hercules igitur *Jolai* operâ è proxima sylva accensos torres suppeditantis ferro armatus, & igne Lerneum monstrum adoritur, colla vibrato gladio cædit, capita amputat, admotis flammis fluentem sistit sanguinem, monstrúmque delet.

Aprum in Erymantho Arcadiæ monte na- 58. tum magnitudine, ac ferocitate terribilem, agrorúmque vastatorem edomuit; vivúmque in humeris detulit ad Eurystheum, qui cum vivum fuisset aprum intuitus terrore perculsus in æreo se vase abscondit Virgil. lib. 8.

Fixerit æripedem cervam licèt aut Erymanthi
Placârit nemora, & Lernam tremefecerit arcu

Cervam

59. *Cervam* ærens habentem pedes, cornuáque aurea; quam nemo cursu valeret attingere, nec telo confodere, quia Dianæ esset sacra, Hercules jussu Mycenæ annum totum circum eundoest insecutus, & tandem assecutus, captam super humeros extulit.

60. *Stymphalides aves* à stymphalo in Arcadia lacu suam sortitae nomenclaturam, humanie carnibus vesci assuetas partim interfecit, partim fugavit. Ferunt stymphalides tantæ fuisse magnitudinis, ut solis radioe obumbraverint, & totam devastârint Arcadiam, donec ab Hercule ænei crepitaculi sonitu pellerentur, vel occiderentur. Virgilius de Herculis ærumnis:

61. *Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.*

Amazones fœminae bellicosissimas ad Thermodnonta incolentes, quæque potissimam Asiæ partem virtute martiâ, viqne armorum occupaverunt, vicit, ac profligavit: Baltheúmque, quo nullus erat in orbe pulchrior, & ditior, eripuit Hippolytæ earum reginæ.

62. *Augiæ Bubile*, in quo tria millia boum triginta annis fuerant stabulata, nunquam egesto fimo, uno die inducto flumine repurgavit. Hinc *Augiæ stabulum repurgare* parœmiâ allegoricâ effertur in hominem, aut rem majorem in modum inquinatam. Augiæ fimue dicitur etiam proverbiali sale de homine valde inquinato, cui repurgando non satis sit eujusvis industria: utitur hoc proverbio S. Gregorius Nazianzenus *Epist. 8.* inquiens: *Quónam porro modo, steriles illos hortes, oleribúsque canentes prætribo*, AUGIÆQUE FIMUM *è domo expurgatum, quo eos amplectimur.*

63. *Taurum* domuit, cui Neptunus furorem immiserat, eò quòd Minos Nepruno sacrificaturus optâsset victimam majestate illius dignam: cui eum pulcherrimus Taurus ab eodem Deo fuisset oblatus, ipsúmque Minos servare voluisset, Neprunus iratus furorem immisit tauro servato, qui excusso jugo Cretæ Insulæ plurima intulit damna; fuitque Cretensibus terrori, donec ab Hercule edomaretur.

64. *Diomedem* Thraciæ Tirannum, qui equoe suos hospitum carnibus, & sanguine pascebat, devicit, devictúmque ipsius equis in pabulum objecit. Ovidius in Ibin.

Ut qui Threicij quondam præsepia regis
Fecerunt dapibus sanguinolenta suis.

Diomedea necessitas abijt in parœmiam, & de ijs dicitur, qui vi adacti, non sponte, quid faciont. Hoc adagium originem trahit à Thracio Diomede ab Hercule victo, quique consueverat hospites suos compellere, ut cum filiabus suie deformissimis rem haberent, & postea eos interficiebat. *Diomedis equos alere* proverbiali sale dicitur de illis, qui beneficijs eos cumulant, à quibus sunt damna passuri. Diomedes enim à proprijs equie dicitur devoratus. *Diomedis, & Glauci permutatio* etiam abijt in proverbium, quoties inæqualem permutationem significamus, seu deteriora pro melioribue reddita. Vel quoties officium, aut munus longè impari præmio pensatur.

65. *Geryonem* Hispaniæ regem bello superavit; ejus puniceos boves, qui vorarent hospites; cane bicipiti, & dracone septeno capite horribili accisis gregis custodibus, abegit, abduxitque in Italiam. Fabulantur Poëtæ *Geryone n* tricorporem fuisse ob triplex regnum; præfuit enim tribus Balearicis Insulis, quæ Hispaniæ adjacent. Fingitur etiam bicipitem habuisse canem, quia terrestri, ac navali certamine plurimum potuit. Hinc *Geryonem agere* parœmiali sale dicitur de viro, qui maxima virtute pollet, & qui plura simul potest perficere, quæ vix alius seorsim.

In Hesperidum hortis interempto priùs *Dra-* 66.
cone pervigili *aurea mala* abstulit, quæ ad vitricum Eurystheum retulit. Fuerunt Hesperides Hesperi fratris Atlantis filiæ, quarum nomina erant *Ægle*, *Aretusa*, & *Hesperetusa*, quas Poëtæ fabulantur habuisse hortos nemore aurifero pretiosos, ubi aderat Draco custos pervigil mala aurea solerti observans vigilantia, quem Hercules interfecit. Plinius, & Solinus interpretantur fuisse æstuarium maris meatu flexuolo instar Draconis, quòd hortos Hesperidum amplectabatur, ubi præter oleastrum, nil aliud ex celebri illo aurifero nemore extare prodiderunt.

Jussu Eurysthei ad inferos penetravit, *cer-* 67.
berúmque canem, seu tricipitem, triplici vinctum catena adduxit, & frustra oblatrantem retraxit ad superos. Cum autem primùm tricerberus lucem aspexit evomuisse fertur, & ex ejus vomitu natum Aconitum, herbam veneno infectam. Hi sunt duodeni labores Herculei jugiter à Poëris decantati, qui totidem exhibentur carminibus à Smyrnæo.

Prima Cleonæi scelerata ærumna Leonis
Proxima Lernæam, ferro, & face contudit Hydram
Mox Erymantheum vis tertia perculit Aprum
Æripedis quartò tulit aurea cornua Cervi.
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.
Threiciam sextò spoliavit Amazona Balthco
Septima in Augiæ stabulis impensa laboris,
Octava expulso numeratur Adorea Tauro
In Diomedeis victor jam nova quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.
Undecimum Mala Hesperidum districta triumphum,
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

Macrobius *lib. 1. Saturnal. cap. 2.* Asserit Herculem esse solem; & duodecim prærecensitoe Herculis labores totidem significare signa zodiaci, quæ Sol singulis annis percurrit.

Plura alia à Poëtie recensentur ab Hercule 68.
præclarè gesta; & carminibus haud modicè commendata: etenim ut deprehenditur ex Poëtis Hercules. *Antæum gigantem* in Libia luctâ victum suffocavit. Fuit *Antæus* Gigas Lybicus Neptuni ex terra filius, magno, ac procero corpore; quippe qui in quadraginta cubitos excreverit. Hic cum Hercule congressus quoties membra languescerent ex labore luctæ tactu telluris recreabatur, ac vegetior surgens fortiori impetu urgebat; idque animadvertens Hercules altè sublatum terræ contactu prohibuit, pectorique suo arctiùs astrictũ interfecit. Refert Plutarchus, Sertorium Romani exercitus Præfectum apud Tygænam oppidum in sepulcro Antæi cadaver

invenisse. Eusebius in Chronicis asserit, Antæum Palæstricæ artis fuisse peritissimum, & in quovis certaminum genere versatissimum; & ob id filium terræ fictum fuisse, & ab eadem virium suscepisse incrementa.

69. *Busiridem* occidit. Fuit *Busiris* Neptuni, & Libyes filiæ Epaphi filius, & crudelissimus Ægyptiorum Tyrannus, quo tempore Danaus Argivis imperavit. Hic cum hospites omnes Jovi immolaret; ab Hercule In Ægyptum profecto, cum easdem & ipsi insidias pararet, unà cum Amphidamante filio, & præcone Chalbe, cæterisque fani, aræque ministris necatus est.

70. *Calpen, & Abylam* montes antea conjunctos sejunxit, effecitque ut naves è mediterraneo mare in Oceanum possent trajicere. Est Calpe mons Hispaniæ ad Gaditanum fretum; circuitu non magnus, editissimus tamen in fastigio; oppositus Abylæ monti Africæ, alteri ex columnis Herculis. Hoc etiam nomine dicta est Insula in occasu post Gades angusto discreta freto.

71. Cœli immensam molem defesso, & jam ponderi succumbente Atlante humeris tanto ponderi fupparibus tulit. Fuit *Atlas* Rex Mauritaniæ, qui homeris cœlum sustinuisse dicitur. Parœmiali ironia exiguum viribus, Atlantem vocare solemus; sicut Æthiopem Cygnum; ingenio hebetem aquilam: Scribanius carpens cujusdam ambitionem, ait: *credo etiam Hercule te natum, & succedaneos humeros Atlanti commodâsse.* Qui magno se involuit negotio, vel operi, cui vires non suppetunt, ipsique sibi ma'um accersit, dicitur etiam parœmiali sale *Atlas cœlum suscipiens.*

72. Præterea Hercules *Cacum* latronem filium Vulcani semi-hominem, & flammivomum oppressit. Is Latium undique latrocinijs, & incendijs infestabat: Herculis quoque ex Hispania occiso Geryone redeuntis, & apud Evandrum hospitantis boves noctu caudâ traxit in antrum suum; cumque mane diminutum numerum animadverteret Hercules, nec quorsum erràssent scire posset; ex mugitu tandem cognovit Caci fraudem; & ex montis cacumine dejecto silice Cacum interfecit. *Lacinium* quoque latronem extremam Italiæ oram infestantem sustulit, ibique Junoni templum construxit, quod Junonis Laciniæ appellavit. *Albionem*, & *Bergionem* iter ipsius impedientes haud longè ab ostio Rhodani, & à Jove patre saxorum pluviâ adjutus profligavit, oppressitque. *Pyrechmum* Eubiæ regem Bœotiis bellum inferentem vicit, cúmque pullis equinis alligatum in plura discerpsit frusta.

73. *Hesionem* Laomedontis filiam monstro marino objectam liberavit ab imminenti vitæ discrimine, occiso priùs Ceto. Sed cum Laomedon equos præstantissimos in præmium illi pollicitus, cedere detrectaret, indignatus Hercules *Troiam evertit*: & occiso rege Hesionem Thelamoni, qui primus murum conscenderat in prædæ partem concessit. *Côn* Insulam in mari Ægæo unam Cycladum diripuit, regémque Eurypylum cum uxore, & liberis trucidavit; eò quia procellæ impetu illuc adpulsum, & impeditum ab urbe, & hospitio prohiberent, postquam ab eversione Troiæ, & Laomedontis rediisset. *Alcestim* Admeti Regis conjugem ab inferis ad virum reduxit. *Aquilam*, quæ Promethei in caucaso relegati jugiter renascens jecur exedebat sagittis trajecit. *Pylum* diripuit, ejúsque regem, & Neleum cum tota domo, uno excepto Nestore trucidavit; immo, & Junonem Neleo opem ferentem telo trisulco vulneravit.

74. Demum *Eurytum* Oechaliæ regem interfecit; ipsámque Oechaliam urbem solo æquavit, delevitque, & Jolem Euryti filiam sibi in uxorem denegatam (quam tamen parens antea ei desponderat) vi obtinuit, eámque secum in Eubœam adduxit. Idque cum Deianira Herculis conjux resciviisset maritum suum amore Joles detineri, per Lycham servum vestem illi misit Nessi Centauri sanguine madidam, ac fœdam; rata fore, ut eâ ratione languentem viri amorem excitaret, eúmque ab aliis fœminis avolsum ad se unam revocaret; sicut Centaurus ipsi persuaserat. Sed Hercules cum sacrificaturus vestem induisset actus in rabiem constructa pyrâ se ipsum combussit; & post mortem in Deorum numerum est relatus.

LIBER IV.

De Iconica Poëſeos Eruditione.

CUm Poëſis in id incumbat ſtudii, ut animos aucupetur per inſtrumenta ſenſibus eblandientia exterioribus, non ſolùm verba adhibet in carminibus lecta, ſonantia, lenia; perinde ac micantibus illuſa ſloſculis aſarota; verùm & iconum oblectamenta, quarum beneficio, quæ ſenſus omnes fugiunt exteriores, figuras, corpúſque induunt, ut oculis ſubjiciantur, quos demulceant; ac ſuaviùs mentem ſubeant; quam non per aures ſemper, ſed blandiùs etiam per oculos inſtruant objectis imaginum blandimentis. Inter cæteras Poëſeos divitias Iconiſmi commendatur pulchritudo, quia colorum varietate, ac figurarum elegantiâ ſimul docet, & delectat; inſtruit, & tacet. Mutuam ſibi operam Poëſis, & Pictura fideliſſimè præſtant, hinc Lyricus Venuſinus *ut Pictura Poëſis erit.* Et Simonides referente Plutarcho; Picturam Poëſim tacitam; & è converſo Poëſim Picturam loquentem argutè vocavit.

EXPENSIO I.

Quidditas Iconicæ Eruditionis donatur explicatu.

1. EST Icon, ſeu Iconiſmus, formæ eum forma, cum quadam ſimilitudine comparatio, quâ nihil clariùs docet, nihil movet ſuaviùs, nihil jucundiùs eblanditur. Perfunditur delectatione, ſi quis Poëſim videat eleganti penicillo in lævigata depictam tela, eriſmate fulta, varióque oblita colore; quamque exhibeat inſignis puella, quæ formæ venuſtate, concinno corporis cultu, membrorum apta ſymmetria cæteras antecellat venuſtates: & ſiniſtra lyram teneat; dextra arcum ſetis intentum, quem è Bellonæ caſtris ad Muſarum Parnaſiacum collem ars tranſtolerit; joſſeritque vices plectri gerere; cui aurea è zona pendeat perſona imitandis ex orcheſtra hominum moribus accommodata: videatur ipſa puella Poëſim repræſentans ex arcano ſupremi pectoris ſino delapſa, nec ſine Numinis afflatu concepta; ſitque habitu verecundo, facie virginali, & jucunda. In hac certè pictura ſi ſpectem differentiam linearum alterna ſe vice iuvantium; colorum varietatem; corporis membra aptiſſimo inter ſe nexu colligata; in membris diſtinctos articulos, umbrarum receſſus, ac depreſſiones, & ab his exultantes luminum eminentias; ordinem partium, & totius operis venuſtatem, ac ſymmetriam plurimo afficior oblectamento. Solent enim oculis objecta blandiùs, ac jucundiùs animum allicere, ac movere, quàm ea, quæ aut dicta, aut ſcripta ſunt; certiùs enim, ac perfectiùs animos ſubit quod ſub oculos cadit, quàm quod aut ſcriptæ literæ exhibent, aut vox audita; hinc Horatius

Segniùs irritant animos demiſſa per aures;
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Verba ſæpe mentiuntur, facilè effluunt, & 2.
ad perfectam de rebus ingerendam imaginem minus ſufficiunt: rerum verò imagines, quum aliquam cum rebus ſignificatis præſeferant ſimilitudinem, vel ſaltem ſenſibili magis ſpecie;

magisque formandæ imagini veri apta sensum feriant exteriorem; altiùs, firmiùsque memoriæ hærent, promptiúsque insident. Hinc ars illa memorandi, quam Cicero tradit; atque post illum alij profitentur, nonnisi certarum signis innititur imaginum: ait Tullius lib. 2. part. *Imagines notæ sunt, quibus quæ discenda sunt notamus, ut locis pro cera, simulacris pro literis utamur*: hoc est usurpamus imagines pro literis; quia sunt imagines veluti rerum ipsarum sermones; neque prisci in Ægypto homines alijs fuerunt literis usi, quàm rerum imaginibus, ut enim refert Diodorus Siculus *lib. 3. Hist.* apud Ægyptios ars literalia non compositione syllabarum, sed descriptarum imaginum significatu, & translatione per excitationem memoriæ insculpta, subjectam orationem exprimit, & absolvit.

3. Hoc imaginum blandimento si virum velles expressum, literis, doctrináque vacuum, scientiarum tamen simulatorem; quique plures coacervaverit libros, refertámque possideat bibliothecam: piscem pingi curares citharedum, in quo expressum agnosceres doctrinæ simulatorem. Piscis hic ex Æliano *lib. 11. cap. 11.* in mari rubro, discriminato vertice, pinnis aureis, rutilique coloris fulgore efflorescens, cinctatam dorso gestat nigris lineis, quasi fidiculis incensam; sed nec vocis cantum, nec ex pulsu citharæ ullam expectes harmoniam; mutus est ex grege squammigero piscis. Haud dissimili modo consertam libris bibliothecam ostentat vanus doctrinæ simulator, cum nec hiscere quidem, nec linguam solvere in publico audeat.

4. Hominem avaritiâ sordidum, divitijs inhiantem, coloribus delineatum exhibet Dipsas serpens, cujus venenum sitim excitat ardentissimam; ut qui ab eo icti sunt vina petant, & fontes, sed frustra; siquidem in horas acrior semper exardescit sitis, quæ nulla potest potione restingui; ita sitis avaritiæ, pecuniarúmque cupiditas nunquam expletur, quia ut pulchrè Horatius *lib. 3. Od. 16.*

Crescentem sequitur cura pecuniam
Majorúmque fames.

5. Belli ducem militari stratagemmate adversarium licèt fortiorem superantem, atque ad fugam adigentem exhibet Mustela cum serpente pugnatura; hæc rutam primùm edit, deinde fidenti animo ad pugnandum veluti armis tecta, clipeóque protecta læta ac tuta procedit. Causa est ait Ælianus *lib. 4. de Animal. cap. 14.* quia rutæ odor est serpentibus infestus. Hominem castitatis studio insignem, qui potiùs damnum quodlibet subire malit, quàm contaminari; cujusmodi fuit generosissimus adolescens Damocles, qui in balnei labrum fervens maluit se conjicere, & cruciabili dolore extingui; quàm nefariæ Demetrij regis libidini pudicitiam prodere, ut refert Plutarchus in Demetrio; adamussim exprimet mus albus, seu Armenius, si pingatur: est Armenius mus villis, ac pellium mollitie delicatissimus, cui spurcitia tanta est abominationi, ut limo ante ostium cavernæ illito, capi potiùs à venatoribus patiatur, quàm illo fœdari. Juvenalis Satyr. 8.

Summum crede nefas animam præferre pudori.
Et propter vitam vivendi perdere causas.

Imagines, quibus utuntur Poëtæ aliæ dicuntur corporum; animorum aliæ; illæ sunt, quæ ad cognoscendas res corporeas viam sternunt, ac ducunt; istæ quæ ad contemplandas animi affectiones, virtutes, vitia mentem convertunt; quia verò quæ ad animum spectant minimè sub sensus cadunt exteriores; ideo quodam utitur rerum sensibilium similitudine, aut conjunctione, quâ facilè ex rebus corporeis, quæ sub sensus cadunt exteriores in notitiam venimus rerum insensibilium, & quidem tanto majori voluptatis sensu, cognitionisque voluptate, quanto rariùs, dulciúsque est animos, ac mores hominum per sensibilia involucra contemplari. Nil delectabilius, quàm intimos animi recessus penetrare, dotes introspicere; & quæ sub oculos minimè cadunt, sensibus objicere contemplanda. Hinc Momus apud Poëtas rigidissimus divinorum operum censor, postquam absolutam à Prometheo hominis fabricam, ejus indolem, ac proprietates consideràsset; adhuc erroris effectam hominis structuram redarguit; eò quia Prometheus fenestram in pectore non aperuerit, ut animi affectiones, & occultas cordis posset cogitationes introspicere. Hujus voto Momi visi sunt Poëtæ fecisse satis, cum signa invenerint sensus ferientia; in quibus pellucido veluti in speculo, hominis ingenium, virtutes, vitia, consilia, & alia quæ sensus alioquin fugiunt, non absque suavi illicio intueremur. 6.

Quia verò diversa sunt hominis instituta, consilia, & sensus; ita variæ sunt harum species imaginum. Vel enim politicos hominum mores, ac officia exprimunt civilia; & tunc sensum exhibent tropologicum: vel exponunt res divinâ apprehendendas fide, & sensum continent allegoricum: vel illa repræsentant, quæ ad cœlestem pertinent beatitatem, quæque propterea speramus assequi, ijsque donari, & sensum habent anagogicum. Imago in sensu tropologico exhibens corruptos hominis mores multiplex nobis à natura suppeditatur. Hominem calumniatorem tropologicè exhibet Cynocephalus habens hominis caput, caninam faciem, stridorem muris, estque animal sævioris ingenij, quod nunquam, aut rarissimè cicuratur: si Cynocephalum pingas, calumniatorem exprimis; siquidem canina facies rabiem innuit dicacitatis. Stridor muris obmurmurationem; & feritas nescia mansuescere maledici calumniatoris ingenium. Aliter pingitur etiam Calumnia apud Lucianum ex Apelle, ubi exhibetur eximiè compta vultu, ipso tamen gestu corporis effictam præseferens rabiem; sinistrâ facem tenet flammivomam; dextrâ adolescentem capillis prehensum, manus in cœlum intendentem secum rapit: præit vir squalidus, ac pallidus in speciem impurus; acie tamen oculorum minimè hebete; & ijs similis, qui fontico morbo contabuerunt; adcout facilè 7.

ciliè conjicias ex delineatione, ac specie extima, Livorem esse in homine adumbratum; ad cujus dexteram sedet quispiam auribus prolixis insignis, quales Midam habuisse, est in fabulis; quique duabus mulieribus stipatus Ignorantia, & Suspicione, manum porrigit venienti Calumniæ: ornatrices itidem suas habet calumnia, insidias, ac fallacias: à tergo sequitur Pœnitentia, quæ amictu lacero, capite demisso cum lacrymis, & pudore venientem expectat Veritatem.

8. Hominem ventri indulgentem, bona omnia in popinis & cauponis abligurientem tropologicè exhibet apud Petronium catus, qui vivus à pica mortua, quam ipse devoraverat fatali ingluvie suffocatur: eleganter Petronius eum subjecto carmine describit.

Mordaces morsu solitus consumere mures
Invisum, & domibus perdere dente genus,
Catus in obscuro cepit pro sorice picam,
Multiloquumque vorax sorbuit ore caput.
Pœna tamen præsens prædonem plectit edacem:
Nam claudunt rabidam cornea labra gulam,
Faucibus obsessis vitalis semita cessit,
Et satur esculi vulnere captor obit.
Non habet exemplum volneris vindicta perenne?
Hostem pica suum mortua discruciat.

9. Tropologicè virum circunspectum, qui sibi scit cavere, non se voluptatibus sensuum immergens, sed sibi in vitæ periculis prudenter prospicit; exhibet Ægyptius canis sagacissimus Nili ebibens latices. Ægyptij canes, ait Ælianus *lib. 6. cap. 53.* cum illa, quæ in Nilo degunt timeant, ab his admodum fugitivi sunt neque quamvis illuc sitis ad bibendum eos attrahat; ferarum Nili metus quietè ipsos potione se reficere non finit. Ideo ne quid eorum, quæ in fra aquam degunt emineat foras, ipsósque obtorta gula de ripa in altitudinem abripiat, non inclinatione corporis abjecta incumbunt ad bibendum; sed ut primum ad ripam successerunt fellinanter, & in cursu linguâ lambentes rapiunt, ac certè potionem furantur.

10. Adolescentes bonæ indolis non esse verberibus cogendos, sed honestatis amore alliciendos exprimit camelus onusto dorso montes conscendens, cui ductor moduletur. Camelus, ait Majolus *colloq.* 7. musicâ, ac modulatione plurimum delectatur, & capitur; hinc si longa itione fessus subsistat, progredi detrectans, ductor non flagris, non verberibus eum ad progrediendum stimulat; sed harmonico aliquo sono, cantúque demulcet; perditurus alitet operam. Adolescentes bonæ indolis hoc illecebrarum genere alliciendi sunt ad literarum studia. Hominem vigilantem, ac solertem exhibet Delphinus ex Æliano *lib.* 11. *cap.* 22. Refert enim, Delphinum perpetuo esse motu præditum; adeout nec dormiens à motione quiescat: siquidem cum necesse habet dormire, ex alto ad summam aquam elatus, ut totus apareat, sopitur; non enim est Delphinus somni expers: atque ita dormiens in profundum tamdiu depellitur, quoad imam sedem maris contingat: ad quam postquam funditùs delapsus est, terræ pulsu è somno excitatur; deinde ex alto emergit, & repetito somno similiter, ac antea ad maris fundum appulsus expergiscitur; tum rursus eminet extra aquam; idemque semper repetit donec somno sufficienter indulserit. Decet hæc vigilantia viros principes; præsertim in castris supremos exercitûs præfectos. Hanc exemplo edocuit Hannibal Carthaginensis, & verbo, cui hæc erat sententia *Vita mihi vigilia est:* & Silius Italicus *lib. 22.* loquens de Hannibale cecinit

Pœnus ut ad somnos, vix totam curribus actæ
Indulsit pubi noctem, vigil ille, nec ullam
Ad requiem facilis, credensque abscedere vitæ
Quod sopor eripiat tempus.

Imagines Poëseos sensum exhibentes allegoricum sunt, quæ viam sternunt ad intelligentiam rerum divinarum, quas per fidem apprehendimus. Si velimus imaginem exhibere, quæ sensu allegorico nobis adsignificet utilitatem, & commoda, quæ nobis intulit Christi baptismus; possumus Monocerotem pingere cornu fluvij aquas agitantem, ac venena ab iisdem pellentem, ut cæteris prosint, non obsint animantibus. Referunt, Monocerotis cornu præsentissimum esse adversus omnem vim venenorum alexipharmacum. Hine in Attica ubi ob penes innumeram serpentum multitudinem persæpe contingit pellucidos amnium latices veneni tabe inficiari; Monoceros singulari, ac mira, quam gerit in cornu virtute aquas exagitat, ac purgat; quapropter naturæ instinctu solent cætera animantia ad sitim extinguendam protectura sequi Monocerotis vestigia, & ad fontem anhela se sistere, donec ille intincto cornu labem eluerit aquarum; id enim ubi senserunt, deposito statim metu salutaribus illis laticibus fauces tecteant, vires reficiunt, sitim restinguunt. Quid ni? an non Christi nobis baptismum exhibet Monoceros, quem fide credimus? siquidem Christus ut filius Unicornium ad abluendas nostrorum sordes scelerum ait Beda *omnium fluenta sanctificavit aquarum,* & baptismum fluminis instituit. 11.

Virum Christianum fide divina innitentem, eáque se munientem contra errores, falsásque doctrinas aptè allegorico sensu exhibet Echinus Marinus: hic enim futuræ præscius tempestatis, lapillis in tergum conjectis se operit, arenáque saburrat; ne obortis decumanis fluctibus ob levitatem allidatur ad litora, ut refert S. Ambrosius *in Hexamer.* An non fidei virtutem nobis allegorice innuit? Fides quippe est, quæ nos roborat, & confirmat, ne in opinionum salo fluctuemus, ac ne detrimentum patiamur naufragij. 12.

Allegoricum sensum exhibet etiam Monoceros in sinu Virginis; repræsentat enim Verbum Divinum assumens nostram humanitatem in utero Virginis matris. Monoceros licèt violentum animal, amat tamen puellam virginem, cujus propterea illecebrâ captus, & exutâ omni feritate in ejus blande sinu quiescit. Est Monoceros animal ferox, & truculentum, terrorem incutiens eum inuenitibus, corporea mole suppar est equo, sed capite similis est 13.

cervo,

cervo, pedibus Elephanto, cauda apro, rictu leænæ. Eminet in media fronte nigrum cornu ad duos protensum circiter cubitos, *quo* ut ait Plinius, *nihil asperius natura molita est*, non enim ut cæterorum cornua animantium ullam habet concinnitatem, aut lævoris polituram æqualem, sed scabritie extima superficies tota exasperatur, mordacitate ferream imitatur limam, ac multiplicibus in orbem gyris convoluitur: hoc profusam capitis jubam quatit; & cædes alijs minatur animalibus noxijs. Ad cursum est Monoceros pernicissimus, magnóque fertur strepitu, ac sonitu; si furore corripiatur exardescit irâ supra cætera bruta, fodicat, infringit, laniat, quæ ipsi obviant, ac strages & funera ubique spargit. Siu verò eximia aliqua virgo forte illi occurrerit; statim furiales, ac ferales iræ deferuescunt, animus mitescit, & suæ oblitus feritatis rectà ad virginem pergit, demittit se se, eique varijs eblanditur illecebris, ejúsque in sinu blandè, ac molliter quiescit. Quid ni Deus antequam in sinu Virginis matris nostram indueret humanitatem, Deus erat ultionum; cum primum in sinu Virginis conquievit totus amore exarsit in genus humanum; & ita humanitati adhæsit, ut ipsam semel assumptam, nunquam voluerit dimittere, neque ab illa sejungi. *Verè dilectus quemadmodum filius unicornium*: per unicornem S. Basilius intelligit filium Dei.

34. Anagogicus sensus ab illis exhibetur figuris, quæ gloriam cœlestem, ac Beatorum statum repræsentant, cujusmodi fuit fabrefactum Chosrois cœlum mentem indicans æternâ in cœlis beatitate donatam. Chosroës Rex Persarum, ut refert Cedrenus ad annum Heraclij 13. ingentem effinxit machinam; in qua cœli effigies, astrorúmque conversiones, circuli varij, æquator, zodiacus, coluri, tropici, definitor admirabili cernebantur spectaculo; in ijsdem solem, ac lunam composuit; ut inæquales motus cœlestibus similes, diebus singulis efficerent; & non modò accessus solis, & recessus; verùm etiam incrementa, ac diminutiones Lunæ; stellarúmque errantium dispares cursus orbis ille, dum voluitur, exhiberet. Adstabant utrinque sceptrigeri Angeli, & in medio eminebat quasi Deus omnia spectans.

35. Vir sapiens æterna beatitate donatus cœlum sibi in terris finxerat, quia pacatos habuit animi affectus, ad rectos fines motus directos, nunc gaudet in cœlis Angelorum choris stipatus, Deóque fruitur, vidétque sub pedibus in hisce inferioribus rerum humanarum cursus, & recursus, jugésque vicissitudines, & omnia ad interitum rapi, cuncta elabi. Scitè Rupertus in Matthæum ait: *Cœlum ipsa mens, vel anima est præcipuè sapientis; ut quæ habet lucida sidera, status motus, concinnas choreas, divinos circuitus virtutum splendores fulgentissimos*: quia ut cecinit ille

Inconcussa dedit puræ sacraria menti

16. Plerunque una, ac eadem figura tres recensitos graphicè exhibet sensus. Sol enim in cœlis fulgens *anagogicè* gloriam cœlestem repræsentat Matth. 5. *Fulgebunt sicut Sol in Regno patris.* Præterea *allegoricè* significat intelligentiam rerum divinarum; sidémque in Christum Jesum Sapient. 4. *Ergo Sol justitiæ non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non ortus est nobis?* Demum *tropologicè* mores ad rectitudinem compositos, virtutum culturâ splendentes, in quo sensu sponsa *cant. 6.* dicitur: *Pulchra ut Luna, electa ut Sol.*

Est igitur imago, ut ex hactenus expensis liquet, comparatio formæ sensibilis cadentis præsertim sub oculos cum forma sive sensibili, sive insensibili servata proportione ad rem significatam. Plurimum obtinent roboris ad movendos animos, quæ sub sensus cadunt; fortiúsque commovent, quæ oculis subjiciuntur, quàm quæ tantùm intellecta percipiuntur; vel per aures mentem subeunt; idque exemplo à Cæsaris nece petito ostendunt Cicero, & Quintilianus *lib. 6. Orat. Instit.* his verbis. *Populum Romanum egit in furorem prætexta Cæsaris prolata in forum cruenta. Sciebatur interfectum eum, corpus denique ipsum impositum lecto erat: vestis tamen illa sanguine madens: ita repræsentavit imaginem sceleris, ut non occisus esse Cæsar, sed tum maximè occidi videretur.* Hinc moris fuit olim in judicijs, producere ipsósmet reos squalidos, atque deformes, & liberos eorum, atque parentes. Et ab accusatoribus ostendi cruentum gladium, detracta è vulneribus ossa; & vestes ostendere recenti sanguine madidas; vel ipsa vulnerate corpora nudare. Plus hæc oculis objecta moverunt, quàm fusior per aures ingesta oratio. 17.

Deus ipse ut notitiam sui mentibus altiùs insculperet hominum etiam non cognoscentium literaturam imaginem ijsdem objecit, in qua sensibiliter splendescit, nimirum ipsum mundum, quem Dei esse imaginem docuerunt etiam Pythagorici. Ut enim mundus omnia suo complexu cingit; sic Deus universalis natura ubique est præsens, omnia videt, audit, & cuncta in se continet; licèt nullus ipse ambitu contineetur: scitè Plato: omnia, ait: quotquot sunt animalia intelligibilia, ille in se complexus servat, atque continet; non secus ac mundus nos, & omnia creata quæcunque cecnuntur suo ambitu cingit. Hinc pulcherrima in cœlo lumina, solis, & Lunæ, splendentes conversiones lineamenta sunt, quæ Deus in Tabula operum suorum duxit, ut sui pingeret imaginem, ac notitiem etiam rudioribus ingereret hominibus. Nemo est tam agrestis ferus, ac ferreus, qui cum primùm in cœlum suspexerit, mundi conditorem, ac rectorem Deum non videat; & ut ex ungue leonem, ex linea Apellem, vel Protogenem licet deprehendere; ita ex sensibilibus rebus, quæ oculos præsertim feriunt, Dei Sapientiam, ac magnitudinem inferimus. Ut scitè ait Philo libro de præmijs; *Ex mundi, adeóque totius creaturæ sensum ferientis consideratione ad opificis Dei demonstrandam existentiam, ac veluti sensibiliter exhibendam ascendimus.* Sunt enim creaturæ sensibiles quidam veluti naturæ clamor opificem suum promulgantis, quia ut pulchrè Augustinus 18.

mũs 15. de civit. cap. 3. *Non divinorum librorum tantùm auctoritas eſſe Deum prædicat, ſed omnis, quæ nos circumſtat, ad quam nos etiam pertinemus, univerſa rerum natura proclamat habere ſe præſtantiſſimum conditorem.* Sicut Coloſſorum ſimilitudines etiam in exiguis exprimuntur annulis; ita & Dei ſimilitudo in mundo ſplendeſcit ſenſibili, ut facile ſit Divinæ Majeſtatis veluti refractos radios in mundo, rebúſque creatis agnoſcere. *Jupiter eſt quodcunque vides* aiebat Poëta.

EXPENSIO II.

Exhibentur Icones elementorum, mundi, Regionum, ac fluviorum.

1\. EST Icon figura, quum formæ ad formam cum quadam ſimilitudine fit collatio, laudis gratiâ, vel vituperationis causâ. Non ſolùm intimiora animi noſtri ſenſa articulato vocis ſono, aut exaratæ ſcripturæ literis alijs exteriùs aperimus; ſed etiam exhibitis rerum creatarum imaginibus, quibus & muti loqui, & ſurdi audire valeant blandiùs ſignificamus, non abſque intuentium illicio: Hinc Philoſophus interrogatus quid vita hominis eſſet, nullum protulit verbum; ſed oſtendit florem, bullam, fumum, abſumptam igne candelam; perinde nece extinguitur homo, ac candela abſumptâ mox cerâ. Hiſce Iconum adminiculis luculentiùs explicamus res ſive à ſenſibus abſtractas, ſive ſub oculos cadentes.

2\. Ignis elementum ſi in ſua delineares ſphæra ſplendidum infra lunam, parum, vel nihil inferret pictura oblectamenti, nec ſenſum blando mulceret illicio; licèt propriam exhiberes ignis ſedem: eſt enim primigenium corpus ignis, cæteris longè majus, ac ſubtilius; & ſicut in pluribus cœleſti corpori eſt natura ſimile; ita & loco proximum, cognatúmque cum lunæ globo, cui ſubeſt: ſiquidem occupat quaquaverſum, ambitque ſub Luna extimam cœli faciem latè per ſpatia circumfuſam immenſa, atque in orbem contorquetur, vigétque ſemper; & licèt ibi noſtrum fugiat obtutum; non tamen noſtram ſuperat intelligentiam; à noſtro ſe ſubtrahit aſpectu ob nimiam raritatem; neque nutritur, quia ſimplex eſt elementum, quin alimentum alijs potius elargitur; & aquæ, terræque frigus contemperat in coagmentatis corporibus, quorum vitalem confovet ſpiritum.

3\. Sin verò Iconicam elementi ignis exhibeam figuram, Vulcanum delineari curo in ſua officina; ſeu deformem, fumoſúmque fabrum prope accenſam fornacem ſudore madidum, & ſuper incudem Jovis cudentem fulmina. Igitur ſi pictam in Tabula exhiberem Vulcani uſtrinam in Lemno Inſula è ſinu emergente maris; & in uſtrina Vulcanum ſeminudum, ciandúmque ferri candentis fruſtum in lacum forfice mergentem; & Cyclopes famularem Vulcano navantes operam; ac elevatis brachiis cudentes malleo fulmina, quorum aliquot jam abſoluta Jovis aliger aquila ſurſum avolans deferat unguibus; nulli dubium, quin plus ſit elementum ignis ita iconicè pictum alaturum intuentibus oblectamenti ad ſenſus demulcendos.

Aeris elementum iconicâ poëſi exhibet Regina Juno Jovis ſoror, & conjux, curru vecta aureo, quem pavones explicata caudarum pompâ aërea trahunt per ampla, & liquida ſpatia Ovid. 1. de art. 4.

Caudatas oſtendit avis Junonia pennas
Si tacitus ſpectes, illa recondet opes.

Pingitur Juno in curru ſedens, ſceptro conſpicua, coronâ redimita roſis, lilijsque contexta, frontis majeſtate, oris elegantiâ, membrorum omnium ſymmetriâ pervenuſta; tuntque illi manus ad ſceptrum factæ, vertex ad coronam venerandus, pectoris decor ad amorem conciliandum, & totum corpus plenum dignitatis, ac omni dignum laude. Exprimit Regina Juno poëticè aërem, quia Jovis eſt conjux: aër enim ex ſe frigidus; à Jove, ſeu igne feruet; hinc Juno *aërea* dicitur, quia ipſa ſit aër; & in aëre regnet; & totus aër interjectus inter cœlum, & mare, teſte Tullio, ſit Junonis nomini conſecratus. Neque reticendum illud commentum, quô ferunt Junonem ab Jove aureis vinctam catenis, incudibúsque ferreis ad pedes appenſis in aëre ſuſpenſam fuiſſe; ut ſignificaretur, quòd aër igni cœleſti conjunctior, duobus deorſum elementis miſceatur, aquæ ſcilicet, & terræ; quæ duo ſunt graviora ſuperioribus. 5.

Elementum aquæ repræſentat Neptunus Cæſarie ſubnigrâ, cæruleis oculis, trifido ſceptro potens, cyaneo fulgens amictu; ſtans in curru conchæ formam referente, quem Tritones duo trahunt per fluctuantes æquoris campos Virgilius *10. Æneid.* 6.

Hunc vehit immanis Triton, & cærula concha
Exterrens freta; cui laterum tenus hiſpida nanti,
Frons hominem præfert, in priſtim deſinit alvus
Spumea ſemifero, ſub pectore murmurat unda.

Sequuntur Neptuni filij *Phorcus, Proteus, Vertumnus, Periclimenus, Meſtra, & Cænis,* marini Dij, qui per liquidiſſimam æquoris planitiem Concharum, quibus inſident, agitatione vehuntur. Pinguntur & alij ſquammei Præſides, ducéſque pinniferi, ac fluidi moderatores undarum.

Terræ elementum Iconicâ Poëſi exhibet Berecynthia, ſeu Cybele Dea urbium, & propugnaculorum; cui propterea turres in coronam ſtructæ nobile, ac vegetum cingunt caput; ſumitúrque hæc Dea à Poëtis pro terra; quâ de cauſa turritum geſtat in capite diadema; in manu clavem; quia terra hyeme quaſi occludit ſub ſera ſuas opes, quas liberali manu redeunte vere recludit, ac profundit. Curru vehitur, quia terra ſuis in ſe ſe nutibus conglobata, propriíſque librata ponderibus, ſtat in aëre medio pendula. Rotis tamen nititur currus, quia mundus rotatur, ac in orbem volubilis agitur. Trahitur carpentum à gemino leone. 7.

leone, ad indicandum nihil esse tam ferum, quod materna non cicuretur benignitate. Vestis est Berecynthiæ discolor multiplici, varióque depicta flore; pluribúsque distincta animalium figuris, quæ à terra aluntur Virgilius 4. *Æneid.*

——Qualis Berecynthia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes.

8. Ægyptij, qui non humanas duntaxat actiones; verùm & res singulas symbolicæ disciplinæ exornârunt elegantiâ, & per hieroglyphica exhibuerunt expressa; ut hoc veluti oculorum, animorúmque pastu rudes erudirent homines; ac sapientes per symbolorum involucra edocerent, Mundum symbolicè repræsentaturi, serpentem pinxerunt, qui suam ipsius caudam in sphæram revolutum morderet, varijs interstinctum squamis, per quas stellas, quibus cœlum noctu splendet, significârunt. Quia hoc animal non secus ac terra gravissimum est; lubricum instar aquæ. Rursus serpens pellem exuit, & senium; quasi novâ reflorescens juventâ: sic annuum spatium, quod mundi circumactu absolvitur immutatione facta renovatur, ac novâ instauratur juventâ. Statius Thebaid. 54.

——Verni blanda ad spiramina solis
Erigitur liber senio, & squallentibus annis
Exutus, lætusque minax interuiret herbis.

9. Poëtæ verò mundi datuti iconem pinxerunt *Pana* Numen sylvestre, seu semiferum hominem; *Pan* enim supernè humanam gerit speciem; infernè belluinam. Pingitur homo semicaper, cornutus, pinu coronatus, ore rubro, ac ridenti, pedibus caprinis, hircina cauda, pelle obductus varijs distincta maculis; dextrâ manu baculum tenet incurvum; sinistrâ fistulam imparibus compactam calamis. Hæc Panos imago symbolum est mundi, ac naturæ universæ. Species humana, quam supernè gerit partem mundi superam indicat, seu mundum cœlestem pulchrum, radiantem; ejus cornua frons solis referi radios, lunæque cornua; rubor oris ætheris splendorem; pellis distincta maculis, quâ obducitur, cœlum stelliferum. Pars inferior deformis hirsuta terram refert vepribus, sentibus, plantisque obsitam. Pedes caprini terræ innuunt soliditatem. Fistula septem compacta calamis harmoniam cœlestem, quam septem planetarum sonis asserunt effici.

10. Europam unam ex quatuor mundi partibus Iconicâ specie exhibet puella nobilis, venusta, vestibus induta pretiosis, gemino insidens cornu copiæ; dextrâ templum fulsulcit; sinistrâ hinc jacentia humi sceptra, diademata, tiaras, purpuras, pedas; & inde tormenta bellica, gladios, & omne armorum genus, equos item cataphractos ostendit. Europa in numismate L. Valerij Acisculi tauro insidet floribus coronata.

11. Germania præcipua Europæ pars in numismate Adriani matrona est erecta, hastam dextrâ tenens, lævâ clypeum. Et in numismate Domitiani exhibetur per Viraginem fœminudam, clypeis insidentem juxta trophæum. Fuit semper Germania bellis assueta, & armis innutrita.

Gallia veluti fœmina pingitur, militari 12. habitu induta, armis munita, hastam lævâ sustinet, dextrâ sceptrum. Ut autem exactiùs distinguatur; solent Galliæ vestes depictæ lilijs exhiberi. Sunt etiam qui illi tribuunt virgata sagula, & torques aureos, cum hastulis, scutisque oblongis.

Hispania in numis Galbæ Imperatoris 13. est matrona gravis habitu militari, dextrâ duo tela gerit; sinistrâ binas complectitur spicas. Est Hispana Gens, ait Livius *lib.* 28. bellicosa, armis assueta durare, quippe quæ diutius cæteris restitit nationibus. Spicæ indicant copiam provenientis illic tritici. In numis verò Hadriani Imperatoris Hispani. Fœmina sedet pacificæ oleæ præferens ramum cuniculo ad pedes sito; est enim hoc animal in Hispania frequens. Alij tricipitem Geryonem illi appingunt tripici hastæ innitentem.

Italia venustissima est virgo, floribus or- 14. nata, dives fructibus, orbis terræ globo insidens, ut in numis Titi, Vespasiani, & Antonini Pij, dextrâ manu sceptrum regit, lævâ cornucopiæ elevat refertum fructibus, quibus illa abundat; turres in coronæ speciem intextæ caput eidem cingunt. Italiæ nomenclatio olim fuit Hesperia ab Hespero fratre Atlantis, qui à fratre pulsus nomen dedit Hispaniæ, & Italiæ; quæ tandem vocata fuit Italia ab Italo Siciliæ Rege, qui Italos edocuit artem excolendi tellurem; ijsque leges probi regiminis dictavit Virgilius *lib.* 1. *Æneid.*

Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ
Oenotrij coluere viri, nunc fama minores
Italiam dixisse, Ducis de nomine gentem

Venusta pingitur Italia, stipata floribus, referta fructibus, quia ijsdem non solùm abundat; sed etiam pulchritudine, & elegantiâ cæteras antecellit Europæ partes. Hinc Petrarca ex Gallijs in Italiam redux cecinit

Salve cara Deo tellus sanctissima salve,
Tellus tuta bonis, tellus metuenda superbis,
Tellus nobilibus multum generosior oris.

Et Virgilius 2. *Georgic.* admiratus ejus fertilitatem, & pulchritudinem eam salutavit.

Salve magna parens frugum Saturnia tellus.

Turres illæ plures in coronam structæ, & Italiæ caput cingentes, innuunt elegantiam civitatum, amplitudinem urbium, & frequentiam in eadem oppidorum. Virgilius 2. *Georg.*

Adde tot egregias urbes, operúmque laborem
Tot congesta manu præruptis oppida saxis,
Fluminaque antiquos subter labentia muros.

Cornucopia indicat omnia frugum genera, & cætera ad victum commoda, quæ Italica tellus sua producit feracitate. Virgilius 2. *Georgic.*

Sed gravidæ fruges, & Bacchi Massicus humor
Implevere: tenent oleæque, armentáque læta.
Hinc bellator equus campo se se arduus infert:
Hinc albi Clitumne greges: & maxima taurus
Victima sæpe tuo perfusi flumine sacro

Roma-

Romanos ad templa Deum duxêre triumphos.
Hic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas,
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.

15. Asiam apud Cæsarem Ripam exhibet puella discoloribus, variisque coronata floribus, & fructibus; veste auro, gemmisque nitente, floribúsque elegantiori picta acu, ramos plures suavissimum redolentes odorem dexterâ tenet; sinistrâ turribulum gerit è manu pendulum, suffitus emittens. In numismate Hadriani Cæsaris visitur Asia speciem præseferens matronæ lævâ attollentis gubernaculum navis, dexterâ serpentem. Asiam ait Pomponius Mela *lib. 1. cap. 2.* tribus è partibus Oceanus abluit, ita nominibus, ut locis differens. Eous ab oriente. A meridie Indicus. A septemtrione Scythicus. Ipsa ingenti, ac perpetua fronte versa ad orientem, tantum ibi se in latitudinem effundit, quantum Europa, & Africa, & quod inter ambas pelagus immissum est. Inde cum aliquatenus solida processit, ex illo Oceano, quem Indicum dicimus, Arabicum mare, & Persicum, ex Scytico Caspium recipit, & ideo, quà recipit angustior. Rursus expanditur, fitque tam lata, quàm fuerat longa. Deinde cum jam in suum finem, aliarúmque terrarum confinia devenit, media nostris æquoribus excipitur: altero cornu pergit ad Nilum, altero ad Tanaim. Ora ejus cum alveo Nili amnis ripis descendit in pelagus, & diu sicut illud incedit, ita sua litora porrigit. Deinde fit venienti obviam, & primum se ingenti fronte ad Helespontum fretum se extendit: ab eo iterum obliquat ad Bosphorum; iterumque ad Ponticum latus se curvat, aditum Mæotidos transverso margine attingit.

16. Ægyptus fingitur, ac pingitur ut matrona gravis, procera, veste simplici, quæ altero pede Crocodilum prope Nilum fluvium premat, dextro brachio piramidi innitatur. In nummis Hadriani est matrona sistrum manu tenens, musicum instrumentum Ægyptiis Sacerdotibus usitatum in sacris Isidis, Harpocratis, & Onocephali. Habebatur Harpocrates silentij Deus, & indice ori admoto silentium innuebat. Onocephalus capite asini sistrum quatiebat.

17. Judæa in numis Vespasiani, & Titi filij fingitur matrona cauli Palmæ innixa, eò quia sit Phœniciæ contermina, & à Palmarum frequentia suam sit nomenclationem sortita.

18. Arabia felix in numis Traiani est virago, dextrâ varios tenens ramusculos ex odoriferis decerptos arboribus; sinistrâ parazonium sustinet. Prostratus ad pedes quiescit dromedarius.

19. Africa in nomis Hadriani Cæsaris, & alijs est fœmina seminuda colore subnigro, crine itidem nigro obtonso, dextrâ scorpionem stringit, sinistra cornu copiæ amplectitur frumenti refertum spicis; ad pedes Calathus est vario herbarum genere plenus; adstat & leo feritate terribilis. Capiti loco calanticæ calvaria imposita est elephanti probóscide, dentibus, & aure oblunga eminens. Est hæc regio Elephantorum, ac leonum, aliarúmque ferarum cæteris feracior. Claudianus

Námque feras alijs tellus Maurusia donum
Præbuit, huic soli debet, ceu victa tributum

Cornu copiæ indicat fertilitatem rei frumentariæ, de qua Horatius. *Quicquid de Libycis verritur areis.* Salustius de Bello Jugurt. loquens de Africa ait: *Ager est frugum fertilis, bonus pecori, arbori infœcundus: Cœlo, terraque penuria aquarum, genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum; plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro, aut bestijs interiere. Ad hoc malefici generis plurima animalia.*

Mauritaniam in numia Hadriani Cæsaris fœmina exhibet habitu militari, dexterâ equum ducit strigosum, cursui cæteris aptiorem; sinistrâ virgam elevat, quâ gens illa pro calcaribus utitur ad equum impellendum. 20.

Americа quarta mundi pars, novúsque orbis à Cæsare Ripa in sua Iconologia exhibetur in speciem viraginis seminudæ fuscæ; cui velum transclucidum ab humero sinistro ad genua descendit, eóque partes tegit verecundas; varijs, ijsque discoloribus coronatur tegitúrque plumis; dextrâ sagittam, lævâ arcum tenet, cum pharetra lateri accincta, & capite humano humi jacente, telóque transfixo. America eleganter describitur à Joanne Bissellio *lib. 12. Argon. nu. 7.* inquiens. Ultra cognitam nostris hominibus, ac scriptoribus terrarum hemisphærium, quod Europæus, Asiaticus, & Africanus mundus insedit, ad Occidentis excursum; alterius est hemisphærij terrestris spatium, regnis, & Insulis occupatum, currente per medium æquatore circulo, sic ut medium dissecet; illiúsque dimidium alterum ad septentriones, alterum autem (æqua propemodum portione) pertineat ad Austri plagas. Hujus tantæ molis magnitudo, & capacitas, quà terræ continentis, quáque pelagi finibus, & ambitu censa, pœne cæterum omnem majoribus nostris compertum orbem æquat. Unde veluti in æmulationem veteris, superiore memoria novi nomen orbis accepit. Longitudo (si metiaris à freti Magellanici flexibus ad usque fretum Anianum) bis mille quadringentorúmque milliarium est magnorum, quibus itinera Germani metiuntur, sive quis nostram malit Geometriam; quatuor millium octingentarum leucarum. Altitudo potius à promontorio fortunæ tracta, lineis rectis, ad promontorium Bretonicum novæ Franciæ bis mille sexcentarum leucarum est. Circumluitur ab ortu solis in hemicycli fere formam Atlantico mari: parique propemodum spatio (sed conversa figura) cingitur America Mari Zutio, seu pacifico, quà in occidentem vergit. Ab Austro terris urgetur, & clauditur, quas vulgus incognitas appellat; interfluente freto Magellanico; Plagas Aquilonares ingens in polum arcticum vallitas extendit. Continens, an fluens, adhuc incertum, propter horridam, quæ nostrorum accessus absterret barbariem. Cæterum America, cum utrinque procurrerit intra se se, suique veluti umbilicum 21.

bilicum in medio repererit; arctatis marium, & contineotis faucibus Ifthmum efficit, longitudine cæteris omnibus nobiliorem, fed latitudine difparem, ac varianteni: cujus contractiffimum comper m is intervallum, inter auriferæ Caftiliæ duas urbes, è regione femet refpicieotes, Panamam, & Nombrediofam, ibi fe novus orbis partitur, alterum fui dimidium in Aquilones, alterum in Auftros difpefcens.

22. Flumina five fculpta, five picta, vel cufa femper Iconica repræfentatione exhibentur fub fpecie alicujus fenis urnæ incubantis, quæ angufto ore aquam fuodit inter aquaticos frutices, arundines, vel paluftres juncos; arundinea folia jacentis fenis caput in coronæ cingunt fpeciem; utraque manu arundines ftringit, & juncos. Fingitur fluvius effe fenex, quia fluviorum origines ducuntur ab orbe coodito Urna fontem denotat fluvij. Nonnunquam cornu copiæ altero brachio flumen, feu jacens fenex amplectitur, & tunc ubertas indicatur, quæ à tali flumine in fontem minam derivatur tellurem. Subinde adduntur cornua, & tunc cum flumina alvei facto divortio fecantur veluti in cornua, Hinc cum Acheloo in tauri fpeciem cooverfo fingitur Hercules pugnâffe. Pingitur Achelous hifpidus fenex alga, & arundinibus viridi in habitu cinctus, fuper effufum urceum inclinatus, & uno tantùm præ cæteris cornu in fronte, quia fingitur alterum fub Hercule, cum quo pugnâvit, amififfe.

23. Ganges apud Indus fluviorum maximus fingitur fenex nudus, afpectu rigido, fevero fupercilio, majori incubans urnæ latices pleniores effundenti. Huic palmarum folia in coronæ fpeciem caput cingunt; ut & uniones, aliæque gemmæ palmas illuminantes, ac folia eleganter difpefcentes. Additur Rinoceros animal hujus fluvij ebibens aquas. Quintus Curtius *lib. 8.* ait: Ganges omnium ab ortu fluvius eximius à meridiana regione decurrit, & magnorum montium juga recto alveo ftringit, in eum objectæ rupes inclinant ad orientem. Utque rubro mari accipitur findens ripas, multas arbores cum magna foli parte exorbet. Saxis quoque impeditur, quibus Crebrò reverberatur, ubi mollius folum reperit, ftagnat, infulafque molitur. Acefines eum auget; Ganges decurfurum in mare intercipit, magnóque motu amnis uterque colliditur; quippe Ganges afperum os influentis objicit, neque repercuffæ aquæ cedunt.

24. Tigris homo eft fenio confectus ampliori incubans urnæ aquarum uberiorem fluxum effundenti; alterâ manu tigri eblanditur. In nummis Traiani Augufti ab animali tigri, cujus velocitatem exprimit à cæteris fecernitus fluvius quippe hoc flumen ortum rr. hens è fuperiori Armenia pleraque ab ont locorum fpatia; io quibus tigres habitant; à quibus propterea fuam fortitur fluvius nomenclaturam Plinius *lib. 6. Hiftor. natural. cap. 27.* loquens de hoc fluvio ait. Oritur in regione Armeniæ majoris, fonte confpicuo in planitie. Loco nomen Elongofine eft. Influit lacum Arethufam omnia illata pondera fuftinentem, & nitfum nebulis exhalantem. Unum genus ei pifcium eft. Fertur autem & curfu, & colore diffimilis, transvectúsque occurrente Tauro monte in fpem mergitur: fubtérque lapfus à latere altero ejus erumpit. Locus vocatur zeroanda, Alterum deinde tranfit lacum, qui Jufpites appelatur: rurfùsque in cuniculos mergitur, & poft viginti quinque millia paffuum circa Nympheum redditur.

Nilus fluvius in quadam Romæ Vaticani palatij marmorea ftatua exhibetur in fpeciem hominis hifpidi fenio confecti, corpore feminudo, colore fubnigro barbâ, & capillis rotonfis, coronâ floribus, fructibúsque intextâ redimiti. Jacet finiftro brachio fphingi innitens, capite, & pectore puellam, reliquo corpore leonem referenti, ac uberrimom effundenti aquarum fluxum; finiftrâ manu cornu copiæ tenet, ad fluvij marginem furgit Crocodilus, cui fexdecim adblandiuntur pueri. In nummis verò Hadriani Cæfaris exhibetur cum folo Crocodilo; interdum cum Hippopotamo, feu equo fluviali, qui in Nilo præfertim generatur binis ungulis, quales funt bobus, dorfo equi, ut & juba ac hinnitu; roftro refimo, feu habente medium depreffum, extremitate furfum reflexâ; cauda obtorta, dentibus aprotum aduncis, fed minus noxijs, ut defcribitur à Plinio *lib. 8. cap. 35.* Sunt qui putant Nilum incertis oriri fontibus. Alij verò cenfent, fuam trahere originem à monte quodam inferioris Mauritaniæ Oceano meridionali contermino, lacu protinus ftagnante, quem vocant Nilidem. Obfervatum eft ait Plinius *lib. 5. cap. 3.* prout in Mauritania nives, imbrésve fatiaverint, feu abundaverint, ita Nilum increfcere. Ex hoc lacu profufus indignatus fluere per arenofa, & fqualentia abfcondit fe aliquot dierum itinere. Mox ex alio lacu majore in Mauritania etumpit; & iterum areois receptus fe condit iitinere viginti dierum per loca prorfus deferta: & ubi iterum emergit è fonte, quem Nigrim vocant; inde Africam ab Æthiopiâ difpefcens, medios fecat Æthiopes. A meridie in feptemtrionem fluens frangitur paffim occurrentibus faxis, & per montium angufti as eluctatur: ubique tamen vincit, & excitatis aquis fluctuat; quas ubi alveus laxatur fine tumultu ducit; mox iterum locorum preffus anguftijs violentus, ac torreos per malignos tranfitus profilit fibi diffimilis; quippe ad id lutuofus, ac turbidus fluit. Ubi verò in fcopulos caotium intravit fpumat: & illi (ait Seneca *Natur. quæft. lib. 4. cap. 2.*) non ex natura fua, fed ex injuria loci color eft. Tandem eluctatus obftantia in vaftam altitudinem fubito delitotus cadit, cum ingenti circumjacentium regionum ftrepitu. 25.

Danubius fpeciem exhibet hominis fenis, gravis, ac fedati, velo caput obtegit fimiliter urnam effufam fuftinet; paluftri junco, ac frondofa arundine coronatus. In numifmate Traiani Cæfaris Danubius eft fenex velatus ur- 26.

nam

nam effundens, forsan quia illo tempore, ejus origo adhuc hominibus lateret, ut putat Augustinus. Asserit tamen Plinius, Danubium maximum Europæ fluvium ex jugis oriri Abnobæ montis Germaniæ ex adverso Raurici Galliæ oppidi multis ultra alpes milliaribus, ac per plures lapsum gentes Danubij nomenclationem sortiri. Immenso aquarum accessu ab occasu in ortum solis devolvitur; & ubi primùm Illyricum abluit, Ister appellatur; & ut ait Plinius *lib. 4. cap. 12.* sexaginta amnibus receptis medio ferme numero eorum navigabili in Pontum Euxinum vastis sex fluminibus evolvitur. Cæterum ubi Plinius Abonobiam vocat locum fontis, Germani appellant vallem cultam montes inter, & saltus, lucósque. Communiter recentiores asserunt, fontes Danubij esse ad pagum Donaisinge ubi ostiolum habet duorum passuum; & postquam ab ostio erumpit illicò excrescit in fluvium latitudinis quinque passum, De Danubio Dionysius

Abnoba mons Istro pater est cadit Abnobæ hiatu
Flumen, in Eoos autem convertitur axes,
Euxinóque salo provolutur ora per æquor.

27. Padus fluvius senilem exhibet speciem, sed Taurinam faciem. Oritur è gremio Vasuli montis celsissimum in cacumen elati in Pedemontana regione. Cum primum è montis sinu in subjectam planitiem defluit in fluvium laxo excrescit alveo; sedatóque fluxu Taurinum Regalem Pedemontij Metropolin alluit, navésque excipit. Incrementum subit ad canis ortum liquatis nivibus. A Græcis hic fluvius Eridanus vocatur pœnâ Phaëtontis, quàm aquis clarior. Eridanum Græci vocant Padum fluvium ab Eridano Apollinis, & Clymenes filio, qui à luce illius incendij, quo amplas terrarum ditiones adussit Phaëthon cognominatus est. Fabulantur Poëtæ, quòd cum Phaëthon paternum currum regendum suscepisset, aurigandi imperitiâ, orbem terrarum in discrimen adduxerit. Hinc à Jove indignato fulmine ictus cecidit in fluvium Padum, cui Eridani dedit nomenclationem.

28. Tiberis, qui & Thybris audit celeberrimus Italiæ fluvius Romæ in Vaticano Palatio spectatur homo senex cum cornu copiæ, juxta Lupam binos lactantem pueros, Romulum,& Remum. Profluit è media fere longitudine Apennini Aretinorum finibus: dein multis auctus fluminibus ab Hetruria Latium,& Janiculum ab urbe Roma dirimit; & tandem decimo ab urbe lapide duobus ostijs modico intervallo diremptis in mare devolvitur; in qua parte Ancus Martius Ostiam extruxit.

29. Tagus fluvius in Lusitania speciem exhibet hominis senio confecti urnæ incubantis, è qua unà cum fluxo pellucidæ aquæ argento aureas effundit arenas. Juvenalis.

Quod Tagus, & rutilâ Pactolus volvit arenâ

Si Plinio credimus hunc circa fluvium equæ flante Favonio obversæ animalem spiritum concipiunt, equósque gignunt pernicissimos, sed quòd tertium vitæ annum non excedant.

30. Iberus Hispaniæ fluvius speciem exhibet viri hiante ore aquas evomentis, ut in quibusdam Hispaniæ numis reperitur. Oritur apud Cantabros; & per quadraginta passuum millia fluit, & in mare Balearicum evolvitur Lucanus *lib. 4.*

Qui præstat terris, aufert tibi nomen Iberus

Rhenus senex est pampinis, ac racemis coronatus, pellucidos ex inversa hydria effundit latices, & acipensere vehitur juxta Bochium. Alij tamen Acipenserem exhibent nitentem contra fluxum hydriam ingredi: est enim Acipenser piscis nobilissimus in hoc fluvio, qui unus omnium squamis ad os versis contra aquam nando meat. Habetur hic piscis in pretio, quia rarus Martialis lib. 13. in Xenijs 31.

Ad Palatinas acipensera mittite mensas
Ambrosias ornent munera rara dapes

Rhenus à jugo defluit Rhæticarum Alpium, & Germaniam à Gallia dirimit; circa Batavorum fines in tria partitur cornua, & totidem ostijs in Oceanum evolvitur. 32.

Scaldis licet homo senex, intonsus thynno insidet marino pisci, qui ex Oceano Scaldim ingreditur. Insignis est hic fluvius in confinio interioris Germaniæ, & Galliæ Belgicæ; quas regiones suo alveo ad septemtrionem dirterminat; Antuerpiam alluit ubi marino æstu refluus, bisenis quotidie horis versus fontem recurrit. 33.

Sequana in Gallia speciem exhibet senescentis viri incubantis urnæ angusto ore aquam fundentis, coronatur lilijs, & altera manu lilia tenet, & flavescentes spicas. Dividit Sequana Belgas à Celtis,& Galliam perfluens Lutetiam alluit alveo laxo, ac profundo onustis navibus, vehendisque mercibus, cæterisque necessarijs ad vitam humanam accommodato. 34.

Ligeris nobilis etiam in Gallijs fluvius homo est senex, intonsâ barbâ, palustri junco redimitus hydriam complectitur, è qua pellucidos effundit latices. Oritur hic fluvius in Arvernorum finibus, Heduósque à Biturigibus dividit; haud procul à Pictonibus in Britannicum se se Oceanum exonerat. 35.

Rhodanus vir est senio confectus incubans urnæ effundenti limpidum aquarum fluxum, folijs coronatur arundineis, altera manu sagittam tenet, quâ ejus innuitur pernicitas. Est enim fluvius Galliæ rapidissimus, qui suam sortitur nomenclationem à Rhoda Rhodiorum oppido, ut censet Plinius *lib. 3. cap. 4.* cui adhæret S. Hieronymus in comment. in epist. ad Galat. inquiens: *Rhodam Rhodiorum coloni locaverunt: unde amnis Rhodanus nomen accepit.* Oritur hic fluvius in Alpibus Italiam à Gallia dirimentibus, haud procul à fontibus Rheni. Danubij, & Athesis. Defluit in Lemanum lacum, & versus occidentem per Galliam discurrens Ararim apud Lugdunum proprio suscipit in gremio, alveo laxiore. Inde ad meridiem eonversus Isaram, & Druentiam complectens apud Heracleam uno ostio in mare defluit Tyrrhenum. 36.

EXPENSIO III.

Producuntur, donantúrque explicatu Icones Poëticæ Temporum, Ætatum, ac ventorum.

1. TEmpus multiplici, ac diversa solet icone repræsentari: apud Cæsarem Ripam in sua Iconologia est homo senio confectus versicolore indutus veste talari; cui flores, ac flavescentes spicæ coronam in capite componunt, Dextrâ manu serpentem elevat caudam ore sibi mordentem, perfectúmque describentem circulum; sinistrâ zodiaci circulum tenet. Utrinque adstant pueri bini, quorum alter pallidus macret; alter vegetus pinguescit; uterque speculum tenet; ille tempus indicat præteritum, quod semper macrescit, deficit, ac ab hominum deletur memoria: hic tempus futurum, quod spe alitur, ac pinguescit. Sedent humi alij duo pueri scribentes in aperto codice, quæ dietim obtingunt, & tempus innuunt præsens jugi decurrens fluxu; quo hominum gesta statim evanescerent, nisi libris concrederentur. Seneca de brevitate vitæ. In tria tempora vita dividitur, quod est, quod fuit, & quod futurum est. Ex his quod agimus breve est; quod acturi sumus, dubium: quod egimus certum. Hoc est enim in quod fortuna ius perdidit, quod in nullius arbitrium reduci potest. Præsens tempus brevissimum est; adeo quidem, ut quibusdam nullum videatur, in cursu enim semper est, fluit, & præcipitatur; ante desinit esse, quàm venit, nec magis moram patitur, quàm mundus, aut sidera, quorum irrequieta semper agitatio. Bochius daturus iconem temporis, Saturnum exhibet falcem manu, clepsydram capitis vertice tenentem. Alij senem aligerum clepsydram lævâ manu elevantem, dextrâ Veritatem complectentem, ac sinu foventem. Proprium siquidem temporis est rei veritatem aperire.

2. ÆTERNITAS multiplici etiam solet iconica repræsentari specie. Hanc enim exhibet mulier gravis, ætate provecta, habitu talari; capite, vultúque ac humeris tenui contecta velo, dextrâ manu mundum, lævâ serpentem caudam suam mordentem gerit. Alij mulierem exhibent tricipitem sindone amictam, quæque dextrâ anguem gerat circularem, læva hastam, cui appensa scheda cum lemmate *manet immota*; vestis est illi cærulea stellarum distincta myriade; soléque aureo, ac Luna argentea ad pectus ornata. Franciscus Barberinus Florentinus in suo de Amore tractatu describit Æternitatem sub specie mulieris venerabilis, cui coma aurea depluens utrinque ad humeros, crura ei nulla, nec pedes; sed loco eorumdem bini semicirculi, qui sursum inflexi perfectum absolvunt circulum aureis vermiculatum stellis, in cujus centro fœminæ visitur caput; & utrinque manu binos gerit globos. Clauditur æternitas circulo, cujus occupat centrum, à quo ad peripheriam temporum, ac sæculorum protenditur, quia non aliter Æternitas definitur, quàm immensæ, atque interminatæ vitæ tota simul, ac perfecta possessio, perinde dicitur centrum omnes possidere lineas à peripheria ad ipsum ductas; seu omnes temporum differentias, quas complectitur. Tempus enim effluit, quia perpetuas siderum comitatur æquis passibus conversiones; & cum cœlestium corporum revolutionibus oritur, & occidit, sibique uni novit incrementa esse damno. Secus æternitas nulli obnoxia vicissitudini, nec oritur, nec novit occasum; sed omni ævo semper eadem in se ipsa perfecta est, ac stabilis, prorsúsque immutabilis; neque prioris sæculi fœdatur fuligine, sed eodem semper rubescit flore.

Annua homo est ætate maturus, cui caput, & barba nive, & gelu rigent, dextrâ serpentem tenet sibi caudam mordentem. Floret læva plena violis, hyacinthis, Narciso, tulipa, & rosis; latera, & pectus aureis flavescunt spicis; reliquæ inferiores corporis partes ornantur racemis, pomis, cæterisque fructibus, qui autumno maturiunt. Aliger annus exhibetur quia pernicissimè evolat. Nives, flores, spicæ, & racemi quatuor innuunt præcipuas anni partes. Serpens indicat annum in se ipsum revolvi, cujus finis principio nectitur, quasi circulum describat. Virgilius 2. Georg. 3.

Fronde nemus redit Agricolis labor actus in orbem.

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

ÆQUINOCTIUM vernum apud Cæsarem Ripam in Iconologia est adolescens veste juxta pectus aperta, ac intexta; latiori cingulo stellis distincto infra pectus recolecta; ad infimum alba, sinistrorsum nigra; dextro brachio arietem complectitur; sinistra manu coronam elevat vario, ac discolore intextam flore; ad pedes alas explicat vesti concolores. Amplectitur Æquinoctium vernum arietem; quia id temporis Sol in zodiaco hoc signum ingreditur. 4.

ÆQUINOCTIUM Autumnale ex eodem Ripa iisdem utitur vestibus sicut vernum, habet enim vestem superiùs apertam, inferiùs clausam, cingulo stellis picto etiam præcingitur, pedibus alas explicat. Differt tamen quia speciem præsefert viri adulti, dextrâ bilancem tenentis æquilibratam; sinistrâ, vuas, poma, & alios fructus autumnales in canistro. 5.

SOLSTITIUM ÆSTIVUM elegantem exhibet speciem juvenis qualem florida viginti quinque annorum ætas commendat. Stat seminudus, cui flavescentes spicæ simul intextæ tempora cingunt, circulo aureis distincto stellis coronæ superposito. Dextrâ manu elevatâ globum fulcit quarta parte inferiori subobscurum; cæteris superioribus splendentem; quia tunc tertia tantùm pars naturalis diei nocte, tenebrisque obruitur apud Italos. Sinistra manu Cancrum tenet; quia id temporis Sol hocce ingreditur signum cœleste, diésque incipiunt minui, ac retrocedere. Pedibus singulis binæ sunt alæ affixæ; quia temporum vicissitudines citiùs volucre evolant. 6.

7. Solstitium Hibernum Vir est ad extremum vergens senium, pellicea indutus veste, cui circulus stellis ornatus, ac figura depictus Capræ, utrumque pedem compedis instar cingit. Lævâ manu elevatâ globum sustinet quarta superiori parte luminosum, cæteris inferioribus obscurum. Dextro brachio Capram amplectitur. Singulis pedibus adduntur alæ binæ ad volatum expansæ.

8. Verna Temperies Puella est venustate elegans, vultu hilaris, fronte serena, ore jucunda, veste viridi varijs depicta floribus, ijsdémque coronata; lævâ canoram aviculam, cui colludit; dextrâ sertum discoloribus compactum floribus tenet. Plures tamen ex Poëtis eam fingunt, pingúntque eblandientem sinistrâ manu arieti, eò quia tunc vigeat astrum arietis, sidus propitium, fœcundum, beneficum, rebúsque nascentibus amicum. Frontis serenitas, orísque jucunditas innuit cœli clementiam; quia tunc cœlum antea nubibus fœdum depulsâ caligine renidet purius; Sol splendet clarior, atque rutilantes stellarum chori blandiùs enitescunt. Floribus coronatur discoloribus, quia redeunte vere prata collucent floribus, turgent gemmis arbores, detonsi nitent herbarum tori, & in hortorum excultis areolis, multiplices licet discolores intueri flores, alios velut in gemma enascentes, quosdam ex hiante jam calice promicantes, plures diruptis fascijs, quibus ut pueri illigabantur, pubescentes; & singula suavissimis sentiuntur odoribus fragrare. Eleganter Ovidius *lib.* 1. *Fast.* describit vernam Temperiem

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbor,
Prodit & in summum seminis herba solum.
Et tepidum volucres concentibus aera mulcent,
Ludit & in pratis, luxuriátque pecus.
Tunc blandi soles, ignotáque prodit hirundo
Et luteum celsa sub trabe fingit opus.
Tunc patitur cultus ager, & renovatur aratro,
Hæc anni novitas jure vocanda fuit.

9. Æstas Puella fingitur vegetior, ac viribus valentior velo obducta flavo, seminuda humeris, pectore, flavescentibus coronata spicis. Dextrâ accensam agitat facem; sinistro brachio cornu copiæ complectitur spicis refertum. Est quippe Æstas locuples annonæ mater, Hinc Æstas redimitur spicis, quarum ubertatem cornu copiæ prodit, quia id temporis quæruntur falces ad colligendam in horreis Cererem, & plaustra manipulis onusta è campis remorato gressu ad arces, pagos, vel urbes gementia sub onere feruntur. Est hæc Puella vegeta, ac viribus valens, quia ut canit. Ovidius lib. 15. Metamor.

Transit in æstatem post Ver robustior annus
Fitque valens juvenis; neque enim robustior ætas
Ulla, nec uberior, nec quæ magis ardeat ulla est.

10. Accensam dextrâ facem gerit, quia æstate acriùs calores exurunt, exsiccantur fluvij, arescunt fontes, siti ardent animantes; ex siccitate rimas agunt campi, dehiscunt agri; ardens in itineribus pulvis humana patitur vestigia; adustum itinerantes colorem contrahunt. Tunc luctandum non solum cum solis ardore, & soli siccitate, sed etiam cum molestissimo pulvere, oculis infesto; æstûs nonnunquam tanta est vis, ut ardere omnia videantur. Manilius lib. 5.

Cum verò in vastos surgit Nemeæum hiatus,
Exoritúrque canis, latratque canicula flammis,
Et rapit igne suo, geminatque incendia solis
Qua subeunte facem terris, radiósque movente.

11. Autumnus Vir est ætate provectus, veste talari pampinis, racemis, alijsque fructibus depicta. Uvis, pomis, pirisque coronatur. Dextro brachio complectitur cornu copiæ fructibus omnibus autumnalibus refertum. Coronatur uvis, quia decurrente Autumno ostendit exculta tellus vitiferos colles, uvidásque amnium ripas racemis liventibus, prælúmque exposcentibus prætextas; & vindemia plenis spumat labris. Pendent incurvatis ramis, felicibúsque arboribus sexcenta pomorum genera, hic flavo colore aurea, illic plena ruboris punica, quibus ficuum melleus præfertur sapor. Quidquid Pomona didicit serere, vel parturire, id exhibet Autumnus suam sortitus nomenclaturam, quia tunc hominum opes maximè augeantur. Pingitur ætate provectus, vergénsque ad senium, quia ut cecinit Ovidius 15. *Metamor.*

Excipit Autumnus posito fervore juventæ
Maturus, mitisque inter juvenémque, senémque
Temperie medius sparsus quoque tempora canis.

12. Hiems est senex canus, pellibus, vel crassiori panno vestitus; cui deficiunt vires, caligant oculi, tremit caput, rugatur facies, vacillant articuli, defluunt crines; manibúsque vas tenet plenum accensis prunis; vel ad ignem sedet. Pingitur venustate, ac viribus destitutus; quia hieme omnes plantæ suam deponunt elegantiam; arbores fructibus, ac folijs exuuntur, squalent prata, viduantur colles, lugent horti, horrescunt campi, concrescunt glacie flumina; montes, sylvæ, tellus alta obruuntur nive; rigent concreto gelu fontium rivuli; grassantur à septemtrione venti, cœli facies semper turbida, nubila, lurida, ac tristis. Prohibet frigus ludos, conventus, deambulationes in campis, pratisque; adeout dies totos domi ad focum sedeatur, vel in hypocausto detineatur. Bellè Horatius *lib.* 1. *Ode* 9.

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte: nec jam sustineant onus
Silvæ laborantes: geluque
Flumina constiterint acuto?
Dissolve frigus, ligna super foco
Large reponens: atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.

13. Dies artificialis speciem præ se fert adolescentis venusti, jucundi, insignis, aligeri colore niveo, rubedine circumfuso, qualem rosæ nuptæ lilijs exhibent, veste alba, heliotropio coronati; qui dextrâ circulum præfert varijs distinctum stellis. Lævâ facem accensam. Dies alius est Astronomicus, alius politicus: ille bipartitur in naturalem, & artificialem.

cialem. Politicus dicitur dies naturalis constans ex die, & nocte artificiali; vocatur politicus prout ex diversis populorum institutis diversum sortitur principium, & finem. Dies artificialis est duratio temporis à sole exoriente ad ipsius occasum: seu est totum illud temporis spatium, quo Sol in nostro lucet hemisphærio, & huic diei opponitur nox. Diversa tamen à diversis gentibus initia trahit. Chaldæi, & Persæ, ut etiam hodie Græci ab ortu solis illum inchoant, Ægyptij, & Astronomi à meridie, Judæi in duodecim horas illum distribuebant, sed inæquales; nam prima erat cum Sol illucesceret; duodecima cum occumberet: hinc illis hora sexta est Germanica duodecima, seu meridies.

14. Dies naturalis est adolescens aliger, speciosus, cui flores varij discolores diadema prætexunt, capútque cingunt. Dextrâ circulum tenet aureis depictum stellis. Lævâ facem accensam. Vestis tamen est illi partim alba, partim nigra. Curru vehitur, quem duo trahunt equi discolores, quorum unus albus est, alter niger. Est enim dies naturalis totum illud temporis intervallum, quo Sol ab aliquo cæli puncto digressus ad idem revertitur: vel est solis egressio; ab aliquo meridiano fixo ad eundem conversio; absolvitúrque spatio viginti quatuor horarum; hinc hora est pars vigesima quarta diei naturalis; qui totum illud complectitur temporis intervallum, quo Sol non tantùm in nostro illucescit emisphærio, sed etiam infra delitescit; adeout dies naturalis componatur ex die, & nocte simul, & à Latinis in quindecim distinguatur partes, quarum prima est medium noctis, unde Romani olim consueverunt diem inchoare, ac absolvere. Secunda tempus huic proximum de nocte media. Tertia Gallicinium, seu pars illa noctis, quâ Galli gallinacei cantant; estque quarta castrensis vigilia: Apuleius lib. 2. de Asino aureo: *Noctis gallicinio venit quidam juvenis è proxima civitate.* Quarta est Conticinium, seu ea noctis pars, quæ media est inter gallicinium, & diluculum, dicitúrque conticinium, quia tunc galli conticescunt. Quinta tempus antelucanum, seu diluculum. Sexta manè cum dies clarescit. Septima tempus antemeridianum. Octava ipse meri, dies. Nona tempus Pomeridianum. Decima tempestas suprema. Undecima Vespera. Duodecima crepusculum, à crepero, seu dubio; quasi tunc dubium sit, nox, an dies sit. Tertia
15. decima Fax prima. Quartadecima concubitum noctis. Quintadecima nox intempesta.

Crepusculum diei speciem præ se fert puelli aligeri, colore fusco, ac dubio; qui alas ad volatum explicat: imminet ejus capiti splendidum sidus: lævâ manu inversam tenet urnam, è qua veluti è cribro aquarum guttulæ decidunt; dextrâ facem accensam gerit. Splendet à posteriori parte lumen clarius. *Ripa*
16. *in sua Iconologia. & Lucanus*

Longa repercussæ nituere crepuscula Phœbo

Crepusculum noctis Puer est nudus aliger colore subnigro occasum versus explicato volatu properans. Ejus vertici stella imminet corusca. Lævâ noctuam avem nocturnam fulcit; dextrâ sagittas jacit. *Ripa in Iconolog.* 17.

Nox speciem exhibet verecundæ puellæ, cui vestis est cærulea pluribus depicta stellis. Flores papaverum discolorem illi prætexunt in vertice coronam. Manu papaver complectitur; & binis instructa alis aërios discurrit campos. Tribuitor nocti papaver, quia somnum conciliat; & noctis tempore animalia dormiunt. Virgil. 8. Æneid.

Nox erat, & terras animalia fessa per omnes
Alituum, pecudúmque genus sopor altus habebat 18.

Horæ solis administræ ejusdem dirigunt currum; cujus pernicissimum cursum in quatuor supra viginti dividunt spatia. Ovidius *2. Metamor.*

A dextra, lævâque dies, & mensis, & annus
Sæculáque, & positæ spatijs æqualibus Horæ

Pinguntur horæ ut virgunculæ lætæ ad 19.
cœli fores excubias agentes; Quarum prima est Aurora, vultu jucundo, ore roseo, ocolis splendentibus, veste quà candida quà subobscura. Alas explicat ad volatum, dextrâ clepsydram tenet fluere incipientem; lævâ flores se se explicantes, quia id temporis, ut Virgilius cecinit *lib. 7. Æneid.*

Jámque rubescebat radijs mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Et Ovidius 2. *Fast.*

——Ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, & plena rosarum
Atria

Alæ ad volatum explicatæ indicant horarum velocitatem, fluxúmque pernicissimum Ovid. 2. *Metamor.*

Jungere equos Titan velocibus imperat Horis
Jussa Deæ celeres peragunt

Hora Secunda matutina, ut prima, 20.
virguncula est veste rubicunda, vultu liberali, capillis anterioribus aureis, posterioribus nigris: circum vestes rubedinem offuscant tenues aliquot nebulæ: quia id temporis Sol veluti centimanus Briareus è sinu telluris suis radijs exhalationes sursum elevat; & roscidâ cadunt imbres, ad quod allusit Silius Ital. lib. 5.

Donec flammiferum tollentes æquore currum
Solis equi sparsêre diem, jamque orbe renato
Diluerat nebulas Titan, sensimque fluebat.

Idem cecinit Claudianus *2. de raptu Proserpinæ*

Caligo in terras nitido resoluta sereno
Mollis erat tellus rorata manè pruinâ.

Hora tertia præcedentibus consimilis 21.
quoad speciem corporis, ac vestes; ab ijsdem discriminatur, quia dextrâ cœleste Mercurij signum gerit; læva horologium solare, in quo gnomonis umbra horam tertiam signat. Quia verò in solari horologio ex umbra dignoscitur quota sit hora diurna; ideo cæteræ hoc charactere facilè conjiciuntur, ut etiam quantum supersit diei nobis, & soli: est enim vita hominis veluti umbra gnomonis, & sicut in hora nulla mora; ita nec in vita, quæ jugiter fluit, & ut hora *oritur, moritur:* hinc fuit qui scitè horologio solari subscripsit

Si

Si nescis hospes, sunt hic Oracula Phœbi
Consule, respondent hoc tibi, DISCE MORI

22. Hora prima nocturna virguncula est veste discolore, capillis anterioribus nigris, posterioribus nonnihil albis. Dextrâ signum cœleste Jovis gerit; lævâ noctuam fulcit. Vestis versicolor, & capillorum deficiens albedo vespertinum indicant tempus post solis occasum; tunc enim ut cecinit Ovidius 4. *Metamorph.*

Jámque dies exactus erat, tempúsque subibat,
Quod tu nec tenebras, nec posses dicere lucem,
Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis.

23. Hora Secunda nocturna eamdem præsefert primæ speciem, obscurior tamen est capillitio, ac veste, quia tunc ut ait Virgilius 2. Æneid.

Vertitur interea cœlum, & ruit oceano nox
Involvens umbra magna terrámque, polúmque

24. Horæ cæteræ nocturnæ eadem fere specie exhibentur, possúntque distingui per varia signa cœlestia noctu illucentia.

25. Media nox est puella talari, nigróque obducta peplo, stellarum depicto myriade; coronata papavere; manúque papaver complectens dextrâ; vespertilionem, aut noctuam gerens lævâ; Papaver soporem indicat, quem conciliat, quia tunc omnia animalia dulci quiescunt sopore. Virgil. 4. *Æneid.*

Nox erat & placidum carpebant fessa soporem
Corpora: per terras, silvæque & sæva quierant
Æquora cum medio volvuntur sidera lapsu.
Cum tacet omnis ager pecudes, pictæque volucres.

26. Pueritia, seu ætas nati pueri usque ad annum decimum, pingitur sub specie pueri arundinem equitantis, prætextâ induti discolore. Parvi primo ortu sic iacent tanquam omnino sine animo sint, ait Cicero *lib. 5. de finibus*, quum autem paulum firmitatis accesserit, & animo utuntur, & sensibus, connituntur, ut se se erigant, & manibus utantur: deinde æqualibus delectantur; libentérque se cum his congregant, dántque se ad ludendum, fabellarúmque auditione ducuntur.

27. Adolescentia, seu ætas adolescentis à decimo ad vigesimum annum exhibetur per adolescentem decennem, vel paulò adultiorem; cui vultus vividus, flammeóque sanguinis flore subrutilus, albo virente illuminatus. Oculi corvina nigredine, & loquaci mobilitate versatiles; vestis discolor; & ipse floribus coronatus totus ad unguem est mundulus, lepidus, hilaris, dulcis, mulsus, oleo tranquillior, lacte mollior, Narcisso nitidior. Hæc ætas, ait Cicero *orat. pro Marco Cœlio*, dedita fuit disciplinis, ijsque artibus, quibus instruimur ad hunc usum forensem, ad capessendam Rempublicam, ad honorem, gloriam, dignitatem.

28. Juventus, seu ætas hominis à vigesimo ad trigesimum quintum annum, quæque post prætextam juvenilis ætatis excipit exordia, repræsentatur ut juvenis proceritate membrorum, ac toto corporis habitu, ad floridam effictus elegantiam, cui sanguis efflorescat ingenis, licet ebulliat in venis, per quas, veluti per rivos, singulas discurrit corporis partes, ut universa membra succis vitalibus irrigentur. Vestis est illi discolor; floribus coronatur. Pecunias liberalior spargit, ac prodigit manu; utrinque adstant canis venaticus, & equus phaleratus. Ut enim Venusinus cecinit Poëta in P. ët.

Gaudet equis, canibúsque, & aprici gramine campi
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.
Utilium tardus provisor prodigus æris
Sublimis, cupidusque & amata relinquere pernix.

Virilitas, seu ætas hominis a trigesimo quinto ad quinquagesimum annum Matrona est, non delicijs affluens, sed maturitate gravis, ætate quinquagenaria, veste auro illita; dextrâ sceptrum tenet aureum, læva apertum librum, leonis ipsa dorso insidet. 29.

Senectus, seu hominis ætas ab anno quinquagesimo ad septuagesimum speciem exhibet vetulæ, edentulæ vietæ; annis, at viribus defectissimæ rugis crassioribus in fronte exaratæ, bucculentæ, suffarcinatæ, aridæ, exsuccæ, pendentibus genis, recedentibus oculis, depresso introrsum ore superstante naso, totóque vultu rugis persulcato. Veste talari, sed simplici, colore frondis emortuæ, aut cinereo nigricante. Læva manu clepsydram ostendit, in qua totus pene horæ pulvis effluxit: dextrâ scipioni nititur; & ad proximum properat sepulchrum: quia cùm senuimus, aliud præstolari nequimus, quàm mortem singulis horis impendentem. 30.

Ætas aurea exhibetur per puellam venustam, elegantem, cujus in vultu unà cum lilijs efflorescunt rosæ, quibus nubunt, in vertice splendet subflava Cæsaries, nullo illigata cultu, sed ipsa negligentiæ opinione venustior; in cute levor, & mollitudo consociantur; in forma corporis dignitas, & venustas; in labijs lepores, & urbanitates: nec ullæ sunt in supercilio nubes, nulla in fronte torvitas, nulla in oculis acerbitas; nilque in ipsa molestum; nihilque triste; sed tota hilaris, ac jucunda. Hæc in olivæ umbris prope alvearium unde mel effluit subridens sedet, veste auri illitu splendida. Dextrâ cornu copiæ amplectitur floribus, ac omnigeno refertum fructu. Sedet in umbrâ olivæ, quæ pacis est symbolum, quia ut asserit Lactantius de Just. *lib. 5. cap. 5.* A Saturni temporibus, quæ aurea dicuntur repetunt Poëtæ exempla justitiæ. Et ideo non erant dissentiones neque inimicitiæ neque bella; quia ut ait Germanicus Cæsar in Aratæo 31.

Nondum vesanos rabies nudaverat enses,
Nec consanguineis fuerat discordia nota

Imò nec alienigenis quidem, quia nec ulli omnino gladij, qui nudarentur, fuerunt. Quis enim vigente justitiâ timeret aut de tutela sui, cum nemo insidiaretur; aut de pernicie alterius, cogitaret; cum nemo quidquam concupisceret?

Malebant tenui contenti vivere cultu.
Ne signare quidem, aut partiri limite campum,
Fas erat. Cum Deus terram omnibus dedisset communem, ut communem homines vitam dege-

degerent; non ut rabida, & furens avaritia omnia sibi vendicaret, nec ulli deesset, quod omnibus nasceretur, nulla erat lis, nullum dissidium pro occupanda possessione.

32. ÆTAS ARGENTEA repræsentatur specie venustæ puellæ priori supparis, veste splendida argento intexta, floribus picta, lacinijs phalerata; ornatu capitis argenteo illuminato gemmis, distinctu unionibus; fronte aperta, ac serena; pedibus ocreis induris minuribus; dextrâ aratro innititur; sinistra manipulum flavescentium complectitur spicarum; quia hac ætate cæpit tellus aratrum experiri, & femina frugum in gremio excepta fovere, atque aucto fœnore restituere. Terra enim ait Cicero *lib. de Senect.* gremio emollito, ac subacto sparsum semen excipit, & primum id occatum cohibet; deinde tepefactum vapore suóque complexu diffundit, elicitque ex eo herbescentem viriditatem; quæ nixa stirpium fibris leusim adolescit, culmóque erecta geniculato, vaginis iam quasi pubescens includitur: è quibuacum emerserit, fundit frugem spicæ ordine structam; & contra avium minorum morsus vallo munitur aristarum.

33. ÆTAS ÆREA Puella est audax sine urbanitate, absque lepore; aspectu acerba, supercilio elata, veste succincta, nodisque implexa, armata thorace, pectorali, humerali; galeam fert in capite, apice eminente suis ornato cristis, plumisque versicoloribus. Hastam dextrâ tenet.

34. ÆTAS FERREA est Virago armata, veste sanguinea, truci aspectu, oculis flagrantibus, supercilio attis nubibus tetro, fronte torvitatibus aspera, ore minis acerbo; thorace ferreo, ferreisque lamellis squamatim confecto; ferreis induta brachialibus, ocreisque ferreis; in cujus casside leonis caput terrores spargit; gladio ab uno latere, fica ab altero cingitur; dexterâ hastam gerit, lævâ clypeum flammeum lolia orbem lacessentem, acinace loco centri armatum; & ad terrorem monstro insculptum horribili; adeout armata virago priùs aspectu, quàm ferro vulneret; priùs præsentia, quàm telo feriat. Quia ut eleganter Lactantius *lib. 5. de justitia cap. 5. & 6.* Postquam Saturnus à filio pulsus in Latium delatus est,

Ille malum virus serpentibus addidit atris, prædarique lupos jussit, id est odium, & invidiam, & dolum hominibus insevit, ut tam sævirent, quàm serpentes venenati; tam rapaces essent, quàm lupi. Tunc belli rabies, & amor successit habendi. Tum inter se manus conferere cæperunt, & insidiari, gloriámque sibi ex humano sanguine comparare. Quorum omnium malorum fons cupiditas erat; quæ scilicet ex contemptu veræ majestatis erupit. Leges etiam iniquissimas sanxerunt, quibus rapinas, & avaritiam suam contra vim multitudinis tuerentur. Tantum enim auctoritate, quantum opibus prævalebant; & quoniam in his nullum fuit justitiæ vestigium, cujus officia sunt humanitas, æquitas, misericordia; jam superba, ac tumida inæqualitate gaudebant, altiorésque se cæteris hominibus, satellitum comitatu, & insigni veste faciebant. Hinc honores sibi, & purpuras, & fasces invenerunt, ut securium, gladiorúmque terrore subnixi, quasi jure dominorum periculis, & paventibus imperarent.

VENTI omnes à Poëtis finguntur sub humana specie aligeri, ac tumescentibus, ac inflatia buccis, vi quadam flantes. Quòd si totum referant humanum corpus, finguntur etiam alipedes, súntque humeris, ac pedibus ad pernicissimam velocitatem alis muniti. 35.

ÆOLUS ventorum Rex fingitur, ac pingitur aliger, capillitio effuso, ac neglecto, aurea corona cingente caput; buccis inflatis, uttaque manu truci aspectu frœnum tenet. Pingitur coronatus, quia fingitur à Poëtis Rex ventorum; regiámque habuisse in una ex illis septem Insulis; quæ ab eodem trahentes nomenclaturam Æoliæ nuncupantur. Quia verò ex nebulis, fumóque Æoliarum Insularum, ventos, ac tempestates multò ante prædiceret, quàm exorirentur; vulgò creditum est, ventos esse in Æoli potestate; quos posset, cum liberet, emittere, vel coërcere; idque ansam Poëtis præbuit eum fingendi ventorum Regem, ad quem ivisse Junonem memorat Virgil. *1. Æneid*, ubi ejus etiam regiam sic describit 36.

Talia flammanti, secum Dea corde volutans
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus austris
Æoliam venit; hic vasto Rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempestatésque sonoras
Imperio premit, ac vinclis, & carcere frænat
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt: celsa sedet Æolus arce,
Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.
Ni faciat, maria, ac terras, cœlúmque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrántque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris
Hoc metuens, molémque, & montes insuper altos
Imposuit: Regémque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas sciret dare, jussus habenas.

EURUS ventus Orientalis homo est pelle nigrâ cum binis ad humeros alis itidem nigris, inflatis buccis fertur per aëra alipes, nubésque unà conglobatas discutit. Ejus vertici Sol eminet rubicundus tenui obductus nube roridа; quia si cœlum intensiùs rubescat, cum Sol occidit indicium est Euri sequenti die excitandi. Virgil. 1. Georgic. 37.

Cæruleus pluviam denunciat igneus Euros
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni;
Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis
Fervere.

AUSTER ventus meridionalis exhibetur alis aquâ madidis, buccis inflatis, vultu subobscuro, barbâ nimbosâ, pennis, & capillis rorantibus. Alij aligerum illum fingunt, & alipedem atro peplo obductum, fumantem præferentem materiam, manúque au̧as spargentem. Tametsi hic ventus sua sit ex natura frigi- 38.

frigidus, ac siccus; percurrens tamen zonam torridam, terrarúmque æstu ferventes tractus, calorem contrahit adscititium; ut etiam humiditatem trajiciens æquora, & mare; ut cum ex Africa efflat in Italiam, Galliam, Hispaniam.

39. Favonius, seu Zephyrus idem est ventus, dicitúrque favonius, quia plantis, herbis, quæ faveat; & Zephyrus à *Zephi*, seu vita, quia plurimum conferat animalium vitæ; speciem præsefert adolescentis venusti, blandi, aligeri varijs coronati floribus, leniter buccas inflantis, dextrâ flabellum gestat plumaceum; sinistro brachio cignum complectitur aperto ore; quia flante hoc vento dicuntur cigni suaviùs canere; & plantæ florere. Favet enim plantis, ac floribus.

40. Borea homo est hispidus, senio confectus, rugis exaratus, aridis coronatus spinis; pro pedibus in binas desinit anguium caudas; barbam, & alas habet nive conspersas, ut pingitur à Pausania; manibus follem, seu flabrum comprimit, quo aërem exagitat. Hi sunt quatuor principaliores venti, quorum Ovidius meminit *lib. 1. Trist. Eleg. 2.*

Nam modò purpureo vires capit Eurus ab ortu
Nunc Zephyrus sero vespere missus adest.
Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto:
Nunc Notus adversa prælia fronte gerit.

41. Non una ex causa ventos Dei Providentia invenit, aut per diversa dispofuit: ait Seneca *lib. 5. natural. quæst. cap. 18.* sed primùm, ut aëra non finerent pigrescere; sed assidua vexatione utilem redderent, vitalémque tracturis: deinde ut imbres terris subministrarent; ijdémque nimios compescerent. Fruges percipi non possent, nisi flatu supervacua admixta servandis ventilarentur: nisi esset quod segetem excitaret, & latentem frugem velamentis suis, quæ folliculos agricolæ vocant, adaperiret.

42. Nonnunquam non solùm è vallibus, tupinm antris, montium angustijs aërisque alterationе beneficio condensationis, ac rarefactionis cientur venti; verùm etiam è nubium disrupto sinu. Cum magna inæqualitas ac dissimilitudo exhalationum, quas terrenus vapor emittit, in sublime avolet, atque ex hisce exhalationibus, aliæ siccæ sint, aliæ humidæ, extanta discordia exhalationum inter se pugnantium; cum tot, & tam varij, tamque dissidentes halitus unà conglobentur, verisimile est, quasdam fieri nubes in gremio cavas; ac intervalla inter illas relinqui fistulosa, tibiæque instar angusta, quibus tenuis inclusus spiritus laxius exigens spatium postquam exagitatus pernici cursu incalnerit, sinum discindit glomeratæ nubis, ac in ventum foras erumpit; qui fere procellosus supernè ad nos dimittitur, viámque per aëra vi, ac pugna sibi parat: Quia verò receptacula nubium, per quæ ferebatur, ac obstantia perrumpit, nonnunquam etiam tumultuosus accedit non sine igne, ac fragore, Sin verò flatus depresso sinu arctiùs rotati densatæ nubis sinum disruperint, sine igne, ac fulmine verticem describunt, qui typhon dicitur, qui rapta vertigine obvia quæque in extremum trahit discrimen; naves æquora trajicientes licèt ingentes, ac validæ sint, contorras disrumpit, vel laxatis compagibus labefactat, ac dissolvit.

EXPENSIO IV.

Subjiciuntur Poëticè scientiarum, Artiúmque Icones.

Sapientiam si cupis rudium subjicere oculis, Puellam pinge non molliter calamistratam, nec muliebriter cincinnatam, nec juveniliter cerussatam, aut sucis illitam; quin potius vestibus inornatam, capillis incultam, habitu neglectam, corpore gracilem; sed vultu decoram, moribus gravem, tótoque corpore verendam; quæque non ascititio splendeat nitore, sed proprio; non mendicatâ fulgeat venustate, sed nativa; non aliena sit tilita colore, sed suo; adeout in negligentia venustas, in venustate maiestas, & in majestate splendeat veneratio. Non enim Sapientia alieno. pictóque incedit cothurno, sed suo graditur socco, proprijs contenta opibus exoticas odit illecebras. Est corpore, cella, sed mente sublimior, severitate mitis, humanitate gravis, spiritu fervida, cogitatu felix. Ipsa dexrâ manu accensam fulcit lampadem, lævâ librum tenet apertum. Lampas lumen innuit intellectus, & liber apertus sapientiam. 1.

Theologia Matrona est gravitate decora, venustate insignis, quæque vultus, totiúsque corporis compositione venerationem conciliet, ac amorem. Obscuro, eóque translucido velo à capitis vertice ad humeros usque tegitur; binas explicat dilcolores alas, nititúrque in sublime evolare, quò oculorum dirigit obtutus; vestis elt illi splendida, stellis distincta; sed absque exotico ornatu simplex. Globum terraqueum pedibus premit, eique stans nititur, Caligine circumfusa, ac nebulis dexrâ facem præ se fert accensam, quâ tenebras vincit, excutit, & caligines dispellit, sinistrâ librum gerit apertum. Exhibet Theologia speciem matronæ insignis, venustissimæ, simúlque gravis, quæ conciliet sibi venerationem, quia nil majus, nil augustius, nilque divinius potest excogitari ea doctrina, cujus objectum est Deus, Auctor Deus, finis Deus; & ipsa digna Deo. Obscuro obducta velo, sed translucido oculorum in cœlum dirigit obtutus, quia fidei obscuritate, ac in ænigmate divinas contemplatur perfectiones; Alas explicat in sublime itura, quia cæteræ scientiæ humi potiùs videntur repere; & si se altiùs erigunt, non longè tamen ab humo recedunt, Theologia verò relictis terris aërem superat, & procul ab hominum oculis abstracta; cœlum ipsum, & illas quæ solo intellectu cernuntur, incorporeas mentes celeri, arduóque volatu transcendit; & in latissimo rerum divinarum campo læta pervagatur. Dextrâ accensam tenet facem, cujus splendore circumfusas 2.

fusas dispellit caligines; qoia ipsa corruptas depravatis opinionibus hominum mentes illuminat, ac errorum tenebras protul excutic; distractos, dissipatósque varijs idolorum cultibus hominum cœtus prælucente sua face ad verum veri Numinis cultum perducit. Sua enim luce veluti Sol exoriens nubium caligines dissipat; & perinde ac sidus Castoris, & Pollucis exortu suo debacchantis maris tumentes fluctus, & plus quàm decumanos sævientes placat, ac tempestates dispellit. Tenebras ignorantiæ dissipat, & nova luce serenitatem invehit; ac malaciam promovet. Aliter Cæsar Ripa in sua Iconologia poëticè pingit Theologiam: exhibet enim Puellam bina facie anteriore cœlum, posteriore terram aspicientem, globóque insidentem cœlesti, dextrâ pectori admota, quæque lævâ fimbriam vestia sustineat; & altero pede rotæ nitatur.

3. Ethica speciem præsefert puellæ sine calamistris ornatæ, sine cincinnis venustæ, sine fuco elegantis; vultu ad caltoram virtutis & modestiæ composito, habitu simplici, & candido, dextrâ regulam fulcit, lævâ leonem laceri hærentem frœnat. Regula innuit præcipuum Ethicæ munus, quod est humanas regulare actiones juxta amussim rectæ rationis: & frœnum, quo leonem cnërcet, alterum munus irascentis, ac concupiscentis animi inordinatos, ac tumultuantes motus compescere. Est siquidem Ethica virtutum obstetrix, & promotrix; & vitiorum expultrix, quæ novercali odio aversatur. Hæc est illa Facultas, quæ dissipatos homines in societatem civilia vitæ convocat, quæ fractos animos integritate donat; corruptos mores sanitati restituit; labentem innocentiam fulcimento virtutis restaurat. Hæc illa morum directrix, hominúmque magistra, quæ de rebus disserit expetendis, ac fugiendis; quæ finem ultimum hominis ollendit, viámque ad ejusdem assecutionem sternit; docétque media, quibus ad cumulum bonorum omnium perveniamus: quot sint genera virtutum, quó que vitiorum, quibus modis illa excolere, ac assequi possimus; hæcque declinare; quomodo detrectanti rationis imperium cupiditati frœnos injicere oporteat; quomodo construendæ sint Respublicæ, quib⁹ moribus, institutis, ac legibus sint temperandæ.

4. Philosophia naturalis mulier est vultu decora, proceritate corporis eminens, subtili, eáque translucida veste induta, dextrâ librum, sinistrâ tenet tubum opticum, quo sidera intuetur. Natura mammis lacte turgidis humi sedet. Hæc enim facultas rerum principia, causas, naturas, proprietates, effectus sedulò perpendit discussione; quo jure sint res interitui obnoxiæ, ac gignantur edisserit. Nimborum, fulminum, ac tempestatum causas; ut & cœlestium corporum magnitudines, intervalla, cursus, progressiones. Elegantiori tu calamo pictam Philosophiam accipe à Severino Boëtio *lib. 1. de Consol. pros. 1.* inquiens. Hæc dum tacitus mecum ipse reputarem, querimoniámque lacrymabilem styli officio designarem, adstitisse mihi supra verticem visa est mulier reverendi admodum vultus, oculis ardentibus, & ultra communem hominum valentiam perspicacibus, colore vivido, atque inexhausti vigoris, quamvis ita ævi plena foret, ut nullo modo nostræ crederetur ætatis. Statura discretionis ambiguæ. Nam nunc quidem ad communem se se hominum mensuram cohibebat; nunc verò pulsare cœlum summi verticis cacumine videbatur: quæ cum caput altiùs extulisset, ipsum etiam cœlum penetrabat, respicientiúmque hominum frustrabatur intuitum. Vestes erant tenuissimis filis, subtili artificio, indissolubilique materia perfectæ, quas uti postea eadem prodente cognovi, suis manibus ipsa texuerat: quarum speciem, veluti fumosas imagines solet, caligo quædam neglectæ vetustatis obduxerat. Harum in extremo margine P. in supremo vero T. legebatur intextum. Atque inter utrasque literas, in scalarum modum, gradus quidam insigniti videbantur, quibus ab inferiore ad superius elementum esset adscensus. Dextra ejus libellos, sceptrum verò sinistrâ gestabat. Hactenus Boëtius. Partes Philosophiæ naturalis sunt Logica, Physica, Metaphysica. Est Logica puella caligine circumsepta, ijsdem enim elementis anagrammatice *logica* idem est, ac *caligo* facies est illi velata, vestis candida, dextrâ claves tenet, sinistrâ pilum acutum; vel quæ utraque manu intricatum extricet nodum. Physica adultior est puella, dextrâ sphæram, lævâ clepsydram gerit. Metaphysica fœmina est formosa, corpore gracilis, cœlum cogitabunda suspicit; globo insidet, dextrâ catenam quâ cœlestia sublunaribus nectuntur tenet, sinistra librum apertum.

Mathesis speciem exhibet venustæ puellæ, binis in capite alis, veste simplici, ac discolore notis pluribus distincta mathematicis; dextrâ circinum gerit, læva solare horologium, vel triangulum. Quia plures mathesi subordinantur facultates, plura earundem instrumenta illi tribuuntur: etenim ad mathesim veluti partes pertinent Astronomia, Astrologia, Horolographia, Arithmetica, Algebra, Trigonometria, Perspectiva, Optica, Catoptrica, Dioptrica, Musica, Geometria, Geodæsia, Geographia, Chronologia, Mechanica, Stathica, Architectonica, Polemica, Ars nautica. 5.

Astronomia est puella venusta gracilis corpore, serto stellifero ornata, tubo optico, seu telescopio stellas diligentiùs suspicit, vestis est illi cærulea in notitiam astrorum, eorúmque motuum. 6.

Astrologia Puella est veste itidem cærulea stellarum depicta myriade, stellis redimita; humeris alas, dextrâ sphœram cœlestem, lævâ sceptrum ostentat, ut pingitur à Bochio. Est Astrologia scientia prædicendi res futuras ex siderum inspectione; tametsi vaniùs scientia fingatur, quippe quæ tota mendacijs nititur; nec aliud ab astris errantibus addiscit, quàm errorea, quos ipsa homines edocet. Secant Astrologi totum cœli ambitum in duodenas partes æquales, quas vocant Domos, seu domicilia. Primam vocant domum 7.

vitæ

vitæ 2. fubftantiæ, & bonum. 3. fratrum. 4. parentum, & patrimonij. 5. Liberorum. 6. ægritudinum. 7. conjugis. 8. Libithinæ. 9. Religionis. 10. Honorum. 11. Amicorum. 12. Adverfitatum, ac ærumnarum. Item feptenas numerant Planetarum dignitates, fúntque Domus, Exaltatio, Trigonus, Terminus, Carpentum, Perfona, Gaudium. Rurfus quinos diftinguunt idoneos Planetarū afpectus. Primus dicitur *fextilis* quando unus planeta ab alio diftat fexta circuli parte, feu gradibus fexaginta. Secundus afpectus vocatur *quadratus* cum Planetæ in vicem diftant quarta parte, ejusdem circuli, feu gradibus nonaginta. Tertius dicitur *Trigonus* quando planetæ invicem diftant tertia parte circuli, feu gradibus centum viginti. Quartus *Oppofitionis* cum duo planetæ fibi oppofiti funt, ac disjuncti gradibus centum octoginta. Qnintus *Conjunctionis* cum duo Planetæ funt in eodem figno zodiaci. Afferunt Planetarum influxos effe admodum discrepantes, illos Jovis, & Veneris effe faluberrimos; Saturni, & Martis infeftiffimos; cæterorum trium ancipites, ac varios. Denique volunt intercedere amicitias, & odia inter Planetas: præter unum Martem, amari Jovem à cæteris alijs. Amicos Veneris effe folem, Jovem, & Mercurium. Martem à fola Venere amari. Solem amari à Jove, Venere, & Saturno. Verùm hæc enarrare eft ludere verbis, & garrire nugis.

8. Horolographia Puella eft infignis, cui Sol fplendet in vertice; veftis eft illi fimplex horis tamen depicta diurnis, & nocturnis, dextrâ pyxidem horariam, feu horologium geftatorium oftendit; lævâ horologium folare. Ad pedes fluens adeft clepfydra: fiquidem triplex datur horologiorum genus, quia tripliciter poffunt horæ notari. Scilicet fluxu alicujus corporis, ut aquæ, arenæ, Mercurij, & habentur clepfydræ. Secundò fluxu partium motûs alicujus corporis, feu rotæ, & conftituuntur horologia rotata. Tertiò notantur horæ umbra folis, vel alterius aftri; & conficiuntur horologia fcioterica, in quibus folis umbra horam indicat. Ex hifce alia funt horologia regularia, feu folari afpectui parallela, quæ fobdividuntur in horizontalia, verticalia, æquinoctialia, polaria. Horologium Verticale aliud eft meridionale, aliud feptemtrionale. Meridionale bipartitur in orientale, & occidentale, æquinoctiale, & Polare in fuperius, & inferius. Alia funt horologia fcioterica irregularia, feu anomala, fúntque inclinantia, & declinantia fimul, vel feorfim.

9. In horologio igitur fcioterico ftilus eft diei index, & per umbram exiguam, quam projicit, quota fit hora fideliter fignat. Radius immobilis, & exiguus peragit quantum miranda folis magnitudo difcurrit, & fugam folis circumactâ prodit umbrâ. *Inviderent talibus fi aftra fentirent*, ait Caffiodorus *lib. 1. Epift. 45. & meatum fuum fortaffis deflecterent, ne cæli ludibrio fubjacerent. Ubi eft illud horarum de lumine venientium fingulare miraculum; fi hoc & umbra demonftrat? ubi prædicabilis indefeffa rotatio; fi hoc, & metalla peragunt? O artis inæftimabilis virtus, quæ dum fe dicit ludere, naturæ prævalet fecreta vulgare!*

Horologium geftatorium, manuale, rotatum, eft multiplex juxta varias corporum figuras, quibus includitur, ut pyxis horaria, cylindrus horarius, baculus horarius, crux horaria, Annulus horarius. Partes horologij rotati funt Libramentum, Pendulum. Rota primaria, Rota libramenti, Rota horaria, Palmula præcipitans motum, Pondus, Campanula, Index horarius, virgula horarum index. Ex hifce partibus ex metallo fabrefactis componitur horologium rotatum, & geftatorium; in quo perinde ac in fpeculo motus fiderum, quantúmque abfolverint itineris dilucidè infpicimus, & veritatem abfque fuci fufpicione edocemur. In hoc enim opificio rotæ aliquot ftriato axis verticillo interjecto mutuo commiffæ, ac fœderatæ in orbem lenfim fine fenfu voluuntur. Ferrea in medio columella fubtili hærens filio, tenuique, lamina transverfa in capite interfecta temporis moderatrix in fubjectos orbes incidit; binisque ligulis in eorum denies quafi frænis ex intervallo injectis rotas in gyrum raptas defcripta ad numerum mora in fingula momenta fuftinet, & laxat; prodente exterius indice temporum fpatia in numeris graphicè defcriptis. 10.

Architectura mulier eft ætate provecta, vefte fuccincta difcolore, brachijs, humerisque feminudis, dextrâ explicatam oftendit diagraphicem, feu ædificij delineationem, vel Ichnographiam, feu jacentem areæ efformationem, ac fuperficiariam defcriptionem. Lævâ gerit libellam, feu perpendiculum, & Amuffim. Eft Architectura infignis illa tectorum machinatrix, quæ ædificiorum conftruit molitiones non ad commodum tantùm humanæ vitæ, verùm etiam adfpeciem, ornatum, ac elegantiam. Teftes funt operum moles, vel antiquitati fuperftites, vel recèns excitatæ, non in unius ufum familiæ, fed integræ gentium nationis; cum inftar provinciæ dilatentur, & ftructuræ latiffimis areis ad fidera videantur affurgere; jactis fundamentis non procul ab inferis. Quantum debet quis impendere temporis fi luftrare velit ædium frontes, veftibula, oftia, areas, atria, pavimenta, lacunaria, cameras, laquearia, fcalas, contignationes, conclavia anteriora, interiora, aulas laxiores, porticus, cubicula, Mufæa, conclavia fecreta, repofitoria pretiofæ fupellectilis, penuaria, veftiaria, fpeculas voluptarias, podia, turres, cellaria, cellas lignarias, penuarias, panarias, piftrinas, cenacula, coquinas, ftabula, aviaria, columbaria, gallinaria, Foricas, horrea, zetas; & alia id genus fexcenta, quæ Architectura invenit, divifit, ornavit? Nec putes recentiores antiquis fplendidiores; quia veteres tuas volverunt ftructuras longè ampliores, & non è folido tantùm marmore, fed è montibus aggeftis; cum recentiores nonnifi fegmentis, & cruftulis fua veftiant ædificia: fi ifti fundamenta utcumque excavato folo, vel ruderibus implent, vel adactis palis confolidant; illi depreffis 11.

pressis in ingentem altitudinem fossis, areis deinde latissimis in imo stratis, ruderatisque tum statumine suffultis, ad extremum quadrato saxo, eóque magnitudinis insolentis veluti ad fulciendum orbem terrarum citra vitij periculum præparabant. Quos nostræ ætatis homines parietes vanidos, & raros, ac brevi casuros extruunt; illi silice pinso, & contuso, cœmentisque imbricatim locatis construebant æternùm duraturos. Id testantur amphitheatra, arcus triumphis celebres, balnea, templa à priscis extructa Romanis.

12\. Reliquæ MATHESEOS PARTES speciem referunt puellæ vultu corporis neglectæ, veste succincta, ac discolore; singulæ propria gerunt instrumenta, quibus dignoscuntur. ARITHMETICA mensæ assidet numulariæ inscripto trimmate vestium extremo margine *Par Impar*. GEOMETRIA circinum dextrâ, lævâ triangulum gerit. GEODÆSIA virgam ostendit mensoriam, cum regula geometrica, aut scala, quam vocant proportionum; Geodæsia, suam trahit nomenclaturam à dimensione terræ, & differt à Geometria, quia hæc expendit magnitudinis principia, affectiones, & species citra materiæ considerationem: Geodæsia verò demonstrat usum in subjecta materia, adeout ab aliquibus audiat Geometria practica. STATICA, quæ suam à ponderando sortitur nomenclationem Puella est insignis veste simplici, dextrâ bilances suspendit æquilibratas; lævâ stateram, quæ cum habeat centrum librationis extra medium scapi, consequens est ut batillus protensior inducat inter librandum majores ascensiones, quàm radius, seu bacillus minor, ac brevior. OPTICA puella est veste discolore, corpore gracili, ore venusto, dextrâ tubum opticum, seu telescopium admovet oculis; lævâ speculum tersum, ac politum gerit, in quo solares radij refranguntur: vel speculum, cujus cavitas sit sectio coni parabolica, è qua prodeuntes refracti solis radij congesta ligni fragmenta accendant. GEOGRAPHIA est venusta, & elegans puella veste discolore; dextrâ circinum tenet semiapertum, lævâ explicatam ostendit tabulam Geographicam, seu mappam; dextro brachio nititur globo terraqueo. Munus Geographiæ est totum terræ ambitum quatenus nobis cognitum describere; & differt à COSMOGRAPHIA, quia hæc mundum etiam ætherium comprehendit, à COROGRAPHIA quia insigniorem tantum aliquam terræ partem exhibet descriptam à TOPOTHESI quæ minutiùs locum aliquem explicat; ab HYDROGRAPHIA, quæ maria, freta, lacus, stagna, fluvios, Insulas, peninsulas, isthmos describit. GEOMETRIA siquidem totam dividit terram, eam dimentiendo in longum, aut latum; vel disterminando in plagas habitabiles, & inhabitabiles, & si quid memoriâ dignum illi obviat breviter adnotat.

13\. PICTURA speciem refert nobilis puellæ, cui vestis discolor, frons suopte ingenio ampla, brachia seminuda: præfert sinistrâ manu orbiculum ligneum, cujus margini perforato pollicem inserit ad miscendos in eodem colores: dextrâ penicillum tenet, cum barillo ad fulciendam manum; à latere additur tela oblita, & lævigata tenaci pulticula, extensa in regula quadrata, crismate fulta. Hæc est celebris illa Facultas, quæ beneficio Iuris, & umbræ montes, valles, profunda, eminentia, recedentia, accedentia corpora in eadem exhibet plana superficie; in qua castigatiore symmetria corpora exprimit, venustiore filo definit; decentiore positu contrahit, vel extendit; suaviore colorum distributione distinguit; ut emineant in vultu argutiæ; florcant in ore venustates; & splendeant in toto corpore elegantiæ; & quæ sub oculis sunt longinquas simulent distantias: ipsa tam scitè colores confundit, tam doctè umbras luci adnectit; ut in cavo plana metiatur, in plano rotunda, in rotundo directa, in recto obliqua, in arcto ampla, & in æquo prærupta: figurarum exhibet artificiosa compendia, & velut in nodum contracta corpora, quæ singula admirationem excitant, & delectationem conciliant.

HISTORIA Grandæuam exhibet matronæ 14. personam ætate provectam, veste simplici, & candida. Hæc non est corpore obesa, quia superfluis non abundat; nec macrescit gracilitate, cum non deficiat in necessarijs; oculis est perspicacissima, quæque Principum arcana introspiciat; pectore nuda, quia abditissima quæque expromit, nilque in sinu occultat. Vertex sacra ipsi ornatur cidari ritu complicata hebraico, albisque maculis in cærulei coloris fascia intermicantibus; & quali teste S. Hieronymo Hebræorum Pontifices uti consueverunt, & in qua Dei nomen erat inscriptum; ut significeret, initium Historiarum omnium solos scriptores Hebræos attigisse. Ejus zona cæteris est strictior, quia verborum circuitus, ac periodorum redundantias respuit. Zodiacum tamen depictum ostendit, quia tempora omnia percurrit: sedet, ac scribit ad prælucentem facem, cubóque stabili innixam, ad flexum pulveris in proxima clepsydra; quia Historia lux est temporum, innititúrque veritati, quæ fundamentum est Historiæ, & ratio scribendi.

GRAMMATICA Puella est decennis, graci- 15. lis, & parva corpore, veste simplici, dextra regulam Lesbiam gerit, è qua scheda pendet cum inscriptione *Vox literata, & articulata, debito modo pronunciata*; læva psittacum fulcit; quia adolescentes, qui Grammaticæ student instar psittaci discunt verba bene articulare, pronunciare, ac construere. Schola otium significat, quia litterarum studiosi debent à cæteris negotijs vacare; est enim Schola officina transfundendi eruditionem è libris in animos studiosorum per *Ludimagistrum*, seu *Didascalum*, vel etiam ipsum *Gymnasiarcham*, quem ludimagister adjuvat. Unde Grammatica à grammatis, seu literis dicta, est ars docens rectè loqui, & scribere; seu ut air Tullius, verba efferre, quæ nemo reprehendat, & ijs casibus, temporibus, genere, numero, ne quid perturbatum, ac discrepans insit; aut præposterum,

Sola-

Solœcismus est fœdatio latini sermonis, sive fit in singulis verbis, sive in contextu plurium; hoc qui vitio laborat non grammatista, sed solœcista audit. *Barbarismus* est dictio, aut omnino barbara, vel latina quidem, sed vitiosa scripto, pronuntiatione, aut significatu; & plerunque contingit ex consuetudine sermonis vernaculi. Officit orationis ornatui *Cacophaton* seu literarum asper concursus ut *Rex Xerxes*. Absoleta constructio *Archaismus* dicitur; græca locutio *Hellenismus*. Seneca probos Grammaticos vocat latini sermonis custodes. Partiri solet Grammatica in majorem, & minorem, syntaxin: hæc est inchoata syntaxeos notitia, seu brevis introductio agens de generibus, nomine, declinatione, Præteritis, supinis, & constructione. Major explicat regulas syntacticas unà cùm appendicibus, ducitque in absolutam intelligentiam latini sermonis.

16. Poesis Puella est adultior, lauro redimita, veste stellarum depicta myriade; formæ elegantiâ insignis, Cultu corporis venusta, mente cogitabunda, & enthusiasmo inflammata, nudis, distentisque uberibus; lyram sinistrâ tenet; dextrâ arcum telis intentum, quem è bellorum terrore ad Musarum voluptates ars transtulit; eóque pro plectro utitur ad omnes elegantiarum delicias. Pendet è zona larva imitandis ex orchestra hominum moribus accommodata, adest cygnus; Nil elegantius, venustius nihil potest amœnior literatura nobis Poësi exhibere; hæc enim tota elegans, & deliciis affluens ex arcano supremi pectoris sinu videtur in terram delapsa ad hominum mentes excussis mœroribus exhilarandas. Multiplex est Poësis pro carminum varietate. Lyrica pingitur ut puella gracilis, & agilis, habitu versicolore, vultu jucundo, lauro coronata, Lyræ fidibus ludens, cum inscriptione in labente è lira scheda: *Brevi complectar omnia cantu.* Poesis pastoralis est juvenis hilaris frondibus coronatus, veste simplici, fistulâ ori appositâ ludit; sedet ad umbram fagi nudipes, ocreæ, & baculus jacent humi. Poesis Satyrica vir est seminudus, audaci fronte, elato supercilio, oculis inflammatis, qui linguam exerat; dextrâ thyrsum tenet, sinistrâ cornu symphoniacum, & schedam cum inscriptione *Irridens cuspide figo.* Poesis Heroica vir est majestate plenus, gravis, laureatus, cogitabundus, dextrâ tubam, sinistrâ tenet schedam cum inscriptione *Nonnisi grandia canto.* Elegiaca Poesis est puella claudicans, seu altero pede brevior, lauro redimita, veste nigra, capillis negligenter sparsis citharam leniter pulsat. Comœdia mulier est hilaris habitu versicolore, dextrâ coronam tenet, lævâ musicum instrumentum, larvam habet zonæ appensam; in scheda è veste cadente lemma legitur. *Describo mores hominum.* Tragœdia puella est tristis, ocreata, veste nigra, dextrâ gladium fuso sanguine madidum districtum præfert; juxta vestes regias humi jacentes torvo intuetur aspectu.

17. Rhetorica puella est jucunda nativa venustate speciosa, vestium cultu insignis, gemmarum nitore splendida, florúmque varietate elegans; nullus tamen in ipsa indecens ornatus, nullus oris fucus, qui vanitatem redoleat; nullum pigmentum, quod animi prodat levitatem, quippe sine exotico, & ascititio colore, sine calamistris, & cincinnis, nativa splendet elegantia, nitet venustate, floret ornatu, quam amat modestia; dextrâ aureum gerit sceptrum, sinistrâ manu librum fulcit apertum; aurea in prominente ejus vertice splendet corona; est enim cæterarum regina disciplinarum; cui propterea sceptrum debetur, ac diadema. Tanta est ejus dignitas, aeâ natura venustas indita, orisque suavitas, ut Barbarorum sensus Incredibili titillet voluptate, animósque agrestes demulceat; flectatque, & in quam ipsa voluerit partem pertrahat. Hinc Rhetoricæ, ut animorum triumphatrici fuerunt olim palmæ destinatæ, quarum meminit Martialis *lib. 7. ad Fuscum*, ut etiam coronæ laureæ consecratæ, ut canit Ovidius in persona Apollinis ad Daphnem; Immo & publicæ in foro erectæ statuæ Rhetoricæ Professoribus, scimus enim uni Demetrio Phalereo trecentas, & sexaginta fuisse Athenis statuas erectas; & Gorgiæ Leontino non inauratam, sed totam auream fuisse statuam positam.

Rhetorica aliter pingitur à Luciano in eo, quem de Rhetorum doctore inscripsit, Dialogo inquiens. Sedet illa in eminenti solio, formosa aspectu, & planè elegans, Amaltheæ cornu gestans variis fructibus refertum; & ex una quidem parte adstantem ostendit Plutum, adolescentem penitus aureum, ac perquam amabilem, quem Gloria, & Potentia, cætetæque id genus Divæ frequenti stipant comitatu: ex altera verò parte Laudes permultæ pusillis amoribus similes, ac undique confertæ circumvolitant, instar Nili, si quandóque illum depictum vidisti, crocodilo alicui, vel equo fluviatili, quales multi sunt in eo insidentem: parvulos autem puellos (Peches illos Ægyptii vocant,) circa illum lusitantes: tales & circa Rhetoricam laudes. Hactenus, Lucianus. 18.

Eloquentia Puella fingitur, & pingitur amictu purpureo, cassidem præferens aurea corona insignem; nuda exerit brachia, statque marginato in pulpito, præferens dicentis ad populum speciem; suspicitur actuosa, procera dextra, reductóque brachio, pectore projecto, vultúque prominente; ut perorare aliquid magnum videatur; manat ex dicentis ore fictum ex fluxo auro flumen, se se diffundens in coacervatam populi frequentiam. Alii loco fluminis aureas fingunt, & pingunt catenulas ex ore prodeuntes Eloquentiæ, eò quia sit hæc conciliatrix, & efficax vis capiendis, illigandisque animis aptissima; præsertim si vitæ probitate, morúmque incorrupto candore eloquentia fulciatur; his enim subnixa adminiculis, & pennis in ipsa Auditorum pectora influit, & gratissima omnium servitute sibi mancipat. Quid enim non potest in humanis pectoribus Eloquentia; si hæc inflammari indigent, accenditur illa in flammas, ac tota ignescit; 19.

scit: si pungi, in calcaria acuitur: si illustrari, diffunditur in splendores: si consolari, spargitur in Nepenthes tristitiam adimentes: si coërceri, frœnum se exhibet: si sanari, est Panacea.

EXPENSIO V.

Describuntur Poëticæ Virtutum Icones.

1. VIRTUS suam à Viro trahens nomenclationem digna semper habita fuit viro ingenuo, quem ornat, honestátque. Culra olim fuit ut Diva, referente Cicerone *2. Tuscul.* habitus erat illi talaris, ac matronalis, species senilis, saxo insidebat quadrato. Testatur Livius *lib. 29. M.* Marcellum huic Templum dedicâsse, & Honoris ædem curâsse construi; ut per Virrutis Templum, seu culturam; ingressus pateret ad ædem Honoris; quo significaretur, non nisi per studia, & culturam virtutum posse homines veros enancisci honores. Aperto capite prisci homines sacra Honori faciebant; hinc inolevit consuetudo, quâ viris illustribus, ac honoratis caput aperire solemus. Pingitur ab alijs Virtus speciem referens Amazonis, quæ galeam ferat in capite, cono galeæ apice eminente, ornato cristis, plumisque versicoloribus; loricam ferreis lamellis, quasi squamis intextam; ocreas ferreas: & ipsa flagrantibus oculis, aspectúque truci, dextrâ nudstum vibrat gladium, lævâ chalibeum, ac splendidum gerit clypeum. Hæc tamen est sola virtus bellica, quæ hostes lacessit, adoritur, vincit, prosternit. Solet enim Virtus incedere quidem armata; sed parszonio, seu lato gladio, cui acies desit; quia defendere potiùs, quàm offendere, & propugnare quàm pugnare Virtutis est; altero pede galeam calcat. In Valentiniani numismate Virtus dextrâ vexillum, sinistrâ orbem terræ sustinet, lævóque pede mancipium premit.

2. VIRTUS MILITARIS mulier est truci aspectu, castrensi pulvere generose sordescens, cincta Gorgone ante pectue, clypeum lævâ, hastam dextrâ gerit: cassidi sphinx inter plumas insidet discolores, cum serto Oleagineo, gryphes utrinque cælati spectantur; in hastæ cuspide gallus, serpénsque circumplicatue: in basi ciconia militiæ symbolum collocatur; vel Aquila Romanum signum.

3. VIRTUS VOLUPTATI opposita fingitur, ac pingitur à Philostrato in Apollonio mulier gracilis labore fractæ similis; aspecto horrida, macie quoque, ac squalore confecta, nudipes, vestéque simplici amicta. E converso Voloptas mulier ab eodem fingitur auro, monilibúsque ornata, veste purpurea, oris pulchritudine nitens; coma præterea discriminata, varijsque illigata nodis, & pictis superciliis fulgens; aureos quoque calceos gestans.

4. FIDES HUMANA speciem præfert puellæ ingenuæ candidæ, veste alba talari, pectore tecto, sine ascititio fuco venusta, sine exotico ornatu elegans; dextrâ sigillum, lævâ clavem ostendit, juxtà astante cane albo; fuit enim apud priscos canis symbolum fidei humanæ, quia hoc animali nullum sit fidelius. Talaris vestis candida innuit incorruptibilitatem fidei, ac sinceritatem: hinc *cana fides* à Virgilio *8. Æneid.* dicitur, vel propter sinceritatem animi, à quo oritur; vel quia in hominibus canis vigere soleat. Ædem hæc Fides habuit, quam Numa Pompilius primus omnium dicitur consecrâsse. Ibi sine cæde, & sanguine referente Dionysio Halicarnasseo *lib. 2.* ejus sacra fiebant. Ipsius Flamines albo panno caput involuebant, & velata manu albo linteo sacra faciebant; ut indicarent fidem debere esse *rectam*, & *tectam*. Solent etiam hanc fidem repræsentare puellæ geminæ amictu indutæ albo dextram dextræ conserentes, quia ut habetur apud Livium Prisci homines *dextrâ datâ fidem futuræ amicitiæ sanciebant.* Homines enim ob datam fidem cæperunt amicitiam, ac societatem simul inire; quâ de causa dicitur fides esse mortalium nexus; quia non solùm homines in agris olim, ac sylvis solitarios, vagósque ad rerum pertraxit communionem, urbium mœnibus clausas; verùm, & ijsdem persuasit amicitias, ac societates inire, commercia inter homines lacorum intervallis dissitos instituere; résque suas alijs concredere; hinc quidquid inest fœderis, induciarum, pacis, affinitatis inter homines sola nititur fide; quæ si ab hominibus exulet, statim deficir etiam sanguinie, & necessitudinis conjunctio, arescit una amicitia, corruit instituta societas; legum sanctiones, & jura sacramentorum solvuntur; & homines inter se se aversi, suspiciosi, sibique ab aliorum perfidia metuentes, à rerum publicarum administratione se abdicant; imò & à communi se subtrahont hominum conspectu ad sylvas reduces pecudum vivendi normam instituturi.

In veterum Romanorum numis indicatur fides per binas manus dextras, unà implicatas. Nonnunquam dextris complexis subjiciebantur flores, spicæ, quibus Mercurij innititur caduceum. In numismate Heliogabali exhibebatur fides per mulierem sedentem, quæ dextrâ prolixam hastam, lævâ turturem fidei symbolum gereret addito lemmate *Fides exercitûs.* In numismate verò Domitiani Fides est mulier stans, quæ læva manu binas tenet spicas; alterâ lancem fructibus multiplici distinctis corde plenam, cum Epigraphe *Fidei publicæ.* 5.

Pingi verò in tabulis solet Fides humana instar gravis, regiæque Heroinæ, quia regium est, verba habere fidissima; cujos ætas media florescat inter adolescentiam, & virilitatem ad senium vergentem; siquidem adolescentes non satis experti nimis se omnibus credunt; è converso senes nulli se fidunt. Frons illi majestate plena, os verecundum, oculi ad benevolam compositi modestiam: in vertice crinium ornatus figuram exhiber anchoræ, quæ insigne est constantiæ symbolum: cincta est baltheo, ut discingi nequeat fidei authorata sacramento. 6.

Lævâ

Lævâ manu anulum ostendit, symbolum inviolabilis sponsionis, dextrâ sigillum dicæ fidei pignus. Canis albus, blandus deliciatur ad ejus pedes.

7. Fides divina nobilis est, ac gravis matrona, majestate decora, albo vestita amictu, velo translucido velata capite; dextrâ crucem, lævâ calicem gerit, quem fixo aspicit obtutu; altero pede innititur quadrato lapide cum epigraphe *Super hanc petram*. Velata facie incedit Fides, quia ut ait Apostolus *argumentum est non apparentium*. Ipsa solis acquiescit revelatis, tollitque è medio molestum, ac perniciosum Philosophantium certamen. Ipsa docet, adesse Deum, & corpore carere, atque ab omni esse concretione discretum; nec unum quidem ex arbore folium, vel capillum ea hominum capite defluere, nisi ad nutum divinæ voluntatis. Æternum non esse mundum, & novam rerum molitionem, initiúmque hujus universitatis ipsa adstruit. Nostros animos immortalitate fuisse donatos, & post fata ad corpora sua aliquando reversuros asserit.

8. Spes puella est venusta, fronte aperta, vultu hilari, ore jucundo, veste viridi, fronde ac flore redimita, anchoræ innixa; dextrâ trifolium præfert; lævâ frumentum in exsulcatum spargit agrum. Juvenculæ speciem exhibet, quia hæc ætas bonæ censetur spei. Alij eam pingunt veste demissa, pellucida, ac distincta, quæ flante favonio facilè rapiatur, herbam tribus foliculis pullulantem dextrâ ostendit; eò quia in virescentibus herbis spes frugum adolescit; sinistrâ laciniam vestis attollit; summisque pedum articulis niti videtur, facili subversura impulsu. In Adriani numismate spes fœmina erat stans, quæ Justitiæ laciniam nonnihil lævâ manu attolleret; dextrâ in cubicum elatâ pateram præferret, in qua repositum esset poculi genus ad floris similitudinem efformatum additâ inscriptione *spes P. R.* In numismate Tiberij Claudij lævâ pallam sustinet, dextrâ lilium præfert. Spes Ædem habuit Romæ teste Livio *l. 21.* in foro olitorio, quæ icta fulmine deflagravit.

9. Charitas mulier est proceritate corporis cæteras supereminens virtutes, ore jucundo, oculis benignitatem spirantibus, fronte læta, nullis exasperata rugis, capite aperto, cujus in vertice nitidissima splendet flamma; dextrâ cor ardens gerit; lævâ puerum amplectitur sugentem ex turgida mamma lac, ipsóque suctu blandè gestientem. Adstant bini alij pueri; quorum alter manus attollit versus alteram Charitatis mammam; alter vestis laciniâ jocatur. Est charitas Virtus magnanima, benigna, ac lenis, quæ nulli obest, prodest omnibus; sua sorte contenta; quæ sua sunt alijs munifica distribuit largitate; in alienis rebus secundis non invidet, in adversis est levamini; si fortuna arrideat contumaci superbiâ non intumescit; si sæviat inconstanti levitate non fluctuat. Ambitione non intumescit nec injustæ ignominiæ metu commovetur. Non proprijs magis commodis, quàm cæterorum servit utilitati; si offenditur non excandescit, neque ardet irâ; si convicijs impetitur, nulli machinatur malum, contenta proprium tueri honorem; nullius delectatur infortunio, nec gaudet damno; nec quidquam ipsi obtingit tam durum, támque asperum, quod non æquo animo libenter suscipiat; quæ accidunt molesta fúsque, deque evertentia omne, ferre discit læto animo. Quid enim tam formidolosum, quod ipsa non sustineat? quid tam terribile, quod non toleret? quid tam difficile, & arduum quod non perficiat? Demum quidquid est jurgij, vel dissidij in ejus animo nullam habet sedem; nullum, quo nutriatur, fomitem; quia charitas semper benigna, mitis, mansueta est.

Justitia nobilis est mulier, ore virgineo, acri oculorum obtutu, fronte severa, totóque corporis habitu incutiendo timori accommodato, ad dignitatem ornatissimo, ad majestatem venerando. Dextrâ gladium nudatum, lævâ bilancem sustinet æquilibratam. In numismate Tiberij Cæsaris ea est forma, quâ Chrysippus teste Gellio eam finxit. Virgo enim est integra, sine cultu venusta, sine fuco elegans, sine calamistro ornata, vultu severa, oculis vivida, fronte rosis coronata, odore veluti suo, non ascititio fragrantissima; virgam dextrâ; bilancem lævâ præfert. Solet etiam Justitia pingi oculis, aureo, vel candido amictu velatis, quia neminem videt, cui præ cæteris faveat, sed dat cuique suum. Pindarus verò apud Athenæum aureos ipsi oculos appinxit, aureámque faciem, quâ amorem conciliat, & venerationem. Hæc est illa Virtus ait Cyprianus *lib. 12. abus.* quæ est pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentium, cura languorum, gaudium hominum, solatium pauperum, ac totius Reipublicæ fulcimentum. Ab ipsa enim in omnes gentes legum sanctiones, & jura manarunt; per ipsam benefactis honores, & præmia; malefactis ignominiæ, & supplicia proponuntur; illis alliciuntur probi ad studia virtutum; illis absterrentur scelesti à flagitiorum patratione. Hac unicâ sublatâ, nec domus ulla, neque civitas, neque hominum inter se societas stare posset. 10.

Prudentia in Iconologia Ripæ exhibetur specie puellæ bifrontis, indutæ amictu arboris Mori folijs acu pictis exornato, dextrâ speculum politum, ac tersum tenet, in quod defixis oculis se ipsam speculatur: læva baculum cum serpente præfert. Alij eam pingunt coronatam frondibus Mori; quæque dextrâ sagittam gerat, cui sit echinus circumplicatus, sinistrâ tersissimum speculum. Placet etiam alijs eam exprimere per mulierem coronatam, quæ lævâ manu sceptrum mori virescente ramo circumvolutum gerat; dextrâ globum: adstante ad latus grue unguibus elevati pedis lapidem suspendente. Est Prudentia cæterarum virtutum nitidissima, ac præambula sua ostendens quà sit eundum; & in homine Principe est id, quod in sole mundi lampade splendor, est animæ lucerna, corporis oculus, actionum directrix, condimentum humanarum operationum. Sine prudentia deficiunt, 11.

ciunt, & in squalore jacent cæteræ virtutes; nullum sine ret imperium, nullum est regnum beatum; nullus & homo laude dignus; quia hæc rationis imperium instaurat, animum dejectum elevat, profligatum corroborat, dissipatum colligit; frænum concupiscentijs injicit, irascentis animi motus coërcet.

12. Fortitudo nobilis est Virago quernis corona frondibus, corpore procero, & membrorum adaptatione obfirmato, roboratoque. Augusto è vultu quidam splendet prudentis audaciæ generosus vigor, qualis eminuit in Davide leones aggressuro. Oculi solis suspiciendi potentes solo terrent intuitu, feriunt aspectu, vibrántque ferociam, quadam tamen mansuetudine temperatam, quæ miseris videatur veniam spondere, superbis acre indicere bellum. Ejus caput ænea, terláque protegit tutela quernis circumornata folijs. Ultra vertitem crista eminet, quæ pennarum discolori pompa fluctuans procellas contumacibus, cædesque minitatur; licèt ferociam mitiget volatica amœnitas, quâ spirantibus zephiris, favonijsque eblanditur. Depluunt utrinque ad collum crines errore subrepitio citra metum trepidante; & licet ex robore dignos diceres Samsonis capite; ex venustate tamen, & gratia eos jurares è Veneris mutuatos vertice. Thorace ipsa protegitur chalibeo, in quo veluti stellulæ splendent adamas, amethistus, smaragdus, aliæque id genus gemmæ conciliatrices lætitiæ simul, & audaciæ. Sunt pedes altis fubnixi cothurnis, quo sublimius attollantur ex humo; instruuntur etiam calcaribus cuspidatis, ne desit stimulus ad fortia quæque generosè peragenda. Rictu leonino brachia vestiuntur, & ipsa clavam Herculeam dextrâ præfert; lævâ ferocissimo leoni caput mulcet. Virtus hæc murus est Semiramidis, quo vita adversus impendentes malorum procellas præmunitur, ne obruatur fluctibus; ne ad dejecti animi collisa scopulum frangatur; sed perseveret immota in motu, vel æstuantis, vel eblandientis in malacia fortunæ; ut de viro forti dicas; nec bona forte tumidum; nec mala forte timidum; quia ut cecinit ille

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feracis frondis in Algido,
Per damna per cædes ab ipso
Ducit opes, animúmque ferro.

13. Temperantia Puella est venusta, agilis, jocunda, nec obesa corpore, nec gracilis ad macrem, sed ut par est, enutrita ad animi, corporisque functiones expeditè obeundas. Vestis est illi alba, sine alcitrio cultu elegans, sine exotico ornatu splendida, sine fuco nitida. Capilli sine calamistro crispati è summo vertice ad utrumque depluunt humerum; facies sine cerusa florida, sine minio rosea amorem conciliat, & reverentiam, oculi ad modestiam compositi. Dextrâ palmam præfert, sinistrâ frœnum; quia proprium Temperantiæ munus est frænare cupiditates, præsertim Venerem, linguam, gulam, iram, aliósque tum irascentis, tum concupiscentis animi exorbitantes motus coërcere; ut etiam frugalitatem, ac sobrietatem exercere in esculentis, & poculentis; abstinentiam cupedijs, opiparisque condimentis indicere; & de lingulis triumph. re insurgentibus concupiscentijs, idque per palmam indicatur.

Clementia matrona est specie decora, 14. majestate veneranda, fronte sine rugarum sulcis aperta, supercilijs sine nube elatis, oculis splendentibus; genis, in quibus lilia florean, & rosæ; ore Gratiarum risu, & lusu amorem conciliante. Vestis est illi candida distincta floribus, frondibúsque acu pictis; acervum armorum ipsa stans utroque pede calcat virenti innixa oleæ, ex qua fasces pendent consulares. Dextrâ telum veluti abjicit; lævâ lauream gestat coronam; quia propium clementiæ est beneficijs, non armis ferocientes animos flectere, ac cicurare; unde Cicero *orat. pro M. Marcello num. 8.* domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem, ut vinci possent habebant; nulla enim est tanta vis, tanta copia, quæ ferro, ac viribus debilitari, frangique non possit. Sed animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare; adversarium oobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modò extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem; hæc qui facit, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico. Hactenus Tullius. Est igitur clementia Dei natura; virtus ex omnibus maximè amabilis; digna viro Principe, quia, ut scitè Ovidius *lib. 3. Trist. Eleg. 5.*

Quo quisque est major, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrâsse leoni.
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.

Hoc idem adstruit Senec. in Octav.

Pulchrum est eminere inter illustres viros
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, sæculo pacem suo.
Hæc summa virtus, petitur hâc cœlum viâ.

Pietas Puella est vultu amabilis, ore ve- 15. nusta, oculis splendida, veste rubra, talari; capiti flamma imminet, dextrâ manu cornucopiæ effundit, spargitque fructus varios, ac nummos; lævâ ciconiam fulcit. Est Pietas, per quam sanguine conjunctis, patriæque, & benevolis officium, ac diligens tribuitur cultus. Huic virtuti facellum Attilius Romæ Duûmvir in eo loco extruxit, & dicavit, in quo ea habitâsse mulier dicitur, quæ ut refert Plinius *lib. 7. cap. 36.* uberibus matrem aluit. Erat illa plebeia puerpera, cujus mater supplicij causa, inclusa carceri; cúmque à Janitore impetrâsset aditum, semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam; quâ pietate filiæ matri salus donata est; ambæque perpetuis alimentis publico sumptu susteotatæ; & locus ille Pietati Deæ consecratus. Simile produnt Græci exemplum cujusdam fœminæ, quæ Cymona patrem suum ætate grandævum custodiæ mancipatum,

velut

velut infantem admovit gremio, lactéque pavit, ne fame, ac inedia deficeret.

16. Misericordia mulier eſt verecunda, ad lacrymas prona, oculis amplis, naſo aquilino, virenti olea coronata, brachijs ſeminudis, ac apertis; dextrâ ramum geſtat mali citrei, vel limonij, frondibus, fructibúſque onuſtum, lævâ vulturem humi ſtantem indicat; veſtis eſt illi ſuccincta, nudipéſque incedit. Oculorum amplitudo, naſique curvitas indicia ſunt animi miſerentis, ut aſſerit Ariſtoteles *cap. 6. Fiſionom.* Corona oleis intexta in ſacro codice ſymbolum eſt miſericordiæ. Ramus citreus juxta Pierium animi miſerentis eſt itidem ſymbolum. Mirum tamen quod miſericordiæ vultur nectatur, cum hoc animal cuncta potiùs interimat. Nihilominus, Vultur apud Ægyptios ſymbolum etiam fuit miſericordiæ, ut liquet in Hieroglyphicîs Hori Apollinis Niliaci, quia centum illis, ac viginti diebus quibus ſuos educat pullos pene nunquam evolet, ſed omnem curam ac ſollicitudinem in iiſdem alendis impendat. Quòd ſi intra id temporis cibus non ſuppetat, quo eos alat, proprio exſecto femore ſugendum eis exhibet, ac impertitur proprium ſanguinem, ne cibi penuria deficiant, & inedia pereant. Athenienſes referente Pauſania in Atticis aram miſericordiæ erexerunt, & Templum, ſeu aſylum poſuerunt omnium primum. Cum enim poſt Herculis mortem ejus nepotes ſibi metuerent ab iis, quos avus afflixerat; Athenis Aſylum, ſeu templum collocârunt miſericordiæ, unde nullus poſſet abduci. Eſt miſericordia affectus animi condolentis cum additamento beneficij, ut compatiamur proximo, & largiamur de proprio, ut docet S. Auguſtinus. Hinc Claud. Epig. Satisfact. apud Hadrian.

Me precor, heu! me redde mihi gravibúsque medere
Vulneribus, vitámque jube, famámque reverti.
Quæ per te cecidit, per te fortuna reſurgat.
Sanus Achilleis remeavit Telephus herbis.
Cujus protulerat vires, & ſenſit in uno
Lethalem, placidámque manum; medicina per hoſtem
Contigit, & pepulit, quos fecerat ipſe dolores.

17. Liberalitas ſpeciem refert Puellæ venuſtæ, aſpectu gratiſſimæ, imperatorio laureatæ ſerto, fronte amplâ, oculis ſplendentibus, ore jucundo, totóque vultu Jove digna juvene, qualis viſebatur antiquitùs adoleſcentis ore conſpicuus ſub dio poſitus, & in aſylo ſalutem ſpondens, ac munera, pecuniáſque ſpargens. Crines omni vinculo ſoluti undatim e cervice in humeros defluunt, circumferúntque pretioſum blandientibus zephiris donarium. Veſtis eſt illi qualem Aurora ſibi ſimilem texeret multiplici ſidere ſplendidam. Aquila ejus inſidet capiti; dextrâ manu cornu copiæ fundit, ſpargitque plura pecuniarum genera; lævâ caput mulcet leonis cicuris; quia nil tam efferum, & agreſte, quod beneficijs non manſueſcat. Peplo protegitur quod Numinum ſimulacris injicere priſcæ gentes conſueverunt; quia populus homines liberales Dijs pares efficit. Nullum in ejus vertice ſplendet gemmeum ornamentum; ſed omnino libera gaudet cervice, armillis ſunt itidem dearmata brachia; nulli vinciunt colli ſinia uniones; nec ulla ſub aures librantur gemmarum momenta; quia hæc omnia utpote pretioſa jam dono dederat. Ne tamen quicquam deſit cæteris dandum; hæret ejus ſiniſtro lateri Fortuna pediſequa amplùm utraque manu & exhibens pollubrum, ſeu polubrum aureum gemmis, unionibus, ac pecunijs oppletum. Eſt liberalitas beneficiorum munifica erogatrix; eſtque hæc virtus digna, ut colatur à viris principibus. Hinc Claudian. de Probo.

Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes, ſed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut denſo currentia munera nimbo
Cernere ſemper erat populis nudare Penates,
Aſſiduos intrare inopes, remeare beatos
Præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos
Aurea dona vomens.

Pudicitia mulier eſt venuſtate corporis decora, vultu verecunda, oculis ad modeſtiæ amuſſim compoſitis, totóque capite tranſlucidis velato ſericis. Veſtis eſt illi talaris, quæ candore nivem æmulatur, altero pede teſtudinem calcat; ut innuat fœminas pudicitiæ ſtudioſas debere domi latere; perinde ac teſtudo, quæ proprio jugiter ſub tecto moratur, dextro brachio murem amplectitur Armenium, quis candidis conveſtitus villis, eam pellis ſuæ divitem ſupellectilem, niveúmque candorem adeo habet cordi, ut cubilis oſtiolum limo reſperſum à venatoribus, nunquam egrediatur, ne maculas contrahat, deturpétque candorem; maliſque capi, & mori, quàm fœdari; hæcque ratio, cur ſymbolum habeatur Pudicitiæ. In numis priſci Romani Imperij repræſentatur Pudicitia ſpecie Matronæ ſedentis, velato capite, dextrâ veſtis lacinias attollentis; lævâ ſceptrum tractantis, quia Pudicitia domi, & ſub veſte tutiùs latet. Fuit Romæ in foro boario Ædes Pudicitiæ Patritiæ, ſeu ſacrarium ſplendidum, elegans, atque ad inſignem extructum munificentiam; Plebeiæ verò Pudicitiæ non niſi exigua fuit ædicula erecta Virginiæ liberalitate, ut refert Livius *l. 10.* Virginiam enim Auli filiam patritia familia natam, nuptámque viro ruſtico, & plebeio, cæteræ matronæ aditu prohibuerunt templi Patritiæ Pudicitiæ. Brevis inde altercatio exarſit ex muliebri iracundia. Virginia vindicatura ſibi illatam injuriam; in vico longo ubi degebat, ſacellum conſtruxit, arámque poſuit, & convocatis plebeia matronis conqueſta ſe indignè à patritijs habitam, dixit. Hanc ego aram Pudicitiæ Plebeiæ dedico, vóſque enixim rogo, & hortor, ut quod certamen virtutis, viros in hac civitate tenet, hoc pudicitiæ inter matronas ſit, ac navetis operam, ut non minus hæc ara, quam illa; ſi quid poteſt à ſanctioribus, & caſtioribus coli dicatur. Addit Val. Max. *l. 2. de Inſtit.* eodem fermè ritu hanc aram cultam fuiſſe, ac aliam longè antiquiorem, neque jus ſacrificandi in ipsoem conſedeba- 18.

Mente quatit solida, neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ:
Nec fulminantis magna manus Iovis.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

23. ÆQUITAS Puella est affabilis, fronte aperta, oculis cæruleis, supercilio neque dejecto, neque elato, ore blando; vestis est illi alba, nec ad luxum ornata, neque ad mendicitatem detrita. Dextra manu bilancem sustentat pondere æquatam; lævâ mensuram ostendit ligneam, quâ veluti æquat omnia. Placet aliquibus eam discinctam pingere, quasi stringi detrectet; eò quia æquum ex Aristotele *lib. 2. Rhetor.* id dicatur quod præter legem scriptam justum est. Alij malunt cinctâ veste eam delineare tanquam ad leges composita, & adstricta, adjiciúntque elephantem, quia hoc animal præ cæteris amat æquitatem; ut refert Pierius *lib. 2.* inquiens: Æquitatis hoc animal servantissimum esse fatemur. Quidam mensuræ, quæ magistro impendebatur, & lapillos, & pulverem immiscebat, quo de pondere aliquid fraudaret: animadvertit Elephas apud illum carnes elixari; accedénsque cinerem è foco in ollam paria factúrus injecit.

24. AUTHORITAS matrona est ætate provecta, vultu gravis, veste talari, dextram manum cum authoritate attollit; lævâ sceptrum tenet ex ligno querno multiplici ornatum cœlatura; ramis tamen superioribus ita complexis, ut figuram exhibeant speculi; caput laureo cingitur serto, è quo eminent claves. In Iconologia Ripæ exprimit Authoritatem mulier gravis ornatissimæ insidens sedi, veste auro illita, gemmisque splendida, alióque pretioso comptu eleganter induta, & ornata; dextrâ claves, læva sceptrum gerit; humi jacentibus hinc libris; illinc armis.

25. AMICITIA exprimitur per mulierem ad senium vergentem Myrto, & malo punico coronatam; alba, & talari indutam veste; capillis in vertice semisolutis, ventoque undulatim agitatis; dextro brachio album complectitur catellum; lævâ manu palmam Syagram, aut Margaridem gestat, altero pede calvariam calcat; quia veræ amicitiæ in amici beneficium plerumque mors ipsa est contemptui; unde Ovidius *lib. 3. Pont.*

Ire jubet Pylades, charum periturus Orestem
Hic negat, inque vicem pugnat uterque mori.

Myrto coronatur cum malo punico; quia hujusmodi arbusculæ ea naturali necessitudine se amant, ut per terræ gremium earum radices perreptantes se invicem complectantur, quia propinqua earum insitio feracitatem plurimum promovet. Catellus albus fidelitatem innuit amicitiæ, cujus palma Syagros, aut Margaris est symbolum; ait Plinius *lib. 13. cap. 4.* In meridiano orbe præcipuam nobilitatem obtinent palmæ Syagri, proximæque Margarides. Eæ candidæ, rotundæ, acinis quàm balanis similiores: quare & nomen à Margaritis accepère. Una earum arbor in Chorâ esse traditur, una & Syagrorum. Mirúmque de ea accepimus cum Phœnice ave, quæ putatur ex hujus palmæ argumento nomen accepisse, iterum mori, & renasci ex se ipsa. Singularis sanè amicitiæ typus, quæ amicis unam pariter vitam, unam quoque mortem indulget. Sic omnia cum Christo mortuo emori videbantur, cum eodem resurgente reviviscunt. Est amicitia omnium divinarum, humanarúmque rerum cum benevolentia & charitate summa consensio, ut definitur à Tullio *lib. de Amicitia.* Habitat qui amat in eo, quem diligit; vel quia omnia ejus consilia quamvis abdita, & involuta, cogitationésque tacitas animo disquirit, investigat, evolvit: vel quia suscipit personam ipsius, ejúsque tum bona, tum mala ducit suas atque eò sensim progreditur amando, ut a se ipso alienus, & abstractus apud eum magis quem amat, quam apud se, esse videatur; quod si ie qui diligitur hoc idem vicissim præstet; tum illud profectò evenit, quod censetur in amore summum; ut alter in alterius pectore quodammodo vivat, & unus è duobus animis insolubili quodam vinculo conflettur, duóque pectora in unum coalescant.

BENIGNITAS mulier est specie corporis cæteris venustior; frons est illi aperta; supercilia sine nube amoris arcum exhibent; sagittas oculi; genæ sine fuco lacteæ in rubedinem vergentes vernantes rosas liliis immixtas pingunt; vestis est illi candida floribus ornata acu pictis pectore seminudo; quis pe quæ utraque manu lac parvulis circumstantibus ex uberibus exprimit. Alij vestem illi appingunt cæruleam aureis illuminatam stellis; & Trochilum in faucibus crocodili inhæsum: ait Ælianus *lib. 3. cap. 11.* Crocodilum inter natandum hiantem, hirudines in illius os innatantes referciunt, eius fauces implent, molestiámque creant, Trochilo ad medicinam dolori suo faciendam eget. Itaque Hirudinibus ubi refectus, seu impletus est ad littus progressus, & solis radios intuens adversos, maxime hiat: tunc Trochilus in illius fauces rostrum inferens, hirudines extrahit: quod facillime patitur Crocodilus sentiens auxilium; próque præmio Trochilo computat, quod nihil eum lædat. Nulla siquidem tam immitis fera, quæ benignitate, & beneficijs non mansuescat. 26.

DEVOTIO in Deum, & superos Puella est venusta, alis ad volatum explicatis instructa, veste cærulea stellis plurimis distincta; inflammato vultu cœlum suspicit, dextrâ nititur aræ, læva accensam gerit facem. Est devotio voluntas prompta exequendi alacri animo, quæ ad Numinis pertinent obsequia. Non tamen omnibus eodem modo data est ista gratia: Mellifluus Bernardus in *Cantic.* ait Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cœlo secreti hujus gratiam, seu devotionem sunt assecuti. Prior mulier stetit in tuto loco humilitatis, posterior in solio spei, Thomas in fundamento fidei, Joannes in lecto charitatis, Paulus in intimo Sapientiæ, Petrus in luce veritatis. Sic apud sponsum mansiones multæ sunt. 27.

GRATITUDO Puella est hilaris, et jucunda; vestis est illi discolor, auro illita, gemmis illuminata, 28.

minata. Dextrâ cucubam avem fulcit, lævâ manipulum complectitur lupinorum; vel fabarum, quæ campum dicuntur pinguiorem efficere; à quo ipsæ alimentum susceperunt; addita Delphinus piscis pedibus adblandiens Puellæ. Habentur Cœrani Delphines symbolum gratitudinis: ait Ælianus *lib. 8. cap. 3.* Cœranus quispiam Delphines captivos ad Byzantium pecuniâ redemit, & in mare liberos dimisit. Non excidit gratissimis piscibus imperiti beneficij memoria: hominem siquidem cum navis fecisset naufragium passa, sustulerunt, ac placidè collocârunt in portu. Cum verò fato functus esset, atque exequiarum pyra arderet in litore frequentes exierunt è mari Delphines, nec nisi restincto rogo, quasi officiosissimi amici discessêre. Apud viros gratos beneficii memoria non excidit. Cucuba ab Ægyptijs hieroglyphicum itidem habebatur grati animi: quia hæc avis genitoribus senio confectis, eodem modo gratiam rependit, quo & ipsa fuerat ab ijsdem educata: siquidem in eodem loco ubi fuerat à parentibus enutrita, eis nidum parat, pennas vellicat inutiles, cibum quo nutriantur ipsis defert, idque donec resumptis viribus sibi sufficere queant.

29. HUMANITAS exprimitur per Puellam lætam, ridentem, ac arridentem eam aspicientibus; floribus redimitam, eleganter ornatam, cujus vestis est versicolor auro, gemmisque rutilans. Dextra sertum complectitur discoloribus compactum floribus, siquidem flores nunquam displicent semper sunt oculis pergrati. Læva scutum gerit, in quo sculptus est Elephas, cui Æthiops insidens canem contrectat ejus lambentem faciem. Est Humanitas affectio amicitiæ hominum conciliatrix, gratiarum redditio, gratitudo benefica. Decet hæc virtus virum principem: hinc Philippus Macedo Alexandrum monere consueverat, referente Plutarcho in Apoph. ut cum Macedonibus comiter haberet consuetudinem, vulgi conciliata benevolentia vires, ac robur sibi parat; nulla enim re firmius constabilitur imperium, quàm civium benevolentiâ.

30. HUMILITAS speciem præ se fert Puellæ veste ex candido compacta sacco sine ornatu, absque luxu, & elegantia, oculis in humum defixis, velato capite, Agnum dextro brachio complectentis, humerisque saccum, & læva manu corbem gestantis panibus plenam. Ita exhibetur in Iconologia Ripæ. Vix hæc virtus priscis fuit Philosophis nota; licet Theodoretus in oratione de fine, & judicio asserat Antisthenem, summum bonum posuisse in animi demissione, quâ quis humiliter de se ipso sentit, & ab honoribus abhorret: est proprium hujus virtutis dignitates, honores, plausus, regna imperia, loca honorifica, trophæa, statuas, titulos, imagines, elogia negligere, quod plures hujus virtutis cultores præstiterunt fugâ, latebris, morbi prætextu; aliisque id genus. *Humilitas* (ait S. Bernardus *de gradibus humilitatis.*) *Est contemptus propriæ excellentiæ;* ideòque hujus virtutis studiosi de se demissè sentiunt, ac loquuntur, & ad servilia munia se abjiciunt. Est tamen hæc virtus Janua gloriæ. Idque ostendit Sabellius *lib. 5. Ennead. 10.* ritu memoratu digno, quo Corinthij sibi Archiducem creant. In valle ad Vittum oppidum in longe, latéque patentibus pratis erecta marmoreus adest lapis; quem cum Dux creandus est, rusticus hæreditario jure occupat, ad dextram bovem habens fœtam nigri coloris, ad lævam equa illi subicitur strigosa, ac macie squalida; frequens circa populus, agrestiúmque turba ingens: Dux inde fucatus ex adverso se movet purpuratorum multitudine stipatus, septúsque; præcedunt principatus signa, omnesque in toto comitatu eleganter culti, egregiè ornati uno excepto futuro Duce; qui agresti habitu, pileo cectus, calceos, & pastoralem baculum gerens, pastorem magis agit, quàm principem: hunc venientem intuitus elato supercilio rusticus, qui lapidem obtinet: Illirica voce, (quæ illis est vernacula) & altiore exclamat: *quis hic est, qui tam superbè incedit.* Respondet consertâ multitudo, Principem regionis adventare: tum ille: *Justusne iudex salutem patriæ quærens? liberæ conditionis? dignusque honoris? Christianæ fidei cultor, & auctor?* Respondet iterum multitudo; *est, est quidem, & erit.* Rursus idem: *quæro, quo me jure hac à sede dimovebit;* ait comes Goritiæ ducalis aulæ magister sexaginta denarijs hic abs te locus emitur: jumenta hæc tua erunt: (ad bovem, & equam manum intendens) vestimenta, quæ dux exuet habebis, eris tu cum tota tua domo liber; quibus dictis rusticus malam percutit alapâ leniter inculsa, jubétque simul æquum judicem esse. Præmióque inde abducto loco cedit: tum lapidem Dux occupat, nudum gladium vibrans, populum effatur, pollicetúrque se æquum judicem futurum: tandem, & aquam agresti pileo delatam potare in futuræ sobrietatis argumentum.

31. INNOCENTIA Puella est trimula, in cujus vultu lilia videantur cum rosis florere; capillitio flavo, ac fluente, veste succincta, & alba, dextrâ adblandientis agniculi caput demulcet; lævâ capitonem ostendit piscem. Est capito de genere piscium, qui in paludibus degunt referente Æliano *lib. 1. de Animal. cap. 3.* Piscis est continentissimus, ac in victu temperantissimus. Nullum invadit animal, nulli obest, cum omnibus pacem servat. Si in quempiam jacentem incidit, hunc in suum prandium convertit; non prius tamen attingit, quàm caudâ moverit: si immobilis sit hunc prædam sibi facit; si verò moveatur eo intacto discedit jejunus, ne ulli sit damno. Habetur Capito innocentiæ symbolum, cum se potius jejunum patiatur, quam aliena morte vivere. *Est innocentia,* ait Augustinus in Psalm. 38. *quæ nec sibi, nec alteri nocet.*

32. MAGNANIMITAS est Virago veste aureâ militari, thorace aureis lamellis quasi squamis, & annulis conserto, ocreis itidem aureis, cum galea in capite, in cujus apice eminent aritæ plumis ornatæ versicoloribus. Dextrâ aureum præ-

præsefert sceptrum perseæ arboris implexum ramis, folijs, ac fructibus onustis; lævâ aquilam fulcit solem irretortis oculis intuentem. Habetur aquila symbolum magnanimitatis, ut etiam arbor Persica, cujus fructus cordis referunt speciem, & folia linguæ, ut notat Pausanias *in Eliac. lib. 1. pag. 161.* quapropter hæc arbor dicata est Deæ Isidi; monentúrque hujus oraculum adituri, ut sanctè sentiant, ac modestè loquantur; est igitur Persica arbor symbolum generosæ mentis, virique magnanimi. Est enim magnanimitas, ut docet D. Thomas 2. 2. *art. 3. virtus tendens ad maxima secundùm rectorum rationem.* Et vir magnanimus susque, déque cuncta eversa sustinet, nec frangitur metu, neque extollitur prosperis, neque dejicitur tristibus.

33. Magnificentia mulier est corporis habitu cæteris procerior, capitis majestate decora, vultûs specie venusta, vestium ornatu elegans; rictu leonis pro casside tecta; dextrâ è cornu Amaltheæ pecunias aureas, & argenteas spargit; lævâ ovalem ostendit circulum, & in illo lineas arcis, vel insignis Basilicæ extruendæ. Est enim Magnificentia virtus factiva magnorum, seu rerum excelsarum exigentium ingentes sumptus. Viro magnifico divitiarum aggestus non sunt materia superbiæ, nec alimentum aviditatis interminæ; sed stimulus consulendi publico commodo insigni ædificiorum structura.

34. Mansuetudo exprimitur specie cujusdam insignis Puellæ oleagineo redimita serto, vultu ad jucundam modestiam composito, dextrâ manu demulcet agnum in posteriores arrectum pedes. Lævâ elephantum indicat: est utrumque animal symbolum mansuetudinis; est elephantus tanta æquitate, & mansuetudine, ut ad crudelitatis alienæ ministerio fungendum minimè possit adigi, ideóque apud Ægyptios hieroglyphicum fuit mansuetudinis Pier. *l. 2. p. 19.*

35. Obedientia Puella est modesta, venusta, veste discolori; dextrâ jugo innixa, sinistra ovem demulcens Erycinæ Veneris; sunt enim hæ oves obedientiæ symbolum. Dignum est memoratu quod refert *Ælian. lib. 10. cap. 50.* Ara maxima sub dio est, quæ cum multa subinde sacrificia recipiat, non die duntaxat toto, sed etiam nocte ardet. Et mirum est, illam ita splendere igne, cum nulla subsit pruna, non cinis, non ulli titiones, sed rore sit plena, & recentibus herbis, quæ subinde singulis noctibus in ea renascuntur. Porrò victimæ de pecorum gregibus sua sponte accedunt, & aræ astant. Ducit autem illas primùm deæ vis, deinde voluntas sacrificantis. Nam si ovem sacrificare libuerit, en tibi ovis ad aram stat; & gutturnium ad sacrificandi usum. Porphyrius hoc idem adstruit de ave, & bove, qui ultrò se aris devoverunt. Hæc est illa virtus, quâ nituntur respublicæ, vigent leges, & humana societas floret. Percunctatus Solon, quâ ratione salva possit esse civitas, respondit: si cives obtemperent suis magistratibus, magistratus legibus.

36. Patientia exhibetur per speciem Puellæ squalidæ, detrita veste, sine ornatu, saxo insidentis, dextrâ innixa jugo; lævâ Atticam Minervæ oleam complectentis. Refert Pausanias in Atticis, olivam Minervæ incensa à Persis urbe conflagrâsse, & eodem die in proceritatem germinasse, ac crevisse bini cubiti. Hinc Attica olea, quæ ex ipso damno compendia hausit, invictæ est patientiæ symbolum, quæ ex adversis suæ laudis, & gloriæ argumenta desumit.

37. Perseverantia matrona est gravitate decora, aperta fronte, jucundo vultu, veste talari alba, & nigra; dextro cubito quadrato lapidi innixa; læva manu corollam lauro intextam ostentans. Est enim Perseverantia in ratione bene instituta stabilis, ac perpetua permansio; idque innuitur per quadratum lapidem, est enim figura quadrata cæteris firmior, laurea corona indicat solam perseverantiam diadema, & præmium promereri. Scitè Chrysóstomus *homil. 2. ad Philipp.* Ne verò si semel, atque iterum dederimus, existimemus nos totum beneficentiæ munus explesse: per omnem enim vitam hoc agendum: neque enim satis est, semel cum laude rem gerere, sed perpetuò. Etenim qui in stadio postquam decem dolichos cucurrit (est dolichus spatium duodecim stadiorum) si postea deficiat, totam laudem perdidit. Et nos semel aggressi bona opera, si postea defecerimus, totum amisimus, totum perdidimus. Est Perseverantia virtutum consummatio, sine qua nemo coronatur.

38. Providentia insignis est mulier bifrons, flava veste talari, globo terraqueo innixa. Dextro brachio complectitur cornucopiæ ubertatis vulgare symbolum; lævâ manu circinum ostentat cum Echino: siquidem novit terrestris Echinus cubilia sua Aquilonis, & Austri ortu commotare; duas enim cubili suo fenestras aperit, alteram Notum versus, Boream versus alteram; quaqua parte ventum futurum præcognoscit, fenestram obturat, alteram recludit. Habet & illud, quo se ab insidijs canum tueatur, ut se in globum sentibus undique munitum colligat. Vir providus futura prævidet, sibique consulit. Providus enim dicitur quasi porrò videns, vel procul videns scilicet futura. In numismate Pertinacis Providentiæ simulachrum cernitur manibus versus ingentem stellam in cœlum elevatis addita inscriptione *Provid. Deor Coss. 11.* Dignum est memoratu, quòd Joannes Gallorum Rex stellatorum Equitum ordinem instituerit, cujus insigne fuerat stella Magorum in gallero aureis circumfusa radijs cum lemmate. *Monstrant Regibus Astra viam.* Idque indicat Numinis providentiâ omnia in terris regi: ut enim ait Cicero *1. de legib.* Nulla gens, nec tam immansueta, nec tam ferrea; quæ non, etiam si ignoret qualem Deum habere deceat; tamen habendum sciat. Quia providere omnibus maximè ad Deum pertinet. Est autem providere, subdita bene disponere, & ad bonum perducere.

Religio

39. Religio Puella est venusta veste talari alba, & paludamento cæruleo stellis auro micantibus distincto, floribus redimita discoloribus; quia hæc virtus cœlestia jugiter meditatur, quibus unicè adhæret; & flores virtutum excolit; in pectore solem præfert, & lunam; dextrâ crucem; lævâ piscem complectitur, cui nomen Abides. Refert Albertus *lib. 24. in Asloiz* hunc piscem in mari degere, in eoque vesci; cum autem senuerit, mutata forma, sumptâ terrestri, migrat in perpetuum à mari, ac terrestre factum animal, vescitur terrestribus, aliamque accipit nomenclationem; piscis enim cum vocaretur *Abides*; factum terrestre animal *Asloiz* nuncupatur. Symbolum est viri senis, qui ex negotiosæ, ac turbulentæ vitæ fluctibus ad portum appellit Religionis; est enim hæc cœlestis Philosophia, quæ eminentes animas, in hoc rerum humanarum salo supra cupiditates statuit, neque ad ima rerum fluxarum devolvi patitur, ut enim cecinit ille

Hic secura quies, & nescia fallere vita,
Hic patiens operum, pravóque assueta juventus
Sacra Deûm, sanctique patres extrema per illos
Justitia excedens, terris vestigia fecit.

40. Vigilantia Puella est oculis perspicax, corpore venusta, amictu induta albo cum galea in capite, conóque galeæ apice eminente, cui grus insidet. Dextrâ librum apertum, vel nudatum gladium; lævâ accensam præfert facem. Sunt grues, symbolum vigilantiæ, quia excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno, & decidens negligentiam coarguit. Cæteræ dormiunt capite sub ala posito, alternis pedibus insistentes. Est vigilantia solutio, & remissio sensus; seu dispositio, in qua anima imperat sensibus. Ægyptij Sacerdotes per leporis hieroglyphicum, vigilantiam intellexerunt, quia lepus oculis indormit apertis. Vigilantia principis per solem symbolicè innuitur. Refert Serrarius *in cap. 24. Josuè.* Inter cætera monumenta Josuè hoc præclarum esse, quod Hebræi narrant Interpretes, in ejus tumulo statuam solis positam fuisse, quasi in demortui cineribus adhuc Sol staret: à quo inter vivos degente, inaudito antea miraculo, de illo cursûs ardore; quem nulla vis inflexerat, detortus fuerat. Sol virtutes Josuë designat, maximè vigilantiam, quâ nunquam suo defuit muneri.

EX-

EXPENSIO VI.

Explicantur Poëticæ Vitiorum Icones.

1. Virtutibus vitia adversantur, illæ ornatui sunt homini, hæc dedecori; nil enim turpiùs, quàm neglectâ virtutum culturâ vitiorum cœno fœdari, pravisque indulgere cupiditatibus, insanire libidine, servire abdomini, accendi ira, torqueri invidiâ, inflari ambitione, intumescere superbia, absumi odio, premi avaritia, inflammari concupiscentijs, marcescere otio, ac prava in vitijs omnibus laborare consuetudine. Is proculdubio se judice damnatur, se teste convincitur, se tortore cruciatur; siquidem inquieti pectoris agitatione fluctuat ad æternum naufragium; torquetúrque fœdatæ conscientiæ stimulis omni gladio acrioribus; & voluntariè miser torpescit, miserijs afflictus, cupiditatibus abjectus, calamitatibus tortus, ærumnis utrinque septus; dejectus ad timores, enervatus ad labores, proclivis ad libidines; insolens, contumax, protervus. Cum igitur exhibuerimus poëticas virtutum icones; supersunt illæ vitiorum subjiciendæ. Est autem vitium habitus, seu affectio animi dissentiens à recta ratione, suámque trahit nomenclaturam à *vito*, eò quia vitium sit vitandum.

2. Ambitio exhibetur specie mulieris veste viridi succincta, quia spe alitur; pedibus nudis ob labores, quos suscipit, ut ad concupitas perveniat dignitates; cristato vertice, ornatóque plumis discoloribus fluctuantibus ad favonij flatus, quia ad blandiente favore magis intumescit: oculis velatis, quia cæco solet impetu ferri; eimque dignitatum splendor hallucinatur. Aureas inversas coronas, & sceptra manu dextra apprehendit; lævâ indicat Pyraustam circum luminis splendores volitantem; adstat ad pedes Ambitionis Pavo explicans totam suæ caudæ depictam pompam: Quia Pyrausta ignis fulgore maximè delectatur, ac flammæ nitore lætatur; & eadem quâ gaudet flammâ miserè extinguitur; symbolum est ambitiosi ad honorum fulgorem propiùs accedentis; decussis enim alis temeritatis, plerumque splendido lapsu corruit; est enim ambitio ait S. Bernardus *Serm. 6. in cant. 33.* subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, scelerum fons, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, generans ex medicina languorem. Pavonis itidem species hominem exprimit inani gloria plenum: hæc siquidem avis eam caudæ pretiosam supellectilem tunc maximè explicat, & ostentat, cùm plurimos ad se spectandum accessisse conspexerit; quòd si nullum admirari, & adesse cognoverit, indignata avis eam recondit. In Aulis Principum frequentiùs nascitur ambitio, adolescitque, ac senescit: rectè Seneca *Traged. 10*,

Pauci

Pauci Reges non regna colunt,
Plures fulgor convocat aulæ,
Caput hic regi proximus ipsi
Clarisque latas ire per urbes,
Uni miserum gloria pectus :
Caput hic gazis implere famem.

3. Avaritia exprimi, pingique solet specie Puellæ macilentæ, lucidæ, squalidæ, veste nigra, multo jam usu detrita, capillis nigris è summo vertice ad humeros utrinque fluentibus; lævâ manu bursam stringit; dextrâ Dipsadem complectitur. Est Dipsas serpens perniciosissimus, cujus venenum sitim aeuit nulla potione restinguibilem; sed in horas magis exardentem. Lucianus asserit, hunc serpentem corporis magnitudine similem viperæ, violento ictu, veneno crasso, dolores illicò excitantem intolerabiles. Ardores per repentem veneni malignitatem inducit inextinguibiles, ac putredines; totúmque corpus adurit vitiato incendio; & qui à Dipsade icti fuerint, perinde clamant, ac in rogum injecti. Ejus morsum statim sequitur inexplebilis bibendi aviditas; & quanto plus biberint, eò plus sitiunt; plúsque expetunt potûs. Avaritiæ symbolum est, quæ inexplebili pecuniarum siti avaros, pecunijsque inhiantes incendit; eleganter Boëtius de consolat. *lib. 2. Metro 2.*

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas,
Aut quot stelliferis edita noctibus
Cœla sydera fulgent
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Plena copia cornu.
Humanum miseras haud ideo genus
Cesset flere querelas.

Cui consonat Isidorus lib. de summo Bono, inquiens: *Nunquam satiari novit cupiditas, semper enim Avarus eget; quantòque magis acquirit; tanto plus quærit.* Sunt qui Avaritiæ acervos appingunt aureorum, quibus delectetur, ut refert Tranquillinus de Caligula, qui contrectandæ pecuniæ incensus cupidine, sæpe super immensos aureorum acervos, patentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatiatus, & toto corpore aliquandiu volutatus est. Avari enim petunias intuentes congestas sibi applaudunt; & in ijsdem toto animo merguntur; plus damni, quàm fructûs inde haurientes, saltem ob vanam ostentationem: testis Caliphas referente Sabellico *lib. 7. Ennead. 9.* hic inter auri, & gemmarum acervos volutatus fame interijt. Occupata enim Babylone ab Halaone Tartarorum Regis fratre, omnique populo deleto, Caliphas Sacrorum Mahometanorum summus Magister, qui magnum thesaurum congesserat, comprehensus medijs auri, ac gemmarum acervis impositus est, in quibus plures dies asservatus, inediâ, pretiosâ lanè fame, perijt.

4. Audacia exprimitur per iuvenem radiantem in armis, cristato vertice caput quatientem, flagrantibus oculis, aspectu trucem, pectore loricatum, ocreis ferreis; dextrâ gladium nudatum vibrantem; lævâ moventem columnam, qua nobile nititur ædificium. Est Audacia inconsiderata periculorum susceptio, & gladiatoris quædam laborum perpessio; eujus tamen origo animus est pusillus; quo ignificatn vocari etiam solet temeritas, quæ definitur pravitas animi inconsulti, sibique præfidentis, & hinc pericula adeuntis. Plerunque audentes fortuna iuvat *Tibull. 1. 2.*

Audendum est, fortes adjuvat ipsa Venus

Blasphemia senex est macer, cui dentes putrescunt, corpus marcescit, facies rugatur, crines defluunt, caput tremit, articuli vacillant, frons impallescit; ore aperto, liventibus oculis terram intuetur, quam baculo percutit. Est blasphemia contumelia, vel convicium in injuriam Creatoris; quando aliquid attribuitur Deo, quod illi non convenit; vel aliquid detrahitur, quod illi convenit. Sunt blasphemi, qui non solum homines, & humana; sed etiam Deum, & divina ludibrio habent. Ii dicuntur à natura in fœcem dejecti hominum; nec digni hominis nomine. Nil adfert commodi, nihil utilitatis blasphemia ipsi blasphemanti; sed plenam malorum congeriem; idque causæ, cur fere gentium omnium statuta, & leges gravioribus supplicijs blasphemiam prohibuerint; ut à pœna quisque criminis hujus gravitatem disceret. 5.

Calumnia à pictore Apelle hisce delineatur coloribus. Sedet *vir*, ablongas, patulásque habens aures, hic venientem calumniam protensa manu invitat. Circumstant mulieres binæ *Ignoratio*, & *Suspicio*. Irruit ex adverso *Calumnia* compto quidem ore, ac ornato, sed ardentibus oculis, vultúque irâ inflammato, lævâ accensam præferens facem, dextrâ obtorto collo rapiens adolescentem supplices manus tendentem ad sydera. Præit impurus, ac pallidus *Livor*; *mendacium*, & *Fraus*, insidiarum Architectæ, *Columniæ* latera eingunt. Sequitur tamen *Pœnitentia* pullata, vestitu lacero, caput retro flectens, quasi exceptura venientem lento gradu *Veritatem*. Est calumnia falsi criminis impositio, quæ accedente veritate, perinde ac nox atra ad solis accessum dispellitur, ac confusa aufugit, evanescit. Ammianus calumniatorem non hominem vocat; sed lamiam omni diritate teterrimam, sine fronte, sine oculis, sine conscientia; monstrum horribile, cui soli prominent dentes turpi rubigine infecti; cui feralis pallor, cui deformis macies, cui nudata carnibus ossium restat compages. Draconem diceres calumniatorem non vocem, sed feralem sibilum emittentem, ac serpentem per forum, pérque plateas, dentibus aduncis, aspectu rabido; huc, illúcque circumspectantem, si quem rapiat, cui aliquid mali faucibus efflare, quem ore attingere, dentibus insecare, lingua conspergere possit. Hinc licentiùs supergressus fertur strages multiplices, per ruinas plures, crimina multa consarcinando à veritate longè discreta. 6.

Adulatio mulier est corpore procero, aspectu grato, specie pereleganti, colore nivibus suppari; corona suppositia; sed ita scitè, & eleganter verticis aptata ornatui, ut adsciti- 7.

tia vix censeatur: oculi sunt illi acres ac versatiles; vox dulcissima; os quale trigeminæ Gratiæ sibi effingerent, & apum examina melle illinirent. Vestis est illi versicolor multiplici distincta camæleontis figura. Ludit ipsa dulcisona fistula, aut decumana tibia ori admota; Camæleon ejus ad pedes laciniâ protegitur. Symbolum adulationis habetur Camæleon omnes facilè colores induens; quia adulator in omnes se vertit formas verus aulæ Protheus, licèt in omnibus semper informis; quia nunquam veritati conformis. Athenæus haud abs re adulatores pariavit Syriæ mulieribus vilissimæ conditionis, quæ Cypriorum Regum uxoribus in rhedam, aut essedum ascensuris dorsum sternebant. Adulatores indecorum nihil, aut facere se putant, aut pati; modò dominorum placeant libidini. *Adulatores* ijsdem elementis anagrammaticè sunt *Laudatores*; sed adulatoris laus est speciosa fraus; talis fuit Stasicratis adulatio. Is autem, æs, ebur, pigmenta, ligna, vel cedrina, vel cupressina & alia id genus sculpendis statuis apta respuens, Athon montem elaborare studebat in magni Alexandri plusquam gigantheum simulacrum, ea arte ut mare ima basi attingeret, lævâ manu amplam admodum, civiúmque multitudine frequentissimam ferret civitatem; dextra inversis urnis ingens flumen effunderet. lusit Stasicrates, & magnum illusit Alexandrum longè majori alia specie Alexandri. Ita est Adulatores alienas prorsus species principibus affingunt scitè. Juvenalis Satyr. 3.

Quid quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis

Laudat adulator, sed nunquam est verus amator, quia ut fert vulgata parœmia *adulationis unctio, est donorum emunctio*. Est adulator amicus in obsequio, sed hostis in animo: comptus in verbis, sed turpis in actis: lætus ad prospera, sed tristis ad adversa: nunquam verax, semper mendax.

8. Crudelitas mulier est, qualem crederes ex Erebo cum Furijs ad fundendum humanum sanguinem natam, nactámque Megeræ exitialem indolem: truculentus, ac terribilis est illi vultus; oculi ignitis ardoribus scintillantes; frons pluribus rugis exarata; supercilia multiplici nube circumfusa; ut ex toto ore nonnisi minas, & terrores spargat; pectus anhelans spiritum jaciat, atque ex verbis ardentibus labiorum siccitas inalbescat. Vestis est illi nigra, horrida, humano madida sanguine; rictus tigris est illi pro cassìde, & cutis pro velo è summo vertice ad humeros, & tergum defluente; nudatum gladium recenti cruore madidum dextrâ vibrat; læva abscissum humanum caput adhuc cruentum capillis prehensum ostentat. Est crudelitas atrocitas animi excedentis modum in pœnis exigendis, ut fuit Mezentius, de quo Virgilius 8. Æneid.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens, manibúsque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus, & sanie, tabóque fluentes
Complexu in misero, longa sic morte necabat.

Curiositas exprimitur Puellæ specie, 9
capillis, capite, ac manibus arrectis, alis ad humeros explicatis, acsi volaret, veste discolori auribus, ranisque depicta; tubum opticum, seu telescopium admovet oculo exploratura, quæ longo spatij distant intervallo. Canem venaticum læva demulcet. Habetur canis venaticus symbolum curiositatis, eò quia singula pervestiget. Dicuntur canes venatici, quia omnia venantur, produnt, pervestigant. Proprium est viri curiosi omnia lustrare, perquirere, & ut fert parœmia *Nodum in scirpo quærere*. Est curiositas superflua indagatio rerum ad se non pertinentium. Xenocrates ut deterreret ab omni curiositate, aiebat perinde esse, ac oculos, vel manus in alienas ædes inferre, innuens, utrumque esse malum.

Detractio mulier est senio confecta, ex- 10
succa, rugosa, lurida, veste subnigra detrita, lacera, linguam exerens; velum fuscum è summo vertice ad humeros, oculúmque sinistrum, quem tegit, negligenter defluit, pede tubam premit, dextra carbonem extinctum præfert ad denigrandam alterius famam, læva torrem accensum, quia detractio excitat dissidia, accendit inimicitias. Est Detractio denigratio alienæ famæ per occulta verba. Hæc est præpostera hominum consuetudo, ut magis in alienis, quàm in proprijs cernant. Hinc Poëta

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum?

Discordia mulier est lurida, pluribus 11
exsulcata rugis; supino capite; labris liventibus; oculis putidis, & lacrymarum defluxu madidis, superciliis non sine nube erectis; scissa coma, vel fusis crinibus, sed plurium viperarum implexu terrores incutientibus; ore concreto sanguine; dentibus rubiginosis, lingua tabo fluente, facie serpentibus obsessa, veste frequenti scissu lacera, & cruentata; cruribus obliquis, pedibus caligine involutis, dextra gladium nudatum, læva accensam quasit facem. Vestis est discolor. Hoc fere modo eam describit Petronius Arbiter *in Satyr.* agens de civili bello inter Pompeium, & Cæsarem

Intremuere tubæ, ac scisso discordia crine
Extulit ad superos stygium caput. Hujus in ore
Concretus sanguis, contusáque lumina flebant,
Stabant irati scabrâ rubigine dentes;
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora;
Atque inter toto laceratam pectore vestem,
Sanguinea tremulâ quatiebat lampada dextrâ.

Est discordia dissidentium capitum dis- 12
gregatio, qua voluntates discordantium in diversa trahuntur ex acerbiori ira intimo odio concepta; hinc discordia bella excitat civilia non extinguenda nisi plurimi sanguinis fusu; unde Virgilius *Æneid.* 8.

Et scissa gaudens vadit discordia pallam,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Fraus

13. Fraus variè pingitur: à Boccatio *in Geneol. Deor.* fingitur humana facie venusta, ac speciosa ad conciliandum amorem, corpore reliquo serpentem referente, cujus cauda in aculeum desinit scorpionis. Hæc per Cocyti undas nando fluitat. A Ripa in Iconologia fingitur bifrons, hinc anus, illinc puella venusta, vestitu flavo, pedibus aquilinis, cauda scorpionis, bina corda in dextra, larvam in sinistra ostendens. Bochius eam itidem exhibet bifrontem, quæque ante sit Puella elegans venusta, jucunda, delicijs affluens: retrò sit anus edentula, vieta, bucculenta, arida, rugosa, exsucca, lurida. Dextrâ manipulum præfert variorum florum, ex quibus se coluber exerit. Ab alijs fingitur, & pingitur vultu benigno, cæteris membris pilosis, & squammolis serpentis speciem referentibus. Dicitur Fraus à ferendo, estque deceptio, quæ alicui infertur: seu ut definitur à D. Augustino *lib. de definition.* est fallacia, per quam moribus deceptorijs veritas palliata, vel odium alterius, vel proprium commodum intendit. Sicut hostis venena hostis non propinat nisi melle circumlinita: ita nec vitia decipiunt nisi sub specie commodi. Plerunqoe fraus æquivocatione jocatur, talis fuit illa Tauromeniensis Trapesitæ, qui eacavatæ arundini depositum tuæ fidei aurum indidit, eáque pro baculo utebatur; apud judicem vocatus ab adversario, repentè scipionem, in quo erat aurum inclusum tantisper eidem commisit, donec sublatis manibus jurasset se depositum reddidisse, quod fecerat; mox baculum simul cum indita pecunia recepit. Id non rarò agunt fraudulenti, ac perjuri, qui verborum ambagibus caliginem oculis offundentes; tunc pœnam evasisse se putant, cùm Nemesis à tergo eos urget. *Deum dum peieras, non te putes latere.*

14. Furiæ finguntur ex stygia emersæ palude, in qua stabulabantur; in hominum excidia; & pinguntur truci aspectu, fronte rugis crassioribus exarata, crinibus solutis, & serpentum ebuliente turba implicitis; labijs liventibus, oculis concepto ardore ignescentibus, veste nigra succincta, uniformi, dextra scuticam, læva accensam prætendunt facem, vocantur furiæ à Poëtis etiam Diræ, Eumenides; suntque tres *Alecto, Tisiphone*, & *Megæra* fœmineo quidem vultu, sed horribili, omnes armatæ accensis facibus, anguibus colla, & humeros verberantibus. Earum officium est, impios vindicare, & scelestos torquere, eos perterrendo, ac insectando tædis ardentibus. Earum effigies describit Virgilius 12. Æneid.

Dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ,
Quas & tartaream, Nox intempesta Megæram
Uno eodemque tulit partu, paribúsque revinxit
Serpentum spiris, ventosásque addidit alas.

15. Furor vir est vultu truci, sanguine conspersō, oculis flagrantibus; erecta multáque nube turbidis supercilijs, fronte rugis exasperata, ore spumas agente, totóque vultu concitata rubedine exæstuante, simúlque minas, excidia, clades minitante: armis, gladijs, galeisque fremens insidet revinctos post terga catenis, ut eum describit Virgil. 1. Æneid.

——— *Furor impius intus*
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremit horridus ore cruento.

Alij furorem fingunt virum radiantem in armis, cristato vertice caput quatientem, Flagrantibus oculis, trucem aspectu; lorica protectum ferreis lamellis conserta, accinctum gladio ab uno latere, ab altero sica, ocreis ferreis ocreatum, nudatum gladium dextra vibrantem; læva clypeo munitum flammeo, solis orbem lacessente. Furorem pingit Petronius Arbiter hoc pacto 16.

——— *Furor abruptis, ceu liber habenis*
Sanguineum latè tollit caput: oráque mille
Vulneribus confossa, cruenta casside velat.
Hæret detritus lævâ mavortius umbo
Innumerabilibus telis gravis. atque flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.

Unde fingitur, ac pingitur Furor, nunc vinctus, ac fremens: nunc solutis vinculis liberè debacchans, ac desæviens: definitúrque gravior, & diuturnior mentis alienatio ob iram accensam, oriens ex vitiato instrumento principalis facultatis animæ. Gravia esse furoris damna nulli dubium. Cambyses Persarum Rex quum bovem Apin, quem Ægyptij pro Deo colebant, immolâsset furijs agitatus universam prope familiam delevit. Corybantes Cybeles cultores furore sacro correpti, cymbaláque pulsantes singula evertebant. Agaue Bacchico furore correpta Pentheum filium interfecit. Furor enim minister est cædium, unde Virgilius

Jámque faces, & saxa volant Furor arma ministrat

Hypocrisis mulier est ad singularem modestiam vultu, totóque corpore composita. 17. Vestis est ipsi talaris candida, gravis, absque ornatu, ovina pellis utromque humerum, partémque pectoris obtegit. Vultu tristitiam, & gravitatem simulat, manibus tamen, & pedibus leprosis. Dextrâ noctuam avem, prolixósque precarios globulos prætendit; lævâ arundinem suis ornata folijs præfert. Ad pedes adstat Struthio suspiciens orantem Hypocrisim. Habetur hæc avis symbolum Hypocritæ; vel quia cum ex genere sit avium nunquam volatu per aëra fertur, semper hærens terræ. Vel quia licèt ova pariat; non tamen illa incubatu fovet, neque pullos enutrit: Hypocrita enim quamvis rectè alios admoneat; nil tamen ipse boni operatur. Noctua itidem habetur Hypocriseos symbolum, quia illos designat homines, qui quum palam strepitum nullum, tumultum nullum moveant, nullásque struant insidias; nocte tamen intempesta cæteris somno sopitis obstrepunt; hinc sacræ literæ noctuam mensis inferri non permittunt. Hypocritæ palam tristes, omnem mansuetudinis, & modestiæ colorem præ se ferunt: clam verò omnium vitiorum cœno turpiter fœdantur. Hinc Perseus Satyr. 5.

Pelliculam veterem retinet, & fronte politus
Astutam, & rapido gessit sub pectore vulpem

Ita Hypocrita duplici est facie, dupliciqve corde: tristitiam, & gravitatem simulat exteriùs, sed nugatur interiùs, sibique plaudit: in demisso vultu characteres prodit, quibus virtutes leguntur; sed in corde vitijs largiùs indulget. Facies ei nitida, sed mens fœda; ovillus habitus; sed lupinus animus; vestis simplex, sed cor duplex; amictus strictus, sed conscientia laxa; inani verborum ambage præsentem laudat, cui absenti detrahit. Eleganter Seneca Tragœdus in Hippol. venustis coloribus Hypocritam pingit, inquiens

Ubi vultus ille, & ficta majestas viri:
Atque habitus horrens prisca, & antiqua appetens;
Morúmque senium triste, & aspectu grave?
O vita fallax! abditos sensus geris,
Animisque pulchram turbidis faciem induis,
Pudor impudentem celat, audacem quies.
Pietas nefandum, vera fallaces probant
Simulántque molles dura.

18. JACTANTIA Puella est tumida, superba, omnem affectans muliebris venustatis luxum, cui nulla sit suppar, séque jactet supra cæteras. Comæ sunt ei flavæ suo flexæ ingenio, pérque se totos humeros effundentes; non tamen omnino dissolutæ; sed tantum earum pars à collo sensim producta ad humeros effluit: pars altera à vertice, & fronte deducta gemmularum illuminatur ornatu, stringitúrque vinctis filo unionibus, ne liberiùs erret blandientibus illusa favonijs. Frons candore lilia, vel æmulatur, vel vincit. Supercilia usque ad malarum excurrunt scriptutam, & rursus confinio luminum penè permixta; licèt purissima nigredine inter se æquabili meditullio disparata. Oculi ad venustam amplitudinem laxi, puróque lumine suffecti, ne videantur stellis cedere extra lunam fulgentibus. Genæ mixtæ candidiori, tenuique robore, nativum liliorum, rosarúmque referunt defæcatiorem nitorem. Nasus tenuitati adæquatus labiorum, quibus trigeminæ insidentes Gratiæ, flores, non verba spargunt. Guttur monile præcingit politissimis illuminatum lapillis. Vestis ejus versicolor, elegans, membrorum conformationi respondet, aureisque interdistincta radijs. Zona pectus præcingit, in quam artis industria quidquid natura pretiosi, ac pellucidi in gemmis produxerat solerti conclusit studio. Vehitur Jactantia delicijs affluens, nativóque, & ascititio ornatu ferox, rhedâ nitidiori auro illitâ, quam quaterni trahunt albentes equi. Ipsa dextram manum elevat; lævâ argenteam ostentat tubam. Est enim Jactantia inanis de se, & stulta prædicatio, per quam quis se extollit supra meritum; alios flocci, séque magni faciens. Et à Tullio definitur voluptas gestiens, & se efferens insolentius; cui propterea retorqueas illud Persei Satyra secunda. *Ad populum phaleras; ego te intus, & in cute novi.* Nil est (ait valerius Maximus *lib. 2.*) quod magis minuat laudis præconium, quàm suos assiduè jactare successus, & singulis diebus anni vendere diem unum.

IDOLOLATRIA specie exprimitur Puellæ 19. invenustæ, orbatæ oculis, velato capite, veste talari discolori, genu flexæ marmoream ante Jovis Ammonis statuam; acerram thurariam agitantis, thúsque adolentis, ejúsque suffitu statuam venerantis. Est Idololatria cultus Deo debitus, & creaturæ exhibitus: seu exhibere latriam, cultum debitum soli Deo, ipsi creaturis; estque falsa Religio, quâ latria idolo exhibetur. Idolum aliquandiu retro non erat, ait Tertullianus *de Idololatria cap. 3.* Priusquam hujus monstri Artifices ebullient, sola templa, & vacuæ ædes erant, sicut in hodiernum quibusdam locis vetustatis vestigia permanent. Tamen idololatria agebatur non in isto nomine, sed in isto opere. At ubi Artifices statuarum, & imaginum, & omnis generis simulachrorum diabolus sæculo intulit, inde istud negotium humanæ calamitatis, & nomen de idolis consecutum est, & profectum. Neque interest an plastes effingat, an cælator exculpat, an Phrygio detexat: quia nec de materia refert, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum. Hactenus Tertullianus. Video tamen etiam inter doctiores diffidentiæ placita de prima Idolorum superstitione. Cyrillus *lib. 1. contra Julianum* refert, Cecropem, primum omnium simulachrum effinxisse Jovis summi, & maximi Deorum. Didymus *lib. Exeges.* & S. Hieronymus *proœmio in Epist. ad Titum* asserunt, Melissæam Cretensium Regem prima fecisse superstitionis semina. Diodorus, & Eusebius initia idololatriæ Phrygibus adscribunt. Atlantiles verò Atricæ populi gloriantur, primùm apud se regnâsse Deum *Uranon*. Alij apud Porphyrium, & Eusebium à Phœnicibus initia ducunt idololatriæ: Lactantius verò à Chananæis. Ammonius in Antiquitatibus refert, Belum primum omnium Nembroto parenti statuam erexisse, eique cultum exhibuisse. Rabbi Salomon antiquitatis nomine commendat *Thamur* Idolum *Adonidis* concavum, cujus oculos plumbo implebant sacrificuli; & accenso intus igne cum plumbum liquesceret, simulachrum flere asserebant ac sceleribus illacrymari plebis. Alij forsan probabiliùs censent, Idololatriam suum duxisse initium à Babylonijs, qui coluerunt Draconem, cujus meminit Daniel. Quod verò sanguineis est dignum lacrymis, etiamnum reperiuntur homines, qui à cultu veri Numinis aversi, vana venerantur idola, contra quos exclamat Sedulius,

Heu miseri! qui vana colunt, qui corde sinistro
Religiosa sibi sculpunt simulachra; suúmque
Factorem fugiunt, & quæ fecêre verentur.
Quis furor est, quæ tanta animas dementia ludit?
Ut volucrem, turpemque bovem, torvúmque Draconem,
Semihominémque canem supplex homo pronus adoret?

IMPIETAS mulier est rugis exarata crassioribus, vultu horribili, aspectu truci, armata accensis facibus; anguibus colla, humerósque verberantibus. Vestis est illi versicolor; lævâ 20.

manu

manu caput demulcet hippopotami; dextrâ facem invertit accensam, quâ subjectum pelicanum cum suis pullis comburit. Fuit hippopotamus apud Ægyptios hieroglyphicum impietatis; eò quia amphibium hoc animal patrem consueverit de affectato matris coitu malè mulctare. Est enim impietas scelus, & injustitia adversus Deum, parentes, patriam, & amicos. Unde Impietas alia est in Deum nempe Atheismus, profanitas, impuritas. Alia in patriam, & parentes, hæcque ingratitudo, proditio, irreverentia dicitur. Alia in amicos, reducitúrque ad injustitiam, vel ingrati animi vitium: impij dicuntur homines gravissimis contaminati sceleribus: *impiare* siquidem, & *expiare* opponuntur. Accensâ face pelicanum cum pullis comburit; quia hæc avis symbolum est charitatis, ac pietatis, quas impietas nititur evertere, ac prorsus extinguere. Virum impium fusè describit Sidonius Apollinaris *lib. 3. Epist. 13.* cujus placet fragmentum subjicere: ait ipse. Fœculentiæ omnino par cloacali, quæ quò plus commota, plus fœtida est. Ita impius vivit paucis voluptati, nullis amori, omnibus risui, vesicarum ruptor, fractórque ferularum, bibendi avidus, avidior detrahendi: rabido pariter ore spirans cœnum, spumans vinum, loquens venenum, facit ambigi, putidior, temulentior, an facinorosior existimetur. Sordidior est, atque deformior cadavere rogali, quod facibus admotis semicombustum, móxque fidente strue torrium devolutum, reddere pyræ jam fastidiosus pollinctor exhorret. Præter hæc lumina gerit, licèt lumine carentia, quæ stygiæ vice paludis volvunt lacrymas per tenebras. Gerit & aures immanitate barrinas, quarum fistulam biforem pellis ulcerola circumvenit saxeis nodis, & totosis humore verrucis per marginem curruum protuberantibus; portas & nasum, qui cum sit amplus in foraminibus, & strictus in spina, sic patescit horrori, quod angustatur olfactui: prætendit os etiam labris plumbeum, rictu ferinum, gingivis purulentum, dentibus buxeum. Sicut Sidonius horribili colore Gnatonem pinxit: ita Gregorius Nazianzenus licèt impari stylo Julianum Apostatam describit inquiens. Neque enim mihi boni quidquam significare videbantur cervix minimè firma; humeri, quos subinde agitabat, & attollebat, oculus vagus, & oberrans, ac furiosum quiddam intuens, pedes instabiles, & titubantes, nasus contumeliam spirans, vultûs lineamenta ridicula; idem significantes risus protervi, & æstuantes; nutus, & renutus omni ratione carentes; sermo hærens, spiritúque intercisus; interrogationes præcipites, & imperitæ, responsiones his nihilo meliores, aliæ in alias insultantes; non autem graves, & constantes.

20. INGRATITUDO mulier est rugis exsulcata, lurida, detormis. Vestis est illi hederacea. Sinu serpentem fovet, quem dextrâ manu complectitur; lævâ corvum ostentat marinum. Est enim quoddam genus corvorum aquaticum, ut refert Olaus Magnus *lib. 19. cap. 8.* súntque pisces nigerrimi præter pectus, & ventrem, quibus cinereum colorem indidit natura. Insatiabilem, ac inexplebilem dicuntur habere vorandi aviditatem: venantur pisces, tardi sunt volatûs, diúque sub aquis manent, quando se immergunt; habent rostra dentata ut falces messorum, quibus retinent lubricos pisces. Ingratissimæ sunt aves natura, quia stercoribus egestis cortices, ac arborum ramos ubi degunt interficiunt, adeout illicò arescant. Ingratus insignia acceptat beneficia, Authores interim beneficiorum suis inquinat sordibus. Nil avidiùs appetunt homines, quàm beneficia; cum ijsdem indigent; nilque citiùs in ingrati animi vitio laborantibus arescit memoriâ suscepti beneficij. Etenim si qua gravis necessitas presserit, tunc Dei recordamur, ait Lactantius Firmianus *lib. 2. Divin. Instit. cap. 1.* Si bellî terror infremuerit; si morborum pestifera vis incubuerit; si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit; si tempestas, si grando ingruerit ad Deum confugitur, à Deo petitur auxilium; Deus ut subveniat enixim oratur. Si quis in mari vento sæviente jactatur Deum supplex invocat. Si quis aliqua vi affligitur, Deum implorat. Si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, & per ejus unicum, atque divinum Nomen hominum sibi misericordiam quærit. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. Postquam metus deseruit; & pericula recessêre, Deo, quem ante in sua ipsâ necessitate imploraverant, ne verbo quidem gratias agunt. Hactenus Lactantius. Nil chariùs æstimamus, quàm beneficium, quod diu petimus; nil viliùs cum accepimus: sed nil turpiùs, quàm suscepti oblivisci beneficij, ejúsque delere memoriam.

INIMICITIA exprimitur specie mulieris cædes, ac neces vultûs horrificiâ torvitate minitantis; fronte crassioribus rugis exarata, oculis ad iram accensis, superciliis erectis, ac multiplici nube involutis; genis exsuccis impallescentibus, labris liventibus, veste nigra exitialibus depicta flammis. Dextrâ accensam quatit facem, lævâ nudatum vibrat gladium. Canis, & felis juxta pugnant; & etiam scorpius cum Crocodilo. Refert Ælianus *lib. 2. cap. 33.* scorpium, & Crocodilum gemino quodam odio inter se se flagrare; & simul, ac alter alterum inspexerit in mutua funera sponte rapi, ambósque eadem interimi pugna. Hisce animalibus significantur inimici mutuis odijs flagrantes, ac vulneribus confecti; contra quos acriter invehit Boëtius *lib. 4. metr. 4.* 21.

Quid tantos juvat excitare motus
Et propria fatum sollicitare manu?
Si mortem petitis propinquat ipsa
Sponte sua volucres, nec remoratur equos.
Quos serpens, Leo, Tigris, Ursus, Aper
Dente petunt ijdem se tamen ense petunt.
An distant, quia dissidentque mores
Injustas acies, & fera bella movent?
Alternisque volunt perire telis?
Non est justa satis sævitiæ ratio.

23. Injuria mulier est atrox, ac terribilis, spumans ore, ignescens oculis, livescens vultu; vestis est illi rubra: fascem spinarum dextro complectitur brachio; lævâ manu pugionem prætendit, linguam exerit. Est injuria quidquid non fit jure; unde injuriam inferre est simpliciter alium volentem lædere; estque propterea injuria excitatrix dissidiorum, & causa bellorum Ovidius lib. 3. de Arte.

Quælibet extinctos Injuria suscitat ignes.

24. Injustitia Puella est invenusta, deformis, veste alba, sed fuso fœda sanguine, dextro orbata oculo. Dextrâ manu gladium præfert nudatum; lævâ schyphum aureum, quem defixo oculo sinistro intuetur; eminet in ejus vertice pileus Turcicus turbinatim implexus linteo; pedibus bilances humi jacentes calcat. Est injustitia, quæ jus alienum invito Domino lædit; seu ut definitur ab Aristotele *lib.* 1. *Rhetor.* Per quam aliena singuli contra legem retinent: estque duplex, illegalis opposita justitiæ legali; & secundùm inæqualitatem ad alterum. Hæc est quæ regna evertit, imperia dissipat, urbes destruit, domus extinguit, viræ hominum insidiatur, sanguinem fundit, clades spargit: scite ille

Nil injustitiâ miseræ est infestius urbi:
Funditus hæc muros vertit, & ipsa domos.

25. Invidia mulier est turida, pallida, livida, macilenta; anguibus e summo vertice instar comæ defluentibus, & colla humerósque verberantibus, torvis oculis, dentibus rubiginosis, linguâ venenata, lævâ manu cor tenens quod dente rodit, pictis in veste discolori canibus ferino rictu rabidis; dextrâ basiliscum indicat se in polito, tersóque intuentem speculo. Est enim Basiliscus serpens prorsus exitialis ad funera, hominúmque perniciem natus, qui solo aspectu auras inficit, plantas urit, animalia necat; imò & saxa ipsa dissolvit; de quo tamen referunt Solinus, Majolus, & Ælianus, quòd si se in speculo intueatur, repercusso in se halitu propriis telis interficitur: idque procul dubio symbolum invidi, & calumniatoris, qui cum maledicta, convicia, & contumelias in viros ejaculatur innocentes, suis ipse flagitia conficitur; ut scitè Poëta lusit.

Acer in adverso dum figit lumina vitro
Niliacæ serpens pestis acerba plagæ.
Obscurat glaciale decus lethalibus auris:
In caput Authoris, sed redit omne scelus:
Namque repercusso in corpus spiramine, vitam
Quam dederat (mirum) spiritus ipse rapit.
Sic cum pestiferæ torques convicia linguæ
In puros, proprio te jugulas gladio.

Hinc notatu dignum quod invidi color, ut ait D.Gregorius *homil.* 12 pallore inficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra trigescunt; fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor. Nam cum invidi mentem livor excutiat; bonum quod appetit, sibi ab alio adimi, aut restringi metuit: Ut enim docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 36. *a.* 1. Invidia est tristitia de bono alterius, in quantum æstimatur diminuere gloriam propriam. Hinc invidis aliena prosperitas est adversa; aliena adversitas prospera; gaudent enim in aliena tristitia; tristantur in alieno gaudio. Hi suas in aliena paupertate divitias; & in alienis divitiis propriam mentiuntur paupertatem; pugnantes semper excitant antitheses, sed in propriam perniciem; non alterius, cujus virtutis est invidia comes. Perhibet Plutarchus in libello de oraculorum silentio, inter cætera donaria cujusdam templi à Cypselo consecrati extitisse palmam æneam, ad cujus radices insculptæ visebantur ranæ plurimæ hianti ore, quasi coaxantes, & natrices, quos Hydros nominant: ut inde discerent virtutis cultores; virtutem maledicorum infestis clamoribus lacessitam, eos ex eminenti loco deridere; quia virtus ut cecinit Venusinus *Intaminatis fulget honoribus*: secus invidia inter execrandos injustitiæ partus omnium teterrima, se ipsam fœdat, séque miserè torquet, Monstrum dixeris epicœnum, nam modò livor, nunc invidentia est; semper tamen maligna, venena evomens Nativis coloribus ad vivum hoc monstrum pinxit Ovid. Metamor. lib. 2. fabular.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores,
Nec fruitur somno vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabescitque videndo.
Successus hominum, carpitque, & carpitur unà
Suppliciumque suum est.

Sævit hoc monstrum in omnes, nemini parcit, neque ipsis innocentibus: rectè Valerius Maximus *lib.* 4. Nulla tam modesta felicitas, quæ malignitatis dentes vitare possit: divites enim sunt alienis jacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus. Unde quidam interrogatus quomodo invidos non haberet? respondit: si nihil ex magnis rebus habueris, aut nihil feliciter gesseris: nam sola miseria caret invidia.

Ira mulier est fœda visu, decoris oblita, 26.
necessitudinis immemor, maxillis tumida, flagrantibus, ac micantibus oculis; naribus apertis; humeris elatis; rubore toto corpore circumfusa, ex æstuante ab imis præcordiis sanguine. Illi labia quatiuntur, dentes comprimuntur; horrent, ac subriguntur capilli. Armata est casside, defluentibus utrinque instar capillorum anguibus colla verberantibus, eminente superiùs ursi rictu; obscuro induta amictu; dextra nudatum gladium vibrat; lævâ accensam agitat facem; pulsátque humum dextro pede. Ovid. *l.* 3. *de Arte.*

Ora tument irâ, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina Gorgoneo sæpius angue micant.

Nulli est affectui peior vultus, quem descripsimus (ait *Seneca lib.* 3. *de ira cap.* 3.) asperum, & acrem, & nunc subito retrorsum sanguine fugato pallentem; nunc in os omni calore, ac spiritu verso subrubicundum, similémque cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis, & exilientibus, nunc in uno obtutu defixis, ac hærentibus. Adjice dentium inter se arietatorum, & aliquem esse cupientium, non alium sonum, quàm est apris

tetra

tela sua attritu acuentibus. Adjice articulorum crepitum, cum se ipsas manus frangunt, & sæpius pulsatum pectus, anhelitus crebros, tractósque altiùs gemitus, instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra, interdúmque compressa, & dirum quiddam exsibilantia? Quia ut scitè notavit Seneca Tragœdus Tragœd. 2.

Cum spirat ira sanguinem, nescit regi
Iratus nihil nisi crimina loquitur

Virum iratum non dissimilibus pinxit coloribus Claudianus *de 4. Honorij consulatu*

Quippe Opifex verus confundere sacra profanis
Distribuit partes animæ, sedésque removit.
Iram sanguineis regio sub pectore cordis
Protegit imbutam flammis, avidámque nocendi,
Præcipitémque sui rabie succensa tumescit,
Contrahitur stupefacta metu, quumque omnia secum
Duceret, & requiem membris vesana negaret,
Invenit pulmonis opem, madidúmque fluenti
Præbuit, ut tumidæ tuerent in mollia fibræ.

27. Est IRA irrationabilis perturbatio mentis orta ex accensione sanguinis circa cor, libidini consociata puniendi ejus, qui videtur læsisse, injuriâ. Quia verò hic affectus acrior est, ac cæteris vehementior; ira perciti exisse ex potestate mentis dicuntur, quia effrenati feruntur, aut libidine, aut iracundia, quæ ulciscendi est libido. Hinc iratis nil æquè profuit, quàm intueri deformitatem rei, & iræ: nam in irati facies est turbatior: & ira, ut loquitur Seneca *lib. de ira*, ora pulcherrima fœdat, torvos vultus ex tranquillitate reddit; linquit decor omnis iratos. Qualem potas animum, cujus externa imago tam fœda est? qualia Poëtæ infernalia monstra finxerunt succincta serpentibus, & igne, & flatu.

28. LASCIVIA exprimitur specie Puellæ ad omnem effictæ venustatem, & elegantiam, veste serica translucida, membrisque singulis adæquata; pectore aperto, mammis tumescentibus. Dextrâ solutam comam guttis obunctam Arabicis, argoti pectinis tenui dente discriminans, lævâ speculum tenet, quod læto intuetur aspectu. Alij pingunt Puellam venercam exhibentem formam; in qua mixtæ candidiore, ac tenui rubore genæ nativum referunt vernantium rosarum splendorem: labra subitilia tenui distincta interstitio genarum porpuram vincunt, addúntque coralio prerium; supercilia gratæ nigredinis depicta venustate, ac inter se æquali disparata medituillio binos describunt Cupidinis arcus; nasus rectus tenuitati adæquatur labiorum: oculi ampli puro suffecti splendore sideribus extra Lunæ nitores rutilantibus ægrè videntur cedere: coma suo ingenio fusa æmulatur crispitudine hyacinthum florem; crinésque jurares, manus eblandientis Veneris morsu numerosi dentis eburni (ut loquitur Claudianus in *nuptijs Honorij v. 103.*) discriminâsse. Frons est illi ampla, lactea. Corporis statura procera, vestia elegans exquisitis illuminata gemmulis, irrorata margaritis, Dextrâ manu passerem avem cæteris salaciorem, ac lasciviorem ostentat; lævâ sertum multiplici compactum discolore flore præfert. Adstant tamen, muniúncque latera venustissimæ puellæ terni satyri pleno se se haustu invitantes quia habentur Lasciviæ symbolum. Est autem lascivia, mollities, petulantia, nequitia à verbo lascivio, quod idem est, ac molliter ago; & lascivè idem est ac molliter, nequiter. Satyri pleno haustu vino indulgentes hanc indicant nequitiam; quia lascivia vino innutritur. Hinc Sardanapalus omni muliere mollior, omni nequitia nequior, fœmineo habitu lasciviens, solitus pensa trahere, ac nere inter mulieres suo inscribi jussit tumulo. *Id solum quod ebibi, edi, ac voluptatibus impendi habeo, reliquorum nullam præsentio voluptatem.* Dignum planè epitaphium homine, qui totus in belluam degeneraverat soli addictus sensui. Marcus Antonius Triumvir, huic & ipse assuetus nequitiæ, ebrius coram populo Romano negotium publicum gerens hesternam cœnam evomuit, gremium suum, rostúmque tribunal incoctæ cœnæ frustis vinum redolentibus implevit. Musicis, Mimisque immensas opes donavit; Cleopatræ Orientem, Arabiam, Phœniciam, Syriam, Ciliciam, & alias provincias, maximo populi Romani sanguine partas dono dedit.

MALEDICENTIA mulier est anicula, deformis, invenusta, torvis oculis, lividoore, veste viperarum distincta aculeis, linguam exerens; dextrâ ferram, lævâ præfert purpuram; utrumque symbolum est maledicentiæ. Ægyptij hominem maledicum expressuri probos æquè, & improbos carpentem; Purpuram exertâ linguâ pinxerunt; hæc enim adeo acuta, & valida dicitur, ut conchulas, & quascunque sui generis testas perforet. Serra itidem maledicentium est symbolum, vel ob dentium seriem, quæ mordacitatem videtur innuere; vel ob ingratum stridorem auribus infensum, præsertim cum in nodos illabitur. Adduntur Maledicentiæ vesparum examina circum enectam viperam volitantia; siquidem aculeatæ vespæ, teste Æliano, in viperam, quam mortuam perspexerint involantes, veneno aculeum imbuunt; ac visæ sunt homines edocuisse modum veneno inficiendi sagittas, perinde ac Hercules Hydræ veneno jacula tinxit. Plures maledicentiæ studentes, ut lethalius acoleo feriant linguæ, veteres calumniarum magistros legunt, & in ijs linguam improbam propriæ malitiæ telum exacuunt. 29.

MENDACIUM exprimitur per vetulam invenustam, vietam, aridam, exsuccam, exanguem, crassioribus exaratam rugis; larvam elegantias exhibentem venustissimæ, ac elegantissimæ Puellæ admoventem proprio ori contesturam ascititia, fictáque venustate propriam turpitudinem; cui vestis est bicolor, seu alba in anteriori parte; nigra in posteriori. Dextrâ lucernam præfert lumen occultantem. Lævâ locustam ostendit; habetur enim symbolum mendacij; quia teste Plinio 30.

lib.

lib. 15 cap. 29. Locustarum vox ab occipitio prolis sui videtur; sic mendacium oratio est obscura semper à tergo latens, nunquam prominens in aperto. Mendaces enim aliud dicunt, & aliud cogitant; exosi propterea Deo, & hominibus. Mentior à mente derivatur, eò quia idem sit mentiri, ac ire contra mentem.

31. NEGLIGENTIA Puella est incompta, invenusta, humi jacens, capillis temerè sparsis, putiorem contegentibus faciei partem; vestis est detrita, ac frequenti scissu lacera; dextrâ limacem tenet, seu cochleam, quam defixis oculis intuetur; lævâ horologium pulverium inversum non fluens. Habetur limax negligentiæ symbolum; eò quia plus videatur recedere, quàm incedere; ad obivium siquidem cujusvis festucæ obicem resilit, vel per inertiam sistit. Viro negligenti perinde ac limaci oculi occuluntur, quia cum fuerat excubandum eos profundo occlusit somno. Totum limacis tergum, vel infuscatur, vel nigellis fœdatur maculis; quasi puncta negligentiæ notentur redarguendæ Secordis hominis ignaviæ; in lentissimo limacis reptatu segnitiem agnosce. Totum cochleæ corpus veluti in ipso otio laborans frigidum lentorem, seu ignaviæ succum exudat, viámque sordide signat; quia negligentis hominis vestigia nonnisi turpitudinem produnt. Dicitur negligentia quasi nec eligens, quia negligens non eligit, quæ agenda sunt: est siquidem negligentia defectus debitæ solicitudinis secundum interiorem actum ex D. Thoma *2. 2. quæst. 54. art. 1.* Turpissima est illa temporis jactura, quæ per negligentiam fit, ait Seneca *in Epist.* quem mihi dabis, qui pretium tempori ponat, qui diem æstimet, qui intelligat se quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem non prospicimus. Magna pars jam ejus præterijt; quidquid ætatis retro est, mors tenet; tu verò omnes horas complectere; nullam neglige.

32. OTIUM vir est in aprico colle, vel aperta planitie ad caulem umbriferæ fagi sedens, florescenti coronatus papavere, compressis manibus; juxta jacent pleraque rubiginosa instrumenta, quibus insidet velia avis. Sedere siquidem compressis manibus torquetur in otiosos, qui omni parcentes labori perpetuo marcescunt otio; cujus symbolum apud Ægyptios fuit Velia avis; eò quia hæc in umbra, & aura æstatem agat; hyemem in apricis. Otium labori miscere id naturæ commodum, ne jugi defatigatione frangatur; sed perpetua detineri socordia, id vitium secum trahit, quia vitæ detrahit; vivere enim Aristoti *lib. 9. Ethic. cap. 7.* est agere; ergo otium mors est, cum nihil agat; quòd si otiari est vivere; omni morte intolerabilior est hæc vita, utpote Deo, & hominibus invisa. Otio hoc torpescens in se suscipit probrum Junij Syllani Anæ Proconsulis, quem ob desidiam pecudem auream Cæsar appellare consueverat; hunc enim ferunt, veluti avem altilem angusto inclusum loco, immotúmque corpori saginando dedisse operam. Attalus Eumenis frater otio, & ipse marcidus tradita Philomeno imperij administratione linguis patuit Romanorum sciscirantium venientes ex Africa, ecquid apud Philomenum Rex gratiâ valeret. Ad laborem nati sumus; agere non otiari appetit animus, qui nulla conditione quietem sempiternam pati valet. Homo cordatus mavult præclarè mori, quàm in torpore vivere, ignaviæ indulgere, ac desidiâ colliquescere; nec tam malè est feriatus, ut in lasciviæ ferijs (sic S. Ambrosius otium vocat) velit consenescere; nec ita se abjicit, ut exoptet vermiculorum felicitate frui, quibus otium est summa votorum: quia omnium est hoc otium fomes vitiorum; quod propterea omni studio declinandum, siquidem ut scitè Ovidius

Otia si tollas, periêre Cupidinis arcus.

Non tamen quodlibet otium damnandum: quis enim desidem redarguat in puppi sedentem navis gubernatorem, clavúmque quietè dirigentem, cum alij anhelant in remis, alij cursitant per foros, seu tabulata superiora; alij sentinam exhauriunt? Quis stipendio indignos eos putet milites, qui in quieta pernoctant statione; vel armamentario sedentes invigilant; quando alij militari labore periculosiora obeunt ministeria, manus conserunt, dimicant, sudant in castris, vel in propugnaculis murorum ruinas reparant, proprijque pectoris oppositu hostes arcent, patriam tuentur: ita otium literarium nullus sit, qui condemnet. 33.

Plurimum interest discriminis solitariam 34.
inter inertiam; & otium literarium: illa propria est animalium, quæ vel tædio lucis, vel metu delitescunt; vel (quod turpissimum) somno ventri, ac libidini vivunt: istud sapientum est, qui eò majora sepositi agunt, quò minus aguntur; & tunc sibi, alijsque maximè laborant, quando requiescendi causâ abducere animum à negotijs solent, & à conventu, cœtúque hominum subtrahere se se, rurisque secretum petere. Tunc sapiens nunquam minus otiosus, quam cùm otiosus: & nunquam minus solus, quàm cùm solus, ut vulgata fert parœmia. Bene sibi consulit, qui otio indulget literario, quod Hermes Trismegistus pharmacum vocavit immortalitatis. Idque cum minimè lateret Ovidium elegantem illam posuit clausulam, licèt plenam ostentationis, quam suæ appinxit metamorphosi; gloriatus se sua Poësi meliùs consuluisse sui nominis perennitati; quàm si effecisset, ut aureæ statuæ; vel marmoreæ sibi erigerentur pyramides, inquiens

Jámque opus exegi, quod nec Jovis ira nec ignes
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas:
Cum volet illa dies, quæ nil nisi corporis hujus
Jus habet incerti spatium mihi finiat ævi:
Parte tamen meliore mei super alta receptus
Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum,

Q 4

Quàque patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populis, perque omnia sæcula fama
Si quid habent veri vatum præsagia vivam.

35. Id otio navantibus operam literarum superest gloriæ, quòd deficiente cum vita ingenio, sibi tamen pars melior ingenij supersit in libris, perstérque incorrupta vox eruditorum; vel post eorum fata; támque altè sustollatur, ut eam universus orbis intelligat. Sunt ait Seneca *lib. 3. de Benefic.* qui in tantùm processerunt eloquentiâ; vel innotuerunt justitiâ, ac bellicis laudibus, ut non sibi tantùm, sed & parentibus suis ingentem famæ splendorem circumfuderint, tenebrásque natalium suorum clarâ luce discusserint; eáque ratione inæstimabile beneficium contulerint in parentes suos. Quod Aristoni, & Grillo propter Xenophontem, & Platonem filios contigit: Sophroniscum item oblivione deleri Socrates non patitur. Idem adstruimus de ijs, qui otio indulgent literario; hi siquidem sibi, & suis splendorem impertiunt, quo posteritati clarescunt: hinc Venusinus Lyricus de se ipso ob scripta carmina cecinit *lib. 3. Ode 30.*

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique situ Pyramidum altius.
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.
Non omnis moriar, multáque pars mei
Vitabit Libitinam. Usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex — Dicar

36. Hoc idem argumentum non minori elegantia, licet imparibus metris prosecutus est Propertius *lib. 3. Eleg. 1.* cum Ovidius in fine Metamorphoseos innuisset *Dignum laude virum Musa vetat mori*, cecinit Propertius

Nam neque Pyramidum sumptus ad sydera ducti
Nec Jovis Elei cælum imitata domus.
Nec Mausolei dives fortuna sepulchri
Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
Excidet, ingenio stat sine morte decus.

Et Tibullus non diffitetur, plurimas res omnino interitui obnoxias fuisse, nisi ijsdem æternitatem Poësis asseruisset

Carmine purpurea est Nisi coma; carmina ni sint
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.

37. Perfidia mulier est invenusta, rugosa, deformis, veste obscura multiplici scissu lacera; dextrâ larvam; lævâ scorpionem præfert. Innuit larva mendacium, quo utitur Perfidia, quæ est fidei violatio, seu non stare promissis; is enim perfidus est; qui sine fide, fœdera fregit, aliósque fefellit, decepit, mentitus est; unde perfidus idem est, ac deceptor, & mendax. Est perfidus iniquorum hominum iniquissimus; quia Divini Numinis derisor, Sacramentorum desertor, Religionis contemptor, omnisque sanctitatis, ac probitatis eversor, ut jure Poëtæ asseruerint, perfidos Titanas igne cælesti deflagrâsse. Tenet Perfidia lævâ manu scorpionem, qui ejusdem est symbolum. Habitus est scorpio ab Ægyptijs hieroglyphicum hominis vafri, perfidi, cui nulla sit fides præstanda: quia scorpio nonnisi resectâ caudâ, in qua illi venenum stillantes aculei sunt, ab ejus ictu nemo est tutus: ita nec hosti quidem ulli, cui arma excussa, aut erepta non sunt, fidendum erit, nec fœdus ineundum: & Cicero respondit Nervijs, non esse consuetudinem Romani populi ullam accipere ab hoste armato conditionem.

Seditio mulier est vultu horribili, fla- 38.
grantibus oculis, erectis, nubéque fœdis superciliis, spumante ore, soluto crine, anguibus implicito humeros verberantibus, veste nigrá scissa lacerâ, sanguine fœdâ; locustis depicta marinis simul decertantibus. Dextrâ manu nudatum vibrat gladium; lævâ accensam quatit facem, media inter felem, & canem unà decertantes. Sunt hæc bruta seditionis symbolum ob innatam antipathiam, qua mutuis odijs sibi adversantur. Homines seditiosos significârunt Ægyptij per marinas locustas sese invicem incursantes, ac mutua flagellatione invicem sævientes, ut refert Pierius *lib. 28. cap. 54.* Seditio est cum populo secum discordante res ad manum vocatur ferro armatam, & cives in factiones partiti bellum ineunt, quo respoblica fluctuat, gravitérque periclitatur. Quòd si populus seditione conspiret in magistratum, nil est atrocius; nilque tetrius. Seditionem in civitate describit Virgil. 1. Æneid.

Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio.

Ipsam verò seditionem ex civium discordia eleganter describit Petronius Arbiter *in Satyr.* agens de bello civili Pompeium inter, & Cæsarem

Intremuere tubæ, ac scisso discordia crine
Extulit ad superos stygium caput. Hujus in ore
Concretus sanguis, contusáque lumina flebant;
Stabant irati scabrâ rubigine dentes;
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora;
Atque inter toto laceratam pectore vestem,
Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextrâ.

EXPENSIO VII.

Adjiciuntur pro coronide Poëticæ Eruditionis Icones, rerum aliarum virtutibus, aut vitijs affinium.

Abundantia iconinicè exprimitur per mulierem vegetam, obesam corpore, 39.
plenis lacte mammis; capite coronato spicis, ac omnigena fructuum specie; veste auro intexta, gemmísque plurimis illuminata; dextra manu è cornu Amaltheæ nummos effundit. Lævâ in cubitum erecta canistrum fulcit

omni fructuum genere onustum. Sedet ipsa flavescentium supra manipulos spicarum; aureo delabente è cœlo imbre. Est autem pluvia symbolum opulentiæ, ac felicitatis,quam Reges in suos mittunt populos. Idque Rhodijs fertur obtigisse, in quos, ait Himerius in Bibliotheca Photij, auro fluxisse, Jove auream nubem in eos erumpente. Hinc Statius lib. 1. Sylvar.

Talis per cuneos hyems Latinos
Plebem grandine concussit serenam:
Ducat nubila Juppiter per orbem,
Et lætis pluvias minetur agris,
Dum nostri Jovis hic ferantur imbres.

Cum abundent Principes divitijs, has à populis non extorqueant, sed id præstent, ut ad ipsos hæ deriventur: non indigent divites pauperum reculis; ut vulgo dicitur, non egent lacte, qui gregem pascunt; neque micis, qui panem frangunt.

40. Adversitas, mulier est gravis, velato capite, procero corpore, amictu gilui,seu subalbi coloris; dextrâ manu fasciculum ostendit fœni græci; lævâ corvum lapidi innitentem, cui nomen Dionysias; est hic lapis fuscus rubentibus distinctus notis; qui si aquæ mixtus conteratur, vinum fragrat, quódque in illo odore mirificum, ebrietati resistit, ut refert Solinus. Adversa virtutem probant; nullibi virtus suas exerit vires, quàm ubi adversa acriùs urgent. Aliud adversitatis symbolum est fœnum græcum, quod scarificatione seritur, non altiore quatuor digitorum sulco; quantúque pcius tractatur, tanto germinat felicius, ut testatur Plinius *lib. 18. cap. 16.* virtus enim in adversis surgit vividior. Viro probo adversa non sunt exitio, sed virtutis exercitio; & viro improbo pharmaco morbis levandis: adversitatibus veluti pharmacis utitur Deus nostra curaturus vulnera; quia adversitatum flagello peccatorum pulvis ex animæ veste excutitur, Chirurgi munus Deus obit; adversitatibus, ac pressuris utitur pro ferro, & igne. Hinc adversitas optimum ad salutem pharmacum; & quo magis amara est hæc medicina, eò magis proficua, quia vitiorum enecat vermes. Quàm melius adversis premi, quàm perimi? Si pungunt adversa stimulos addunt, ut citius ad Deum curramus. Non obest adversitas virtuti, sed prodest; perinde ac thus igne adversitatum suaviorem emittit odorem. Virtus enim in adversis Rosa est spinis circumsepta: & mens eò clarior splendescit, quò acriore adversitate atteritur. Hinc Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 3.

Materiámque tuis tristem virtutibus imple.
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset si felix Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.

41. Annona exhibetur specie mulieris stantis, statura procera, conspicua, subflavo capillo decoræ, spicea cidari cingente caput; grandibus, protentisque mammis, turgente sinu; dextro brachio manipulum complectitur flavescentium spicarum; lævâ præfert papaverum sertum. In numismate Titi Vespasiani dextrâ sigillum, seu parvum statuæ figuram, tum libellam ostendit; lævâ cornu copiæ gerit, navi appositâ cum calatho, & spicis. Secus Annonæ Carites. Mulier est macilenta, lurida, exsucca, pendentibus genis, & mammis, sordida veste. Dextrâ salicis ramum; punicum læva complectitur; astante vacca macilenta.

Beatitudines Evangelicæ delineari 42.
hoc pacto solent. Prima Puella est venusta,ac speciosa facie, sed veste multiplici scissu lacerata, junctis manibus cœlum intuetur stramentis insidens. Secunda ulnis agnum complectitur, cujus caput dextrâ demulcet. Tertia est supplex, ac gemens Puella manus in cœlum attollens. Quarta Bilancem æqualem sustinet, & cacodæmonem eam deprimere nitentem læva manu fugat. Quinta panem frangit expectantibus pauperculis. Sexta lacrymis ex oculis defluentibus rigat cor, quod manu ostendit. Septima armorum acervum pedibus calcat, & virentis oleæ ramum dextrâ præfert. Octava crucem dextrâ gerit,defixis in trucidatos filios oculis.

Calamitas mulier est crassioribus exsul- 43.
cata rugis, lurida, exsucca, impallescens stramineo insidens fasciculo; veste longo usu detrita, ac frequenti scissu lacera, pedibus seminudis, cujus ulcera canes lingunt; juxta apponuntur disruptæ, ac contritæ grandine segetes. Significat enim calamitas calamorum fractionem à grandine, vel alia aëris intemperie, dicitúrque calamitas, quia calamos comminuat. Hinc calamitas sumitur pro dejectione à pingui fortuna ad extremas incitas; talis fuit lapsus Bellisarij, qui post debellatos hostes, coërcitos populos, occupatas provincias, expugnatas urbes ad imam detrusus miseriarum rebus omnibus destitutus, seminudus, luridus, ulceribus fractus humi jacuit obolum petens, quo frustum panis sibi compararet: scilicet stipem petijt, cujus Martiæ virtuti vitam principes precariam debuerunt. Caruit obulo, qui victori pede Regum fortunas calcaverat. Jacuit infelix, cujus virtute felicitas steterat imperij; nudus ac luridus fuit contemptui, qui exercituum imperator terrorem regnis incutiebat. Qui fuit Imperij gloria, principum deliciæ, civium amor, orientis splendor, Martis fulmen, hostium terror, jacuit postea ad extremas redactus incitas turpis, luridus, squalore obsitus, exhaustus fame, exardens siti, dedecore oppressus, & utrinque calamitate detritus.

Compunctio Cordis mulier est squali- 44.
da, passis crinibus, induta cilicio, ore aperto manibus unà complexis, cœlum flentibus oculis, genisque lacrymarum stilicidio madidis suspicit; prolixioribus coronata spinis. Hæc est illa compunctio, cujus lacrymis animæ sordes eluuntur; contractæ ex patratis sceleribus maculæ obliterantur. Spongiæ vicem

vicem subeunt hæ lacrymæ, quibus peccata in DEI libris exarata delentur. Olim spongiam aceto imbutam morienti Christo sævientes in cruci affixum obtulerunt Judæi, quam Dominos utpote scelera redolentem rejecit, ut sibi amaram; at dulcis Christo obtingit lacrymarum potio, quam cordis compunctio illi offert; grata est potio lacrymarum, quàm compuncti, ac pœnitentes Deo exhibent; imò quovis melle dulcior, omnique præferenda nectare, ut scitè innuit S. Petrus Chrysologus *Serm.* 93. inquiens: *Pharisæi domum Christus intravit, non accepturus Judaicos cibos, sed divinam misericordiam largiturus; neque accubuit pocula saporata melle, floribus odorata sumpturus; sed pœnitentis lacrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus.* Amara est quævis dulcedo præ ista lacrymarum. Offerat sitienti Christo hanc lacrymarum potionem, qui Christum amat; hanc ipse peroptat, quam poculis prætulit melle saporatis; sunt illi hæ lacrymæ omni favo suaviores, quia cordis sordes obliterant, & mentem ad Deum erectam jucunda saporis intimi suavitate reficiunt. At si DEO placent displicent Satanæ, cum prædam ab ejus eripiant manibus; ejúsque versutias, quas in hominum mentibus seminaverat, penitus eliminent; & vitiorum maculas, quibus ille venustatem animæ infecerat, aboleant, ac prorsus obliterent: scitè Petrus Damianus opusc. 13. cap. 12. *Sicut spumosi torrentis cumulus superveniens cunctis alveum sordibus purgat; sic lacrymarum profluentium cursus ex mente flentis, & Diabolicæ versutiæ semina; & omnes sordentes vitiorum pestes eliminat.* Mira sane harum vis lacrymarum; sterilescentem animam irrigantium, simúlque fœcundantium; aliæ steriles ac infœcundæ arbores; licèt juxta fontium decursus plantatæ; licèt delabente è cœlo pluvia irroratæ, non tamen ullam induunt fœcunditatem, quam nativa sterilitas prohibuerat. Lacrymæ tamen hanc habent virtutem; mentes enim bonorum operum viduatæ fructibus, ac pœnitus infœcundæ lachrymis irrigatæ flores pariunt virtutum, fructúsque meritorum. Sit anima veluti arbor hyemali compressa glacie, omni destituta virtutum flore, omnique venustate sub peccatorum vepretis viduata; mox ut compunctionis fuerit perpluta lacrymis, reviviscit, frondes induit virescentia spei, florésque emittit excultæ virtutis, ac fructuum ornatur veaustate. In arboribus flos antecedit, subsequitur fructus: Sic in homine, qui deliquit compunctio, seu dolor veluti flos præcedit, ut inde sequatur fructus veræ lætitiæ. Cavendum tamen ne flos priùs decidat, quàm hunc fructum producat; idque obtingit quoties post gemitus plangenda iterum perpetrantur; novi peccati pruinâ flos exuritur ante actæ compunctionis.

45. CONSCIENTIA mulier est gravis, cogitabunda, superiori veste alba, inferiore nigra; dextrâ limulam præfert; læva ostendit cor à serpente morsum. Est conscientia actus scientiæ, seu applicatio scientiæ: vel regula in ratione, & distinguitur a Synteresi, quia hæc actus est voluntatis; illa intellectûs; appingitur limula, quia minutatim disquirit. Serpens mordens cor, indicat conscientiam patrati sceleris scientiâ jugiter torqueri. Testis est Nero, qui referente Dione interemptâ per Anicetem Agrippinâ matre, nec sceleris conscientiam, quamquam, & militum, & Senatûs, populique gratulationibus confirmaretur, aut statim, aut nunquam postea ferre potuit: sæpe confessus, exagitari se materna specie, verberibus furiarum, ac telis ardentibus. Testis Titus Imperator, qui ut refert Suetonius Sabinos petens, cum sacrificanti hostia aufugisset, & tempestate serena tonuisset, subtristior, ad primam statim mansionem febrim nactus, eum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis cœlum; multúsque conquestus, eripi sibi vitam immerenti: neque enim extare ullum suum factum pœnitendum excepto duntaxat uno. Hinc Bion aiebat, impietatem malam esse contubernalem fiduciæ; & adjecit versiculum Euripidis. *Servum facit, quamvis feroculum virum:* senserat, ibi libertatem exiorrem esse, ubi mala, & inquieta est conscientia. Secus ubi conscientia recta, ibi nullus timor. Ovidius 4. Fastor.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet:
Sed nos in vitium credula turba sumus.

FAMA mulier est agilitate insignis, sub 46.
tili, ac translucido protecta velo circum crura fluitante, pluribus depicto oculis, auribus, & oribus, binas inflat tubas unam sursum, alteram deorsum; ipsáque velociter hac, illácque alata discurrit; ita fere describitur à Virgilio 4. *Æneid.* placet hic ejus recitare carmina, utpote elegantissima.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum;
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.
Parva metu, primò; mox se se attollit in auras:
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit,
Illam terra parens, ira irritata Deorum
Extremam (ut perhibent) Cœo, Enceladóque Sororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis
Monstrum horrendum ingens, cui quot sunt corpore plumæ
Tot vigiles oculi, subter, mirabile dictu!
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram
Stridet, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus, aut altis, & magnas territat urbes,
Tam ficti; pravique tenax, quàm nuntia veri.

FELICITAS matrona est delicijs diffluens, 47.
sed aspectu venerabilis solio insidens auro illiro, gemmisque illuminato; corona splendet in ejus vertice, ut etiam vestis auro intexta, gemmisque distincta. Pro sceptro dextrâ cadu-

caduceum præfert, lævâ cornu copiæ; illo cœlestia; hnc terrena bona figurantur. Plerique oleam caduceo adjiciunt, eò quia hæc arbor symbolum habeatur felicitatis. Alij Felicitatis solio auream adjiciunt vitem, è qua aureæ uvæ pendulæ, ac conspicuæ sint. Referunt rerum conjectores, uvam in somnijs visam, etiam extra tempus felicis esse præsagij. In aliqnibus nummis ponitur felicitas alio in solio conspicua; dextrâ oleam, sinistrâ navem fulciens: navis enim in Adriani nummo habetur hieroglyphicum Felicitatis; ibi tamen visitur remigio acta, & ad omnem artis elegantiam elaborata. Refert S. Augustinus *lib. 4. de civit. cap. 14.* à Priscis Romanis fuisse Felicitati Fanum extructum, & sacra ei congrua persoluta. Est felicitas quæ vitam sufficientem, optabilem, ac nullius indigam præstat. Seu est virtus in vita perfecta. Boëtius *lib. 3. met. 12.*

Felix qui potuit boni
Fontem visere lucidum.
Felix qui potuit gravis
Terræ solvere vincula.

48. FORTUNA repræsentatur specie mulieris sinistro pede nudo insistentis globo, altero in aëre, coma est illi soluta, quam ventus in frontem diffundit, cum velo subtili ventis turgido, vestis est illi discolor, & succincta corpori adæquata. Adstat rota quà alba, quà nigra. S. Augustinus *lib. 4. de civit. cap. 18.* ait, Fortunam fuisse Deam putatam, quæ sine ullo judicio venit æquè ad bonos, & malos, quia cum cæca sit, passim in quoslibet incurrit, ut suos cultores plerumque prætereat; suisque hæreat contemptoribus: multiplici fuit fortuna à priscis Romanis donata nomenclatione. *Aurea Fortuna* in cubiculis Imperatorum servabatur, quæ alio nomine Regia vocabatur, & à morientis Principis cubiculo transferebatur ad successoris palatium. *Fortuna Bona* culta fuit in capitolio, *Mala* in Exquilijs. *Fortunam barbatam* habuit Servius Tullius, cui in sua Regia ædem construxit. *Cæca Fortuna* etiam colebatur, eò quia ait Cicero de Amicitia, eos plerumque efficiat cæcos, quos est complexa. *Equestris* etiam vocabatur, cui ædem Q. Fulvius Flavus prætor in Hispania vovit eo die, quo ultimùm cum Celtiberis depugnavit, ut refert Livius *lib. 41.* cùm frœna equis detrahi jussit, ut majore vi, ac impetu, in hostes incurrerent, quâ re victoriam obtinuit. *Fors Fortuna* ab ijs colebatur, qui sine arte viverent. *Mascula* prope Veneris templum ædem habuit. *Muliebris* vocabatur etiam Fortuna ob liberatam urbem à matronis, præsertim Coriolani matre, & conjuge. Hujus fortunæ simulacrum, ab ijs rariùm matronis tangebatur, quæ bis non nupsissent. *Obsequens*, quia mortalium votis obsequeretur. Huic Fortunæ à Servio Tullio fuit extructum templum. *Primigenia*, quia Urbi imperium, & imperio originem dederit. *Privata* in palatio delubrum habuit, eáque Servius ita familiaritate utebatur, ut per fenestellam in ipsius ædes descendere crederetur. *Prænestina* à celeberrimo templo quod habuit apud Preneste. *Redux* à felici in patriam reddituu; huic Domitianus sacellum construxit. *Stata* in veteribus inscriptionibus vocatur, quasi à stando.

GLORIA venusta est Puella corona antea, 49.
gemmis illuminata perquam insignis. Vestis est illi elegans auro intexta; aligera est, brachijs, atque uberibus nuda; dextrâ sceptrum cum palma præfert; lævo brachio cornu complectitur Amaltheæ. Nititurque Lauro Cyzici; ait enim Plinius *lib. 17. cap. 25.* Ficus in lauro Cyzici nata est ante obsidionem. Ficus enim in lauro significat suavitatem in gloria. Est quippe laurus arbor triumphantium, victoriarum, ac gloriæ comes perpetua: Ficus sapore dulcissima est; hinc non defuit qui insignem gloriam, simúlque suavem expressurus, Laurum pinxerit Cyzici. Ait Polybius nullum esse excelsum, quem dulcedo gloriæ non capiat. Nam *pecunia*, ait ipse, *communis est omnium hominum possessio, quod autem honestum est, atque cum laude conjunctum; proximè ad Deos accedentium virorum est bonum.* Ideòque Phryne famæ appetentissima, Thebanorum muros se excitaturam spopondit; si ea apponeretur ædificio inscriptio. *Alexander diruit, Phryne meretrix ædificavit.* Est gloria causa sumptuum, ac laborum, perinde enim gloria, ac victoria labori nectitur; quod Alexandro castra ad oxum flumen metanti gemini fontes exorti, quorum alter oleo, alter aquâ fluxit, subindicârunt; siquidem consultis vatibus, Aristander respondit olij fontem laborem quidem promittere, verùm & ipsam victoriam. Observatu etiam dignum quod nocte Natalitia Servatoris Christi, ut refert Orosius fons viâ Transtyberina fluxerit oleo. Portendebantur enim Christi labores, quos Christus toto vitæ cursu pro nostra salute exantlavit, & ærumnissimo omnium supplicio finivit; ex quibus misericordia largiús effluxit in terras effusa.

IMITATIO Puella est instar simiæ vestita, 50.
dextrâ penicillum, lævâ larvam præfert; aliqui etiam appingunt veram simiam, cui imitatio adblanditur. Simiæ dicuntur, quia simæ sint, naribúsque depressis; vel quasi mimæ, ac imitatrices; referunt hominum faciem rotundam, licèt toto corpore crassiore pilo vestiantur. Natum videtur hoc animal ad imitationem, licèt vitia potius, quàm rectè facta imitetur. Imitatio si recta fuerit, ac proba plurimum studiosos juvat. Multi enim alieno spiritu, veluti cœlesti quodam afflatu incitantur, & Sybillam imitantur, quæ vaticinabatur in tripode. Illic erat terræ hiatus, & ingens latebra; quæ divinum quendam spiraret halitum, quo mens Vatis afflata cœlesti quadam virtute afflueret. Simile videtur obtingere in eruditissimorum hominum libris; quos dum legimus, veluti è sacris quibusdam

busdam

busdam spiraculis halitus emanant in animos, qui inde afflati, divinóque perciti furore, effata pronunciamus, quibus aliena imitamur oracula. Similitudinem sui veluti quædam impressa vestigia post fata relinquunt Sapientes suis in libris. Ferunt Orpheum vatum omnium præstantissimum cum fatis concessisset, vivam in mortuis cineribus reliquisse vim suavitatis: quæ enim juxta ejus sepulchrum nidificârunt lusciniæ; si Pausaniæ velimus fidem præstare, suaviùs canebant, molliúsque demulcebant; quasi ex demortui Poëtæ reliquijs genium haurirent suavioris hilaritatis, cantúsque jucundioris. Idem videtur obtingere in illustrium Authorum imitatione; ad eorum siquidem monumenta, seu libros, qui solent demorari, ac consuetudinem habere, inde vim, & afflatum sapientiæ haud obscurum ducunt: & cum animi gaudeant similitudine, ut ait Proclus in Timæum, & tota pene scena humanæ vitæ plena sit imitatione; certè ex proba imitatione profectus dependet in quavis arte.

51. INDULGENTIA in Numismate Antonini lævâ sceptrum longiùs à se remotum tenens (quasi rigor justitiæ removendus ab indulgente sit) dextrâ pateram exporrectam veluti liberalius offert. In numismate Gordiani stat media leonem inter, & Taurum, quos cicurat mulcendo eorum capita. In nummis Severi Augusti, & Caracallæ, est matrona Leone vecta cymbalum tenens juxta fluvium. Est Indulgentia mollis, & delicata permissio, quæ si excesserit vires frangit mentis, & corporis.

52. INDUSTRIA est Puella casside protecta, pedibus nuda, veste eleganti, & acu picta referente flores, volucres, & alia id genus; eminet in ejus vertice Pluti simulacrum; dextrâ manu in cubitum erecta alvearium fulcit cum Apum examine; læva stateram. Est industria acumen animi applicans rebus dexteritatem, eásque cura, & labore adhibitis perficit; unde industrius dicitur studiosus, vigilans, callidus. Per parœmiam dicimus: *Lutum nisi tundatur, non fit urceus,* seu sine labore nemo evadit in virum absolutum.

53. MISERIA mulier est lurida, squalida, tetra. Crinibus solutis, ac partem velantibus faciei; stramineo insidet fasciculo, cujus ulcera canes lingunt: dextrâ globum vitreum tenet; lævâ compedem; vestis est illi ex prolixiori usu detrita, ac frequentiori scissu delacerata. Est miseria copia malorum, ac tribulationum, & inopia bonorum, & consolationis: unde miser est pauper, & contemptus, afflictus, ærumnosus, ac desolatus. Miseriam describit Quintilianus *declamat. 6.* per antitheta, acutásque, & velicantes sententias stylo declamatorio. Senex reversus è captivitate deplorat filium insepultum, & cæcam uxorem. Placet fragmentum subjicere ait ipse. Qui in calamitate parentes deservit, insepultus abjiciatur. Qui habebat uxorem, & filium captus à piratis inscripsit domum do redemptione. Uxor flendo oculos amisit; filius, renitente matre profectus, vicarijs manibus redemit patrem. Idem in vinculis decessit, abjectus in mare, & appulsus ad litus patrium est ejectus, vult illum sepelire Pater, mater prohibet. Quid enim passus sum tam leve, ut non comparatio mei, felices etiam faciat aliorum miserias? Grave est à piratis alligari, magis dicat hoc, qui sciat, quàm citò capti moriantur. Alligatus sum, sed tamen magis queror, quòd solutus sum. Indigna est impietas in suos, quæ quanta vertetur in hoc judicio, videtis. Sed hoc quoque mihi querendum est, quod me & uxor nimium dilexit, & filius. Quid ergo putarem in rerum natura posse reperiri, quod orbitate acerbius videretur? Non contigit mihi quod cæteris miserrimum filium efferre. Parum est quod juveni singularis exempli; causa mortis fui, & tam pretiosa redemptus anima, senex odiosa morte filij mei vivo. Parum est quod mihi luctum meum fluctus nuntiârunt, & aliud agenti patri subitò ad littus orbitas appulsa est. Quod miserrimum Juvenem toto jactatum mari, etiam si nemo interpellâsset, serò sepelirem, adhuc supremo prohibeor officio, & ne quid solatij contingat, perdo etiam matris misericordiam. Injicit errantem corpori manum mulier, & piratis, & tempestate crudelior: atque ut accedat dolori meo cumulos, quæ hoc facit, uxor mea est. Ne quis tamen erret ignarus, non est filij mei noverca, sed mater, ô facinus! ô cladibus nostris mutata natura!

NATURA mulier est venusta, vegeta, toto 54.
pectore mammosa, dextrâ Lunam præfert semiplenam, lævâ Æthiopem ostendit. Luna ut refert Pierius *lib. 44.* hieroglyphicum naturæ fuit apud Ægyptios; quia terram esse lunarem globum autumârunt. Pythagoras etiam Lunam modo terram cœlestem, modò terrestre cœlum appellabat, quin imò & alij Philosophi terram illam putârunt. Varia itidem, & inconstans est Lunæ facies, cum diebus singulis immutetur, nec quidquam sit varietati magis obnoxium, quàm rerum humanarum conditio. Homo etiam instabilis, variabilis est. Æthiops judicat naturæ proprietates mutari haud posse. Emerat quidam Æthiopem, quem ex negligentia prioris Domini censuit decoloratum; ad se deductum summa cum cura lavare, destringere, & omni ratione annititur, ut sordes illas, ut rebatur, abstergere posset. Verùm mutare colorem illum non valuit: & Æthiops affectus curâ in morbum incidit. Insitæ naturæ proprietates semper retinentur. Hinc Aristophanes

Non poteris rectum cancris inducere gressum,
Nec levis, horrentes Echini reddere sentes

NOBILITAS matrona est vultu decora, au- 55.
rea corona gemmis irradiata, insignis; cujus vertici nitidissima splendet stella; vestis est ipsi talaris auro intexta, pluribus distincta gemmulis; in calceis aureas præfert lunulas. Dextrâ manu hastam, lævâ Palladium

præfert. Eſt Palladium ſtatua parva armatæ Palladis, quam Æneas à Diomede, & Ulyſſe, ereptam poſt Troiæ everſionem recuperavit; unde Romam delata à Proceribus ex Troianis originem trahentibus pro ſymbolo nobilitatis uſurpata eſt. Lancea fuit itidem ſymbolum Nobilitatis, quæ virtute, non ſanguine nititur. Dio Chryſoſtomus *Orat.* 4. refert, apud Thebanos familiam quamdam fuiſſe Spartanorum, qui hæreditario quodam jure lanceæ ſpeciem corpori à natura inuſtam gererent, quò qui carerent pro ſpurijs, & illegitimis habebantur. Sed vera nobilitas eſt, quæ non tantùm majorum ſanguine, ſed etiam quæ vera nititur virtute. Non facit nobilem atrium plenum imaginibus, ſed virtus quæ excolitur, ipſa nobilitat. Miſerum eſt famæ aliorum incumbere; niſi quis propriâ illuceſcat; ſatiùs viro nobili Patrem habere Therſitem, dum ipſe foret Achilli ſimilis; quàm naſci Therſitem ex Achille progenitore. Trabeæ, faſces, ceræ arbitria potius ſunt Fortunæ, quàm argumenta virtutis. Liquet, ſtatuas temporum injuriâ deteri, æreas exedi machinas obductâ rubigine; picturas, ac majorum imagines incubante caligine violari; & ſolam virtutem in aliarum rerum interitu phœnicis inſtar è cinerario reviviſcere. Scitus Juvenalis *Satyr.* 8.

Quis fructus generis tabulâ jactare capaci
Fumoſos equitum cum Dictatore magiſtros
Si coram lepidis malè vivitur.

57. Occasio Puella eſt corporis agilitate, motúque pernicitate inſignis, veſtis eſt illi tenuis, diſcolor, tranſlucida; flante favonio modeſtè turgeſcens, ac ſeminuda, pedibus alatis rotæ inſiſtit, vel globo; calva occipitio; capillis fuſis frontem operit. Dextra novaculam præfert; & ipſa nudipes fugam fingit, quam ſequitur Pœnitentia, cujus verticì delabens ſcheda hoc exhibet lemma. *Præſentem mulge, quid fugientem inſequeris?* Occaſione utendum, cum præſens eſt. Refert Plutarchus, Philippum Regem Macedonum à quopiam invitatum fuiſſe ad cœnam; cùmque veniſſet frequentiori ſtipatus comitatu; nonnihil conturbatus eſt Hoſpes; ut qui non tam grandem ſtruxiſſet cœnam. Id præſentiens Philippus, ſubmiſit, qui ſingulos amicos admoneret, ne multum ſub initijs comederent, ut placentæ locum relinquerent; at hi dum verè credunt placentam apponendam, atque expectant, abſtinent ab iis, quæ fuerant appoſita: ita factum, ut cœna toti ſuffecerit multitudini. Nunquam laudabile, præſentia negligere ob ſpem inanem futurorum, ſcitè monuit ſcitus ille

Rem tibi quam noris aptam dimittere noli
Fronte capillata, poſt, eſt occaſio calva

Occasionem ut a nobis pictam eleganti calamo deſcribit Auſonius

Cujus opus? Phidiæ, qui ſignum Pallados ejus
Quinque Jovem fecit, tertia palma ego ſum.
Sum Dea, quæ rara, & paucis Occaſio nota.
Quid rotulæ inſiſtis? ſtare loco nequeo.
Quid talaria habes? volucris ſum Mercurius, quæ [illegible]
Fortunare ſolet, trado ego cum volui.
Crine tegis faciem? cognoſci nolo; ſed heus tur
Occipiti calvo es? ne tenear fugiens.
Quæ tibi juncta comes dicat tibi, dic rogo quæ ſit?
Sum Dea, cui nomen, nec Cicero ipſe dedit.
Sum Dea quæ facti, non facti exigo pœnas:
Nempe ut pœniteat, ſic Metanœa vocor.
Tu modò dic quid agat tecum? ſi quando volavi,
Hæc manet, hanc retinent, quos ego præterij.
Tu quoque dum rogitas, dum percunctando moraris
Elapſam dices me tibi de manibus.

Paupertas mulier eſt ſqualida, veſte fre- 58.
quenti ſcilla lacera, pannoſa, uſúque prolixo detrita; ſtramentis inſidet junctis manibus, pedibúsque, fruſtum panis lævâ complectitur, dexterâ nodum, quem dentibus nititur ſolvere. Dicitur Pauper ait Varro à pauca pecunia, quam nodo implicat; hinc à parva pecunia pauperies, & paupertas dicitur; & de paupere extremo, qui rei familiaris inopiâ prorſus laborat Lucianus in Timone dixerat: *Nec obulum habet, unde reſtim emat*, quod per parœmiam in pauperem vitijs indulgentem ſolet torqueri; indicatúrque dignus ſuſpendio. Laborans ex rema paupertate ſimpliciter dicitur *Nudior Leberide*: vel *Iro*, *Codro pauperior* apud Ovidium, cujus eſt carmen

Irus erit ſubito, qui modò Crœſus erat

De Codro Juvenalis

Tota domus Codri rheda componitur una

Non tamen Paupertas ſi voluntaria fuerit probro vertitur homini probo: ſecuriùs quippe, certiúſque vivit, quem nulla auri parandi, argentive coacervandi cupiditas tenet, nec amittendi congeſtas divitias metus urget. Mentis tranquillitatem in extima frontis cute deſcribunt, qui ex valido opum contemptu ſunt illi paupertati addicti, quam non ab Epicuro, aut Stoico Diogene didicerunt; ſed quam Chriſtiani ab Evangelio hauſerunt. Hi ſunt pauperes ſpiritu, qui exporrecta fronte, læto ſupercilio, ridenti ore dimiſſas opes, veluti abeuntes auras, vel fluxas fluminis undas deſpiciunt; implentes animum virtutibus, quibus laudabilius homo diteſcit. Auro enim, bonisque à terrena concretione haud defœcatis acuitur non extinguitur divitiarum coäcervandarum ſitis, & earundem aviditas acriùs pectora mordet: creſcit enim creſcentibus opibus cupiditas, & agrum agro, domum domui, provinciam provinciæ, quia & Regnum Regno addere delectat; & plures longè pauperes ſorte ſua inveniuntur contenti; quàm divites licèt divitijs affluentes, licèt opibus onuſti; lætior in illis eſt vultus,

vultus, & pacatior animus. Scitè Lyricus Vates

Plerunque gratæ divitibus vices.
Mundæque parvò ſub lare pauperum
Cænæ, ſine aulæis, & oſtro
Sollicitam explicuere frontem

Nan ille tutior, neque ejus ſors felicior, quem ingentis ſarcinæ pondus æquora innatantem premit: omnes jactamur fluctibus; nec aliud eſt fluxa hæc mortalis vita, quàm mare efferveſcens, fluctibus decumanis, ventis, procellisque jactatum. Ille ſecurior, qui minus aſcititio gravatur pondere.

59. Pax Puella eſt jucunda, lepida, elegans dextra caduceum cum oleæ ramo præfert, lævâ faculam accenſam; quâ armorum ſtruem accendit, juxta Pſalm. 45. *Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni.* Veſtis eſt illi talaris alba; corona oleaginea; juxta cubant ſimul lupus, & agnus. Adſtat & cornu copiæ omnigeno refertum fructu. Eſt pax tranquilla libertas, ſuámque ſortitur nomenclationem à pactione, & pactio à pango, quod eſt figo, quia beneficio pacis figitur, ac ſtabilitur tranquillitas Reipublicæ. Scitè Bapt. Mantuanus,

Pax plenum virtutis opus, pax ſumma laborum,
Pax belli exacti pretium eſt, pretiúmque pericli.
Sydera pace vigent, conſiſtunt terrea pace.
Nil placidum eſt ſine pace DEO, nec munus ad aram.

Dulce nomen pacis, ait Tullius *in Philip.* & ipſa res ſalutaris. Nam nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura chara habere poteſt, quem diſcordia, quem cædes civium, quem bellum civile delectat. Ovidius lib. 3. de Art. aſſerit, pacem propriam hominum.

Candida Pax homines; trux decet ira feras.

60. Salus Publica in numiſmate Hadriani dextrâ manu lancem, lævâ clavum tenet, orbem pede calcat. Pingitur verò ſpecie mulieris venuſtæ, ac decoræ, ſedentis in ſolio, paterámque tenentis, juxta quam ara, cui anguis caput attollens eſt involutus. Eſt ſerpens Æſculapio, ac ſaluti ſacer, eò quia innovetur quot annis pelle veteri depoſitâ, veluti ægroti morbo. Salus tanto fuit in honore habita apud Romanos, ut feriæ eſſent, quoties Salutem Deam nominarent. Fuit etiam Romæ Porta ſalutaris, eò quia Ædi ſalutis proxima, cujus ſimulacrum, fuit mulieris imago in Throno ſedentis, dextrâ tenentis pateram. Ara juxta eminebat, cui anguis circumvolutus caput attollebat. Celebratur ibi teſte Dione *lib.* 27. Salutis augurium renovatum ab Auguſto: & erat quoddam divinationis genus, quo quærebatur, num concederent ipſi dij, ut pacem poſtularet populus; quaſi nefas eſſet, eam priùs petere, quàm petendi poteſtas fieret. Aliquot dies deſtinabantur quot annis, quibus nullus exercitus ad bellum eſſet profectus, nulláque commiſſa pugna.

Silentium pingitur ſpecie invenis nudi pedis ambulantis ſummis pedum articulis, ne ullus audiatur ex motu ſtrepitus, ore velato, vel indice preſſo, veſte ſubobſcura, auribus depicta, & oculis. Romani, & Ægyptij ſilentij Deos, & Deas coluerunt teſte Plutarcho in Numa. Illi Angeronam. & Tacitam, cujus ſimulacrum, ore obligato, ac obſignato fuiſſe ferunt; & in Ara Volupiæ Deæ ideo collocatum; quia qui proprios ſuos angores, animique ſollicitudines taciti æquo animo ferebant, beneficio patientiæ ad maximam perveniebant voluptatem; hinc Angerona dicta ab angoribus ſuſque, deque ferendis. Refert Solinus, inter antiquiſſimas populi Romani religiones ſacellum coli Angeronæ, cui ſacra fiebant ante diem duodecimum Calendarum Januariarum, quæ Diva præſul ſilentij ipſius, preſſo, obſignatóque ore ſimulacrum habet. Additque Valerium Soranum neci datum ob meritum profanæ vocis quod contra interdictum Romæ nomen eloqui auſus fuiſſet, inde fortè fuit Angerona conſecrata, quæ preſſo ore omnibus ſilentij Religionem commendabat, quia ut verè Curtius *lib.* 2. agens de moribus Perſarum. *Linguâ gravius caſtigatur, quàm ullum probrum, nec magnam rem ſuſtineri poſſe credunt ab eo, cui tacere grave eſt.* Harpocrates apud Ægyptios DEUS ſilentij habitus eſt poſt Oſiridis mortem, ex Iſide natus, cui lentes, & legumina offerebant, Perſeámque ſacrabant arborem, eò quia ejus folia linguæ; fructus autem cordis figuram exhibeant. Fingebatur Harpocrates ſpecie puer, corpore nudo, Ægyptiaca mitra redimitus, in duas quaſi volucres deſinente apice; ſiniſtra cornu copiæ tenens, dextræ digito labria admoto, indicens ſilentium. 61.

Veritas Puella eſt ſpecie decora, & venuſta oculis nitens, ore ridens, fronte hilaris, totóque vultu jucunda, cujus veſtis candore certat cum lilijs; corona quâ vertex cingitur, folijs, maliſque Perſicis eminet intexta. Fuerunt apud Ægyptios folia adhæreſcentia Pomo Perſico hieroglyphicum veritatis, quia cum hæc folia linguæ ſpeciem exhibeant; & cordis ipſum pomum Perſicum; oſtendunt, linguam cordi conjunctam: veritas enim hac gaudet conformitate, ut talis ſit ſermo oris, qualis eſt ſenſus cordis; & non homo aliud ſentiat, & aliud proloquatur, quod eſt mentiri, ſeu contra mentem ire. Dextrâ manu tertium, ac perpolitum præfert ſpeculum, in quo ſe ipſam prolixius intuetur, ut ſpecies prototypo plenè reſpondeat; lævâ ſolis imaginem. Eſt quippe Sol veritatis hieroglyphicum, eò quia is unus, & ſolus eſt: duplicia enim veritati adverſantur; quia verum, eſt ſimplex. Juxta horologium pulvere fluens. Veritas enim vulgo dicitur temporis filia, ex Saturno nata, quia beneficio temporis inveniatur veritas, 62.

tas, quam in putei fundo delitescere censet Democritus. Est veritas virrutis mater, niveis induta vestibus, splendore conspicua, amœnitate comis, verecundè blanda; cujus tamen vis tanta est, ut contra omnium ingenia, calliditarem, solertiam, contráque fictas hominum insidias se defendat.

63. VICTORIA specie exprimitur viraginis armatæ, vulru hilari, sed pulverulento, manibus cruentata, pexo crine, nudo pede, strophio cincta, veste subtili, ac fluitante; dextrâ lauream coronam, lævâ palmam gerit; eminet in ejus vertice accipiter symbolum victoriæ, eò quia reliquas omnino volucres volatu antecellit. Palma itidem habetur victoriæ symbolum. Hinc Augustus palmam inter juncturas lapidum enatam ante suam domum in compluvium Deorum Penatum transtulit, curavirque, ut coalesceret. Palma sponte domi nata gloriam insignem, eandémque facilem significat: ea enim quæ magna facilitate, cuique contingunt domi nasci dicuntur. Quòd verò Palma perpetuum sit victoriæ symbolum testantur carmina Claudiani de laudibus Stiliconis

Cum totis exurgent ardua pennis
Ipsa Duci sacras victoria panderet ædes,
Et palma viridi gaudens, & amicta trophæis.

Hinc *palma præripere* per parœmiam idem est ac referre victoriam.

64. VICTORIA bellica delata ex campestri conflictu solet repræsentari specie viraginis essedo insidentis binis, vel quaternis ducto equis. Pingitur hæc Victoria alata, quò præpes notetur cursus, ut scitè Pacatus in Panegyrico Theodosij Augusti inquiens. *Rectè profectò Germana illa Pictorum, Poëtarúmque commenta Victoriam finxerunt pennatam, quòd hominum cum Fortuna euntium, non cursus est, sed volatus.* Alterâ manu corollam lauream præfert; alterâ palmæ ramum. Adsunt utrinque trophæa. Eunt ante currum depresso collo, subjectis cervicibus, subacto vûltu victi hostes frontibus famulari jugo conjunctis: succedunt agmina virorum, uno simul omnia loro devincta, & sonanti compede tristissima. VICTORIA NAVALIS in navis eminet prora, media inter trophæa, in quibus clavi, anchoræ, remi, navalem indicant victoriam, quæ laureâ redimitur corollâ, cujus vertici accipiter insidet, & ipsa palmæ prolixum ramum lævâ præfert, dextrâ nudatum gladium. In vexillo è puppis prolixâ hastâ fluitante; vel laciniæ ex Antemnæ vertice deorsum demissæ Inscriptio adjicitur deprompta ex Seneca Tragœdo Troad. Act. 2.

Noscere hoc primum decet,
Quid facere victor debeat, victus pati.

LIB.

LIBER V.

De Lapidaria Elocutione, & Eruditione: seu de Inscriptionibus, Elogiis, & Epitaphiis.

HActenus singula fusæ eloquentiæ genera, in quibus ars flexanima totas suas exerit vires, lustravimus. Superest expendenda Petrodicæa, seu lapidaria elocutio, cujus stylo, acuto, presso, florido, & acuminibus illuminato, triumphat laconismus. Quia si fusa orario Verborum redundantiâ, verbis utrinque ad ostentationem collectis Rhytmorum, circumscriptionúmque elaboratione illecebram præsefert; Lapidaria elocutio complectens inscriptiones, elogia, & epitaphia, omnésque illas compositiones, quæ leguntur in lapidibus scriptæ, vel sculptæ, verborum circuitus rejicit, & redundantem copiam fastidit, solísque delectatur nitoribus splendescere; & acuminibus, perinde ac gemmis auro insertis ornari: siquidem quot verba, tot pretiositates; quot sententiæ tot lumina; quot conceptus tot gemmæ. Quòd si hanc elocutionem pariaveris Xerxis arbori aureæ, lætæ, sublimi æquè florum amœnitate, ac fructuum copiâ ditescenti non tua te fallet opinio; utrumque enim comprehendit lapidaria elocutio flores, & fructus; acumina, & lumina. Huic displiceant rosæ, & balsama, cui non placet hæc elocutio, cujus verba selecta nonnisi nitores spargunt, quibus Petrodicæa plurimum habet aucupij.

EXPENSIO I.

De significatione, & nomine Inscriptionis.

1. HAud facilè erravit Chrysippus, cùm omne verbum ambiguum esse censuerit, seu aliqua circumvolutum æquivocatione; vera siquidem est ejus sententia, præsertim in hoc ipso, de quo nunc agimus vocabulo inscriptionis; plures enim circumfert significationes. Primò in Iure est libellus accusatorius super crimine ab aliquo commisso, quòd si accusans non probaverit ad talionem tenebitur *l. penult. Cod. de accus. l. 3. qui accus. poss.* illa accusationis subscriptio, quâ se talioni quis adstringit, nisi crimen dolosum probaverit, inscriptio dicitur. Secundò sumitur pro titulo, qui libris præfigitur, de quo eruditè *Plinius* in præfatione Historiarum. Tertiò inscriptiones dicebantur programmata, imò & etiam notæ turpes, quæ in fronte servorum nequam ignito sigillo inurebantur, quarum exempla passim legenti Plautum obviant; harum Inscriptionum meminit etiam Petronius in Satyricis, ubi describit notas turpes, quæ ad perpetuam infamiam reorum vultu imprimeban-

mebantur: qui mos etiamnum viget in aliquibus præsertim Italiæ Urbibus: eandem nomenclationem sortitæ sunt tabellæ illæ, quæ caussam supplicij significantes, vel reorum collo appendebantur, vel iisdem dum ducerentur ad supplicium, præferebantur, quarum meminit Rodulphus Fornerius *lib. 1. rer. quotid. cap. 13.* Quartò inscriptiones etiam dicebantur Tituli illi, qui cellis meretricijs inscribi consueverant expresso nomine meretricis, ac libidinis pretio, ut testatur Seneca *lib. 1. controvers. cap. 2.* Quintò inscriptiones juxta præsens, ac nostrum institutum, & de quibus in præsenti hunc teximus tractatum sunt Tituli, quibus aliquod opus laconicè exprimimus, vel quibus sacella, & templa Cœlitibus; vel statuas, & arcus triumphales alicui viro Principi, vel Victori dedicamus; quarum inscriptionum meminit Horatius Ode 24. lib. 3.

Si quæret: pater Urbium,
Inscribi statuis; indomitam audeat
Refrænare licentiam
Clarus postgenitis

Et lib. 4. Ode 8.

Non incisa notis marmora publicis,
Per quæ spiritus, & vita redit bonis
Post mortem Ducibus clarus indicant.

2. Hujusmodi inscriptiones prisci homines absque ullo exculræ eloquentiæ fuco simplices, ac nudas, nullis vestitas phaleris consueverunt apponere; & plerumque unico duntaxat verbo, quo subjectum innueretur; ut est illa inscriptio Martis apud Pausaniam in Atticis, ubi inscriptio est hæc sola vox *Enyalius*, seu Deus bellicus. Interdum constant inscriptiones duabus vocibus, ut illæ affixæ Romuli statuæ. *Urbis conditori*: vel *Quiritium Patri*, ut etiam hæc alia sculpta Herculis statuæ: *Orbis Domitori*. Ex pluribus etiam consuevisse verbis inscriptio fieri liquet ex Monosticho in Cyri Persarum Regis exarato monumento, quod refert Onesicritus apud Strabonem *lib. 15. Diograph.* estque *Conditus hic sum Cyrus Rex, Regúmque, Ducúmque.* Nonnunquam inscriptio unico comprehensa disticho lepidè jocatur, ut est illa Ausonij in Veneris statuam Epig. 32.

Orta salo, suscepta solo, patre edita cœlo.
Æneadum genitrix hic habito Alma Venus.

Habetur etiam hæc in Rufum Rhetorem Epig. 44.

Rhetoris hæc Rufi statua est: si saxea, Rufus
Cur id ait? semper saxeus ipse fuit.

3. Usus tamen jam dudum inolevit, ut inscriptiones fusiores sint; nec semper sonante compede incedant ligatæ; sed soluta oratione plenæ sint majestate, ac ingenua gaudeant libertate. Inscriptio ligata, sed majestatis plena est illa Homeri intexta ad consignandam Posteris memoriam Midæ Phrigiæ Regis: Latia interpretatione; ita sonat.

Æneas sum Virgo Regis monumentúque servo
Ipsa Midæ, dúmque unda fluet, dum sylva virebit,
Dúmque Oriens cœlo Phœbus, dum Luna micabit,

Hoc lugubri posita in tumulo per sæcula mærens
Admoneam, qui præterreant, Mida conditus hic est.

Inscriptiones solutæ, majestate decoræ, gravitate commendabiles fuerunt, quas prisca Romanorum gens suis dicavit Imperatoribus, vel alijs, quorum præclara nomina famæ posthumæ concredidit, adeout etiam nostris temporibus Cæsarum gesta præclara in æsis lapidibus legantur insculpta. In arcu triumphali Tito Imperatori erecto post subjugatam Judæam in montis Tarpei, seu Capitolini Clivi radicibus hanc legi inscriptionem, quam hic subjicio legendam. *Imperatori Tito Cæsari, Divi Vespasiani filio Vespasiano Augusto &c. Patri patriæ, Principi suo, senatus populúsque Romanus, quod præceptis Patris, consilijsque, & auspicijs, Gentem Judæorum domuit; & urbem Jerosolymam omnibus ante se Ducibus, Regibus, Gentibusque, aut frustra petitam, aut omnino intentatam delevit.* Hæc inscriptionis species ab Authoribus passim dicitur Titulus, Epigramma, elogium, memoria, monumentum, scriptura, scriptio, inscriptum. Nos verò ab Elogijs, & Epitaphijs distinguentes; Inscriptiones vocamus. 4.

EXPENSIO II.

Quale sit formale constitutivum Inscriptionum.

Est formale constitutivum, per quod res quælibet est id, quod est, & à quovis alio primò differt: hine dicimus *Inscriptionem esse orationem lapidariam exprimentem laconicè aliquod præclarè gestum, vel dignitatem alicujus viri illustris*: convenit hæc definitio æquè antiquis, ac recentioribus inscriptionibus, *oratio lapidaria* vicem gerit Generis, quo convenit inscriptio eum Elogijs, & Epitaphijs, quæ pariter sunt orationes lapidariæ, seu insculptæ lapidibus, vel inscriptæ tabulis: adduntur alia verba *exprimens laconicè gestum &c.* loco differentiæ, quâ differt ab Elogijs, & Epitaphijs; siquidem munus Elogiorum juxta præsens institutum non est solum exprimere gestum; sed argutiarum serie commendare idem gestum; ita ut præclarum gestum sit potiùs Thema elogij; & argutiæ sint materia, ex qua coalescit. Differt etiam ab Epitaphijs, quia hæc in sarcophagis, ac monumentis sculpi, ac incidi solent in commendationem defunctorum, vel ad indicandum locum, in quo humata jaceent humana corpora, vel ad mortem exprimendam, ut 1.

Sistite luctus, state fletus
N. N.
Vivens sibi par, moriens major se,
Nobiliori parte sui ereptus terris,
Cœlo donatus est; quia hic denatus:
Piè ita credimus, & fidem hanc animat
Summa defuncti pietas.
Mærorem quisquis ades, quisquis audis,
Depone,
Moriturus erat, nisi esset mortuus.

Nunc

Nunc ipsa morte vivit.
Jure mortis imperat,
Qui lubens mortis paruit juri.
Morte major est,
Qui vivens in aliena morte suam cogitat.
Felix mors, aut verè non mors.
Cùm qui moritur æternis immoratur,
Non morituris.

2. E converso exemplum inscriptionis exprimentis dignitatem, & illustre gestum simul, habetur in hac inscriptione Augusti Cæsaris post superata, ac victa Alpium juga. *Imperatori Cæsari Divi filio Augusto, Pontifici Maximo, Imperatori XIV. Tribunitiæ potestatis XVII. S. P. Q. R. quòd ejus ductu, auspicijsque gentes Alpinæ omnes, quæ à mari supero ad inferum pertinebant, sub Imperium populi Romani redactæ sunt.* Hæc est vera, ac perfecta inscriptio, quâ tantùm exprimuntur dignitates, & victoria Cæsaris. Fieret autem Elogium, si serie argutiarum commendaretur hæc Cæsaris victoria tali pacto.

Augusto Cæsari cæsa Alpium juga cesserunt.
Et innatæ sterilitatis oblita, fœcundam
Palmarum messem concesserunt.
Quia Cæsaris purpura Alpinas inter nives
Cæsorum sanguine rubuit, non erubuit.
Imò ut firmior staret Augusti gloria
Ceciderunt Alpini omnes,
Quos natura tot arcibus,
Quot montium jugis vallavit,
Tot clypeis texit,
Quot inaccessis rupibus protexit.
Cæteri sibi diffidant mortales:
Cum mortalium bellicosissimos defendere
Natura non potuit:
Discant superbæ mentes Augusto cedere;
Cui montes accidunt
Fabulam ne credas, Titanas à Jove cæsos
Cæsar fabulam in Historiam transtulit.
Hoc tantùm discrimine.
Quod Jupiter turres,
Augustus montes evertit,
Et altiores homines humiliavit,
Quò sublimiùs Cæsaris gloria eveheretur.
Quòd si turrim sydera minitantem
Non æquavit solo;
Superbis Alpium jugis juga imposuit.
Ut exteræ gentes ultrà colles, colla submittere
Romano discerent Imperio.
Quid contra Augustum stare poterit?
Si Alpes ipsæ ciciderunt?
Quid Augusto firmius?
Cui rupium firmitas cessit?
Opus erat, Romanas aquilas
In alpium jugis nidificâsse.
Volucres assuetæ altiùs volitare;
Mirari voluerant, si in hæc montium cacumina
Triumphis celebres non avolâssent.
Non Jovi tantùm, sed & Cæsari
Fulmina ministrant aquilæ,
Ut si Jupiter turres,
Augustus montes evertat
Jam mihi crede,
Divisum Imperium cum Jove Cæsar habet.

3. Id igitur interest discriminis inter Elogia, & inscriptiones, ac Epitaphia, quia hæc nonnisi circa funera versantur, dicitur enim Epitaphium, eò quòd humato jam corpore in sarcophago sculpi soleat: inscriptio verò laconicè tantùm exprimit dignitates, vel gestum viri illustris, vel causam dedicationis alicujus operis. Elogium est seriea argutiarum, quibus hoc idem illustre gestum commendatur, & scribi solet per clausulas laconicas, in quibus aliquid semper splendeat acuminis, & per lineas metricas.

EXPENSIO III.

De fine inscriptionum, & apud quos populos frequentiori fuerint in usu.

1. Gloriæ acquirendæ sitis, & immortalitatis cupiditas finem imposuit inscriptionibus, quibus initium daretur memoriæ posthumæ, quia mortalis vitæ pensum citò Libithina solvitur; saxa accersuntur in suppetias diuturnioris vitæ etiam post fata. Eriguntur marmorea sepulchra, ornata statuis, quæ mentiuntur vivere, commendaturæ posteris mortuorum illustriora gesta, ac eorum prædicaturæ virtutes: unde finis inscriptionum est gloria apud Posteros, quam omnes Gentes expetunt, & nulla propterea fuerit tam barbara, & inculta, quæ inscriptionibus non fuerit usa.

2. Assyriorum meminit Arianus *lib. 11. de reb. gest. Alexandri*, ubi Sardanapali Epitaphium recensetur. De Judæis vestigia satis certa apparent *Genes. cap. 28. & 35.* & *lib. 1. Reg. cap. 7.* & apud Josephum *lib. 7. antiq. Judaic.* de Titulo Absolonis. Tacitus *lib. 2 Annal.* asserit, Ægyptios usos fuisse hisce inscriptionibus, & loquens de Tito ait. *Mox visit veterem Thebarum magna vestigia; manebant structis molibus litteræ Ægyptiæ: priorem opulentiam complexæ.* & lib. 4. Annal. de Messenijs. *Contra Messenij veterem inter Herculis posteros divisionem Peleponesi protulére, suóque Regi Denthelitatem agrum, in quod delubrum, cessisse: monumentáque ejus rei sculpta saxis, & ære prisco manere.*

3. De Macedonibus testatur Cornelius in Pausania, & Alcibiade, ut etiam Arianus *lib. 1.* referens Titulum, quem Alexander præfixit trecentis armaturis Persicis, quas miserat Athenas dono Palladi, & *lib. 2.* narrans Alexandrum memoriam inscripsisse navi Tyriæ, quam Herculi sacravit. Persarum itidem meminit Arianus *lib. 4.* ubi Epitaphium Cyri Persicis litteris ejus sepulchro inscriptum apud Pasargados refert. Livius etiam Romanarum rerum compilator *lib. 8. decad. 3.* testatur Annibalem prope Junonis Laciniæ Templum æstatem egisse, ibique aram condidisse, ac dedicâsse, cum magnifica inscriptione ejus illustriora gesta exprimente litteris Punicis, & Græcis. De Syracusanis testatur Cicero *lib. 5. Tuscul.* ubi disertè describit hujusmodi institutum, & ait ad portas Syracusarum, quas

Agregianas dicebant maximam sepulchrorum frequentiam extitisse, & præsertim illud Archimedis, cùm sua inscriptione.

4. Romani verò supore totius universi Principes, qui potentiâ, & Imperiô exteras Gentes latè superârunt, eò gloriæ amore fuerunt inflammati, ut immanis illa statuarum *sylva*, quæ in urbis gremio sorgebat sculptis inscriptionibus loquax redderetur. Imò ita immortalitati, ac famæ Posthumæ consulverunt, ut nullos in urbe angulus fuerit, qui aliquâ solemni inscriptione Romanorum Cæsarum gesta non enarraret; neque Rumanis tantùm characteribus; sed etiam exteris, & Barbaris Titulos, ac illustria gesta insculpere saxis consueverunt ad Romani Imperij laxiùs prolatandam majestatem, & augendam gloriam; adeò ut nostris etiam temporibus adhuc quædam harum inscriptionum lypsana plerisque reperiantur in locis, censentúrque aureis Hesperidum fructibus pretiosiorea, quamvis ab immani prodeant saxea statuarum sylva, quæ tamen non sterilescit in lapide, nec suis destituitur fructibus hisce insignita inscriptionibus, quas tanti fecerunt Romani, ut extitimaverint, Nomothesiam illam amplissimam suis non fore numeris omnibus absolutam; nisi & leges aliquas etiam de inscriptionibus, quà publicis, quà privatis sanxissent. Papinianus *lib. 50. Pandectarum tit. 9. cap. 11.* ait: Legem fuisse, quâ operi publico nomen tantum Principis, aut ejus cujus pecunia opus factum esset inscribi liceret: & in molitionibus sacris minimè permittebantur opifices propria sculpere nomina. Cicero in Tuscul. quæst. *Opifices etiam post mortem nobilitari volunt, quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in Clypeo Minervæ, cùm inscribi non liceret.* Lex itidem extat, quâ nullis, qui liberaliter non necessitate coacti reditus suos, & proventus ad opera publica erigenda impenderent, prohiberetur fructum capere suæ munificentiæ de inscriptione sui nominis.

5. Exempla plurium inscriptionum publicatarum habentur apud Grutterum, si curiositati vis satisfacere, ipsum consule. Demum nemo potuit auferre vicino prospectum publicæ scripturæ, nec impedire, quin scripta, vel sculpta publicè legerentur, ut meminit Harmenopolus in Prochyro Juris lib. 2, tit. 4. & 62. *Tanto intervallo abesse oportet eum, qui ædificaturus sit, ut publicæ scripturæ prospectum vicino prærepturus, quanto quispiam, ex ibi descriptis, aut pictis historijs percelebre spectari possit, & ut si quis ipsam spectans picturam agnoscit, & ex suis ædibus depictos videt Achillem, Atacem, aut ejusmodi quempiam. Tunc enim potest eum prohibere, qui se velit hujus picturæ prospectu fraudare: Si verò neque eorum, quæ ibi descripta sunt quidquam notum est, ac celebre, neque quisquam eam videt Historiam, quàm ex ejus prospectu voluptatem capiat, quis ædificantem, prohibet?* Hæ omnes leges sanciæ erant pro publicis inscriptionibus. Circa privatas Honorius, & Theodosius Imperatores vetuerunt, ne privati homines Titulos patrimonijs suis, ac domibus adhiberent, ut liquet ex *lib. 2. Cod. tit. 16. cap. 1.* sed illustres viros suos potuisse fundos inscribere permittunt Honorius, & Arcadius *lib. 2. ejusdem Codic. tit. 14. cap. 1.* ubi sanxerunt, ne Tituli potentum inscriberentur alienis fundis ad terrendos illos, qui eos vendicare vellent. Varro itidem harum inscriptionum meminit in fine Præfationis ad Pinnium inquiens. *Cum enim villam haberes opere tectorio, & intestino, ac pavimentis nobilibus Lithostrotis spectandam parum putâsses esse, ni tuis quoque litteris exornati parietes essent.*

Inscriptiones consueverunt vel cudi ære, vel sculpi marmore, vel ligno: ait Plinius in panegyrico Traiani: *Quod ego Titulis omnibus speciosius reor, quando non trabibus, aut saxis nomen tuum, sed monumentis æternæ laudis inciditur*, & Horatius in Poëtica ait: *Leges incidere lignos* & Pomponius *lib. 1. Pandect. titulo 2. cap. 2.* habet: *Ut civitas fundaretur legibus, quas in tabulis eburneis conscriptas pro nostris composuerunt.* Consuevisse iidem Romanos marmoreis structuris præsertim sepulchralibus inscriptiones, & elogia sculpere constat ex Ausonio, qui cum antiqua Romæ lustraret monumenta; nec exesas inscriptiones valeret in ijsdem legere utpote temporis edacitate deletas, pulchrè cecinit. 6.

Miramur periisse homines, monumenta fatiscunt.
Mors etiam saxis, nominibúsque venit.

Insuper hoc quoque notandum, quòd olim Romani omnia scriberent ijs litterarum formis, quas hodie majusculas vocamus, neque ulla ferè essent inter singulas voces intervalla, sed punctis interjectis vocem à voce distinguerent tali pacto VIXIT. AD. DESIDERIUM. POPULI. PARUM. AD. RES. GESTAS. SATIS. AD. MEMORIAM. OPERUM. SEMPER. 7.

EXPENSIO IV.

De stylo Inscriptionum.

INscriptiones juxta nostrum institutum aliæ sunt brevissimæ, quæ in Urbium portis, publicis ædibus, Basilicis, Arcubus triumphalibus, Mausoleis, Obeliscis, statuis sculpi solent, & istæ omnem respuunt prolixitatem, verborúmque redundantiam, quia si prolixæ sint vitium contrahunt, & Lectorem nimium defatigant: debent tales esse, ut lapidibus insculptæ possint à Viatoribus commodè, quamvis obiter, legi, & tantùm pressis verbis rem totam explicent, cujusmodi est hæc Sulpitij inscriptio SENATUS POPULUSQUE ROMANUS SERVIO SULPITIO QUINTI FILIO LEMONIÆ RUFO. QUOD DIFFICILLIMO REIPUBLICÆ TEMPORE AUCTORITATEM SENATUS, SALUTEMQUE POPULI ROMANI VITÆ SUÆ PRÆPONENS; & IN LEGATIONE MORTEM OBIERIT VITÆ CONSENTANEAM; Aliæ sunt inscriptiones laxiores, ac productiores, quæ brevitate itidem gaudent, non orationis, sed styli; & acuminibus exigunt illuminari, sine quibus hic 1.

hit rara linea; tametsi unum ab alio non dependeat, perinde ac in oratione unum argumentum non est necesse dependeat ab alio, dummodo omnia ad unum collineent scopum. Acuminis nomine intelliguntur etiam argutiores sententiæ, lusúsque verborum rariores.

2. Stylum exigunt medium inter solutam orationem, & ligatam Poësim, quique vergat ad Jambici carminis sonum, salibus, tropis, allegorijs, æquivocis, oppositionibus, allusionibus, sententijs, argutijs, ac dicendi floribus, laconica comprehensis brevitate, ornetur. Respuit enim phrases oratorias, verborúmque sonantium circuitus, multiplices sermonis fibulas, non enim prolixas periodorum redundantias complectitur, nec regulas, ac leges carminum servat; sed exlex stylus pede libero currit medius inter ligatam, & solutam orationem, quia sicut delectatur libertate prosæ, ita gaudet brevitate carminum. Verùm licèt inscriptionum periodi serviles respuant compedes, nec ligari patiantur ut carmina, commensurari tamen debent strophis, & antistrophis lyricorum. Subjicio in exemplum sepulchralem inscriptionem, quam Romæ composui in commendationem Clementis Papæ IX. Acerbæ Libithinæ fato è vivis abrasi anno secundo sui Pontificatus.

Heu cæci cæcam Libithinam
Qui fingimus!
Vidit hæc Clementiam in solio regnantem,
Hanc evertit, ut humanitatis spem everteret.
Inexorabilem credite Parcam,
Quæ nec Clementiæ parcit.
Imò montium celsitudines in cineres proterit.
CLEMENS NONUS.
Puro Anagrammate, lege
EN MONS LUCENS.
Invida mors voluit diu septennis collibus
Octavum hunc superesse ad miraculorum coronidem.
Non obijt tamen, sed abijt
Terram satis excoluerat, à qua
Sentes, tribulos, vepres, dissidiorum
Avulsit, antequam hinc avelleretur:
Nam cognata Regum capita odijs dissidentia,
Fœdere junxit.
Et Galli ardores contra Aquilam excitatos,
In Turcas transtulit, ut Veneto Leoni
Vires adderet, ac flammas.
In ejus munificentiam
ROMA AMOR *fuit*
Hunc amorem, quò uberiùs aleret
Annonam laxavit, profudit.
Ut augeret, vectigalia minuit.
Sine tristitiæ tempestate, non obijt Clementiæ serenitas,
Cum præ tristitia nubili animi
Lachrymarum pluvias
Per oculos effuderint.

3. Propriè tamen hujusmodi inscriptiones prout distinguuntur ab Epitaphijs, non in parentalibus, pompisque funereis, sed in triumphis, Principum natalitijs, victorijs delatis, ac virorum illustrium ingressu in urbem aliquam exhiberi solent. Ut fuit inscriptio, quam Mediolanenses in honorem Eminentissimi Cardinalis Cæsaris Montis urbem illam ingredientis Arcui triumphali aureis characteribus scripserunt.

Assuevisti victorijs, assuesse & triumphis.
Cæsarem, & privatum esse non licet,
Ad primæ Romæ regimen
Per secundam ascende.
Ad te sublimia quæque referuntur,
Ut succrescant.
Eminentia Titulus est alijs,
Monti etiam natura.
Si virtuti præmia non respondent
Merentis gloriam crede,
Non temeritatem debentis.
Ingredere, & Insubriam hinc felicem crede.
Quòd iterum Cæsaris sedes sit.

Hæ inscriptiones sunt magis Encomiasticæ, plúsque habent salis, & aucupij, quàm quæ sine metricis lineis currunt graviores, témque heroicè, simúlque & laconice exprimunt: talis est illa Pauli V. Pontificis Maximi, quæ legitur Romæ in interiori facie Basilicæ Principis Apostolorum. PAULUS QUINTUS PONTIFEX MAXIMUS VATICANUM TEMPLUM A JULIO II. INCHOATUM; & USQUE AD GREGORIJ, AC CLEMENTIS SACELLA ASSIDUO CENTUM ANNORUM OPIFICIO PRODUCTUM, TANTÆ MOLIS ACCESSIONE, & UNIVERSUM CONSTANTINIANÆ BASILICÆ AMBITUM INCLUDENS CONFECIT. Triumphant in hac inscriptione non solùm sententiarum laconismus, sed & verborúm proprietates, simúlque ædificij structura ad amussim explicata. 4.

Plus etiam præsefert elegantiæ hæc alia inscriptio paucis verbis explicans munificentiam Urbani VIII. qui Tiberim redundantem, & è propria egressum sede, ac plura absorbentem ædificia pristino restituit alveo: URBANUS VIII. PONTIFEX MAXIMUS TIBERIM VIA PUBLICA EVERSA VETEREM REPETENTEM ALVEUM; NOVI EFFOSSIONE AD DEXTERAM DEBITUM AGGERIS OBJECTU, VALIDAQUE COMPAGE LIGNORUM, SUB PONTEM, QUEM DECLINABAT CONTINUIT ANNO SALUTIS M. DC. XXVIII. PONTIFICATUS SUI VI. Non potuit proprietas subjecti clarius, ac pressius exprimi: quia à Tiberis ponte Pontificis nomen suam trahit originem. Conceptus est itidem heroicus explicans regium illud flumen aureo pontificiæ liberalitatis fræno coercitum, & vi reductum sub pristini pontis pedem, quo premi dedignabatur. Voces itidem latia perspicuitate sine salebris fluunt. Præ cæteris tamen inscriptionibus palmam rapuit hæc alia ejusdem Pontificis Urbani VIII. quæ insculpta legitur Romæ in pronao Magni Fani sanctæ Mariæ Rotondæ, quod olim Pantheon vocabatur unicum Ethnicæ superstitionis superstes Mausoleum; quod de voraci temporis dente triumphaverit, cujus exteriora, ac interiora æra jam facta inutilia pondera, ac oriola, modò Apostolorum confessionem magnificè exornant, ubi in quatuor giganteas columnas æneas eriguntur; ac in tormenta bellica fusa urbium regiam tuentur: inscriptio est, quæ hîc subjicitur URBANUS VIII. PONTIFEX MAXIMUS, *Vetustas ænei lacunaris reliquias, in vaticanas columnas,*

lumnas, & bellica tormenta conflavit, ut decora inutilia, & ipsi propè famæ ignota, fierent in Vaticano Templo Apostolici sepulchri ornamenta: in Hadriana arce instrumenta publicæ securitatis anno M. DC. XXXII. nec credatur diminutum ornamentum hujus templi, quia si æneas amisit trabes onerantes potiùs, quàm ornantes; hanc acquisivit auream inscriptionem.

EXPENSIO V.

De Perfectionibus, ac vitijs Inscriptionum.

1\. STylus inscriptionum ita debet laconismo studere, ut tamen non sit otiosus, sed acer, velox, gravis, pressus verbis, sententijs redundans, & acuminibus nitidus: tametsi floridam illam, laxámque dicendi amœnitatem, lenique tractu, & æquabili tenore fluentem orationis ambitum declinet; non tamen acumina respuit, sed solum à fucis, ac calamistris abhorret puerilibus. Cæterum rem dilucidè narrat, exprimitque, ut oculis veluti subjiciat, videatúrque amnis absque salebris fluere tot veneribus perfusus, quot lineis, imò & verbis intextus, quibus suos oblectat Lectores, quos delicijs perfundit. Errant qui verborum novitate, ac periodorum insolentia in hoc dicendi genere juveniliter exultant, & ut videantur Ciceroniani verborum circuitus aucupantur. Periodi debent esse concisæ, & expeditæ, quæ nihil habeant obscuritatis, nihil prærupti, nec suspiciosi sermonis: affectatos titulos, tumida verba, adulationem redolentia rejiciunt, voces ob exilitatem ad plebeum sermonem vergentes excludunt, ut & superfluas phaleras; in hac enim facultate nimis jucunda fastidiosos animos satietate obruunt; & summæ voluptatis extrema tædium occupat. Exemplum periodi concisæ, ac perbrevis exhibet Porcius declamans contra Vestalem; *Sacerdos nostra adhuc in lupanari viveret ---- nisi hominem occidisset ---- inter barbaros, quid passa sit nescio; ---- quid potuerit scio ---- sacerdoti, ne purus quidem contigit Dominus ---- absint ex hoc foro Lenones ---- Absint meretrices ---- nequid parum sanctum occurrat, dum Sacerdos legitur ---- si nihil aliud ---- certe osculatus est te quisquis puram putabat ---- ò egregium pudicitiæ patrocinium! ---- militem occidi! ----*

2\. Rursus verba inscriptionum limpida debent esse, & ex puriori latio eruta; est error plurium recentiorum, qui existimantes elegantiores scribere inscriptiones, verba abstrusa, & antiquata, quæque frequentem usum fugiunt in Calepino, vel Amalthea Onomastica, alijsque lexicis perinde ac gemmas in prædivite Erythreo expiscantur. Quid ni? nonnisi abstrusam dixeris eorum eloquentiam, quæ nonnisi in abstrusis triumphat. Ideam perfectæ inscriptionis censeo illam Sulpitij. SENATUS POPULUSQUE ROMANUS SERVIO SULPITIO QUINTI FILIO LEMONIÆ RUFO, QUO DIFFICILLIMO REIPUBLICÆ TEMPORE AUTHORITATEM SENATUS, SALUTEMQUE POPULI ROMANI VITÆ SUÆ PRÆPONENS, & IN LEGATIONE MORTEM OBIERIT VITÆ CONSENTANEAM. Nulla in hac redundat Titulorum superfluitas, quam plerique affectant, nulla intruduntur verba abstrusa, & dissona, sed splendet expedita brevitas sermonis candorem exhibens.

Non huic pariaverim aliam inscriptionem sculptam Romæ in Arcu triumphali Constantini Magni post debellatum Maxentium. IMPERATORI CÆSARI FLAVIO CONSTANTINO MAXIMO, PIO, FELICI, AUGUSTO SENATUS, POPULUSQUE ROMANUS, QUOD INSTINCTU DIVINITATIS, MENTIS MAGNITUDINE CUM EXERCITU SUO TAM DE TYRANNO, QUAM DE TOTA EJUS FACTIONE UNO TEMPORE JUSTIS REMPUBLICAM ULTUS EST ARMIS: ARCUM TRIUMPHIS INSIGNEM DICAVIT. Tametsi hæc inscriptio magnifica videatur ob nobilitatem subjecti, vocalésque sonantes; & plurimum præseferat pulchritudinis propter nobilitatem objectorum; nihilominus redundat superfluitate affectata Titulorum, non ad necessitatem, sed ad ostentationem excedentis, vanique honoris: illa enim verba *Maximo, Pio, Felici*, vanitatem terminorum instrumentalium produnt: hæc alia *instinctu divinitatis, mentis magnitudine*: etiam superfluunt, ut hæc alia *cum exercitu suo*: rursus improprium esse videtur *de Tyranno Rempublicam ultus est justis armis*: quamvis justis armis ulcisci Rempublicam latia sit phrasis, & fortassis excerpta ab Ovidio in Apologo Minoia: *Antrogeique necem justis ulciscitur armis*: grammaticaliter tamen non perfectè dicitur, & præpositio *De* quando respicit offendentem, non offensam, non rectè resolvitur in sensum latinè usitatum. Demum fortassis meliùs dixisset *Dedicavit Arcum tropheis insignem*, quàm *triumphis*: tandem latine vox *jactio* vix usurpatur. 3.

Non tamen mirum si temporibus Constantini Magni latia perspicuitas à communi exulaverit idiomate, quia stylus tunc talis fuit, qualem ferrea bellorum sæcula extero milite labefactârunt. Homines Bellonæ non Palladis sectantes vestigia latinum idioma etiam in latio consortio exterarum gentium corruperant: hispidi siquidem id temporis fuerunt homines, quorum plures sub quærcu glandem eructarent, belluis, quàm hominibus similiores, idque causæ cur obstrepente in Latio ferreo illo sæculo, aurea defœcati Latij eloquentia defecerit. 4.

Plures recensentur latinæ linguæ ætates, quarum prima rudis, ac impollita adhuc fuit, & hujus ætatis scriptores recensentur Quintus Ennius. M. Pacuvius, Cajus Lucilius, M. Acius, Plautus, Terentius Afer, L. Afranius. 5.

Secunda ætas fuit aurea, ac defœcata à quavis impuritate, in qua floruerunt M. Tullius Cicero, Crispus Salustius. M. Varro, Lucretius. 6.

cretius, Livius, Virgilius, Tibullus, Propertius, Horatius Flaccus, Ovidius, Catulus, Curtius.

7. Tertia ætas fuit decolor, in qua scripserunt Valerius Maximus, uterque Seneca, Lucanus, Quintilianus, Martialis, Tacitus, Suetonius, Plinius uterque, Statius, Juvenalis.

8. Quarta ætas, quâ cœpit deflorescere, ac deficere fuit temporibus Constantini Magni, & hac ætate languidè, ac impurè scripserunt latio idiomate Authores.

9. Proposui tibi inscriptionem peccantem in superfluitate, ac vanitate Titulorum: modò aliam hîc tibi subjicio vitiosam ob vocum asperitatem, cujusmodi est inscriptio Titi Imperatoris post partam victoriam. IMPERATORI TITO CÆSARI DIVI VESPASIANI FILIO VESPASIANO AUGUSTO &c. PATRI PATRIÆ, PRINCIPI SUO S.P.Q.R. QUOD PRÆCEPTIS PATRIS, CONSILIJSQUE, ET AUSPICIJS GENTES JUDEORUM DOMUIT, ET URBEM HIEROSOLYMAM, OMNIBUS ANTE SE DUCIBUS, REGIBUS, GENTIBUSQUE, AUT FRUSTRA PETITAM, AUT OMNINO INTENTATAM DELEVIT. Hæc inscriptio ob geminatam octies vocalem *I* in ijs vocibus præceptis, Patris, consilijsque, & auspicijs redditur aspera, nec habet illam perfectam concinnitatem, quam exigit inscriptio, ut omnibus suis sit numeris absoluta: quod si inscriptio fuerit ligata metro evadit etiam aspera, & hiulca, si plures inciderit elisiones, ut in hoc disticho, in quo septendecim numerantur elisiones

Tu ille ipse es, quem ego amo intimo amore, iterum & me adama, oro:
Ad te ego anhelo; unde hæc nunc sunt metra hiulca adeo.

Malè enim cohærent hæc inepta carmina, nec ullo possunt oleo fluere; & auribus sunt absona.

10. Inscriptio perfectam servans concinnitatem vocum inter mille unica habetur Bononiæ, tam celebris, ac elegans, ut si non esset potiùs indissolubile ænigma, inter inscriptiones principem facilè occuparet locum: Inscriptio igitur sepulchralis multa complectens antithesa, estque, quam subjicio, qualem in agro Bononiensi legi.

Ælia, Lælia, Crispis,
Nec vir, nec mulier, nec Androgyna;
Nec puella, nec juvenis, nec anus,
Nec casta, nec meretrix, nec pudica,
Sed omnia.
Sublata nec fame, nec ferro, nec veneno,
Sed omnibus.
Nec cælo, nec aquis, nec terris,
Sed ubique jacet.
Lucius, Agatho, Priscus,
Nec maritus, nec Amator, nec necessarius,
Neque mœrens, neque gaudens, neque flens,
Hanc nec molem, nec pyramidem, nec sepulchrum;
Sed omnia,
Scit, & nescit, cui posuerit.
Hoc est sepulchrum, intus cadaver non habens,
Sed cadaver idem est, & sepulchrum sibi.

Ad hanc dilucidandam inscriptionem quam plura desudârunt ingenia, Marius Patavinus vir ad omnes elocutionis flores natus, verum sensum hujus inscriptionis conatus est enucleare, & *Aquam pluviam* interpretatus est. Tertius vero Brugensis: *Materiam primam*: Bernardus Gallus *Mercurium Chimicum*, Richardus Anglus *Niobem*, alij *mentis ideam*, si tamen bene perpendatur inscriptio hæc sepulchralis; *Amoris* Epitaphium esse facilè inveniemus. Amor seluti Ægyptius Protheus omnium rerum induit formas, licet semper informis, nec enim mas ille est, nec fœmina, neque homo, nec sapiens, nec fatuus, sed conglomeratus ex omnibus, quia in cunctis suas accendit tædas. 11.

Quapropter *amor* vocatur in ipso inscriptionis initio, *Ælia, Lælia Crispis*, quia in utroque sexu crescit, ac triumphat amor: sensus igitur est, Amor est in *Ælia, Lælia, Crispi* prima duo nomina à Poëtis tribuebantur fœminis meretriculis, in quibus magis æstuat amor, & Mart. *lib. 1. Epig. 19.* 12.

Si memini, fuerant tibi quatuor Ælia dentes,
Exspuit una duos Tussis, & una duos,

Lælia quoque meretrix erat; dicitur Crispis à Crispo crine, quia homines Crispo capillo sunt exteris molliores, ac magis amoris illecebris dediti, & Martial. *lib. 6. epig. 61.*

Crispulus iste, quis est, uxori semper adhæret.
Qui, Mariane, tuæ? Crispulus iste quis est?

Dicitur *nec vir, nec mulier, nec puella, nec juvenis, nec anus, nec casta, nec meretrix, nec pudica, sed omnia.* Quia amor nedum suas exercet vires in fœminis, & viris, sed in omnibus; dicitur *nec Androgyna*, quia ut loquitur Aristophanes apud Platonem in symposio; fabulantur Poëtarum commenta; tria extitisse in ipsis nascentis orbis cunabulis hominum genera, marem, fœminam, Androgyneum; id verò temporis non existere hoc tertium genus, quia cum superbia elatum, Deos se vellet æquare à Jove vibratis fulminibus suit everum. *Nec casta, nec meretrix, nec pudica, sed omnia:* quia duplex datur amor sincerus unus, impudicus alter; sincerus æstuat in castis, & pudicis; impudicus in meretriculis; subjungitur *sublata neque fame, neque ferro, neque veneno, sed omnibus*; quia Amasij non uno pereunt semper modo, sed varios sortiti sunt infelices exitus, alij fame, alij veneno, alij ferro periere, additur *nec Cælo, nec aquis, nec terris, sed ubique jacet.* Quia amor nedum reperitur in terra, sed per omnia elementa diffunditur, animantia enim amore æstuant: sequitur *Lucius, Agatho, Priscus*, quia hic juvenis erat, qui ob præstantem formam omnium amorem ad se se trahebat; sic amor omnia ad se trahit. Subjungitur. *Nec maritus, nec amator, nec necessarius, nec mœrens, nec gaudens, neque flens*; primò, quia maritus esse quis potest, & simul amore præpostero aliam adamare; secundò, quia varius est Amasij affectus, gaudet enim, dolet, timet, sperat, desperat, hinc veteres gemino armatum arcu amorem pinxerunt, ut uno lætitiæ, altero mœroris sagittas evibraret: subjungitur. *Hanc neque molem, neque pyramidem neque sepulchrum; sed omnia;*

quia

quie amor filiorum in parentes, vel uxorum in maritos defunctos varios construxit tumulos; sic Ægyptij giganteas erexêre Pyramides; Artemisia Mausoleum construxit. Clauditur tandem sepulchralis inscriptio *scit, & nescit, cui posuit*, quia Author hujus ænigmaticæ inscriptionis scit quidem se amori posuisse, sed nescit insuper quid sit amor, per tot antithesa, ac ænigmata explicatus, unde scit, & nescit, cui posuerit.

EXPENSIO VI.

De Stylo, quo recentiores inscriptiones texuntur, & subjiciuntur aliquot genethliacæ inscriptiones.

1\. PRisca elocutio, tametsi ob antiquitatem, venerabilis, concinnitatis tamen, ac elegantiæ veluti oblita, argutiarum sale suas condire inscriptiones neglexit, simplicitate magis, quàm phaleris delectata, stylo candido sine fuco gaudebat, ut liquet ex antiquis Romanorum inscriptionibus. Nostræ verò ætatis ingenia, quia amant inter flores excultæ, ac argutæ Palladis vernare ad lenocinium elocutionis sese suas condiunt inscriptiones, quas & acuminibus ornant, floribúsque vennstant. Non tamen inficias imus, floruisse etiam in ipsis nascentis eloquentiæ cunabulis ingenia politissime nata ad omnia Disciplinarum ornamenta. Viguit enim Demetrius Phalereus, cui ob grande eloquentiæ illicium, quot anni delabuntur dies, totidem fuerunt statuæ erectæ; quo diutiùs staret ejus gloria pollhumæ quamvis postea fortunæ turbine excussus, extorris in Ægypto aspide ad pectus admota diræ necis fatum subjerit, Floruit Theophrastus, cui nomen dedit loquendi quædam divinitas, cùm antea Tyrtamus vocaretur, hic in Aristotelis gymnasio educatus, ingenio acer, dulcis elocutionis fastigium attigit, omnique elegantiarum flore suas ornavit orationes. Claruit Demosthenes, qui inter Rhetores principatum assecutus Atticos flores sic excoluit, ut fructus legeret immortalitatis, seu gloriæ nunquam perituræ; hic nihil Lysiæ subtilitate cessit, nihil argutijs, & acumine Hyperidi, nihil lenitate, & splendore Verborum Æschini. Floruit Isocrates, seu sirenula illa blandula; is enim eloquentiæ lenocinijs didicit animos simul vincire, ac vincere, & licèt tibiarum fabri filios, scivit tamen majoribus canere fistulis ad summa eloquentiæ decora. Resplenduit grandis Homerus delicium Pindi, quem Musæ proprio educârunt in sinu. Illoxit Lysias vive quædam, ac spirans Mercurij imago. Verùm quamvis hi omnes visi sint fusa triumphâsse eloquentia, non tamen in scribendis argutis inscriptionibus propria exercuerunt ingenia.

2\. Duplex est inscriptionum genus simplex unum, alterum compositum: illud versatur circa laconicam narrationem plurium, vel etiam unius præclarè gesti, si inscriptio texatur in laudem alicujus viri Apollinea, vel Martia lauro illustris: hæc inscriptio est brevis, & gravis narratio, amátque stylum nitidum, atticum & grevem absque ulla verborum redundantia, & sine fuco. Exhibeo tibi inscriptionem, quam in commendationem composui Serenissimi Electoris Bavarici Maximiliani Emanuelis post occupatum Belgradum, seu Albam Græcam ex Hungaria Monachium reducis: Narro simpliciter modum, quo Savum Fluvium cum toto exercitu trajecerit, Turcarúmque copias trans Fluvium fugaverit, & Albam Græcam districto gladio occupaverit. *Maximilianus Emanuel S. R. J. Elector Bavaricus Albam Græcam expugnaturus, cum necessariam ducendis trans Fluvium militibus, pontis structuram, temporis angustiæ non permitterent; delusis militari stratagemate hostibus, qui ripas, insulámque muniverant; ratibus remo actis Savum trajicit, Turcarum copias fugat, Urbem obsidet, & districto gladio occupat die VI. Septembris anno M. DC. LXXXVIII.*

Inscriptio composita est, quæ componitur ex pluribus argutijs unà nexis, quæ tamen omnes allodant ad idem subjectum, in quod collineent. Hoc genus inscriptionum amat clausulas concisas, & sententias interruptas, debitis cum interpunctionibus. Stylum exigit medium solutam inter orationem, & ligatam Poësin, adeo ut stylus sit solutus, affinis tamen poëtico, & qui carmen Jambicum quodammodo videatur imitari, sitque elegans, nitidus, Atticus nullis Verborum redundantijs diffluens, licèt nonnunquam æquabili lenitate fusus, ac perfusus salibus, ornatus tropis, elegorijs, oppositionibus, æquivocis, allusionibus, ac sententijs maximè politicis, sitque propterea omnium florum amœnitate concinnus, omnique argutiarum fulgore conspicuus. Claritate etiam gaudet, cui unicè studet. Falluntur qui verba seligunt absoleta, & abstrusa, quæ perinde ac gemmulas inserunt inscriptionibus, censentes sublime, & acutum, quod revera obscurum est. Argutiæ tametsi sublimes, & acutæ à claritate nunquam abhorreant: stellas æmulantur, quæ licèt sublimes, eò tamen semper pulchriores, quò clariores. 3.

4\. Amant inscriptiones brevitatem, non orationis, sed sententiæ, & styli; acumen sine quo nulla debet linea excurrere: & quamvis argutiæ ita inserantur, ut una abalia non dependeet exigunt tamen unà necti opportunis transitionibus, ut coalescat unum totum harmonicum, quod non contingeret, si pertes simul beneficio transitionum non necterentur. Character igitur inscriptionum hisce temporibus non solùm brevitati studet, sed etiam argutiarum nitoribus emat splendere, ut rem clarè exprimat, & simúlque flore elocutionis alliciat: leges gravitatis servat, & simul inter virete amœnioris Parnassi jocatur. Rude exemplum subjectæ inscriptiones dabunt, quas composui in Genethliacis Festis Victoris Amedei Sabaudiæ Ducis

I. In-

I. Inscriptio.

Florente Paris oleâ Sabaudiæ in solo
Materna ex alvo caput extulit
VICTOR AMEDEUS
Omine Athleta, victorias præit nomine.
Oleum ne desit ad bellum,
Pacis ministrat olea
Non nisi victoriæ à *victore* Athleta sperentur.
Subalpinæ Regiones, & allobrogica juga
Huic triumphali nomini Bombardarum fragore
Plauserunt.
Post rigidam dissidiorum hyemem
Pluviásque cruentas, quas inflicta fuderunt vulnera
In signo Tauri Lucis datur usuræ,
Ut Lætitiæ floribus Taurinum oppleret.

II. Inscriptio.

Verni Tauri in signo orto principum soli
Ne sua deessent ad coronam sydera,
Niciensis Acropolis pensilibus flammis
Suos addit nitores,
Quibus omnem excutit mœroris caliginem,
Communisque lætitiæ accersit serenitatem.
Crederes Vulcanum, Ætnam in hanc arcem
Transtulisse.
Flammas eructat
Sui Principis illustrandis Genetliacis.
Splendet mons suis periturus ignibus,
Pyra sibi & pyrausta,
Citra tamen damna.
Lætitiæ flammis immori, non est mori
Sed ut Phœnix, è flammis illustriùs nasci.

III. Inscriptio.

VICTORI AMEDEO adoreas canant clariores
Flammeæ linguæ: & Vulcanus
Olim fulminum, nunc faber sit gaudiorum.
Bombardarum fragores publicæ plaudant lætitiæ.
Et serenitatis fiant præsagia
Quæ Martis procellæ fuerant terriculamenta.
Serena hac in malacia flammarum pluvijs
Irrigentur gaudiorum semina,
Quò in optatas crescant victoriarum messes.
Et ne morienti elemento desint alimenta,
Ministrate cives de cordis ardoribus suppetias.

IV. Inscriptio.

Ad victorias nascere VICTOR
Heroum heros, & hæres felicissime,
Sabaudicæ stirpis columen, & culmen.
Omnibus non tam clarus, quàm carus.
Jani foribus clausis,
Has triumphales Tibi aperit Urbs Niciensis
Ut Hercule fortunatior in cunis
Palmas disceres admovere ad palmas
Jo triumpha.
Alicubi si nasceris, ubique noscêris.

V. Inscriptio.

Coruscantibus pyris luceant compita
Festivis augeatur ignibus comunis lætitiæ dies.
Sabaudici stemmatis Sol terris illustrandis
Natus in signo tauri, floridúmque ver nactus,
Laurum æquè, ac oleam floribus coronat,
Ita Apollineam Arborem ad victorias
Excolet
Ut illam Minervæ culturâ
Non destituat.
Si Palladi adhæsurus ejus vernante oleâ
Nascitur,
Bellonæ triumphali coronabitur lauro,
Cujus victorias nomine præfert.
A Cotijs Alpibus, quibus imperat
Animi celsitudinem, pectoris firmitatem addiscet.
Albo signetur lapillo Genetliacus dies
Gaudium terræ peperit.

EXPENSIO VII.

De Inscriptionibus funereis pertinentibus ad exequias Principum, & Prænobilium.

Tibi proposui Genethliacas inscriptiones, 1.
subjiciam modò aliquot funereas, quas
composui anno millesimo sexcentesimo
septuagesimo nono Monachij in exequijs Serenissimi
Electoris FERDINANDI MARIÆ utriusque
Bavariæ, ac superioris Palatinatus Ducis,
Extremos honores pijs Manibus pientissimi Parentis
persolvi ad summum munificentiæ
splendorem in Electorali Templo RR. PP Clericorum
Regularium Theatinorum eum decrevisset
mœstissimus Filius MAXIMILIANUS EMMANUEL,
mihi demandatum fuit literarij apparatus
officium; & licèt me terruerint præ- 2
fixæ temporis angustiæ, debui nihilominus me
ipsum urgere, ac iterato jussui flectere, ac obtemperare.
Operis argumentum ex summis
decerpsi defuncti Principis virtutibus, quæ
uberrimam mihi exhibuerunt laudum segetem.
Has licèt impar Encomiastes soluta oratione,
seu funebri Panegyri priùs exhibui ad
Regulss, numerósque fusæ eloquentiæ. Dein
Inscriptionibus, Emblematis, heroicis symbolis,
elogijs, & carminibus singulas speciatim
virtutes iterum recensui, ac proprijs donavi
laudibus. Pleraque Emblematis adjeci parerga,
non ut præcepta ad unguem exequerer, quæ
pro symbolis hisce componendis servanda exhibeo;
sed dumtaxat ad elegantiorem ornatum,
& ut aliorum me genio accommodarem. 3
Lugubris Apparatus complectebatur totum
perampli templi ambitum à coronide infra testudinem
ad imum basis nigris obductum aulæis;
utrinque pensiles ex epistylijs tabulæ eleganti
depictæ penicillo symbolicè defuncti
Principis referebant virtutes additis Elogijs ad
columnarum bases descendentibus. Singula
templi intervalla suis ornata suspiciebantur
Emblematis, quæ ut loci capacitas permiserat
inscriptiones, vel solutæ, vel numeris adstrictæ
interpretabantur mediæ inter gentilitia Inclytæ
domus Bavaricæ stemmata. Mausolei moles
infernè quadrangula octo complectebatur
Virtutum simulacra lugentium instar Præficarum,
quæ præ nimio doloris sensu propria videbantur
insignia abjicere; singulis peculiare
respondebat lemma: è quatuor angulis totidem
veluti è caudice ad molis usqoe fastigium
arborescentia assurgabant candelabra crebris
succensa Funalibus in speciem decies repetitæ

coronæ. Pars molis superna, præter quatuor pyramides allurgentes, in fastigiis angulorum quadrati inferioris, figurâ erat octangulâ; & in octogonam, ac scansilem pyram fastigiatim acuminatam assurgebat: totáque moles innumeris radiata facibus in cereas liquescebat guttatim lacrymas; terrisque ereptum Principem plangebat. Quadripartita Mausolei facies infernè patenti secta hiatu sub concamerato fornice *Lectum doloris* exhibebat defuncti Electoris vestitum exuvijs. Totum literarium Apparatum unà cum Emblematis ære incisis quia accedente Imperio Serenissimi Electoris Filij, debui Typis dare, habes in meo opere in folio, cui Titulus est. *Monumentum Extremi Honoris, Perennis Virtutis, Pijs Manibus Serenissimi, ac Potentissimi Principis Ferdinandi Mariæ utriusque Bavariæ, ac superioris Palatinatus Ducis S.R J. Archidapiferi Electoris.* Præmittitur in hoc opere vera effigies Serenissimi Principis defuncti, cui subjicitur hoc tetrasticon alludens ad leones gentilitij stemmatis Bavarici, & ad pacem, quam Princeps Pacificus servavit sibi, & suis.

Cur non excubias vigiles egêre Leones,
Ne raperet Charum Mors inopina Ducem?
Nunc in pelle luant, quæ Belli tempore sicca,
Tota madet lacrymis, Patria mœsta tuis.

2. Cum igitur totum opus fuerit jampridem typis evulgatum aliquot tantùm ex eodem excerptas inscriptiones funcreas subjiciam; quarum prima paucis pressa verbis instar tituli externæ templi faciei affixa, funeriaque circumornata aulæis gemina inter mortis simulacra Viatores alloquebatur, quasi lugubri invitamento ad defuncti Principis accerseret Parentalia, Sicque legebatur.

Quisquis es Viator
Doloris Orchestram ingredere,
Lugentes Præficæ
Lacrymis impensiùs, quam voce
Te docent,
Etiam Principum Maximos
Ex-tempore fato cedere.

3. *Secunda inscriptio itidem per modum tituli Chori appensa coronidi infra testudinem gentilitijs ornata Bavaricæ Domûs insignibus ad Aram usque maximam indicabat mæstissimum Filium hæredem* MAXIMILIANUM EMMANUELEM *lugubri apparatu extremos honores defuncto* PATRI *persolvere*

FERDINANDO MARIÆ
Electori
Omnigêna virtute cœlitùs donato
In Christiani orbis ornamentum,
Principum specimen,
Inconcussum Pacis Propugnaculum,
Sedatis armorum motibus,
Quibus universa quassabatur Europa,
Terris erepto
Oleâ Funeris conregnaturo feliciori,
MAXIMILIANUS EMMANUEL
Elector, & Heres
Pientissimo Parenti Piissimè Parentat,
Ubi
ADELAIDIS conjugis quiescunt cineres.

Quos verus Amor conjunxerat
Mors ipsa non separat.

4. *Tertia inscriptio pendula è fastigio Aræ lateralis* D. CAJETANO *nuncupatæ innuebat* FERDINANDUM MARIAM ELECTOREM & HENRIETAM MARIAM ADELAIDEM *conjugem natam Regiam Sabaudiæ Principem ob datum ex voto* MAXIMILIANUM EMMANUELEM *Principem Electoralem Templum hoc posuisse æternum gratitudinis Monumentum.*

Principum Religiosissimus ita amore cœlites
Coluit, & more excoluit;
Ut sua flexerit in vota,
Diu concupitum inclytum Bavaricæ stirpis Hæredem
Quia parenti similem
Natura sola dare non poterat,
Unà cum HENRIETA M. ADELAIDE
Accito Thaumaturgo Cajetano
In subsidium tanti moliminis,
E cœlo statim retulit, quem terra distulit,
Nimirum homines Natura; sed Deus Heroas donat.
Cum prole suscepta dedisse Deum omnia,
Quia noverat gratissimus Princeps,
Regium quod vides, quod miraris Templum
Dei cultui erexit.
Prudens Negotiator peramplas cœlitibus domus condidit, & locavit,
Quæ proventus darent non perituros.

5. *Quarta inscriptio pensilis è summo vertice alterius Aræ lateralis sacræ Familiæ Servatoris Christi dicatæ pietatem indicabat, quam pientissimus princeps in Cœlites omnes eo, quo posset ferventiori affectu excoluerat. Præsertim in Deum supra omnia; cujus voluntati adeo adhæserat, ut propriam sibi fecerit, nec hilum à divinis deflexerit præceptis.*

Deo mancipatus pientissimus Princeps,
Ut pectus divino impleret amore,
Amorem sui à se procul expectoravit.
Affectus omnes ita superis agglutinavit,
Ut nihil haberet
In terris,
Quo averteretur à cœlo:
Solis imitatus radium
Cœnosos telluris tramites ita lustravit,
Ut nulla contracta labe illustrârit.
Nullis nisi in Deum illatis lædi potuit injurijs,
Nec alijs exhilarari honoribus,
Quàm cœlitibus collatis.
Pietati ita assuevit,
Ut virtutum inolitam consuetudinem
Alteram sibi constituens naturam
Cœlo magis, quàm terræ vixerit.
Hinc nobiliore parte sui terris sublatus,
Cœlitibus adsciscitur
Quos ad similitudinem usque oris, & moris
In terris expresserat.

6. *Quatuor quæ sequuntur inscriptiones cum suis symbolis, intercolumnaribus affixæ scaphis ad prospectum Tumuli millenis utrinque funalibus irradiantis alludebant ad parentale mausoleum. Hinc quinta inscriptio allusit ad funalia circa tumulum ardentia.*

Emblema exhibuit nocturnum cœlum, cujus syderum cohors decidua roris lacrymulis, quasi

quasi videretur solis occasum lugere; eique lugubri umbrarum obducta peplo parentare cum epigraphe. *Hac luce parentant*

Luceant Funalia lugeant,
Intimique mœroris lugubre dent argumentum.
Quòd si nimia præconcepti doloris acerbitas
Compressis præcordijs lamenta prohibet,
Saltem taciti amoris teneritudine
Cereas liquefeant in lacrymas.
Quæ mors inopina instituit spectacula
Siccis oculis spectanda non sunt.
Heu lugendum Fatum!
Vix pleno lumine meridiem attigerat vitæ
Sol iste *Serenissimus*
Et ex-tempore, quem dederat jucundissimum diem
Præmaturæ mortis clausit occasu.
Sic Fata vices hominum volvunt.
Delapso in occasum Boico sole luceant stellæ
Funereas inter Manium umbras
Et fundant, si non roseidas, cereas lacrymas.
Communis lætitiæ dies abijt,
Nox atra tristitiæ omnium oecupet corda.

7. *Sexta inscriptio allusit ad lectum doloris defuncti Principis Electoralibus insignibus ornatum intra concameratum Mausolei hiatum ubi flammigera surgebat moles. Emblema exhibuit humanam Calvariam cum Angue in spiras revoluto, craniòque insidente, qualem ex putrescente cadavere nasci tradunt cum Epigraphe* Humana Conoitio

Squalore obsitue, mœrore compressus
Lugeto quisquis es.
En, præmaturo Fato extinctue jacet,
Qui in miserijs jacentes erexerat.
Nitidissimus Principum splendor veluti fulgur,
Licèt nullo abstreperet Libithina tonitru
Præviæ ægritudinis,
Ferales abijt in Manium umbras,
Christiani orbis ornamentum
Suo Mors devenustavit pallore,
Et qui totus amore virtutis exarserat,
Exiles desiit in cineres.
Quæ circum doloris lectum ornamenta vides
Nobis abreptæ Virtutis superstites sunt exuviæ,
Quas pientissimus Princeps
Lugentibus concredidit Præficis,
Ne tibi incitamenta deessent Pietatis,
Quam cum in terris viveret
Ore docuit, more coluit,
Nudatus gladius bellum movit,
Sed in turgidas vitiorum phalanges.
Aurea quæ pendent calcaria,
Ad virtutum exercitia stimulârunt.

8. *Septima inscriptio allusit ad totam flammigeram molem non extinctæ, sed Terris abrepto Principi parentantem, & indicavit esse cælesti præmia donatum. Emblema exhibuit Coronam pendulam omni gemmarum ornatam genere, syderibusque circumfastigiatam cum Hemistichio.* Pretium non vile laborum

Quam vides molem
Pensilibus irradiatam flammis
Mausoleum crede,
Non extinctæ, sed nobis abreptæ Virtutis.
Ideo cohibe luctus, absterge lacrymas,
Plangenda non est mors,
Quam vita proba præcessit,
Licèt inopino Fato fuerit Princeps hinc dimissus,
Nihil inde amisit.
Quia Deo semper vixerat,
Principatum dimittere potuit,
Nunquam amittere.
Credas Æthneam molem hoc in funere
Novie Vulcanum excisasse ignibus,
Ut terris parentalia; cœlis triumphos cuderet,
In conos si eriguntur flammulæ
Receptæ jam gloriæ sunt monumenta,
Exurgentem molem si cingunt,
Defunctum Principem coronant.
Liquentia si lacrymantur funalia
Terræ obsequuntur mœroribus
Illuminare quisquis es ad has funereas faces,
Et ita vive
Ut moriens non te pœniteat vixisse

9. *Octava allusit ad simulacra virtutum, quæ circum basim Parentalis Mausolei doloris sensum vultu, gestùque significârunt, suumque cultorem, ac fautorem Principem Terris ereptum planxerunt. Emblema exhibuit Heliotropium florem solem insequentem Addita Hemistichio.* Nun inferiora sequutus

Lugubri atrati peplo
Funereis pullati manium umbris
Adeste Virtutum Chori.
Inexorabilis Parca, neque in ipso ætatis flore
Vestro pepercit cultori.
Unico pulsu
Vobis consonas fides omnes disrupit.
Dissonis nunc Citharis
Ad lugubres suspiriorum, luctuúmque notas
Querula promite modulamina,
Lamenta edite, lacrymas fundite
Tristi replete has Aras clangore.
Excipiat sinuosis cœlorum anfractibus Echo
Ferales ejulatos vestros,
Et repercussu pluries repetito pronuntiet,
Nuntiec virtutum omnium
Fautoris, & Cultoris Parentalia.
Heù fugacem terræ lætitiam!
Qui post cruentas bellorum pluvias
Pacis aceiverat
Serenitatem,
Ex-tempore Fato cessit.
Et quem Mars movere non valuit,
Rapuit Mors.
Hoc unum tamen illi est victoriæ
Quòd non inferiora sequutus
Superorum triumphis
Adsciscitur.

10. *Quatuor scuta fastigijs affixa quadripartiti hiatus, ubi infernè parentale Mausoleum Lectum doloris complectebatur totidem exhibuerunt inscriptiones cum coronis, quas olim Romani Virtuti præmia constituerant, addito unicuique earum lemmate alludenta ad defunctum Principem. A fronte, quà moles flammigera ad Aram maximam vergebat, Corona quernea suspiciebatur cum lemmate.* Civium Servatori. *Nana inscriptio*

Inserat Bavaria mœrens
Ferales Ferdinanoi Mariæ oleæ cupressus,
Desolatissimus lugeat Populus,
Non delapsum in terras Phaetontem,
Sed è terris sublatum Principum solem,

Hic ad felicitatis meridiem evectus,
Momento in occasum devenit,
Zodiacum ea cucurrit æquitate,
Ut à libra nunquam discesserit,
Sed qui collatis beneficijs nubilos serenavit animos,
Pluvias nunc ab oculis eliciat lacrymarum.

A dextra quà parentale Mausoleum Aram adspiciebat D. CAJETANO *sacram corona pendebat laurea cum verbis* SUI & EREBI TRIUMPHATORI. *Inscriptio Decima*

Heu quam rigidum Libithinæ gelu!
Non potuit Æstas Mortis hyemem coërcere.
Pluvij siunt oculi serenitate sepultâ,
Et qui alienas lacrymas exsiccavit vivus,
Excitet Mortuus.
Præficæ adsint Virtutes,
Ut, quæ regnârunt in vivo,
Lamententur in mortuo,
Si tamen mortuus est,
Quem Virtus cœlo peperit.
A prima ætate ita summis assuevit virtutibus,
Ut præter annos nil habuerit puerile,
Quia virtute claruit, infantia caruit, ac senio.
Mediâ gaudet Virtus sede,
Utrumque debuit vitæ respuere extremum.

12. *A læva quà moles ad Aram vergebat sacræ familiæ aderat corona aurea cum verbis* ÆTERNA FELICITATE DONATO. *Inscriptio undecima*

Ferdinandus è stirpe natus Regia
Regias nactus virtutes
Principem nunquam se credidit
Nec alijs præesse
Nisi cum se sibi subjiceret.
Nullius rei magis, quàm iræ dominus,
Cum placatum esse non posset sceleribus,
Adhuc mitis esse voluit cum sceleratis,
Ad veniam semper pronior, quàm ad pœnam.
Prodesse studuit omnibus, obesse nulli.
Labentes familias aureis fulcris sustinuit,
Mœrentium luctus profuso ære extinxit.
Omnes cumulavit beneficijs,
Etiam cœlites, quibus templa devovit,
Domos construxit.
Sed ululet parentalis dolor,
Crescit hinc luctûs materies
Cum prætmatura mors
Eum in ætatis flore decusserit,
A quo tot fructus in alios redundârunt.

13. *A facie, quà Parentalis moles inferiorem templi adspicit navim corona suspiciebatur oleis intexta: cum verbis* PUBLICÆ PACIS ASSERTORI. *Inscriptio Duodecima*

Commota Armorum fluctibus Europa
Per integrum septennium
Nonnisi fractas, ac cruentas est procellas passa,
Sola quieverunt Ferdinandi Mariæ arma,
Ad Pacem dumtaxat promovendam.
Non in pacis otijs otiosum credas Principem,
Totidem laboribus sacravit annos
Ut Armorum sedaret procellas,
Quot impendit Mars, ut excitaret,
Legatos Arcanorum conscios misit,
Admisit
In rebus agendis Prudentissimos,
Quos Orbis Oracula, & Cardines dicas,
Martis, an Jani Fores clauderet
Augusto similia semper fuit.

Inscriptio Tertia decima affixa coronidi interioris faciei templi ad majoris usque januæ hiatum pendula gemina inter mortis simulacra vibratu falcis resecantia sceptra, vexilla, diademata, stemmata gentilitia, bisce Hemistichijs OMNIA MORTI CEDUNT. OMNIBUS UNA. *Templum ingredientes, & egredientes ad luctus, & lacrymas concitavit. Ad Pietatem stimulos, & ad mundi contemptum addidit incitamenta.* 14.

Cubate Tumulis mœstissimi cives
Nubilo obsiti squalore pluvijs oculis
Extincto parentate *Serenissimo*,
Hunc
Intempestivus Turbo extemplò rapuit.
Licèt mortalitate exutus
Has inter Manium umbras
Exuvias deposuerit,
Non tamen credas
Nudum superos petijsse.
Virtutum ornatum totum secum detulit.
Heu insidas rerum humanarum vices!
Quem ferebatis in corde
Mors vestris eripuit ab oculis.
Ite nunc Magnarum rerum molitores
Magnis cogitationibus animum implete.
En Humana quæque
Pulvis, Umbra, Nihil.
Ubi nunc
Cæsarum, Regum, Ducum
Purpuræ, Diademata, Chlamydes?
Quos Fortuna erexerat, Fatum depressit,
Ubi æquant inæqualia Manca.
Cesserunt Libithinæ
Qui Bellonæ restiterunt.
Mortalitatis vestræ mementote qui scepta tractatis
Cæsares, Reges, Principes,
Ferdinandi Mariæ cinis memoriam juvat?

Inscriptio quarta decima legebatur pendula è superiori fornice minoris Januæ lateralis à dextra ex parte interiori. 15.

Ferdinandus Maria Princeps Pacificus
Gratiæ, & Naturæ donis cumulatus
Utrique plurimum debuit,
Hunc Gratia cœlo,
Natura Terræ desideraverat,
Illa in Cælitum Principem,
Hæc in Principum decus,
Neutri ne videretur defuisse,
Utrique satisfecit cum mortalitatis impatiens,
Naturæ Authori,
Quod à natura acceperat restituit.
Quid Natura conqueratur
Non habet,
Quia Authori suo
Nobiliorem dedit partem sui.
Quid lætetur Gratia, habet,
Quia Terris eripuit,
Quem cœlo noverat digniorem.
Verè Princeps in omnibus Pacificus,
Qui etiam dissidia Naturam inter & Gratiam
Composuit.

Inscri-

16. *Inscriptio quinta decima pendebat è superiori fastigio supra alteram minorem januam ex interiori parte.*

Magnum FERDINANDI MARIÆ Animum
Oleis coronemus, & Lauro.
Nec nobis detur culpæ,
Si Nænijs laurum inseramus,
Quæ epinicijs assueta,
Victorijs tantùm gaudet,
Ac triumphis copulari.
In hoc fraudulento cum morte conflictu
Nullam passus est jacturam
Ferdinandus Maria Princeps Pacificus;
Si corpore solutum dicis,
Liberior ad cœleste avolavit Capitolium.
Sine laureo ferto non erat hinc dimittendus
Princeps tot triumphis celebris,
Quot profligatis vitijs innocens,
Neque terris totum censeas ereptum.
Licèt Mortuus, non tamen omnis.
Potiores sui partes Libithinam vitârunt
Virtus, Nomen, Gloria,
Quibus inter mortales non moriturus vivet.
Multos inglorios oblivio obruit.
Hic posteritati clarus superstes erit.

Vitam, & virtutes serenissimi Principis FERDINANDI MARIÆ *habes emblematis ære incisis delineatas, ac elogijs, & carminibus explicatas in meo opere, cui Titulus est.* MONUMENTUM EXTREMI HONORIS PERENNIS VIRTUTIS PIIS MANIBUS FERDINANDI MARIÆ ERECTUM. cui præfigitur oratio funebris, quâ recenlui Principis defuncti virtutes, ac laudes.

17. Subjicio alias inscriptiones, quas composui anno 1693. in Funere Serenissimæ Margaritæ Estensis Guastallæ Ducissæ natæ Mutinæ anno 1619. ex Alphonso III. Mutinæ, Regij &c. Duce; & Isabella Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis filia; denatæ Mantuæ anno 1693.

Inscriptio prima affixa extimæ Templi faciei allusit ad nomen defunctæ Ducissæ pretiosum significans unionem. Quia verò inscriptiones, quibus commendantur Principes quamdam debent majestatem redolere; ita ijsdem sunt acumina inserenda, ut hæc gravitati non officiant; & fletus laudibus temperentur, quæ depromi debent à nobilitate sanguinis, avorum præclarè gestis, ab officijs, honoribus, statu, ac præsertim virtutibus, quas defunctus Princeps excoluit, à prudentia in regendo, à clementia in condonando, à liberalitate in pauperes, ab affectu in Deum, quæ singula stylum exigunt gravem, qui tamen acumina non respuat; sed majestatem acuminibus mistam amplectatur; Prima igitur Inscriptio fuit hæc.

I.

Amissam, qui *Margaritam* quæritis,
Atrata ad Manium orgia sine lucerna
Accurrite
Parentalis dolor lumina accendit.
Ne splendor umbris desit.
Adeo hujus gemmæ pretium creverat,
Ut cum non haberet terra,
quô illam emeret,
Cœlum ne illâ careret rapere maluit,
Quòd si mors ejus exuvias
Ferales has inter umbras occuluit
Manes locupletavit.

II.

Margarita
Ex *Alphonso III.* Mutinensi Duci, 18.
Et *Isabella* Allobrogica
Genus æquè, ac genium traxit
Nulla vacuum laude.
Ad solem originis suæ vix natale explorans,
Quos heroas referebat in avitis fulgoribus,
Iisdem virtute parem se fecit.
Rapitur excellens indoles in similitudinem suorum.
Mortalitatem, quam anno decimo nono
Decimi septimi sæculi Mutinæ induit,
Mantuæ exuit nonagesimo secundo,
Die Novembris decima.
Nimirum meritis, & ætate maturam
Autumnus cœlitibus dedit,
Hoc uno fructu
Suam abundè testatus fœcunditatem.

III.

Margaritæ infantiam 19.
Estensium Penatum inter splendores
Ne quæras;
Quas Deus fœminas heroinas mundo donat,
Decet puerilia nescire.
Prima vitæ rudimenta præter annos
Nil dederunt, quod imbecillitatem redolerets
Quia nihil exhibuerunt,
Quod supra infantiam, supra ætatem
Non fuerit.
Priùs matura, quàm ætatis flore adolesceret,
Virtutum culturâ pueritiam prævenit,
Quibus ab incunabolis ita assuevit,
Ut virtutes omnes
Alteram sibi constitueret naturam.
Non tamen minus integram ejus vitam credas,
Quia si infantiâ caruit,
Omnigena virtute claruit.

IV.

Margaritæ Estensis mores æquè, & amores 20.
Si perpenderet suspicax Pythagoreus
Metempsycosim diceret
Beatæ Margaritæ de Sabaudia.
Ambas gemmas propinquitas Allabrogici sanguinis
Nexoit, sed arctiùs Charitas.
Quàm bene colligantur vinculo nobilitatis,
Quæ nexu conlociantur sanctitatis.
Utramque mox adultam copulavit
Sacer Hymen
Sabaudam Theodoro Montis Ferrati Marchioni,
Estensem Ferrando Guastellæ Duci.
Sublato præmatura morte utriusque marito
Ambæ viduitatis squalorem
Virtutum culturâ, & nitore illustrârunt.
Illa in claustro, hæc in aula,
Age nunc Sacer amor, utramque gemmam in unam coge.
Ut Margaritam Sabaudam in Estensi
Estensem in Sabauda veneremur.

V.

Quam in hisce virtutum nundinis 21.
Omni pretio pretiosiorem *Margaritam*

 Nego-

Negotiatores exhibent Manes,
Venalem ne credas.
Quia emptorem terra non habuit,
Cœlo donata est.
Fidem astruunt ejus virtutes, quarum fastigia
Attigit præcoquâ morum felicitate,
Culturâ virtutum tria celsissima stemmata
Estense inclytum, regale Sabaudicum, & Gonzageum
Pacis oleâ, bellique palmâ insigne illustravit,
In hoc trino semper perfecta.
A Marito inconcussam animi firmitatem,
A Matre virtutum omnium honestamenta,
A Patre Seraphicum hausit Dei amorem.
Ex quo geniali rogo,
Vel moriens purpureus Phœnix
Emersit, æternùm ut vivat.
VI.
22. Pretium Margaritarum si ab innato solet candore
Censeri.
Quanta fuerit *Margaritæ Estensis* pretiositas
Ex eo conjice:
Candorem, quem cum lacte suxit,
Intemeratum ad thalamum, æquè ac tumulum
Detulit.
Nihil habuit terra cœnosi,
Quô liliatam ejus innocentiam fœdaret:
Nec ullis potuit injurijs lædi,
Nisi in Deum illatis.
Pretiosæ huic gemmæ cum primùm Mors inhiavit,
Consuetam oblita frugalitatem
Plebeios cœpit fastidire cibos,
Et ferculis assuescere Cleopatræ;
MARGARITAM etiam ipsa ut sorberet,
In pulverem contrivit.
Illi nos lacrymas propinemus,
Ut doloribus saginata pretiosa cesset appetere.
VII.
23. *Margarita* Decimi septimi sæculi decus
Nata anno nono supra decimum,
Denata nonagesimo tertio,
Æquè mortalis vitæ initium, ac finem
A novenario est numero auspicata.
Quòd si in ternario perfectio sistit
Quis inficias ibit, Principem fuisse
Ter Maximam, ter felicem, térque perfectam?
Ternarius ter ductus novenarium complec
Æquè nascens, ac moriens felegit
Numerum perfectionis, quem candidis moribus
Supputaret.
Ferreo sæviente sæculo vixit ipsa aurea.
A Margaritis non nisi pretiosa
Expectare poterat sæculum etiam ferreum.
Quod licèt bellorum licentiâ
Morum vulneret integritatem,
Et effuso fœdet errore:
Candorem tamen innocentiæ in Margaritis
Toleravit.
Quæ sequuntur inscriptiones paucis presse verbis locorum se accommodârunt angustijs
VIII.
24. *Margaritam*
E terrena, ad Cœlestem aulam
Non priùs cœlites vocârunt,
Quàm septuagesimum tertium expleverit annû,
Quem si Jubilæum dixeris,
Uterque numerus septenarius,
Et ternarius consentiet,
Ille sacer, hic perfectus.
Sacri septenarij cumulata donis
Ternarij perfectionem complevit.
Solemnem credas concessisse Deum
Morienti *Margaritæ* INDULGENTIAM
IX.
Alit religiosa Pietas 25.
Suos etiam in Principibus fœminis Phœnices,
Qui è Libithinæ Cineraria
Ad clarioris lucis nascuntur usuram.
Margaritæ Paterna religio cineres suppeditavit
Et Seraphicâ obstetricante flammâ,
Frigida è morte calorem hausit melioris vitæ.
Huc celer advola sacer Amor,
Tuas ne detrectes alas concredere
Huic Principum Fœminarum Phœnici,
Cum tuo è rogo novæ vitæ calorem hauserit,
Æquum est sursum avolet,
Immortalitate inter cœlites donanda
X.
Fundant pluvij oculi lacrymas, 26.
Quas parentalis dolor sitit.
Huic Libithina, ut propinaret,
Autumnum expectavit,
Vindemiam elicitura lacrymarum,
Non è conculcata vite,
Sed ex recisa vita Parcarum forficibus.
Hisce tamen humoribus non contentus dolor
Sitim extinguere, quam accenderat,
Temulentus insanit, ac ebrius furit.
Non quia lacrymas admisit,
Sed quia Margaritam amisit.
XI.
Aulas Principum si pelago confers, 27.
Fluctuantes inde procellas infers,
Unà cum zephiris adblandientibus, volvuntur,
& Euri,
Quibus fluctus ita fluunt, ut refluant.
Et licèt Aulam ita Margarita composuerit
Ut citra naufragij discrimina quisque eam trajiceret,
Quia tamen extrema tranquillitas
Extremam dicitur procellam minari;
Subortus Libithinæ turbo malaciam extempló
quassavit.
Et allisa *Margarita* ad sepulchri scopulum
Naufragium fuisset passa,
Nisi anteactæ vitæ meritis vecta
Æternæ quietis portum appulisset.
XII.
Margaritæ historiam emblematis delineatam 28.
Si cupis,
Asbestinum pinge olympium veluti stadium
Nactum in pyra: adde lemma
Uritur, non comburitur.
Arethusam salsos æquoris fluctus trajicientem
hac Epigraphe
Dulcorem servat in undis.
Radium à sole in cœnosam demissum tellurem
Adjecto Hemistichio
Labem non contrahit ullam.
Innocentiæ siquidem candorem
Per singulas fluentis vitæ periodos
Incon-

Incontaminatum servavit.
XIII.
30. *Margaritam* summæ, quas excoluit, virtutes,
Meritis summè maturam
Dignum cœlitibus fructum stitêre.
Autumnum evadere vix poterat
Quin tanta maturitas caderet, aut decerperetur.
Hunc fructum, quem sibi Cœlites selegerant
Mors clandestinis rapuit insidijs.
Siquidem non aperta manu ausa est eum aggredi.
Sed ne evaderet, clanculò invasit.
Non tamen credas,
Fato cessisse, quamvis audias decessisse.
Viribus tantùm, non animo cedens,
Fatum nobiliore parte sui vicit.
XIV.
31. Apoplexia prehensum
Si quem Veteres viderent, sideratum siebant,
Quasi sidere ictus cecidisset.
Non ultrix mors,
Sed felix sors *Margaritæ* obtigit,
Cum apoplexia eam tetigit;
Sidera ipsa in terras ceciderunt,
Ut in cœlum, quò vocabatur, raperent.
Quia in terris cœlo semper vixerat;
Æquum erat, ut sidera Præficarū munus obirent
Cum Margarita obijt,
XV.
Initijs suis affines sunt fines.
32. *Margaritæ* historia,
Quia ad culturam cœlestium virtutum
In feraci solæ tellure omnes stimulavit
Exemplo fortiùs, quàm voce,
Parænetica fuit oratio.
Ut finis responderet initio,
Esse debuit mors siderata peroratio.
Cohibe luctus, absterge lacrymas,
Qui Margaritæ illacrimaris apoplexiâ sublatæ,
Adscitam crede cœlitibus,
Quam sidera ipsa rapuerunt,
XVI.
Procul hinc lugentes Præficæ
Silentium epicedio injungatur.
Morienti Margaritæ Mors jactura non fuit,
Sed Triumphus.
Assueta se ipsam vincere
Cum viveret, etiam moriens
Victrices palmas non ferales cupressos
Decerpsit.
Quòd mori potuerit, conditio fuit naturæ,
Quòd ita fuerit mortua, ut æternùm viveret,
Laus est virtutis,
Quam singulari excoluit studio.
Mors, quam virtus præcessit, gloriā fœneratur
Vitæ nunquam perituræ.
XVII.
Lugubre induite peplum
33. Consoni virtutum Chori
Mors invida vestram disturbavit harmoniam,
Cum Margaritam deturbavit.
Mœrore confecti castro accubate doloris,
Quæ vobis fuit argumentum gaudij,
Occasio nunc sit luctûs.
Organa vestra in salicibus suspendite,
In medio fluminis lacrymarum:
Tibiæ vestræ suo viduatæ flamine
In squalore neglectæ jaceant.
Citharas vestras abjicite
Mors unico pulsu consonas fides disrupit.
Vel dissonis citharis ad lugubres suspiriorum notas
Querula depromite lamenta.
Æquum est, ut quæ pluries vivens
Coegit ad gaudia,
Semel mortua adigat ad lacrymas.
XVIII.
Nostram Libithina serenitatem arripuit,
Rapiat, & gaudia 34.
Nubes tristitiæ cor occupent nostrum,
Et pluvias lacrymarum ab oculis fundant.
Ulciscamur fletibus, quam in *Margarita*
Habuimus lætitiam.
Id à nobis exposcit *Anna Isabella* Filia,
Quæ Artemisiam æmulata defunctæ Matri
Clariori parentat Mausoleo.
Avara doloris, suis non contenta lacrymis
Exigit alienas,
Has fundamus, ut parentalis dolor liniatur,
Non ut mors plangatur *Margaritæ*.
Lugenda non est mors, quā vita bona præcessit,
Nil mali egit, nisi quòd nobis mortua est
XIX
Prægrandem *Margaritæ* animam
Lauro coronemus, & auro. 35.
Hoc refulsit cum labentes pauperum familias
Suffulsit.
Illâ coronari meruit, cum post fata
Gloriam promeruit.
Cecidit per quam virtutes steterunt.
Extinctum tamen non credas
Principum Fœminarum splendorem,
Si ferales abijt in umbras.
Ad occasum vergit Manium aucto nitore exoriturus,
Quæ amore virtutis tota exarserat
In cineres debuit desinere.
Hoc tamen lacrymas abstergat,
Quòd mors Præfica simul & Pronuba,
E suo cinerario calorem excitaverit
Clarioris ineundæ vitæ.
XX.
Ad statuam Prudentiæ
Prudentia 36.
Nescia fallere, nec assueta falli,
Ex præteritis futura prospiciens
Quæ caveat,
Humanos, qui Margaritæ obtigerunt, eventus
Ita rexit, ut ad Deum direxerit.
Excultæ virtutis flores, quia in fructus
Feliciter creverant,
Declinare Autumnum non poterant,
Quin cœlo maturi caderent in terris.
Prudens semper consilium se temporum vicissitudini
Accommodare.
Præficam nunc agat Prudentia
Et amissam lugeat sui Promotricem.
XXI. 73.
Ad eamdem Statuam
Si Prudentia animas servat
De salute *Margaritæ* noli anceps hærere.
Singulas accivit virtutes,
Qui-

Quibus ad superos viam sibi sterneret.
Pietati assueta
Ejus insitam consuetudinem,
Alteram sibi constituerat naturam.
Deum ubique reverita præsentem,
Ad singulos ejus nutus ita se flexit,
Ut ab ipso nunquam deflexerit.
Credamus nunc Cœlitibus adscitã, quos scimus
Ad similitudinem oris, & moris expressisse.

38. XXII.

Ad statuam Patientiæ

In regno Patientiæ nil feliciùs coronat,
Quàm spina eum cruciat,
Quæ si inflicto vulnere corpus lacerat,
Animi integritatem non lædit, sed auget.
Margarita
Hujus virtutis munita clypeo supra fœminam
Adversantis Fortunæ tonitrua, & fulmina,
Quibus sexies præmatura mors
Masculam prolem
Prostravit
Æquanimiter sustinuit,
Dicere assueta
Scit Deus, quod fecit
Sed si quod fecerit in extincta prole scit Deus.
Scit etiam, fecitque Deus,
Ut morientis matris sit dies,
Quam fecit Dominus.

39. XXIII.

Ad eamdem Statuam

Rosas vepribus defœcatas
Quia terra non exhibet,
Margarita sentes, & dumos perinde ac flores
Amavit.
Ac mellificium collegit in spinis.
Quæ iracundiæ erant alijs irritamenta
Occasiones ipsi fuerunt charitatis.
Fortunæ vitiatos humores
Ut corrigeret,
Panaceam adhibuit patientiam,
Morum culturæ ita studuit,
Ut amputatis passionum surculis
Hæc fuerit illi summa voluptas
Omni carere voluptate.

40. XXIV.

Ad Statuam Justitiæ

Margaritæ nil magis cordi fuit
Quàm ad justitiam erudire omnes.
In sui emblematis cruce
Quam virga, & baculus decussatim
Expresserant
Stateram appenderat,
Quâ jus Principis ad Pietatis examen
Libraret.
Cum jus suum omnibus tribuisset,
Tribuit etiam morti.
Huic funeri præfica mox adsit Justitia,
Æquum est ut lamentetur in mortua,
Quæ regnavit in Principe cum viveret.

XXV

41. *Ad eamdem*

Justitia lance, & gladio inclyta
Hoc vitiis pœnas tribuit
Illâ virtutibus præmia distribuit,
Securius imperat, qui lictorum securibus
Nefarios subjicit,
Parata Principum non sunt tegimina
Nisi multis pœnis flagitia opetentur,
Margarita tamen Justitiæ rigiditatem
Clementiæ lenitate
Temperavit.
Hinc licet flagitia oderit, adhuc in flagitiosos
Mitis videri maluit,
Ut exhibita dulcedine ad studia allicerentur
Virtutum.
Sed quia nata ad justitiam
Denata ad normam Justitiæ fuit

XXVI.

Ad statuam Clementiæ 42.

Nullum magis decet Clementia,
Quàm Principem.
Hanc cum lacte Margarita suxit,
Cum ipsa adolevit, & senuit,
Licèt alijs semper indulserit, nunquam sibi.
Sed qui vestro pepercit sanguini,
Æquum est ut lacrimis non parcatis.
Luctum gratitudo indicit,
Hac lege, ut in lacrymis non timeatur excessus.
Sed quòm cæci sumus,
Cæcam qui fingimus Libithinam;
Vidit hæc Clementiam in terris regnantem,
Et evertit, ut spem totam humanitatis
Everteret.
Credamus nunc Parcas
Verè nemini parcere,
Quæ nec Clementiæ pepercerunt.

XXVII.

Ad eamdem 43.

Quæ Pauperum lacrymas siccavit è solio
Divitum genas humectet è tumulo.
Margarita
Adeo mitis in aula fuit,
Ut cum ipsa regnâsse clementiam dicas;
Paucorum supplicio utilis fuit
Omnibus.
Flagitia non minus perosa, ac supplicia,
Iniquorum pœnitentiam maluit,
Quàm mulctam.
Hac arte fractos malo genio animos
Integritati restituit.
Nocentes reconciliavit Innocentiæ.
Hoc unum tamen inhumanum fecit,
Quòd humanitate depositâ defecit.

XXVIII.

Ad statuam Fortitudinis 44.

Quod sibi olim attribuit Roma
Suum fecit MARGARITA,
Agere & pati fortia.
Adversa quæque
Serena mente inconcusso pectore
Ita risit, ut ei arrisisse credas.
Mors ipsa
Quasi loricatam ejus timuisset fortitudinem,
Non est ausa eam uno ictu prosternere;
Sed per plura adversa pluries aggressa est.
Cui tamen nunquam cessit.
Quia si decessit;
Ipsa propinante morte
Hausit immortalitatem,
Quâ credimus in cœlis donatam

XXIX.

Ad eamdem 45.

Enerves animas odisse

Virtus

Virtus solet.
Si fortes jure censentur,
Qui inconcussa firmitate obsistunt adversis,
Margarita
Singulare fortitudinis dedit specimen.
Cùm mors invida
Ferali repetito ictu in ejus prolem
Sævijt.
Et ex ordine sex mares
Totidem Principum flores
Sua falce præmessuit,
Totámque spem masculam
Præcidit.
Adeo fortiter divino adhæsit placito,
Ut pluries refossum vulnus,
Nec semel videretur sensisse.
Sexies suos mirata in occasu soles
Integram datura hebdomadem
Et actura ipsa Sabbatum.
Requievit in pace
XXX.

46. *Ad statuam Liberalitatis*
Date lacrymas Margaritæ mortuæ,
Qui viventi obsequia debuistis.
Et quæ ob susceptâ beneficia contraxistis debita
Solvite fletu, delete planctu.
Licèt ære alieno gravati non sitis.
Fuistis tamen alienæ Margaritæ
Locupletati divitijs, perfusi splendoribus.
Lugeant igitur oculi amissam lucem.
Dolcántque sibi objici argumenta luctuum,
Unde semper fluxerant incrementa gaudiorum.
Sagax Mercatrix Empyreum emptura
Totum pretium egenis concredit.
Cumque omnis durâsset,
Deo ipsa donata est.
Deo fœnerat, qui egenos munificat.
XXXI.

47. *Ad eamdem statuam*
Pulcherrima ea est liberalitas,
Quæ quàm efficaciter juvat,
Tam amanter omnia silentio premit.
Talis fuit Margaritæ virtus.
Manu & lingua pauperes allexit.
Suaviùs tamen manu, quàm linguâ:
Quia graviùs profuso ære, collatis beneficijs
Pressit, quos inopia oppressit.
Ad mœrentium solatium cœlitùs terræ data
Alienam indigentiam
Materna supplevit charitate.
Quàm bene intellexit super egenum, & pauperem,
Cum fuerit sic opitulata egeno, & pauperi,
Lugere nunc pauperes Principem mortuam
Quæ cum viveret vestras exsiccavit
Lacrymas, hilaravit manus.
XXXI.

48. *Ad statuam Temperantiæ*
Ad extremum usque senium,
Et Deum finem ultimum
Temperantia *Margaritam* perduxit,
Cui lex solus Deus fuit
Modestiâ felicitatem, frugalitate copiam
Temperavit.
Lautitiem lectissimis ferculis irritatam
Pluries Tantali pœnâ mulctavit,

Sic vivere edocta
Adversam Fortunam elusit,
Secundam delusit.
Nec prosperis elata nec adversis depressa
De utraque triumphavit.
Miscuit Deus utramque
Dedit liberos, & eripuit,
Dedit gaudia, & abstulit
Æquè demptis, & additis
Nunquam recessit ab æquilibrio.
XXXIII.

Ad eamdem 49.
Delicatissimo *Margaritæ* palato
Adeo suaves virtutum epulæ obtigerant,
Ut quæ mundus in suis delicijs fercula
Exhibet
Vel fastidierit, vel levissimis tantùm labijs
Citra noxæ suspicionem libaverit.
In aula perinde, ac ostreo pretiosa *Margarita*
Cœlesti assueta rori
Terrena quæque visa est fastidire.
Rerum sanè exemplum! Principem egit,
Et munus perfecti Mystæ peregit,
Cum ludicras quæque victimas
Vera mactavit Religione.
Ne injurius sis *Margaritæ*, cohibe luctus,
Nullum supervenit præcox fatum.
Cœlo enim matura cecidit in Autumno
XXXIV.

Ad statuam Modestiæ
Margarita licet solem induerit Principatûs in solio, 50.
Maluit tamen sine splendore latere.
Modestia adeo illi arrisit, ut fastum omnem
riserit.
Sciens Margaritas,
Nobiles concharum fœtus,
Quibus fausto omine alludebat nomine,
In sinu matris conchæ
Tamdiu tutas esse, quamdiu tectas,
Hinc virtutum thesauros, quibus ditescebat
Pro viribus semper occuluit,
Melior esse mallens, quàm videri,
Vidit tamen Libithina
Pretiosam hanc Margaritam,
Et clanculò ingruente nocte clepsit.
Quòd si hoc uno furto terram depauperavit,
Cœlum locupletavit.
XXXV.

In eamdem 51.
Margarita
Eò fuit laude dignior
Quò ab omni laude semper abhorruit.
Modestiâ
Virtutes, quarum fastigium attigerat
Tegere maluit,
Quàm laudes ijsdem aucupari,
Sydera tamen diaisses in tenebris clariora,
Quòd si quæras,
Quid commune cum astris habueris
Margarita?
Potuisse, & in umbris splendere,
Et simul occumbere,
Sed hic occasus ascensus etiam fuit.
Adeste virtutum cultores
Ut quæ vos pluries coëgit vivens ad gaudia,

Mortua cogat semel ad lacrymas

XXXVI.

Ad castrum doloris

52. Nostræ lætitiæ dies abijt
Cum *Margarita* obijt.
Æquum est, ut exortæ hac in mole
Stellarum myriades
Funereas inter Manium umbras
Nostræ lucis parentent occasui.
Nox atra tristitiæ
Omnium corda dolore comprimat,
Et si non roris, saltem lacrymarum
Eliciat ab oculis imbres

XXXVII.

53. In extrema lucta
Non sine periculo Principes ludunt,
Cum mors æmula colludit.
Æquè huic vincere certum,
Ac illis vinci,
Sed vinci lucrum fuit
Margaritæ
Cui victricem palmam dedit
Victoria perdita

XXXVIII.

Labimur omnes,
54. Quia sicut aquæ dilabimur.
Non tamen lapsam *Margaritam* credamus,
Fluxis mundi gaudijs
Nunquam hæsit,
Quia Deo semper adhæsit.
Sic vivens Deo innixa
Moriens cadere non poterat.
Felices, qui sic stant, ut morientes,
Non cadant

XXXIX.

Sors, & Mors
55. Cum æquè *Margaritam* versarent,
Vertere potuerunt, non evertere.
Quam symbolo crucem
Prætulit
Ex virga, & baculo unà decussatis
Ejus prægrandi animo in solatium cessit
Etiam cum hinc decessit,
Hinc non mirum si se solemni pompa lugeri
Prohibuerit, cui solatium fuit mori.
Lacrymas tamen quas modestia siccare voluit,
Amor excitavit uberiores,
Nitimur semper in vetitum; etiam in dolorem.

Cenotaphium aliquot exhibuit sententias
56. funebres excerptas ex sacra scriptura, quibus instar inscriptionum additæ fuerunt paucula alia verba defunctæ alludentia Ducissæ.

I. ex cant. 5. v. 2.

Ego dormio, & cor meum vigilat
Ergo non est mortua
Margarita,
Sed dormit
Requiescat in pace.

II. 2. ad Corinth. 4. v. 12.

Ergo Mors in nobis operatur?
Non diffiteor:
Sed in *Margarita*
Extimum tantùm corporis pulverem
Excussit
Ut solam munditiem deferret
Ad regias Agni dapes

III. Isaiæ 38.

Quæsivi residuum annorum meorum
Et inveni
Quia ad annos æternos perveni.
Ut fabula, sic vita,
Non quàm diù,
Sed quàm bene acta sit
Interest

IV. Deuter. 30.

Proposueram vobis vitam, & mortem.
Utramque elegit *Margarita*,
Bonam in terris mortem
Beatam in cœlis vitam
Felices, qui sic moriuntur;
Quia mori, nasci est.

Mausolæum quatuor ornârunt statuæ, 57
quarum cuilibet ex adverso cornu respondebat osseum mortis simulacrum. Prima statua Religionis fuit bajulantis crocem, & pleraque vasa sacra. Ejus basis candidam exhibuit columbam ramum oleæ deferentem ore, & sursum avolantem in cœlum addito hemistichio *Cœlum post fata tenebit.*

Infra statuam distichon alludens ad eamdem

Sarcina cum soleat nobis onerosa videri.
Sola tamen Christi sarcina corda levat

In adverso latere mors insignibus ornata 58
Ducalibus terræ globum altero pede calcabat, manúque ossea clausum ostreum tenebat, quod altera manu indigitabat. In basi ardens rogus ex mortuorum constructus ossibus, Phœnicem sursum avolantem repræsentavit cum lemmate *Mihi mori lucrum.*

Margaris ecce tuos carpit Libithina triumphos;
Seu vincas, seu non: sunt tua lucra mori.

Secunda statua fuit Fidei, in cujus basi 59
splenduit Sol cum epigraphe *omnibus idem:* quia fides perinde ac Sol, debet una ac eadem omnibus esse.

Ad sacram tumuli torquerem lumina molem,
Et tristis flerem; ni daret astra Fides.

In cornu adverso mors ossea, stans, ma 60
nu dextrâ tenens, quo nitebatur ostreum, seu conchyle conterere. In basi Adamas malleatus cum lemmate *Non timet ictum*

Quamtumvis ferro laceres, atque ense cruentes.
Nil timet adversi Margaris; astra petit.

Tertia statua simulacrum fuit Spei, cujus 61
basis retulit solem occiduum sereno sub horizonte cum epigraphe *Obit omine fausto.*

Non jacet in tumulo, nec mœstis cingitur umbris,
In qua spes nunquam visa jacere fuit.

In altero cornu simulacrum mortis osseis 62
digitis, sphœricum candidum, crassúmque unionem ex filo pendulum tenet. In ejus basi idem unio vi aceti dissolvitur in cratere Crystallino cum verbis. *Cupio dissolvi.*

Falleris hanc credens gemmam mutâsse colorem
Nil rapuit mors: ergo invariata manet.

Quarta statua simulacrum exhibuit cha 63
ritatis. In basi Pelicanus Avis Ægyptia rostro pectus diseerpit suum, ut effuso ex inde sanguine alimoniam pullis suppeditet; hac epigraphe *Sic prodesse juvabit*

Mortis inundarent totam suspiria terram.
Si non solvisset nubila verus amor.

In

64. In cornu altero mors ossea dissolutam in Crystallino cratere Margaritam nobilem gemmam epotat. In basi cervus trajiciens fluvium cum verbis. *Torrentem pertransivit anima nostra*

Mors sibi Pincerna est, hoc vitro regna propinat.
Instruit hæc mensam, sunt Ducis ossa dapes.

65. Aliæ duodecim in Cenotaphio assurgebant statuæ eo ordine, ut sex simulacra referrent virtutum, quas Margarita excoluit; aliæ alternatim mortem, ac singulis proprium responderet lemma.

66. Prima Mortem exhibuit osseam dextrâ manu frustum tenentem magnetis, quo plures ferreos annulos licèt solutos, ac sejunctos ad se traheret instar pendulæ catenulæ; quatenus unus anulus virtute magnetica imbutus alium trahit, & hic vicissim alium: lemma fuit. *Et nos sequemur*: quia omnes trahimur, cogimúrque successivè mori.

67. Secunda retulit Contemplationem globo innixam terraqueo sideribus redimitam, cœlúmque suspicientem addito hemistichio *Siderea hæc ducit ad arces.*

68. Tertia Mortem stantem, osseísque digitis pulsantem citharam, hac Epigraphe *Respondet dissona cunctis.*

69. Quarta, Patientiam proprijs distinctam instrumentis cum lemmate *Olim meminisse juvabit.*

70. Quinta, Mortem conculcantem promiscuè sceptra, diademata, purpuras, ligones, togas, cum verbis *Omnia conterit una.*

71. Sexta. Constantiam suis ornatam charactéribus. *Multa tulit, fecitque.*

72. Septima. Mortem osseam deatero brachio prælongam hastam æquilibrantem, cujus unum extremum diadema ducale; alterum calvariam præponderantem sustineret addito lemmate. *Quod premit, hoc erigit.*

73. Octava Pietatem suis ornatam instrumentis cum verbis. *Nunquam stygias fertur ad umbras.*

74. Nona Mortem osseam circino describentem peramplum circulum, addito hemistichio. *Uno complectitur omnia puncto.*

75. Decima Obedientiam cum verbis *Deo parère libertas est.*

76. Undecima mortem osseam utraque manu rumpentem ad genu arundines, & sceptra simul colligata cum lemmate. *Sic frangimur omnes.*

77. Duodecima Fidelitatem proprijs ornatam instrumentis cum verbis. *Hac itur ad superos.*

78. Singula templi intervalla suis ornata symbolis, & emblematis suspiciebantur, ne ulla pars vacua foret laude; aut quæ humanam non loqueretur conditionem. Aliquot hic subjiciam symbola, quæ exhibent aquilas, petuntur à stemmate Gonzageo; quæ verò lilia ab Esthensi: æquè aquilæ, & lilia defunctam retulerunt Ducissam ratione patris, & mariti. Primum igitur symbolum funereum fuit Aquila ab imo cujusdam vallis sursum pleno volatu conscendens cum lemmate *Quò vocor.* 2. corona varijs intexta lilijs addito hemistichio *Incontaminatis fulget honoribus.* 3. Aquila supra tenuem nubem volitans *Et hæc alta petit.* 4. Plura lilia germinantia prope ossuariam *Post fata superfunt.* 5. Aquila quæ conglomeratas atrasque nubes ingressa disparet *Dum condor assurgo* 6. Lilia plura in exculta areola *Nec fictos produnt ista colores* 7. Aquila è terra sursum conscendens *Sprevit humum fugiente pennâ* 8. Lilium unicum calvariæ innixum. *Quàm bene semper olet?* 9. Aquila nubes fulgurantes ac fulmina deorsum emittentes pervolans *Fit via vi.* 10. Lilium vento agitatum, ac depressum *Flector non frangor.* 11. Aquilæ pullus Aquilam prægrandem ad solem sequitur *Claro de Patre propago* 12. Lilium pluribus agitatum ventis *Stat certantibus Euris* 13. Aquila prope solem eauens plumas deorsum delabentes. *Hæc damna juvant* 14. Lilium delabente grandine concussum *Dum riget viget* 15. Aquila sursum solem versus volitans, quam pulli sequuntur. *Exempla trahunt* 16. Lilium surgens ex vepreto *Purius exit.* 17. Aquila nubem ingrediens fulguribus coruscam *Amat victoria curas* 18. Lilia pleraque spinas inter efflorescentia *cingimur hoste.* 19. Aquila è terris sursum conscendens ad meridianum solem *Rectâ sursum* 20. Lilia plura in aureo vase *Bonorum bona societas* 21. Aquila cœlum conscendens, secúmque deferens auream coronam *Mea regna manebunt* 22. Lilium prostratum super auream mensam *Mors non mutarit honorem.* 23. Aquila palmarum insidens alboti *Jam victoria pandit* 24. Lilium surgens, ac eminens inter violas, narcisos, hiacintos, & tulipas *Celsum despicit ima* 25. Aquila ducens suos pullos per atras nubes *Ire per invia signat.* 26. Lilium in perampla areola plurima inter papavera efflorescens *Albo crede colori* 27. Aquila sursum deferens tria diademata ducalia Mutinense, Guastallense, ac Mantuanum *In fœdera terna* 28. Lilium emergens ab eadem radice, à qua fuerat aliud præcisum *Vici mea fata superstes.* 29. Aquila albas penetrans nubes *Secat æthera pennis* 30. Lilium florescens inter plures alios flores *Unum præfero cunctis* 31. Aquila arbori innitens oleæ *Hæc mihi tuta quies* 32. Lilium spinis circumseptum. *Domine probasti me* 33. Aquila quiescens in præalti montis cacumine prope Palladis instrumenta. *Præsidium & dulce Decus.* 34. Lilium recisum & adhuc è caudice pendulum. *Post fata resurgam* 35. Aquila penetrans nubes atras, è quibus fulmina ruunt *Invia virtuti nulla est via* 36. Lilia plura efflorescentia in perampla areola *Nullâ discunt pallescere culpâ* 37. Aquila Draconem agrediens *Vincit vim virtus* 38. Plura Lilia in aureo vase *Olent avulsa diu* 39. Aquila è terris solem intuens *Deo auspice surgam.* 40. Lilia plura unà nexa. ac humi prostrata *Impediunt nec regna mori* 41. Aquila sursum conscendens licèt fulmina obsient, ac pluviæ. *Sic itur ad astra* 42. Lilium fractum, in caudice ac in humum pendens *Rarò sine vulnere virtus* 43. Aquila humi prostrata, & languens defixis in solem oculis *Præstantior animus* 44. Lilium unicum in eleganti areola *Cælesti semine natum* 45. Aquila prope solem, quem intuetur *Fortes constantia prodit.* 46. Lilium spinas inter, & saxa efflorescens *Per angusta augustius* 47. Aquila fugientes insequens serpentes *Nocentia fugat*

fugat 48. Lilium cepas inter & allia germinans *Hinc auget odorem* 49. Aquila è summo editissimi montis cacumine sursum volitans *Non inferiora sequor* 50. Lilium in Crystallino vase oppleto aqua *Decerptum servat odorem.* 51. Aquila, quæ unà cum suis pullis solem intuetur *Ex luce genus* 52. Lilium prope fontem efflorescens *Non alibi melius* 53. Aquila celeri volatu densas, atrásque nubes penetrans *obstantia nubila vincam* 54. Lilium apes alliciens, trahénsque; & scarabeos fugans *Abigitque, trahitque* 55. Aquila prope solem, quem intuetur *Purgor non uror.* 56. Lilium cæterna inter flores *Dat pretium candor* 57. Aquila saxum ungue deferens ad nidum *Duris gaudent fortes* 58. Lilium florescens in arescente campo *Nec gelu, nec æstu* 59. Aquila è conflagrante Mausolæo in cœlum avolans *Claret post funera virtus* 60. Lilium solari perfusum radio *Juvat hac clarescere luce* 61. Aquila è rupe excisa, & obscura exiens, & sursum solem versus avolans. *Nunquam stygias fertur ad umbras* 62. Lilium in vitreo vase aqua pleno *Nec decerptum languet* 63. Aquila quæ sursum ascendens deorsum unam demittit ex majoribus plumis. *Ut serviat historiæ.* 64. Lilium in exculto horto pluvijs madidum, prope quod ruant fulmina *Candor illæsus* 65. Aquila ungue in cœlum deferens coronam lilijs intextam, ac rosis, & duas alias Ducales Estensem, & Gonzageam relinquens in terris *Prævalet una duabus.* 66. Lilium adhuc virescens, & emergens è sua radice *Adhuc in stipite regnat.*

79. Symbola parentalia desumpta ex varijs rebus alludentibus ad brevitatem humanæ vitæ, ac vanitatem rerum fluxarum 67. cadaver equi generosi *Ante honori, mox horrori* 68. Papilio lumen circumvolans lucernæ, alásque adurens *spes præclara fefellit* 69. Decidua ex frugifera arbore folia *Aura spirante cadunt.* 70. Platanus præcelsa ingentem projiciens umbram: *Nil præter umbram* 71. Nubes vento agitata *Mox resoluta evanescit* 72. Ignis ingens extinctus *Cinis est quod ante micabat.* 73. Sol eclipsim patiens *spectatur cùm deficit* 74. Fax antea accensa, mox extincta fumum emittit. *Fumus & umbra sumus* 75. Pyramis in fastigio desinens in unicum lapidem: *Lapis omnis clauditur uno* 78. cithara disruptis fidibus jacens *Ruptis perit omnis gratia chordis.* 77. Ignis cinere obductus *Sepultus vivit* 78. Horologij rotæ, quæ licèt diverso oppositóque motu volvantur, adhuc omnes ad eumdem finem diriguntur. *Metam properamus ad unam* 79. Bulla in mari sæviente procella *Et brevis, & levis* 80. Horologium solare *Ultima qualis erit?*

EXPENSIO VIII.

De Inscriptionibus Arcuum triumphalium in Principum victorijs, & nuptijs.

Solent etiam argutæ, ac venustæ inscriptiones ad excitandam in populo lætitiam exhiberi in delatis victorijs, cum Principes è bello in patriam reduces communi gestientia populi recipiuntur plausu; ut etiam in eorumdem nuptijs. Moris siquidem est, quo in honorem principum erigantur à subditis arcus triumphis illustres, pegmata, & aliæ id genus molitiones, quæ inscriptionibus, emblematis, alijsque symbolis ornantur. Fiunt tunc inscriptiones vel soluta, vel ligata oratione; metro, vel prosa, & continent plausum aliquem, vel faustum omen de Neo-sponsis, additúrque apprecatio Patriæ, & subditorum: hæc omnia tibi subministrat opus, quod in lucem edidi Monachij anno 1685. cui Titulus est *Ingressus Martio-Nuptialis Maximiliani Emmanuelis post deletas campestri conflictu Turcarum copias, occupatúmque Vivarium ex Hungaria Monachium reducis cum lectissima sponsa Maria Antonia Archiduce Austriæ Leopoldi I. Imperatoris filia* Quæ tunc composui ut publica contestarer Bavariæ gaudia in recipiendis solemni pompa serenissimis Electoralibus sponsis comprehenduntur in illo opere in folio, Triumphalium molitiones Arcuum, Pegmatum structuræ, symbolicæ eruditionis ornatus, lucernatúmque nocturni lusus æquè auspicatissimas nuptias, ac res præclarissimè in bello gestas allusionum ludicris, & inscriptionibus quà solutis, quà ligatis commendarunt. Præmittitur in hoc opere Historica narratio triennalis belli, quod à soluta Viennensi obsidione Maximilianus Emmanuel in Hungaria gessit contra Turcas. 1.

Quæ igitur à Serenissimo Electore in propulsandis, delendisque Turcarum copijs fuerunt strenuè acta, eâ pegmatum, arcuúmque molitiones exhibuerunt picturæ elegantiâ, vel symbolorum ludicris, aut epigrammatis acumine, ut omnibus fuerint oblectamento. Morem triumphalium erigendorum arcuum ob res clarè in bello gestas, partásque victorias viguisse apud priscos homines bellica virtute insignes, ex ijs deprehenditur arcubus, quos triumphatoribus erexit olim Roma, quæ non aliter strenuos suos, ac victores Duces è bello in urbem reduces recipere consueverat, quàm excitatis marmorearum molitionum structuris, quæ delatas de deletis hostibus victorias, résque in bello fortiter gestas lapidibus sculptas posteritati enarrarent. 2.

Arcuum in honorem Romuli, & Camilli extructorum monumenta Priscorum meminerunt. Extant adhuc Romæ ad radices capitolini clivi Titi, Vespasiani, Septimij Severi, & Constantini Magni Augustorum Arcus triumphis celebres marmorei, eleganti cælatura, artéque politissimâ sculptos exhibentes pugnatas pugnas, hostium clades, delatas victorias, 3.

& in-

& introitus in urbem triumphales. Arcûs substructi in perennem commendationem Germanici meminit Martialis Epigram. 65.

Stat sacer edomitis Gentibus Arcus ovans,
Hæc est digna tuis Germanice Porta triumphis,
Hos aditus urbem Martis habere decet.

5. Primam igitur triumphalem molem in perampla urbis platea vulgò de valle non procul à porta, quâ ad Isaram fluvium proximiùs patet accessus, cives proprio sumptu excitârunt ad elegantiorem rei Architectonicæ structuram. Ab imo solo in quadrilateram assurgebat figuram; supernè flexu multiplici fastigiata erat, cujus culmen nobili famæ inflantis tubam claudebatur simulacro; pendulum è toba sericum hemistichium Virgilianum exhibuit *Arma virúmque cano.* scilicet delatas ex cæsis Turcarum copijs victorias. Læva manu virescentem gessit lauri ramum addito lemmate *Reginam virtutem clamo.* ceu bellicam fortitudinem, quâ Serenissimus Elector Turcarum, Scytharumque profligavit Legiones. Infra simulacrum Famæ prægrandis tabula exhibuit ambos Serenissimos Electorales sponsos eleganti pictura delineatos, aperto insidentes essedo quaternis ducto leonibus; quos præjuêre explicatis alarum remigijs Genij duo præludentes circa nivenm veluti baltheum cum lemmate *Junxit amor.* Interjectum inferius spatium usque ad concameratum curruli hiatûs fastigium dodrantalibus obsignatam Characteribus hanc continebat inscriptionem *Serenissimos conjuges Maximilianum Emmanuelem & Mariam Antoniam Teresiam exacto Viennæ Hymenæo; devictisque Turcis urbem ingredientes his votis publicis, votis æternis, unà cum summo omnium ordinum jubilo salutant cives Monacenses M. DC. LXXXV.* Internè columnatum vales, ac porticus teretes prominentiæ tenellis plantulis, vernantibus floribus elegantissimè pictæ gracissimam redeuntis veris referebant juventam, aureæ veluti obstetricantem ætati.

6. In anteriori molis fronte columnarum interstitia opimas devicti hostis Turcici exuvias utrinque pendulas complectebantur, additis inscriptionibus Turcico charactere, obtestantibus bellicam virtutem Maximiliani Emmanuelis; hisce duo imminebant phrenoschemata, quorum primum exhibuit solem è matutino jam emersum horizonte addito lemmate *Dedit ille diem.* Alterum Lunam ad occasum vergentem cum epigraphe *Dabit ista quietem.* Sol Maximilianum Emmanuelem, Luna Serenissimam sponsam symbolicè exhibuerunt.

7. Pars posterior hujus arcûs consimilis fuit anteriori architectonica diagraphice; ornatu verò dissimilis. Supremo molis fastigio Mars hærebat galeatus campestri pulvere generosè sordescens, trophæis utrinque stipatus, dextrâ hastam quatiebat, lævâ jacentium armorum struem arripiebat addita inscriptione

Inclyta progenies Fortunatissime ductor
Bojugenum, implesti magnis virtutibus orbem,
I perge Herois Nomen transcendere factis,
I perge, & dirum Turcarum cæde Tyrannum.

Infra Maximilianus Emmanuel Elector equo insidens loricatus, cui Genius Monacensis delatas victorias adgratulatur hac ligata inscriptione.

Omnia vincit amor, facundi musa maronis
Asserit, at Mavors generosus victor amoris
Boicus evasit, quem formosissima conjux,
Nec puer idaliis flammis armatus, & arcu
Detinuit, quin Odrysias Thracesque Phalanges
Irrueret medius, nec pulchra occumbere morte
Ambigit: in Patriam vah quanto ardescit amore
I macede nunc, I Mavors, I Pallas, Enyo
Æneas, Aiax, Agamemnon, Hector, Achilles,
Theseus & Perseus sileant miracula vestra,
Ecce Ducem, cui nulla parem virtutibus altis
Attulit, aut sæclis volventibus asseret ætas.

Quatuor columnarum interstitia totidem 8. exceperunt phrenoschemata symbolicè commendantia virtutem bellicam invictissimi principis. Primum symbolum exhibuit Rinocerotem cataphractarium addito lemmate gallico *Ou vaincre, ou mourir.* Secundum Leonem altero pede prementem humi prostratum Turcam cum gallica epigraphe *Genereuse attaque fait bonne prise.* Tertium tubum ignarum, seu ludicrum pyrobolum, qui conceptâ flammâ sursum nitebatur, cum inscriptione itala *Ardendo m' inalzo.* Quartam vexillum sericum frequenti laceratum teissu cum versu italo, *Tanto lacera piu, quanto piu bella*

PEGMA DOMUS CIVICÆ

Extima facies Domus consularis, quà lapideus arcus per laxè patentem hiatum ad forum ducit esculentarum mercium nobili, & eleganti pegmate reduci ex Hungaria triumphatori principi delatas in Bavariam adgratulabatur victorias. 9. Supremo in pegmatis fastigio formosissima corporis dignitas Maximilianum Emmanuelem generoso vectum equo signabat, cui Martia virtus plurimum adjiciebat roboris. Aderat non procul Fama expansis alis terraqueum circumvolitans globum, lævâ inflandam tubam ori admovebat, & dextrâ corollam lauream sistebat principi. Infra terraqueum globum Genius Bavarus in explicata scheda hanc exhibuit inscriptionem *Jo vivat, Jo perennet, Jo triumphet. Triumphet Maximilianus Emmanuel ita devotissimè vovet S. P. Q. M.* Pegmatis latera geminas utrinque complectabatur pyramides trophæis, ac exuvijs Turcicis gloriosè onustas additâ in basi à lævo latere inscriptione. *Et tu Macede: En Heroem Boicum te longè superiorem.* A dextro, *Nec Hector, nec Aiax, nec tecum confertur Achilles* Erectæ ovolis intercolumnia aquilam excipiebant, & leonem; illam confossum, ac jacentem Turcam hoc irridentem lemmate *Noscis mea fulmina.* Hunc alium Turcam unguibus discerpentem, simulque per jocum seriò alloquentem *Nosce ex ungue leonem*

ARCUS SECUNDI PARS ANTERIOR

Arcum hunc triumphis dicavi MAXIMILIANI EMMANUELIS ob res bellicas strenuè in 10. Hungaria gestas. Editiori arcûs acroterio insidet Fortuna felix, quam exprimit muliebre simulacrum dextrum innitens rotæ cubitum, manúque læva copiæ cornu diffundit, varijs confertum corollis. Hæc est illa Fortuna, quæ

aurea dicebatur, & priſci Romanorum tum Reges, cùm Imperatores, vel ſculptam in marmore, vel fuſam auro, vel depictam in proprIatum ædium parietibus voluerunt, ut eorum faveret regimini, opémque ferret.

11. Muniunt utrinque Fortunæ latera *Bonus Eventus*, & *Virtus Heroica* ille juvenili ſpecie decorus lævâ pateram tenet auream; dextrâ flaveſcentes ſpicas cum papavere. Hæc neglecto cultu leoninis præcincta exuvijs armorum complectitur ſtruem. Incumbit Bono Eventui Aquila fulminibus armata: Virtuti heroicæ Leo inſigne gentilitium Maximiliani Emmanuelis. Infra Fortunam puerorum variè ludentium depictus eſt chorus, quorum alij Rotam jocosè verſant; alij corollas geſtant, quà laureas, quà aureas. Alij ſchedam explicant ſcriptam verſu Senecæ Tragæd. 7.

Fortes Fortuna juvat, ignaros premit

Utrimque ſupremæ molis latera bina exornant *ſpei, & victoriæ* ſimulacra, baſis, cui illa innititor continet hemiſtichium Ovidianum Epiſt. 6.

Alternant ſpéſque, timórque fidem

Baſi victoriæ verſus Senecæ Troad. act. 3.

Victor feroces impetus primos habet

12. Media tabula laxior congreſſum exhibet Maximiliani Emmanuelis cum Carolo Lotharingiæ duce ad Vivarinum, complectuntur ſe mutuò ſtrenuiſſimi Duces junctis dextris. Imminet utriusque vertici Fama volans, inflansque tubam cum Ovidiano verſu Epiſt. 21. in ſcheda circumlabente

Et memorem famam, qui bene geſſit habet.

Hæc paræmia utrumque Principem ad ſtrenuè pugnandum hortatur, ſtipant utrinque Principes caſtrorum præfecti, ac Strategi. Adjacet Danubius fluvius, quem exprimit ſimulacrum viri ad ſenium vergentis frondibus coronati arundineis, altero brachio complectentis urnam effundentem aquas rubentes ſanguine. Juxta in luctu jacenti, ac ſqualore matronæ binæ mœrentes paſſis crinibus, inſignibus utriusque Pannoniæ incumbentes, quibus utriusque Hungariæ ſuperioris, & inferioris denotarentur tractus, qui hactenus fuerant Turcico obſequuti imperio inſcriptio infra picturam.

Cæſarem, qui dicitur Jovem
Romani Imperij,
Cui aquila cælo cognata volucris
Miniſtrat,
Bina ejus cognoſcite fulmina
Maximilianum Emmanuelem,
&
Carolum
Lotharingiæ Ducem.
Hi Machometanæ perfidiæ Titanas,
Quòd auſu temerario
Non montes montibus, ſed arma armis
Acervantes
Jovi bella indixerint, protriverunt.
Juvat ex iterato fulminum congreſſu
Extremum ſperate Odryſiæ Gigantum
Exitium.

13. Inferiora arcus intercolumnia ſimulacra intercipiunt Fortitudinis, Conſilij, Audaciæ, ac Conſtantiæ, ſeu bellicas virtutes, quarum quælibet proprium in ſcuto depictum oſtentat ſymbolum. Fortitudo præcelſam pyramidem ingruente procella, ventis, & grandine concuſſam, addito lemmate *Undique Firma*. Conſilium bellicum Teleſcopium fulcro innixum cum verbis *Procul, & perspicuè*. Audacia prudens leonem haſtarum, lancearúmque inter cuſpides ferocientem cum lemmate. *Obſtantibus inſto*. Conſtantia in clypeo pictum exhibet emergentem è pelagi gremio ſcopulum, in quem tumentes fluctus impingunt additis verbis. *Ad flatus ad fluctus*.

Arcus Secundi Pars Posterior

Exhibet hæc facies Strigonienſem victoriam. In ſummo Arcûs faſtigio Juventus floribus, ac lauro coronata generoſo inſidet equo, altera manu habenas regit, ſimúlque palmarum tenet ramum; alterâ corollam oſtentat lauro intextam. Circumvolitant victricem Juventam binæ victoriæ pennatæ, ac laureatæ lauros geſtantes, & palmas. Infra Juventam Genij aliquot aligeri ſchedam explicant inſcriptam carmine Ovidiano 14.

Ingenium cæleſte dedit velocius annis

Juxta victricem Juventam utrinque aſſurgunt trophæa bina cum Turcis captivis junctis 15.
cervicibus in luctu, & ſqualore jacentibus. Ad latera ſuperioris molis ſtant Virtus bellica, & Concordia militum: illa galeata, & leoninis circumamicta exuvis, dextrâ clavam, lævâ parazonium geſtat; infra in ſcheda aliud Virgilianum

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos
Hoc virtutis opus.

Concordia militum galeata, & Amazonio induta habitu dextra corollam oſtentat lauream, ſiniſtro brachio haſtarum complectitur faſciculum. In ſcheda inferiori carmen Ovidij 10. Metamorphos.

Et ſenſit varios, quamvis diverſa ſonarent
Concordare modos.

Media, & laxior Arcûs tabula triumphum 16.
exhibet Maximiliani Emanuelis. Curru vehitur quadrijugo invictiſſimus Princeps vultu hilari, qualem aſſolent trigeminæ Gratiæ ad lætitiam exhilarare. Triumphalem trahunt currum remorato greſſu quatuor albentes equi, quos præcedunt depreſſo collo, ſubjectis cervicibus, ſubacto vultu *Turcica Perfidia*, & *Rebellio*, quas utrinque ſtipant captivi Turcæ frontibus famulari jugo conjunctis. Victoria niveis veſtita plumis ſupernè volitans altera manu laureum ſertum ſerenatæ fronti triumphantis Principis admovet: alterâ palmam Victoriæ ſymbolum lætabunda geſtat. Sublimior volitat veluti ab horizonte emerſa Lætitia flores è calathiſco in ſubjectum aëra ſpargens. Comitatur Lætitiam ludibundus *diurnarum Horarum chorus*. Captivos præcedentes currum utrinque muniunt cataphracti milites laureati ſublimioribus haſtis exuvias oſtentantes Turcarum. Anteit agmen vexillifer laureatus cum labaro, cujus cuſpidi laurea hæret corolla binas complectens literas M. E. loquentes tacitè victoriam *Maximiliani Emmanuelis*, quem ſequuntur retortis in terga brachijs, tonantique ferrea

com-

compede LIVOR ringens, & AUDACIA Turcica fremens, & pharetrata, sed sine telo; Arrogantia depressa, sed sine supercilio. Alij sequuntur laureati milites lemniscos ferentes varijs distinctos coronis. *Inscriptio.*

Jo triumphe triumphe.
Hic ille heroum hæres,
Principum lumen, columen Religionis
Maximilianus Emmanuel
Jovis Germanici Martium fulmen,
Cujus fragorem æquè senserunt, & ardorem
Tumentes scythici Enceladi phalanges,
Quas æquavit solo, cum solio auderent insidiari
CÆSARIS.
Jo triumphe triumphe.
Hic ille Herculi suppar,
Qui Odrysiam Hydram in campis Hungariæ
Stabulantem
Foventémque dissidiorum septena capita
Ferro perdomuit, igne extinxit.
Jo triumphe triumphe,
Hic ille, quem catervatim præeunt
Sonanti compede, junctisque famulari jugo cervicibus
Turcicæ cohortes victæ simul, & vinctæ;
Cui Victoria celer advolans
Lauream advehit sertum;
Cujus latera muniunt
Mars gradivus trophæis onustus,
Et Virtus bellica palmis referta.

17. Lateralia mediæ tubulæ spatia ad triumphum alludunt. Dextrum latus complectitur simulacrum Honoris insidentis anni essedo à quaternis rapto velocissimis equis, quorum habenas totidem moderantur anni tempestates: Præcedunt currum Mars gradivus, & Pallas hastata cum ægide. Cum sit Honor cujuslibet virtutis præmium, debuit huic interesse triumpho. Infra honorem carmen legitur Ovidianum

Semper Honos, Noméfque tuum, laudésque manebunt.

Altera lateralis tabula Auroram exhibet alatam, & laureatam, quadrigæ insidet triumphali; lævâ palmam defert, dextrâ flores spargit, quos subter legunt Genij duo obludentes, ac in coronamenta complicantes. Præit Auroram Fama tubam inflans. Infra tabulam *Inscriptio*

Plura trophæa Tibi sistet maturior ætas.

Claudunt utrinque medii Arcûs latera Castores bini pileati instar Laconum, in quorum vertice splendet nitidissima stella; uterque hastam tenet, cujus fastigio laurea nititur corolla complectens literas M. E. denotantes MAXIMILIANUM EMMANUELEM.

18. Quatuor inferiora molis intercolumnia totidem excipiunt statuas *Lætitiæ*, *spei*, *Felicis Eventus*, & *Concordiæ*, quarum quælibet proprium exhibet depictum in clypeo symbolum. Lætitia Rosam explicatâ foliorum pompâ superbientem, dumisque vallatam cum lemmate *Vulnerat, & recreat.* Spes solem ab horizonte matutino emergentem hac epigraphe *Diem præsignat in ortu.* Felix Eventus arborem fructuum copiâ curvescentem cum lemmate *Mihi pondera luxus.* Concordia militaris sphœram vitream, quam trajicientes solares radij cuspidatim uniuntur, auctisque viribus Turcica vexilla, labara, tympana hastas, cum armorum acervo comburunt addito lemmate *Omnis in unum.*

ARCUS TERTIJ PARS ANTERIOR

Placuit in hujus triumphalis arcus moli 19. tinne argumentum depromere ex eruditionum acroamate, ac exteris monumentis Historiarum allegoriam eruere, & simul Hymenæum cum bellica Virtute maritali vinculo copulare; ut Symbolorum involucra auspicatissimas referrent nuptias Maximiliani Emmanuelis, & Mariæ Antoniæ Leopoldi I. Imperatoris prognatæ; idque ut assequerer JASONIS religio, quæ narrantur gesta. Et in media laxiori triumphalis arcûs tabula curavi pingi JASONEM, & ejus sponsam regiam; ea arte ut JASONIS vultus vultum ad vivum spiraret MAXIMILIANI EMMANUELIS, REGIA SPONSA vestium cultu ornatissima herbarum viretia *Jasoni* galeato, ac loricato porrigit, & ipsi adstans *Minerva* sapientiæ, bonarúmque artium præses, ut consilium designetur à neo-nupta Jasoni suppeditandum. Clypeum tenet Minerva Gorgonio insculptum capite. Muniunt utrinque Jasonis latera *Fortitudo*, & *Desiderium*; & adstant Hercules Castor, Pollux, Orpheus, Mopsus, Amphiaraus cum reliquo græcorum juvenum delectu. Infra picturam *Inscriptio.*

Spirantem qui suspicis in vultu Jasonis
MAXIMILIANUM EMMANUELEM
Absimilem haud credas animi iconismum,
Æquavit iste Martia virtute
Phryxæam illius Fortunam.
Tot si post discrimina rerum
Tauros fulmineos efflantes ignes,
Draconémque vigilantia inaccessum edomuit,
Raptúmque Phryxæum vellus
Unà cum regia sponsa
Thessaliam victor adduxit.
MAXIMILIANUS EMMANUEL
Coërcitis, cæsisque in Hungaria Turcarum copijs
Mariam Antoniam lectissimam sponsam
Victoriámque ipso aureo vellere splendidiorem
Attulit in Bavariam.
In hoc Jasone Major, quòd sponsam duxerit,
Cui
Ob congenitam clementiam, & Pietatem
Vix parem invenias.

Dextrum, & laterale mediæ hujus molis 20. spatium Jasonem exhibet herbarum amuleto edomantem æripedes tauros, ignem ore, naribúsque spirantes, ipsasque herbas ardenti halitu incendentes. Adstant utrinque districtis gladijs socij alieno contremiscentes periculo, cum Jason intrepidus non timeret suo. Pendet eminus aureum vellus ex præcelsæ arboris ramo, cujus cauli innititur Draco custos. Infra tabulam inscriptio deprompta ex Propertio II. *Magnum iter ascendo: sed dat gloria vires.* Simile spatium ex lævo latere Jasonem exhibet cum ornatissima neo-sponsa, auréoque vellere, cæterisque Argonautis comitibus navim conscendentem. Jason manu ducit neo-nuptam, Hercules, Amphiaraus tabulas substernunt, aptantque, quo facilior pateat sponsis ad navim ascensus, Orpheus Phryxæum

vellus

vellus longâ insitum hastâ ostentat. Nantæ antennis hærentes vela explicant, dantque ventis. Infra tabulam hemistichium Ovidianum lib. 10 fab. *Invia virtuti nulla est via.*

21. Utrinque ad latus exterioribus stylobatis *Gryphes* insident, quibus *Telamones* incumbunt, copiæ cornu floribus, fructibúsque refertum complectentes,

22. In supremo molis acroterio Virtus Heroica galeata expanso alarum remigio sursum nititur extollere Jasonem, & Maximilianum Emmanuelem. *Inscriptio* deprompta ex *Venusino*

Nunquam Stygias fertur ad umbras
Inclyta Virtus: vivite fortes,
Nec Lethæos sæva per amneis
Vos fata trahent: sed cum summas
Exiget horas consumpta dies
Iter ad superos gloria pandet.

23. Utrinque ad latera supremi Arcûs simulacra suspiciuntur virorum, quos prisci homines ob egregiam virtutem, quâ præcelluerunt, ut Heroas habuerunt à Jove in terram missos in hominum subsidia. Dextrum latus Æneam exhibet prævia Sybilla Dianæ lucum perlustrantem, quò in opaca nemoris arbore aureum decerpat ramum, addita Inscriptione Horatiana lib. 2. Epist. 2.

I bone, quo virtus tua te vocat, i pede fausto
Grandia laturus meritorum præmia.

24. Lævum latus exhibet strenuum Ulyssem exoculantem Polyphemum cyclopem addita infra picturam inscriptione prompta ex Virg.

Parcere subjectis, & debellare superbos
Hoc virtutis opus.

25. Interiora triumphalis arcus intercolumnia quatuor intercipiunt invictissimos Heroas, quibus se æquavit serenissimus Elector. Primus est Achilles fortissimi Principis Prototypon cum lemmate prompto ex Ovid. lib. 12. Metamor. *Caput insuperabile bello:* secundus Hercules Hydram septemplicel monstrosam cervice ferro, & igne in Lernea palude interimens *Inscriptio* ex Ovid. 9. Metamo.

Crescentémque malo, domui: domitámque peremi:

26. Tertius Perseus Medusæ caput impetu validissimo amputans implicatis anguibus horrificum inscriptio Virgiliana lib. 6. Æneid. *Pariter pietate, & armis.* Quartus Bellerophon Chimeram interimens inscriptio ex Virgilio Æneid. 3. *Virtutem volvere Dij sudore parati.*

Arcus Tertij Pars Posterior

27. Posterior hujus triumphalis molis aspectus si ordo spectetur, & dispositio, idem est ac anterior, cum nec in tabularum numero, magnitudine, ac situ discrepet. Argumentum tamen diversum est. Placuit quatuor præ cæteris seligere, ac exhibere regalia conjugia Junonis auspicatu celebrata, quo uberiori laudum segete recentes Electorales nuptiæ serenissimorum *Maximiliani Emmanuelis*, & *Mariæ Antoniæ* Archiducissæ Austriæ commendarentur.

28. In supremo Molis acroterio iconicè delineatum suspicitur *Hebe* conjugium cum *Hercules* illa pulchritudine incomparabilis, hic strenuitate commendatissimus fuit. In hujus igitur arcus fastigio Jono nubibus cum Pavone insidens astante Jove cum Aquila Heben filiam Juventæ Deam Herculi viro fortissimo jugali fœdere jungit: infra picturam inscriptio Horatiana 1. carm. 13.

Felices ter, & amplius
Quos irrupta tenet copula.

Utrinque suprema latera *Desiderium* referunt, & *Lætitiam*, ceu præcipuos amantium 29.
conjugum affectus. Infra Desiderium inscriptio prompta ex Claudiano de 6. consul. Honorij, ——————— *Ardor*

Accendit cum plebe Patres

Infra Lætitiæ simulacrum inscriptionem suppeditavit inversum Martialis carmen, Cum ipse lib. 10. Epigram. ad Julium dicat

Gaudia non remanent, sed fugitiva volant

Placuit paræmiam in hisce festis hilarijs retorquere, precaríque serenissimis sponsis perennem felicitatem; unde *inscriptio* est

Gaudia sed remanent, non fugitiva volant.

Media, & laxior triumphalis molis tabula 30.
conjugium exhibet Ulyssis cum Penelope castissima, & venustissima sponsa. Ille utpote strenuissimus heros *Maximilianum Emmanuelem*; hæc virtutum myriade, animique candore commendatissima Serenissimam sponsam, *Mariam Antoniam* exhibet; adeout Ulysses & Penelope iconicè vultus referant utriusque neo-sponsi. Ulysses galeatus, & loricatus Penelopem splendidissimè ornatam dextrâ complectitur. Adstat sponsæ Cybele turrita, mater Deorum. Hymenæus alarum explicatu circumvolitans accensas attollit faces binas. Utrinque Ulyssis proceres, & Penelope è gynæceo mulieres. *Inscriptio* in Arcûs Zophoro

Redivivos, qui visere cupitis
Ulyssem, & Penelopem;
Illum bellica virtute, hanc animi candore
Præcellentes,
Oculos dirigite

In Maximilianum Emmanuelem, & Mariam Antoniam

Æquat se ille consilio, fortitudine, & victoriâ
Ulyssi
Superat hæc prudentia, pietate, æquitate
Penelopem.
In hoc tamen adhuc se illi æquat
Quòd Maximiliano Emmanueli nupserit
Qui se æquat Ulyssi.
Jam ergo pares, uterque nupsit pari.
Nupsit tamen Bavaria impari gaudio;
Quia se non capiens extra se prosilit.
Hujus lætitiæ testes adhibens quos potest;
Civibus nec contenta, quos habet,
Accivit è tota Germania, quos valuit.

Lateralia utrinque spatia bina totidem 31.
complectuntur conjugia *Junonis* auspicatu felicissima. Dextrum latus exhibet iconicè nuptias *Orphei* cum *Euridice*. Orpheus desiderio conjugis, quam efflictim amabat Acherontici Regis animum cicurari nescium primus omnium flexit, & Euridicem traxit ab Inferis. Et Maximilianus Emmanuel captus desiderio Religionis propagandæ monstrosam Turcarum Perfidiam non blandâ citharæ dulcedine; sed gravi

gravi armorum strepitu edomuit, subegit. Indéque Pannoniam matronam passis crinibus jamdiu in luctu in squalore jacentem ab unguibus vindicavit Odrysij Draconis. Infra hanc picturam, inscriptio ex Venusino

Rursus quid virtus, sed quid sapientia possit
Utile proposuit nobis exemplar.

32. Altera lateralis tabula refert regale conjugium *Ceycis* cum *Alcyone*. Infra tabulam inscriptio ex Propertio

Errat qui finem sponsalis quærit amoris,
Verus amor nullum novit habere modum.

Ad utrumque tabulæ latus *Concordia*, & *Fides* conjugalis; illa corollas binas myrto intextas gestat. In basi lemma ex Claudiano

—— *Tu geminas Concordia necte coronas*

In basi Fidei maritalis Inscriptio ex Propertio *l.* 23.

Multum in amore Fides, multum constantia prodest

33. Ardent utrinque faces nuptiales, & in utraque laterali pila cor ardens, & dextræ geminæ manus unà compleaæ, sertóque circumdatæ myrteo, bina scilicet conjugij symbola.

34. Quatuor inferiora intercolumnia totidem iconicè exhibent regalia conjugia prompta ex Mythologia. Primum est *Pelei* cum *Thetide*, quos Juno altera manu inaugurat nectando. Inscriptio ex Virgil. 4. Æneid.

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.

Secundum *Persei* cum *Andromeda*. Inscriptio ex Claudiano in epithalamium Honorij

Te propter libuit tantos explere labores.

Tertium regale conjugium refecunt *Cephalus*, & *Procris*, ille Æoli nepos, hæc Erechtei Atheniensium regis filia, ambo mutuis amoribus celebres. Infra picturam. Inscriptio Ovidiana

Æquales urebant pectora flammæ

Quartum conjugium exhibent *Philemon*, & *Baucis* pientissimi conjuges, qui cum ab Jove hospite essent quidquid peterent impetraturi; hoc unum enixim rogarunt, ne alter alteri superstes esset. Infra picturam *Inscriptio* prompta ex Valerio Maximo de conjugali voto

Potius morte jungi, quàm vita dividi

35. Ornatus statuarum, emblematum, symbolorum heroicorum, pegmatum variis cum Inscriptionibus, ac luculenta descriptione Nocturnorum artificialium ignium exhibeo in meo opere cui Titulus. *Ingressus Martio-nuptialis* Maximiliani Emmanuelis, & Mariæ Antoniæ *Archiducis Austriæ in Bavariæ Metropolim*. Unicum tantùm subjiciam hic Pegma nuptiale expositum in Atrio Cæsareo.

36. Insident editiori Pegmatis fastigio Jupiter, & Juno, qui nuptiarum illustrium præsides de utriusque Principis conjugio consilium finguntur inire, ac deliberare. Testatur Halicarnasseus, Jovem, & Junonem primos fuisse conjugales Deos; adeo ut Jopiter hac ratione Pater omnium vocetur, & Juno Zygia, seu Jugalis, eò quia ad ipsam pertineat mares fœminis copulare. Jovi adstat Aquila, flammeúmque Nuptarum auspicatum vestimentum unguibus explicat; Junoni Pavo erectæ caudæ pompa superbiens. Dextro Jovis lateri assistit Providentia aligera, lævâ terraqueum sustinet globum, dextrâ Jovem leviter pulsat, ac si vellet illum alloqui. Cum sit Providentia rerum humanarum moderatrix fingitur suadere Jovi hujus conjugij deliberationem. Ad lævam Junonis stat Mercurius Numinum interpres, ac nuncius expectaturus connubij deliberationem, quam ad sponsos deferat. Utrinque in extremis supremi pegmatis lateribus assident geaij aligeri, ac pharetrati, dextrâ Hymenæi facem; lævâ corollam myrto intextam tenent.

In media laxiori tabula sibi obviant ambo 37. conjuges *Maximilianus Emmanuel*, & *Maria Antonia* vestium cultu, elegantia, & pretiositate nitidissimi. Sponsæ lateri adstat turrita Cybele magna Deorum parens, annulúmque politissimo radiantem adamante in tesseram constantiæ utrique sistit sponso. Hymenæus nuptiarum Præses læva manu maritalem tenet facem; dextrâ utrumque conjugem copulat. Infrà jacet Leo, cui Aquila adblanditur, ille sponsi, hæc sponsæ symbolum.

In Pegmatis Zophoro *Inscripto*

Implicatum stringe nodum,
Explicatas auge flammas
Auspicatissime Hymen,
Vincire facilè potes, quos Amor vincit,
Maximilianum Emmanuelem,
&
Mariam Antoniam.
Majorine gloriâ
Unius pueri victoris, an utriusque victi?
Fallor,
Nec victori, nec victis.
Sed Hymenæo debetur epinicion.
Qui amantes simul, & amorem
Adeo arctè nexuit.
Ut sejungi si velint, non possint,
Si possint, nolint.

Inferiora intercolumnia statuas plures 38. recipiebant, Avos Proavos Abavoa Atavos utriusque conjugis referentes, super scaphas utrinque gentilitia stemmata Domûs Austriacæ, & Bavaricæ. Respondebant huic nuptiali pegmati sexdecim symbola alludentia ad has Electorales Nuptias, & amorem motuum inter sponsos. In hoc Cæsareo Atrio quatuor ereai pegmata, & cuilibet addidi sexdecim symbola Heroica in laxia tabulis, quibus totum illud laxum spatium ornaretur, additis noctu luminibus diei claritatem vincentibus. Quia verò hæc omnia comprehenduntur in meo Ingressu Martio-Nuptiali: hic adjiciam tantùm sexdecim symbola respondentia explicato pegmati.

Primum est Acus nautica in pixide si- 39. gnans Arctoum sidus, ceu cynosuram cum lemmate *Unicè ab una trahor* scilicet Maximilianus Emmanuel amore unicè trahebatur à Neo-sponsa Archiducissa Austriæ. 2. Vitis præcelsæ nixa ulmo, quæ arbor propter foliorum raritatem maritandis vitibus peridonea est cum verbis *Fœcundior hæret*. 3. Aquila solem percurrentem signum leonis irretorta intuens acie, est Leo stemma Bavaricum cum lemmate *Sic vi-*

vam, Aquila signat Neo-sponsam Leopoldi I. Imperatoris filiam. 4. Leo & Aquila Myrteo obligati vinculo addito hemistichio Claudiani *Augurium fatale tori.* 5. Apes binæ circum varios flores volitantes hac epigraphe deprompta ex Claudiano *Dabunt Heliconia mella.* 6. Alcyones bini in arenoso pelagi littore nidificantes eo tempore, quo summa est in mari tranquillitas addito lemmate *Nil hæc connubia turbat.* 7. Astrææ Bilana in cœlo æqoilibrata, inter signa leonis, & Aquilæ hac epigraphe *Aurea sæcla resurgunt.* 8. Surculus insititius cauli implantatos alterius arboris addito lemmate *Spes proximæ frugum.* 9. Columba volitans versus florescentis horti areolam ubi Myrto inhæret socia cum verbis *Uni servo fidem.* Turtures bini virentis oleæ hærentes ramis hac epigraphe *Unus nos jungit amor.* 11. Aquila nidificans in præcelsa rupe, quam Leo custos tuetur cum lemmate *Anxia prolis.* 12. Leo in laaè exporrecta planitie suspiciens Aquilam solem versus pleno alarum explicato nitentem, quam pro viribus cæteræ comitantur avium turmæ cum lemmate *Ex millibus una.* 13. Serta bina invicem complexa unum aureum, alterum intextum floribus, addito hemistichio Claudiani *Veris utrumque decus.* Castor, & Pollux, ceu flammeliæ geminæ; quas vocant malaciæ prænuncias, hærentes antennis præcelsæ navis cum verbis *Spondéntque serenum.* 15. Catenulæ binæ aureæ gemmis nitentes ab aureo clavo pendulæ cum verbis *Honori non oneri.* 16. Apes binæ circumvolitantes Apiarium cum lemmate contra Ovidianam parœmiam. *Sic vos vobis*

40. Moris etiam est, ut inscriptiones in publici subditorum gaudij exhibeantur contestationem, cùm Principes ab exteris provincijs in proprias reduces solemni recipiuntur lætitiâ: tunc in urbium portis, publicis ædibus, Basilicis, Arcubus, Mausoleis, Pegmatibus, Inscriptiones affiguntur communem hilaritatem, ac singularem adblandientium animorum affectum obtestantes. Subjicio hic aliquot hujus generis inscriptiones, quas composui, & exhibui Monachij anno 1694. in Electorali Residentia cum Serenissimus Princeps Electoralis JOSEPH LEOPOLDUS Vienna Austriæ nondum biennis Monachium veheretur. Enixa est Serenissima Eletrix MARIA ANTONIA Archiducissa Austriæ feliciter hunc Bavariæ Hæredem 28. Octobris, qui dies SS. Apostolis SIMONI, & JUDÆ Sacer habetur, anno 1692. Delatus verò in Bavariam fuit tenellus Princeps mense Majo 1694.

41. Ornatus Ædium Electoralium in extima facie quatuor complectabatur pegmata, quibus totidem responderunt inscriptiones solutæ duæ, & aliæ ligatæ. Inferiùs in platea viginti quatuor Bavariæ, & superioris Palatinatus civitates, quas repræsentârunt totidem statuæ, quà symbolicè, quà metricè fuerunt adgratulatæ Serenissimo Principi Electorali pro felici appulsu.

42. Primum pegma eleganti pictura repræsentat AUSTRIAM tradentem BAVARIÆ Principem Electoralem JOSEPHUM imbuendum optimis moribus, ac summis instruendum virtutibus. Adstant AUSTRIÆ *Fœcunditas, Benignitas, Concordia, Benevolentia, & Bonus Eventus* cum proprijs insignibus. BAVARIAM comitantur *Publica Lætitia, Felicitas, Amor patriæ, Auctoritas, & Abundantia.* MERCURIUS medius Austriam inter, & Bavariam nubi insidens, indicat uni ex tribus Gratiis, ut Principem infantem tradat Bavariæ; secunda Gratia fascias explicat. Tertia pileum tenet Electoralem. BAVARIA lætabunda manus extendit cunellum receptura principem. In aëre imminent *Bavariæ* genij duo aligeri explicantes longam schedam hac cum inscriptione *Bavara jam quantis tollet se Gloria rebus ?*

Poelli alij aligeri uniones, qui nascuntur in Bavaria, conchilia, flores; ac fructus manu tenent, simulque obludunt. Infra picturam in pegmatis Zophoro INSCRIPTIO, in qua alloquitur Austria Bavariam 43.

Inclyta Bojugenum, fortunatissima Mater
Cum sis prole virûm: magni Tibi sisto Parentis
Infantem, qualem cuperes Berecynthia partu.
Austria quem felix peperit Tu Bavara nutrix
Suscipe. Cœlestem primùm sit cura favorem
Poscere, ut innocuos discat præfugere mores,
Quos trahas ad senium complendum Nestoris ævo.
Impleat, & totum summis virtutibus orbem.
Sic ducens vitam clarâ de stirpe propago,
Imperium terris, animas æquabit olympo:
Per fascos numerabit avos, sempérque renata
Nobilitate virens plures dabit ipse nepotes,
Omnes cœlicolas; omnes supera alta tenentes.

Secundum pegma venuste pictum Virtutem exhibet heroicam manu ducentem *Principem Electoralem* in editissimum montem, in cujus cacumine surgit peramplum Honoris templum, cum simulacro Honoris in extima ejus facie geminas inter Arbores Lauri Regiæ, & palmæ. Puerum Electoralem Principem præcedunt *Sapientia, Desiderium honoris, Fama, & Bonus Eventus,* præsignântque viam, Sequuntur autem vitia, quæ varijs blandimentis nituntur Infantem remorari, allicere, ac ad se trahere. Sed BAVARIA districto gladio illa fugat. Genij aligeri in aëre schedam tenent cum versu 44.

Et tener in cunis jam Jove dignus erat.

In pegmatis Zophoro infra picturam, *Inscriptio* 45.

Trita via non est, quam terendam ingrederis
Heroum felicissime Hæres.
Virtus nonnisi per ardua
Ad Templum ducit Honoris.
Hac tamen duce tutus ingredere,
Ducet Te illa, reducétque incolumem;
Invia quæque Tibi pervia erunt,
I felix comitante Dea.
Sic itur ad astra,
Quos Deus Heroas mundo donat,
Docet à cunis assuescere summis virtutibus,
Nilque exhibere, quod supra ætatem
Non sit.
Nil moliri nisi grandia,
Ut vel ipsa vitæ rudimenta
Nil tenerum habeant præter infantiam;

Quòd

Quòd si Herculis fabellam respuis,
Qui assuevit à cunis
Ungues aptare ad angues,
Ne inglorius sis, sat erit,
Septicipitem vitiorum evasisse Hydram.

46. Intra statuam ære cusam Virginis immaculatæ in extima facie Electoralis Residentiæ prægrandis tabula exhibuit Dominos statuum Provincialium Bavariæ rogantes supplices Virginem ab immaculata conceptione pro conservatione Infantis Principis, & Domûs Bavariæ hoc distico

Incolumen serva cum Gnato Virgo Parentem.
Nititur illorum nostra salute salus

47. In tertio pegmate CYBELE omnium Numinum mater ambabus manibus infantem Principem Electoralem elevat, ostenditque lætabundo populo. Insident candidæ nubi tres PARCÆ, quarum prima aureum net filum; quod secunda colligit; & tertia forfices projicit, ut significaret, neutiquam vitale Principis stamen incidendum, sed protrahendum esse ad Nestorios annos. Interius communis LÆTITIA stans fertum offert Infanti Principi vario intextum flore. Adstant communi LÆTITIÆ FORTUNA clavo rotam lauri figens caudici. VICTORIA ornata palmis, MARS loricatus, MINERVA hastata, & BONUS EVENTUS. Genij volantes schedam explicant cum versu

Ipsa Tibi blandos fundunt cunabula flores

Infra picturam in pegmatis Zophoro INSCRIPTIO

Illuxit tandem cunctis celebranda Camenis
Fortunata dies, quâ Te faustissime Gnate
Cernere Boiugenis contingit, & ora tueri,
Quæ tenebras animis dispellunt, lumina fundant,
Dicarisque tuis præstare, quod Æthere Titan.
Ecce Tibi Patriæ surgunt ad sydera moles,
Festivisque Tibi collucent compita flammis,
Suscipe dona Deûm, populique adolesce regendis.
Et regere imperio Boios sic Nate memento,
Ut natura docet Reges sine cuspide inermes
Mellificas circum flores præcedere turmas.
Nec Tibi quid libeat, sed quid fecisse decebit
Occurrat, mentemque domet respectus honesti:

48. Quartum pegma exhibet Providentiam expansis alis volitantem, tenentémque dextrâ terraqueum globum: utrinque stant Castor, & Pollux, quorum vertici stella imminet splendidissima, prælongas habent hastas, quæ vice cuspidis corollam ostendunt varijs contextam floribus, includentémque literas J. L. significantes JOSEPHUM LEOPOLDUM nomen Infantis Principis Electoralis. *Castor, & Pollux* indicant SS. Apostulos Simonem, & Judam, quorum die festo serenissima Electrix MARIA ANTONIA enixa est Viennæ in Ædibus Imperatoris Patris Principem Electoralem, qui oblatus, ac concreditus fuit horum Apostolorum tutelæ. Inferius stat *Spes publica* ambabus manibus complectens Infantem Principem, cui *Felicitas* sceptrum offert; & *Bonus Eventus* aggratulatur. Adstant utrinque Pax cum oleæ ramo; & Tem-

pus. Puelli volantes schedam explicant in aëre cum versu

Bavara spes vivat, virtutibus impleat orbem.

Infra picturam in pegmatis Zophoro *Inscriptio*

Spes publica
Nostrorum metam votorum complexa ulnis
Suâ firmat anchorâ commune Gaudium.
In vultu cujusque
Decus se prodit hilaritatis,
Ut in serenis frontibus indicia perlegantur animorum,
Quia non se capit exundans lætitia,
Dedignata pectoris angustas latebras, foras erumpit,
Tibique Infanti aggratulatur,
Qui fausto natus omine,
Nomine signante gratiam
Piaculares latices nactus
Non nisi maxima spondes.
Quia sola natura prægrandes animas
Non producit
In subsidium accivit Cœlitum maximos
Simonem, & Judam.
Non alius poterat, quàm sanctior dies Te parere,
Fuit iste planè Jubilæus Bavariæ,
Cui tantam fecit Deus indulgentiam.
Decuit Octobrem tuis insigniri natalibus:
Quia non poterat Autumnus
Suam melius commendare ubertatem.
Quàm unico hoc fructu.

Mediæ inter pegmata steterunt quatuor supra viginti statuæ totidem repræsentantes principaliores urbes utriusque Bavariæ, ac superioris Palatinatus, quæ per iconica simulacra alternatim symbolicè, & metricè aggratulantur adventanti Infanti Principi Electorali, & apprecantur felicitatem. 49.

Monachium pro symbolo exhibet solem, qui emergens ab horizonte Austriæ ex parte orientali Bavariam ingreditur hac epigraphe *Novo illustratur ab Astro:* idest Bavaria ob accessum novi Principis Electoralis. 50.

Wasserburgum alloquitur Infantem Principem 51.

Te excipiunt plausu urbes, quas dat Bavarus orbis
Lætantes pandunt mœnia, corda magis.

Landsperga pro symbolo exhibet *Hirundinem* avem notissimam veris prænuntiam cum lemmate *Venit omine fausto.* 52.

Fridberga officiosa salutatione alloquitur venientem Principem. 53.

Gemmiferæ conchæ Te ornent, & florida serta
Sicque solo discas jura dare, atque salo

Ingolstadium pro symbolo ostendit hiantem concham, in cujus sinu albescit pretiosa Margarita, ex iis, quæ nascuntur in Bavaria præsertim in Izio fluvio hac epigraphe *Hanc dat Bavara Nimpha.* 54.

Donawerda precatur Principi plurimos vitæ annos, ac regimen felicissimum. 55.

Bavara Te tellus multos conservet in annos,
Et nullum speret majus habere caput

Landishutum exhibet pro symbolo Arborem, ex qua poma aurea prodeunt, duo jacent in humum delapsa, indicantque duos Principes 56.

præ-

præmatura morte sublatos, quos Serenissima Eletrix MARIA ANTONIA enixa antea fuerat. Tertium aureum pomum firmiter hæret plantæ; eisque fructus perfectus, ad quem alludit lemma ex Virgilio. *Nec deficit alter.*

57. *Landavum* precatur Domui Bavaricæ perennem felicitatem in recens nato Principe

State Palatinæ laurus, prætextáque quercu
Stet Domus, & fulcro nixa perennet huic.

58. *Straubinga* ostendit pro symbolo Iridem, quæ cum Monachium ingrederetur parvulus Princeps illuxit juxta Electorales Ædes, addito lemmate. *Jam sperare licet.*

59. *Cambum* suadet Principi vestigijs hærere parentum.

Magne puer Titulis cum sis tam clarus avitis:
Non tua sit Virtus nobilitate minor.

60. *Furtha* pro symbolo ramum exhibet regiæ lauri, protenditque plures victorias, quas Princeps erit de victis hostibus reportaturus, cum lemmate. *Plantare petit clarescere vulgi.*

61. *Gravenavia* optat prosperitatem, perfectámque salutem Principi

In Te spes hominum. Te publica vota vocârunt
Optamus rursum, ut sit Tibi certa salus.

62. *Burghusium* solem in signo leonis fulgentem, suique imaginem in pellucido, ac Christallino fonte imprimentem, hac epigraphe *surget imago parentis.*

63. *Brunovium* ab amabilitate, ac pulchritudine commendat parvulum Principem, quem præfert cæteris alijs

Omnia clara nitent; sed clarior omnia supra
Princeps, qui blandus spirat amore focos.

64. *Schiardinga* generosum exhibet leonem flemma Bavaricum, qui arma Turcica conculcando retrospicit leunculum sequentem cum verbis *Virtutem Fili disce ex me.*

65. *Oettinga* explicat amorem populi erga parvulum Principem.

Quæ Te magne puer secrevit Gratia vulgo,
Hæc gratum vulgo Te magis esse facit.

66. *Frisinga* pro symbolo solem ostendit ab horizonte Austriæ in Bavariam assurgentem, ac vapores plurimos, caliginésque terræ incubantes discutientem hac epigraphe *Dispellit nubila Phœbus.*

67. *Amberga* explicat, ardorem amoris, quem in parvulum principem conceperant subditi plurimum sumpsisse incrementi ex ejus præsentia.

Pectora Bojugenum visendi Principis ardor
Accendit: sed nunc acrior ardet amor.

68. *Neoburgum* pro symbolo habet surculum insititium cum lemmate *Dulcia poma feret.*

69. *Retzum* puerum Principem docet, victoriam sui cæteris esse præferendam; ac bonum esse hujusmodi assuescere victoriæ

Vincere laus ingens hostes, & parcere victis
Gloria, sed te se vincere, pluris erit.

70. *Hirschbania* exhibet pro symbolo Parelium, seu solis imaginem expressam in nube rotida hac epigraphe *Patrique simillima Proles.*

Kempatium apprecatur parvulo Principi 70. veras victorias dignas homine Principe, æquè sibi, & alijs imperante.

Non hostis *Joseph*: sed Te Clementia vincat,
Et ratio; Victor sic eris ipse Tui.

Mosbachium exhibet pro symbolo Bombycem nentem fila serica, & ex verme alatum papilionem factum, ac volantem intra Electorales Ædes cum lemmate *Amor addidit alas.* 71.

Gravenwerta excusat singulas Bavariæ urbes, quæ si non exhibeant Principi aurum, dant nihilominus cor omni auro pretiosius 72.

Obsequijs devota tuis Gens Bavara donat
Pondera non auri: sed sua corda Tibi.

Sed dolendum, horum totius Bavariæ gaudiorum extrema luctum occupâsse. *Carolus II.* Hispaniarum Rex hunc Principem, utpote natum ex filia sororis, seu nepte consentiente *Ludovico XIV.* Galliarum Rege, alijsque Principibus. Hæredem sibi delegerat; ob id Monachio Bruxellas ad *Maximilianum Emmanuelem* patrem vectus fuit, iter per Gallias in Hispaniam prosecuturus. Sed Mors invida hunc Principum Florem præmatoro fato, Bruxellis in Brabantia suo gelu decoxit; cujus propterea inscriptionem sepulchralem, quam composui hic subjicio 73.

Heu triste Fatum!
Josephus Leopoldus Princeps Bavariæ
Electoralis
Natus Hispaniarum Monarchiæ regendæ,
Hic denatus jacet, nondum septennis.
Nomine magnus, omine major,
Bina Austriaca Prosapia Maximus.
Per plures Provincias ipsum Fortuna duxit,
Per regna, Regúmque aulas Fama,
Sed ad Æthera præmaturum Fatum.
In cœlis priùs coronandum
Quàm in terris sceptro donandum

Alia sepulcralis Inscriptio

Jaceo
Inter coronandos sine controversia coronatus
Inter æmulos æmulis carens,
Antequam orbis Elector, cœlo electus,
Sed ab Imperio ad Empyreum
Erepto
Applaudat orbis.

In solemni igitur Principum ingressu eriguntur Arcus, Machinæ theatrales, pegmata, & aliæ moles, quibus adduntur picturæ symbolicæ, & inscriptiones, vel ligatæ, vel solutæ, ut hactenus ostendimus, & exempla produximus. Picturæ in Arcubus, alijsque machinis desumuntur ex aliqua allusione ad res præclarè gestas, vel circumstantias, vel insignia Principis, quo pacto Philippo II. Regi Hispaniarum Belgium ingredienti depictus fuit Sol quadrigis vectus cum lemmate *illustrabit omnia.* Quòd si gesta, ad quæ fiunt allusiones non suppeditentur; tunc pictura communem solet lætitiam testari. Hac ratione Alphonso Regi urbem ingredienti depicta fuit corolla variis contexta floribus adjecto lemmate *Hilaritas universa.* 74.

In

75. Inſcriptiones quæ publicis hiſce apponuntur machinis, & arcubus plus debent gravitatis continere, quam argutiæ, ne leves videantur: debent itidem breves eſſe, ſed nervoſæ, ac dilucidè explicantes laudes Principis, vel communem populi lætitiam, ut in Principis ingreſſu. *Ingredere Heroum feliciſſime hæres, ſatagentis Patriæ votum, ſpes publica, commune ſolatium. Imple præclaris geſtis æternitatis faſtos, & comple Neſtorios, quos tibi exiximi optamus annos.*

76. Solent itidem inſcriptiones adhiberi in locis publicis ad indicandum quid ſint, vel quæ in iiſdem contineantur, ut eſt illa inſcriptio, quæ duobus duntaxat comprehenſa verſibus legitur Brixiæ in publico urbis palatio, ſeu tribunali

Hic locus odit, amat, punit, conſervat, honorat,
Nequitiam, pacem, crimina, Jura, probos.

77. Antuerpiæ ad fores ſuburbani horti hæc alia legitur inſcriptio paucis comprehenſa verbis. *Modeſtæ voluptati, non vanitati; quieti non torpori.* Romæ cuidam fonti in via flaminia inſcriptio etiam legitur ſerio-jocoſa, *ſi humano ingenio perpetuò parari viatoribus vina potuiſſent, non amœnum, quem cernis fontem Cajus Lepidius Magna impenſa adduxiſſet: pota felix.* Et juxta puteum Romani Capitolij hæc alia legebatur metro ligata:

Nos vas condidimus pluvia tu Jupiter imple
Præſidebiſque tuæ rupis adeſſe velis.

78. Et ſtatuæ Octaviani Auguſti eò quia bis in Sicilia victus fuerit ad perpetuum dedecus hæc fuerat inſcriptio ſculpta: *poſtquam bis claſſe victus naves perdidit, aliquando ut vinceret luſit aſſiduè aleâ.* Interdum inſcriptiones ſunt ludicræ, ut eſt illa quâ pungitur Heluo, lurcóque ſolemnis. Adesdum, & mihi propina hoſpes: ſalutem mihi precare, non requiem, nam & poſt fata ſitio. Vixi quidem, ſed ut Philoſophus ille in dolio: nec Philoſophus tamen, quod vacuum fieri poſſe docerem in poculis; nec Grammaticus, quòd caſus, qui crapulam comitantur declinare neſcierim. Imo extra Philoſophi morem viciſſim credo cenſuros, & Lapithas, ſi crateribus certandum foret: at victorem non aliud ſertum melius coronâſſet, quàm hedera. Sed quouſque te ſiccus alloquar? huc pocula mero ſpumantia affer.

79. Inſcriptio ſeria etiam ſoluta oratione, ſed paucis comprehenſa verbis eſt illa arci Senenſi appoſita *Coſmus Medices Dux Florentiæ, & Senarum arcem hanc & unà Senenſium quietem, ac ſecuritatem fundavit anno M. D. LXI.*

EXPENSIO IX.

De Elogiorum nomine, origine, & quidditate.

1. Huic diſpliceant roſæ, & lilia, cui non placet elogiorum ſtylus, quem hortum dixeris ad omnem conſitum amœnitatem, & elegantiam; arboribus vireſcente foliorum comâ perpetuò luxuriantibus venuſtum, ac innumeris florum diſtinctum areolis, ex quibus argutiarum ſpirant odores. Si Myrthus, Cypariſſus, Platanus, & Laurus, quia nullum ex ſenſibus præter oculos paſcunt excluduntur à prædio pauperum; in horto tamen Prædivitis, cui vel ipſa umbra genus fructuum eſt ad temperandos æſtus, facilè aluntur: perinde dixerim laconicas argutias ad ingeniorum duntaxat illicia ortas, non in quovis campo efflorescere, neque in quolibet orationis agro vireſcere, ſed ab ingenijs ad politiſſima natis elocutionis decora, in elogijs, veluti in hortis excoli.

2. Ad declinandam omnem æquivocationis umbram, ſumitur interdum elogium pro teſtamento morientium; vel etiam pro teſtificatione de aliquo, honoris, vel ignominiæ causâ; interdum etiam ſumitur pro ipſa ſignificatione expreſſa teſtamento datæ, vel denegatæ hæreditatis. Quinimo *elogia*, ſeu *ellogia*, vel *heulogia* uſurpantur ad ſignificanda carmina, & adagia.

3. Verùm elogium juxta præſens inſtitutum, & quo ætas noſtra maximè delectatur, ingentique plauſu, ulnisque apertis amplexa eſt; arguta, & laconica eſt oratio comprehendens ſeriem argutiarum, quibus præclarum aliquod geſtum viri illuſtris, vel etiam vitæ totius ſeriem commendamus; adeò ut elogium brevitate, & argutiarum lepore triumphet. Quamobrem eſt elogium quoddam conciſæ, & argutæ orationis genus; ſeu oratio argutis referta laconiſmis; & dici poſſet libera Poëſis, vel quodam epigramma continuum, ac multiplex, ſed à lege Poëtica ſolutum; quia libertate gaudens vinculis detrectat illigari: verùm quamvis à lege Poëtica, ejúſque vinculis ſit libera, videatúrque oratio exlex; leges tamen ſuas religiosè ſervat oratorium inter, & Poëticum ſtylum, cujus proprietates ſunt laconiſmus, quo vel maximè delectatur hoc orationis genus; & acumen, ſine quo rara eſt linea. Sub genere acuminum comprehenduntur etiam argutæ, ac politicæ ſententiæ, luſus in verbis rariores, & alia id generis, quæ aliquid præſeferunt venuſtatis, & huc orationis genus eſſe ſolet illuſtris viri, vel perſonæ laus brevis; quamvis etiam ad res inanimatas interdum transferatur. Hinc elogium unum interdum comprehendit illuſtre geſtum, quod per ſeriem argutiarum commendatur, & nonnunquam totius vitæ rationem, quam debitis laudibus excipimus.

4. Tripartitur Elogium in Oratorium, Hiſtoricum, & lapidarium. Elogium Oratorium

 dicitur

dicitur omne breve encomium in genere exornativo, cujusmodi est illud Ciceronis fragmentum de Martiæ Legionis militibus vulneratis, & occisis in victoria, & soler in exemplum adduci: interjecti asterisci lineolas indicant. O fortunata mors *, quæ naturæ debita, * pro patria est potissimum reddita * vos verò patriæ natos judico *, quorum etiam nomen à Marte est: * ut idem Deus urbem hanc gentibus, * vos huic urbi genuisse videatur. * In fuga fœda mors est *, in victoria gloriosa.* Etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet.* Illi igitur impij, quos occidistis, * etiam ad inferos pœnas parricidij luent.* Vos verò qui extremum spiritum in victoria effudistis, * piorum estis sedem, & locum consequuti.* Brevis autem vobis vita data est: * at memoria bene redditæ vitæ sempiterna.* Potest hoc elogium dividi in lineas, ubi asterisci notantur.

5\. Fragmentum elogij historici excerpsit Thesaurus ex Tacito in Galbam & per lineas metricas, disposuit iisdem prorsus regulis; ut præstiti in fragmento Ciceronis.

Hunc exitum habuit Sergius Galba:
Tribus, & septuaginta annis,
Quinque Principes emensus.
Alieno imperio felicior, quam suo.
Illi vetus nobilitas, magnæ opes,
Medium ingenium.
Magis extra vitia, quàm cum virtutibus.
Famæ nec incuriosus, nec venditator.
Pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus,
Publicæ avarus.
Amicorum, libertorumque,
Ubi in bonos incidisset,
Sine reprehensione patiens:
Ubi in malos, usque ad culpam ignarus.
Sed claritas natalium,
Et metus temporum, obtentui:
Ut quod segnitia erat, Sapientia vocaretur.
Dum vigebat ætas,
Militari laude apud Germanias floruit.
Proconsul, Africam moderatè;
Jam Senior citeriorem Hispaniam pari justitia.
Continuit.
Major privato visus, dum privatus fuit.
Et omnium consensu,
Capax Imperij, nisi imperâsset.

6\. Imitantur hujus generis elogia naturam Historiæ, cujus veritate delectantur; continent tamen periodos concisas, perbreves, quæque plurimum habent roboris, & paucis plura comprehendunt; & instar Historiarum illustre alicujus præclari viri gestum, vel etiam totius vitæ rationem referunt. Id interest discriminis inter elogium oratorium, & Historicum, quia illud stylum phrases, & concinnitates desiderat oratorias, perbreves tamen, & floridiores intra oratoris gravitatem: periodos itidem amat fluidas, non tamen turgidas; conceisas, non inflatas: affectus excitat, vel coërcet, prout res postulat. Elogium verò Historicum stylum optat non abhorrentem ab historijs, quarum narrationibus accommodatur: amat gravitatem atticam, elegantiam nitidam, æquabilitatem fusam, arguté brevem.

7\. Elogium verò lapidarium, de quo jam praesens institutum loquimur, stylum servat medium solutam inter orationem, & ligatam Poësim; adeout sit affinis stylo Poëtico, vergatque ad Jambici carminis sonum: Laconica gaudet brevitate; argutijs, & veneribus amat copulari. Tropis, venustatibus, allegorijs pressis tamen, æquivocis, antithetis, oppositionibus, adagijs, allusionibus, sententijs, alijsque floribus atticæ elocutionis, vel maximè delectatur. Verborum respuit fucatas redundantias, phrases excludit oratorias, prolixas abigit periodos, & quia nil sine sale sapit, argutis salibus inspergi cupit, & acuminibus in singulis fermè metricis lineis illuminari. Laconismo enim gaudet, quò paucis plura comprehendat, & veluti nobilis gemma grande pretium in exigua margaritæ gutta includat: est siquidem hoc orationis genus legentium oculis natum, non audientium auribus accommodatum. Id tamen cavendum, ne brevitas claritati officiat, & ne verba seligantur absoleta, & abstrusa, quæ elogiorum potiùs obnubilant nitores, & obscurant lumina: non conceptus mentales verbis, sed hæc conceptibus famulantur, Ad id siquidem fuerunt instituta verba, ut substituerentur loco mentalium conceptuum.

8\. In elogijs igitur, cum materia una, vel multiplex percurritur, ornanda est pluribus argutijs, ac illuminanda nitoribus. Ut si quæratur, cur Christus Dominus nasci voluerit nocte intempesta cùm dies sunt breviores, ac incipiunt crescere, & novus annus instauratur; possumus argutè multipliciter respondere. Primò quia cum venerit extursurus peccati, mortisque tenebras, succitque Sol justitiæ, nasci decuit, cum tenebræ terrarum tractus occupacent, nostras ut abigeret caligines, mortisque fugaret umbras. Secundò opportunè justitiæ Sol oritur, emergitque è tenebris, ut jucundiorem divinæ gratiæ diem nobis aperiret. Tertiò cùm nox atra peccati mundum totum involveret, non potuit in mundo Sol divinus nisi è tenebris prodire. Quartò post Dei crepundia novus nasci debuir annos, qui addisceret cum Deo infante vagire, & inter Verbi divini fascias coarctari. Quintò debuerant annorum spatia suis angustari initijs, cùm ipsa æternitas Verbi temporum angustetur in cunabulis. Sextò cœleste lilium fœcunditatem impertiturum steri, lescentibus hominum spinis in terris efflorescere, quas nova venustat fœcunditas, Deum in carne natum proferens.

9\. Non tamen Elogiastes uni hærere, vel alteri tantùm adigitur circumstantiæ, sed per singulas etiam argutè excurrit, quo latior pateat argutandi campus. Si enim perpendamus singulas circumstantias natalitij Christi Domini, quia nasci volnit eo tempore, quo mundus totus fuit in pace compositus *ab hac circumstantia pacis*, quæ terras omnes tranquillaverat, dicitur: decuit servilia terrarum odia silere; Dum

nova

nova amoris bella elegit Dominus, quibus efferatos hominum animos eadem humanitate, quam induerat, humanissimè expugnaret. A *circumstantia gentium recensitarum.* Gloriosior Roma fuisset, si vana hominum recensione omissa, numerare unum didicisset inter homines Deum. *A circumstantia exclusionis à diversorio.* Mirum non fit, si locus ei non fuerit in diversotio, cum neque in hominum animis haberet hospitium. *A loco* cœlestem hospitem excepit malè materiatum tugurium: quid præter obscura mapalia & paupertatem invenire potuit in terris, qui veras divitias reliquerat in cœlis. *Ab humana carne assumpta* vestras dirigite vias mortales, factus Deus Viator est: rectè incedentibus occurrit in via. *A præsepe, & paleis.* Frumentum erat Electorum, & quia ab æterno jam maturum, nonnisi in paleis flavescentibus debuit apparere. *A nomine loci,* seu *Bethleehem,* quod interpretatur civitas panis. Datutus Deus de se ipso convivium homini; in loco panis ne deessent delicatiora fercula, factus est ipse Caro. *A stramine præsepis* ignem venerat in terras mittere Deus, aptam concipiendæ flammæ materiam quærens descendit in fœnum. *Ex eo, quòd non fuerit locus in diversorio.* Novam Deus facturus in Verbo metaphoram à propria sua sede illud eò transtulit, ubi non erat ei locus. *A loco medio bovem inter & asinum.* Media nocte natus, nactus statim est locum medium cicures inter feras: nec mirum, non potuit alium virtus locum tenere, quàm medium: Amica medij semper fuit virtus. *A Virgine Matre.* Fœcunditatem à Virgine didicerunt scopuli, & quercus, illi oleum, hæc opobalsamum dederunt. *A Pastoribus primò adorantibus.* Primas oves pastores sibi elegit: Decuit inter pastores agnum nasci, & natum ab ijsdem primò agnosci.

EXPENSIO X.

De optimo charactere Elogiorum, regulisque ea texendi.

Noluit opinio nonnullorum asserentium, argutias Elogijs inserendas naturæ, atque ingenij viribus potiùs effervescere, quàm ullis artis regulis contineri. Verùm si multum in cæteris disciplinis, non diffiteor in elogijs plurimum valere præstantis, ac elegantis ingenij felicitatem, assidua præsertim exercitatione corrobotatam: sed Tyrones hujus instituti regulis destituti necesse est in frequentes errores impingant, quapropter operæ pretium est, aliquot hic regulas attexere, quibus hujus instituti alumni argutiarum fontes attingant, ex quibus acumina hauriant presso laconismo elogijs inserenda: hujus enim instituti sectatores argutæ brevitati necesse est studeant, ita ut verborum circuitus, periodorum prolixitates omnino fugiant. 1.

2. Plures ut videantur Ciceroniani hanc corrumpunt facultatem: alij quia molliuribus utuntur orationis cincinnis vim argutiatum delicatæ dictionis aucupijs infringunt. In Elogijs non voces, sed conceptus mentis, & argutiarum series perinde ac gemmæ auro insertæ splendent. Perindus non est hic quærenda; neque latini medulla sermonis: acutus videri qui vult, non latinus semper esse potest. Ut igitur Elogium texatur in honotem, vel commendationem alicujus præclari viri, seligenda priùs sunt gesta laudibus excipienda; deinde è suis fontibus hauriendæ sunt argutiæ, sive fundatæ in eruditione, sive in æquivoco, sive in oppositione, antithesi, concordi discordia, & ex pluribus unà congestis sunt seligendæ, quæ magis congruunt rei, deinde invicem nectuntur laconicè per lineas metricas, ut si fieri possit quælibet lineola suo splendeat acumine. Commendemus elogio heroicum Susannæ gestum, quò insanientes vesano amore senes abegit, ponatur hoc thema. *Susanna insanos, canósque senes, à quibus ad libidinem alliciebatur à se expulit.* Quo variæ conficiantur argutiæ hoc super themate, sumatur castitas Susannæ, & libido senum, & per decem Aristotelis prædicamenta inveniantur metaphoræ, hoc pacto.

SUSANNÆ CASTITAS.	SENUM LIBIDO.
Substantia.	
3. *Lilium inter spinas; pretiosum margaritum, quod non infuscatur. Pellucidus adamas frangi nescius, Noëtica Arca citra naufragium, nix incorrupta. Aretusa, quæ dulcissima devolvitur per salsas maris undas.*	*Flamma exitialis, crudele incendium, sirenula blandula, sodomiticum pomum, sardonica herba, quæ mori cogit in risu. Panthera odore alliciens, ut ungue, ac dente dilaniet. Taxus arbor, quæ umbrâ voluptatum interimit.*
Quantitas.	
Grandis virtus, ingens decus, æternum pariens gaudium; maximum animi ornamentum.	*Perbrevis voluptas, prolixa pœna, grande monstrum, informis fera, exitium æternum.*
Qualitas.	
Nivea virtus, illustris candor, pretiosa animi dos, angelica qualitas, cœlestis splendor, nobile decus.	*Hilaris pœna, crudele gaudium, blanda mors, exitialis voluptas, suavis dolor, obscura flamma suo fumo lachrymas eliciens.*
Relatio.	
Parens æterni gaudij, illibatæ mentis filia, Sapientiæ Soror, nivi similis, Religiosis amica, Veneri inimica.	*Æterni ignis genitrix, impuræ Veneris filia, virtutum hostis, vitiorum amica, insanientibus libidinis æstu chara, monstro similis.*
Actio & Passio.	
Animam ornat, mentem illustrat, mores componit,	*Venena propinat, candorem animi denigrat, virtutem*

cor purificat, Rempublicam regit, legibus paret, conſcientiam lætificat.

tem abſumit, mores corrumpit, mentem obnubilat, animam enecat, gehennam aperit.

Locus & Situs.

Floret in mente, alitur cum cæteris virtutibus in corde, excolitur intra religioſa clauſtra, ſolitudinem amat, è cella in cœlum nititur.

In lupanaribus fovetur, in contubernijs ſuccenditur, in palatijs alitur, in diverſorijs triumphat, templa profanat, aras violat.

Motus.

Ad gloriam evolat, inter pœnitentiæ dumeta creſcit, bravium currit, & præmium aſſequitur, ad felicitatem properat.

Citò fugit, cum umbra tranſit, per urbes vagatur, muliercularum domos ingreditur, per viſcera ſerpit, ad gehennam perducit.

Quando.

Occidente ſole non occidit, cadente natura non cadit, ſemper vere novo effloreſcit, æternùm viget, in cœlis jugiter olebit.

Brevi illicio æternum ſibi comparat cruciatum; nunquam hyemat, ſemper æſtuat, vel ſub canæ ſenectutis nivibus calet, momento evaneſcit.

Habere.

Decoris ſplendore veſtitur, intactas ſuas ſervat nives, lilijs ornatur, & illibato candore venuſtatur.

Cupidinis obarmatur telis, flammis circumſepitur, fumoſa lachrymas ab oculis elicit, veneno inſicitur.

4. Ex hoc metaphorarum choragio facilè poſſunt argutiæ confici, ſi per antitheta metaphoræ ſimul nectantur hoc pacto. 1. Amantes verè ſunt amentes, & eò inſaniores, quò ſeniores, cùm flammis nivem comburere, ac perdere adnitantur. 2. impudicitiæ incendium lilium aduſſiſſet, niſi fontium latices flammis objeciſſet. 3. Unda olim Venerem peperit, modò perdidit. 4. Nova metamorphoſis poſteris exhibetur: nives olim aſſuetæ flammas extinguere, in niveis Suſannæ membris mutatâ naturâ ignes excitant, quibus ſenes rigentes ætatis hyeme æſtuant ad inſaniam. 5. Nives & ignis diſcordes olim rivales, ſocordes modò contubernales in ſenibus convivunt, ſimúlque confœderantur in exitium caſtitatis. 6. Hos ſenes Ætnas crede, cum ſub canitiei nivibus inſani ignis incendia foveant, quæ foras eructant per verba ad libidinem allicientia. 7. Non amplios commendentur Dodonæ fontes, in quibus extincta funalia accendebantur, nam Suſannæ latices fabulam transferunt in Hiſtoriam, dum ignes excitant in ſenibus, qui æſtu correpti juveneſcunt libidine. 8. I modò vince Amorem ſi potes, quando hic undis ſuccenditur, non extinguitur. 9. Non mirum ſi prope fontem creſcit amoris ignis, libido ſardonica eſt herba, quæ mori cogit in riſu, hiſce rigata undis non poterat non viritim luxuriare, ac incrementa ſubire. 10. Caſtitatis Aretuſa per amaras amoris undas dulcior devolvitur. 11. non extinguitur undis libido, quia impura Venus in aquis nata fluctibus neſcit immori, à quibus cunabula hauſit. 12. Pudoris nives prope libidinis incendium, nec liqueſcunt, nec diſſolvuntur, nec obſcurantur accenſæ libidinis fumo. 13. Virtutis hi ſunt triumphi: diſcite & vos moleſtis ignibus perculſæ puellæ tales nives Veneris flammis objicere, quo de ſagittario triomphetis Cupidine. 14. Nobile animi decus à blanda morte hoc niveo pharmaco tantùm ſervatur incolume. 15. Inter ſpinas candicans lilium flammis obrutum non igneſcit. Hæc ſunt prodigia caſtitatis. Ex hiſce congeſtis, & veluti confuſè coacervatis argutijs ſeligendæ ſunt, quæ plus præſeferunt venuſtatis & perpoliendæ, ac laconicè in metricas lineas coarctandæ hoc pacto.

Amentes eſtis, non amantes,
Qui Cupidinis retibus pudicitiam
Hoc in fonte expiſcamini:
Non parit hæc unda Venerem.
Sed in ipsa perit.
Procul hinc, naturæ nefandæ reliquiæ;
Eò inſaniores quò ſeniores.
Jam tempus veſtras aravit frontes;
Fontes linquite,
Palmas metere, ne expectetis,
Elapſa eſt æſtas.
Abijt juventutis ver,
Solùm vobis ſupereſt decrepita ſenectutis hyems;
Hoc indicant veſtrorum capitum nives.
Cerne tamen Viator amoris metamorphoſim:
Juveneſcunt ſenes, non ætate, ſed libidine.
Quia Æſtuant, non fingunt,
Sed figunt dementes in mente,
Sub canitiei nivibus æſtuant Veneris ignes.
Amoris Ver hyemat in nive ſenectutis.
Et ſenectutis hyems vernat in amoris vere.
Heu quam ſpecioſum eſt damnum, puellæ ſpecies!
Ejus faciem, facem crede;
Etiam accendendis ſenectutis nivibus aptam.
Nivea membra dulci lavabat latice Suſanna.
Cujus nomen Roſam ſonat.
Spirabant auræ, & ſimul conſpirabant in pudicitiam;
Nam latentes angues in herba,
Uti fuci ad Roſam volitant,
Illum violaturi florem,
Qui ſemel amiſſus,
Nullo fit ampliùs pretio venalis.
O monſtroſam libidinem! quæ excitavit incendium,
Etiam inter frigidos fontium latices!
Candori inſidias tendunt cani,
Et ante artus ævo trementes intremuit pudor,
Qui tamen vicit,
Quia impudico igni, pudicitiæ nives objecit.
Diſcite, & vos moleſtis ignibus perculſæ puellæ,
Has nives objicere Veneri.
At quam meliùs hæc unda extinxiſſet flammas,
Quas exitaverat;
Si ubi vitam incepit Venus; finirent Venerei,
Eſtote formidoloſæ puellæ, & diſcite:
Difficilis ſanè eſt raræ cuſtodia formæ.
Vix tutum eſt multis, quod placet, atque patet.

EXPENSIO XI.

De Artificio reducendi argutias laconicè in lineas metricas.

1. DE prompto argutiarum choragio, & acuminum apparatu ex decem prædicamentorum fontibus non statim ex omnibus congestis texendum est elogium, sed sunt argutiæ seligendæ, quæ laconicè, & clarè exprimantur, & ad rem nostram faciant, ac subjecto congruant: eodem ferme pacto, quo Hortulanus cum ex varijs arboribus varia decerpserit poma, non omnia in disco adaptat, mensæ apponenda, sed pulchriora, ac maturiora seligit, quæ oculis, & gustui magis arrident. Est error, qui per Tyronum ingenia semper irrepsit inserere congesta quæque, & inventa orationi; ne unica quidem sabella, aut verbum omittatur: obsonium hoc panem, ne putes: elogium excitandis ingenijs natum est, non pascendis; & nisi eum moderatione sumatur fastidium nimium avidis mentibus procreat, & nauseam.

2. Farta laconismis oratio brevirati, & acuminibus necesse est studeat: gemmæ ac lapilli non in nomero, sed qualitate pretium habent: unus adamas, si pellucidus, & grandior cæteris fuerit pluribus alijs simul deterioris qualitatis præfertur. Gratissima sunt illa elogia, quæ laconicè argutias exprimentia styli leges inter prosam, & carmen servant inviolabiles, ac veluti in metrica tabula solutis lineolis; inæquali, sed pulchra, ac eleganti proportione acumina sua exprimunt. Idque ut faciliùs contingat, sunt argutiæ texendæ verbis proprijs, quæ inter se pugnam aliquam videantur inire, vel similitudine simul confœderari: deinde amputanda sunt superflua, excludenda minus amœna, & arguta; nectenda, & concordanda, quæ magis discordant. Quod fit, si nonnulla addantur, & alia immutentur, & concisis, & laconicis membris scitè cohæreant: exemplum metricarum linearum potest esse, quod ex Cicerone subjicitur

Quid enim tam commune;
Quàm spiritus vivis, mare fluctuantibus,
Terra mortuis, litus ejectis.
At illi ita vivunt dum possunt;
Ut ducere animam de cœlo nequeant:
Ita moriuntur,
Ut eorum ossa terram non tangant.

3. Hæc tamen membra licèt concisa, & laconica non tamen sunt arguta, nec stylum servant medium inter oratorium, & poëticum, sed totus oratorius est: stylus verò elogiorum præter concisas periodos frequentiores exigit argutias; ita ut quamvis elogiorum membra non sint quantitati syllabarum illigata, suas nihilominus exprimant argutias, adeo ut rarum sit membrum sine acumine; in elogijs lineolæ perpenduntur, non percurruntur à lectore, à quo propterea omnem exposcunt attentionem: flores sunt, carpuntur per se singuli summis digitis, non tota immissa falce metuntur.

Oratoriæ igitur argutiæ reducendæ sunt ad methodum concisam, & laconicam, adeo ut plura amputentur, & aliqua addantur. Ut hæc præcepta praxi clarius illucescant, subjicio quædam fragmenta, desumpta ex SS. Augustino, & Ambrosio describentibus stylo oratorio necem D. Joannis Baptistæ Christi Præcursoris, qui in Aula Herodis inter convivia tactus saltationum pretium fuit, & capite diminutus. Ait D. Augustinus *serm.* 10 Puella saltat & sævit mater: & inter lascivias convivantium temerè juratur, & impiè quod juratur, impletur. Factum est Joanni, quod ipse prædixerat: illum oportet crescere, me autem minui. Iste minutus est in capite, ille crevit in cruce. Odium peperit veritas. Non potuit æquo animo tolerari, dicebat Regi, non licet tibi habere uxorem fratris tui, sed illi tamen sic libebat, ut non sæviret. Honorabat eum, à quo verum audiebat; sed mulier detestabilis odium concipiebat, quod aliquando dato tempore pareret. Quando autem parturiebat, peperit filiam, filiam saltantem. 4.

Hinc subdit Ambrosius *lib. 3. de Virgin. post init.* ab adulteris justus occiditur, & à reis in Judicem capitalis sceleris pœna convertitur. Deinde præmium saltatricis mors est Prophetæ. Postremo (quod etiam omnes Barbari horrere consueverunt) inter epulas, atque convivia consummandæ crudelitatis profertur edictum: & à convivio ad carcerem, de carcere ad convivium feralis flagitij circumfertur obsequium? Quanta in uno facinore sunt crimina? Quis non cum è convivio ad carcerem cursari videret, putaret Prophetam jussum esse dimitti. Quid crudelitati cum delicijs? quid cum funeribus voluptati? rapitur ad pœnam Propheta convivali tempore, convivali præcepto, quo non cuperet vel absolvi: perimitur gladio; caput ejus affertur in disco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur. Intuere Rex acerbissime tuo spectacula digna convivio. Porrige dexteram, ne quid sævitiæ tuæ desit, ut inter digitos tuos rivi defluant sacri cruoris. Et quoniam non exsaturari epulis fames; non restingui poculis potuit inauditæ sævitiæ sitis: bibe sanguinem scaturientibus adhuc venis exsecti capitis profluentem, cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, aversantes conspectum deliciarum: clauduntur lumina non tam mortis necessitate, quàm horrore luxuriæ. Hæc elegantem exhibent orationem, quæ si ad stylum elogij per lineas metricas deducenda sint, sensus potius quàm verba, & periodos debet Elogiastes imitari. Ut 5.

Sic oderat integritatem vecors libido,
Ut non integrum, sed fractum petierit Joannem.
Caput Puella poposcit,
Quia amans, & amens egebat capite;
Cui totum ingenium fluxerat in pedes,
Vacuum traserat caput.
Fallor non fuit demens, si relicto Regni dimidio
Caput Joannis petijt: elegerat pretiosius Regno.
At, i pessima prior mercatrix;
Cum tantum thesaurum possideas, non ut lucreris,

 Sed

Sed perdat.
Maluit innocentiæ candorem immeritâ purpurâ cruentare,
Quàm Regiam purpuram induere.
Puncta Venus cruoris rosas amat,
Non innocentiæ lilia;
Et tunc lætatur, cum canit epicedium pudori.
In anliuo freto, ubi vitia fluunt, ut resfluant;
Virtus non poterat in charybdim non incidere.
Venefica Circe convivium in tragœdiam vertens
Prologum initiatura VOCI indicit silentium;
Joanni necem.
Impudicitia non poterat exposcere
Nisi interitum castitatis;
Non fuit AULA illa Herodis, sed CAULA,
Ubi Lupa Agnum perdidit.
Principijs suis affines semper sunt fines.
Vitam è choreis auspicatus,
In choreis perdidit;
Et qui materna in alvo salijt,
Cecidit puellæ saltu.
Odium peperit veritas,
Non potuit æquo animo tolerari.
Ite, abite Gallicæ Principes
Non tam convivij socij, quàm testes flagitij,
Et discite: plus feritatis nutrire Aulas, quam sylvas

EXPENSIO XII.

De Arte nectendi argutias in elogijs.

1. Gordius nodus hujus instituti est, taliter inter se nectere argutias, ut optima elogij symmetria oriatur: non enim ad texendum elogium sufficit argutiarum acervum unà construere: perinde enim hoc esset, ac antiquum chaos revocare, quo rerum elementa simul congesta absque ullo ordine confundebantur. Amenta igitur serica, quibus in unum elogium argutiæ illigantur, sunt ipsæ figuræ patheticæ exprimentes aliquem motum sive intellectûs, sive voluntatis, de quibus etiam agit Thesaurus in Telescopio. Figuræ exprimentes motus, seu actus intellectûs sunt, Cognitio, Ignoratio, Ostensio, Narratio, Didaschia, Affirmatio, Negatio, Ironia, Reticentia, Præteritio, Juramentum, Testatio, Animadversio, Parenthesis, Correctio, Repetitio, Admiratio, Exclamatio, Extenoatio, Memoratio, Præsagitio, dubitatio, Inquisitio, Interrogatio, Responsio, Interpretatio, Occupatio, Fictio, Imaginatio, Expressio, Prosopopæia, Apostrophe, Ratiocinatio, Conclusio, Epiphonema, Compendium.

2. Figuræ exprimentes motus, ac actus potentiæ Appetitivæ sont, Imperium, Perplexitas, Approbatio, Admonitio, Obsequium. Quæ exprimunt motus partis concupiscibilis sunt Blanditiæ Salutatio, Apprecatio, Veneratio, Abominatio, Objurgatio, Irrisio, Execratio, Optatio, Invocatio, Votum, Obsecratio, Commendatio, Concessio, Gratiarum actio, Recusatio, Exultatio, Jactantia, Gratulatio, Plausus, Exultatio, Improperium, Pœnitentia; quæ demum exprimunt motus irascibilis sunt Spes, Desperatio, Verecundia, Timor, Audacia. Ira, Impudentia, Nemesis, Miseratio, Confessio, Deprecatio.

3. *Cognitio*, quæ græcè *Gnosis* vocatur, est actus intellectus, seu sensus circa sua objecta, qui actus exprimitur hisce vocibus, *Intelligo, scio, agnosco, experior, sentio, audio, video, miror.* Virgilius, *Nunc scio, quid sit amor: duris in cautibus illum.* Ausonius. *Miramur perijsse homines monumenta fatiscunt. Mors etiam saxis, nominibusque venit.* *Ignoratio* est motus animi, quo indicamus, rem nobis non innotescere; sic argutè dixit, qui introduxit Callimachum loquentem, qui occisus in prælio non cecidit, sed stans Libithinæ fata subivit, *Sepulchrum ambire debeam, nescio, an recusare. Nemo mihi statuam erigat, sufficit hoc cadaver.* Per ignorantiam habetur etiam illud fucatæ mulieris.

Virgine si nescis, nulla est formosior illa;
Cui non colla rubor, sed notat ora pudor.

4. *Ostensio*, quæ à Græcis *Dicnymia* dicitur, est motus animi, quo res ante oculos ponitur hisce notis, *Ecce. En. Aspice. Vide. Audi.* Seneca contra illum, qui pueros verberabat, ut pro illo emendicarent, enutriens propriam barbariem publicæ misericordiæ esca: sic linguam acuit: *Intuemini huic erutos oculos: illi effractos pedes. Quid horrescitis? sic iste miseretur.* Et Seneca Tragicus *Viden, ut laudis conscia virtus, non lethaeos horreat angues.* Per ostensionem habetur sculptum illud nobile epitaphium Virginis Dimphnæ à Patre Rege Hybernorum occisæ Antuerpiæ, quia recusaverat ab illo violari.

Dimphna triumphali jacet hic mactata pudori,
Rex pater est lictor, causa furoris, amor.

Narratio est motus, ac forma præparans animum ad audiendum. Horatius *Dicam insigne recens, adhuc indictum ore alio.* Et super sepulchralem lapidem gemini sponsi, quos prima Hymenei nocte ignis combusserat insculptum legebatur Epitaphium. *Grande Vulcani facinus enarro: audi viator, & luge.* De Tito Bibone

Postquam sex cyathos fundum usque hausit ad imum
O quàm fluxa, inquit, gaudia mundus habet.

5. *Didaschia* quædam est dicendi forma per modum alicujus documenti, quo aliquid doceat lectorem, ut in illa Romana inscriptione, *Hospes disce novum mortis genus. Improba felis dum trahitur, digitum mordet, & intereo.* Affirmatio est, quæ affirmat antedicta ut illud Horatij: *sic est: acerba fata Romanos agunt*, vel hæc alia de hominis infelicitate.

Cor nisi cura nihil; caro nil nisi triste cadaver,
Nasci ægrotare est, vivere sæpe mori.

Cum nullum sit studium apud homines frequentius medicina lepidè per affirmationem dicimus, omnes medicos agere

Fingit se Medicum quivis Idiota prosanus,
Judæus, Monachus, Histrio, Tonsor, anus.

Et de viro libidinoso, cui propria non sufficit uxor. *Cui non una satis fœmina, nulla satis.*

6. *Negatio* semper negat aliquid, Cicero: *Nego esse quidquam à testibus dictum.* *Ironia* est, quæ sub umbra laudis vituperat, vel è contra. Per hanc figuram Juno Venerem pungit *Egregiam*

giam verò laudem, & spolia ampla tulistis, tuique, puerque tuus. *Reticentia* est, quâ exprimimus aliquid omittere, ut est illud Junonis apud Virgilium. *Quos ego: sed motos præstat componere fluctus. Præteritio* est, quæ fingit silere, quæ de facto dicit. Cornificius, *Non dico te à socijs pecunias accepisse, non sum in eo occupatus, quod civitates, Regna, domos omnium depeculatus es, furta, rapinas omnes tuas omitto. Jusjurandum* est efficax dicendi forma. Quintilianus. *Juro per filij Manes Numini doloris mei. Testatio* est, quâ alios vocamus, ut sint testes, vel confirment, quæ dicimus. Cicero, *Vos Dij Patrij, ac Penates testor, integro me animo, ac libero Publij Syllæ causam defendere. Animadversio* considerat aliquam objecti circumstantiam, sic Hecuba apud Senecam Tragicum. *Regina quondam: ancilla nunc quidem tua. Correctio* est quædam animadversio super id, quod dictum erat; per hanc figuram satyrica est illa inscriptio in illum, cui nomen, vel Roderiquus, vel Fridericus erat. *Hic jacet Henriquus, vel Roderiquus, vel Fridericus, non bene recordor, tamen exit nomen in-iquus. Repetitio* est, quæ pluries repetit, quod jam dictum est, ut magis illud imprimat: Seneca *O lares, miseri Lares.* Argutum est per prædictam figuram Repetitionis nobile epigramma Mariani in gesta Urbani VIII. usque ad Pontificatum, alludendo semper ad Apes, stemma gentilitium Barbarinæ domûs;

Si tua florescens fovet incunabula Flora;
Lactea Nutricis Lilia pascit Apis;
Sive lyra revoces Mavortia ad arma Camænas;
Mellea Farnesij Lilia pascit Apis:
Sive caput primum sacra Nazaret Insula cingit,
Candida Nazareum Lilia pascit Apis.
Mitteris ad Gallas si Roma nuncius oras;
Regia Gallorum Lilia pascit Apis.
Princeps Felsineam, si tandem vergis ad urbem,
Aurea Felsineæ Lilia pascit Apis.
Dum Romam remeas, quid apis tua pascit in urbe?
Florida deficiunt Lilia; pascat oves.

7. *Admiratio* est vehemens consideratio super novitatem objecti, ut est illud Epitaphium, quod Romæ legerat D. Hieronymus. *Miraculum: vir, & uxor hic non litigant. Exclamatio* est vehemens animi motus, quo miramur in aliquod objectum hisce interjectionibus. Proh, O, Cicero, *O tempora! O mores. Memoratio* est, qua recordemur rerum præteritarum. Horatius *Æquam memento rebus in arduis servare mentem. Præsagitio* est, quâ futura præsagimus. *Nescio quid animus grande præsagit malum. Dubitatio* est, quæ mentis ambiguitatem indicat, ut de milite, qui occisus non cecidit. *Dubito, an moriendo vicerit, an vincendo sit mortuus. Inquisitio* est, quâ aliena quærimus, vel alios interrogamus. Martialis; *Uxorem quare locupletem ducerem nolim, quæritis? vel quæris cur aurum fugiat? aura est. Responsio* est, quâ interrogationi respondemus. Martialis

Esse putas Cynicum deceptus imagine falsa?
Non est hic Cynicus, Cosme, quid ergo? canis.

8. Echo est repetitio trunca ejusdem vocis, ut de navi comparata cum ave;

Puppis cauda, carinaque venter, proraque rostrum:
Velaque sunt alæ; totaque navis, avis

Et de Cygno moriente,

Cum me fata vocant ad amœni fluminis oram;
Me moriens mœsto carmine olor olor.

Ex hac trunca Echonis repetitione plura venustè respondent, ut cum Virgini Matri dicimus Fave, Ave: de Agno Eucharistico Magnus Agnus: pleraque alia ex Echone resultant ut Clamor, amor: Clangor, angor; Plaustrum austrum: Hamo, amo: habeat abeat. Æris eris: fœmina mina: Primus imus: Mœstus æstus: Faville illa: facies, acies: Nomen omen: sepulchra pulchra: generosa rosa: amabit abit: reaudis audis: furore rore: Onustus ustus: Lepidè in hisce carminibus:

Quæ celebrat thermas Echo, & stagna alta Neronis:
Deludit voces concava sæpe meas.
Sæpe hic Narcissum expecto: simul illa moratur.
Si queror, hæc queritur, si gemo, & illa gemit.
Quinam clamor, amor: *quinam* furor, uror: an Echo?
Echo, *quæ major pœna,* in amore moræ.
Expectas Narcissum, illum, *quæ causa* morandi?
Orandi. *Num isthæc dicta* notabit? abit.
Adfuerat fuerat. *Num* illhic? hic, *quem fugit* iste?
Is te, *etiam* me? me *quid malum,* amare? mare.
Non veniet veniet. *Quæ* spes? æs. *Vincitur* auro?
Auro *victor ero prodigus* æris? eris.
Sunt igitur fragiles? egiles. *Cui* muneris? æris.
Quis docet hoc? Echo. Cur bene clamat? amat.

Interpretatio est, quâ alienam mentem in- 9.
terpretamur celebris est in hoc genere responsio illa Terentij, cui dixerat, sævus Pater: *Abi cito:* respondit ipse; *visum est mihi dicere abi cito suspende te. Fictio* est quâ supponimus, vel fingimus aliquid esse, quod non est: ut *fingite vobis videre nudatos enses, sauciata membra, fractos artus, hic cadere occisos milites, alibi jacere pallida, ac semicorrupta cadavera. Imaginatio,* est, quâ imaginamur, quæ non sunt. Virgilius *Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri sedibus. Expressio* est, quâ unum objectum mediante alio exprimimus magis patheticè; vel etiam per aliquam hyperbolem: ut. *Non Goliam credimus pugnâsse cum puero Davide, sed carneam turrim. Prosopopæia* est, quâ inducitur res inanimata loquens, perinde ac si esset animata, ut *Adesdum viator, Carthago sum, quæ loquor; steti Romanorum terror, modò meis sepulta cineribus jaceo, nec me in me ipsa ampliùs video. Apostrophe,* quando loquimur cum rebus inanimatis Horatius *O fons Blandusiæ splendidior vitro, dulci digne mero. Ratiocinatio* est forma dicendi, quæ exprimit actum tertiæ operationis intellectûs, redditque rationem rei, quam proposuit, cujusmodi est illa inscriptio in Palladem, quâ alluditur ad illud

Diogenis HOMINEM QUÆRO. *Cur Pallas non nupta? virum non invenit ullum.* Vel hoc aliud argumentum de somno:

Si somnus nihil est nisi mors, nil mors nisi somnus.
Quò plus in vita dormio, vivo minus.

10. Initium urbis Romæ argutè per argumentum deductum à pari mundi initio pariatur.

Incepto fratrem Cain orbe occidit Abelem,
Incepta fratrem Romulus urbe Remum.
Roma Remi polluta recens, & mundus Abelis
Sanguine; principium est orbis, & urbis idem.

De tempore pulchrè etiam dicitur

Tempus edax rerum nos & terit omnia tempus,
Nos terimus tempus; jam sumus ergo pares.

Ex eo quòd omnia flumina ingrediantur mare.

Salsa sitim pariunt: nil æquore salsius: ergo
Quid mirum dulces, quòd bibit æquor aquas.

11. Quia Paracelsus putavit suâ arte cum Mercurio præparato posse senectutis rugas, canósque abstergere, ac pristinæ juventutis flore curvescentem senem vestire, ac erigere, cùm tamen ipse in virili adhuc ætate decesserit, & ante senectam mortalitatem exuerit: non defuit qui in eundem retorserit *Medice cura te ipsum:* & inde per ratiocinationem intulerit ejus vanitatem, fallámque Doctrinam:

Si præcox Medici mors scandala præbet, oportet,
Scandala præbuerit mors Paracelse tua.
Nam dum Nestoreum promittis pluribus ævum;
Ipse priùs letho præveniente cadis.
Ridiculum Medicum! si vis Panacea senectam
Conferat, ut reliquis, ne moriare priùs.

12. Per hanc figuram festivè intulit Henricus Abriensis Poëta Anglus haustum cerevisiæ nil boni continere, ait:

Nescio quod stygiæ est monstrum deforme paludis,
Cervisiam plerique vocant. Nil spissius illâ,
Dum bibitur; nil clarius est, dum mingitur; ergo,
Constat, quod multas feces in ventre relinquat.

13. Sunt plures Germani rustici, qui hoc haustu se se ingurgitant, crassisque humoribus ventrem, & caput ad vertiginem usque implent, idque festivis præsertim diebus, cum vacant à laboribus, ut plures eorum etiam postera die ob capitis turbationem, laboribus subeundis sint minus idonei, non absque levi sanitatis detrimento, quod tamen opifices octiduana utcunque instaurant abstinentia. *Epiphonoma* est forma dicendi, quæ per modum conclusionis perstringit antedicta, & exhibet frequenter aliquod documentum morale. Valerius Maximus postquam expresserat Tragicum Crassi infortunium, ait, *Sic Dij spreti exardescunt, sic humana consilia castigantur; ubi se cœlestibus præferunt.* *Epithome* seu *compendium* est nervosa figura, quæ in unum colligit plura, hæc figura egregiè elucet in sepulchrali inscriptione Justi Lipsii *Humana cuncta fumus, umbra, vanitas, & scenæ imago: & verbo ut absolvam, nihil.* *Interrogatio, & Responsio* simul est quædam dicendi forma, quâ interrogamus, & simul respondemus, Ut

14. Interrogatio. *Rex regnat solus, cur non regit omnia solus?*

Responsio, *Qui regit & regitur, rectius ille regit.*

Figuræ exprimentes motus, seu actus voluntatis sunt *Imperium* quâ dicendi forma alijs imperamus, ut de laudibus spernendis.

Quærito virtutes, virtutum spernito laudes,
Nominis est enim gloria, non hominis.

Martialis. *Barbara Pyramidum sileant miracula Memphis:* hæc figura plurimum valet in sepulchralibus inscriptionibus, & potest exprimi hisce formulis, *Lege viator luge. Tristes ululate gentes. Lugubri tondete manu Cæsariem vestro è vivis abraso Cæsare. Viator lumina corrumpe fletibus. Siste gradum quisquis es. Adsta, & perlege. Perplexitas* exprimit volontatem ambiguam. Cicero *quò me vertam nescio. Approbatio* est confirmatio rei, Seneca: *Sic agendum est, age, perge, bene est. Admonitio* est, quæ monet alios, ut legitur in quodam Sarcophago: *Te seu notum, seu ignotum moneo, mori cogites antequam moriaris.*

Formæ exprimentes motus animi concupiscentis sunt, *Blanditiæ: ut veni blandule, accede dulcis animula, amo te. Apprecatio* est, quâ bonum alteri precamur, & plurimum valet in epitaphijs, ut. *Valeas quisquis es. Dij te ament. Veneratio* est, quâ res inanimatas colimus, ut, *Quisquis es, viator loci sanctitatem supplex, flexóque poplite venerare; subterranea Roma est Urbs latens, Orbi patens, inter tumulos jacet, sed vel mortua viget, tot hic sunt palmæ, tot coronæ, quot tituli, quot tumuli, cineribus sordescunt adhuc Athletæ nobiles (si tamen sordes contrahunt, qui fortiter stantes ita pugnant ut si cadant gloriosiores resurgant,) victoriam loquuntur muta fragmenta, quæ ideo fracta, quia integritatem non fregerunt. Abominatio* est, quâ detestamur aliquid. Virgilius *Heu stirpem invisam, & fatis contraria nostris, Fata Phrygum* huic similis est *objurgatio*, quæ nervosa viget in hoc satyrico Epitaphio 15.

Contemptor fidei, vitæ corruptor honestæ,
Fons, & origo mali clauditur hoc tumulo.

Execratio est, quâ malum alteri imprecamur 16.
Cicero: *Dij te perdant fugitive. Optatio*, quâ absentia, & quæ nobis desunt optamus, ut. *O me felicem, si ex hujus mortalis corporis solutus vinculis, ad æterna avolarem gaudia. Invocatio* est, quâ aliquem in opem invocamus: solemnis est illa invocatio nuptiarum, *Hymen ò Hymenæe veni: Hymen ades ò Hymenæe. Votum* est, quô alicui vovemus, ut est illud pro victoria Cæsaris. *Voveo tibi victimam fortuna redux pro itu, & reditu Augusti.* Obsecratio est, quâ oramus aliquem, ut votis nostris obtemperet. Nutrix apud Tragicum Senecam. *Per has Aniles ecce te supplex comas: atque ubera ista penè materna obsecro: depone tumidas pectoris læsi minas. Commendatio* est, quâ alterius auxilio nos commendamus, & legitur in epitaphio cujusdam nobilis Venitis *amici, cognatique vobis me commendo. Recusatio* est, quâ aliquod quod nobis videtur noxium rejicimus. Martialis: *Nolo boletos, ostrea nolo; taceo.*

Exultatio est dicendi forma, qua internum 17.
gaudium foras exprimimus, Ovidius

Dicito Io Pæan, & io bis dicito Pæan
Decidit in casses præda petita meos.

Festiva

Festiva est etiam exultatio unà cum optatione in Delphinum, qui Martyris corpus in mare projectum ad littus retulit.

O felix Vector, cui non Cytharædus Arion,
Sed Christi Martyr sarcina grata fuit;
O utinam vivas cœli superadditus astris
Sitque pius Delphin, sydus inane novum.

18. *Gratulatio* est, quâ de bono alicui gratulamur Seneca Tragicus. *Lætare, gaude gnata: quam vellet tuos Cassandra thalamos.* *Plausus* est lætitiæ nota, ut in Epitaphio Sulpitiæ: *Valete, & plaudite mea peracta est fabula.* *Ejulatio* exprimit mœstitiam animi, versatúrque circa objectum malum Virgilius: *Heu quàm pingui macer est mihi taurus in arvo.* *Improperium* est figura, quâ conquerimur, quod alij nostris non correspondeant meritis. Medea apud Senecam in ingratum maritum: *O ingratum caput, revolvat animus igneos Tauri halitus. Adjice expetita spolia Phryxei arjetis. Hac dote nupsi: redde fugienti sua.* *Pœnitentia* est animi tristitia oriens ex patrato delicto. Apud Senecam Noverca: *quod volueras consecuta es: damnâsse jam pœnitet.*

19. Figuræ exprimentes motus animi irascentis sunt *spes*, quâ bonum absens speramus, hinc habetur præclarum illud scomma *Dum spiro, spero.* Desperatio è contra, quâ exprimimus impossibile esse, quod optamus. Seneca *occidimus: Aures pepulit Hymenæus meas.* *Timor* exprimit tristitiam animi, & quâ tristamur de malo aliquo imminenti. Seneca *Sudor per artus frigidus totos cadit: Omen tremisco misera feralis Dei.* & alibi *pavet animus, horret: magna pernicies adest.* *Verecundia* timor est alicujus dedecoris Horat. *Heu me: per urbem (nam pudet tanti mali) fabula quanta fui.* *Audacia* est, qua malum imminens contemnimus. Seneca. *Resistam: inermes offeram armatis manus: Dabit ira vires:* ex hac figura oritur impudentia, quâ temerè loquimur. Pontanus in quibusdam balneis hæc duo scripsit carmina endicasyllaba. *Nil istis petulantius lacunis: infractum magis, impudentiúsque.* *Excandescentia* est motus animi, quo irascimur alteri qui nos offendit. Seneca *accingere ira: téque in exitium feras furore toto.* *Nemesis* est quâ lætamur de alieno malo, vel de bono alterius meritò tristamur. Virgilius

Isthic nunc metuende jace: non te optima mater.
Condet humo, patrióque onerabit membra sepulchro.

20. *Miseratio* est, quæ dimittit injurias, & parcit hosti, qui eas intulit: hinc habetur lemma viri Christiani: *agnosco, sed ignosco.* Præ cæteris figuris patheticis Didaschia in inscriptionibus, elogijs, & epitaphijs plurimum habet roboris, quia exhibet semper documentum aliquod morale, ut

Immunem qui culpæ animam servare laborat,
Muneribus puras debet habere manus,
Commoda, divitiæ vitijs alimenta ministrant,
Nomen idem pene est, res quoque pene pares.

21. Nunc hisce figuris patheticis possunt simul necti in elogijs argutiæ: & quia praxis in hoc instituto rem clariùs dilucidat introducamus per Idolopæiam loquentem Hierosolymam & propria enarrantem infortunia, eò quia jaceat nunc destituta sancti a[...]io, cultúque veri Numinis, desflorata, deplorata.

Imperium *Legito hospes lugeto,*
Ferales ejulatus meos,
Echo *Méque inviolabilem, labilem*
Repetita echo pronuncia;
Correctio *Illa ego sum, quid dico? non sum,*
Sed fui.
Ethopæia *Clypeus legis, munimen religionis.*
Echo *Veritatis columen, lumen virtutis,*
Culmen pietatis.
Affirmatio *Celebris quondam illibata.*
Expressio *Nunc vigens cladibus, deturpata*
Erroribus.
Desperatio *Deflorata, deplorata.*
Ejulatio *Squalore deformata fractis oculis*
Fractas leges ingemisco.
Memoratio *Excesserunt Reges pientissimi.*
Affirmatio *Fractæ sunt, fracto ab impijs sanctuario, Sacerdotij infulæ.*
Animadversio *Nati sunt viri hispidi,*
Qui me in cruce distorquerent.
Ostensio *Anni sunt supra mille, ex quibus quotidie distrahor.*
Ectiposis *Alij macie me enecant,*
Falsis dogmatibus violant.
Repetitio *Alij me Hecubam,*
Vel unam ex furijs fingunt.
Correctio *Mille quotidie induo formas*
In omnibus semper informis.
Jam Protheus illa fabula non est.
Ratiocinatio *Poëtarum figmentis*
Meæ fidem dederunt ærumnæ
Descriptio *Ottomannica hydra in plura repullulans capita,*
Venenum meo evomuit in sinu.
Abominatio *Apage te ad umbras tartareas*
Immanis fera:
Improperium *Me me deflorâsti, me violâsti.*
Apostrophe *Jacis corrupti dogmatis perniciosa semina,*
Ratiocinatio *Ut in libidinum vireta sucrescentia,*
Tutiùs lateant angues in herba.
Narratio *Verum narro,*
Defecit, incremento turcicæ Lunæ meus decor,
Compendium *Suáque nocte meum obscuravit candorem,*
Expressio *Solutus legibus, solvit in scelera populus.*
Lares meos nefando violavit lupanari,
Affirmatio *Et religionis candorem innocentis cruoris purpurâ maculavit.*
Sententia *Quia vitium visio viam emollit.*
Epiphonema *Protervitæ ortus sanctuarij accersivit occasum.*
Apostrophe *Solvite crines, spargite cineres, rumpite pectora.*
Stolatæ matres, inclytæ nurus, puellæ insignes
Repetitio *Cecidit Solyma Solyma cecidit.*

EXPENSIO XIII.

De Genere, & fine Elogiorum,

1. NOstris hisce temporibus, quibus homines ad rarioris eruditionis, ac venustioris eloquentiæ nati decora, atgutæ elocutionis rationem maturiùs perpendere cœperunt, & ad ejus condimenta, honestámque delectationem argutiarum sales adhibere; emersit hoc lapidariæ elocutionis genus, quod sicut plurimum habet acuminis, & gratiæ; ita aures demulcet & animos allicit, quos suavi quadam opplet delectatione; unde in publicis Athæneis, frequentissimo plausu fuit exceptum: siquidem supra Epistolarum munditiem; narrationum, ac descriptionum veneres, Eglogarum amœnam rusticitatem, elegiarum virorem, Lyricorum jucunditatem eminet, ad pompam potiùs, quàm ad pugnam natum.

2. Reducitur hoc elocutionis genus ad Epidicticam eloquentiam, quæ ita nuncupatur, quia plurimum habeat floris, & aucupij; ex quo sequitur, finem epidictici, seu demonstrativi generis esse itidem finem elogiorum; & quie genus hoe demonstrativum, quod etiam exornativum, Encomiasticum, & Panegyricum dicitur ad laudem, vel vituperationem refertur; proprium est elogiorum virtutem laudibus excipere, & vitia pungere, ait Cicero *de part. orat. n. 71. Omnia sunt profectò laudanda, quæ conjuncta cum virtute sunt, & quæ cum vitijs vituperanda.*

3. Genus igitur hoc elogiorum in demonstrativo comprehenditur: est siquidem munus generis demonstrativi de rebus singulis præsertim de homine, ejúsque gestis, virtutibus, ac vitijs sermonem instituere, quo pacto sicut ad genus demonstrativum pertinent orationes gratulatoriæ, gratiarum actoriæ, epiniciæ, quibus Victoribus gratulamur; Propherenicæ, quibus eorum adventui applaudimus; natalitiæ, nuptiales, & funebres, & finis hujus generis alius non est, quàm ostendere excellentiem rei illius, ob quam gratulamur; vel beneficij, quod confertur, vel prolis in lucem editæ. Ita munus elogiorum est virtutum exercitia suis excipere laudibus, & commendare; & si quid vitij redolet turpitudinem vituperare, ac eculeminibus pungere, quibus animos suavi quadam perfundunt delectatione, quæ tamen finis non est elogiorum, alioquin hoc institutum inane foret: legitimus elogiorum finis amor est virtutis, & honestaris, & odium turpitudinis, ac vitij; quæ duo oriuntur ex commendatione virtutis, & vituperatione vitij: quo fit, ut sub larva satyræ possimus etiam Encomia texere: hoc unum subjicio pro exemplo elogium in commendationem cujusdam Prætoris viri integerrimi, sed per modum reprehensionis, & continuatæ deceptionis.

4. *Dente caret, qui alienam non mordet famam,*
In præsenti virtutum penuria;
Nec ingenium acuit, qui alios non pungit,
Arduum igitur est satyras non scribere,
Etiam contra te Prætorem.
Conquerimur de te, quia populum decepisti:
Cui te Prætorem promisisti, Patrem gessisti,
Pollicebaris te nunquam fore
Personarum acceptorem,
Et omnium fuisti personarum acceptor.
Iterum conquerimur de te;
Prætores mittuntur, ut jus dicant,
Tu muneris tui contemptor;
Unicuique jus suum potiùs dedisti,
Quàm dixisti,
Et magis profuisti, quàm præfuisti.
Etiam mali meritò conqueruntur de Te,
Quos vel coactè optimos fecisti.
Si diu fuisses præturâ functus,
Potuissent carceres in carcerem mitti,
Et vincula in vinculis detineri.
Non enim necessaria est justitia,
Ubi justitia servatur,
Nec opus est leges exarare in albo Prætoris,
Ubi niger nullus adest.

5. *In commendationem D. Ludovici Episcopi Tolosani, qui natus è Rege Siciliæ abjecto Regni diademate inter Franciscanæ Religionis subijt. In genere exornativo texitur elogium.*

Ludovicus è regio sanguine natus ad purpuram,
Nunquam se Regem credidit,
Nisi cum omnibus se subderet.
Vix natus, nactus virtutem,
Cum lacte ebibit morum candorem,
Quem nunquam denigravit,
Virtus senilis in puero,
Puerile nil habuit præter ætatem;
Correxerat avaritiam naturæ liberalior gratia,
Et puerum effecerat senem, non ætate,
Sed prudentiâ, & virtute;
E cœlo delapsus ignis in aureum pectus mox illud secernit ab auro.
Nempe divini amoris succensus igne;
In Seraphicos cineres ardens solvitur.
Erubuit aurum repulsem pessum.
Superbivit saccus prælatus chlamydi,
Dignus fuit laude,
Qui non solùm post aurum non abijt,
Sed opes, honores incendit,
Cum cineres induit.
Divini amoris flammem diutius servaturus
Sub cinere abscondit.
E patria exiens petriam quæsiturus, eam invenit extra patriam.
Libertate se abdicavit, ut liber fieret.
Aliorum nutui obtemperaturus,
Vix ut moneretur, cum moveretur,
Molimina tarda verus obediens amolitur.
Ad infolas reluctans vocatus
Ab ipsis pluries se avocavit.
Sed quia fugientem sequuntur honores,
Sequentem fugiunt.
Ad dignitatem rapitur, non ascendit.
Tolosanos ita excoluit, ut similes sibi fecerit,
Virtutum námque semina voce, manúque jaciens.
Sudore ac lachrymis alluens
Dignam laboribus messem collegit,
Sed abijt colonus

Feli-

Feliciori solo hæc concrediturus virtutum semina.
In cœlum ea transtulit æterno illic vere fruiturus.

6. *In laudem D. LAURENTIJ Christi Levitæ, & Martyris, qui sæviente Ethnicorum persecutione ab impio Tyranno præcipitur igne torreri ferrea in crate, elogium ponitur encomiasticum.*
Vulcanus olim fulminum,
Nunc palmarum faber, flammas excitat,
Ut clariores cudat triumphos.
Adeste Sophorum barbaræ classes.
Sterilitatis probro desiscite obscurare ignem,
Fœcundum imposterum, eum credite:
En Laurentio laureolam, ac palmam parturit.
Nam Christi Athleta
Olympicum stadium nactus in pyra,
Flamma si murmurat, triumpho plaudit,
Imò non flammæ, sed famæ sunt linguæ;
Ideo ignescunt,
Ut vehementiori ardore adoreas canant:
Armatur ignis, & alitur pice;
Sed hoc agit inscia barbaries,
Ut pugilem magis Deo agglutinet.
Si perfunditur oleo;
Linitur Athleta ad palmam.
In conum si erigitur flamma,
Fit gloriæ monumentum;
Si circumdat, amplectitur; si cingit, coronat.
Carbones cedunt in gemmeos carbunculos coronæ,
Ut in honorem triumphi
Etiam transeant instrumenta supplicij.
Et ne currus triumphanti desit,
Subjicitur ferrea crates non prunis,
Sed more triumphantium, purpureis stipata rosis.
Etiam Scipio nonnisi coronatus rosis
Victor Romanum ingredi voluit capitolium.
Quidni? torrentur Martyris artus:
At de coctis carnibus, lautiùs epulatur Spiritus?
Ad prandium Tyrannum invitat, inquiens,
Assatum est jam, versa, & manduca.
Cœlestis Salamandra
In igne Libithinæ vultum non horruit;
Noverat fidei Phœnices è rogo
Ad immortalitatem clariores avolare.
Nec mirum, si de igne triumphavit.
Quia lauro, quam nomine præferebat Laurentius.
Vulcani fulmina non poterat, non eludere,
Quinimò lusit in flamma, cui illusit,
Et unico lusu cœlum lucratus,
Æterna donatur beatitate.

7. *Sancti* CAJETANI THIENÆI, *vita, & virtutes explicatæ elogiorum decade. Nascitur Vicentiæ è parentibus quà pietate, quà sanguinis nobilitate illustribus anno reparatæ salutis octogesimo supra millesimum quadringentesimum, & statim à pia genitrice Virgini Matri oblatus est. Elogium 1.*
Ingruente vitij procella.
Materna ex alvo caput extulit.
CAJETANUS.
Uniones quia innocentiæ soboles.
Nonnisi coruscante cœlo, ac reboante tonitru,
Nascuntur.

Hunc matrem votivum suscepisse ferunt,
Nempe viros natura donat; sanctos Deus.
Ut ad victorias imbueretur, Vicentiæ natus,
Orcum vicit, cùm vixi.
Adoreas prævivit suas triumphali patriæ nomine;
Priùs cœpit triumphare, quam nasci.
Natum Virgini Matri obtulit pia genitrix,
Quò nonnisi cœli moribus assuesceret.
Avitam nobilitatem, trabeatam stirpem,
Novo auxit jubare, cum contempsit.
Lacernæ purpuram, inopiæ opes posthabuit.
Sileant Poëtarum commenta,
Unà cum Saturno natum aureum sæculum;
Veriorem hunc aureæ ætatis Parentem credant:
Institutum dabit, ideo aureum,
Quia post aurum non ibit,
Corrupto sæculo medela fuit.
Voluit cœlum anthidoto excutere venenum.
Habuerunt semper Bellerophontes suos
Erroneæ chimeræ.
Non ut Ethnici ludos, sed laudes dedicemus,
Huic Apollini; Pithonem virij confodiet.
Imò Genethliacon pangamus novo orto soli
Caligantem meridiana in luce orbem illuminabit.

Sanctus CAJETANUS *à prima ætate puerilia ludicra respuens summis virtutibus assurgit. Elogium II.* 8.
Habent, & nomina sua omina
Crebrò veriora, quàm ex aureo Delphis Tripode,
Seu Dodonæi Jovis è luco sortita oracula.
Cajetanus Dei suspector interpretatur;
Et quando, vel puer
Terrena non despexit, suspexit cœlestia?
Ab avita nobilitate illustris editus,
Illustriorem hunc fecerunt virtutum Myriades,
Vix lustralibus irrigatus aquis,
In lilium effloruit puritatis.
Innocentiæ lacte ad pinguedinem fartus
Divino priùs spiritu cœpit vivere,
Quàm suo:
Parum naturæ debuit, virtuti plurimum,
Nam vix natus, sanctitatem nactus,
Dubium fecit, an cœlo priùs, quàm terræ cœperit vivere.
Immaturus ætate, maturus virtute,
Fructiferum Autumnum, ante ætatis Ver cœlitibus dedit.
Naturæ avaritiam in ipso correxerat liberalior gratia;
A parentum sinu frequenter exulans,
Solitudinem frequentavit,
Vel in media domûs frequentia:
Ut cœlitum se se jucundiores in amplexus insinuaret.
Nunquam minus solus visus est, quàm cum solus.
Ad colloquia Cœlitum allicit terrena solitudo;
Hic sua cum cœlo amoris fœdera
Inter preces puellus eloquens balbutiebat.
Supplex pietas, quamvis balbutiat
Eloquens est.
Sodales hilaritate alliciens, modestia componens.
Ad virtutis Magisteria assurgivit.
Et

Et ne templa deessent
Multiplici sacravit Ara domum,
Ubi licèt sine charactere,
Non tamen sine charitate Sacerdos,
Supremo Numini puerilia ludicra mactavit.

9. *Sanctus* CAJETANUS *mundi illecebras fugiens Juventutis suæ florem pœnitentiæ spinis circumsepit, cilicijs, ac catenarum verberatione se cruentat, ingenti auri, argentique copia pauperum ærumnis subvenit, è patria discedens, Venetijs in incurabilium Nosocomio infectis ægrotis inservit, marcida ulcera linguâ lambit. Romam confugiens Larario Divini amo is adscitus; sodalibus imprimit vestigia virtutum. Elogium III.*

Florem inter spinas vernantem
Summis digitis carpito;
Lilium est cruentarum in Rosam,
Sommæ virtutis odorem redolet, quem odoretis.
Quia Deum colit, carnis suæ terram excolit,
Vulnerum sulcis arat, cruoris rivulo rigat.
Felix cultura,
Quæ in floridam virtutum messem erumpens
Deum ipsum illexit, quem dilexit.
Cilicio chlamydatus sub crucis vexillo miles
Cingulo armatur ad pugnam, ne discinctus caderet.
Vel rudia feria in aucupium dolorum,
Ac venationem cruciatuum assumit.
Delicias ei fuisse pœnas crede,
Quas sedulus auceps, vel setosis retibus aucupabatur.
Saucios si vides artus, trophea sunt virtutis,
Totus scriptus, totus sculptus
Emblema charitatis composuit,
In quo apprehenderes,
Virtutem per vulnerum spiramenta
Majores haurire spiritus.
Auri pretio pauperum ærumnas coëmens,
In aliena paupertate veras sibi cumulat divitias.
Opes tunc bene possidentur,
Cum pauperibus erogantur.
Plura appetijt, quò plura daret.
Profusus in homines, ne foret avarus in Deum,
Se totum ipsi donavit.
Felicior Æsculapius, Venetijs, ut virtutem curaret.
Incurabilium Nosocomium ingressus
Ira salutem curavit corporum,
Ut eam non negligeret animarum.
Dum ægri maderent marcido cruore;
Madebat ipse largiùs lachrymis.
Amorem suum ostensurus in pauperes,
Illorum ulcera deosculatur,
E quibus tamen plurimum suxit gloriæ;
Nusquam fuit cœlo dignior.
Quia fortia hic jam fecerat, & passus fuerat,
Romam petijt, non victus ad Asyllum,
Sed victor ad Capitolium:
Ubi divini amoris in Larario suum augens ignem
Incendit ad exercitia virtutum quacunque incedit,

10. *Sanctus* CAJETANUS *Romæ in Lario divini amoris meditatur restaurationem primævæ normæ vivendi Apostolorum. In Pincio colle prima jacit fundamenta novi Instituti Clericorum Regularium, ipso exaltatæ crucis festo die. Elogium .V.*

Horoscopum attendite Genethliaci,
Renati e sanctioris amoris rogo Phœnicis.
Capitolij in urbe, sub crocis vexillo
Nova struuntur castra,
Quæ adoreis præveniunt pugnam.
Divino ab Amore, mutuatis telis, vitium confodient.
Paucos strategus legit milites, nimirum sui similes,
Præclara enim rara sunt,
Ibant olim milites in aurea veste sub Antiocho,
In picta chlamyde sub Sertorio,
In purpura sub Cleomene,
In rubenti sagulo sub Artaxerse,
In candenti tunica sub Cyro,
In scuto puniceo sub Agesilao,
At sub crucis vexillo
In humili lacerna
Milites nobiliorem induunt hominem:
Non veste ad delicias molli est induendus miles,
Sed ad militare robur accincta;
Ferro non auro miles indiget,
Ecce fortissimi Bellatores
Omnia bona secum portant,
Unicum scilicet caducorum bonorum contemptum.
Desertam voluerunt paupertatem,
Ut facerent magis desertam,
Mutam, ut ultimam ei imponerent metam,
Nec ferro caruerunt aurei contemptores auri.
Nemo æquiùs, ac illustriùs coronatur,
Quàm qui aurum aspernatur.
Summis encomijs dignos, & aureos, cense,
Quos aurum ad se non traxit.
Aureum sæculum *Cajetanus* revocavit,
Cum homines avocavit ab auro,
Pinciano in colle
jaciuntur novi Instituti fundamenta,
Non poterit non eminere,
Cujus basis super colles erigitur.
Accensa fax in urbis eminentia erat collocanda,
Ut orbis totius fieret splendor;
Bene ipsa die cum cruce debuit exaltari,
Quæ crucis vestigia unicè sequebatur.

Expilante Romam Borbonico exercitu Sanctus 11.
CAJETANUS *varios patienter perpessus cruciatus, ac vulnera, in carcerem Vaticani prope horologium detruditur cum socijs, ubi hilari vultu psalentes Strategum ad pietatem movent, à quo pristinæ libertati restituuntur. Elogium V.*

In septem collium Hydram Mars irruit;
Herculem dixisses sanguinis avidum;
Aurum æquè sitit, ac cruorem.
Illud ut avarus rapiat;
Hunc ut prodigus fundat.
Tarpæiam rupem, sanguineis irrigat rivulis,
Ut Capitolium
Palmas olim Cæsarum, cæsorum nunc cupressos,
Germinet, elades geminet;
Nudum diffluit cum sanguine ferrum,
Et virgines quas non potest violare,
Cruore maculat:
Quid ni? gaudet virginitas frangi,
Inte-

Integritate non læsa:
Fundunt alij cruorem, *Cajetanus* lachrymas,
Ante Aram, quam floribus concinnaverat,
Ut ornatior cadetet victima in eodem Templo,
Ubi literarat paulò ante Sacerdos.
Verùm si inflexit sub gladio caput,
Non animum flexit.
Et percussus in maxilla,
Plus roboris, quàm ruboris prodijt;
Imò magis erubuère militum genæ
Ad invictam patientiam.
Integer vitæ nunquam timore frangitur.
Ejus artus securi cadunt,
Imò surgunt sub securi;
Si palmas ei obtruncat ferrum,
Faciliùs palmas rapit:
Si pedes scindit, velociùs ad Capitolium currit.
Igne quem è divino amore mutuaverat,
Cum homines ad virtutem incendisset,
Barbarorum etiam in se iras accendit.
A quibus varia perpessus,
Sed magis perpexus virtute,
Adversa exercitium, non exitium,
Ei præbuerunt.
Omnia ridet, cui Dei amor arridet.
Stricto fune etiam vincitur, non vincitur.
Inter funes innocens arctiùs adhæret Deo.
Vaticani carceris in tenebras trusus
A tenebrionibus,
Nitidiores delegat in tenebris splendores virtutis,
Primæ classis sydera nitidiora fulgent in tenebris.
Si defuit ipsi Martyrium:
Non defuit ipse Martyrio,
Nam humanissimus barbaris, crudelissimus sibi,
Adamantinus pœnis.
Purissimus Cygnus lætus prope lethum canit,
Non epicedium, sed epinicion;
Quia è vinculis emancipatus de barbaris triumphavit,
Quos prece, & lachrymâ ab Urbe expulit.

12. *Sanctus* CAJETANUS *æstuans charitate peccantibus illachrymatur, & omnibus virtutibus vacat, Fractam Sodalis tibiam sanat: plura miraculosè perpetrat. Elogium VI.*

Igneus amore, more niveus,
Sanctitatis celsitudine, excelsior Ætnâ;
Perpetuo fœdere impunitas cum nivibus
Junxit flammas:
Tales sunt sacri Hymenæi tædæ,
Quæ alia non aluntur cerâ, quàm puritatis nivea;
Imò lachrymis assiduè madidus,
Quia charitate ebrius:
Ab igne aquam; ab aqua ignem,
Posse exoriri comprobavit,
Non lachrymas, sed uniones fudit;
Vel ut hoc glutino arctiùs uniretur Deo;
Vel ut venale hoc pretio sibi faceret Dei Regnum.
Divini amoris lampades oculos crede,
Ubi lachrymarum aquæ
Charitatis lychnum alunt,
Hic ludus nonnisi amoris esse poterat.
Humilitatis umbris clarior factus.
Veræ perfectionis Magister docuit,
Veram dignitatem esse,
Ipsas dignitates contemnere.
Alienæ saluti, ut consuleret, multos exantlavit labores:
Fallor: omnis labor amanti
Non labor est, sed quies.
Quiescit cum laborat amans,
Laborat cum quiescit.
Amorem, quem in se extinxerat,
Excitavit in alios,
Odium sui duntaxat exercens
Ita se afflictavit; ac si carneus non esset, sed ferreus;
Amoris proprii hostis;
Hostia est divini Amoris.
Salutem ægris attulit, amentibus mentem,
Mortuis vitam:
Heu quantum Spiritûs in eo fuit,
Qui vel extinctas vitæ taces
Reaccendere valuerit!
Fractam Sodalis tibiam quoque sanavit.
Ut nonnisi vitæ integritati studeret.

13. *Sanctus* CAJETANUS *ipsa reparatæ salutis nocte orans Romæ in Augusto sanctæ Mariæ Maioris Templo, ante Aram Præsepis, puerum* JESUM *sibi à Virgine Matre datum, jucundissimis osculis, ulnisque amplectitur. Elogium VII.*

Nox non est *Cajetane*, fallitur sensus,
En divinus splendet Sol.
Qui criminum umbras eliminans
Noctem fugat.
Ubi Sol est, dies est.
Errat quoque Tempus.
Licèt nivea Decembris canitie senescat annus,
Hyems non est, Autumnum crede;
Cum Sol in Virgine,
Tibi illuceat.
Amalthææ cornu fructuum messem effundat;
Dum fructus uteri virginalis carpendus traditur;
Imò plorantis hyemis intemperiem
Ridentis veris crede temperiem;
Ubi tam ingens Cœlorum apertio facta est.
Et virgæ Jesse flos,
Ac lilium convallium in terris apparet,
Tuisque in ulnis floridè jocatur,
Et iocosè florescit.
Olim hunc solem,
Quia ortum propè Taurum,
Senserunt Engaddi Vineæ,
Statim floruerunt;
Indicaturæ, in centro hyemis floridum ver,
Natus tamen in medio Tauri, & Virginis
Accersivit ardentiorem sui amoris æstatem,
Unde spicas in celo hoc est messis tempus,
Suspexerunt homines:
Et bene spicas in cœlo mirati sunt,
Qui debebant de cœlo
Panem Eucharisticum sperare.
Amplectere hunc solem, deosculare;
Et divino æstuâ amore,
Cujus flammam de cœlo irroratam
In sinu foves:
Mortem noli ampliùs timere;
In manibus tuis vita est.
Non miror si hyems, Æstas, Ver, Autumnus

Miſcentur & naturæ Ordo confunditur.
Proprium amoris eſt Chaos inducere.

14. *Sanctus* CAJETANUS *patientis Christi intentiùs meditatus tormenta, ac viribus penè deficiens ad ſe venientem videt Chriſtum, qui detecto pectore valnus ſugendum illi porrigit, ex quo crebra per oſcula plurimum liquoris, ac roboris exſugit. Elogium VIII.*

Olim Chriſtus paraturus de ſe ipſo convivium homini.
In Bethleem ſeu in civitate panis
Voluit fieri caro.
Nunc carni merum addit,
Quod ſub crucis torculari
Divinæ è vite expreſſerat Judaica barbaries.
Præter fel, & acetum;
Quid propinet mundus ſitientibus non habet:
Hoc expertus fuerat Chriſtus in cruce
Felle, & aceto potatus,
Unde ut huic conſuleret incommodo;
Novum fontem aperuit in latere,
Etiam poſt mortem;
Ex quo biberent nobiles animæ;
Inebriarentur amore.
Quid ni? admovens *Cajetanus* os
Bibiturus hoc in fonte
Suxit crebra per oſcula liquidam divinitatem;
Quâ æternam adipatus ad vitam,
Nonniſi divina poſthac eructavit eloquia.
Olim ad agni eſum ſuos vocans diſcipulos Chriſtus,
Peregrinari eos ſecum juſſit in cœna.
Nam præcinctis lumbis,
Feſtinantes voluit cum baculis in manu,
Quia illos hærere in hujus vitæ delicijs noluit.
Mox hærentem novum Diſcipulum novo vult in convivio,
Ut divinis aſſueſceret delicijs,
Qui terrenas jam abdixerat.
Quàm benè in foramine petræ nidificavit
Innocentiæ columbula,
Nonniſi heroicæ virtutis fœtus inde peperit.
Vere cum ſponſa dicere poterat.
Introduxit me Rex in cellam vinariam.
A qua divino receſſit amore ebrius.
Vel artificioſa Apis,
Dulcius lectura perfectionis mel,
Cujus dulcedine ad virtutem alliceret homines,
Ab alio flore noluit liquorem ſugere;
Quàm purpurea ab hac vulneris roſa.
Ecce flos campi, lilium inter ſpinas
Cruentatur in roſam.
Languentium animarum ſedulus Medicus,
Quæſiturus pharmaca, quæ alienis ulceribus apponeret,
Opobalſama ab hoc vulnere legit.
Balſami plantam fuiſſe Chriſtum, ne dubites,
Cum ſuo vulnere noſtra vulnera ſanaverit.
Veri Amoris Magiſter.
Idiomate amantium loquuturus,
Non os, ſed cor aperuit,
Ut ſinceram Diſcipulus apprehenderet doctrinam.
Imò lactaturus, quem adoptaverat filium,
Mammillam cordis aperuit.
Parcat tandem undis impiger mercator,
Extremos currens ad Indos;
Carbaſeos ventorum carceres ſcindat.
Et aſſueſcat hanc ad aurifodinam properare,
Veras inveniet Gazas,
In quibus ſuam reperiat felicitatem
Fluxum argentum, & aurum
In Gazofilacio cordis Deus cuſtodit.
Ut ad eum properantes ſine argento, & auro,
Suum regnum emant.

Sanctus CAJETANUS *adeo divino exarſit amore, ut ejus cor geminis alis viſum ſit in cœlum evolâſſe. Elogium IX.* 15.

Totus jam factus charitate Spiritus,
Ne quidem cor carneum in pectore tolerat;
Sed ingreſſurus Dei regnum,
Quia hoc vim patitur,
Vi amoris expugnat r
Pectore uſus pro bellico tormento,
Sphœrico corde pro glande:
Nec defuiſſe ignem credas,
Cui ignis amor erat,
Eia cor fuge, pectoris clauſtra rumpe,
Sed rumpe moras.
Charitate igneum in cœlum avola
Ignis enim fuga in ſublime eſt.
Excordem tamen ne credas virum;
Quia dilexit ex corde,
Si volitat per aëra cor,
Amorem crede,
Sub cordis ſpecie,
Cui non deſunt amoris alæ.
Natus dives, paupertatis parens,
Opes ſolùm habuit,
Ne opibus opus haberent inopes.
Theſauros ſuos pauperibus erogaverat,
Quos locatos voluit in cœlo.
Benè igitur ubi theſauri ſunt, cor avolat.
Veri amoris Diſcipulus in lycæo charitatis,
Hoc eſt in pectore Chriſti, Amoris dogmata apprehendit,
Mox lectionem repetiturus, quam didicerat,
Idiomate amantium utitur corde, non linguâ,
Vel ſtrictioris paupertatis Magiſter,
Cum omnia erogaviſſet pauperibus,
Corde etiam voluit ſpoliari,
Quod daret Deo.
Præcipua animæ ſedes cor eſt,
Bene terras deſerens in cœlum avolat,
Quia anima magis eſt, ubi amat, quàm ubi animat;
Et nobiliores aquilæ illic congregantur,
Ubi eſt corpus,
Parce jam cordi tuo, parce.
Igneus erat è Dei arca calculus,
Deſœcandæ telluri tranſlatus è cœlo.
Cum omnia incendiſſet
Jam ſuo functus munere;
Receſſit unde venerat.

Sanctus CAJETANUS *in extremis vitæ cineres poſcit, ac cilicium & inter pœnitentiæ cruciatus animam Deo, à quo acceperat, reſtituit. Elogium X.* 16.

Eia Athleta nobilis
Salutari jam munitus viatico, oleóque unctus.
In ultima vitæ lucta cineres collige,
Ut palæſtrico ſordeſcens pulvere,
Pulchriùs triomphes.
Initijs ſuis, affines ſemper ſunt fines;

Vitam

Vitam è victorijs patriæ auspicatus,
Etiam moriendo vincit,
Supremo spiritu cineres poscit,
Nempe in cineres tandem solvi debuit,
Qui totus fuerat charitate igneus,
Hunc tamen ignem mortis gelu non extinguet,
Cum tam probo fit cinere tectus.
Methanex Discipulos, ne dum sedere,
Sed mori in cinere voluit,
Vel charitatis Phœnix
Inter cineres mortalitatem exuit,
Semel moriens, bis ut vivat, cœlo, Posteritati.
Sunt qui asseverent,
Apes semimortuas aspersas uleo, & cinere revivilcere.
Jam oleo unctus cinere voluit inspergi,
At reviviscere non poterat,
Qui nunquam fuerat Deo mortuus,
Heroum maximus
Si non per lacteam, saltem cineream viam
Ad immortalitatem sibi stravit,
Ubi à patre familias
Ad æternum invitatus convivium,
Cilicio chlamydatus,
Vestem etiam induit nuptialem
Nempe qui rudia retia in dolorum aucupium
Assumpserat,
Iisdem retibus prudens auceps
Æterna gaudia voluit venari.
Gavisus est innocens noxiorum remedijs;
Sciens non aliter, quàm per pœnas,
Et infortunia
Fortunari homines.

17. VITA, & GESTA SANCTI ANDREÆ AVELLINI CLERICI REGULARIS *Elogiorum Decade exhibita. Castrum novum Lucaniæ oppidum Andream Orbi dedit, in sacro fonte lustrali unda ablutus Lancelloti nomine donatur. In cunabulis opitulante divina gratia è fascijs dexteram manulam solvit, ac crucis signo se munit. Elogium I.*

Novum castrum, novum Martem
Christianæ militiæ donat;
Qui pugnatia pugnis palmarum messem metet,
Timeat Tartarus,
In castris natos pugnæ locum prævenit;
Expectaturus, quem debellet Phlegethontem.
Novetat militiam esse vitam hominis;
Hanc ut illicò exerceret in castris nascitur.
Non tamen Christi Athleta
Oleo, sed lustrali linitur unda,
Sacro fonte expiatus.
Ubi providè Lancelloti donatur nomine,
Ne nomen quidem foret inerme,
Sed lanceis armatum nomen, omen foret clarum.
Indicit bellum sanctior Hercules,
Vel in fascijs aptus ad fasces,
Si angues non aptavit ad angues;
Manum è vinculis solvit muniturus se crucis signo:
Constantinum æmulatus,
Sanctiùs in hoc signo vicit,
Vel sequuturus Christi vestigia
Cruce munitur.
Nemo Christum sequitur,
Quin tollat crucem suam;

Sirenularum illecebras, quæ alliciunt ad necem
elusit hic Ulysses
Crucis arbori tam arctè adhærescens.
Mundum (quia supremi Numinis Templum est)
Sic ingreditur, ut elevatis manibus,
Statim Sacerdotem agat,
Et ne ei deesset victima,
Totam vitam sacrificium fecit.
Oculatior Argo primò telluris offensus aspectu,
Nihil in ea se dignum invenerat.
Ad sublimiora avolavit,
Expansis crucis alis:
Et quis eum in terra detineat,
Quem, vel nascentem cœlum cœpit attrahere?

Sanctus ANDREAS *à primo ætatis flore summis virtutibus assuescit, castitatem maximè colit. Manus admovens ad oculos, quos erueret, mulierculam fugat; quæ ejus venustate capta illum deperibat. Elogium II.* 18.

Erravit,
Qui cœcum Cupidinem finxit,
Pinxit velatum:
Argum peperit hæc Venus;
Totus in oculis fuit,
Quia oculorum venustate capta mulier,
Juvenem sæpe impugnat, licèt expugnet nunquam.
Imò nonnisi dumos carpit,
Quibus puncta Venus erubescat.
Infelix Pyrausta Cupidinis alis
Juvenis circumvolitans lumina,
Pudicitiam in cineres forsan redegisset,
Nisi ut oculatior fieret,
Lumina tentâsset extinguere.
Non semper malè agit, qui lucem odit,
Imo ut melius ageret,
Optavit lumina extinguere
Amoris tela oculi sunt, arcus supercilia,
Ne arma perderet Amor,
Palmas libentiùs ei cessit, cum recessit,
Meliùs tamen vidisset sine lumine,
Sol erat tot ornatus virtutibus, quot radijs,
Ut luceret; duplici non egebat frontis sydere.
Bipatentes tamen has animi fenestras
Libentiùs clausisset, exclusurus fures.
Mare fervens est vita hominis,
Piscatorem agit Amor,
Ejus retia oculos crede,
Quibus insidias pudicitiæ tendit,
Tentat illam expiscari:
Totiùs evasurus periculum
Insidias mavult frangere.
Cæcum ampliùs, ne credas Cupidinem,
Qui tantum oculis potest.

Sanctus ANDREAS *noctu preces fundens ante supremum Numen Cruci affixum, a muliercula varijs illicijs ad Venereos amplexus provocatur, sed Juvenis fugiens aspero se induit cilicio, ferreisque catenulis se totum cruentat. Elogium III.* 19.

Suas ne proderet insidias Venus,
Noctu aggreditur expugnandam Pudicitiam,
Eò securior palmâ,
Quò umbrosæ cupressi aërem tetriùs funestabant,
Splendentes syderum faces

Tedas credebat funereas,
Quæ roscidis lachrymis defuncto soli,
Et extinctæ pudicitiæ parentarent.
Cubiculum ingressa blanda sirenula.
Allicit, ut enecet,
Et sævior omni fera,
Tunc magis efferatur,
Cum illicijs blandior mulcet.
Ceu novercali odio virile pectus aggreditur
Cum blanditias ferit.
Sed sanctior Ulysses
Crucis arbori divini amoris vinculis hærens,
Sirenulæ ludos eludit, & fuga vincit.
Castitatis Athleta non manu, sed pede pugnat,
Et Parthorum more, fugiendo vincit.
Castitatis pugil non pectus,
Sed tergum dat hostibus.
Solet fuga militiæ imbecillitatem prodere,
At in libidinis castris
Pugnantis fortitudo in fuga est sita.
Inermis est, qui non fugit: armatus, qui fugit.
Hercule fortiorem crede,
Quem non una, sed plures Omphales,
Pudicitiæ veste non valuerunt spoliare,
In alio clausus Cubiculo
Genua flectit, ut Deum in vota sua flectat.
Fractis oculis, non fractæ pudicitiæ
Illachrymatur.
Olim in maris fluctibus nata Venus
Nunc in lachrymarum undis denascitur.
Luctûs flumina lumine perpluunt,
Quia Veneris flammæ nonnisi hac unda extinguuntur.
Et ne purpura victrici deesset pudicitiæ,
Se fragris cruentat;
Totúsque frangitur, integer perseveraturus,
Si victricis pudicitiæ symbolum quæris,
Corpus jam habes, epigraphem adde.
Vulneror, ne vulnerer.

20. *Sanctus* ANDREAS *se opponens juveni amasio molienti virginem sanctimonialem, quam deperibat violenter abducere, ter in vultu gladio vulneratur. Elogium IV.*

Mirari volueram si sanguinis amica Venus
Sine cruoris effusione venisset.
Ter ferro sauciatur aureus vultus:
Fluxit tamen de læsa cute
Plus gloriæ, quàm cruoris,
Quia trophea, non probra fuerunt vulnera.
Seu invicti animi characteres,
In quibus veram fortitudinis Ideam legeres.
Hoc tamen de Achille plus habuit,
Quòd vulnera cùm posset eludere,
Pati maluit,
Ut fractus, alienam integritatem
Fortiùs defenderet.
E saucio vultu plus ardoris,
Quàm cruoris fudit.
Sacerdos jam dudum initiatus
Noverat, sui muneris esse sanguinem fundere,
Nec semper alienum.
Ut oblatam Deo daret victimam,
Ad Amasij redarguendum ausum,
Quià unicum os non erat satis,
Tria in totidem sibi inflictis vulneribus aperuit,
Quibus facundior fieret,
Et ne verbis deesset pondus,
Suum ipse sanguinem fudit.
O vivacem suadam, quæ sanguine loquitur!
Castitatis summus cultor fœdari amat,
Ne fœdetur pudicitia.
Immutetur lemma illud Armenici muris
Malo mori, quàm fœdari.
Quando ne moriatur pudicitia, fœdari amat.
Lilium effloruit puritatis inter spinas pœnitentiæ;
Quia Venerem punxerat,
Pungitur modò trino vulnere;
Difficile est versari inter spinas sine sanguinis fusu.
At candori consulit, cum fœdatur,
Et lilia metit
Cum purpureas in vultu serit rosas.
O rosas mirabiliter purpureas!
Quas non in turpibus fabulis natas
Impudicus cruor infecit,
Sed in virginibus nivibus vernantes
Pudicus sanguis ornavit,
Purpurat os? expectet ultimum excidium
Veneris Regnum,
In Andreæ fronte, dixerim innocentiæ in cœlo,
Tot rubent Cometæ,
Quot stillant sanguine vulnera.

Sancto ANDREÆ *Juris prudentiæ peritissimo, cum inter patrocinandum officiosum excidisset mendaciolum, & fortuita sacræ scripturæ lectione monitus, os quod mentitur occidit animam, ab advocatione abstinet, omnique religionis subit inter Clericos Regulares. Elogium V.* 21.

Antheos suos etiam cœlum habet,
Qui è lapso nervosiores surgunt;
In mendaciolum lapsus, sequuturus Veritatem;
Mendacem mundum surgendo vicit, cum fugit,
Felix error, qui rectitudinem docuisti,
Ex Juris prudentiæ Judicibus
Selectus pro virtutis causa patronus,
Hanc tam bene tuetur,
Ut propriam faciat.
Solem æmulatus
Illustriorem inchoaturus vitam;
Eum non puduit è tenebris mendacij emersisse.
Hanc unam, quam contraxit maculam ut eluet,
Lachrymarum cataclysmum effudit;
Imò solutam in lachrymas
Per oculos foras ejecit.
Crebas fudit lachrymarum pluvias,
Quia talibus vivit aquis ignis ille,
Quem Deus vult in homine accendi,
Obscurâ indutus lacernâ, clariùs emicuit.
Humilitatis umbras adamavit;
Ostensurus vel in meridie ornamenta cœli,
E mortis imagine vitam hauriens
Sibi didicit mori,
Ut disceret Deo vivere.
Ecclesiæ sydus
In tenebris debuit clariùs effulgere.
Disce Lector
Sibi mori, est Deo vivere.

Sanctus ANDREAS *asperrimum induit cilicium, assiduis flagris se cruentat, ac omnibus pœnitentiæ generibus corpus spiritui subjicit. Elogium VI.* 22.

Puri-

Puritatis lilium
Nonnisi inter pœnitentiæ spinas efflorescit,
Ut suaviùs oleat.
Si in regno patientiæ nil meliùs coronat,
Quàm quod cruciat;
Dignum coronâ crede hunc florum regem,
Qui cruciatus sequitur, ut delicias:
Delicias fugit, ut cruciatus.
Veræ deliciæ sunt, delicias fugere.
Pœnæ solatia illi fuerunt;
Gaudet enim cum patitur justus,
Cruentis flagris innocentes artus feriebat,
Sed ad sanitatem,
Ut de Achillis hasta triumpharet;
Velut puritatis lilium ruberet in Rosam.
Methaneæ in pugna ipsa vulnera sunt pharmaca,
Et cruoris effusio, purpuræ indumentum;
Arctum vitæ genus inivit,
Ut arctiùs adhæreret Deo.
Dura humus frequenter cubile præbuit,
Cominùs Tartarum expugnaturus,
Vel ne quies ipsa sine labore,
Somnus sine dolore esset.
Temperantia, quæ in alijs virtus est summa,
In ipso natura fuit.
Summa inedia dies absorbuit,
Nulla re in stomachum missa, aut instillata.
Lachrymarum imbribus sitim auxit,
Non extinxit.
Cum totus esset spiritus; corporis non videbatur alimonia indigere;
Si Methaneæ cinere spartum vultum cernis:
Inde conjice quale sit cordis incendium;
Cujus cinere etiam ora pallescunt.
Nobilis pugil luctaturus cum Tartaro.
Metaneæ quoque voluit olympico pulvere sordescere,
Et quò velociùs ad cœleste curreret capitolium,
Calcaria adhibuit, quibus latera pungeret:
Cilicio si cingitur, condona cruciatus;
Charitatis rosæ, ac puritatis lilia
Nesciunt suaviùs florere, quàm inter spinas.

23. *Sanctus* Andreas *Neapoli impediturus Dei offensas, quæ per Bacchanales ferias perpetrabantur: fusis precum juges pluvias à Deo obtinet, quibus perniciosæ omittuntur choreæ, ac cætera spectacula. Elogium VII.*

Tibi gratulor Parthenopæa Siren
Herculem sanctiorem, qui Gallicano facundior,
Ipsum Deum scit in sua vota vincire, ac flectere.
Per Baccheas ferias; non feriante,
Sed operante otiosæ lasciviæ licentiâ,
Veneris flamma plures ussisset;
Ac perdidisset
Nisi æmuli elementi timuisset rnentes undas,
Tam grande excitâverat Venus incendium,
Ut nonnisi aquarum cataclysmo potuerit extingui.
Non ampliùs asseverent Pythagorei,
Unicam Saturni lachrymam peperisse mundo
Oceanum;
De fabulis Andreas triumphat
Dum lachrymis pluvias trahit,
Zelus in fulgura, preces in tonitrua,
Lachrymæ in imbres, turpitia in turbines abjerunt.

Imò non pluvias, sed lachrymas fuderunt cœli,
Quibus plangerent terræ infortunia.
Vicerat olim Josuë Amorrhæum,
Sed solis statione, ac adblandiente cœli serenitate,
Triumphat hic de virtutis hoste cœli procella.
In castris Josue stetit Sol,
Ne staret Amorrhæus;
Et exhibuit se stationarium militem,
Ut stativam in castris Amorrhæorum
Prosterneret fortunam:
Metam distulit diei attingere,
Ut palmas meteret illustriores.
Illustris fuit victoria,
Quia defixos tenuit cœli oculos, Solem, Lunam,
Qui hæserunt, vel allecti spectaculo,
Vel obstupefacti virtute.
Verùm ex hoc vitij conflictu
Clariorem crede germinare victoriam,
In qua elementa ipsa pugnârunt.
Supra naturam triumphavit, qui imperavit naturæ;
Cœli suo obtemperantes nutui imbres fuderunt
Ne Veneris ignis diffunderetur,
Eripuit solem, & vitij caligines excussit.
Plaudat interim suo Herculi Parthenopæa Siren,
Qui charitatis face, ac laboris clavâ
Vitij Hydram in septena
Capitalium criminum capita
Semper repullulantem profligavit.

Sanctus Andreas, *homines à vitiis aversurus nulli parcit labori; concionaturus in oppidis, ac vicis, per nives transit hyberno tempore, per torridos calores æstivis diebus: dum Sacramentales audit confessiones assiduè illachrymatur. Elogium VIII.* 24.

Achilleos habet humeros Charitas,
Sub ærumnarum, ac laborum pondere
Non trepidat, sed stat firmior.
Rigentis hyemis nives, gelúque eludit:
Quia tota ignea frigus non sentit.
Fervescentis leonis urentes flammas, non patitur;
Quia majus erat incendium Charitatis,
Quàm
Ab ardoribus posset intendi.
Indignari potuisset Philosophia, si vidisset,
A simili simile passum esse.
Ne peregrina foret hominibus virtus,
Diu peregrinatus,
Ut Jovis fulmen deterrebat;
Mercurij flumen demulcebat,
Obdura corda, prurientes aures.
Nunquam mentem suam accuratiùs coluit,
Quàm cum coleret alienam:
Solum hoc hinc subegit,
Quia subjecit Deo Soli;
Aravit, cum sanctitatis characteres exaravit:
Virtutum semina postea voce, manúque jaciens,
Sudore, ac lachrymis alluens.
Uberem fructuum messem obtinuit,
Gallicano Hercule felicior
Homines vinciebat, ut arctiùs adhærerent Deo.
Quia crimina propria non habuit, quæ plangeret,

 Habuit

Habuit quò desleret aliena.
Nam expiatas sordes, ut ablueret
Undas ab oculis fudit;
Vel quæ auribus hauserat crimina
Oculis depluebat,
Ne intimæ innocentiæ lux,
Alienæ noxæ maculam pateretur.
Sanctus ANDREAS *iter habens medias inter pluvias non madefit. Elogium IX,*
Elementa etiam ipsa tangit invidia;
Olim ignis Babylonica in fornace.
Quia tres pueros non tetigit, immortalitatem attigit.
Parem gloriam, ut sibi compararet aqua,
Andream nec est ausa tangere,
Sed duntaxat illum circumsepiens
Diadema texuit.
Veluti ex cadentibus è cœlo margaritis;
Ne elementorum triumphatori sua deesset corona.
Olim in fornace ignis non nænia audita est,
Sed pœan;
Imò, & cantus ferum omnium conditarum;
Quid mirum si frigueris flamma?
Glaciem simul, & nivem,
Ac aquam accersiverunt cantores.
Ligna quæ Tyrannus injecerat in fomitem flammæ
Laureatos cessêre in triumphos,
Et vestes, quas retulerunt illæsas
In trophea victoriæ.
At si nive, & aquâ vicerunt pueri ignem;
Nec ei defuisse ignem credas,
Cum totus æstuaret charitate:
Prope tam grande charitatis incendium.
Ruentes è cœlo aquæ non poterant non exsiccari.
Quàm fervens ignis? quem aquarum procella
Obruere non potuit, nec minuere
Virtutum propè Arcam, si non Jordanis;
Aquarum flumina teversa sunt retrorsum.
Olim rubi maris unda, ut Mosi foret mitis,
Obduruit;
Ut esset hostibus dura
Relapsa est liquida:
Nam cedente mare incedenti Moysi,
Insequutus Pharao procedentes Hebræos mergitur.
Memor elementum easdem pœnas dedit Pharaoni,
Quas nascenti Moysi decreverat.
Sic crebrò suis artibus pereunt Tyranni.
Suppar prodigium prodiisse ab aquis crede;
Quando novum legislatorem
Non sunt ausæ tangere,
Cum divino æstuaret amore;
Aquæ multæ non possunt extinguere,
Nec flumina obruere charitatem.

26. *Sanctus* ANDREAS *sacrum ad Aram facturus ad illa verba Introibo ad altare Dei apoplectico morbo correptus cadit, surrecturus in cœlo. Elogium X.*
Novum sacrificij institutum attende,
Non amplius Sacerdos immolat,
Sed infulatam cedit in victimam,
Quia in ara cadit.
Pluries Sacerdotio functus est,
Ut semel disceret Hostia fieri,
Quàm rectè ut victima moritur,
Cujus tota vita sacrificium fuit:
Mactanda cadit victima ante Aram
Effusura cruorem post necem.
Gaudeant cœlites; habent quò lætentur.
In tam bene sarta victima.
Cecidit, ut lapsu, sanctior Antheus nervosior fieret.
Qui ascensurus usque in cœlum erat,
Novas vires mutuare debuit è terra,
Ne deficeret in tam prolixo itinere.
Felix lapsus! quò erigitur Sacerdos super sydera.
Olim Josuë Hiericontina mœnia arietavit,
Non ferreis machinis, sed æneis tubis:
Nec opposuit bellicas testudines muris,
Ne in victoria testudineam tarditatem experiretur;
Sed inflavit tubas, ut ore, non manu.
Parta victoria majori foret digna præconio.
Supparem victoriam hic habes,
Ubi ad primas hujus Evangelicæ tubæ voces,
Fortior ex hominis hostibus caro
Victa cecidit.
Mox triumphaturus in cœlesti capitolio;
Decumbens contra itineris difficultatem.
Salutari se munivit Viatico.
Et prudentes quoque Virgines æmulatus,
In ornamento suæ lampadis sumpsit oleum secum.
Quid ni? unctum lacessere Athletam
Ausus est tartareus Antagonista;
Armatus in illum horribili larva.
Solo terrere, ac vincere aspectu crediderat;
At, qui carnem, & mundum vicerat,
In ultima lucta etiam Tartarum prostravit,
Et ne tanto deesset purpura Victori,
Post fatum
Sanguinem suppeditavit fracta cutis.
Quia vivens nonnisi spinis fuit delectatus,
Par erat ut post mortem daret purpureas rosas.

DE EPITAPHIJS.

Monumenta documenta Manium umbris crebrò dilucidant; ac è sepulchrorum tenebris clariora plerunque prodeunt sanioris doctrinæ lumina, quàm olim ex Platonis umbrifera Platano. Inerudiros ne censeas Manes; quamvis neu è suggesto loquantur, sed in sarcophagis inviolabiles servent silantij leges, quas & religiosè custodiunt; franguntur tamen saxa ipsa, ut insculptis, incisisque characteribus etiam ipsa marmora duriora doloris exprimant sensum, parentatura consepultæ virtuti. Id superest vitæ emortuæ virtuti, facundia lapidum; sub quibus inanis cinis sanioris amoris plerumque excitat ignes; nósque a fluxis mortalis vitæ illecebris, ac larvatis mundi voluptatibus extrahit, hinc scitè cecinit ille 1.

Majorum tumuli meritò monumenta vocantur.
Nam quâ sint homines conditione docent.

Sepulchrum eruditum dixeris lycæum, in quo Magistri Manes clarius sua umbris nos edocent, qualis sit humana conditio: in hoc Gymnasio non amplius se-pulchrum novit ado- 2.

adolescens, sed docente cinere, facundo silentio addiscit, quam vana sint humana quæque, quàm inanes cogitationes hominum, quorum ossa tumulis exanguibus albent.

Nomina Majorum tumulis inscripta recense
Addendúmque breve noveris esse tuum.

3. Libithinæ falci, quam retundant, marmoreum in sarcophago clypeum objiciunt superstites; nomina saltem suorum Majorum à temporis injuria vindicaturi; & ut virtutes dignitates, officia, quæ cùm viverent exercuerunt, etiam post fata vivere in sepulchralibus epitaphijs, vel sculptis statuis mentiantur; lapides excruciant, ut tormentorum vi velnti ad loquendum coacti muti Oratores loquaci silentio mortuis parentent, & epicedia canant. Verùm de saxis ipsis, statuis surgentibus, nominibúsque insculptis triumphat Libithina teste Ausonio, qui oculos in quædam Romæ injiciens monumenta Cæsarum jam diruta cecinit.

Miramur perijsse homines monumenta fatiscunt,
Mors etiam saxis, nominibúsque venit.

EXPENSIO XIV.

Quid sit Epitaphium, & quomodo ab Inscriptionibus, & Elogijs distinguatur.

1. Epitaphium quædam est inscriptio sarcophago, seu sepulchrali insculpta lapide, quâ defuncti nomen, conditio, virtutes, dignitates breviter, & graviter commendantur addito morali aliquo documento alludente ad fluxas opes, umbratiles voluptates, fucata hujus vitæ gaudia, larvatos honores, mundique vanitatem, quo documento Viator, vel ab ipsis mortuis ediscit probè vivere, & ex cadaverum cineribus aliquem haurit divini amoris ignem, quo ad virtutum exercitia exardescit. Albicantia tumulis in exanguibus ossa semina esse dixeris, quæ aliena excepta mente in fructuum proborum operum ubertimam messem excrescunt: non solùm Ceres in exculta camporum planitie; sed etiam Libithina in sepulchrorum umbriferis vallibus divitem spiritualium fructuum messem suppeditat: quia ex sepulchralis lapidis adamantina duritie ediscunt hominum corda emollescere, ac virtutis lineamenta facilius excipere, quibus ad probitatem informentur. Qui enim ex umbris sepulcrorũ virtutum non suscipit splendores, nec è frigidis mortuorum cineribus sanctioris amoris flammas haurit, adamas est, onn adamans pietatis.

2. Tametsi Elogia, inscriptiones, & Epitaphia militent sub eodem genere lapidariæ elocutionis: attameo Epitaphium distinguitur ab Elogio, & Inscriptione; quia elogium complectitur quandam seriem, nexúmque argutiarum in commendationem alicujus gesti, vel peculiaris personæ; & inscriptio est brevis expressio alicujus gesti, vel viri illustris, vel operis insignis fabrefacti: Epitaphium verò tantùm fit in commendationem defuncti, cujus nomen, conditionem, virtutes, ac dignitates breviter, ac graviter exprimit, non sine doloris sensu; ut est subjectum Epitaphium afflicti patris in extinctum filium. *Parens infelicissimus afflictus præpostero naturæ ordine filium hoc tum do condidit, quem importuna mors ademit, præripuitque seni baculum; cui jam defessa ætas adnitens, perbreves annos suos allevabat; nunc autem mors adsequitur, quam tristes lachrymæ deserverant, disce viator, cæca mors falce sua, & juventæ flores, ac senectutis maturos fructus simul metit.*

Vel hoc aliud insculptum tumulo Serenissimi Principis Poloniæ Sigismundi, quam Principum florem mors suo gelu decoxit, rapuitque septennem. Lege in hisce cineribus excidium spei publicæ viator, in ipsa herba peractum est. Magnitodinem jacturæ pensa ex nomine. Sigismundus Uladislai IV. filius pueritiæ bullam induens, exuit vitam, vix septennio Princeps: Illusit nefastus Aprilis ejus ortui: Ver orbi aperuit, Principi tumulum! nam Cæcilia Renata quid pareret nisi sceptro, aut cœlo natos? Expectas de eo judicium Uladislai? illo expirante hic exenimari cœpit. Tanto Principi, tantum crescere licuit in Augustum! Invidit hic Mensium Cæsar Regni spem Sigismundo. Indicavit cœlum, quid adimeret, magnæ ruinæ maximum fragorem anteverteas. Scepera messuit, dum aristas; nec ante has, quàm Principem supernâ sanè messe in avitum Jagellonicæ stirpis manipulum collegisset. Tandem febrilibus exustus igniculis cum Laurentio laurum petijt. Tu ò Sarmatia ad Coronatum Principis bustum ne fleveris, nihil ille in vita egit dolendum, nisi quòd spei publicæ omnia fatis anteverterit, quæ factis alere jam cœpisset. Vel hoc aliud, quod metricis lineis tibi exhibeo

Adesdum Viator
Saxum hoc manante jugiter lacryma excava,
Ac sepulchrales discute cineres:
Extinctum reperies virtutis splendorem
Exiccatum juventutis florem.
Heù quàm cito amoris flamma
In cineres abijt!
Puerum me ne credas amisisse;
Virum eheu amisi, amisi eheu Heroem,
Immanes ecce ille diutini morbi cruciatus
Tam mirifica tulit patientiâ,
Ut parentibus circa se flentibus,
Nunquam fleverit.
Tu verò luge ab ardentis febris flamma
Combustum fortissimum Scævolam,
Et in hos cineres solutum.

Rursus differt Epitaphium ab inscriptione, & Elogio, quia inscriptio insculpitur, vel exciditur in calce operis fabrefacti, ot statuæ, obelisci, vel in fronte arcus triumphalis, cujusmodi sunt illæ inscriptiones, quæ Romæ leguntur in arcubus triomphalibus Titi, Vespasiani, Constantini ad radices Tarpæi montis. Epitaphium verò non iociditur, nisi lapidibus sepulchralibus, vel laminis tomulo affixis, vel labaro de templi fornice appenso ad indicandum ubi frigida quiescant apud Manes demortui ossa. Præterea inscriptio tantum enarrat caussam, ob quam opus fabrefactum alicui illustri

vita.

viro dedicatur, neque exigit, recenseri laudes alicujus, quia naturæ pensum jam solverat, sed tantùm causam dedicationis exprimi: secus epitaphij munus est commendare defunctum, & locum ubi ejus cineres quiescunt, innuere. Differt etiam ab Elogio, quod quovis in loco inscribi potest, cùm Epitaphium nonnisi in lapide sepulchrali, vel lamina, quæ solet sepulchro affigi, vel labaro ad sepulchrum appenso, quia debet exprimere locum, ubi quiescit defunctus. Demum quia elogia tanta argutiarum amœnitate texuntur, ut videantur perpetuò inter Parnassi vireta jocari: secus Epitaphium in luctu, & squalore jacens dolorem exprimit, ac mœstitiam; gaudet acuta styli brevitate, & nervosa. & alludit ad stirpem, genúsque denati, ad illustria gesta, officia, honores, vitæque statum, & si quid in eo singulare enituit: & parciùs in epitaphijs utimur arguijs, & acuminibus, quæ nonnisi gravia, & moribus corrigendis apta esse debent.

6. Rursus scribuntur Epitaphia soluta, vel ligata oratione, vel etiam stylo medio per lineas metricas, ita tamen, ut nomen cognomen, genus, status, dignitates, ætates singulæ, virtutes, gesta, eventus insigniores, scientiæ, merita, at brevis totius vitæ summa percurratur addito ad calcem anno ætatis, quo decessit, & reparatæ salutis. Ut in hoc epitaphio à filio dolente positum mortuo patri. Etiam in hoc marmore peteunat Fama, Petillustris Domini N N. ætatem is attigit, quam rarissimi; circumtulit merita, quæ optimi. Prima illi ætas ingenium acuit; maturior in hostes Patriæ fer-rum. Binas annorum decades in armis exegit; & trophæis Patriæ impendens quod litteris ademerat. Nam Stephano Batorio tunc Rege stipendiatius, bellicis excursibus in victorias ivit po.iùs, quàm equorum cursu orbem peragrans, ubique strenuus, bellandi, vincendique artes docuit, cum discere videretur: plurium gentium linguas meritus, quas optimè callùetat; nec fortius in hostem agere noverat, quàm pati: apud Turcas mente liberâ quadriennio captivus. Redux è vinculis meliori sorte usus in Patria beneficijs auctus, quæ meruerat. Per bina deinde connubia in plurium familiarum gloriam influxit, non melius tunc Spartam privatam domi, quàm publicam foris adornans. Tandem meritis, & senio gravis eodem semper vigore ad canos virtutem perduxit: meritis in patriam immortuus anno ætatis 94. Ejus gloriæ superstes filius N. saxum hoc æternæ posthumæ parentis gloriam locuturum posuit anno Domini &c. Ex Joan. Kwiatkiewicz

7. Non tamen est semper necesse, ut in quovis epitaphio omnia prærecensita exprimantur. Plerumque suis etiam epitaphia gaudent argutiis, quibus virtus commendatur defuncti, ut in hoc epitaphio. quod composui Romæ in laudem CLEMENTIS PAPÆ IX. lineis metricis

Lugete Musæ
Vestrum extinctum Apollinem,
Tundete capita fideles;
Vestro è vivis abraso capite.
Obijt Clemens ululate; Clementia abijt,
Sepulta est hic serenitas,
In lachrymarum pluvias erumpite.
Gratiæ suo viduatæ delicio lugeant,
Et Musæ squalore obsitæ
Parnassum querelis impleant,
Apollinis Laurus in Libithinæ cupressum abijt;
Pontificiæ dignitatis splendor, pallidum desijt in cinerē.
Multum excreverat desiderij flamma
Propagandæ religionis, augendæque
Virtutis
Ministrandam materiam, quâ aleretur tantus ignis,
Non habuit tellus.
Non poterat diu splendere sine pabulo flamma.
Occupato ab Ottomannica Luna Cretæ Regno
Moritur:
Turcica Luna mortis noctem præsagivit.
Tertium Pontificatûs annum non absolvit;
Hoc est regnavit votis Geminum parum,
Diutius regnaturus in cœlis.

Est igitur Epitaphium oratio in defunctorum sepulchris scribenda, continens nomen defuncti, & necis genus, ut & Majorum nobilitatem, ac perbrevem narrationem illustrium gestorum non absque acumine, quo tamen Lector pungatur, & excitetur ad exercitia virtutum, & præsertim charitatis in defunctum. Moris itidem est, ut lapidibus sepulchralibus insculpantur hi characteres D. O. M. scilicet Deo, optimo Maximo, vel Æternitati. Epitaphia alia versu, alia soluta prosa texuntur. Epitaphium versu sculptum est illud Francisci Pacini. 8.

Inveni portum, spes & fortuna valete,
Nil mihi vobiscum est, ludite nunc alios;
Hospes eram mundo per mundum semper eundo,
Nunc suprema dies, fit mihi summa quies.

Et ad tumulum Angeli Politiani viri linguarum periti clari.

Politianus in hoc tumulo jacet Angelus, unum
Qui caput, & linguas (res nova) tres habuit.

Ex Epitaphijs alia sunt jocosa, ut est illud Vespiæ litigiosæ Vetulæ;

Tres habuit furias quondam, sed Vespia Manes,
Ut petijt, furias quatuor Orcus habet.

Aliquando inducitur ipse mortuus de se loquens cum viatore, ut

Hic decumbo Viator, vide quid sum.
Fui quod es, eris quod sum, vale.

Vel hoc aliud.

Mortales cum simus,
Quid futura dies nobis vehat, nescimus.
Fui, non sum, estis non eritis.

9. Interdum ipsa instrumenta inducuntur loquentia, quæ defunctorum tumulis olim solebant sculpi. v. c. Agricolis *aratrum*, Pastoribus *baculus*; Nautis *Remus*; venatoribus *falco*, aut *canis*, militibus *framea*; sic in subjecto epitaphio ipsa framea loquitur.

Acuta fui olim framea
Sed nunc ad mortis saxum hebetata sum:
Fulgebam olim splendore Martio,
Nunc rubigine Lethi corrodor,
Et cum Domini N. brachio hoc cecidi in sepulchrum.

10. Hisce verò temporibus gentilitia stemmata, aut symbola apponuntur tumulis, ut Oratoribus *fulmen*, Poëtis *Cygnus*, Ducibus *Aquila* aliquando

stichium, seu lemma, ut si in Principis sepulchro velles indicare ejus amorem in subditos sculperes Pelicanum sanguine pullos suos foventem, hoc lemmate *Pro lege, & Grege.* Vel Aquilam expansis alis addita epigraphe *Sub umbra alarum mearum.* Vel leonem apertis oculis indormientem addita inscriptione, *Non dormivit, qui custodivit.* Moris itidem est, ut symbola funerebria apponenda sepulchris alludant, vel ad immortalitatem in cœlesti patria, ut est Phœnix è rogo sursum enitens alarum flabello cum lemmate *perit, ne pereat.* Vel ad vanitatem mundi, ut si pingatur generosus equus mortuus, ac fermè putrescens cum lemmate *ante honori, nunc horrori.* Vel ad fallaces voluptates, ut piscis deglutiens unà cum esca hamum, *quod pascit, hoc interimit.* vel Papilio lucernam circumvolans, & alas adurens: *Species præclara fefellit.* Taurus pascens virescente in campo *Ut edatur edit.* Homo siquidem in sepulchro fit vermibus esca. Eruuntur etiam symbola mortualia à rebus inanimatis, ut si pingatur Sol ob interjectam lunam, solem inter & noseclypsim patiens cum lemmate *Officiunt lumina luminibus.* Vel fax extincta è cujus lychuo fumus evaporat, *perijt, quod splenduit.* Vel incendium depascens plures domus *non sine clade micat*, vel Pyramis præcelsa in unum desinens acuminatum lapidem: *Lapis omnis clauditur uno.* Vel Cythara ruptis fidibus humi jacens. *Ruptis perit omnis gratia chordis.* Vel ignis sub cinere. *sepultus vivit.* Vel horologium rotatum. *Metam properamus ad unam.* Vel Bulla innatans aquis, vel aërem pervolitans *brevis, & levis.* A plantis etiam eruuntur symbola sepulchralia, ut si pingatur arbor, cujus folia initio hyemis decidant addito lemmate. *facilis jactura.* Vel platanus ad umbram duntaxat luxurians, non ad fructus virescens: *Nil præter umbram.* Arbor quæ balsami nomine insignita è scisso cortice liquorem effundit, quo nostra curantur vulnera, *Alijs mea plaga medetur.* Vel lilium efflorescens quod fuit symbolum Joannis Ducis II. Cliviæ, cui addidit lemma *Hodie aliquid, cras nihil.* Julius Dux Luneburgicus curavit etiam proprio sepulchro pingi facem cum vulgatis illis verbis *Alijs serviendo consumor.* Vir etiam doctissimus qui plura edidit volumina voluit proprio sepulchro insculpi calamum anseris cum lemmate *Mortuus loquor.*

II. Debent itidem Epitaphia graves sententias comprehendere, & doctrinas morales, ut in Epitaphio Saladini Regis Ægyptiorum.

Floruit in toto, qui Rex Oriente potenter,
Nunc jacet; ex tantis quid tulit? ecce nihil.

Fuit etiam qui hæc alia carmina sepulchro inscripsit.

Nullo fata loco possis excludere: cum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Cajetæ in sepulchro marmoreo Scipionis Africani habetur

Devicto Annibale, capta Carthagine, & aucto
Imperio, hos cineres marmore tectus habet.
Cui non Europa, & non obstitit Africa quondam,
Respice res hominum, quàm brevis urna premit.

Et in tumulo cujusdam Eleemosynarij sculptum fuit hoc Epitaphium. *Quod dedi habeo; perdidi quod servavi.*

EXPENSIO XV.

De multiplici Epitaphiorum specie. Et subjiciuntur pleraque Epitaphia non sine delectu deprompta ex varijs Auctoribus.

I. Diximus, Epitaphium inscriptionem esse ligatà, vel solutà oratione compositam sepulchris inscribendam defunctorum, indicantem plerumque ætatem, nobilitatem, dignitatem, merita, conditionem, dotes tum animi, cum corporis, mortis genus ipsius defuncti, & alia id generis; adeout brevis totius vitæ summa decurratur; addito ut plurimum ad calcem inscriptionis fine vitæ, ætate defuncti, ac anno Christi currente. Hæc omnia servari solent sive Epitaphium insculpatur lapide sepulchrali sive scribatur in lamina argentea, vel plumbea, quæ solet sarcophago affigi; sive ut subinde moris est in labaro, vel vexillo: semper debet Epitaphium alludere ad stirpem, genúsque defuncti, ad ejus gesta, officia, honores, statum vitæ, & alia ijs similia, quæ laude digna censeri possunt.

2. Epitaphium ita laxè descriptum bipartitur in simplex, & compositum; illud acuminibus destitutum, floribúsque carens elocutionis lapidariæ rem narrat stylo simplici. Secus compositum acuminibus efflorescit, figuris ornatur, veneribus perfunditur, quibus legentes alliciuntur, & Manium umbræ plurimum contrahunt splendoris; quin imo etiam ipsi mortui aliquid Spiritus. Epitaphium simplex est illud Alexandri Macedonis apud Plutarchum, quà sculptum, quà scriptum; sculptæ siquidem inspiciebantur præduro in Marmore geminæ Matronæ humi sedentes depresso collo, subjectis cervicibus, subacto vultu catenis vinctæ, quarum una Africam, altera Europam, quas Alexander subjugaverat eleganter referebant; inscriptio erat hæc *Alexandri Victoria.* Referunt alij simile fuisse Themistoclis Epitaphium, sculpta siquidem comprehendebat ejus præclara gesta cum inscriptione. *Memoranda facta Themistoclis.* Nil potest exhiberi simplicius hisce epitaphijs, quæ tamen paucis multa comprehendunt, ac plura dicunt, quàm loquantur. Hujus generis epitaphia tametsi quo ad sensum, ac stylum sint simplicia, possunt nihilominus dici composita ex sculptura, ex scriptura, quia ex utraque coalescunt. Epitaphia simplicia quæque sola comprehendunt verba sunt, quæ paucis, ac simplicibus verbis rem omnino jejunè exponunt, ut est illud insculptum Monumento Regis Cypri. *Hic jacet Persarum Debellator.* Et illud Virgilij ligata oratione

Qui sylvas, & agros, qui prælia versibus ornat
Mole sub hac situs est ecce Poëta Maro

3. Plerunque simplicia hæc epitaphia plus significant, quàm videantur sola verborum vi ex-

exprimere; cujusmodi est illud sepulcro inscriptum Bononiensis catelli, quem Corinna mulier habuit in delicijs.

Latrai à Ladri à gli Amanti tacqui
Onde à Messeri, & à Madenna piacqui

Scilicet: Latronem allatravi, & Amatorem tacui: Hinc Dominis, ac Dominæ serviendo placui. Ligata oratione

Latratu fures excepi, mutus Amantes.
Sic placui Dominis, sic placui Dominæ.

4. Simile huic est quod refert D. Hieronymus à se lectum Romæ in quodam lapide, sub quo ossa jacebant Mariti, & uxoris. *Miraculum Viator. Hic maritus, & uxor non litigant.* Rara domi maritum inter & uxorem concordia. Quapropter habetur aliud Epitaphium, quod ligata oratione solutus maritus posuit uxori litigiosæ

Hic uxor jacet. O factum bene! Uterque quiescit
Illa quiescit humi, dum requiesco Domi.
Uxor Je jacet hic: utrique est meta laborum;
Illi non major, quàm mihi parta quies.

5. Hinc bipartitur Epitaphium in serium, & ridiculum; illud grave causam innuit mortis, & affectum excitat commiserationie, humanamque explicat conditionem; & majorem præsefert energiam, si fiat per Idolopœiam, quâ mortui ipsi loquuntur, cujusmodi est Epitaphium illius Tabellarij è Manium umbris ita loquentis Italico versu

Sempre correi con instancabil corso
Ma nel più bel del correr, ecco, ahi lasso!
Ch'urtando à precipitio in questo sasso,
In un punto finij corso, e discorso.

6. Simile huic est hoc aliud Epitaphium, quo Pictor humatus ita loquitur

Jo fui Pittor, che per destin severo,
Mentre al vivo pingei pallida morte;
Diventarono à me le guancie smorte,
E colorendo il finto, urtai nel vero.

In utroque Epitaphio per Idolopœiam mortuus loquitur, affectum excitat commiserationis, & causam argutè exprimit præcocis mortie. Nonnunquam Epitaphium nullam excitat commiserationem, sed laudes tantom recenset defuncti, cujusmodi est illud Guidi Rheni Bononiensis celeberrimi Pictoris ex Bargoccio

Defluite in lacrymas, & in umbras ite colores,
Et tabulæ, & telæ jam sua fata gemant.
Scilicet occubuit, qui vos animare valebat,
Et veros mutis fingere in ore sonos.
Artem pingendi posthac ne quære, Viator;
Cum Guido hic Rheno, nam tumulata jacet.

7. Epitaphia verò Principum gravitatem, & majestatem acuminibus mistam amant; laudes recensent, quæ desumi solent à virtutibus, quas præ cæteris excoluerunt, à bellica fortitudine, à meritis, nobilitate, & alijs id genus, quæ laudum solent messem suppeditare. Ut si dicas. Si Principem N. N. Viator quæris siste gradum Hic mortales posuit exuvias; dum viveret Princeps, Dux, Præfectus fuit exercituum: nunc cinis. Fortuna illi non infra genus: honores non infra merita, cognatio cum summis; affinitas cum supremis. Semper illustris nunquam in umbris se detinuit; primam ætatem in sole egit, à quo virtutum radij in ipsum derivârunt; in sinu Musarum ita adolevit, ut delicium fuerit Apollinis ac Totius Parnassi decus. In castris bellicæ nupsit fortitudini, quæ nonnisi præclara gesta, ac celebres peperit victorias. Fortunæ si potuit subinde succumbere, nunquam armis. Religione dilatandæ ardor adeo excreverat, ut totum Turcarum imperium combussisset; nisi solutus priùs ipse in hos cineres fuisset. Assuetus tamen victorijs, etiam in extremo conflictu vicit mortem immortalitate; quia redivivus phœnix ab hoc cinerario ad cœleste evolavit Capitolium æternis donandus triumphis. Exhibeo tibi aliam hujus generis Epitaphiorum formulam. Hoc erudiente sepulchrali lapide nisi discas in lacrymas liquescere durior omni es saxo. Præficeæ tamen nullum hic ediderunt dolorem, quia Manes lætantur talibus ditescere exuvijs. Tu vero habes, quò doleas; cum tuum hic amiseris gaudium. Habeas tamen quo lacrymas abstergas; quia ætatem attigit, quam rarissimi: circumtulit merita, quæ optimi: Prima ætate ingenium ita excoluit ut omnigenæ virtutis dederit flores; ita acuit ut maturior Odrysias lethali vulnere trajecerit phalanges. Binas annorum decades exegit in castris ut palmas æquè sudore proprio, ac extero sanguine irrigaret, & Patriam, pro qua propugnanda pugnavit trophæis exornaret. Nec fortius in hostes agere didicit, quàm pati. Tandem senio gravis, meritis maturus virtutem semper florentem, jugiter robustam ad ultimos usquè detulit canos: & æquè bellis, ac telia Fortunæ infractus, cedere tempori jussus, cessit etiam è vita meliori fruiturus vita.

Plerunque Epitaphium principis incisum sepulcro documentum solet exhibere morale loco clausulæ ut est illud Caroli V. Imperatoris ex Capilupo, 8.

Europæ domuit tollentes cornua Reges
Carolus; atque Asiæ terror, & horror erat.
Et pedibus Libyam calcavit, victor, & illi
Innumeras victus præbuit Indus opes,
Deinde sibi frænum injecit: fratrique regendum
Imperium, & grato cætera regna dedit.
Atque ait: è nobis, & honores temnere, & unum hoc
Discite mortales: pulvis, & umbra sumus.

In epitaphijs virorum illustrium propria cuique tribuenda laus est, & affectus præsertim commiserationis excitandus, ut in hoc epitaphio comitis Veterani, qui anteacto anno in conflictu contra Turcas viribus longè impar post pugnam in Transilvania strenuè pugnatam tandem occubuit. Siste gradum Viator. Saxum hoc manante jugiter lacruma excava, siccis oculis aspiciendus non est, qui pro Cæsare, ac Religione propugnanda vitam despexit. Da tu lacrymas comiti Veterano pro sanguine, quem ipse fidei litavit. Transilvaniæ tumultus ære coërcuit, auro sedavit, & prudentia prorsus extinxit. Hostes quos non potuit gladio frangere, consilio superavit. Cæsarei exercitûs apud Transilvanos Præfectus adeo 9.

for-

fortiter res gessit, ut Clava imperialis pluries illi fronduerit in laureas, quæ Odrysio irrigatæ sanguine in palmas succrevêre. Expavit armatus Turca bellicam ejus virtutem, quam ut opprimeret montes cataphractorum immisit: sed si premi virtus potuit, non potuit opprimi. Inflictis sexies vulneribus pungere potuit Martiam fortitudinem, non expungere. Fluxit de illis vulneribus plus gloriæ, quàm sanguinis. Vincere, & vivere desiit maturus meritis, non ætate.

10. Quòd si lineis metricis scribendum sit epitaphium, ac soluta oratione, servandæ tunc sunt eædem leges, quæ in cæteris inscriptionibus; sortiuntur enim hujusmodi epitaphia easdem prorsus regulas; ut hoc, quod quæsitus composui insculpendum Bruxellis in sepulchrali lapide Joannis Baptistæ de Simeonibus Comitis de Rivera, mihi in amicitiam devinctissimi. Obijt in obsidione Arcis Namurcensis,

Bellum gerat internus dolor,
Pro sanguine lacrymas fundat;
Et lugeat, quem in bello feralis ictus protrivit
JOANNEM BAPTISTAM DE SIMEONIBUS,
Comitem DE RIVERA,
Serenissimi Electoris Bavariæ
MAXIMILIANI EMMANUELIS
Prætoriæ cohortis Præfectum,
Et in castris Peditatûs Ductorem.
Hic in Namurcensis Arcis expugnatione,
Martem agens, oppetijt mortem.
Cum milites, quos duxerat,
Ad fortiter standum
Exemplo magis, quàm voce hortaretur,
Plumbea glande ictus,
Fato, non hosti cessit.
Quia si cecidit corpore; animo ceciderunt, & hostes,
Qui de Arce dedenda leges posuerunt.
Anno M.DC.XCIV.

11. Ad sepulchrum nobilis puellæ decennis Epitaphium metricum encomiasticum posui

Quid turbamini, & ploratis?
Lacrymas abstergite, oculos serenate,
Puella non est mortua,
Terris erepta in cœlum inducta est,
Ægritudinum molestias, dolorum acerbitates,
Hîc reliquit,
Fruitura illic æternâ quiete.
Parentes deservit, ut arctiùs Deo adhæreret.
Sed heu obijt immatura!
Quid immatura?
Ad mortem maturi omnes sumus.
Licèt mors ipsa sit semper acerba.

12. Viennæ Austriæ habetur Epitaphium Antonij, qui ex Abbate Benedictino Episcopus Vienensis consecratus fuit, ac S. R. Imperij inauguratus Princeps. Duo comprehendit tempora præteritum, & præsens.

Fui
Abbas, Episcopus, Princeps;
Sum
Pulvis, umbra, nihil.

13. In sepulchro eximij viri, qui fuerat à consilijs intimis Imperatoris, inducitur per Idolopœiam mortuus socios alloquens Consiliarios

Vos me in Consilio expectatis;
Ego vos hîc expecto.
Quando conveniemus?
Forsan brevi.
In foro vestro venduntur fumi.
In meo conduntur cineres.
Si Cæsar de me quærat
Dicite, me vivisse
A Ferdinando III. ad Ferdinandum II.

Ad tumulum Principis adolescentis Hyacinthi à Sabaudia hoc olim Epitaphium posui 14.

Heu quàm breve Hyacinthorum Ver!
Præcox Libitina suo gelu Principum florem
Decoxit
Nósque nobilissimo cum flore
Suavissimæ virtutis fructu fraudavit.
Defloratæ areolæ cultus debetur irrigantium lacrymarum;
Excussi floris aridum decus
Officiosa reflorescit irrigatione.
Agite lacrymæ, in voces abite querulas,
Excidium spei publicæ
In ipso peractum est flore.
Hyacinthus pueritiæ bullam vix induerat
Et vitam præmaturè exuit.
Ver orbi gaudium, Principi tumulum
Aperuit.
Parcamus tamen dolori
Nil ille in vita egit dolendum,
Nisi quòd spei publicæ omnia fatis antevertit
Quæ factis alere jam incboásset.

Quia verò Epitaphia in quodlibet hominum genus scribi solent; proderit scribenti aliqua observare pro diversa hominum qualitate. 15. Epitaphia siquidem hominum sanctitate insignium nil continent doloris, nullam excitant commiserationem; sed plausibus potiùs lætantur, quàm suspirijs conquerantur; stylus acuminibus efflorescit, quot lineæ, tot lumina; quæ laudes recenseant, virtutes illustrent. Quæ verò epitaphia texuntur in laudem Principum gravitatem redolent, ac majestatem acuminibus ornatam, elegantijs vestitam, argutijs vermiculatam; non multum habent commiserationis. Laudes petuntur à felici regimine, ab affectu subditorum, à felicitate, ac fortuna in bellando, à clementia in condonando, à zelo propagandæ religionis, à desiderio promovendi bonum subditorum, à rebus præclarè gestis, ab ædificijs ad summam constructis magnificentiam, à dotibus tum animi, cum corporis, à virtutibus excultis. Sin verò epitaphia in commendationem scribantur sanctorum, ac virorum eruditorum, laus tribuenda est cuique propria, ac pro scientijs, quas fuerunt professi, & in quibus præsertim excelluerunt; & tunc hujusmodi facultates, & scientiæ solent etiam induci loquentes ad personæ emortuæ tumulum. Epitaphia, quæ à filijs in honorem scribuntur parentum plus habent teneritudinis, quàm ingenij; plus doloris, quàm acuminis, plus planctûs, & lacrymarum, quàm luminum. Pater, & Mater laudari solent à laudabili educatione liberorum, à recto domûs regimine, à custodia rerum domesticarum; ab honoribus susceptis. Filij autem præcoci morte rapti lau-

laudantur ex eo quòd intempestivè recisi in herba, & flore, fraudaverint parentes illo fructu, quô sperabant senium alere; ab innocentia custodi·a, à studio virtutum. Querimoniæ peruntur à brevitate vitæ, à præmatura morte; ab æstu febris, acerbitate dolorum, malignitate morbi. In amicorum epitaphijs laudamus eorum benevolentiam, affectum, cordis candorem, mentis sinceritatem, & conquerimus, quòd dimidiam vitæ amisserimus partem.

16. Hæc omnia ad epitaphia pertinent serias quæ non in homines solum, verùm etiam in bruta, quæ amantur, ac pluris æstimantur componi solent. Etenim Alexandro Magno Bucephalos equus in delicijs fuit, pro quo nonnunquam ab hostibus capto pretium ingens obtulit redemptionis, & mortuo nobile erexit sepulchrum cum epitaphio. *Hic vitam amisit, qui sessorem non admisit nisi Alexandrum.* Sybaritæ equos quoque ad convivia saltantes introduxerunt; quod spectaculum superioribus annis in festis nuptialibus placuit Leopoldo Imperatori. Antoninus Verus Imperator equo Prasinæ factionis celerrimo aureum conflavit simulacrum, quod secum ferret, quò illius ubique se equi oblectaret memoriâ. Cajus Caligula Imperator etiam ad mensam secum adhibuit equum sibi carissimum, cui in aureo vase hordeum, vinúmque apposuit. Morena pisce suo in vivario delectatus Crassus, eam proprijs pascebat manibus, & mortuam non secus ac filiam luxit. Lovanij suis in ædibus Justus Lipsius Saphyro catello, quem tenerrimè amavit tumulum com epitaphio constituit. Et alius qui cane delectabatur venatico, sepulcrum eidem mortuo curavit construi cum hoc epitaphio, quo loqnentem inducit ipsum canem.

Jo giaccio qui tinchinso in picciol sasso
Veltro veloce più di tigre, o vento:
Il Tempo caminando à passo à passo,
Renche vecchio, mi colse, e restai spento.

Seo. *Hic jaceo exiguo clausus saxo canis tigride, ventóque ipso velocior. Quem tamen tempus lentè remoratóque gressu incedens senex intercepit cursum, & desii.*

17. Nonnunquam epitaphia scribuntur per modum ænigmatis, ut est illud protoparentis Adami ex Emmanuele Thesauro. Siste gradum Viator mira leges. Hic ille jaceo per quem omnes jacent: cœlo natus sum ex cœno; nec orbus, nec posthumus fui, sed patris, matrisque expers; lignea nutrix sine lacte virum me genuit. Rex ego sine urbibus, dives sine auro ludum aperui, tot nactus Auditores quot homines. Heu stolida sapientiæ fames! cum omnia scirem desipere cœpi. Virorum sapientissimus dementor à fœmina, quàm malè fœda! Pomum cœlesti interdicto circumscriptum attingens; beatæ sylvæ fructus dum carpo, sylvam amitto. Itaque ex Rege Agricola, quia Numen non colui, terram colui, & tamdiu fecui terræ matris uterum, donec utero me recepit. Uxor ergo me immortalem peremit, uxorem ego; uterque omnes. Ah quàm de minimo perimus! tantum malum attulit malus; cujus folijs obvolutus anguis, venenum evomuit, & omnes hauserunt. Tuus ego genitor, sed nunquam visus, te peremi antequam gignerem. Sed ò lætas malorum vices, ligno eodem reparatus, quo perij, indidem venenum traxi, & medelam.

Alia etiam dantur epitaphia satyrica, quæ 18 invehunt in viros nebulones, helluones, Lurcones, ganeones, popinones, sicophantas, scelestos, proditores, & alios ejusdem furfuris homines nequam. Hujus generis epitaphia suis obarmantur aculeis, quibus feriunt, sine dente mordent, sine gladio vulnerant; & tunc melius loquuntur, cùm peius de alijs loquuntur: in hoc genere tritum est illud epitaphium Aretini

Qui Giace l' Aretin Poëta Tosco
Che d' ogn' un disse mal, fuor che di Dio,
Sscusandosi con dir non lo conosco

Seo, jacet hic Aretinus Poëta Etruscus, qui singulorum honori detraxit, & uni soli pepercit Deo, excusans se, quia eum non noverat. Excusatio eum accusat Atheum, quo nil peius. Mordax itidem est hoc aliud epitaphium in virum ignavum. *Hic jacet N.N. Ignavorum phœnix, ibi denatus, ubi natus.* Ut etiam aliud cujusdam Cinici, qui honorem omnibus detrahebat. *Tandem latrare desijsti canis.*

Alia demum sunt epitaphia ludicra plena 19. lusibus jocantibus in homines avaros, sordidos, scurras, deformes, popinones, hæc epitaphia amant sales, æquivoca, lusus, acumina. *Tale est hoc epitaphium in Heluonem*

Adesdum, & mihi propina hospes
Salutem mihi diuturnam precare
Non requiem.
Nam & post Fata adhuc sitio.
Vixi quidem, sed ut Philosophus ille in dolio,
Nec Philosophus tamen,
Quòd vacuum fieri posse docerem in poculis.
Nec Grammaticus
Quòd casus, qui crapulam comitantur
Declinare nescierim.
Imò extra Philosophi mores
Vicissim credo Centauros, & Lapithas,
Si crateribus certandum foret.
At victorem non aliud sertum meliùs coronâsset
Quàm hedera.

Ut etiam hoc aliud Epitaphium Ebriosi in dolio sepulti

Hic jacet intra urnam, extra urnam qui sæpe jacebat
Tunc TEMULENTUS *homo; nunc* TUMULATUS *homo*
Quam vivens toties vino vacuare solebat,
Implet tandem urnam mortuus ipse suam.

Ludicrum est etiam Epitaphium in quem- 20. dam nucis trunco necatum nocte, & hyeme.

Quem nive nocte peto nucis is me stipite cædit:
Sic mihi nix, nox, nux, nex, fuit ante diem.

Ludicrum æquè, ac mordax est aliud Epitaphium alludens ad tumulum, & tumulatum, qui cum non fuisset ex legitimo thoro natus, fuit, qui loco epitaphij incidi curavit ejus tumulo *Tu-Mulus.* Ludicrum est etiam hoc aliud epitaphium in quemdam Nasonem insignem

Con-

Conditur hoc tumulo Nasonum maximus, orbem
Flere decet; nil non, hoc pereunte perit.
Hic poterat vel more tubæ fera bella ciere,
Scindere vel Patriam vomeris instar humum.
Non alium fornax optâsset Lemnia follem.
Nec magis incudi malleus aptus erit.
Arcuit hic solis radios, & præbuit umbram
Hoc Dominus pluvio tutus ab imbre fuit.
Victa mero quoties tradebat lumina somno
Huic pulvinari colla ferenda dedit.
Celtiber hæc poterat coluisse cuniculus antra
Hîc poterat cæcos figere talpa lares.
Nil naso, nil par Nasoni, protulit orbis:
Omnia nasus erat Naso, sed ipse nihil.

21. Franciscus Philelphus, cum importunius urgeretur ut adolescenti sibi noto, cui nomen erat Joannes Vitellus epitaphium componeret; ille leviter arroso ungue dixit

Juppiter omnipotens VITULI *miserere Joannis*
Quem mors præveniens non finit esse BOVEM.

22. Gregorius comes Clarentiæ inter Anglorum Oenophilos non postremus, jussus arbitraria morte mori, generosi vini haustum selegit donec evomeret animam. Cui propterea sarcophago hoc fuit epitaphium appositum

Extra, intúsque madens comes istâ conditur urnâ;
Vivere qui simul hic desiit, ac bibere.

23. Ludicrum, & ænigmaticum est illud epitaphium ad statuam uxoris Lothi.

Quod spectas oculis, viator, hoc est
Sepulchrum, nec habet suum cadaver.
Sepulcrum tamen est, & est cadaver.

24. Aliud epitaphiorum genus comprehendit Epitaphia Acrosticha, Mesosticha, Teleosticha, & Chronologica; in quibus postremis ex numeralibus literarum vulgarium Notis, tamquam certis characteribus Annus mortis designatur, additis nonnunquam mense, die, atque hora. Numerales literarum notæ sunt illæ literæ, quæ numerum Romanum indicant hoc pacto I. 1. X. 10. C. 100. M. 1000. V. 5 L. 50. D. 500. Plerique licèt literam D. quingentorum indicem in hisce approbent epitaphijs; alij tamen ut adulterinam, & spuriam repudiant. Hujus generis Epitaphium est illud Erardi A Marka Cardinalis Leodiensis Episcopi & legitur in Choro Ecclesiæ S. Lamberti, & adhuc vivens posuit anno 1538.

QVod neC honos, neC opes, neC gLorIa CVrsV
AstrorVM possIt præsVL Erarde VIdes.

25. Nonnihil leporis etiam præsefert illud Catharinæ Baratoniæ Domini Claudij le Begue apud Bitorigas Advocati Regij lectissimæ conjogis, quæ Pentecostes feria tertia, die Maji 13. Anni 1636. cum annos vitæ 80. explevisset feliciter migravit ad superos

Lustra bIs oCto eXpLens CatharIs BaratonIa MaII
Vno aC bIsseXto soLe reCepta poLo est

26. Concinnè alludit ad Poësim illud Eubani Hessi Poëtæ haud obscuri

LVCe MInVs qVIntâ oCtobrIs sVa fata peregIt
Phœbo HessVs gratVs Casta LIóque Choro.

27. Ad artem medicam non sine sale alludit illud Foresti medici apud Batavos

EVICtVs fato CVbat haC sub Mole ForestVs
HIppoCrates BataVIs sI sVIs, ILLe fVIt

Pulchrum dignúmque scitu est Hugonis 28.
Ducis Tusciæ Epitaphium, utpote acrosticis versibus miro ordine concinnatum, ac eleganter descriptum. Litteræ enim capitales cum medijs, & finalibus tres Adonicos exhibent hoc ordine; scilicet initiales *Flere Maritum* Litteræ mediæ *sive Magistrum.* Finales *Tuscia discat*

F *Fluctuat in terri-S. qui semper vivere quærit* T
L *Luminis & stabil-I non manet ille gradu* U
E *En ego dives VgoDVx fulsi nomine clarus* S
R *Rexi jura pi-E tegmine carnis in hoc* C
E *Et docui mite-M pravum sub fasce coegi* I
M *Me raptor furi-A pavit amare mala* A
A *Afrum me coluit reG num, & qui rexerat illud* D
R *Roma mihi paru-It ut pater hanc domus* I
I *Iste tamen tumulu-S me claudit marmore parvus* S
T *Tusca manum plore-T mortis honore sub hoc* C
U *Ut me pœnæ ardo-R non curat Lector adora* A
M *Mundo corde De-Vm qui bona cuncta regit.* T

Joannes Mireus Episcopus Antuerpien- 29.
sis dum adhuc viveret insculpi curavit hanc sententiam Chronologicè. *Non ConfVnDar In æternVM,* quem annum alij designarunt his duabus vocibus *SIC abeVnDVM. DoMInVS VoCat;* & alij hac unica voce *IVDICIVM,* quæ ex solis conflatur Numeralibus expresserunt annum 1613.

Lepidum est etiam illud Justi Lipsii epita- 30.
phium Chronologicum

LIpsIVs hIC sItVs est fLos BeLgICæ, & orbis oCeLLVs
ManIbVs exoptet qVIsqVe qVIeta pIIs.

Plurimum itidem laudis promeruit Micha- 31.
elis Violæi Abbatis sancti Evurtij apud Aurelianenses Epitaphium per Planetarum loca in zodiaco.

Seclum, annum, mensémque, diémque, atque insuper horam
Queis Violæus obit Divi Evurti integer Abbas,
Noscere quisquis aves: non pervia quemque docebit
Hæc ratio. Hoc è zodiaci signis, gradibúsque
Disce, quibus septem tunc erravere PLANETÆ.
HERMES *bisseno Tauri,* SOL *duodeno:*
Bisseno CYPRIA *Geminorum,* FALCIGER *imo:*
MARS *sexto* CAPRICORNI, *extremo* LUNA *vagatur.*
Parte JOVEM *undenâ oppositum fert scorpius* HERMÆ

Ejusdem Michaelis Violæi extat hoc aliud 32.
Acrostichum Epitaphium

M *Marmore sub nitido Michael Violæus ab ortu*
I *Inclytus eximia nobilitate latet.*
C *Conditur hîc corpus gelidum, sed sidera cœli*
H *Hujus ter felix spiritus alta tenet.*
A *Alter in æthereo lucet Violæus olympo*
E *Egregius, natum quem colit alma cohors.*
L *Luctus quisque graves pellat, super æthera circum*
V *Vinctus Phœbea tempora luce nitet*
I *Ignifer ecce polus solito magis emicat, orbi*
O *Omne Deus rapuit deficiente suo.*
L *Luce nova solem vincit fulgentior, hincque*
E *Est his orta, tamen Sol Violæus erit.*
U *Victus nunc mæret Phœbus, cum clarior ipso*
S *Sol rutilet celsi pictus in axe poli.*

Dignum est etiam, ne memoriâ excidat Chrono-

nolo-

nologieum Epitaphium Petri Pithœi composi-tom à Francisco Jureto

SI dIros LVgere pLaCet, LVgete CaMœnæ
PIthæus Vester PIthIVs oCCIdIt.

33. Rurius alia sunt epitaphia Dialogica, seu per modum cojusdam Dialogi, in quibua Viator, & umbra, seu vitâ functus invicem sermonem miscent per figuras præsertim Interrogationis, & Responsionis. Vel per Ethopœiam, quâ Poëta imitatur vitam, mores, viesutes, aut vitia Jacentis in sepulchro. Vel Idolopœiam quâ persona jam mortali vitâ functa profertur loquens. Vel Prosopopœiam, quâ finguntur omnia scilicet persona, mores, ac si defunctus loqueretur pee se ipsum. Vel per Aposiopesim, quâ morruus pauca loquitur, sed plus exprimit, quàm si multa enarraret. Ut est illud apud Virgilium *Quos ego! sed motos præstat componere fluctus.*

34. Hoc in genere lepidum est illud Epitaphium, quo D. Bernardus, Abbas Clarevallensis ligata oratione introducitur loquens, & cui Viator respondet

Mira loquor, sed digna fide. BERNARDE, *quid hoc est?*
Vivis adhuc? Vivo. Non ergo es mortuus? Imo.
Ecquid agis? Requiesco. taces an faris? Utrumque.
Cur retices? Quia dormio. Cur loqueris? quia vivo
Quid loqueris? sacra mystica. Cui? mea scripta legenti.
Num cunctis? Non. Ergo quibus? qui dulcia quærunt.
Nomen habes? Ita. Quod? BERNARDUS. *Non sine causa?*
Non. Dic ergo quid hoc est? BARNARDUS BONA NARDUS.
Cur NARDUS? *quia fragro. Quo fragramine? dulci.*
Cui fragras? & ubi? Lectori, codice sacro.
Quod cognomen habes? DE CLARA VALLE. *Manes hic?*
Mansi, sed modo non. Ubi nunc? In vertice montis.
Qualis eras IN VALLE *manens? Humilis. Modo quantus*
Major nunc sursum quanto minor ante deorsum.
Nomne tui quicquam VALLIS *tenet? Ossa. Quousque?*
Hinc donec cæleste fiat terrestre cadaver.
Hoc quando fiet? Omnis caro quando resurget.

35. Per Apostrophen quà sermo avertitur ab umbra vitâ functi, & dirigitur ad prærecensita pulchre concluditur Dialogicum Epitaphium Denij haud obscuri Poëtæ

Quis tumulus? Denij. *Quæ circum hæc agmina? Musæ*
Quæ mulier? puris simplicitas *manibus.*
Qui corpus? Charites. *Animum finxêre? Lepores.*
Quis dedit in cineres tot bona? Parca *dedit*
Musæ, simplicitas, charites, *lugete,* lepores
Mortuus est vestro Denius *eximo*

36. Per opposita contradictoria commendatur Epitaphium Dialogicum Guillelmi Savarij.

Quis jacet hic? Nollus. *Qui saxo hoc clauditur? omnis*
Clarius ita rogo, dic age vera lapis?
Guillelmus *parva situs est Savarius* urnâ,
Qui sibi Nullus *erat, omnibus* omnis *erat.*

Per descriptionem sarcophagi plurimum exhibet leporis dialogicum Epitaphium Justi Lipsii Auctore Balduino Cabillano 37.

Qui lapis hic? Bustum. Quæ circum pompa? Camœnæ.
Quæ gemit hic? Pietas. *Quæ comes? orba* Fides
Quæ pyra, & unde? rogo it Sophiæ *peritura supellex.*
Quid tegit urna? nihil, sidera Justus *adit.*

Nec reticendum puto Dialogicum Thomæ Moei Cancellarij Angliæ. 38.

Quis jacet hic? Truncus. Cujus caput ense recisum est?
Quæ natus in tetro sanguine canities?
Hic est ille Thomas Moeus. *Sic fata rependunt*
Tristia multa bonis, & bona multa malis.
Quæ circumsistunt Divæ *lugubre cadaver?*
Diva *tenax* veri, *sancta* Fidea, *Nemesis.*
Quarum prima fuit causa, & fuit altera mortis:
Injustæ vindex tertia mortis erit

Aliud fuit Epitaphiorum genua antiquum licèt nunc antiquatum: constabat Leoninis, Rhythmiciaque versibus, ijsque nonnunquam invicem permixtis, eràntque brevibus contexta jocis. Ut est illud Patavij 39.

Mors, mortis, morti, mortem si morte dedisset
Hic foret in terris, aut integer astra petisset:
Sed quia dissolvi fuerat sic cuncta necesse,
Ossa tenet saxum, proprio mens gaudet in esse

Extat, & illud Bedæ Venerabilis 40.

Beda *Dei famulus, Monachorum nobile* sidus
Finibus è terræ profuit Ecclesiæ
Solers iste Patrum *scrutando per omnia* sensum
Eloquio viguit, *plurima* composuit.
Annos hâc vitâ *ter duxit rite* triginta
Presbyter officio, *utilis* ingenio.
Jani septenis *viduatus carne* kalendis
Angligena Angelicam *commeruit* patriam

Circumfertur iisdem hoc Monostichon Epitaphium Leoninum

Hac sunt in Fossa *Bedæ Venerabilis* ossa

Viterbij in Templo P P. Dominicanorum legitur hoc leoninum Clementis IV. 41.

Lector fige pedes, *admirans quàm brevis* ædes
Pontificem quartum Clementem *contegit* arctum.
En datur in cineres Petri *successor, & hæres,*
Cujus si memor es, non mundi gaudia quæres.

Sarcophago Ealidis comitissæ habetur hoc distichon leoninum

Me ligat ad lapidem *comitissam mors* Ealidem
Qui legis adde fidem, *cras tibi fiet* idem

Adest & illud Conradi Herbipolensis Episcopi, & Martyris

Hoc procumbo solo, *sceleri quia parcere* nolo,
Vulnera facta dolo *dant habitare* polo.

Ut etiam illud Gaufridi Cenomanensis Episcopi in Cartusia B Mariæ de Pareo

Hic jacet humatus Cenomanis *Præsul* amatus
Gaufridus gratus *Domino, vitâque* probatus,

moribus

Moribus ornatus, *humilis, castus,* moderatus,
Cujus jure statu. *bene creditur esse* beatus

42. In Epitaphio Gazonis Laudunensis Episcopi in Abbatia S. Vincentij legitur

Dux Laudunensis, & Præsul Gazo vocatus,
Laudibus immensis dignus jacet hîc tumulatus

In Epitaphio Gerardi Bianci Card. Sabinensis Romæ in S. Joan Lateran.

Hoc attendat homo, *per funus quid sibi* promo,
Est fimus unde sumus, *& transimus quasi* fumus

43. Ad tumulum Joannis de Sacrobusco Parisiis in templo S. Maturini,

De Sacrobusco, *qui computista* Joannes
Tempora discernit, jacet hîc à tempore raptus.
Tempore qui sequeris *memor esto quod* morieris.
Si miser es plora: *miserans pro me precor,* ora

In tumulo Natalis Abbatis legitur hoc leoninum

Abbas Natalis, *flos Abbatum* specialis.
Signat quid sit homo, *factus humus sub* humo

44. Ad tumulum M. Petri; Inter Poëmata Philippi Bonæ spei

Lucifer *occubuit stellæ radiatæ* minores
Cujus *vos radius hebetabat ut* inferiores,
Illius occasu tandem venistis ad ortum
Naufragioque tulit vestræ ratis anchora portum
Maturus, docilis, pius, egit, prætulit, emit,
Cursum, jus, cælum, tempore, lege, fide,

45. In Abbatia D. Michaëlis ordinis Præmonstratensis Antuerpiæ legitur hoc Epitaphium Gerardi de Lira Abbatis.

Me quem petra tegit Gerardum Lira creavit,
Et qui cuncta REGIT *hîc me Rex* EXANIMAVIT.
Virens dictus eram *præsentis Pastor* ovilis,
Non sum qui fueram, *sed fex putredóque* vilis
Quod sum Lector eris, *tempus transit, geme,* PLORA;
Nolens me sequeris. *Dominum pro me precor* ora.

46. Alia sunt epitaphia jocosa, ridicula, & ænigmatica, quæ plurimum habent illicij, excitántque plerunque risum, ut illud Alani Calvi.

Alanus Calvus *jacet hîc sub marmore* duro
Utrum sit Calvus, *neque curavi, neque* curo

Ænigmaticum est sequens distichon.

Vervex & pueri, puer unus, sponsa maritus :
Cultello, lymphâ, fune, dolore cadunt.

47. Tametsi videatur explicatu difficile. Attamen Claudius Pratus hanc dedit expositionem. Arietabant, lusúsque varios miscebant pueri duo cum vervece in agro. Contigit, puerum unum à vervece cornu graviter lædi, cujus ictûs dolorem sentiens gladiolo, quo ad enucleandas nuces utebatur, vervecis pectus transfixit. Puer alter vervecis necem lugens, in fratrem indignatus, suum cultellum è vagina eduxit; fratrisque pectus transfodit. Interim mater, quæ alterum infantem adhuc in cunis lactabat, interfectorum extrema suspiria audiens, eò loci subitò accurrit, suspicata nimirum quid eis mali evenisse. Ubi illic adfuit videns puerum, & vervecem interfectos; & rata horrendam hanc necem à puero superstite perpetratam fuisse, quod ipse consortis impatiens esset; cultello ex pectore mortui pueri educto superstitem trucidavit. Quibus peractis domum reversa non absque pœnitentia reperit infantulum in lebetem aqua ebulliente oppletum casu lapsum occubuisse: quorum infortuniorum nimio dolore affecta, laqueo trabi domus illigato suspensa vitam miserrimè finivit. Postremo maritus domum rediens, & hæc funesta videns, nihilque vivum superesse prægrandi dolore perculsus diem clausit extremum.

Jocosum est illud Epitaphium Antonij coqui 48.

Antoni tibi pro tumulo sunt arma culinæ
Olla, lebes, ligulæ, trulla, patella, veru.
Ungere non opus est, unctum nec adurere corpus
Cum satis ad Manes unctus, & ustus eas.

Encomiasticum est illud cujusdam probæ mulieris, cui nomen erat Anna. 49.

Diogenes capta fertur petijsse lucernâ
Clara luce probum, nec reperisse virum.
Si bona quæratur mulier, labor omnis inanis:
Mortua cum sit, in hoc Anna sepulta solo

Tritum est illud quod legitur Augustæ, ac pluribus alijs in locis 50.

Quisquis ades, *qui morte* cades *sta, respice,*
plora
Sum quod eris *modicum* CINERIS: *pro me*
precor ora

Leoninum jocosum est illud cujusdam Anonymi

Vermibus hic donor, *& sic descendere* conor
Qualiter hic ponor, *ponitur omnis* honor

De quodam qui aliam declinaturus nivem nocte sub nucis arbore interijt

Quem nive nocte peta nucis hîc me stipite cædit:
Sic mihi Nix Nox Nux, Nex fuit ante diem

Neapoli in templo S. Joannis Majoris legitur hoc leoninum

Cum tumulum cernis, *cur non mortalia* spernis?
Tali námque domo *clauditur omnis* homo

Per opposita commendatur Epitaphium Ravisii Textoris, quod ab aliquibus cuidam tribuitur Regi Galliæ 51.

Risi, plora: fui, non sum: studui, requiesco:
Lusi, non ludo: cecini, nunc mutio: pavi
Corpus, alo vermes: vigilavi dormio. dixi
Salve, dico vale: rapui, rapior: superabam,
Vincor: certavi, pace utor: jure ergo vixi,
Jure igitur morior: non obsto, obstare nequirem.
Terra fui quondam, rursum sum terra: nihil
sum,
Terra caduca vale, vermes salvete, recumbo.

Ad tumulum cujusdam ludimagistri, cui nomen erat Cerberus

Jam male servabas stygius *tot millia* custos,
Nec satis in foribus janitor *unus erat.*
Cerberus *ast illi superis modo raptus ab oris*
Additur, & pariter limina dira tenet,
Verberibus pueros olim vexarat acerbis
Nunc rabido terret pallida regna sono.

Erasmi Epitaphium jocosum alludens ad nomen eras mus 52.

Cur Monachus fratres, & claustra relinquis Erasme?
Non misera factum hoc ambitione caret,
Namque latens illic velut in scrobe, vilis eras mus:
In lucem, ut videas, & videare, salis:
Ridiculum at murem mons parturijsse videtur,
Theologum dum te Rhetor inepte facis.

Quin

Quin etiam temerè per scrinia sacra vagantem
Masiipulam hæreseos te subijsse ferunt;
Dum strepis, & rodis sanctorum dogmata Patrum,
Tartarei sævo felis ab ungue cave,

Cujusdam Anonymi bibonis
Dum vixi sine fine bibi. Sic imbifer arcus
Sic tellus pluvias sole perusta bibit.
Sic bibit assiduè fontes, & flumina Pontus,
Sic semper sitiens Sol maris haurit aquas.
Ne te igitur jactes plus me, Silene bibisse;
Et mihi da victas, tu quoque Bacche manus

Errls Nani, cui respondet tumulus.
Et tumulus brevis est, titulus brevis, & breve nomen.
Et jacet hîc Nanus, nunula testa tegit.

Francisci Olivæ Epitaphium jocosum alluditur ad nomen
Quæ jaceo injustâ mortis succisa bipenni,
Culta per Insubres Palladis *arbor eram.*
Testis erit, quàm vena mei sit dulcis olivi,
Quæque per ora virûm fama superstes erit.
Tu qui succiso venereris stipite truncum
Dic lachrymans, Arbor, sit tibi mollis humus.

53. Galeoti de Petra mala Cardinalis
Cui mala petra *dedit nomen*, petra morbida *lethum,*
Nunc Petra *dat tumulum, da* Petra *Christe polum.*

Gallæ sterilis fœminæ Auctore Joviniano Pontano
Galla fui, Gallo conjux bene juncta marito:
Verum nec pullos, ova nec ulla dedi.

Gemmæ Frisi Auctore Maximiliano Uricntio alluditur ad nomen.
Quis lapis hic! Gemmæ, Gemmam *lapis hic tegit, inquis,*
At condi in gemma *debuerat potius,*
Non ita, nam quævis minor illo gemma *fuisset.*
Et posito hîc Gemmâ, gemma *fit iste lapis.*

Cujusdam Hermaphroditi intercmpti arbore, gladio. & flumine
Quum mea me genitrix gravida gestaret in alvo,
Quid pareret fertur consuluisse Deos.
Mas est Phœbus ait: Mars fœmina, Junóque neutrum,
Quumque forem natus, Hermaphroditus eram.
Quærenti lethum, Dea sic ait: occidet armis
Mars cruce; Phœbus aquis. Sors rata quæque fuit,
Arbor obumbrat aquas: ascendo, decidit ensis,
Quem tuleram, casu labor, & ipse super,
Pes hæsit ramis, caput incidit amne: tulique
Fœmina, vir neutrum: flumina, tela, crucem.

Huberti Fortij Mercafortis
Fors, Sors, Mors, Forti secum miscentur in unum:
Fors tibi læta fuit, sors tua honesta fuit.
Immatura tuæ secuit mors stamina vitæ,
Hei mihi! te Forti, fortior illa fuit.

54. Mendici Auctore Joviniano Pontano
Nulla mihi vivo domus: at nunc certa sepulto est.
Vitaque paupertas, mors mihi divitia.
Vita mihi exilium: requies at certa sepulcrum.
Nudus eram vivus, mortuus ecce tegor.

55. Nonnunquam Epitaphia versibus constant correlativis, ut est illud Petri Bembi Cardinalis

Hadria, castalides, Oenotria, Tuscia, Bembus:
Nobilis, Unanimes, Florida, Culta Probus:
Undique conjunctim subito, velociter, Heu:
Ardue, completè, prome, profundè obijt.
Littora, Parnassum, Lamenta, Fluenta, senecta:
Humida Laurigerum, Grandia, Larga, Gravis;
Fluctibus, Eloquio, singultu, Lumine, Lethos
Luctisonis, mæsto, triste, gemente Hilari.

Thaidis Auctore Simone Vallamberto
Scribe mihi in tumulo: mortem si lubrica Thais
Nosset; vixisset sobria: Disce mori.

Alia sunt Epitaphia perlepidè, ac ingeniosè 56.
composita à Poëtis in laudem vel volucrum, vel animalium tum cieurum, tum sylvestrium, rerúmque etiam animâ carentium, ut est Epitaphium *Anni* Auctore Evinisio
Hic jaceo rigidæ prostratus vulnere mortis,
Dum mihi, quam reliquis augeo, vita perit,
Vivendi merces moriendi debita traxit:
Et quæ vita alijs est mihi causa necis.
Nempe Deum vidi; vitam vidisse jacentem,
Arguor, & lucis crimina nocte luo.
Hac tamen ingentem solabor sorte dolorem,
Non poteram fato splendidiore mori,
Nam quibus in canis oritur Deus, *occidit* Annus,
Sic Domini thalamum *fortior in* tumulum.

Accipitris Auctore Philippo Bertoldo 57.
Occidit aëriæ proles pulcherrima gentis:
Occidit Accipitrum gloria, splendor, honos,
Vix dudum nido discesserat iste paterno,
Et vix maternos spreverat ore cibos.
Jam formosus erat, jam fortis, & unguibus uncis
Cæperat, & rostro carpere cortis aves.
Sæpe columbini fœtus, & picta coturnix
Passa sub Accipitre est Fata cruenta gemens.
Hic Domini solamen erat, curásque levabat
Hic Domino lusus, delicıásque dabat.
Confestim hic aderat primo clamore vocatus,
Deque manu Domini norat inire dapes.
Proh dolor! ecce jacet modo funere raptus acerbo
Qui nec languoris signa pusilla dedit.
Nam subito occubuit spectat dum fervida Phœbi
Lumina, & apricus sub Jove carpit iter.
Tu verò Accipiter diri solatia fati
Hæc habe apud Manes, Tartareásque domos,
Quod tibi grata dolens Dominus monumenta paravit;
Nec poteras tumulo, nobiliore tegi.
Námque jaces inter florésque, herbásque virentes
Imminet, & busto Rosmaris ecce tuo.

Canis cui nomen erat TIBI apud Claudium 58.
Prati
Dic mihi quis jacet hic? dico TIBI. *Quid tibi? rides?*
Ne celes, quæso, dic mihi. Dico Tibi

Canis pugnantis cum Apro Auctore Tebaldo
Gloria uterque sui generis Lygereus Jaspis,
Et Latialis aper pulorum ineunt facinus.
Hostium uterque timor; fatum sibi debitum uterque
Vinci, ut uterque nequis, victor uterque cadit.
Nec victor, sed victus uterque cadit: neque victus,
Vel victor, sed te præstat uterque parem.
Hostu uterque suo laudu plus contulit hosti.
Incipit exequijs vivere uterque suis.

Capel.

59. Capellæ cum Domina mortuæ Auctore M. Antonio Flaminio.

Deliciæ ruris cum pulchra periret Hyella
Cum Domina perijt fida capella sua.
Non ipsam violenta lues, non aspera febris,
Sed Dominæ subitâ morte peremit Amor
I nunc, & Pyladas, & amoris nomine Orestes,
Et jacta fidos Græcia Pirithaos

60. Felis, qui Picam comederat, apud Pithœum.

Mordaces morsu solitus consumere mures,
Invisum, & domibus perdere dente genus,
Catus in obscuro cepit pro sorice Picam
Multiloquumque vorax sorbuit ore caput.
Pœna tamen præsens prædonem plectit edacem
Nam claudunt rabidam cornea labra gulam,
Faucibus obsessis vitalis semita cessit,
Et satur escali vulnere captor obit.
Non habet exemplum volucris vindicta perenne?
Hostem pica suum mortua discruciat.

61. Galli Gallinacei Auctore Antonio Flaminio.

Immatura mihi Gallum mors abstulit, heu, heu!
Pallida per stygias, jam volat umbra domos.
Quàm bene doctus erat cantu prædicere lucem,
Et matutinum præcinuisse diem!
Lucifer in cœlo Phœbi dat signa propinqui:
Hic mihi, sed terris Lucifer alter erat.

62. Græciæ in ruinam actæ, apud Pithœum

Græcia bellorum longâ succussa ruinâ
Concidit, immodicè viribus usa suis.
Fama manet: Fortuna perit, cinis ipse jacentis
Visitur, & tumulo est nunc quoque sacra suo.
Exigua ingentis retinet vestigia famæ:
Et magnum infelix, nil nisi nomen habet.

Muli Anonymi. Florentiæ in Palatio Pythio.

Lecticam lapides, & marmora, ligna, columnas,
Vexit, conduxit, traxit, ista tulit.

63. Muscæ vino immersæ

Gustatrix jacet hic lautorum musca ciborum,
Et conviva frequens Principis in tabula.
Non volucris rostro, stimulis nec araneæ aduncis,
Cretica, sed gustans pocula, pota cadit.
Nil opus est luctu. Quis enim tam nobile fatum
Lugeat? Est auro condita mersa mero.

Passeris à felle vorati Auctore Passeratio

Membra sepulta jacent crudeli fellis in alvo:
Pervolat Elisium Passeris umbra nemus

64. Perdicis à fele necatæ

En tibi jam fellis caput abstulit, omniáque unà
Abstulit, & sævæ vix satis illud erit:
Quare, ne tibi terra levis, sed sit gravis opto.
Ne mox relliquias eruat ille tuas.

65. Philomelæ Auctore Hieronymo Amaltheo

Lenierat ditis querulis concentibus aures
Garrula trans Lethen dum veheretur avis.
Annueratque illi raptus dulcedine vocis,
Æacus, illicitam posse redire viam.
Et jam vitales iterum redijsset in oras
Remigium alarum ni lapis oppimeret.

66. Philomelæ in certamine musico morientis Auctore Sautelio

Ne careat merito si rem inhonora sepulcro,
Hoc citharœde, sonet carmine scripta chelys.
Magnanimis Philomela cadit conatibus impar
Nacta opportunæ subdita fila lyræ
Hospita frondosæ moriens citharistria sylvæ.
Non poterat tumulo commodiore frui.

Bombycis Auctore eodem Sautelio 67.

Bombycis dum Fata vides, & pensile bustum,
Quosque sibi mira condidit arte rogos:
Quid Mausolæa miraris inania busti:
Pondera, quid medio pendula saxa polo?
Aspice utrumque rogum, dices si vera fateris:
Ditius est Bombyx, quod sibi struxit opus:
Quocunque in tumulo, quacunque jacebit in urna,
Non alio poterit mollius esse loco.

Muscæ in lacte dulce naufragium passæ eodem Authore 68.

Lacte madescentes perfusa truaciter alas
Finis extremos naufrage musca dies.
Non tamen ad plenum es duras experta sorores
Illo quo perijt ritè sepulta cado,
Ne pario, gratere tibi, Cleopatra sepulcro
Muscula si tumulo candidiore jacet.
Ut reliqui manes busto meliore quiescant,
Dulcior hac certè nullius urna fuit.

Furmicæ emortuæ ex nimio pondere grani 69. frumenti, quod deferebat, eodem Authore.

Frugiferos formica trahens frumenta per agros
Pressa sub injusto fasce misella cadit.
Hanc postquam reliquæ comploravere sorores
Relliquias tumulo composuere suo.
Vidit, & arrepta miseratus arundine vates
Scripsit in arboreo carmina pauca libro.
Hic jacet ilicea tenuis formica sub umbra,
Cui sua maturat fata laboris amor.
Ferret ut infausti pretium non vile laboris
Debita nobilior, vitáque, mórsque fuit.
Vivere Myrmidonas formicula debuit inter,
Myrmidonas inter debuit illa mori.

Alia sunt Epitaphia, quæ soluta scribuntur oratione; & incedunt majestate, cæteris graviora; jocos, lusúsque respuunt, amántque luminibus ornari, quibus lectori ad pietatis studia viam signent, ac stimulos simul addant. Ut est illud Anonymi apud Drexelium in Prodromo Æternitatis. Heus Viator! Adsta, & perlege: pauca te volo. Hoc saxum vivus morituro mihi posui, qui hic angustè jaceo, & te, Hospes, atque fatalem Angeli tubam in tenebris expecto. At forte quæris meam prosapiam? Ab Adami purpura servus nepos sum. Fors rogas & patriam meam? mundus fuit. Doctrinam meam? Umbra fuit. Famam meam? fumus fuit. Ætatem meam? Heu! punctum fuit, aut paulo productius momentum. Nosse vis, & opes meas? Paupertas fuit. Honores meos? Contemptus fuit. Libertatem meam? obsequium fuit. Votum meum? mors fuit; & post mortem vera vita, quam ego tibi Viator; Tu mihi reciproca prece serio adprecare; & abi lethi tui, meique memor. 70.

Plerunque Epitaphium soluta scriptum 71. oratione indicat solum nomen, & votum defuncti, ut est illud S. Caroli Borromæi Cardinalis Mediolani in Ecclesia Cathedrali. Carolus Tit. S. Praxedis S. R. E. Præsbyter Cardinalis, Archiepiscopus Mediolanensis fre-

quentioribus cleri, populi, devotique fœminei sexûs precibus se commendatum cupiens, hoc loco sibi monumentum vivens elegit. Hoc Epitaphium simplex est, sed summam in Auctore prodit humilitatem.

72. Virtutes, & quæ defunctus cum adhuc in mortali vita degeret, præclarè gesserat, solent in epitaphijs soluta oratione sine fuco recenseri; ut in Epitaphio Armandi Jo. Du Plessis Ducis de Richelieu S. R. E Cardinalis Regis Galliarum Administri. Lege Viator luge. Hic jacet Eminentissimus Cardinalis dux de Richelieu, studijs Sorbonæ alumnus, dotationibus parens: naturam, scientias, virtutes, & fortunam obstetrices habuit ad miraculum. Rex sensit Ministrum ab omni ævo incomparabilem, tot victorijs, quot consilijs gloriosum, qui ministros in quantum potuit sibi similes ascivit. Gallia vidit inter Duces, & Torquatos equites invictissimum, & ornatissimum e peritorum, & proborum Mœcenatem, disciplinæ monasticæ reparatorem; hæreseos, & hostium domitorem. Universus orbis virum divinissimum, qui dum pacem parit, perit. At ne perire: Gallia, relictis Regi scriptis, etiam post mortem juvat, ut & precibus. Non capit marmor, quod Historia, Poësis, & Eloquentia non possont scribere: Talem virum solus Deus potest justis laudibus, & præmijs coronare.

73. Huic suppar est hoc aliud Arnaldi Ossati Cardinalis, legitúrque Romæ in templo S. Ludovici D. O. M. Arnaldo Ossato, Gallo S. Eusebij Presbytero Cardinali Episcopo Bajocensis qui omnium per multos annos Gallicanorum in urbe negotiorum, consiliorúmque particeps, & administer; rarissimæ in Reges suos fidei, egregiorúmque meritorum testimonio sacra purpura ornatus, amplissimi ordinis dignitatem, ea sapientiæ integritatísque fama, eáque officiorum in omnes propensione cumulavit, ut sui desiderium exteris quoque nationibus cum admiratione reliquerit. Vixit annos 67. menses 6. dies 20. decessit pridie Idus Martias 1604.

74. Epitaphiom minus continens gravitatis, & à majestate deflectens est illud Bernardi Aureævallis Abbatis, legitúrqoe in eadem Abbatia. D. O. M. Viri, magni, probi, chari, patres, filij, fratres, accedentes, discendentes, ascendentes, videte, legite, lugete, audite, exaudite. Hic jacet vester Bernardus, cui vos dilecti, qui vobis dilectus, miser, & miserabilis, misericordiam Domini, & vestram expetens, exoptans, expectans. Eia, heu, eia? Estote misericordes, memores estote judicij mei, sic enim erit, & vestrum; heri mihi, & vobis hodie. Hæc carissimi perpendite, & mihi misero pœnas pendite. Abite sancti estote, & valete. Expecto donec veniat immutatio mea. Frater Bernardus de Monte-Gaillard hujus Ecclesiæ Abbas vivendo moriens, & moriendo vivens sibi posuit.

75. Grave verò plerúmque dignitate est Epitaphium Caroli V. Imperatoris, & Hispaniarum Regis. D. O. M. D. Carolo V. Imperatori, Cæsari, Augusto. Max. Indico Turci Afric. German Hispaniæ Siciliæ, & Indiarum Regi Principi potentissimo, & Invictissimo sacri Imperij Liberatori, fundatori quietis, Christianæ Religionis propugnatori acerrimo; justitia, animi magnitudine, prudentia, religione, clementia, patientia, alijsque insignibus virtutibus longè ornatissimo, qui post ingentes ubique terrarum partas victorias, & clarissimos de Turca, Afris, Italis, Germanis actos triumphos, tot multis Indiæ Provincijs, & Insulis etiam Priscis incognitis per legatos, magno Reipublicæ Christianæ ornamento inventis atque lustratis; denique post feliciter administratam, & prudenter constitutam Rempublicam Philippo Filio tot amplissimis Hispaniæ Regnis, Flandria, & alijs Provincijs inaugurato; Religione ductus è Belgio in Hispaniam trajecit, séque in Hieronymiani ordinis cœnobium ædibus illic jussu ejus constructis recepit; ubi reliquum vitæ, quod vix biennium fuit, tranquillissimè egit, & sanctissimè obijt XI. Calend. Octobris M. D. LVIII.

Nonnunquam epitaphia *soluta* scribuntur 76.
oratione brutis Animantibus ad ostentationem ingenij, ut est illud Pulicis Francisco Garasso Auctore. Heus to, viator implacabilis! quid ita velocipedatim properulas? Hoc te pulcrum ad sepulcrum vocat. Adesdùm amicellule, ades: & si quis te sensus pungit, guttulatim illacruma. Qui te enim vivens amicabili rostellulo pupugit nigella sanguisugula; qui te brochis, & teneris admomordit denticulis; qui te dulciculis pedum coliculis strinxit; qui fœtificabili alvo poëtas, poëtriasque mille generavit; sub hoc pulvistulo extinctus infelix jacet. O atrox digitule! ô non teneri, ut Græcia dixit, unguiculi. Qui te oblectabat vivens hospes nigellulus, curviflexi cerviculus, multipedico mœdulus, sublingio venustulus, amariduleiculus civis, qui tibi deliciosus fuit, histrionatim cusurriens, popinatim liguriens, arcuatim volaturiens, suspirulatim feriens, obstinulatim hauriens, cervicatim fugiens; is à te cruentule victimatim occisus est: & corneus digitullorum onguis purpurella animula, muricatim infectus, ostreatim tinctus, sanguinolatim aspersus es? Fecisti, misselle, truculentum hoc flagitiolum, & vivis? viden ut palpitulatim riget visceratim impactus. Is tibi coævus dum per vitam licuit corporicustos, ac vestiservulus fuit: ivit, volitavit, momordit sæpiusculè, dormienti assedit, in somnis excubias egit, saltuatim ijs, punctulatim ferijt, inimicatim exspirans. Vale è mollicula sanguisugula. Vale agilicorpuscule, histrionule. Vale ruptilatercule pantomimule. Vale cupediosule cruoribibule. Ut tu levis extitisti dum viveres, sit tibi terra levis, & officiosus Charon. Nos tibi heredes tui, & exuvialibus corpusculi tui spolijs monumentom hoc ære publico struimus, domitum inimicos tuos canes, atque homines conjuratim insilientes tibi vindicatum imus. Positum Julio mense, Austro flante, hora perdita, momento innominabili, astantibus ijs, qui præsentes fuere, & Poë-

tis

tis omnibus atratis cucurbitulatim illacrumantibus.

77. Solent tamen in Epitaphijs virorum virtute, pietate, ac ſanctitate inſignium ſubindicari virtutes, geſta præclariora, eventus inſigniores, ſcientiæ, merita, adeout brevis totius vitæ ſumma decurratur: addito ad calcem Inſcriptionis fine vitæ, ætate defuncti, & anno Christi currente: ut in Epitaphio S. Franciſci de Sales Gebennenſis Epiſcopi. Quisquis ad hunc tumulum proſtas, ſta, attende, venerare, mirare, profice. Sta ad nobile monumentum palmis, oleis, lauris inumbratum. Attende ad Antiſtitis noſtri omnium ſenſibus, vocibus, lacrymis, præconijs, verè Magni Franciſci de Sales depoſitum Dives: quem immatura morte raptum, alienis ereptum, ſuis redditum, cœlo reddendum, hic mœrentes filij colunt. Venerare in hoc depoſito præclarum Eccleſiæ lumen, fidei columen, Præſulum paradigma, Patrum ſupparem, Doctorum arbitrum, devotionis magiſtrum, Præconem Apoſtolicum, ſcriptorem Philotheum, Theoticum, novatorum novatorem, nutantium firmatorem, virtutum ſpeculum, Principum delicias, populi amores. Mirare tot ornamentis hominem de cœlo lapſum, Angelum Apotropæum, Domeſticum ſanctum omnium luctu, omnium ſolatio ſubductum. Profice ſi cœlum cogitas, cogita tanto lumine prælustrem. Interim Parthenijs ejus oſſibus, & cœleſtes ſpirantibus odores, ſparge lilia, perfunde roſas. Obdormivit in Domino Lugduni die 26. menſis Decembris anno 1622.

78. Uſus tamen invaluit hiſce noſtris temporibus, quo Epitaphia oratione media ſolutam inter, ac ligatam ſcribantur. Hujus generis Epitaphium libera eſt poëſis, cujus gaudet legibus, non tamen illigatur ſyllabarum quantitate; compedes omnes etiam aureas faſtidit libertati addictum. Nec verborum ambitus, nec fuſos periodorum amplectitur circuitus: ſed Lyricorum gaudet concilis ſententijs, quæ plura dicant, quàm loquantur. Et de hocce Epitaphiorum genere, ut genio ſatisfaciam Recentiorum tractatum inſtituo. Súntque hujusmodi epitaphia verbis preſſa, ſed ſenſu gravia, ac plena moralibus documentis, gaudent acuta, ſed nervoſa brevitate. Ut

Cave Viator; ne ita alienam lugeas mortem
Ut non memineris tuam.
Premit hic lapis magnæ animæ exuvias.
Fluctuantis vitæ cum trajiceret exæſtuans æquor
Ad hoc alliſa ſaxum naufragium eſt paſſa.
Hoc tamen à Te vivo expectat,
Ut ſuis virtutibus tuas adjicias;
Neque ſequi renuas, quam amaſti.
Mortem contemne, ut æternum victurus.
Vitam compone, ut propediem moriturus.

79. Id omnia Epitaphiorum genera ingerunt utilitatis, quia fluxibilitatem, ac brevitatem hujus mortalis vitæ ſubindicant, veluti præſentisſimum pharmacum vitiatis moribus corrigendis, tumidisque humoribus coërcendis peridoneum, cujusmodi ſunt, quæ ſubjicio carmina ex probis decerpta Authoribus.

Thomas Morus Magnæ Angliæ Cancelarius, Christianis adoleſcentibus in fatali Pythagoricæ literæ hærentibus bivio, de fluxo temporis, vitæque brevitate piè, ac eruditè ait;

Nugamur, mortémque procul, procul eſſe putamus.
At medijs latet hæc abdita viſceribus:
Scilicet ex illa quâ primum naſcimur hora
Prorepunt juncto, vitáque, morsque pede.
Partem aliquam furtim, quâ ſe metitur, & ipſam
ſurripit ex vita quælibet hora tua.
Paulatim morimur, momento extinguimur uno
Ut lampas oleo deficiente perit.
Ut nihil interimat, tamen ipſo in tempore mors eſt:
Quin nunc interea dum LOQUIMUR MORIMUR.

A fragilitate quâ pluribus ſumus ægritudinibus obnoxij, fluxibilitate, brevitate, nec non vanitate unico diſtico definitur præſens vita noſtra. 80.

Vita vitrum eſt, glacies, ſomnus, flos, fabula, fænum,
Umbra cinis, punctum, vox, ſonus, aura, nihil.

Ex eo quòd nil certius morte ſit, nilque hora mortis incertius, ac pleruṇque præmatura mors erumpentes mane flores rapiat, piè monuit ille. 81.

Vive memor Lethi, dum res eſt læta: repente
Nam mors nocturni furis ad inſtar adeſt.
Cuique mori certum, nihil eſt incertius horâ.
Vivit eâ ſapiens, quâ ſapit arte mori.
Nec tibi promittas, decus ò juvenile, ſenectam,
Sæpe ſuum candens flos cadit ante diem.

In quodam Brabantiæ pago hæc etiamnum leguntur carmina ſuadentia ex morte rectè vivere.

Omnia mors ſolvit, ſunt omnia terrea mortis.
Mortalis vivo vivere diſce Deo.
Omnia debentur morti, mortémque ſequuntur,
Mortalis verum diſce timere Deum.

Extant apud R. R. P. P. Auguſtinianos Lovanienſes hæc carmina ſcitu digna. 82.

Lector habes memori ſub pectore flebile mortis
Tempus, & in ipſo tempore diſce mori.
Triſte mori, res dura mori, niſi prævia virtus
In cælos facilem ſtraverit ante viam.
Ergo reformidas mortem? Virtutibus inſta.
Et vis æternùm vivere? diſce mori.
Diſces vivendo rectè, nec differ in horas,
Cum via vita brevis, ſitque viator homo.
Jam quoque pro vitâ functis orare memento,
Fatáque ſic recolens triſtia diſce mori.

Per modum argumenti pulchra eſt humanæ vitæ definitio tradita à Luc. Gaurico. 83.

Pulvis & umbra ſumus; pulvis nihil eſt niſi fumus,
Sed nihil eſt fumus: nos nihil ergo ſumus.
Hora fugit, celeri, properat mors improba paſſu,
Et tegitur terra quidquid acerba rapit.

Patavij in D. Antonij templo pium legitur monitum 84.

Præter amare Deum cum cætera deleat ætas:
Hic ſero quod plenâ poſtmodo falce metas

Pulchrè itidem monemur hoc Epitaphio 85.

Nil fragile à fracto diſtat: quod tu eſſe ſolebas,
Ipſe fui, fies tu quoque ſum quod ego
Christo uno duce carpe viam, ſic itur ad aſtra,
Aurea pulvereis præſtant æterna caducis.
Cælum politeuma piorum eſt.

Nulli fine martr triumphi,
Vita crescendo dsscrescit,
Mors lilia sentibus æquat.

Ad piè vivendum prosunt mortis certitudo & incertitodo ejus adventûs

Mors certa est, incerta dies, hora agnita nulli
Extremam quare quamlibet esse puta.

EXPENSIO XVI.

De optimo Epitaphiorum charactere.

1. GElidæ mortis hyems suis etiam vernantibus gaudet floribus coronari, quales ab eruditæ Palladis sinu germinantes blandè alliciunt, & interdum perinde ac rosæ suis muniuntur acuminibus, quibus sicut vitia pungit, ita ad virtutis cultoram stimulos addunt. Epitaphia eô etiam delectantur plerumque stylo, qui licèt lachrymis madeat in flores tamen irrigatur argutiarum, & in luctu, ac squalore jacens dolorem æquè legentibus, ac lugentibus excitat. Non enim ab illa argutiarum amœnitate, quæ animum demulcet, semper abhorret: nubilo Aprili, vel etiam pluvio veri pariatur, quia eruditionis flores imbribus irrigat lachrymarum. Hoc scribendi genus quamvis sub primis eloqnentiæ initijs natum, pluries tamen in sepulchris denatum; hac nostra ætate ubi homines ad eloquentiæ culturam nati sunt, etiam ipsa saxa licèt spiritu destituta diserta esse adiguntur, & veluti novus Phœnix revivischit, novi styli virore ac flore alliciens.

2. Cæterum Epitaphium easdem styli leges servat, ac elogium: nempe libera poësis suis solummodo legibus vivit, nec syllabarum quantitate illigatur, nec verborum ambitus, ac prolixos periodorum circuitus amplectitur, quamvis lyricorũ gaudeat conformari concisis periodis, nullam tamen curat syllabarũ quantitatem. Stylus igitur Epitaphij debet esse acer, velox, gravis pressus verbis, rebus affluena, moralibus sensibus dives, sublimis, qui facilè dolorem valeat excitare; & licèt fluentem orationis ambitum non habeat, suis tamen ornatur argutiarum gemmia, ac acuminum telis, quæ Achillis diceres, nam pungunt, ac feriunt, sed ad animi sanitatem; stylus mœstus illachrymatur, sed ad spiritualis vitæ lætitiam; dolet sed ad animi solatium, super acumina, gravitatem fovet; super elegantiam politissimi sermonis amat morales sententias, ita ut farra laconismis compositio plura dicat, & paucia se expediat; sententiarum copia brevitati litet; & vibratis argutijs punctim feriat ad pietatem, pungat, ac stimulet ad virtutem; & aliena morte ad vitam revocet; & cum cultu acumina ita innectit, ut cultus ipse feriat, acumen ornet.

3. Pro praxi Epitaphium subjicio sculpendum Marcelli, Tolosæ Clerici Regularis egregij concionatoris tumulo.

Gelidos in Libithinæ cineres
Abijt hoc sub lapide diserta suadæ ardor,
Pangit epicedium insculptus lapis
MARCELLO TOLOSÆ *Clerico Regulari.*
Marmora plangunt
Musarum mella, gratiarum decus, eloquentiæ robur.
Abijsse, Obijsse.
Extinctæ virtuti id superest vitæ
Facundia lapidum.
Arida ne censeas ossa, facundiæ sunt, & suadæ.
Frigidos ne credas cineres, qui frigida corda
Ad virtutis culturam incenderunt.
MARCELLUS *claro stirpis genere natus*
Virtutis splendore sanguinis claritatem auxit.
Nobilitas non est, quam virtus non nobilitat.
In crepundijs puellus parentum risus,
Charitum lusus fuit,
Puer sine pueritia,
Infantilia ludicra ejerans,
Virilis maturitatis rudera stravit.
Humili indutus lacerna
Abdicatur cœno, dicatur cœlo,
Orator voce, mavuque arator
Quæ semina sevit
Sudore, & lachrymis alluens,
Dignam laboribus messem collegit.
Ut Jovis fulmen perterruit,
Ut Mercurij flumen demulsit
Obdura corda, prurientes aures.
Demum à cœlitibus vocatus
Inter preces carnem exuit,
Qui totus evaserat angelicis moribus spiritus.
Candidissimus Cygnus moriens
In suaviores erupit cantus,
Epicedia sibi cecinit, & Epinicion.
At tu Viator immortalis spiritus,
Mortales exuvias
Hac in urna contemplare, & abi.

Ad tumulum Honorati Leotardi viri eruditissimi hoc olim sculpendum inscripsi Epitaphium. *Lege Viator, & luge in occasum hujus tumuli delapsus est scientiarum splendor, & extincta hac in urna fax juris prudentiæ jacet in cineres soluta. Honoratus Leotardus quem cives ferebant in oculo jacet in loculo, & qui de usuris dilucidè scripsit, lucis usuram hîc amisit.* 4.

Ad tumulum Viri tumidi ambientis sceptra, & diademata *hoc legitur Epitaphium:* 5.

Hanc nec molem, nec Pyramidem,
Nec sepulchrum;
Sed exiguam ruderum struem
Ne despicias Viator;
Quam ingentis machinæ ruinam
Ipse Belgicus Jupiter horrescit
Ipsa Gigantem tegit,
Qualem terram parentem irâ Deorum irritatam.
Extremo Encelado fratrem peperisse dicas.
Vel novum Herculem
Nisi ille serpentes in cunabulis necâsset,
Ut monstris interficiendis
Adultus assuesceret.
Hic ab incunabulis malos Genios fovisset;
A quibus postea interficeretur.
Ita excreverat, ut ipsum Jovem suam prolem
Agnoscere credidisset.
Supremum visus est honoris attigisse fastigium,
Sed cur in tanto culmine

Non

Non validè steterit, quæris?
Ambitionis turbo eum dejecit
Summis fastigijs contermina sunt præcipitia.
Tu antequam hinc abeas.
Lapillum saltem congerere ne graveris.
Ut in Gigantis excrescat tumulum.
Qui Gigantis nunc operit ausus.

6. Ad tumulum cujusdam viri illustris cœlibis. *Ingemisce quisquis ades, & lachrymarum imbre arescentes hos cineres irriga; tibi proderunt, si virtutis florem decerpes: neque hic tibi deerit, si virentem eris imitaturus, quam lapis iste tegit. Jacet enim, qui natalium splendorem plurimo auxit, incremento, cum crevit ipse ætate, ac virtute: candorem vitæ si quæras; ex cœlibe statu collige. Æternitatis Neo-sponsus terrena non concupivit connubia, cœlo non terræ copulandus; neque publica luce caruit hæc virtus, quia in mundo claruit, quòd si terris extincta in has Manium umbras defecit, illustrior cœlo splendet, cui si vis adsciscì, quas excoluit virtutes imitari studeas, & qui arescebant cineres flores tibi dabunt, & fructus.*

7. Interdum Epitaphium ponitur per modum cujusdam Ænigmatis, ut præstitit Thesaurus in tumulo Adami Protoparentis. Siste gradum, mira leges, hic ille jacet, per quem omnes jacent: cœlo natus sum ex cœno, nec orbus, nec posthumus fui, sed patris, matriaque expers. Lignea nutrix sine lacte virum me genuit. Rex sine urbibus, dives sine auro, ludum aperui, tot nactus Auditores, quot homines. Heu stolida sapientiæ fames! cum omnia scirem, ut plura scirem, desipere cœpi. virorum sapientissimus dementor à fœmina, quàm malè suada: pomum cœlesti interdicto circumscriptum attingens, beatæ sylvæ fructus dum carpo, sylvam amitto; itàque ex rege agricola, quia Numen non colui, terram colui, tamdiúque secui terræ matris uterum, donec utero me recepit. Uxor ergo me immortalem peremit, uxorem ego, uterque omnes. Ah quàm de minimo perijmus: tantum malum attulit malus, cujus frondibus obvolutus anguis venenum vomuit, omnes hauserunt. Tuus ergo genitor, sed nunquam visus, te peremi, antequam gignerem, sed ò lætas malorum vices! ligno eodem reparatus, quo perij, indidem venenum traxi, & medelam.

EXPENSIO XVII.

De initijs, sententijs & formulis adhibendis in Epitaphijs.

1. QUia consuetodo inolevit etiam primis temporibus apud Ethnicos, ut epitaphijs quidam præmitterentur characteres, velut compendiariæ notæ, non abs re fore duxi, si hic donarentur explicatu. Moris igitur fuit apud Ethnicos, hos præmittere characteres D. M. S. hoc est *Dijs Manibus sacrum*, vel J. O. M. ut Romæ etiam num visuntur in quibusdam ædificiorum collapsis rude ribus, & perinde significant, ac *Jovi Optimo Maximo*; Vel O. M. T. scilicet *Optimo, Maximo, Tonanti*. Plerunque præcedunt epitaphia hæ notæ DJV. M. idest *Divæ Memoriæ*. Moris autem apud nos est, ut præmittantur hæ notæ D. O. M. idest *Deo Optimo Maximo*. Vel D. O. Æ. scilicet *Deo Optimo Æterno*. Vel B. M *Beatæ Memoriæ*. Vel P. M. S *Pijs Manibus Sacrum*. Nonnulli etiam præmittunt hanc notam IMMOR. scilicet *Immortalitati*.

In fine itidem Epitaphiorum adduntur 2.
aliquot characteres. ut D. D. D. *Dat Dicat Dedicat*. Vel P. idest *Posuit*. Vel D. S. P *De sua Posuit*, scilicet *De sua Pecunia*. Vel B. M. F. C. *Bene Morienti faciendum curavit*. Vel D. S. B M. *De se Bene merito*. Vel D. D. C. *Dat Dicat Consecrat*. Vel S. V. T L, *Sit Vobis Terra Levis*. Nonnunquam compendiariæ hæ notæ magis protrahuntur. Ut Vix. A D. M. Q D Q. scilicet *Vixit Annos Decem, Menses Quinque, Dies Quinque*. Vel Ob. Pr. Kal. Mar. *Obijt Pridie Kalendas Martij*. Subinde adhibentur hæ aliæ notæ A. S. *Anno Salutis*. A D. *Anno Domini*. A. M. *Anno Mundi*. A. V. C. *Ab urbe condita*. A O R. *Ab orbe Reparato*. A. P. V. *A Partu Virgineo*. Solet in fine epitaphij addi ætas defuncti, & Annus quo defunctus est. Cum Epitaphium sit posteris brevis notitia defuncti; debent in ipso explicari nomen, cognomen, genus, status, dignitas, ætates singulæ, virtutes, & facta, vel eventus insigniores, ut etiam scientiæ, merita, adeout paucis verbis tota decurratur defuncti vita addita ad calcem defuncti ætate, & anno Christi currente.

Initium verò epitaphij quod attinet, debet 3.
varium esse, patheticum, & elegans, ut alliciat, accersátque viatores. Variabitur autem multis modis ne semper vulgare illud adhibeatur *siste gradum viator* est siquidem viatori adeo trita hæc via, ut jam nihil in ea speret novi, nec sistere velit. Per figuras varias patheticas pleraque subjiciuntur initia hoc pacto.

Per Epiphonema. Ite, qui adhuc vivitis, ma- 4.
gnis cogitationibus mentem implete, quàm vana sint omnia inanis cinis hîc vos docet, in hunc desijt N N &c.

Per prosopopœiam. Audi Viator, quid ex 5.
ossuario loquatur vita functus. Heu fui, sed ampliùs non sum; & tu qui es, brevi non eris. Hîc te expecto; nec viam etiam si velis poteris declinare. Peregi & ego meam tabulam Alluevi honoribus: nobili genere natus &c.

Per Apprecationem. Bene precare Viator 6.
jacenti sub hoc lapide. Vir fuit pacificus, non nisi in pace requiescit &c.

Per Ostensionem. En aspice Viator Tegit 7.
hic lapis, quem non una tibi historia releget N. N. cujus acta si noveris, cineres veneraberis &c.

Per Narrationem. Quæ Tibi narro vix cre- 8.
deres nisi fidem faceret, qui hic conditur cinis. Jacet hîc &c.

Per ejulationem. Heù quàm fluxa sunt hu- 9.
mana quæque. Qui pridie fuit Magnus postridie est nullus! Vixit N. N &c.

Per præsagitionem. Audi Viator, quid citra 10.
mendacium vaticinari audeo. Hac ex cinere certè conjicio te brevi sordescentes abiturum

in pulveres; fuit qui hac urna tegitur N N. claritate sanguinis, ornamento excultæ virtutis, splendore divitiarum spectabilis &c.

11. *Per Timorem.* Timete Viatores hunc lapidem. Si vita hominis est mare fervens; scopulus hic lapis est; in quem ad certum impingetis naufragium. Ad hunc jam allisa fortuna N.N. fracta cecidit, & in cineres soluta jacet &.

12. *Per Approbationem.* Bene est quòd mors rapuerit N N. emeritæ cum fuerit jam virtutis, æterna præmia hoc sub lapide præstolatur. Vixit &c.

13. *Per salutationem.* Salvete Maximi Pontificis magni cineres: vos veneror cum igneum Innocentij XI. zelum adhuc servetis in sinu. Hujus Pontificis vita non fabula sed facula fuit, quæ super candelabrum emicuit &c.

14. *Per interrogationem.* Quò parvi, & mediocres devenient? Si Maximi Pontifices etiam solvuntur in nihilum? Jacet hic N.N. &c.

15. *Per Hortationem.* Lugete posteri mortuum, quem vix mortalem extitisse credatis. Vos hortor hos cineres rigate lacrymis, steriles non sunt, qui N. N. superstites exuviæ &c.

16. *Per obsequium.* Cedite Fatis Mortales, & date lacrymas mortuo, qui vivo debuistis obsequia N N. suis &c.

17. *Per Gratiarum actionem.* Ne videar ingratus hic jacere; pares naturæ parenti rependo grates, illa pulveres mihi locavit, hos ut restituerem, hoc sub lapide posui. Quid daturus sim pro locatione, & auctione si scire cupis. Audi fui N.N. claro sanguine natus; primæ ætatis rudimenta Musarum floribus ornavi &c.

18. *Per vocationem.* Adeste populi, & lacrymæ; quis nos toties coëgit ad gaudia, æquum est quod saltem nos semel adigat ad lacrymas N.N. Hunc vidimus cadentem, per quem Respublica stetit &c. percurritur breviter tota vita.

19. *Per Didaschiam.* Cave Viator, ne Cæsarem ex hoc lapide metiare, quo capitur. Magnos nusquam minores, quàm in urnis reperies. Qui hic jacet in urna totam replet famâ terram N. N. &c.

20. *Per obsecrationem.* Obsecro te Viator; hic parum morare, si quis sim, imò fui, & non sum, scire cupis. Fui N.N. &c.

21. *Per suasionem.* Doleant oculi hic sibi objici argumenta luctuum, unde semper antea fluxerant gaudiorum. Jacet enim hoc sub lapide N. N &c.

22. *Per Attestationem.* Quam parva sint mundi magna testatur lapis iste; tegit enim Magni N. N. Maximum fastum &c.

23. *Per Apostrophem.* Docete me rogo Dij Manes ubi hic invenire possim N. N. scio in has ce disse umbras; sed ubi sit nescio Scio illum plura cum viveret egisse. Percurratur breviter ejus vita; & concludatur: & tandem ad hoc cum impegisset saxum; cœpisse in hos cineres solvi anno &c.

24. *Per plausum.* Plaude Viator meam in hoc saxo peregrinatiam. Nonnisi bene res acta fuit, cum ejus clausula non nigro lapillo, sed candido hoc signetur marmore. Illam exorsus fueram ab illustribus natalibus &c. percurratur vita.

Per Impudentiam. Nimis impudenter stas Viator, ubi ego jaceo: flecte genua, & hîc parum morare, ut possis Deum pro me orare. Fui quod Tu es natus &c. percurratur vita. 25.

Per confessionem. Fateor falsam me mihi arrogâsse magnitudinem, quid sim fatentur hi Manes, si non credis, ipsos invisere non te pigeat. Quòd fuerim natus &c. percurratur vita. Hæc omnia fuerunt somnia vanitatis, sed quod nunc sum Historia est veritatis. 26.

Per Minas. Væ vobis, qui magnitudini al laboratis. quid sit humanus fastus ex quus hic cinis vos ducet. Fui & ego: percurratur vita &c. 27.

Per Desperationem. Actum est de te Viator, ad hoc saxum allides & tu; & contritus in pulveres jacebis. Steti etiam ego &c. percurratur vita. 28.

Per Invitationem. Veni huc Viator, rogo te. Ut soleris fletibus mœrorem Gratiarum. Cum sint ipsæ hic cum N. N. sepultæ agere Præficas non valent. 29.

Quia omnes regnârunt in vivo; æquum est, ut singulæ illacrymentur mortuo. Vixit ipse Delicium Charitum. Percurratur vita. 30.

Per Audaciam. Metum omnem exue Viator Martis fulmen in Mortis inanes abijt cineres, cùm obijt. Fuit hic N. N. Percurratur vita. 31.

Per spem. Si ærumnarum premeris angustijs, spera Viator, nullum est malum quod in hac vita perennet. Fui & ego miserijs pressus, Percurratur vita. 32.

Per miserationem. Me Tui miseret N N. eum tot post splendores in has cecideris sordescentes Manium umbras. Tot post commoda tam incommodè hic jaceas. Fuisti &c. Percurratur vita. 33.

Per Jactantiam. Audi loquentem mortuum Viator. Ille ego fui Terrarum terror, bellorum fulmen, orbator orbis, nunc cinis, umbra, nihil. 34.

Potest etiam pluribus alijs modis variari initium Epitaphiorum; sed prærecensiti modi per figuras patheticas mihi videntur commodiores. 35.

Quia solent in epitaphijs sententiæ adhiberi ex sacris excerptæ scripturis, vel etiam ex profanis depromptæ authoribus aliquot hîc adjiciam ex ijs præsertim, quæ frequentiùs solent in usu venire. 36.

Sententiæ funebres excerptæ ex scripturis sacris 37.

Æstimaverunt lusum esse vitam nostram *Sapient. 15.*

Gustans gustavi, & ecce morior *1. Reg. cap. 14.*

In tenebris, & in umbra mortis *Psal. 87.*

Testamentum mundi morte morietur *Ecclesiast. 14. v. 12.*

Non videbo hominem ultra *Isaiæ 38. v. 11.*

Oportet mortale hoc induere immortalitatem *1. Corinth. 15.*

Absorpta est mors in victoria *1. Corinth.*

Succidit me usque ad vesperam *Psal. 38.*

Laqueus contritus est, & nos liberati sumus *Psalm. 123.*

Mors illi ultra non dominabitur *Ad Rom. 6.*

Collo-

Collocet eum cum Principibus *Psal.* 112.

Justus si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit *Sapient.* 4.

Eduxit me de lacu miseriæ *Psal.* 39.

In tenebris stravi lectulum meum *Job.* 17.

Collocavit me in obscuris *Psal.* 142.

Educes de tribulatione animam meam *Psalm.* 142.

Præcisa est veluti à texente vita mea *Isaiæ* 38. *in Cant. Ezechiæ.*

Ecce nunc in pulvere dormiam *Job.* 7.

Breves dies hominis sunt *Job.* 14.

Post tenebras spero lucem *Job.* 17.

Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum *Hier.* 9.

Oculi mei caligaverunt à fletu, quia elongatus est à me, qui consolabatur me *Thren.* 1.

Præoccupaverunt me laquei mortis *Psal.* 17.

Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent *Deut.* 32.

Defecit in dolore vita mea *Psal.* 30.

Sub umbra illius quem desideraveram sedi *Cant.* 2.

Torrentem pertransivit Anima nostra *Psal.* 23.

Sperabam usque ad mane *Isaiæ* 38.

Quæsivi residuum annorum meorum *Isa.* 38.

Mihi mori lucrum *ad Philip.* 1.

Ergo mors in nobis operatur? 2. *ad Corinth.* 4.

38. *Sententiæ funebres ex profanis Authoribus decerptæ. Seneca*

Nemo erravit ad sepulcrum, Sic vivamus ut nos non pœniteat vixisse.

Quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur.

Ut fabula est, sic & vita; non quàm diu, sed quàm bene acta sic interest.

Tacitus. Non præcipuum hoc amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu.

Mors omnium oblivione apud Posteros, vel gloriâ distinguitur.

Multos veterum inglorios oblivio obruet. Hic Posteritati narratus superstes erit.

Detur hoc illustrium virorum posteritati, ut quomodo exequijs à promiscua sepultura separantur, accipiant, habeántque propriam memoriam.

Non totus mortuus sum, melior pars mei vitavit Libithinam.

Salustius. Cum vita, quâ fruimur, brevis sit, memoriam nostri quàm maximè longam efficere studeamus.

Tullius. Mors ijs terribilis, quorum omnia cum vita extinguuntur; non ijs quorum laus emori non potest.

Mors nobis quasi Tantalo saxum imminet.

Mors optimum quemque ex acie oppignerat.

Mori necesse est, sive morbus ingruat, sive non.

Lege eâ nati sumus, ut exuere semel necesse sit mortale hoc corpus.

Collectu humorum aliquo nascimur, raptim cum ævo labimur. *Lipsius*

Homines quia nati ducimur ad mortem.

Nil tam certum, quàm incertum instans mortis. Incertum est, quo te loco mors expectet; itaque tu si sapis illam in omni loco expecta. Junior es, quid refert? non dinumerantur anni. *Seneca*

Mors medicina malorum est, refugium & asylum, & in hujus vitæ fluctibus tutus portus. *Seneca.*

Commune mori est æquè ac nasci. *Seneca* Cui nasci contigit, restat mori.

Mortem timeat qui non sperat vivere post mortem. *Seneca*

Mors intermittit vitam, non eripit: veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies. *Seneca*

Quemadmodum mutuata pecunia æquo animo reddenda est; sic vitæ munus, quod mutuò accipimus à Dijs citra querimoniam est reponendum. Plutarchus in Moral.

Mors ex prætetitis vitæ actibus ponderanda est. *Lactantius* de fal. Sap. l. 3. cap. 19.

Ut flumina ad mare feruntur perpeti, & prono cursu: sic res omnes humanæ per eundem canalem labuntur ad suam metam *Lipsius*

Ut felicior est, quem ventus acrior cito in portum pertulit, quàm quem venti segnes, & longa tranquillitas lentissimo tædio delassârunt: ita fortunatior, quem festinata mors statim his vitæ malis eximit. *Seneca*

Supera, infera respice: grandia, parva, manufacta, aut mente, ab omni ævo corruunt, & corruunt in omne ævum

Mortem omnibus horis impendentem timens, quis poterit animo consistere? *Cicero*

Mors non est gloriosa, sed fortiter mori gloriosum est. *Seneca*

Nihil æquè tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio brevis ævi, & hujus incerti. Quicquid facies respice ad mortem. *Seneca Epist.* 25.

Illi mors gravis incubat, qui notus nimis omnibus, ignotus sibi moritur. *Seneca*

Funebres sententiæ ex Poëtis 39.

Bilbilitanus olor

Ullo fata loco possum num excludere? tum mori Venerit, in media Tibure Sardinia est.

Aër Tiburtinus saluberrimus habetur. In Sardinia verò lethalis est, mors eos etiam rapit, quibus aër, fortuna, locus, divitiæ favent. Hinc

Ovidius 3. Amor. 8.

Scilicet omne sacrum mors importuna profanat
Omnibus obscuras injicit illa manus

Statius 9. Thebaid.

Mille modis lethi miseros mors una fatigat

Lucanus. *Pavido fortique cadendum est. Summisque negatum stare diu. Mista senum, ac Juvenum densantur funera. Mors ultima pœna est, nec metuenda viris.*

Ovid. Trist. 6.

Una tamen spes est, quæ me solatur in istis
Hæc fore morte mea non diuturna mala.

Claudianus de bello Gall.

Nonne mori satius, vita quàm ferre pudorem

Ad

Ad sepulcrum quod Nobilis matrona curaverat sibi construi.

Ornatâ vigilans expectat lampade sponsum,
Festina lentè prævia. Sponsus adest,

Ad sepulcrum Regalis Ducis

Mors sibi Pincerna est, hac urna regna propinat,
Illa sum Dapifer, sunt Ducis ossa dapes.

Ad tumulum venustæ Puellæ

Quæ placuit nuper facies, modò pallet in umbra.

Ad sepulcrum Juvenis morientis ob nimium amorem, quo puellam deperibat, cui nomen erat Mellita

En morior? quam cœna brevis Mellita voluptas?
Quam mihi, dum pereo, est mellis amarus amor.

Horatius

Post obitum bene facta manent, æternáque virtus
Non metuit, stygijs non rapitur aquis

Horatius

Non omnis moriar, multa pars mei vitabit Libitinam.

Virgilius

Desine fata Deûm flecti sperare precando
Stat sua cuique dies; breve, & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Catullus

Soles occidere, & redire possunt:
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetuò una dormienda.

Horatius

Vitæ summa brevis spem nos vetat incohare longam
Jam te premet nox, fabuláque Manes
Et domus exilis Plutonia

Virgilius

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis

Horatius

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regúmque turres

Lampf.

Dilaceras crines, cœlum ululatibus imples,
Mæstáque sanguineis unguibus ora notas:
Credis, an extinctos huc posse revertere Reges?
Flere obitum est addi vulnera vulneribus.

Horatius

Mors & fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidóque tergo.

Ovidius

Fata manent omnes, omnes expectat avarus
Portitor, & turbæ vix satis una ratis.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam:
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

Horatius

Charontis unda scilicet omnibus
Quicumque terræ munere vescimur
Enaviganda, sive Reges,
Sive inopes erimus coloni.

40. Formulæ in epitaphijs adhibendæ debent pateticæ esse, quæ affectus moveant, & ad pietatem stimulos adjiciant. Steriles ne credas, qui in sepulcris quiescunt cineres; id fructûs pariunt, ut ad virtutum culturam hortentur, & è Manium ombris lumina suppeditent. Formulæ igitur possunt esse, quas subjicio. 1. Qui pede solum quatis, oculos in hunc dejice loculum. Tegit lapis, quem non una Tibi Historia retegit, & multiplex virtus protegit N.N. cujus veneraberis cineres, si mores noveris, ac amores populorum in ipsum colliimantes. 2. Premit parvus hic lapis magnas exuvias maximæ animæ N.N. 3. Hoc allisa ad saxum fortuna N.N. naufragium est passa. Et quæ antea lacteum arridentibus favonijs trajecerat æquor, ad hunc fracta scopulum in Manium cecidit umbras.

4. Heu quantula urna maximam capit nostri N.N. dignitatem; & modica Libithinæ caligo illustriorem virtutis extinxit splendorem.

5. Date lacrymas inter cineres lapso, cui erecto inter dignitatis splendores debuistis obsequia. Hoc tamen sit vobis solatio, N.N. emeritæ virtutis virum æterna præmia hoc sub lapide præstolari.

6. Siste Viator, genua flecte, preces funde, lacrymas effunde, ut expiatorias purgatorij flammas extinguas, si ijsdem fors torquetur N.N.

7. Heu! cecidit ad unius aniculæ Libithinæ impetum halce in umbras, qui fortiter contra irruentes hostium exercitus steterat N.N.

8 Adeste populi, & lacrymarum stilicidijs mœrores abstergite Gratiarum; cum ipsæ nimio compressæ dolore ab præmaturam necem N.N. præficas agere videantur.

9. Ingemisce ætas posthuma, lacrymas fundite superstites populi; quem Mars cataphractus vincere non valuit, hunc voluit Mors falcifera metere.

10. Querelis Parnassum impleant mærentes Musæ, fistulas, chelim & reliqua musices, ac lætitiæ instrumenta procul abjiciant, luctus edant, lacrymas fundant, præficas agant earum parentaturæ extincto Apollini N.N.

11. Heu cæci cæcam qui credimus Libithinam, vidit hæc in summo humanæ fastigio dignitatis N.N. ne diu staret, tanto splendore coruscus, hisce Manium involvit umbris.

12. Hanc nec molem, nec pyramidem, nec sepulcrum; sed exiguam ruderum struem, ne despicias Viator; scientiarum tegit encyclopediam virum scilicet omni scientiarum apprimè in structum genere, omnigena imbutum eruditione.

13. Si arescunt hoc sub saxo N.N. cineres pluvij sint oculi intuentium, lacrymarum effundant imbres, precésque fundant viatores, ut qui Viator & ipse fuit cœlestis patriæ donetur beatitate.

14. Sepulcrum hoc, stantes, cui advigilant virtutum statuæ, collapso, ac in cineres soluto marito superstes conjux erexit, bona Artemisia meliori Mausolo parentatura. Avaritia tamen quadam doloris, suis non contenta lacrymis inhiat etiam alienis; & si fudit ipsa aurum in structura operis, fundant alij fusum lacrymarum argentum.

15. Natus cum floribus N.N. denatus cum fructibus, gaudia quæ ridens Aprilis dederat; lugens, pluviúsque september hoc pro,

trivit

trivit lapide. Sole Libram ingresso lucis lætitia magis nobis cæpit clarescere, quàm diebus; ut noctis umbræ nobis cum defuncto communes forent.

16. E Musarum fino, in quo vix adolevetat in totius Parnassi delicium N.N. hoc allidens ad saxum præmaturo decessit fato, spémque, & gaudia omnia mœstissimus Pater in unico filio sibi carissimo hic sepelivit.

17. Heu rerum humanarum vices! qui hactenus assueverat in castris virtute Martis palmas metere; Mortis abrasus falce nunc ferales colligit cupressos.

18. Accurrite Musæ, Parnassi vireta omnia evellite, lacerate, avulsus à nobis est, qui vestro adolevit in gremio, cujus ingenium in primo Juventæ flore omnis scientia ornavit, & in autumno ejus meritum dignitas omnis ambivit.

Disce Viator à mortuo, te etiam brevi moriturum. Ut te doceat, ca hedram in sepulcro nactos, ubi denatus jacet, lectionem dictaturus è Manium umbris umbratiles esse dignitatum splendores, vel tacens loquitur. In id tu incumbe studij, ut tanto sub præceptore proficias.

Inermem ne etedas, quem Mars in castris armavit, & Mors hac in urna exarmavit: hostibus æquè, & vitijs omnibus, cum viveret, debellatis, ne inglorius moreretur, armisque cum vita spoliaretur ingentem virtutum exercitum secum duxit pugnaturus etiam contra Manes.

21. Siste quisquis es? magnis cogitationibus, quibus mentem imples, & ampla pacis desideria perennandi, frœna injice; nec ita sis appetens immortalitatis, ut non amplius videaris memor mortis: intuere hoc sub saxo cineres, memoriam juvant, si sapis.

22. Adeste populi, vestrum, quem amisistis splendorem N.N. has inter manium umbras luminibus non oleo, sed lacrymarum innutritis stilicidio quærite.

23. Mortales exuvias, quas tertio Calendas Novembris N. N. induit, Idibus Martij exuit, & huic custodiendas concredidit urnæ, quam violis, & floribus spargas; flores exigit, qui omnigena effloruit virtute.

24. Vivit hoc in marmore Fama posthuma N,N. quia meritis nunquam petituris consuluit perennitati. Binas annorum decades Palladis oleâ ornavit; quaternas Bellonæ trophæis. Bene de religione meritos Odrysio sanguine, quem districto gladio fudit, purpuram sibi illitu nunquam obliterando coloravit.

25. Qui hâc clauditur urnâ est Magnus Tyllius hic ereptus fuit tempori, ut servaretur æternitati perpetuo donandus triumpho, ad quem sibi aditum aperuit per inflicta sibi ab hoste vulnera. Aureo homini fuit ferè ætas ferrea, in castris adolevit, & fenuit; sed ita pugnavit, ut metuerit cælesti in Capitolio triumphos agere. Candorem vitæ si quæris, ex cœlibe conjice statu, Neo-sponsus cœli terrena non ambivit connubia; quia vitam duxit miles in castris, non secus ac Monacus in claustris. Preces perinde ut secerdos diurnas fudit, nocturnas, ut Monachus.

26. Lege qui ades Inge spes magna patriæ, & maxima parentum hoc sub exiguo lapide delusa flaccessit; præcoci fato sublatus Adolescens unica annorum decade integri sæculi complevit merita. Majores suos, ut æquaret, aut vinceret meritis sola duntaxat defuit ætas.

27. Audi Viator quid trigeminæ Gratiæ in luctu in squalore jacentes loquantur. Heu! Libithina nostrum corrupit florem N.N. Adolescentem octodecim annorum, quem hoc saxo etiam protrivit, & in pulveres solvit. Solæ lacrymæ nostrum valent mœrorem extinguere; has viator funde, ut sis nobis solatio.

28. Auroram, qui quæris in nocte, has Manium ingredere umbras, hanc invenies jacentem in cinere, Mariam Antoniam Archiducem Austriæ Electoris Bavariæ Maximiliani Emmanuelis lectissimam sponsam. Hæc novum solem enixa Ferdinandum Leopoldum Principem Electoralem; non alio quàm Auctore fato defecit. Sed si Phœbus Principum è Matris funere vitam hausit; non tamen credas præcoci fato matrem sublatam, licèt in primo juventæ flore nobis raptam: felicibus initijs præmatorum præsentiens interitum; quod habitura non erat, in juventam præpostera maturitate transtulit; maturæ moribus, ac virtutibus nullum præcox fatum poterat obtingere.

29. Heu! cum N.N. in virtutum stadio majores provectiori ætate passus moliretur; & in scientiarum studio laureatus curreret; in hunc pede lapidem impegit terminalem, fractóque vitæ stamine in hanc, quam vides foveam cecidit: & qui è Theologiæ pellucidis fontibus meracissimas hauserat potiones, arescens mox in cinere sitit; Funde Viator non dulcia falerna, sed amaras lacrumas & preces, ut sis solatio sitienti.

30. Vectigales huc oculos adferte populi Vester princeps, quem vobis Mors invida rapoit; aurea, aut argentea non ampliùs tributa exigit, sed vestras cæpit lacrymas sitire; has fundite; debetur mortuo Principi hoc tributum, à quo vivo tot gaudia accepistis.

31. Quàm malè frugalem credimus Libithinam. Plebeio ne censeas contentam ferculo; Cleopatræ etiam dapibus inhiat: siquidem Margaritas Principum fœminarum pretiosissimas gemmas, ut sorbeat in pulveres sepulchrali lapide contetit. Caveant Principes ab ingluvie hujus voracissimi monstri, cui pretiosiores dapes famem acuunt, non extinguunt.

32. Mentem corrige qui vittenm putas hominem. Cecidit N.N. ad hunc allisus lapidem citra tamen integritatis damnum; hanc enim cum vivens moribus custodierit, virtutibus ornaverit; moriens secum ad superos detulit.

33. Parcite fletibus, abstergite lacrymas querulæ Præficæ, in lætitiæ flores emigrent cupressi mærores N. N. mortales exuvias huic concredidit urnæ, ut pars ejus nobilior donaretur

retur immortali gloriâ ; qui paratus semper fuit beneficia donare, & maleficia condonare, debuit ipse hac donari felicitate.

34. Caveant sibi prægrandes animæ, quæ virtutum thesauris cumulatiùs ditescunt. Avara est Libithina aureis inhiat mentibus, ut earum saltem rapiat exuvias.

Heu qualis mortis est pruina, quæ pulcherrimum juventæ florem decoxit N.N.

EXPENSIO XVIII.

Quæ figuræ sint in Epitaphijs adhibendæ ?

1. QUia hujus instituti character ad excitandos affectus præsertim doloris, timoris, misericordiæ adinventus fuit, ideo de figuris, quæ ad id valent, habéntque aliquid nervi, est agendum ; hujusmodi figuræ præsertim sunt patheticæ, quæ ad epitaphiorum structuram, ac venustatem plurimum habent roboris, ac illicij ; cavendum tamen est, ne heroicis neglectis sensibus totus labor in litterulis, syllabisque aucupandis, & in tornanda periodo videatur hærere: quia hoc institutum laconismis potiùs fartum, quàm verborum redundantijs, flores alit, qui carpuntur per se singuli summis digitis, non tota immissa falce metuntur: tum quia vocum titillationes heroicis præponere sensibus, hominis potiùs est, litteris, ac eloquentiâ abutentis. Figuræ igitur ad Epitaphiorum structuram valentes sunt, quas hîc subjicio. Imperium ut, *Lege viator luge.* Vel *tristes ululate gentes.* Vel *lugubri scindite manu Cæsariem.* Vel *solvite crines ; spargite cineres ; edite gemitus.* Vel *viator lumina corrumpe fletibus ; siste gradum quisquis es: adsta, & perlege: lugeant oculi extinctam suam lucem.* Didaschia. *Discite superbi solvendum est semel naturæ pensum: hæc angusta Augusti urna docet, quàm parva sint mundi maxima.*

2. Per Didaschiam habetur Epitaphium uxoris à marito occisæ.

Immitis ferro secuit mea colla maritus
Dum propero nivei solvere vincla pedis.
Non culpâ meruisse necem, pia Numina testor.
Sed jaceo fati sorte perempta mei.
Discite ab exemplo hoc Matres, hoc discite Patres
Ne nubat fatuo filia vestra viro.

3. Cognitio. *Vis scire, quàm magnus fuerit Augustus ex angusta urna metire.* Ostensio. *En vide viator, quàm facilè vitæ Cymbula ad sepulchri scopulum allidens frangatur.* Negatio. *Nego Augustum fuisse Cæsarem, vix parvulam urnam æquat.* Narratio. *Magna parvis narro. Imperatorum sinu exilis est cinis, & maximæ dignitatis splendor in parvulum citò solvitur cinerem.* Reticentia. *Quæris an grandis fuerit Cæsar ? hac quiescit in urnula, satis dixi, solum quate, & abi.* Juramentum. *Juro per hos Manes mundi maxima, aut parvula, aut nihil esse, dum sic citò in inanes abeunt cineres.* Vel *per hos Manes juro, nil morte tutius, nil morte certius, nil horâ mortis incertius.*

4. Animadversio. *In hac parvula urna jacet Magnus Alexander, cui si dum vixit ; mundus totus non sufficit ; ecce mortuo loculus sufficit.* Et hoc aliud quo clauditur Epitaphium M. Antonij Coccij Sabelici.

Quid juvat humanos scire, atque evolvere casus
Si fugienda facis, si facienda fugis.

Legitur etiam hæc alia animadversio, in quodam saxeo lipsano ex antiquæ Romæ Ruderibus. *Illa ego, quæ claris fueram præclara puellis : Hic homonæa brevi condita sum tumulo.*

5. Correctio. *Hic jacet Augustus ? fallor ; hic non est, quia nunc est, quod verè fuerat.* Per correctionem concluditur Epitaphium Jacobi. Fabri Stapulensis Auctore Georgio Buchanano.

Qui studijs primus lucem intulit omnibus, artes
Edoctum cunctas hæc tegit urna Fabrum.
Heu tenebræ tantam potuere extinguere lucem?
Si non in tenebris lux tamen ista micet.

Satyrica est pariter hæc alia correctio. *Hic jacet Henricus, Rodериquus, vel Fridericus, non bene recordor, tamen exit nomen in-iquus indicat fuisse virum iniquum.* *Præteritio* habetur in illa inscriptione mordaci. *Herodotus Historiographus hic jacet, non dico mendacem fuisse, sed Græcum;* hoc morbo enim laborabant Græci. Repetitio. *Adsis superbe adsis ; sepulchrali in hoc lapide franges tumentes fluctus tuos.* Repetitio habetur in Epitaphio Arnoldi, & legitur Bruxellis in Templo S. Gudulæ.

Nunc jaceo, stabam, qui nuper flore juventæ.
Sic ævi flores invida Parca legit.
Sic charitum segetes invida Parca metit.
Sic summos Tumulos invida Parca ruit.
Sic cœptis laqueos invida Parca struit.

6. Admiratio habetur in illo Romano epitaphio apud D. Hieronymum. *Miraculum! hic vir, & uxor non litigant.* Ex hac figura oritur etiam Exclamatio, quæ plurimum valet in epitaphijs ut est ista, quæ olim in quodam sarcophago legebatur. *O Genus humanum, lachrymabile, triste, caducum. Quod vivens miserum, post obitum cinis est.* Memoratio. *Exilitatis vestræ memores estote magni Principes. Exilis hic Cæsaris cinis memoriam juvat.* Præsagitio *habetur, si diceres, sepulchrali ex hoc cinere verum vaticinor, cras nihil eritis magni Principes.* Vel hoc aliud Epitaphium. *Vixi, ut vivis ; morieris, ut sum mortuus.* Per Polysyntheton legitur Epitaphium Justi Wlteij

Quid sum ? quis ? qualis ? quantus ? quotus ? unde ? quibúsve ?
Ortus avis ? quorsum tendo ? quibusve vijs ?
Vermis : homo : malus : exiguus : postremus : ab imo :
Talibus, & cretus : nitor in astra : fide :

Dubitatio. *Anceps es, an magnus fuerit Cæsar ? parvum gesta negant, magnum exilis urnæ cinis.* Inquisitio. *Cæsarem quæro & in ipso Cæsare Cæsarem non invenio.* Per Epiphonema concluditur Epitaphium lectissimæ puellæ

I virgo, & formam jacta, quæ lubrica fallit,
Et simul, ac surgit, non reditura cadit.

7. Interrogatio. *quò parva devenient ? si maximi solvuntur in nihilum.* Responsio. *audi viator, scire cupis quis sim ? fui.* Interrogatio. & Re-

sponsio

sponsio simul. *Quæris ubi quiescat Clemens? exutus mortalitatem, spolia hic deposuit; at non ideo nudus cœlum petijt, chlamydatus virtutum ornatu.* Per interrogationem, & responsionem plurimum habet acuminis Epitaphium Fr. Davali Marchionis de Piscaria Dux exercitûs,

Quis jacet hoc gelido sub marmore? Maximus ille
Piscator, belli gloria, Pacis honos.
Nunquid & hic pisces cæpit? Non: ergo quid? urbes,
Magnanimos Reges, oppida, regna, Duces.
Dic quibus hæc cæpit Piscator retibus? alto
Consilio, intrepido corde, alacrique manu.
Qui tantum rapuere Ducem? Duo Numina Mars Mors
Ut raperent quisnam impulit? Invidia.
Nil nocuere ipsi: vivit nam Fama superstes,
Quæ martem, & mortem vincit, & invidiam.

8\. Occupatio, *Magnum fuisse Cæsarem credis? falleris hæc parvula urna magnum non capit:* & in epitaphio Callimaci: *Putas Callimachum vivere! falleris mortuus est; & Græciam sustinet.* Fictio, *Fingite orbem universum hos circumspicere cineres Magni Alexandri, & affirmabit se de nihilo trepidâsse.* Prosopopæia *Adesdum viator audi, quid mortuus loquatur ex ossuario. Ille ego sum Alexander, quem magnum effecit fama: minorem facta: nullum fata: imò non sum, sed fui, hoc si non credis, saxum revolve, & abi.* Per Prosopopæiam habetur hoc Epitaphium cujusdam adolescentis.

Clauder in hoc tumulo raptus juvenilibus annis
Dilectus musis, Aonióque jugo.
Hoc quicunque vides Antoni dicito salve,
Salve *inquam: solitum non ego curo* vale

9\. Apostrophe, *Dicite pallidi manes, quis sub hoc lapide dives? quis purpuratus? quis mendicus? nescimus, quia Libithinæ falx æquat inæqualia;* & Martialis de puero extincto in aqua, *ubi mors non est, si jugulatis aquæ?* Ratiocinatio, *sepulchrales in hos cineres abijt Venus: ergo ignis erat;* vel, *Quæris cur post fata in pulverem solvatur homo? humus erat.* Compendium, & habetur in epitaphio Justi Lipsii. *Humana cuncta fumus, umbra, vanitas, & scenæ imago: & verbo ut absolvam, nihil.*

10\. Admonitio. *Moneo te quisquis es, mors cogites, antequam moriaris.* Salutatio habetur in hoc epitaphio, quod olim composui, *salve viator lege, non luge, hic jacet Ferrandus spinula nomine, & constantia ferreus, moribus aureus, anceps tamen mens hæret, an pretiosior fuerit ferreus, quàm aureus, spinam quam sui gerunt in stemmate, ipse ut magis Christo adhæreret patienti, suo fixit in corde; cilicio nempe indutus lethaliùs sauciavit spinula Venerem, quàm olim spina: at si spina rosam peperit, & coluit; spinula puritatis lilium excoluit; demum lilium inter cilicij spinas, exuvias in hac urna deposuit mortalitatis, post pallidæ mortis gelu æterno fruiturum vere.* Argumentatio habetur in epitaphio Camilli Bocatij Cremonæ.

Arte fuit nato prior, & pater arte secundus,
Ergo erit arte minor, qui fuit arte prior.

11\. Apprecatio. *Bene valeas quisquis es.* Veneratio. *Venerare hos cineres, divini amoris sunt Lipsana.* Objurgatio legitur in hoc Satyrico Epitaphio. *Contemptor fidei; vitæ corruptor honestæ. Fons & origo mali clauditur hoc tumulo.* Irrisio. *Audi viator ridendus est Magnus Alexander parvula in hac urna, qui olim Diogenem risit in dolio.* Optatio est, quæ legitur in quodam epitaphio mulieris mortuæ in ipso partûs dolore, *O si nulla forent connubia, nulli Hymenæi mortua non essem!* Per Anaclasim concluditur Epitaphium Julij Cæsaris.

Umbra sumus: cui vix fuerat sat Maximus orbis,
Nunc hujus cineres parvulus orbis habet.

Invocatio pariter habetur in epitaphio cujusdam viri illicitis carnis dediti. *Huc Venus, & Genius veniant ponendus in urna est nova hac super Sardanapalus humo.* Votum, *Quieti publicæ ingentem hanc victimam, nempe jugulatum Attilam vovit Libithina, abi viator flagellum Dei ampliùs ne timeas.* Votum habetur in Epitaphio Ardelionis Anonymi. 12.

Nulla quies mihi vivo: at nunc est tanta sepulto,
Ut pigeat citiùs non potuisse mori.

Obsecratio. *Obsecro te quisquis es, ne ita alienam contempleris mortem, ut non memineris tuæ.* Obsecratio leonina habetur in hoc monostico.

Quem lapis iste tegit, salvet qui Tartara fregit.

Concessio. *Do quod poscis avara tellus, Alexandrum Magnum posside, qui te possedit.* Recusatio legitur in hoc epitaphio in Virginem Romanam sepultam. *Intus casta cubat procul hinc discedite amantes amentes.* Vel in hoc alio in Alexandrum Macedonem: *Tolle sepulchralium invidiam fornicum: nolo contigua fulminibus Mausolea: respuo illiteratæ Mempheos literata fastigia, quia fui non sum magnus, angusta me capit urna.* Per negationem, & affirmationem legitur Romæ in Templo S. Mariæ in via lata Epitaphium Cynthiæ sempervivæ

Assyrios tumulus non hic sibi poscit odores,
Florida non multo pressa canistra croco:
Ipsa etenim raros spirant hæc ossa liquores,
Urnáque perpetuo vere beata nitet.
Flevit amor, mœstæ charites, & Cynthia flevit.
Pulchra Venus molles subsecuitque comas.

Exultatio, *Hac in urna putrescit Attila, gaudete Itali in cineres abijt fulmen, ac flagellum, quod timebatis.* Plausus, *Plaudite populi; peracta est fabula: Alexander personam exuit, ex semideo fit cinis.* Ejulatio. *Heu rerum vices ac vitæ inconstantiam, qui pridiè erat magnus, postridie est nihil.* Vel *Heu mors invida, immatura, acerba.* Improperium, *Ingrata mors sicine occidis, cui tantum debes? fœnus amittis, dum sortem rapis. Quot hic perimeret nisi perijsset.* Spes, *Sperate populi nullum amplius imminebit malum, flagellum Dei, hoc est Attila in hos cineres abijt. Sine flagello nolite timere.* Pœnitentia habetur in epitaphio cujusdam nautæ. *Dijs manibus, & Neptuno magno, quem verberâsse, me pænitet.* Desperatio exprimitur hisce formulis. *Actum est, conclamatum est, peracta est fabula,* & super fores inferorum *Exeas de spe, qui huc intras.* Timor habetur in epitaphio cujusdam viri interempti à fideliori amico. *Metue quem non metuis:* & super Alexandri tumulum Thesaurus inscripserat *timete superi: magnum quoque Jovis filium mors protrivit.* 13.

Per Didaschiam, & Prosopopæiam simul 14.

O quàm ridiculum est, qui sim, fuerimve rogare,
Cum qui sim tibi sit discere cura levis,

Ne quæras qui ſim: niſi ceſſes, dico nihil ſum:
At tu ſollicitus diſce, vel inde quid es?

15. Verecundia erubeſcit in epitaphio Annibalis, qui effœminatus perijt inter Capuanas delicias. *O turpe fatum! Venus de Marte triumphavit. Annibalem, quem haſtati exercitus non interfecerunt; roſarum ſpinæ ad necem vulnerârunt.* Impudentia. *Nimis impudens es Viator ſi ibi ſiccis oculis ſtas, ubi alij ſicco jacent in cinere.* Excandeſcentia *In exitium ſe ferant furore percitæ Parcæ, quia nemini parcunt, nec Alexandro, hoc eſt filio Jovis.* Nemeſis habetur ſuper tumulum cujuſdam ſatyrici viri: *tandem latrare deſiiſti canis; tace nunc, & jace.* Confeſſio, *Fateor magnum non fuiſſe Alexandrum, parvulam hanc urnam teſtor.*

16. Per jactantiam eſt illud Antonij militis Auctore Vulteio.

Invidere orbi tria Numina Numen ademptum.
Mars, Mors, Sors, in tres quis ferat arma Deos?
Quòd ſi Mars ſolus, vel ſi Mors ſola fuiſſet,
Jam ſine marte orbis; vel ſine morte foret.

17. Per Prætermiſſionem.

Cur claros onerem Titulorum pondere Manes?
Ronſardus hic jacet: ſat eſt.

18. Per Ironiam & exclamationem ſimul.

I nunc; & vigila, noctéſque abſume legendo.
O hominum curæ, cœptaque vana nimis.

19. Per Conventionem.

Lis abſit: juſtè diviſimus omnia: ſervent
Oſſa, animam, famam; Terra, Deus, populus.

20. Iſtæ formulæ Patheticæ ſunt verum condimentum Epitaphiorum, ac ſpiritus. Subjectum texo Epitaphium per prædictas figuras patheticas inſculpendum tumulo Sereniſſimi, & invictiſſimi *Principis* Francisci Thomæ à Sabaudia:

Exclamatio Heù quàm exilem abijt in cinerem
Nitidiſſima Bellonæ fax!
Affirmatio Splendorem ſuum perdidit
His inter Manium umbras.
Martem Mors invida hoc tumulavit ſub ſaxo,
Confirmatio *Sereniſſimum Principem* Franciscum
Thomam
Oſtenſio En ſepulta hic eſt Principum ſerenitas,
In lachrymarum pluvias,
Apoſtrophe Erumpe Viator, fractis oculis
Fractum à Parca aureum filum ingemiſce:
Affirmatio Quem opprimere non valuit Mars,
protrivit Mors:
Et Martis palmæ, in Mortis cupreſſos abiêrunt.
Narratio Cuncta reſecat falce ſua Libithina
etiam palmas:
Sententia Et Parcæ nemini parcunt.
Heroum magnitudinem mentitur Fama:
Teſtatio Hos teſtor ſepulchrales cineres;
Interpretatio In quos etiam belli fulmina ſolvuntur.
Ite jam magni heroes,
Ac magnitudini allaborate;
Epiphonema Heroum maximus vix Cotylam
implet.
Gratulatio Gratulor tamen tibi magne Thoma,
Qui mortalitate exutus,
Triumphator non obijſti,
Sed abijſti ad æternum Capitolum.

Ad Caroli Quinti tumulum. 21

Arma non ampliùs miniſtrent Auſtriacæ Aquilæ;
Extinctus hic jacet illarum Jupiter;
Pareutent Maximo Religionis parenti.
Obijt, fateor, abijt, ſed taliter, ut huic marmori
Impreſſa firmiter extet virtus poſthuma:
Etiam lapides geſta loquuntur Caroli
Nomine Quinti, virtute primi;
Solem crede tuum lapſum in occaſum:
Prope quem pluries Ottomannica Luna eclypſim fuit paſſa.
Victorijs ſuis jam totum illuſtraverat orbem:
Jam palmarum ſegetem legerat Bellonæ in
campo;
Quod tantos reciperet triumphos capitolium
terra non habuit,
Abijt igitur cœleſte in Capitolium æternùm
triumphaturus.
Tu tamen Viator ex hiſce cineribus,
Quàm parva ſint mundi maxima dignoſce,
Et aſſueſce fatis cedere.
Fata ſi vinci poſſent armis;
Magnus Carolus parvula in hac urna
Non jaceret.

Ad tumulum Hyacinthi Cornarij, *nobilis Veneti, juvenis omni virtutum genere præditi ipſo ætatis ſuæ anno octavo ſupra decimum erepti.* 22.

Solvite crines, ſpargite cineres, trigeminæ
Gratiæ:
Præcox Libithina ſuo gelu veſtrum decoxit
Florem:
Hyacinthum in ipſo ætatis vere
Gelidæ necis hyems decerpſit.
Cæca eſt mors;
An maturæ, an acerbæ ſint plantæ, non videt;
Omnes æqualiter metit.
Vitreum ne putes, qui in tumulum lapſus
Frangi non potuit,
Morum integritati, ita ſemper adhæſit;
Ut poſt fata ab ipſa diſiungi noluerit;
Venetijs ortus, ſolùm communem cùm Venere
habuit Patriam,
Mare;
Nam vix natus, virtutes nactus,
Pudicitiæ nivibus Veneris flammas extinxit,
Martis fovit.
Vitijs omnibus in adoleſcentia debellatis,
Pietatis hoſtes ſibi etiam delegerat impugnandos.
Secum virtutum exercitu objicere Turcis cupiens,
Pluries Creteaſe adivit bellum,
Acturus Martem in patria Jovis,
Sed ante bellum Victor fuit; ejus adoreas
Saxeus hic tumulus accinit.

Ad Alexandri Magni *tumulum.* 23.

Timete ſuperi:
Etiam Jovis filium Libithina protrivit;
Ceſſit Fato, qui nulli ceſſit.
Altioribus montium jugis
Si non parcunt Jovis fulmina,
Nec parcit mortis fulmen.
Sperate tamen populi, bella dediſcite;
Belli fulmen hoc ſub lapide in cineres abijt.
En Alexander Magnus poſt Pori Regiam,
Poſt

Post Persicum folium, hoc fordescit in cinerario.
Heu rerum vices! pridie magnus, postridie nullus.
Terrarum terror; orientis occasus; orbator Orbis,
Uberem post victoriarum segetem,
Vix quatuor urnulæ palmos implet.
Credite Principes. Nihil sunt mundi magna,
Cum Magnus nihil hic sit;
Qui fulgorem natalium, claritate facinorum auxit;
Hoc sub fornice vallatur umbris.
Aureo homini, ætas solùm fuit ferrea,
Quia arma tractavit.
Purpureæ gloriæ, non sanguineæ purpuræ avidus.
Nihil in summo viro mediocre fuit; præter corpus:
Cesserat hoc magnitudinem suam animo.
Tu tamen Viator, dum pusillo in cinere,
Magnum contempiaris Alexandrum,
Alienam vanitatem ne ita inspicias;
Ut non memineris tuam.

24. *Ad Magni* VICTORIA AMEDEI *invictissimi Sabaudiæ Ducis tumulum.*

VICTORI AMEDEO
Egregio sui Victori, ut post Fata
De tempore etiam triumphet,
Hæc scripta parentant marmora.
Taurini natus, solem in Tauro ortum
Experti sunt populi.
Quos Virtutum ornatus floribus recreavit.
Morum suavitate, vel asperos sibi conciliavit hostes.
Ad victorias imbutus adoreas prævivit.
Nomine, an Omine?
Nec delicijs delinitus,
Nec adversitatibus fractus,
Adversitates putavit delicias,
Delicias adversitates,
Pretiosum, ac adamantinum crede virum,
Qui frangi nunquam potuit;
Sed eandem integritatem, quam materna ab alvo,
At à lustralibus accepit aquis,
Hisce custodiendam dedit Manibus.
Hos igitur cineres venerare Viator,
Et consopitos, quos servant
Pietatis ardores hauri, & abi.

EXPENSIO XIX.

Quinam affectus ciendi in Epitaphijs.

1. SUpremus rerum Opifex Deus cum hominem ex concreto finxisset luto, ac in eum spirâsset spiraculum vitæ, simul cum anima varios etiam eidem affectus indidit, quos si Stoica falce velles rescindere statuam es homine fine vigore, absque sensu effingeres. Sunt enim affectus sentientis animi ex boni, vel mali opinione natæ commotiones, quarum radix est anima sentiens. Ex hisce motibus alij sunt leniores, vehementiores alij, qui veluti sonantes procellæ animi turbant serenitatem, mentisque obscurant candorem: testis est ipsa humana natura ex Protoparentis lapsu variorum affectuum vexata tyrannide Juvenal *Sat. 1.*

Quidquid agunt homines votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus nostri farrago libelli est.

2. Hos affectus D. Thomas partitur juxta geminam sentientis animi facultatem concupiscentem, & irascentem; & in parte concupiscibili sex collocat, Amorem, Odium, Desiderium, Fugam, Gaudium, Dolorem; in parte irascibili quinque, Spem, Desperationem, Timorem, Audaciam, Iram. Stoici autem quatuor duntaxat assignârunt animi motus Voluptatem, Dolorem, Spem, & Timorem. Quinimò Plato sub finem Thimæi duo tantùm elementa permotionum recenset, Voluptatem, & Dolorem. Horum affectuum sedes, ac fons primarius est cor humanum: siquidem permotiones animi vehementes spiritu, calore, & sanguine indigent, ut excitentur: spiritus autem subtiliùs elaborati intra cordis receptaculum emicant, idque causæ, cur in adolescentibus affectus vigeant acriores, quia in ijsdem plurimum inest caloris: è converso in senibus, quia paulatim calor remittitur languescunt animi motus, qui non tam facilè excitantur. Interdum pravi affectus causa spiritus sunt inferorum, qui corporis implexi humoribus varijs in membris excitant fluctus, mentis lumen obscurantes concupiscentiam commoventes, & totum internum hominem perturbantes, non tamen ad pravum consensum adigentes.

3. In Epitaphijs excitantur præsertim affectus Doloris, Timoris, Desperationis, & Odij circa rerum humanarum vicissitudines, fluxas opes, larvatas voluptates, & fucata mundi gaudia. Ad hos ciendos affectus exhibenda sunt, quæ sensibus obviant exterioribus; & quia oculorum sensus reliquorum est acerrimus; ideo quæ oculis objiciuntur validiùs irritant animos, quàm quæ dimissa per aures insluunt, ut fuit illud Marci Antonij Epicedium in Encomio Cæsaris: *Heù cunis sanguine cruentatos! seu vestem laceram! Cæsar invictissime, invictissime Cæsar! hanc ideo togam sumpseras, at tu ta morereris!* Tota hujus epicedij vis fuit vestis cruore imbuta, oculisque Romani populi objecta. Narrat Zonoras Romæ, seditiosem inter tumultuantem plebem, & milites excitatam, in qua multum cruoris utrinque effusum fuerat, seniorem Papienum sedâsse, eò quia infantulum Gordianum populo seditioso ostenderit, à quo salutem patriæ sperarent. Gregorius IX. hortaturus Romanum populum Friderico adhærentem ad propugnandam urbem; Apostolorum capita Petri, & Pauli, quæ in Lateranensi Basilica id temporis asservabantur, publicè per plateas detulit, & sacra Lipsana lachrymis madens populo commendavit: mirum sanè; adeo potens fuit hoc spectaculum, ut civium omnium animos immutaverit, & populus arma contra Fridericum converterit. Ea igitur quæ oculis subijciuntur plurimum valent ad ciendos animi affectus. Sed quia in epita-

epitaphijs subjici nequeunt hujusmodi res sensibiles ed ciendos affectus; satius si describatur mors defuncti per hypotyposim, ut in hoc fragmento Aristidis in orat. de lapsu Smyrnæ. *Jacet Smyrna ornamentum Asiæ, vestri Decus imperij, terræ motibus contrita est civitas, unica Asiæ gloria, & jam suis jacet consepulta cineribus. Clausus est portus, perierunt fori ornamenta: viarum decora evanuerunt: Gymnasia cum ipsis viris, ac pueris collapsa: templa partim jacent, partim hausta sunt. Jucundissima denique urbs, injucundissimum effecta est spectaculum, ruinarum, ac cadaverum tumulus.*

4. Dolor est motus animi, quo tristamur de malo imminenti: ea est hominis conditio, ut ejus vita crebrò ab hoc carnifice torqueatur, quapropter scitè aiebat Themistius apud Stobæum; lutum, ex quo Prometheus hominem finxit, non aquâ, sed lachrymis fuisse temperatum. Excitatur Dolor in Epitaphijs per descriptionem acerbi funeris, vel malorum, quæ passus est vitâ functus, antequam mortalitatem exueret. Hunc affectum excitatum habes in subjecto epitaphio insculpendo lapideo sarcophago SYLVESTRI MONT-OLIVETI, èvita abrasi anno ætatis suæ quinto supra vigesimum.

5. Inferat Libithina ferales lauro cupressos,
Jani operiat fores, timendum est bellum;
Pax ipsa, seu Olivarum mons
Hoc sub lapide in pulveres solvitur,
Bellum gerat internus dolor,
Animumque vulneret.
Cum olea adhuc viridis efflorescerer,
Mora invida in ipso ætetis vere,
Ne daret in autumno fructus, eam decussit.
Naturæ ordinem violavit Mors,
Ut Sylvestrum raperet.
Olivarum in monte, pro oleo lacrymas elicuit
Non solum doloris compressione.
Sed & gelidæ mortis oppressione.
Lugubre fatum! Mons Olivetus tam procul à
Gethsemani horto;
E pacifico jugo Libithinæ cecidit in vallem,
Et in pulveres fractus jacet in tumulo.
Sylvestrem tamen, si legis montem
Ironiam puta,
Nonnisi fœcundus esse poterat,
Qui virtutum flores dederat;
In lachrymarum pluvias erumpe Viator,
Et hujus montis pulveres irriga;
Nehinc abeas, nisi habeas pietatis fructus.

6. *Doloris affectus magis exprimitur in subjecto Epitaphio in immaturam mortem Ferdinandi Campagna juvenis omni virtutum genere ornatissimi; ac Poëtæ laudatissimi.*

Heu qualis mortis est pruina!
In loco campestri dum cecidit;
Floridissimum juventutis ver,
In rigidam hyemem mutavit,
Ac flores omnes decoxit.
Cubare tumulis Musæ, & squalore obsitæ
Vestro parentate Apollini mortuo.
Lugete trigeminæ Gratiæ, cinere spargite capita;
Hunc in tumulum cecidit, quem vos erexistis,
O luctuosam jacturam;
Italus, Latinúsque Cygnus æternùm hic silet,
In loco campestri Mors falce sua, flores omnes,
Amœnitatem omnem, ma..œnè demessuit;
Et floridum Aprilem,
In lachrymosum coëgit Decembrem.
Si silent Manes, agite lachrymæ, in voces abite.
Imò age lachrymis eloquentior,
Quàm vocibus Dolor,
Quamvis inconditus vocalis erumpe;
Extinctâ enim eloquentiâ;
Inconditam decet loquentiem ululare.

In Epitaphijs etiam excitatur Timor, & est ægritudo, & perturbatio ex impendentis mali opinione, unde non quodlibet malum excitare potest in animo timorem; sed tantùm malum grave, & imminens; nonnunquam timor maximè prodest animo; propterea Spartani magnæ Sapientiæ viri prope suum tribunal Templum Timoris, utpote Reipublicæ maximè necessarij construendum curârunt. Excitatur Timor per ostensionem imminentis periculi: sic apud Senecam eb hoc affectu nutrix placare nititur Deianiram doloris, & iracundiæ facibus æstuantem, timorémque excitat *in Hercul. act. 2.* 7

——— Saxa jam dudum, ac faces
In te ferantur, vindicem tellus suum
Defendet omnis. Una quot pœnas dabis?
Effugere terras crede, & humanum genus,
Te posse; fulmen genitor Alcidæ gerit.
Jam jam minaces ire per cælum faces,
Specta, & tonantem fulmine excussodiem.
Mortem quoque ipsam, quam putas tutam, time.

Excitatur verò in epitaphijs, si ostendatur moriendi necessitas; vicinæ mortis periculum; hominum vanitas; præsentis vitæ fluxibilitas; Dei judicium; æternitas. Hic affectus excitatur in subjecto epitaphio insculpendo MAGNI CARTHAGINENSIS HANNIBALIS *tumulo.* 8

Siste quisquis es,
Est quod multum mireris,
Licèt hic non multum moreris.
Ad hunc sepulchralis saxi scopulum allisa
Africæ fortuna
Naufragium sine unda est passa:
Hannibal Carthaginensis hoc sordescit in cinerario.
Martis palma, mortis in cupressum,
Et Bellonæ ignes, exiles abjêre in cineres:
Quem Mars non potuit vincere,
Vincire potuit Venus suis illicijs.
Timeant Duces magis imbellem Venerem,
Quàm armatum Martem.
Etiam leones Galli cantus exterrent:
Ut discant maximi,
Vel minimas voluptates non admittere.
Vah qui magnum censebas Hannibalem,
Vix eum urnula capit;
Exiguus hic cinis Grandia est Hannibal,
Vicinam timete mortem imbelles;
Si Martis fulmen tam cito Fato cessit?
Chasma fuit, quia fluxit, dum fulsit.
Ridendus fuit Romanæ Gentis Timor:
Finge, Romam circumspectare hoc cinerea,
Ac fatebitur se de nihilo trepidisse.

Ingra-

Ingrata mors siccine perdis, cui tantùm debes?
Fœnus amittis, dum sortem rapis.
Quot hic perimeret, nisi perijsset?
Timete mortem mortales,
Parcæ nemini parcunt.

9. Desperatio tandem, quæ excitari etiam solet in epitaphijs, est animi motus, quo diffidimus de bono aliquo obtinendo, vel in malo depellendo, & excitatur, ex eo quòd defunctus è mortuis surgere ante judicij diem non possit; ex eo quòd omnes simus morituri; ac nullo clypeo possimus mortis falcem retundere. Andromacha apud Senecam *Troad. act. 3. sc. 3.* desperationis motum suscitat docens nullam vim esse, nec spem reliquam Troiæ excitandæ in puero.

An has ruinas urbis in cineres datas
Hic excitabit? hæ manus Troiam erigent?
Nullas habet spes Troia, si tales habet.

10. *Productus affectus excitatur in sequenti Epitaphio insculpendo tumulo magni Scipionis Africani.*

Spem victoriæ deponite;
Qui Martis in castris arma tractatis:
Clanculò vincet vos Libitina.
En monstrorum domitorem edomuit;
SCIPIONEM AFRICANUM.
Qui monstrorum larvas non exhorruit;
Cecidit ad mortis aspectum.
Actum est de vobis magni Principes,
Si etiam Scipio Fato cessit,
Quàm facilè vos conteret Libithina!
Imò si ex hoc cinere vaticinor: cras nihil eritis.
O fluxarum rerum vanitatem!
Itane terror Africæ, fit vermium ludus!
Et Martis fulmen in inanes Mortis cineres abijt!
Qui tot succenderat belli flammas,
In cineres debuerat tandem abire.
Hoc tamen mirum, quòd tam exiguus cinis
Totam everterit Africam,
Rupisque Tarpeiæ Capitolium
Repleverit palmis.
Ah! nolite Famæ fidem præstare Principes;
Heroum magnitudinem mentitur,
Testes sunt hi cineres.
Discite tenuitatem vestram magni Reges;
Hic cinis memorism juvat.

11. *Ad tumulum* FRANCISCI FONSECÆ *Philosophi, & Medici peritissimi, hoc composui olim Epitaphium morale.*

Siccum ne censeas fontem,
Qui hoc non fluit sub saxo.
Quamvis legas *Franciscum Fonseccam.*
Irrigare meliùs tuam potest mentem ad pietatem
Hic fons jacens, imò & siccus,
Quàm alius fluens.
Si gloriam sitis; memoriam hìc ebibe mortis,
Sitim ideo levabis, quia non extingues,
Sed augebis.
At si voluptates, fluxásque sitis opes,
Hoc in fonte bibe, sitim extingues.
En jacet, qui jacentes erectus erigebat,
Et qui semimortuis medicas manus
Admovebat ad vitam,
In Libithinæ manus incidit ad mortem.
Fallor; Medici hic quoque exerces munus,
Licèt non exerceat.
Alios meliùs erigit, quia erigi non potest;
Olim invisens ægros, ægros sanabat.
Nunc sanat non videns, sed visus.
Nullum tangit;
Sed illo viso mortis timore
Tanguntur viri ad vitam,
Bonus Medicus jam factus Medicinâ
Non ampliùs corpora,
Sed animas curat solo mortis timore.
Defunctum Medicum ne credas,
Qui Medici munere fungitur,
Vivum cense.
Quia te ad meliorem vitam vocat,
Ad meliorem vitam vocatus.

Nonnunquam Epitaphia duntaxat exprimunt aliquod peculiare gestum defuncti, ut est illud Epitaphium MARGARITÆ COMITISSÆ HOLANDIÆ, quæ non tantùm repulit quandam pauperculam, quæ ab ipsa stipem flagitaverat, verùm etiam geminas quia gestaret in brachijs puellas adulterij probro eam redarguere fuit ausa; idque causæ fuit pauperculæ graviter offensæ ei retorquendi hanc imprecationem. *Utinam tot paritura tot filios, quot numerat annus dies.* Quid ni? Imprecatio suum sortita fuit effectum; nam paulò post Margarita Holandiæ Comitissa edidit trecentos sexaginta quatuor filios; hoc igitur gestum explicatur in epitaphio ejusdem Margaritæ, quod etiam hisce diebus legitur incisum in quodam lapide sepulchrali, & asservatur in Cœnobio Monialium. 12.

EPITAPHIUM
MARGARITÆ HOLANDIÆ COMITISSÆ.

Margarita III. D Florentij Comitis Holandiæ filia, cujus Mater fuit Mathildis, filia Henrici Ducis Brabantiæ; fratrem quoque habuit Gulielmum Alemaniæ Regem: hæc præfata comitissa Margarita, anno salutis Millesimo Ducentesimo septuagesimo sexto, ætatis suæ anno quadragesimo secundo ipso die Parasceves Hora nona ante meridiem peperit infantes vivos promiscui sexus numero trecentos sexaginta quatuor, qui postquam per venerabilem Episcopum Dominum Guidonem suffraganeum, Præsentibus nonnullis Proceribus, & magnatibus in pelvi quadam Baptismi Sacramentum percepissent; & masculis Joannis, fæmellis verò nomen Elisabeth impositum fuisset, ipsorum omnium simul cum matris anima ad Deum æternaliter victuræ redierunt: corpora autem sub hoc saxo requiescunt. Meminit hujus Epitaphij Drexelius in suo Phaëtonte orbis, & citat varios auctores, qui Epitaphium proprijs oculis legerunt.

Aliquando Epitaphium texitur per modum argumenti, ut est illud Justi Lipsii ab ipso sibi compositum; dum ægrotaret 13.

Quis hic sepultus quæris? ipse edisseram
Major *Nuper loquutus, & stylo, & lingua sui;*
Singul. *Nunc altero licebit. Ego sum Lipsius;*
Cui litteræ dant nomen & tuus favor.
Minor *Sed nomen abivit, abivit hoc quoque*
Singul. *Et nihil hic orbis, quod perennet, possidet.*
Vis altiore voce me tecum loqui?
Concl. *Humana cuncta, fumus, umbra, vanitas,*
Univ. *Et scenæ imago, & verbo ut absolvam* NIHIL.

Argu-

14. Argumentum est quoque hoc aliud Epitaphium probans præsentem vitam esse fugitivam umbram, ac nihil.

Quod, fuit, est, & erit, perit articulo brevis horæ;
Ergo quid prodest esse, fuisse, fore?
Esse, fuisse, fore, heu, tria florida sunt sine flore:
Nam simul omne perit, quod fuit, est, & erit.

15. Epitaphiorum, ut superiùs dixi multiplex est genus; alia virtutes, alia defuncti vitia pro merito explicant; alia iocosa sunt, seria alia, & ænigmatica, quæ legentes occupant, diuque detinent, qui avelli ægrè patiuntur nisi perspecto priùs Authoris ingenio: hæcque epitaphia nunc ligata, nunc soluta oratione nobis exhibentur ab antiquis monumentis; quorum aliquot hic subjiciam.

16. Tritum est illud Epitaphium quod Ovidius *lib. 3. Trist. Elegia 3.* sibi composuit.

Hic ego qui jaceo tenerorum lusor amorum,
Ingenio perij Naso Poëta meo.

17. Juxta Pontum Euxinum in extrema Walachiæ parte Ovidij fertur etiamnum extare tumulus, cui fons limpidissimis suis laticibus plurimum addidit splendoris addito in lapide hoc Epitaphio.

Hic situs est vates, quem Divi Cæsaris ira
Augusti, Latia cedere jussit humo.
Sæpe miser voluit patrijs occumbere terris;
Sed frustra: hunc illi Fata dedêre locum.

Satyricum verò est Epitaphium Laurentij Vallæ, quod legitur Romæ in æde D. Joannis

Tandem Valla jacet solitus qui parcere nulli,
Si quæris quid agat? nunc quoque mordet humum.

18. Plerumque quod in Epitaphio splendescit acumen lusus est, & allusio ad nomen jacentis in sepulchro, ut est illud Rosimundæ fœminæ impudicitijs, mundique illecebris deditæ.

Hic jacet in tumba Rosa mundi, non Rosa munda,
Non redolet, sed olet, quæ redolere solet.

Epitaphium verò serium est illud F. Lupati Patavini tumulo inscriptum anno reparatæ salutis 1349.

Id quod es, ante fui: quid sim post fata requiris?
Quod sum quidquid id est, tu quoque Lector eris.
Ignea pars cœlo, cæsa pars ossea rupi,
Lectori cessit nomen inane Lupi.

19. Consueverunt prisci homines etiam soluta oratione epitaphia scribere; quinimò nonnunquam instrumentum addiderunt, quo defunctus, cum viveret excelluit, quo pacto in tumulo Orphei sculpta inspiciebatur Lyra brevi hac epigraphe *lusit*. Interdum epitaphia aliquid exhibuerunt inexpectatum, quodque plurimum præseferebat illicij; cujusmodi est illud Romæ duorum conjugum via Tiburtina. *Heus Viator Miraculum! Hic vir, & uxor non litigant*. Habetur etiam Romæ hoc aliud prope forum Judæorum, de quadam fœmina, cui nomen erat Prisca. *Julia Prisca extra saxum hoc annos vixit LXXVI. nihil unquam peccavit, nisi quod mortua est.*

20. Sardanapalo Asiæ Regi hoc ab Assyrijs scriptum fuit apud Athenæum Epitaphium; cum manu tumulo sculpta, & ad elidendum digitis crepitum composita

Sardanapalus Anacyndaxis filius
Anchialem, & Tarsum uno die condidit.
Ede, bibe, lude,
Reliqua digitorum crepitu digna sunt.

Antuerpiæ ad S. Michaëlem legitur Epitaphium Abrahami Ortelij Geographi celeberrimi 21.

Abrahami Ortelij
Quem urbs urbium Antuerpia edidit,
Rex Regum Philippus Geographum habuit,
Monumentum hic vides.
Brevis urna eum cæpit; qui ipse terrarum orbem cepit:
Stylo & tabulis illustravit, sed mente contempsit.
Quâ cœlum, & alta suspexit.
Constans adversus spes, aut metus.
Amicitiæ cultor, candore, fide, officijs,
Quietis cultor sine lite, uxore, prole.
Vitam habuit, quale alius votum.
Ut nunc quoque æterna ei quies sit
Votis fave Lector.

Leguntur itidem Epitaphia jocosa, ut est illud Romæ ad tumulum Foxelli Baiuli.

Faustino Foxello F. à valle Morava
Protobaiulo robustissimo
Ab ætatis suæ primordijs sportifero.
Sumpto virili sacco in foro Boiario,
Duro, & nodoso sceptro donato,
Stillicidio publicè coronato.
Nolens obijt cum vini cadum intus, & extra gereret.
Bibit quantum voluit,
Vixit quantum potuit,
Hospes si pius es,
Non tuis condideris lacrymis
Sed rubicunda tabernarum lacruma
Hunc tumulum aspergito
Quem Baiulorum sodalitas beue mero hærenti posuit.

EXPENSIO XX.

Subjiciuntur plura selecta Epitaphia, quæ præ cæteris plus habent acuminis.

Quæ ex pluribus probæ notæ Authoribus selecta Epitaphia nonnihil præferentia acuminis, vel leporis, aut gravis, & concisæ moralitatis decerpsi, hic collecta Lectori subjicere non abs re fore duxi, ut quæ sparsim apes imitatus legi ex pluribus floribus in unum collecta exhiberem legenda, quò Lector, quæ sparsim selectiora selegi collecta legat, id est seria, ingeniosa, venusta, chartis, saxis, marmoribusque concredita ad posteritatem erudiendam, ac memoriam juvandam. 1.

Ad tumulum Alexandri Magni apud Pithæum

Sufficit huic tumulus, cui non suffecerat orbis

Res brevis huic ampla est, cui fuit ampla brevis.

2. *Ad tumulum Angelæ prægnantis, & mortalitatem unà cum fœtu exuentis ex Pithæo.*

Hic jacet in medio, quæ concidit Angela partu,

Dum-

Dum Juno gravidæ sæva negaret opem.
Impia rea! tenerum saltem mors improba fœtum
Liquisset misero matre cadente patri.
Aut matrem potiùs: quis enim cum carpserit uvam,
Ipsam etiam vitem subsecuisse velit?
Plaudite vos steriles; Soboles hanc perdidit; & sic
Sæpe solent ramos frangere poma suos.

3. *Ajacis Telamonij ab Ausonio.*
Ajacis tumulo pariter tegor obruta virtus,
Illachrymans bustis funeris ipsa mei:
Inconstans lacerata comas, quod parvus *Atrides*
Cedere me structis compulit insidijs.
Jam dabo purporeum claro de sanguine florem
Testantem gemito crimina Judicij.

4. *Anonymi apud Pithœum*
Pierides tumulo violas, Venus alma hyacinthos,
Balsama dant charites, cinnama spargit amor,
Phœbus odoratas laurus, Mars ipse amarantos,
Nos lachrymas, raræ munus amicitiæ.

5. *M. Annæi Senecæ apud Pithœum*
Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores
Ite, alias post hac sollicitate animas.
Me procul à vobis Deus evocat. Ilicet actis.
Rebus terrenis hospita terra vale.
Corpus avara tamen sollennibus accipe saxis
Namque animam cœlo reddimus, ossa tibi.

6. *Ad tumulum Cæsij extrema senectute confecti ex Pithœo.*
Cæsius Equidius jam centum vixerat annos
Felices. Annos tot tulit hora brevis,

7. *Q. Cetronij Q. F. Passeris ex Pithœo.*
Vixi, quod volui, semper bene, pauper, honestè:
Fraudavi nullum, quod juvat ossa mea.

8. *Conjugis à marito occisæ.*
Immitis ferro secuit mea colla maritus
Dum propero nivei solvere vincla pedis.
Non culpa meruisse necem pia Numina testor,
Sed jaceo fati sorte perempta mei
Discite ab exemplo hoc matres, hoc discite Patres,
Ne nubat fatuo filia vestra viro.

9. *Diogenis Cynici, cujus symbolum sepulchro insculptum est canis apud Ausonium.*
Dic canis: hic cujus tumulus? *canis.* At canis hic quis?
Diogenes. Obijt? non obijt, sed abit,
Diogenes, cui pera penus, cui dolia sedes,
Ad manes abijt? cerberus ire vetat.
Quonam igitur? Clari flagrat, qua stella Leonis.
Additus est justæ, nunc canis Erigonæ.

10. *Puellæ Dionysiadi Vernæ, quæ vixit annos septem, menses undecim, dies quindecim, horas septem. Ex Pithœo.*

Hic jacet exiguis Dionysia flebilis annis,
Extremum tenui, quæ pede rapit iter.
Cujus in octava lascivia surgere messe
Cœperat, & dulces fingere nequitias.
Quòd si longa tuæ mansissent tempora vitæ,
Doctior in terris nulla puella foret.

11. *Filiæ à matre Epitaphium positum apud Gruterum.*
Verius hunc Titulum matri Tu nata dicasses,
Quem mater miseræ nunc tibi Nata facit.
Bis tenos complentem annos te filia matri
Eripuit miseræ mortis iniqua dies.
Obtestor *Manes* meritæ, sanctæque Patronæ,
Comprecor, ut leni terra tegat tumulo.

12. *Camilli pueri octennis Romæ in Templo S. Augustini.*
Præcipiti dum currit equo dans frœna Camillus
Vix annos natus decidit octo puer.
Si casurus erat, molli cecidisset in herba:
Heu teneorum scelus est, rumpere saxa caput!

13. *Hectoris Authore Pentadio apud Pithœum.*
Defensor patriæ, juvenum fortissimus Hector
Qui murus miseris civibus alter erat,
Occubuit telo violenti victus *Achillis.*
Occubuere simul, spesque, salúsque Phrygum,
Hunc ferus *Æcides* circum sua mœnia traxit,
Quæ juvenis manibus texerat ante suis.
O quantos *Priamo* lux attulit illa dolores?
Quos fletus *Hecubæ*, quos dedit Andromachel
Sed raptum pater infelix, auróque rependum
Condidit & mœrens hac tumulavit humo

14. *Ejusdem Hectoris apud Ausonium.*
Hectoris hic tumulus: cum quo sua Troia sepulta est,
Conduntur pariter, qui periêre simul.

15. *Uxoris marito superstiti apud Pithœum.*
Suscipe me sociam tumuli, charissime conjux,
Cui mors est, tecum non meruisse mori.
Hic mea mens simul est, simul hic mea vita sepulta,
Mortem ferre tuam mors mihi sæva fuit.

16. *Julij Cæsaris apud Pithœum.*
Ille hic magnanimus, qui claris arduus actis
Non timuit *Generum,* nec martia tela *Senatus*
Ne sibi *Gallorum* raperetur pompa triumphi,
Intulit immitis per civica viscera ferrum,
Via invicta viri reparata classe Britannos,
Vicit, & hostiles Rheni compescuit undas.

17. *Læliæ Clementinæ apud Gruterum.*
Functa jaces hic. sed vivis, vivésque secundo
Lælia tuo, debent, nec benefacta mori.
Te tellus sanctóque precor pro conjuge *Manes*:
Vos ite ò placidi, tu levis ossa tegas.

18. *Latronis Balistæ dicti, Authore Virgilio.*
Monte sub hoc lapidum jacet hic Ballista sepultus,

Nocte, diéque tuum carpe, Viator, iter.

19. *Lucani Poëtæ.*

Corduba me genoit, rapuit *Nero*, prælia dixi,
Quæ gessêre pares, hinc *Sacer*, inde *Gener*.

20. *Lucij, & Flavij apud Pithœum.*

Urna brevis geminum quamvis tegat ista cadaver,
Attamen in cœlo Spiritos unus adest.
Viximus unanimes, Luciúsque, & Flavius: idem
Sensus, amor, studium, vita duobus erat.

21. *Lydæ apud Pithœum*

Injice, si pietas usquam est, suspiria, & imple
Mecum hospes, lacrymis marmoris hoc vacuum,
Nam formæ exemplum perijt, cum obijt mea Lyda,
Quam periere homines, quam periere Dij.

22. *Ad tumulum magnorum Ducum apud Pithœum.*

Junxit *magnorum* casus fortuna *virorum*.
Ite novas toto terras conquirite mundo,
Nempe manet *magnos parvula* terra Duces.

23. *Ad tumulum maximi Olibrij, in quo erat Lucerna ardens apud Gruterum.*

Plutoni sacrum munus ne attingite fures,
Ignotum est vobis hac quod in urna latet.
Namque elementa gravi clausit digesta labore,
Vase sub hoc modico *Maximus Olibrius*.

24. *Narcissi Authore Pentadio.*

Se Narcissus amat captus lenonibus undis,
Cui si tollis aquas, non est ubi sæviat ignis.

25. *Nestoris Authore Ausonio.*

Huc tegor in tumulo quarti jam prodigus ævi
Nestor, Consilio clarus, & eloquio.
Objecit sese, cujus pro morte peremptus
Filius, & nati vulnere vivo pater.
Eheu! cur satis disponere sic placet ævum,
Tam longum, ut nobis: tam breve ut *Antilocho*.

26. *Ninniæ puellæ trimulæ apud Gruterum.*

Quod decuit natam Patri præstare sepulto
Hoc contra natæ præstitit ipse pater.

27. *Niobes in Sipylo monte ab Ausonio.*

Thebarum regina fui: *Sipyleia* cautes
Quæ modo sum, læsi Numina *Latoidum*.
Bis septem natis genitrix læta, atque superba,
Tot Duxi mater funera quot genui.
Nec satis hoc Divis duro circumdata saxo,
Amisi humani corporis effigiem.
Sed dolor, obstructis, quamquam vitalibus, hæret:
Perpetuúsque rigat fonte pio lacrymas.
Proh facinus! tantæne animis cœlestius iræ?
Durat adhuc luctus, matris imago perit.

28. *Octaviani Augusti apud Pithœum.*

In Macetûm campis ultus jam Cæsaris umbras
Sum patris, *Augustus*, bellóque, armisque superbus.
Númque meos sensit fugiens Antonius enses.
Quantom ingens orbis, quantum *Jovis* alta potestas,
Tantus in orbe fui, mare trans, pontúmque subegi;
Vix cœlum soperis, & sydera summa reliqui.

M. Othonis Imperatoris apud Ausonium. 29.

Æmula poluto gesturus scepra Nerino
Obruitur celeri raptus Otho exitio.
Fine tamen laudandus erit; qui morte decora,
Hoc tantum fecit nobile, *quod perijt*.

Ovidij Nasonis apud Pithœum. 30

Hic situs est Vates, quem Divi Cæsaris ira
Augusti patria cedere jussit humo.
Sæpe miser voluit patrijs occumbere terris
Sed frustra: hunc illi Fata dedêre locum.

Ovidius lib. 3. Trist. eleg. 3. sibi hoc aliud scripsit. 31.

Hic ego qui jaceo tenerorum lusor amorum,
Ingenio perij Naso Poëta meo.
At tibi, qui transis, ne sit grave, quisquis amasti
Dicere: Nasonis molliter ossa cubent.

Paulinæ Valeriæ apud Gruterum.

Decipimur votis, & tempore fallimur, & mors, 32.
Derridet curas; anxia vita nihil.

Phaëtontis ab Ovid. lib. 11. Metamorph.

Naides Hesperiæ trifida fumantia flammâ 33.
Corpora dant tumulo, signant quoque carmine saxum:
Hic situs est Phaëton currûs auriga paterni
Quæ si non tenuit magnna tamen excidit ausus.

Philotis apud Pithœum.

Hic jacet ereptus matura morte Philotès. 34.
Plus reliqui huic mors, quàm vita datura fuit.
Non habuit vivus calcem, quo sistere posset:
Nunc spatium extincti grande cadaver habet.
Nec natos fraudâsse bonis credatur avitis.
Quod pater huic, natis ipse reliquit idem.

Polyxenæ Auctore Ausonio.

Troas Achilleo conjuncta Polyxena busto 35.
Malueram nullo cespite functa tegi.
Non bene discordes tumulos miscetis Achivi,
Hoc violare magis, quàm sepelire fuit.

Pompeio Magno

Aut *Asia*, aut *Europa* tegit, aut *Africa* Magnum. 36.
Quanta domus toto, quæ jacet orbe ruit.

Aliud Epitaphium.

Pompeius totum victor lustraverat orbem;
At rursus toto victor in Orbe jacet.

Priami Authore Ausonio.

Hic Priami non est tumulus, nec condor in ista 37.
Sede, caput Danai diripuêre meum.
Ast ego cum lacerum sine nomine funus haberem,
Confugi ad cineres Hectoreos genitor.
Illic & natos, Troiámque, Asiámque sepultam,
Inveni, & nostrum quidquid ubique jacet.

C. Publicij Praculeiani apud Pithœum. 38.

Tempora jam genitor lacrymis, túque optima mater
Desine jam flere, Pœnam non sentio mortis,

Pœna

Pœna fuit vita, requies mihi morte parata est.

39. *Sabellij Romæ.*
Optime mutâsti vitam cum morte Sabelli,
Vita, sed est potiùs morte secuta tua.
Nunc etenim vivis; nunc & felicius ævum
Ducis ab humana conditione procul.
Nunc & in excelsa cœli regione locatus
Cum superis nectar pascis, & ambrosiam.

40. *Scipionis Junioris apud Pithœum.*
Devicto Hannibale, & capta Carthagine & aucto
Imperio, hos cineres marmore Tagus habet.
Cui non Europa, non obstitit Africa quondam.
Respice res hominum, quàm brevis urna tegit.

41. *Cujusdam senis apud Gruterum.*
Functus honorato senio, plenúsque dierum,
Evocor ad superos. Pignora quid gemitis?
Reddere depositum lex est: ideóque petenti
Corpus humo, Manes restituóque polo,
Sumite quod vestrum est insignia jura parentis
Scilicet & Titulos plus fatis urna mihi est.

42. *P. Terentij apud Pithœum.*
Natus in excelsis tectis Carthaginis altæ
Romanis Ducibus bellica præda fui.
Descripsi mores hominum, juvenúmque, senúmque,
Qualiter & servi decipiant Dominos.
Quid meretrix, quid Leno dolis, quid fingat avarus.
Hæc quicunque legit, sic puto, cautus erit.

43. *M. Tullij Ciceronis Auctore Euphorbo Scholastico.*
Hic jacet Arpinas manibus tumulatus amicis,
Qui fuit Orator summus, & eximius.
Quem nece crudeli mactavit civis, & hostis,
Nil agis, Antoni, scripta diserta manent.
Vulnere nempe uno Ciceronem conficis: at te
Tullius æternis vulneribus lacerat.

44. *P. Virgilij Maronis Ipsomet cum vixit Auctore.*
Mantua me genuit, Calabri rapuêre, tenet nunc
Parthenope. Cecini Pascua, Rura, Duces.
Aliud. Mantua mi patria est: nomen Maro: carmina sylvæ
Ruraque cum bellis: Parthenope tumulus.
Ejusdem Virgilij à Pentadio.
Pastor, Arator, Eques: Pavi, Colui, Superavi,
Capras, Rus, Hostes, Fronde, Ligone, Manu.

45. *Morale est sequens Epitaphium Adami de S. Victore, quod ipsemet sibi, cum viveret, scripsit, extátque incisum ære in claustro S. Victoris.*
Hæres peccati, naturâ filius iræ
Exilijque reus nascitur omnis homo.
Unde superbit homo, cujus conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori?
Vana salus hominis, vanus decor, omnia vana,
Inter vana nihil vanius est homine.
Dum magis alludit præsentis gloria vitæ,
Præterit, imò fugit; non fugit, imò perit.
Post hominem vermis: post vermem fit cinis heu! heu!
Sic redit ad cineres gloria nostra simul.
Hic ego qui jaceo miser, & miserabilis Adam
Unam pro summo munere posco precem,
Peccavi fateor, veniam peto, parce fatenti,
Parce Pater, fratres parcite, parce Deus.

46. *Achwini, seu Albini Abbatis ab ipso dum viveret dictatum, & in lamina ærea incisum, insertúmque Turonis in templo D. Martini.*
Hic rogo pauxillum veniens subsiste, viator,
Et mea scrutare pectore dicta tuo:
Ut tua deque meis agnoscas fata figuris
Vertitur en species, ut mea, sicque tua.
Quod nunc es fueram famosus in orbe.
Et quod nunc ego sum, túque futurus eris.
Delicias mundi casto sectabor amore,
Nunc cinis, & pulvis, vermibus atque cibus.
Quapropter potiùs animam curare memento,
Quàm carnem: quoniam hæc manet, illa perit.
Cur tibi rura paras? quàm parvo cernis in antro,
Me tenet hic requies? sic tua parva fiet.
Cur Tyrio corpus inhias vestirier ostro,
Quod mox esuriens pulvere vermis edet?
Ut flores pereunt vento veniente minaci,
Sic tua namque caro, gloria tota perit.
Tu mihi redde vicem Lector rogo carminis hujus,
Et dic da veniam Christe tuo famulo.
Obsecro nulla manus violet pia jura sepulchri,
Personet Angelica donec ab arce tuba.
Qui jaces in tumulo terræ de pulvere surge,
Magnus adest Judex millibus innumeris.

47. *S. Bernardi Claravallensis Authore Philippo Bonæspei.*
Claræ sunt valles, sed claris vallibus Abbas
Clarior, his clarum nomen in orbe dedit.
Clarus avis, clarus meritis, & clarus honore.
Claruit ingenio, religione magis.
Mors est clara, cinis clarus, clarúmque sepulchrum
Clarior exultat Spiritus ante Deum.
S. Brunonis Carthusianorum Fundatoris.
Primus in hac Christi director ovilis Eremo,
Fundatórque fui, qui tegor hoc lapide.
Bruno mihi nomen, genitrix Germania, meque
Transtulit ad Calabros grata quies nemoris.
Doctor eram, præco Christi, vir notus in orbe;
Desu-

Desuper illud erat gratia, non meritum.
Carnis vincla dies Octobris sexta resolvit:
Ossa manent tumulo, spiritus astra petit.

48. *Dantis Aligeri Poëtæ Florentiæ ad S. Mariam de Flore.*

Qui Cœlum cecinit, mediúmque, imúmque tribunal,
Lustravitque animo cuncta Poëta suo,
Doctus adest Dantes, sua quem Florentia sæpe
Sensit consiliis, ac pietate patrem.
Nil potuit tanto mors sæva nocere Poëtæ
Quem vivum virtus, carmen, Imago fecit.

49. *Hugonis à S. Victore Can. Regul. in Cœnobio S. Victoris Parisiis.*

Conditus hic tumulo est Doctor celeberrimus Hugo
Quàm brevis eximium continet urna virum,
Dogmate præcipuus, nullique secundus amore!
Claruit ingenio, moribus, ore, stylo.

50. *Petri de Alliaco Cardinalis ex Auberio.*

Mors rapuit Petrum, petram subijt putre corpus
Sed petram Christum Spiritus ipse petit.
Quisque ades precibus fer opem, semper que memento,
Quòd præter mores, omnia morte cadunt.
Nam quid amor Regum, quid opes, quid gloria durent.
Aspicis, hæc aderant, nunc mihi, nunc abeunt.

51. *Annæ Reginæ Francorum Epitaphium cordis per Dialogum.*

Cor jacet hic, cujus? Ducis inviolabilis Annæ
Cor nisi cor? vivena cor nisi tota fuit.

52. *Cujusdam Anonymi* aliud Epitaphium Dialogicum.

Quid jacet hac sub mole? Cinis nil amplius? Ossa.
Cujus? quo careo. Quos petijt? Superos.

53. *Cæsaris Borgiæ Ducis Valentini.*

Borgia Cæsar erat factis, & nomine Cæsar,
Aut *Nihil* aut *Cæsar* dixit: Utrumque fecit.

Aliud

Aut nihil, aut Cæsar vult dici Borgia. Quid ni?
Cum simul & *Cæsar* possit, & esse *nihil.*

Cujusdam Claudij, qui obijt ultimo die Decembris

Claudius *hic* claudor, *morior dum* clauditur *annus*
Talis clausurâ clauditur *omnis homo.*

Desiderij Erasmi etiam in trivijs decantatum.

Hic jacet Erasmus, qui quondam bonus erat mus
Rodere qu solitus,rodime à vermibus.

Aliud Jo. Ædeni

Cum verbum sit eras, mus, nomen: quid sit Erasmus

Ingenio Lector colligat inde suo.

54. Joannis Despauterij insignis Grammatici.

Grammaticam scivit, multos docuitque per annos
Declinare *tamen non potuit tumulum,*

55. Ad tumulum Narcisi Stephanus Pascasius hoc scripsit Epitaphium.

Hei mihi quid prodest vanæ ostentatio formæ?
Quæ peritura fugit, quæ fugitiva perit.
En ego flos, olim nostri tam stultus amator,
Objicior pecori pastus, & esca levis,
Quod commune alijs mihi cur natura negavit.
Umbram ut qui colui, mortuus umbra forem?
Nempe quod & vivum, & morientem penderé pœnas
Invisi fastûs me voluêre Dij.

56. Niobes apud Angelum Politianum.

Hoc est sepulchrum intus cadaver non habens
Hoc est cadaver, & sepulchrum non habens,
Sed est cadaver, & sepulcrum idem sibi.

Pauli Honorati Auctore Ignatio Albano.

Fulget Honoratus *virtutis virus* honore,
Mors nec Honorati *tristis* honore *caret.*
Corpus Honorati *magno tumulatur* honore
Mens in sidereâ splendet honore *domo*
In cælo,in terris mores *vita meretur* honorem,
Dignus Honoratus *semper* honore *frui.*

Aliud

Quisquis Honoratum periisse existimat, errat:
Hinc abiisse puta, non obiisse dole.

57. Peregrini Anonymi,

Hospes eram mundo per mundum semper eundo.
Nunc suprema dies, fit mihi summa quies.

58. Petri Bembi Cardinalis Epitaphium constans versibus correlativis.

Aedalides,Vates,Hetruria,Græcia,Roma;
Fudite, complete, sparge, profunde, seca,
Ærea permestum,lacrymas,suspiria,crines,
Singultu questu, lumine, corde, Manu.

59. Potatoris Germani Epitaphium, quod perhibent extare Hercundiæ.

Jactabant alij partum sibi sanguine nomen,
Regiaque audaci colla subacta manu,
Et tumulo inscribunt depulsos mœnibus hostes,
Milleque disiectas Marte favente rates.
Maxima palma mihi, Baccho duce pocula mille
Grandia cum multo sæpe bibisse mero.
Gloria nec tenuis, si cantharus ante sepulchrum
Pendet, & immensi nostra trophæa, cadi.

60. Alterius Potatoris aliud perlepidum.

Qui jacet hic, vita moriens juravit in omni,
Passum duntaxat se semel esse sitim.
Hunc ne credideris falsum jurare Viator:
Perpetua huic vivo, nam fuit una sitis.

61. Alterius Potatoris, qui jussit sepeliri infra tecti stillicidium.

Hic jacet, & tecto stillantes excipit undas,
Assiduum calicum, qui teabo nuper erat.
Hoc unum metuit vivm malè siccus obire,
Nunc quoque ne pereat, deciduo imbre cavet.

62. Proculi cujusdam extat Bononiæ ad S. Proculum.

Si procul à Proculo Proculi Campana fuisset
Ipse foret Proculus jam procul à Proculo.

Procuratoris qui fuerat vir probus.

Qui

Qui legis hunc Titulum tumuli, miraberis hospes
Ecce Procurator vir bonus hîc recubat.

Mulieris in puerperio defunctæ.

Dum pario pereo: at dum semper pareo Christo,
Nunc sacra Cælorum regna subire paro.

Cujusdam pueri Nobilis Auctore Oveno.

Non servat methodum Logicæ mors nescia nostræ
Occidit ante patrem natus, Avúmque nepos.

63. Puellæ cui nomen erat Rosa.

Grande decus formæ, speciménque insigne pudoris,
Hic Rosa fatali sorte perempta jacet.
Cumque illa pariter busto tumulantur in uno,
Forma, pudor, mores, gratia, castus, amor.
Quisquis amas bibulum lacrymis asperge sepulchrum,
Ex una cernes crescere mille rosas.

64. Alterum Auctore Joviano Pontano, perlepidè alludit ad nomen.

Non nomen tibi, quin omen fecere parentes,
Dixerunt cum Te bella puella Rosam
Utque Rosâ *brevius nil est æqueque caducum.*
Sic cito, sic breviter & tua forma perit.
Implesti denos vix nam fortuna decembres,
Vere Rosa *heu nata es mense decembre cadis.*
Non æstus, sed te rapuerunt frigora brumæ
Non æstas, sed te frigida solvit hyems.
Ergo non hyemi flores, non rapta per imbrem
Frondescis tumulo, sed male rosa Rosa *es.*

65. Puellæ, cui nomen Roscia Auctore Joanne Pontano.

Ros *mihi dat Titulum, noménque est* Roscia *nostrum*
Ros *brevis est, heu sic mihi vita fuit!*
Rore *madet tumulus, stillam & marmora rorem*
Roscia *sum, me* Ros, *roscida & unda rigat*
Sed nec apes tumulo, verùm insidere cicadæ.
Stridulaque ad cineres hei mihi turba crepat.
Bruma mihi requies, æstas est pœna sepultæ
Bruma quies, æstas est mihi supplicium.

66. Puellæ cui nomen violina Auctore Joviano Pontano.

Prata mihi tumulum præbent, violæque *sepulchrum*
Fronde tegunt: mirum si, Violina *vocer*
Non mihi thure opus est, aut nardo, aut Arabe myrrhâ.
Myrrha mihi, & nardus, thuráque sunt violæ.

Violi Anonymi.

Ventorum violas violat violentia: verùm
Virtutem violi ventus ubique vehet.

67. Plerumque Epitaphium Disticho, tristicho, Monosticho, & simili arguta brevitate totum constringitur, & paucis plura loquitur ut in epitaphio ACTII SINCERI SANNAZARII in Templo S. Mariæ de Partu Neapoli ad latus Pausilipi.

Actius *hic situs est: cineres gaudete sepulti:*
Nam vaga post obitus umbra *dolore caret*

Item

Da sacro cineri flores: hic ille Maroni
Sincerus *Musâ proximus & tumulo.*

Insignis Advocati injustè capite damnati

Hoc tumulo tegitur, quem lex sine lege necavit.
Non poterat juris gloria jure mori.

Ægidij Bordini soluta oratione.

Eheu Viator Miraculum. Quinquaginta annos dormiisse dicitur Endymion: Bordinus quatuor plus Endymione; tot enim vixit, & tot dormivit, quia nec bene egit, nec malè. 68.

S. Alexij Auctore Ludovico Bigo.

Pectoris exemplum patientis Alexius *hîc est*
Clausus inops, patrias mortuus inter opes.

Alberti Dureri insignis Pictoris Germani.

Quo situs Albertus *tumulo* Dureeus, *eodem*
Picturæ ratio tota sepulta jacet.

Alonsi Tostati Episcopi Abulensis.

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

Anonymi

Hæc satis in tumulo. fragilem te noveris esse,
Mors certa est, tempus perbreve, vita nihil.

Aliud. *Sertus aut eitius nihil est; bene vivere vita*
Æterna est: Cœlum, qui bene vixit, habet.

Aliud. *In terra exul eram, Cœlum mihi patria facta est.*
Qui cupis hac patria vivere, disce mori.

Augustini Richini

Flens veni in terras, & flens discedo, fuitque
Dum vixi, fletus vita, dolor gemitus.

S. Brunonis Carthusianorum Patriarchæ. 69.

Doctor, Dux, Monachus, docui, devici, habitavi,
Verba, scelus, saltus: voce timore, fugâ.

S. Francisci Assisia is. 70.

Non magnus jacet hoc, sed stat Franciscus in antro.
Post obitum vivus, mortuus ante obitum.

S. Francisci Xaverij 71.

Nascitur occiduis, at Eois occidit oris:
Hoc tantum differt. cætera solis habet,

Jacobi Fabri.

Hac quicunque urnâ Fabrum putat esse sepultum.
Errat; cœlestem non tegit urna virum. 72.

Hectoris.

Troum Protector, Danaum metus, hic jacet Hector

Justi Lipsii. 73.

Ivit Lipsius, ibimúsque cuncti,
Mori Christicolis pijs, probisque
Non est, crede, perire, sed præire:

Matthiæ Regis perhibetur legi Pisis in Hetruria. 74.

Matthiæ Regis posita hîc sunt ossa: probántque
Fata fuisse hominem, facta fuisse Deum.

Cujusdam Medici. 75.

Non potuit medicus medico mihi ferre salutem:
Sis ergo medico, Tu medicina Deus.

Michaëlis Bonarotæ Pictoris, & sculptoris celeberrimi. 76.

Quantum in natura ars, naturaque possit in arte
Hic, qui naturæ par fuit, arte docet.

Ornatij Finæi Auctore Thoma Fargæo. 77.

Ingenium, studium, Nomen, Beat, Expolit, Ornat;
Mens, Ratio, Rumor: Dotibus, Arte, Sonis.

Petri Bembi Cardinalis.

Historicus, Vates, Rhetor: celebrat, canit, implet:
Gesta, ignes, aures; ore lyrâ, eloquio.

Petri Rosardi Auctore Burgio.

Cur claros onerem Titulorum pondere Manes?
Rosardus hic jacet: sat est.

78. Virgilij Maronis.

Hic ego qui jaceo, terno Maro carmine clarus,
Pastores lusi, colui Rus, Bellaque scripsi.

79. Cujusdam Nobilis adolescentis.

Formæ nitore, genere, & opibus florui:
Flores sed istos messuit mortis manus.
Ubi juventus? Abijt, & spes abscidit:
Dei ad tribunal pœnè adhuc vivus steti,
Nec profuere stirps, opes, oris vigor,
Usque ad sepulchrum hæc omnia, ulterius nihil.
O arundinee mortalis, hæc quisquis legis.
Æternitate prospice, & longum vale.

Alfonsi Davali.

Hic Alfonse jaces ornatus, & obrutus armis.
Arma tibi tumulus: tela tibi tituli.

80. Alexandri Achillini Philosophi, Auctore Jano Vitale.

Hospes Achillinum tumulo, qui quæris in isto,
Falleris: ille suo junctus Aristoteli.
Elysium colit; & quas rerum hic discere causas.
Vix potuit, plenis nunc videt ille oculis.
Tu modo per campos dum nobilis umbra beatos
Errat, dic longum, perpetuùmque vale.

81. Alexandri Com. Novelariæ.

Pierides tumulo violas, Venus alma Hyacinthos
Balsama dant charites, Cinnama spargit amor,
Phœbus odoratas laurus, Mars ipse Amaranthos,
Nos lacrymas raræ munus amicitiæ.

82. Amaryllidis puellæ fluvio mersæ cum aquam hauriret.

Deliciæ ruris prono cum forte lacerto
Hauriret gelidas flava Amaryllis aquas,
Illam Naiades rapidum traxêre sub amnem,
Plenáque virgineam prodidit urna manum.
Nulla fuga Invidiæ est: livor quoque Numina tangit.
Et Venerem sylvis eripuere suam.
Neve Deas blanda posset lenire querela
Clauserunt celeres, ora natantis aquæ.

83. Anonymi legitur Salisburgi.

Post tot perpessos currente ætate labores
Ingressus portum mersus,& hîc jaceo.
Ergo fallaces spes, & fortuna valete:
Nil mihi vobiscum; ludite nunc alios.

84. Ardolphi Pini in castris militum strategi.

Casside Mars positâ, positâ Ægide Pallas,
Quis credat? Pinum *tam brevis urna tegit.*

Calliroes priùs sepulta, quàm nata.

Bis vixit semel orta, bis hic composta sepulchro est,
Post sua Calliroe funera facta parens.
Fata erat, exanimis tumulatur: at excita partu,
Poscit opem, eruitur; mox parit, atque perit.

85. Christi cruci affixi. Tribuitur Thomæ Porcatio.

Pro servis moritur Dominus pro sontibus Insons,
Pro ægroto Medicus, pro grege Pastor obit.
Pro populo Rex mactatur, pro milite Ductor,
Próque opere ipse opifex, proque homine ipse Deus.
Quid servus, quid sons, Ægrotus, Grex, populúsque,
Quid miles, quid opus, quidve homo solvet? AMET.

Christophori Columbi Genuensis. 86.

Parva licèt cineres Liguris tegat urna Columbi
Acta tamen cœlo vix potuêre tegi:
Hujus facta sonant, quà Sol, oritúrque, caditque
Quoque micant alto lucida signa polo.
Primus enim ignotum celeri trabe vectus ad orbem est,
Primus & ignoto sydere rexit iter

Anonymi calamo, & gladio clari, & in bello icti. 87.

Qui fuit eloquij flumen, qui fulmen in armis,
Ad Martis flumen fulmine clarus obit.

Foxæ lectissimæ fœminæ. 88.

Hîc Foxæa jacet tumulum venerare Viator.
Quantum o virtutum quantula terra tegit!

Francisci Architalassi Auctore Claudio Rosoletto. 89.

Francisco arrisit medijs Neptunus in undis,
Francisco in terris Mars dedit arma sua.
Nunc majora quidem Franciscus cum Jove tractat!
Qui terra, atque mari floruit, Astra tenet.

Francisci Giseleri J. C. & Advocati insignis. 90.

Franciscus jacet hoc Giselerus marmore, cujus
Nulla unquam in sanctis lis perijt manibus.
Perdidit hanc unam tantùm quam ferrea movit,
Atropos. Ast extra lis fuit ista forum.

Francisci Guisij Ducis Auctore Jo. Passeratio. 91.

Quid statuis tumulum? nil sum nisi nomen, *&* umbra
Elysium felix incolit umbra *nemus.*
No*men ab occasu solis pertingit ad ortum.*
Me ne putas ullo marmore posse tegi?

Gratiæ puellæ Auctore Balthasare Castilliono. 92.

Siste Viator, ni properas, hoc aspice marmor,
Et lege; ni pleras, tu quoque marmor eris,
Gratia, namque Deas etiam mors sæva profanat,
Mortua, & hoc duro est condita sub tumulo.
Abstulit hæc moriens geminas miseranda sorores.
Sic charites uno tres periere obitu:

Jacobi V. Scotorum Regis Auct. Quintiano Stoâ. 93.

Corpora Mors rapuit: rapiant si hoc tempora marmor.
Vivet honos, probitas, gratia, fama, fides.

Ad Petracham de sua Laura. 94.

Alterius Daphnes forma ureris alter Apollo.
Nec fide tu inferior, nec tua casta minus.
At perijt Daphne mutato corpore; contra
Æternum vivit carmine Laura tuo.

Mariti,

Mariti, & uxoris, qui eodem die nati fuerunt, & denati.

Una dies natalis erat, fatalis eisdem,
Attulit Alba duos: abstulit atra duos.

EXPENSIO XXI.

De Acuminibus totius lapidariæ Elocutionis.

1. QUia styli simplicitatem respuit in lapidaria elocutione ætas nostra, & quemdam elocutionis luxum, appetit, qui pascendis auribus natus illarum famem magis acuat, quàm mitiget: ideo non incongruum fore duxi hîc adjicere pro coronide hujus libri, quosdam fontes acuminis inveniendi. Sicut materiale acumen *Est duarum linearum, seu duorum laterum in unum punctum concursus*: pari pacto acumen metaphoricum lapidariæ elocutionis *Est concursus duorum oppositorum in unum conceptum mentis argutum, seu est discors concordia, vel concors discordia subjecti, & prædicati*; ut in Judam Proditorem quærentem cum laternis, & faculis JESUM, quem traderet Judæis. *Ne tu planè cæcus es Juda, qui cum laternis, & facibus solem quæras? Tribus Erebi furijs addidisti te quartam, habes & tu tædas tuas, quibus mundi lucem non augeas, sed extinguas.* Ubi tu vides prædicatum, & subjectum, concordare aliquo modo, & discordare; quia Judas Erebi furia dicitur; ideo illi concordat, ac convenit tæda, insuper, quia hac tæda quærebat perdere JESUM, qui dicitur lux mundi; discordat, quia contra naturam est, quòd lux solis lucernæ lumine minuatur, ac extinguatur.

2. Acumen autem triplex est, *contra naturam, præter naturam, juxta naturam*, acumen contra naturam est, cùm simul conveniunt duæ res naturaliter contrariæ, ut de D. Magdalena illachrymante ad pedes Christi dixi. *Mirum sanè! divini amoris æstuans igne in lachrymarum pluvias liquescit, aqua flammam alit, flamma aquam parturit, amoris lampades oculi sunt, divino succensæ igne, alio non aluntur oleo, quàm lachrymarum.* Ubi tu vides contra naturam esse, aquam flammam alere, & flammam aquam parare. Acumen præter naturam est quando res conveniunt præter naturæ ordinem, hoc est inusitato modo, ut est illud Martialis *Deliciæ populi, quæ fuerant Domini*, quia non est usitatum, nec naturale, ut à Domino ad plebem deliciæ transferantur, non repugnat tamen naturæ; unde dicitur acumen præter naturam. Acumen juxta naturam est, quod convenit naturæ rei, ut est illud in Virginem Deiparam salutatam à Caduceatore Gabriele Martio mense. *Virga Jesse, vel in miraculis naturam observans, datura fructum in Hyeme; florem concepit in Vere.* Licèt in hoc acumine lateat æquivocatio est tamen juxta naturam, quia omnes arbores flores parturiunt verno tempore, fructus verò vel Autumnali, vel Hyemali tempore maturant. De natura igitur acuminis est, quod de subjecto prædicetur prædicatum, vel contra, vel præter, vel juxta naturam.

Relucet etiam acumen, si apponatur Epitheton discordans cum subjecto, ut præstitit Martialis lib. 5. Epig. 82. *Quis neget curam esse te Deorum propter quam fuit* INNOCENS *ruina.* Sic Hermes quoque dicitur *Optimus malorum*, seu *Optimus malus*, sic quoque dicitur *Labrax* INSULSUS *Histrio in mari mergitur*: & aliqui jocando in illud Epitheton discordans dixerunt. *Benè actum est, nam qui insulsus erat, salsus factus est.* Vel *malè actum, nimis enim potavit homo jejunus.* Vel *Mergi non poterit excerebrari, vacuique capitis vir.* Vel *Imò mergetur scelerum saburra prægravatus.* Vel *In Neptuni humido theatro dignas Histrio larvas inveniet.* 3.

Secundò potest ad subjectum addi substantivum discors, ut est illud de Domitiano Imperatore captante muscas inter domesticos parietes, *Muscis hostis fuit, hosti Musca.* Vel *sua manu infestas legiones delevit* MUSCARUM. 4.

Tertiò emicat acumen quando idem prædicatum de eodem subjecto affirmatur, & negatur: sic Poëta de S. Brigitta formam amittente, ut pudorem conservaret: *Et tunc credidit se venustam, postquam desiit esse tam venusta.* De S. Vincentio Martyre: *Vincentius tunc integer vicit, & victor stetit, cùm fractus cecidit.* Tacitus de malo Principe: *Omnia in eo Principe sunt, præterquàm Princeps.* Et Cicero de se ipso, *Nunquam sum otiosus, quàm cum otiosus.* Vel *Nunquam solus, quàm cum solus.* Vel illud Senecæ *Miserum te judico, qui nunquam fuisti miser.* 5.

Quartò ut acuta sit inscriptio, ponantur ingeniosæ causæ finales ex occasione facti, vel dicti alicujus. Ut de Christo JESU, qui osculo proditus à Juda postea in cruce sitivit, dicitur per ingeniosam causam finalem. *Venire mox ad Patris oscula voluit, nisi os priùs felle, & aceto lavaret: fuit hæc tota sitis ejus in cruce.* *Detergere spongiâ voluit, si quid in labijs de osculo Judæ supererat.* Et de Caligula ait Seneca lib. de ira: *Caligula optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet; ut scelera nimirum sua tot locis, ac temporibus deducta in unum cogeret.* De solis Eclipsi in nece Christi Domini: *Sol obscuratus est, ut tanto sceleri officium luminis denegaret; ne luceret eis lumen mundi, à quibus fuerat lumen salutis extinctum.* Quia in nativitate Christi Domini spicæ in cœlo apparuerunt, & olei fontes eruperunt in terra, dicitur, *Videre homines spicas in cœlo debuerant, ut discerent de cœlo panem sperare. Ministrat tellus oleum; ut advenienti sponso lampades suas ornarent homines: non obduxerant cicatrices vulnera nostra, quia circumligata non fuerant, nec fota oleo; ideo curaturus illa, qui venerat, fascias, ac oleum secum attulit.* 6.

Quintò, ut acuta sit inscriptio, potest unum subjectum cum alio, vel ejusdem, vel diversæ speciei comparari: in Epitaphio Christi Domini dicitur: *Sta viator, tua hoc saxo clauditur via. Imò non clauditur, quia surrexit* 7.

non

non est hic: mortuus redivivus, Pelicanus in cruce, fuit Phœnix in Sarcophago; tamdiu hic jacuêre exuviæ, quoad exuvias raperet inferorum. Dormienti olim Timotheo captivas urbes, ac regna ultro Fortuna afferebat: Dormiens in sepulchro Salvator, ipse sibi Herebi regna subjicit, ac debellat.

8. Sextò, acumina etiam consurgunt ex vocibus ambiguis. Quia hæc vox *Populus* significat turbam gentium, et arborem; ideò bene comparatur mors Neronis cum lapsu Phaëtontis: *Dum cecidit Phaëton populus flevit; sed dum cadit Nero Populus ridet.* Julius Montanus cùm recitaret quoddam Poëma, & cum incepisset post descriptum solis ortum, describere occasum, quidam ex schola impatiens abijt, interrogatus cur, dixit; *Nunquid diutiùs illa audire potui, quàm ab ortu solis, usque ad occasum.* Quia plaga significat vulnus, & rete, de Christi vulneribus, quibus nos redemit potes dicere, *Christi plagas, esse amoris plagas.* Hoc est retia, quibus animas expiscatur.

9. Septimò relucet acumen in allusione ad apologos, sic de humanis ossibus saxificatis in Musæo Francisci Gueldi Equitis Ariminensis alludendo ad Deucalionem, qui jacta saxa in homines mutavit acutè dicitur,

Quæ fuerant hominis, magna nunc ossa parentis,
Visuntur nimio saxea facta gelu.
Deucalionæi miracula credite jactus e
Cogimur ad priscas ecce redire vices.

10. Octavò, emicat acumen in assignatione non causæ pro causa, ut de D. Jacobo M.

Angustas penetrare fores sibi quisque laboret;
Angusta est cœli janua, Christus ait.
Ingressum hinc facilem quærens Jacobus ad astra,
Ipsa minutatim membra secanda dedit.

De Poëta Bibulo

Plus reliquis plerumque solent potare Poëtæ
Nempe solent reliquis plus quoque amare sales.

In prægrandem pileum Ælij

Non miror grandis, quòd sit tibi pileus Æli,
Nam proprium hoc fungis omnibus esse solet.

De Eclipsi in Christi nece

Non miror tenebras Christo moriente fuisse,
Semper magnæ umbræ sole cadente cadunt.

11. Cavendum tamen est ne hæc acumina sint obscura, vel affectata, vel levia; nam si obscura, quis ille intelliget? si nimis affectata contemptum parient; si levia risum, ac cachinnos movebunt.

12. Nonò à repugnantibus desumuntur argutiæ, cum eidem subjecto plura tribuuntur inter se pugnantia, & tunc fit, ut plurimum, transitus à corpore ad animum, adeo ut repugnantia verificentur de eodem secundùm diversa, ut si dicas per paradoxum, *quò ditior, eò pauperior*, intelligitur, quo aurô, gemmis, agris, ac proventibus locupletior, eò culturâ virtutum pauperior. De sue, quæ jaculo confossa peperit argutè concluditur per repugnantia à Martiali

Ita gravi telo confossáque vulnere mater.
Sus pariter vitam PERDIDIT, atque DEDIT.

Martialis *lib. 4. epig. 8.* se excusans non posse amici librum corrigere, eò quia esset totus delendus acutè concludit. 13.

Non possunt nostros MULTÆ Faustine LITURÆ
Emendare libros UNA LITURA potest.

De vita brevi, & Sapientia breviore pulchrè per repugnantia.

Cum sit præcipiti vicina senecta juventæ,
Cum SAPERE incipimus, DESIPERE incipimus.

De excæcato ob solis intuitum.

Heu miser in medio perdo mea lumina sole:
Quique DIEM GENERAT, SUBRIPIT ille DIEM!

De Religioso detrectante invisere puellam ægrotantem.

Ne sis ægra, meos vis inquis cernere vultus,
Æger ego ne sim, nolo videre tuos.

De virtute, & invidia, eò quia hæc illi invideat.

Invidiam quicunque putas virtute foveri,
Nescis quid virtus, quidque sit invidia.
Nam si virtutis plus, invidiæ minùs esset.
Quò virtutis enim plus, vitij minus est.

De Christo vagiente in cunabulis.

Gaudia quæ sequimur pariunt tibi Christe dolorem.
Et dolor iste tuus gaudia nostra parit.

14. Plerumque repugnantia ita se habent, ut detur inter ipsa mutua conversio, ut Martialis *lib. 5. epigr. 80.* acutè ait

Insequeris fugio, fugis insequor, hæc mihi mens est.
Velle tuum nolo Dydime, nolle volo.

De S. Martino qui æquè vivis, & mortuis profuit.

En tibi viventes debent Martine salutem,
Hanc etiam debet mortua turba tibi.
Vivere nam rectè per te didicêre sepulti,
Et per te vivi sic didicere mori.

De lege, & lite eò quia lex, & lis conveniant.

Filia lex litis: bona filia pessima mater.
Filia lis legis mater bona pessima nata.

15. Interdum repugnantia ita nectuntur, ut se destruant, ut cum de Nerone dicimus: dignus fuisset imperio, nisi imperâsset: & de paupere sua sorte contento. Dives est sine divitijs. De divite, curis torto.

Cura diem perdit, noctem tenet improba cura.
Divitis in media est nulla quiete quies.

Judas Anagrammaticè *ad Jus.*

Ad Jus crede mihi tu jure citaris Juda,
Nomen habes tantùm Jus sine jure tuum est.

16. Nonnunquam repugnantia prædicantur de eodem subjecto, sed ratione diversi temporis. Exhibet hæc repugnantia Martialis in Diaulum *lib. 1. epig.*

Nuper erat Medicus, nunc est Vespilo Diaulus.
Quod vespilo facit fecerat & Medicus.

De Medico, & ægrotante.

Pharma-

Pharmaca das ægroto: æger tibi porrigit aurum
Tu morbum curas illius, ille tuum.

17. Subinde repugnantia ita proponuntur, ut unum præponatur alteri, vel substituatur: Martialis *lib. 1. in Cottam.*

Bellus homo, & magnus vis idem Cotta videri;
Sed qui bellus homo es Cotta pusillus homo es.

In mundi contemptorem.

Omnia contempsi quærens cælestia, fallor:
Nil ego contempsi: cuncta caduca nihil.

18. Decimò ab alienatis, seu ijs, quæ tribuuntur subjecto, cui non conveniunt, & cui propterea dicuntur aliena esse, petuntur etiam argutiæ: ut si de Christo Hyeme nato dicas. *Flos campi media florescit Hyeme, ut nostra sterilitas à Bethleemitica caula edisceret fructum dare.* Alienum est ab hyeme flores producere, alienum à caula docere; alienum à sterilitate fructus dare. Potest alienatio fieri à qualibet re, de qua est sermo. A persona fit alienatio cùm removetur aliquid, quod ei convenit, quo pacto de Herodiade in pretium chorearum petente caput S. Joannis Baptistæ dixi: *Bene caput petijt, quia cum totum ingenium fluxisset in pedes, capite indiguit.* Vel cùm substituitur aliquid improprium locò proprij, ut si de S. Job exulcerato dicamus *Tot illum atra illa ærumnarum nocte numeràsse in suo corpore micantia sydera, quot ulcera.* Tribuuntur patienti Jobo stellæ impropriæ corpori, cui non conveniunt loco vulnerum, quæ eidem fuerunt propria, quasi deceret, solem virtutum stellis coronari. Ab hoc fonte de Domitiano assueto tempus terere in muscis captandis, cùm tamen pusillanimus fuèrit, lepidè dicimus *hostem muscis, hostibus Muscam fuisse*, quæ argutia ideo est elegantior, quia includit antithesin. De morte escis accelerata argutè concluditur.

Mors mala, mors vetitis vitam sibi sumpsit ab escis;
Vis morti vitam tollere, pasce fame.

In D. Magdalenam linientem unguento pedes Christi.

Dum tangit Medici corpus, sua vulnera discit:
Ungit, ut unguento sana sit ipsa suo.

In Mare, quod S. Jodocho submisit naves onustas panibus.

Verterunt elementa fidem: sitientibus olim,
Unda dedit potum, nunc dedit unda cibum.

In Musicum ineptum.

Latratus catulorum, hinnitus fingis equorum,
Et quævis vocum bellua quidquid habet.
Omnia cum simules ita vere, ut ficta negentur:
Non potes humanæ vocis habere sonum.

19. In Calvum scelestum.

Omnibus amissis à tergo, & fronte capillis
Quid tibi jam restat perdere Calve? caput.

In quendam Thermum malè collocantem opes per Dialogum

Omnia divitibus moriens donabat amicis.
Pauperibus nullas Thermus habebat opes.
Sed reprehensus, ait, superos imitabimur: Hi dant
Omnia divitibus, pauperibùsque nihil.
At cave Pastor ait, superi sua præmia reddunt:
Pauperibus cælum; divitibùsque nihil.
Ne perdant igitur, Thermus respondit, Olympum
Non decet, has inopes, ut potiantur opes.

In Senem Delicum. 20.

Barba tibi crevit; ceciderunt Marce capilli
Inde tibi gravis est barba, capùtque leve.

De peccatis oculorum. 21.

Si quoties peccant dextri effodiantur ocelli;
Mundus in exiguo tempore luscus erit.

In lachrymantem præ ira 22.

Sunt sibi discordes exercent vim tamen ambo,
In me concordes ignis, & unda suam.

In Domitianum Imperatorem ironicè

Egregius Bellator erat; sed bella theatro
Intulit; in campo maluit aspicere.

In virum superbum ignobilem.

Mater erat nutrix; pater in mare retia misit.
Hinc tua condecorat linea longa genus.

Undecimò, à rebus specie diversis ob similitudinem aliquam minus obviam; ut si Epigrammaticum Martialem dicamus fuisse Apem, sed aculeo pungentem omnes. Diogenem canem, qui si non dentibus, saltem lingua cæteros momordit. Ab hoc fonte Ausonius de Ruso Poëta cecinit. 23.

Rhetoris hæc Rufi statua est: si saxea; vera est,
Cur id ais? semper saxeus ille fuit.

Habetur etiam illud de homine rudi, ac imperito

Non ego te quemvis Asinum voco, Mome; sed illum,
Cujus erat sessor Pseudopropheta Balam.

Cujus Asina humana voce loquuta est.

Ab hoc fonte Rex, Grex, Lex, explicantur

Rex pastor, populique greges, sunt pabula leges.

De Mendacio, ficto, picto, dicto

Sculptorum est Mendacia fingere, pingere munus.
Pictorum est; cujus dicere? Talle tuum.

Lis, & Lex

Lis genuit leges, legum lis filia: vivi
Non sine lite solet, non sine lege potest.

Non semper facundus, qui fœcundus.

Facundus non est, qui multa, at qui bene dicit;
Ut nec fœcundus, qui mala gignit ager.

In quæstorem Sordidum.

Mente Midas, vultu Thersites, munere quæstor,
Re Verres, anima Sardanapalus iners

De sole cæteris astris splendidiore.

Sit nox centoculo quamvis oculatior Argo
Plus uno cerust lumine lusca dies.

Interdum argutia in eo relucet, quia ex rebus similibus effectus concluduntur dissimiles: quod fit, si res cum oppositione aliqua inter se comparentur: vel si ex rebus dissimilibus similes arguantur effectus, ut de Christo nascente in Præsepio 24.

De stabulo cum nascatur, bene creditur agnus
Cumque lupos terret, creditur esse leo.

In Adulatorem collatum cum cane.

Blandus hero cauda canis irrequietus adulat,
Linguam pro cauda Pontilianus habet.

In Judam osculantem Christum.

Oscula das Christo, Ioannes fixit oidem,
Ex quo flore legit mella, venena legis.

De lingua nobili, ac mobili.

Humano membrum non est in corpore lingua
Nobiliùsve bona, mobiliùsve mala.

Duodecimo à verborum lusu, ulúque eorundem moderato. Luditur plerumque ab hoc fonte vocum inflexione, vel sententiæ significatione, 25.

Et quia ab hoc fonte plura jam hausimus, & exhibuimus in expensinne de æquivocis per decem prædicamenta, hic tantùm subjiciemus nonnulla rarinra, ut illud de uxore.

Apta DUCI *non est uxor, non aptáque* REGI
Quæ DUCI *non est apta, nec apta* REGI.

26. De Margarita puella se obstringente voto paupertatis inter sancti-Mnniales.

Vellet inops fieri, sed dum se possidet ipsa,
Margaris, in casum credo, feretur inops.

27. De D. Barbara

Ut Parcæ parcunt, ut luci lumine lucent,
Ut bellum est bellum, sic ego Barbara sum.
Omnia dicuntur per Antiphrasim.

Verba movent: exempla trahunt. 28.

Ut decuit docuit, qui re sua verba probavit.
Plus malefacta nocent, quàm benedicta docent.

Eleemosynæ non numerandæ. 29.

MUNERA *ne* NUMERA *miseris quæcunque dedisti:*
In cælis NUMERAT, MUNERAT *illa Deus.*

Chymicus nmnia bnna cnnsumens. 30.

Rem decoxit iners chymicus, dum decoquit aurum,
Et bona dilapidat omnia pro lapide.

Hostia sacra *Anagr.* Ah! cor satias. 31.

Unus Alexandri cor non satiaverit orbis.
At mihi sufficiens unus hic orbis erit.
Ah JESU! Ah niveo, quem panis adoro sub orbe.
Ah tu cor satias hostia sacra meum.

LIBER VI.

De Symbolica Eruditione

Hoc est:

De Symbolis in genere, de Numismatis, Hieroglyphicis Emblemate, Phrenoschemate, seu Symbolo Heroico, Italicè *Impresa.*

CUm expenderimus in præcedente libro, quæ ad culturam lapidariæ elocutionis pertinent, superest enucleanda eruditio symbolica, quæ non minorem exhibet elegantiam; cum plurimum habeat aucupij, & quodam deliciarum illicio in animum se se blandè insinuet, quem quodam eruditionis involucro suaviter defatigat, ac allicit. Hoc institutum nostro ævo patronos habet non paucos, admiratores multos, plurimos amatores, qui non minus graviter, quàm feliciter illud consectati sunt. Nam symbolorum id proprium, ac peculiare, ut gyris quibusdam, ac meandris, seu obscuris sententiarum involucris sensus reconditi, & minimè obvij obtegantur, quod præstiterunt quamplures, quos acerrima vis ingenij, & lux politissimi judicij, omniúmque fermè Doctorum plausus, non solum à calumniæ livore liberârunt, verùm etiam ad gloriæ apicem erexerunt.

EXPENSIO I.

Donantur explicatu quadam de Symbolis in genere.

1. SYmbo'orum Character efflorescere cœpit apud Ægyptios, & Chaldæos, qui in Schola Memphytica Philnsnphati sunt: imò ante expressam Characterum inventionem, & scripturæ usum; non viguit tamen primis illis temporibus, quibus liberinri prnfluentis naturæ impetu ferri videbatur oratio; sed pnstquam magni nominis Sophistæ, Philnsophiæ præceptis instructi,

nec

haec medioctibus eruditionum adjumentis innixi, conceptus quosdam aureos mente gignere cœperunt, ac veluti gemmas in auro, argentóque, & in marmore insculpere. Verùm quia cujuscunque artis elementa suis sub initijs sunt semper crassiora, ita primi hujus instituti homines quædam adinvenerunt symbola rudia; ut animalium, vel syderum, vel aliarum rerum, quæ symbola scripturas sacras appellârunt: quod ab ijs factum esse constat, ne in plebeiorum hominum intelligentiam Sapientiæ arcana pervenirent. Hæc symbola licet illis sub initijs rudia fuisse constet: attamen postquam elegantiora paulatim florere ingenia cœperunt, majori elegantia, ac rariori eruditione enituerunt. Quod nobis magis patebit, si prima symbola a Chaldæis, & Ægyptijs inventa conferamus cum ornatu, & accurata expolitione, quam huic præclaræ inventioni adjecerunt Græci: Nam eam intercedere, differentiam, quæ reperitur inter aurum, & æs, facilè inveniemus.

2. Diversimodè tamen symboli significatio usurpatur. Primò sumitur pro signo, quod Epistolæ, vel vasi imprimitur. Secundò pro eò, quod in cœnam comparandam plures conferunt. Tertiò sumitur etiam pro signo bellico, quod à Latinis *Tessera* appellatur; quo socij ab hostibus, ac exploratoribus dignoscuntur; ut in Marij exercitu *Lar Deus*: in castris Scyllæ, *Apollo Delphicus*: inter Cæsarianos, *Venus Genitrix*. Et ab hac similitudine dictum fuit Symbolum Apostolorum, quoddam quasi totius nostræ fidei breviarium, quo veluti quadam tessera, Pseudoapostoli à veris discernerentur. Quartò Symbolum nuptiarum annulum etiam significat. Quintò indicat judicium, quo prænoscimus aliquid. Sextò, pro Principis numismate etiam sumitur. Septimò symbola etiam dicuntur notæ arcanioris cujuspiam mysterij significativæ: ut cum *Ciconiam* dicimus esse Symbolum Pietatis; *Paparer* fertilitatis; *Palmam* victoriæ; *Cupressum* mortis; *Oleam* Pacis; *Laurum, & Hederam* ingenij semper virentis; *Malum Cydonium* connubij; *Lilium* puritatis, *Rosam* charitatis; *Satyrum* vel *Capram* Libidinis; *Cygnum* quia sub niveis plumis nigram alit carnem Hypocritarum; & cætera alia longè multa, quæ immenso labore, parique doctrina Pierius est consecutus. Octavò tandem sumitur pro argumento, seu nota quadam, qua quidpiam occultatur, sed tamen eruditis auribus intelligendum proponitur, quo sensu sumuntur emblemata, ac phrenoschemata, quæ comprehenduntur sub genere symboli.

3. Ab Ægyptijs symbola primùm fuerunt usurpata, ut testatur Clemens Alexandrinus, quia suam Sapientiam raram quidem, ac reconditam solis ijs agnitam esse volebant, qui ea se dignos præstarent; unde ab ea consultò ineruditam plebem hisce eruditis symbolis arcebant, & hic Symbolorum usus magnopere postea eruditissimis viris arrisit; ac ipsis symbolis multum adjecerunt ornamenti. Generosi etiam Principes, qui Martis in campo hostili cruore proprias sibi humectare palmas satagebant, sua etiam symbola in clypeis sculpta voluerunt: hinc Lacon miles Athenienses irridens *Muscam* pro symbolo minutis lineolis incisam sculpi suo curavit in clypeo; cujus rei causa, cum ab alio rogaretur, dixit, *Tam prope ad hostes sum accessurus, ut vel muscam nostram despicere possint*. Amphiaraum etiam in expeditione Thebana *Pictum Draconem* in clypeo circumtulisse testatur Pindarus. Polynices *Sphingem* suo sculptam in clypeo voluit. Agamemnon in bello Troiano *leonem* hoc lemmate. *Hic hominum terror*. Ulysses *Delphinum*. Hippomedon *Typhonem* ore fumos efflantem; Perseus *Medusæ, vel Gorgonis caput*, & Plutarchus Cimbrorum, & Teutonum bello illo horribili, quod in Mario describit, ait: Eos populos quamquam immanitate barbaros suis in peltis, scutis, alijsque bellicis instrumentis, non modò nitorem armorum adjecisse, sed & pictas, seu sculptas ferarum imagines: hinc plerique post vexilla, & clypeos, in proprijs stemmatibus, ac sigillis peculiaria affectantes symbola, quæ in bello gesserunt *Aquilas*. *Leones*, *Flores*, *Sydera*, pingi pro peculiaribus tesseris propriæ stirpis curârunt; ita ut hisce diebus, nulla gens, nullus Imperator, nullus privatus sit, qui peculiare suum non affectârit Symbolum; unde Persæ suo in stemmate *Aquilas Aureas*; Athenienses *Noctuas*, Thebani *Sphinges* posuerunt.

Alexander Magnus *serpentis imagine* usus est, quia se à Jove Ammone patre sub forma serpentis esse natum credi vellet: & Augustus Cæsar maturitatem in rebus gerendis ostensurus in altera nummi parte, quem cudi jusserat *Papilionem unà cum fluviatili cancro* cælari voluit; & altero tarditatem, altero celeritatem, intelligebat; unde in altera nummi parte hoc addidit lemma *Festina lentè*. Hoc etiam est dignum scitu de eodem Augusto Cæsare; referunt enim scriptores, Cæsarem *Sphingis imagine* in sigillo, seu sphragidio fuisse usum, ac tale duntaxat adhibuisse sigillum in negotijs perplexis; sphingis enim imago obscuritatis erat nota. Hinc Ægyptij, qui signrarum involucro veritatem imperitæ plebi obtegebant ad ad templorum limina *Sphinges* locârunt, innuentes eam, quam de rebus sacris doctrinam profitebantur eâ Sapientiâ constare, quæ obscura esset, & quibusdam involucris lateret. Titus Vespasianus Augustum Cæsarem æmulatus pro symbolo *Delphinum* voluit *anchoræ alligatum*, & Mecœnas doctorum ille parens *Ranam Serappiam*, ut pluribus placet, sibi usurpavit ad commendandam silentij religionem. Alij ut eleganti symbolo vim amoris exprimerent delineârunt *Catenulam ex annulis non nexis sibi invicem, sed secreto complexu è superstante magnete compactam*. Magnes primò attrahit annulum ad se; qui vi magnetica, seu attractiva imbutus trahit secundum, secundus tertium, tertius quartum, & sic successivè donec longa formetur catena: lemma erat istud *Arcanis nodis*. Alij pinxerunt *Columbam odore perfusam, quam gregatim aliæ insequebantur*: hac epigraphe *In odorem*. Columba enim odore perfusa ita cæteras allicit, ut secum trahat, Carolus Fri-

dericus Dux Juliacensis pro symbolo voluit *Parmam cordibus humanis sculptam*, cui lemma hoc addidit *hic murus Æneus esto*; & bene, quia ad ruendam Rempublicam nullus murus fortior est ipsa concordia civium.

5. Apud Onocritas *Lucerna ardens* Symbolum fuit conjugij, quia conjugium amore ardere debet, famâ lucere. Ægyptij olim ornârunt filias suas aureis torquibus, in quibus figuræ erant sex. Prima quarum erat *Turtur* cum lemmate, *sic sola*: secunda *Columba*, cum lemmate *sic casta*. Tertia, *Aquila*, cum lemmate, *sic prompta*, quarta *Ciconia*, cum lemmate, *sic pia*. Quinta, *Noctua*, cum lemmate, *sic vigil.* Sexta *Alauda*, cum lemmate, *sic sancta*, & hæce hieroglyphicis significârunt virtutes, quibus se ornare debent Virgines. Cyrus Rex formosam videns Virginem colum nentem, equum adaquantem, & amphoram cum aqua, eam in uxorem duxit; hæc igitur electa mox Regina Regio in diademate sculpsit *Formicam, & Apem*, Symbolum sui laboris cum lemmate, *Hoc exto, quod gesto*, & super tumulum excidi curavit, *Colum, Amphoram, Equum*. Constantia Sfortia Ducissa, ut suum serenum candorem inter conjugales curas testaretur pro symbolo pinxit, *Cygnum aquis innatantem*, & desuper *tres vespertiliones*, suo volatu, quasi tenebras imminentis noctis indicantes, hoc lemmate, *Candor illæsus*. Isabella Caroli V. Imperatoris uxor, pro symbolo quo placeret sponso delineari curavit *Tres Gratias*, quarum una *Rosam*, altera *Myrthum*. Tertia *Glaudem* perterret cum lemmate: *Hæc habet, & superat.* Anna Regina Hungariæ, & Bohemiæ Ferdinandi I. Imp. uxor pro symbolo Amoris *Duas manus connexas cum Rosa* habuit, hoc hemistichio *sic in perpetuum*. Elisabetha Austriaca Ferdinandi Imperatoris filia pro symbolo *Arborem* tructiferam selegit, desuper verò è nubibus *exporrecta Manus fulmen stringebat; ac illo arborem findebat*, lemma erat *Sola Mors spoliat munera nostra.*

6. Franciscus II. Valesius Rex Franciæ ad indicandam Amicorum fidem delineavit pro symbolo, *Aureum nummum coronatum, quem dextra manus ad lydium lapidem probabat*, lemma erat, *Sic spectanda fides*. Ad indicandam verò symbolicè veram amicitiam scitè Ægyptij pinxerunt *Adolescentem capite nudatum, hirsuta veste indutum*, in cujus fimbria scriptum erat texris characteribus, *Vita & Mors*, in fronte *Hyems, & Æstas*, habebat latus usque ad cor apertum, ubi hæc verba legebantur *Propè, & longè*, Ætas viridis significavit, quòd vera amicitia virescit semper, senescit nunquam; pilosa vestis, quòd fidelis amicus debet paratus esse ad toleranda quælibet ardua pro amico; latus apertum usque ad cor exprimebat amicum esse diligendum non ore, sed corde; denique illud lemma *Propè, & longè*, significabat, amicos etiam absentes tanquam præsentes se mutuò diligere. Apud Pythagoram *Annulus* symbolum fuit servitutis, unde in adagium abijr, *Arctum annulum, ne indue*: idest in duram servitutem noli te abjicere: hinc in Poëtarum commentis Prometheus habetur Author annuli; hic ex fectum circulum ex catena, quâ ad Caucasum ligatus erat, dicitur gestâsse cum rupis fragmento, ut perseveraret pœnæ recordatio; unde in gratiam Promethei homines deinde gestârunt annulos, & ut refert Petra Sancta *lib. 3. de Annulis*. Servis in libertatem vocatis; circulus ex catena cum particula lapidis, de quo fuerant empti eidem circulo inserta dabatur, ut essent memores conditionis pristinæ. Deinde ex luxu ferrum in aurum, lapis in gemmam transiit; cœpitque esse ornamentum, quod antea fuerat tormentum.

Hinc in symbolum firmæ, fixæque benevolentiæ Seleucus in annulo *Anchoram sculptam* habuit; & Polycrates in Symbolum concordiæ in annulo *lyram* sculpi curavit. Quæris cur annulus nuptialis in quarto digito manûs sinistræ gestetur? quia in eo digito vena quædam reperitur, cujus sanguis usque ad cor fluit; & hoc modo putârunt Ægyptij cor ipsum coronare. Ludovicus XII. Franciæ Rex in symbolum inconcussæ firmitatis, ac constantiæ inter adversa, uti voluit *Cratere cœlesti*, cum lemmate, *inter eclipses orior*. 7.

Alphonsus Aragonum Rex in symbolo sculptam voluit coronam Regiam, in cujus ambitu hoc lemma erat, *Artifex cudit, Deus ludit imponendo, deponendo*. Joannes Dux Cliviæ habuit in symbolo lilium cum epigraphe. *Hodie aliquid, cras nihil*: hinc moris fuit, ut olim in tumulis Lilia, & Rosæ sculperentur. Ægyptij in Symbolum immortalitatis sculpebant in tumulis *Phœnicem* post fata superstitem cum epigraphe *Evolabit*. Persæ verò sculpebant *Solem* cum lemmate, *Orietur*. 8.

Isabella Aragoniæ Regina in symbolo duos habuit flosculos unus dicebatur Seelenitropos, seu flos Lunæ: alter Heliotropos, seu flos solis cum lemmate, *sequor*, & *æternum specto*. Lutetia Parisiorum pro symbolo pinxit Salamandram in flammis additis verbis *circumdor, sed non uror*. Fuit etiam quidam superbia tumens, qui pro symbolo posuit hanc unicam vocem *Omnia*, cui tamen alter ejus tumorem repressurus addidit Litteram S. ante O; hoc est *Somnia*, eò quia humana omnia somnia sint vana. Hinc symbolica scientia quavis ætate semper floruit, est enim blanda quædam animi illecebra, quæ hominem allicit, ducitque ad sublimia. 9.

Post Hebræos, quia Ægyptij impensiùs scientias excoluerunt ab ijsdem Symbolum inter arcanas disciplinas fuerunt habita. Non tamen fuerunt Ægyptij symbolicæ scientiæ Authores, quia Alexander Historicus in eo volumine, quod de Judaica Historia congessit, asserit, Abrahamum omnibus fuisse Disciplinis instructum, & præsertim arte symbolicâ, quæ ab ipso in Posteros defluxit. Hinc veritati videtur valdè consonum, Adamo, Enocho, Noëmo, & alijs ante Ægyptios hanc Symbolicam scientiam innotuisse. Sed quia Ægyptij præ cæteris Symbolicam Disciplinam excoluerunt, quam in pretio habuerunt, non immeritò dicuntur hujus disciplinæ Authores. Ex Philone, & Clemente Alexandrino liquet, 10.

duas

duas fuisse Ægyptijs præcipuas scientias, popularem unam, quæ complectabatur Geometriam, Astrologiam, Aritmethicam, Musicam, & alias facultates communes populo; alteram arcanam, & sacram, quæ solis Sacerdotibus, virisque Doctis innotuit, & hæc per Symbolorum involucra tradebatur. Fuitque hæc symbolica scientia tanto in pretio, ut putârint Ægyptij cœlestem quandam virtutem huic præesse disciplinæ, quæ ejus cultores illuminaret, & ad intelligentiam rerum cœlestium promoveret.

21. Quinimò ne hujus scientiæ memoria excideret in operosissimis obelisorum, pyramidûmque molitionibus sculpere consueverunt suorum monumenta Symbolorum, ut ostendit S. Cyrillus Alexandrinus adversus Julianum disserens de Moysis figuris, ubi ait: Ægyptios non fuisse usos litteris, sed figuris rerum naturas indicantibus: quo pacto ut ævum significarent *Solem*, & *Lunam*, pinxerunt, eò quia haberentur astra æterna: & Anastasius Synaita ait, Ægyptios sacra ratione *Draconem sibi vorantem caudam* in pyramidibus sculpsisse, ut significarent æternum, ac individuum circumactionem rerum divinarum.

22. Imò refert Lucanus hæc symbola fuisse antiquiora ipsis libris inquiens

Nondum flumineos Memphis contexere libros
Noverat; in saxis tantum volucrésque, feræque,
Sculptáque servabant magicas animalia linguas.

EXPENSIO II.

De Numismatis, quibus prisca gens rerum pretia censuit.

1. NUmismata, quia cusa figuras exhibent, quæ plerunque symbolicam referunt eruditionem, non abs re fore duxi aliqua de numismatis symbolis attexere heroicis. Cum primi homines opiliones agerent, agrisque excolendis operam impenderent, rerum permutatione proprijs consuluerunt indigentijs; sed ne pro veste ovem, pro calceo caseum, pro pileo panem semper acciperent, nummum excogitârunt, quo unusquisque singula sibi necessaria compararent, eò quia nummi usus fuerit institutus in pretium rerum omnium, quinimò ut cecinit Horatius lib. 1. Epist. 6.

Et genus, & formam regina pecunia donat

2. Solius igitur permutationis gratia nummus inventus est, qui si nummo augeatur, id propriè fœnerari est. Quia æris pondere rerum pretia exæquabant, labor, ac tædium ponderandi effecit, ut pecunia cuderetur signo quod nummi valorem proderet, seu quanti valeret palam faceret. Dicitur autem nummus vulgari nomenclatura pecunia, quia teste Varrone in pecoris corio notari cœperit; & Plutarchus quærens, cur bove, ove, ac sue pecunia signaretur; censet id causæ fuisse, quia inductâ præcipuè fuerit pecunia, ut permutaretur in suem, ovem, bovem.

Apud Romanos à Servio rege usque ad primum bellum Punicum Materia nummi fuit æs cum bifronte Jano, eò quia ut arbitratur Macrobius Janus omnium primus pecuniam signaverit; adeout nummi ærei ex una facie Janum exhiberent bifrontem, ex alia cymbam: unde Ovid. lib. 1. Fastor. 3.

Multa quidem didici: sed cur navalis in ære
Altera signata est; altera forma biceps?
At bona posteritas puppim signavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

Prodierunt etiam nummi argentei, qui ex parte altera Romam galeatam repræsentabant, & ex altera, duos equites, seu Castorem, & Pollucem: inductæ postea ijsdem fuerunt icones Numinum tutelarium, ac Victoriæ: imò bigæ, & quadrigæ; dicerentúrque nummi bigati, quadrigati, victoriati à notis ijsdem impressis. Inde dilapsis annis sexaginta duobus aurei etiam nummi fuere cusi, & in ijsdem tres Deæ præsides auri, argenti, & æris cælatæ. Pecuniæ cudendæ præerant curatores, quibus successerunt Triumviri monetales conflatores auri, argenti, ac æris. Nobilibus ob res præclare gestas in bonum Reipublicæ concessum erat post fata eorumdem illustriora facinora in ære cudi; ait Tullius: *Quibus familiæ suæ quasi ornamenta, & monumenta servabant, & ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem suam.* Uni dumtaxat Julio Cæsari viventi tempore Reipublicæ indulserant Romani, ut propriæ interesset famæ, séque, suásque laudes ære cusas videret. In hisce nummis merita inspiciebantur virorum illustrium; ut in numismate Lucij Bruti, eò quia Rempublicam liberaverit à Regio dominatu videbatur hinc cusa ejus effigies cum fascibus: illinc patriæ libertas. Post Reipublicæ lapsum ob civilia dissidia, populique discordias uni Cæsari apud quem tantùm tota erat dominatio permissum erat nummis proprias cudere laudes, quæ ut plurimum continebant bene facta cum epigraphe instar Elogij; ut in nummo Adriani *Adriano Restitutori Africæ, Locupletatori orbis terrarum.* In numismate Constantini Magni circa labarum duobus munitum militibus erat inscriptio *Gloria exercitûs*; in labari apice erant literæ quæ Christi nomen græcè inchoant. In numismate Augusti post pacatam Ægyptum cusus videbatur Crocodilus ad caulem præcelsæ palmæ catenis vinctus, cum literis: *Nemo antea religavit.* In numismate commodi Imperatoris cusa erat Victoria cum palma, & clypeo sedens supra congestum cumulum hostilium parmularum, cum epigraphe *Victoria Britannica.* In numismate Titi currus triumphis illustris præeuntibus captivis *Joanne*, ac *Simeone* ducibus factionum, quæ Hierosolymam civium dissidijs divisam perdiderunt. 4.

Quinimò non solùm signa victoriæ, verùm & documenta pro bono, ac prudenti regimine symbolicè, ac venustè in numismatis cudebantur; ut in numismate Augusti Delphinus anchoræ implexus cum epigraphe *Festina lentè.* 5.

Anchora quietem, firmitatem, & constantiam, Delphinus motum celerem symbolicè indicant, ut tarditas nimiam celeritatem coërceat, & celeritas segnitiem urgeat. Titus solâ anchorâ usus propriam expressit constantiam: in alio nomismate duplici cornucopiæ, & simul Caduceo pacem populo spopondit, simúlque annonæ ubertatem. Nerva, & Antoninus Pius fulmen cudi in nummis curârunt supra totum quiescens, ut crederet populus non mortuam, sed veluti sopitam somno potestatem puniendi in strato clementiæ, eámque obstrepentibus sceleribus excitari ad ultionem. Fulmen apud priscos Romanos symbolum habebatur Imperatoriæ potestatis: proinde Regnum Asiæ, ac Ponti præsagivit populus Mithridati eum adhuc pueto in cunis fascias excussit, & sagittas in pharetra adussit. Traianus suis in numismatis clavam cudi innixam leonis capiti curavit, indicaturus vim cedere Sapientiæ; Hercules enim vir sapiens, clavâ Nemæum leonem interemit. Antiochus in nummis cudit leonem humi procumbentem, cum noctua supervolitante; vires copulaturus cum Sapientia. Lysander leonem cute vulpina contectum significaturus calliditatem addendam robori. Refert Albertus Magnus, Aquilam suspendere ova intra vulpinæ pellis involucrum, ut à sole foveantur. Nil frequentiùs apud Romanos præsertim imperatores, quàm fidem, ac tutelam populi ære publico, seu in numismatis obtestari hisce Inscriptionibus: *Securitas publica. Securitas perpetua. Felicitas publica. Liberalitas. Libertas.* Præ reliquis titulis ille populo arridebat, quo uberior annona promittebatur, ut cum spicæ cuderentur incurvatæ, vel effigies Cereris.

EXPENSIO III.

De Annulis, eorúmque notis, ac symbolis.

1. NOn solùm in numismatis symbola cudebantur, ut ex præcedentibus liquet, verùm & ipsi annuli, quibus digiti ornatentur suas quandóque notas referebant symbolicas; num ad lusum, aut luxum anceps hæreo, cum sciam pretia integri patrimonij gestâsse interdum homines in uno tantùm digito. Censet Plinius *lib. 33. c. 1.* pessimum vitæ scelus eum fecisse, qui annulum primus digitis imposuit. Poëtæ tamen fabulantur hujus reum criminis Prometheum, quia exsectum circulum ex ferrea catena, quâ rupi Caucaseæ fuerat alligatus secum tulerit unà cum fragmento ejusdem rupis, ne inflicta sibi pœna memoriâ excideret: & in gratiam Promethei parentis, posteros consuevisse annulos in dicitis gestare, quò in manûs ornamentum cederet, quod institutum fuerat in pedis tormentum. Ex hoc saltem commento liquet, usum annulorum antiquissimum fuisse, & non esse fidem prestandam Plinio asserenti annulos cæpisse tantùm esse in usu post bellum Troianum, eo innixus fundamento, quia Hometus in consignandâ pretiosa supellectile de notis tantùm, non de annuli notis mentionem faciat. Sed usum annulorum fuisse ante bellum Troianum in Palæstina, & Ægypto liquet ex Historiæ sacræ monumentis: etenim *Genes. 38.* Judas patriarcha nurui suæ Thamari, quam personatam compresserat, pignoris instar, reliquit annulum sigillarium, armillam, & baculum; donec hœdus, pretium stupri ad eam ex grege mitteretur; nec mitum si tria prærecensita pretium non excesserint unius hœdi, quia id temporis annuli, & armillæ ex simplici fiebant ære; licet postea ex puro puto auro conflarentur. Annulus enim a Rege Pharaone *Genes. 41.* dono datus Josepho Proregi Ægypti ex puro fuit auro; ut & aurei fuerunt annuli, quos matronæ Hebræorum in donaria contulerunt Tabernaculi.

2. Quamobrem fateamur necesse est ab Hebræis, & Ægyptijs ad Græcos, & à Græcis ad Romanos usum transiisse annulorum; apud quos inoleverat consuetudo, ut servis manumissis circulus daretur ex catena, ut memores essent pristinæ conditionis; luxus postea ferrum mutavit in aurum, & frustum lapidis ferro insertum in nobilem gemmam, & transiit in ornamentum, quod antea nota fuerat ignominiæ.

3. Hinc Martialis in Zoilum promotum ad ordinem equestrem ex servulo ergastulario *lib. 11. Epigram. 22.* ait:

Zoile quid totâ gemmam præcingere libra
Te juvat, & miseram perdere Sardonycha?
Annulus iste tuis fuerat modò cruribus aptus:
Non eadem digitis pondera conveniunt.

4. Annuli mox auro pretiosi, & nobili gemmâ splendidi, aut nuptiales, aut honorarij, seu dignitatis indices fuerunt, aut sigillatij; sponsis præsertim dabantur, ut etiamnum in arrham sponsionis, vel potius in signum famulitij, eo quia conjuges debent sibi vicissim inservire, & jugum ferre servitutis: teste Pythagora fuit annulus symbolum servitutis. Idque causæ, cur olim Flamini Diali fuerit usus annuli interdictus, quia sacerdotio fungentes nota deceret libertatis, non symbolum servitutis: serviunt enim non hominibus, sed superis, quorum nomina in pectore gestant scripta, & humero exarata. Quòd si statuæ Numæ Pompilij, ac Servij Tulli olim in Capitolio spectabantur cum annulis, id fuit, ut scirent, principes se servos esse populi, quia ut scitè ille: *Rex bonus servus est publicus.*

5. Hinc annulus ferreus Imperatoribus, ac Ducibus dabatur, & Seleucus annulum ferreum dono habuisse à matre referunt prisca monumenta. In usu præsertim Romæ fuerunt annuli ferrei, quandiu in ipsa aurei perseverârunt mores. Crescente luxu, & deficiente disciplinâ aurum cæpit in annulo cum gemma fulgere, ac viros nobiles, vel dignitate insignitos à plebeis, virisque infimæ notæ distinguere. Appianus *de Bell. Punic.* refert Asdrubalem ex aureis annulis agnovisse. Cen-

turionum,

turionum, & Tribunorum cadavera, quibus Scipionis rogatu honorem concessit sepulturæ. Cæsar in agro Ariminensi suos hortaturus ad trajectionem Rubiconis præmium promisit, & fidem facturus aureum extraxit è digito annulum, & persuasio fuit in castris, Cæsarem spopondisse primis transeuntibus Rubiconem dignitatem equestrem indicatam per aureum annulum.

6. Hinc cœperunt annuli in tanto postea haberi honore, ut mira non pauca de annulis recenseantur. Refert Plinius *lib. 37.* Achatem solius naturæ opere in Regis Pyrrhi annulo Apollinem pulsantem citharam cum Musis adstantibus exhibuisse, totúmque Parnassum non in rupe, sed gemma luxuriantem. Celebris est etiam teste Herodoto in Thalia, Polycratis Tyranni annulus, quem experturus mœrorem, jugi gaudio defessus in mare demerserat, sed fortunæ lusu mox iterum recepit cum prandere intra piscis ilia; conquestus de fortuna jugiter sibi arridente: ait Herodotus gemmam hujus annuli fuisse smaragdum; Plinius verò asserit Sardonychen, & suo tempore adhuc superfuisse Romæ in fano Concordiæ. Nobiles etiam sine gemma fuerunt annuli, & eò pretiosiores, quò plus artis continerent; talis fuit annulus Caroli V. Imperatoris, qui absque errore quota esset hora sive diurna, sive nocturna fideliter indicabat: erat enim in ejus pala horologium adeo parvis libramentis, & machinulis constructum, ut intus digitum Imperatoris toties perstringeret, quoties ad unamquamlibet horam perstreperent ictu machinuli cetera horologia. Alij itidem fuerunt annuli, qui in fundâ sectâ in binas partes horarum intus habebant notas, & in earundem meditullio caveolam cum acu magnetica passu tremulo, ac solicito cynosuram quærente, & simul umbrâ staminis horam indicante.

7. Sunt alij annuli qui sine acu magnetica faciliori negotio quota sit hora diurna ostendunt. Signantur in exteriori superficie annuli, ad marginem unius lateris literæ initiales sex mensium à bruma intercurrentium ad solstitium æstivum scilicet *Januarij, Februarij, Martij, Aprilis, Maji, & Junij*; in margine alterius lateris literæ iisdem initiales Julij, Augusti, Septembris, Octobris, Novembris, Decembris, & quidem eodem ordine, & situ supra hemicyclum convexum annuli; ita tamen ut Junius, & Julius sibi respondeant, sintque in eadem linea, ut etiam Majus, & Augustus, & ita de cæteris: hæcque pars annuli convexa fissionem habet tenuem ductam in medio utriusque seriei mensium signatorum; in hac fissione adest circulus alius exilis, ac ductilis, in quo est foramen exiguum ponendum juxta characterem mensis currentis, ut ex sole adverso radiolum, quasi punctum lucis per fissionem vibret in concavum hemicyclum, qui opatatur ab umbra hemicycli convexi: sunt enim in hemicyclo concavo è regione mensium signatorum in hemicyclo convexo numeri horarum 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & regrediendo iterum 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. punctum lucis vibratum per foramen fissionis in concavum hemicyclum signat horam.

Quod verò ad annulos nuptiales attinet refert Alexander ab Alexandro l. 2. c. 5. apud priscos Romanos etiam tempore Plinij annulos nuptiales fuisse ferreos, nulla illuminatos gemmula, ut morum commendaretur frugalitas; & in hunc finem fuisse datos annulos sine gemmis insertis circulo puellis Hebræis cum nuberent refert Joannes Baptista Laurus *in lib. de Annul. B. Virginis.* Verum hic annulus qui asservatur Perusiæ in Umbria Italiæ nobili provincia non est ex metallo sed ex gemma onychina, vel amethysto, ut asserit testis oculatus Joannes Baptista de Ninis Juris Pontificij, ac Cæsarei professor in Perusina universitate. Hos annulos nuptiales gemma destitutos Aristoteles *lib. 3. Physic.* vocat *Apiros*, quorum meminit expendens naturam infiniti, exhibétque in exemplum. Sed consuetudo nunc inolevit, ut annuli pronubi pluribus etiam sint gemmulis ornati, quæ veluti diadema adamanti crassiori in meditullio fundæ inserto grato componant aspectu.

Solet annulus pronubus manûs sinistræ digito, qui est proximior minimo inseri, eò quia ut fatentur Anathomici ex illo digito nervus prodit tenuissimus ad cor usque pertingens, quod propterea pronubo dicitur annulo coronari, vel ligari ad indicandum, debere sponsos esse cor unum, quemadmodum fiunt una caro; pluribus etiam consuevisse Romanos annulis ornare digitos conjicitur ex Martiale lib. 5. Epigram 11. 9

Sardonychas, Smaragdos, adamantes, Jaspidas uno,
Portat in articulo Stella Severe meus.

Præter annulos pronubos dantur & sigillaricij, qui varia solent cælaturâ insigniri; est sigillum rei alicujus exigua nota, aut simulacrum; quapropter Cicero vocavit sigillatos eos scyphos, in quibus inserta erant emblemata, & parvæ icones ad scyphi ornatum. Tertullianus *de Orat. c. 12.* vocavit sigillaria parva gentium Idola. Et Arnobius *lib. 6. contra Gentes* Ethnicos irridet, eò quod sua sigillaria, seu idola crederent Deos esse, putarentque in exiguis sigilliolis Deos contrahi. In annulis autem sigillum est cælatura alicujus notæ, vel figuræ, vel animalis, aut plantæ, quâ aliud significamus, ut in annulo, quem Pharao Rex Ægypti dedit Josepho Proregi sculpta fuit crux in argumentum supremæ potestatis, ut refert Gretserus *lib. 4. c. 9.* indicabat crux illa potestatem damnandi reos ad ultimum supplicium. Eadem de causa in annulo Pompei erat ensifer leo; in annulo Augusti sphinx symbolum roboris, ac solertiæ; vel ad indicandum, secreta principum debere secreta esse, ac clausa in corde perinde, ac pretiosa margarita in sinu conchilij, ubi tamdiu tuta, quamdiu tecta. In annulo Mæcenatis rana non ex ijs, quæ jugiter coaxant, sed ex ranis Insulæ Scriphi, quæ perpetuò silent; quia cum esset Mæcenas tunc à secretis Augusti silentium, & fidem voluit innuere. In annulo Seleuci anchora symbolum constantiæ, ac firmitatis. In annulo Arij re- 10

gis

gis Lacedemonum aquila complectens Draconem, & ferturhoc annulo obfignâsse Epistolam scriptam Oniæ Pontifici Hebræorum, cui significavit à se repertos annulos vetustissimos, in quibus origo Spartanorum referebatur ad Abrahæ abnepotes, ut narrat Josephus Hebr. *lib. 12. c. 2.* Frequentiùs tamen Ethnici Deos in annulis cælarunt, quos tunc coluerunt, quo pacto Cæsar cælari in suo annulo curavit *Venerem armatam.* Nero *Marsyæ* effigiem superati ab Apolline, & ad arborem excoriati. Plato in græco Epigram. meminit *Bacchi* in amethysto sculpti ad indicandum usum vini debere temperatum esse. Imò eos etiam Philosophos in annulis sculptos gestârunt, quorum ipsi sectam profiterentur, ut Stoici Zenonem, Academici Platonem, Peripatetici Aristotelem, Epicurei imaginem Epicuri. Propria etiam gentilitia stemmata annulis sigillaricijs insculpebantur; Galba siquidem Imperator suæ prosapiæ signa, seu *caput canis* sub ptora navis suo cælari curavit in annulo, qui mos etiam nostris viget temporibus. Quinimò etiam res præclarè gestas, præsertim principes bello victos, & captos, ut Lucullus Ptolemæum Regem, Sylla traditionem Jugurthæ, Alexander Macedo Darium. Nobiles Romani consueverunt etiam effigiem imperantis tunc Cæsaris suis sculpere in annulis, & iisdem tabulas obsignare. Primi verò Christiani referente Clemente Alexandrino *lib. 3. Padag. c. 11.* in sigillis effigiem sculpebant columbæ, aut piscis, aut navis, vel lyræ, aut anchoræ, aut Piscatoria ob Apostolorum memoriam.

11. Imò tanta fuit annulis reverentia adhibita, ut Plinius *lib. 33. c. 1.* asserat gravatis somno, vel morbo, ut etiam morientibus fuisse annulos detractos; & prodigijs accenseretur, quòd moriente Adriano Principe annulus ex ejus digito sua fuerit sponte lapsus, eo tempore quo Antoninum laudaret. Causa hujus reverentiæ annulis exhibendæ vetuit Tiberius Cæsar sub pœna extremi supplicij, ne quis annulos, ac nummos signatos icone non vulgaris argumenti, deferret ad lupanaria, latrinas, ac alia obscœna loca, Seneca *3. de Benef. c. 26.* refert, Paulum virum Prætorium accusatum fuisse, eò quia in convivio matulâ indigens, manum cum annulo, & imagine Tiberij eminente gemmâ obscœna vascula ad emittendam urinam admovisset. Quem tamen excusavit famulus extrahens hero ebrio annulum, ne crimen probari posset. Pœnam eidem capitis incurrebant Mystæ, & sacrificuli si victimam Numinibus immolassent priùs, quàm annulo Sacerdotij obsignâssent; hujus ritûs meminit Horus Apollo *lib. 1. Hieroglif.* referens Orygem unicornem feram ex genere silvestrium caprearum sigillo Deorum non debuisse signari; ne in possessionem Deorum bellua transcriberetur obscœna, quæ Symbolum habebatur impuri, ac scelesti animi. Mystæ victimis immolandis imprimentes sigillum *Sphragistæ*, hoc est sigillatores vocabantur: hujus annuli nota erat homo in genua provolutus, manibus revinctis cum gladio ad jugulum, eò quia bellua immolaretur loco hominis ad Numinis eludendam offensam.

A victimis, & publicis tabulis ad privatas, & Epistolas usus annuli sigillarij translatus fuit ad fidem adstruendam, ut innuit Symmachus *lib 2. Epist. 12.* inquiens: *Cupio cognoscere, an omnes obsignatas acceperis eo annulo, quo nomen meum magis intelligi, quàm legi promptum est.* Refert Gorrozius *de dictis mirabil.* Carolum Magnum non in annuli gemma, sed in gladij capulo sigillum habuisse, quo edicta, & leges obsignaret ratus ad gladium pertinere leges tueri, ac promulgare. Non fidei tantùm, sed & secreti Symbolum fuisse annulum sigillarium ex eo conjicitur, quod Alexander Macedo Hephestionis ori suum admoverit annulum sigillaricium, postquam Hephestio clam sublegerat Olympiæ Epistolam, monuit enim famulum sibi familiarem silentio arcana principis esse tegenda. Non solùm Epistolæ, sed etiam res fermè omnes familiares annulo obsignabantur sigillaricio, ut armaria, arcæ, horrea, penuaria, ut refert Clemens Alexandrinus *lib. 3. Pædagog. c. 11.* Huc etiam pertinet illud Plauti: *obsignate cellas, referte annulum ad me* & Plinius *lib. 33. c. 1.* loquens de hac obsignatione ait. *Quæ fuit illa Priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur? at nunc cibi quoque, & potus annulo vindicantur à rapina: hoc profecerunt mancipiorum legiones, & in domo turba externa.* Nostra verò ætas ut plurimum annulis non utitur sigillaricijs, sed nobili gemma splendentibus, præsertim nitido, ac pellucido adamante, quod difficulter scalpri patitur: ars tamen ejus duritiem vincit; & ego vidi inter reliquas gemmas Serenissimæ Archiducissæ Austriæ Mariæ Antoniæ Leopoldi I. filiæ adamantem, qui ex arte calvariam humani cadaveris referebat artificiosè elaboratam; scimus etiam Jacobum Trecciam Mediolanensem insignia gentilitia Philippi II. Hispaniarum Regis mira arte sculpsisse in adamante.

EXPENSIO IV.

De notis clandestinis.

NOn solùm per symbola, verùm etiam per notas clandestinas mentis conceptus, & animi sensa aperiuntur. Tarquinius nihil filio, qui apud Gabios erat, respondit; sed hortum perambulans virgâ, quam manu gestabat summa papaverum capita decussit; & filius intelligens mentem patris, prima urbis capita obtruncavit; Refert Clemens Alexandrinus *in Hierog.* Idaunthuram Scytharum regem eversionem, ac ultimum excidium interminantem Dario Istrum fluvium trajicienti dono eidem misisse murem, ranam, avem, jaculum, & aratrum, voluitque indicare, quòd nisi Persæ veluti mures terræ foramina, subirent, vel tanquam ranæ se aquis immergerent, occultarentque; vel ut aves aliò statim avolarent, minimè declinarent Scytharum jaculi, extremúmque excidium, & superstites famulitio 1.

mulitio pressi jugo ad stivam agerentur aratri.

2. Posterioribus itidem sæculis Buchardus Montmorentius, cum inconcussa pectoris firmitate, ac infracta animi constantia stetisset in acie, dum reliqui irruente hoste terga verterint, ac se fugæ dederint; ingressus postea aulam Philippi I. Regis Galliarum, apparuit coram Rege torquatus aureo monili cervinis compacto capitibus, ex quibus ante pectus canis penderet molossus: obstupuit Rex ad illam ornamenti novitatem; sed Regi sciscitanti respondit, per cervina capita eos indicari Proceres, qui fuerant in prælio timidi, & perinde ac cervi fugam accelerârunt cum ipse solus tanquam molossus steterit impavidus, ac fidelis ad Regis custodiam. Arrisit Regi novitas symboli, útque facti recordatio ad posteros transiret; Rex ordinem instituit militarem, cujus tessera esset torques ex capitibus intextus cervorum, quem molossus pendulus clauderet. Cromerus *lib. 6.* refert, Boleslaum Poloniæ Regem, ut timiditatem cujusdam proceri redargueret, eò quia in conflictu contra Russos ad Haliciam signa deserverat, ac terga hosti vertisset, pellem eidem misisse lepusculi, unà cum colo, & fuso in præmium pugnæ strenuè ab ipso ironicè pugnatam. Adeo vehemens fuit confusio, quæ hominem invasit, ut præ verecundia laqueo se suspenderit. Franciscus Marchesius Orator Genuensis Reipublicæ ad Galeacium Sfortiam Ducem Mediolanensem, cum iteratam fuisset repulsam à Duce passus, neque posset quidquam in favorem suæ Reipublicæ obtinere, misit eidem dum pranderet solemni apparatu cum suis proceribus in vase argenteo fasciculum ocymi, seu herbæ, quam Itali Basilicam vocant; donum insuetum admiratus Galeacius oratorem jussit accersiri, ut donum explicaret; cui orator: scias Dux Inclyte, herbæ hujus tale esse ingenium, ut mollius contrectata suaviter oleat, fragret gratior, secus duriusculè si atteratur, nimiúmque prematur fœteat, accidátque gravis obtrectanti. Genuentium naturam hanc æmulari herbam, si blandè, ac leniter tractentur amorem & obsequia spondent; sin verò duriùs, exasperari in damnum nimium prementis.

3. Ludicræ sunt, & quæ risum moveant illæ clandestinæ notæ, quæ pinguntur ad nomen aliquod significandum; ut Barbaram per barbam; & dimidiam ranam; quatenus ex nominibus utriusque figuræ extrahitur Barbara. *Barba* habetur in prima figura, & secundæ figuræ prima syllaba est *ra* quæ addita primæ voci habetur *Barbara*. Alius ad exprimendam Lucretiam amasiam, integram instituit venationem; pinxit *lucum*, & *retia*, quæ sylvam clauderent, si ex prima voce ultimas duas omittas literulas, & primas nectas cum postrema voce *retia* habetur *Lucretia*. Non nemo quærenti cur amicitiæ renunciasset, pro responsione transmisit unionem gemmam, & pronubum annulum, sed bifariam fractum. Unio gemma seu Margaritum ab Italis *Perla* vernaculè dicitur. Annulus nuptialis symbolum est *fidei* conjugalis ob copulatas conjugum in eo dexteras; & perinde fuit ac si diceret *Per la fede rotta* seu ab amicitia recessi ob fidem a te non servatam.

Annibal Carus multiplici eruditione clarus cuidam nummato rustico petenti stemma nobilium, respondit tria eidem congruere ruralia, nempe granum frumenti, vitem, & pyrum, eò quia ex hisce tribus pecunias sibi comparavit: sed si illa tria nomina simul nectantur italicè sonant *gran vitupero*; unde responsio Annibalis Cari fuit, grande esse vituperium à viro rustico stemma peti nobilitatis, cui manus ad ligonem abcalluerint. Didacus de Gusman significaturus negorium à se susceptum, & inchoatum non fluere ad votum pinxit, herbam malvam, & ab Italis dicitur Malva, cujus syllabæ si separentur sonant Italicè *Mal va*, hoc est, res non bene se habet, & malè cedit. 4

Miscentur interdum literæ solitariæ integris vocibus, idque præstitit in comœdia Pantomimus illudens Thrasoni aucupanti ex re qualibet vanam gloriolam, ac sesqui-Herculem agenti; obtulit enim insignia, in quibus pictor delineavit canem, currum, seu plaustrum con litera T. & vineam, quorum nomina si conjungantur hanc indicant imprecationem, quæ Italicè sonat *cancar te vegna:* seu cancer morbus te torqueat. Procus cum deperiret puellam, cui nomen erat Margarita, suum in eam testaturus affectum dono eidem dedit in disco notato littera T unionem gemmam, & soleam calcei, & ita Italicè compellabat *Margarita Te sola di cor amo*, seu Margarita te solam ex corde amo; quia solea coriacea Italicè dicitur sola di coramo. Plura alia id genus puerilia circumferuntur, quæ cum à veris recedant symbolis satiùs omittuntur. 5.

Clandestinæ notæ habentur etiam quando loco atramenti utimur succo aliquo, quo exsiccato nil prorsus scripturæ appareat in papyro; hujus artificij meminit Ovidius inquiens 6.

Tuta quoque est, fallitque oculos è lacte recenti
Littera: carbonis pollue tange; leges.

Succus loco atramenti adhibendus, est lac Tithymali, seu herbæ lactariæ, quæ & lactuca caprina dicitur: ait Plinius lib. 26. c. 8. *Narrant lacte ejus inscripto corpore, cum inaruerit, si cinis inspergatur apparere literas: & ita quidem alloqui maluerunt, quàm codicillis.* Pari pacto si alumen aquâ resolvatur, & papyrus inscribatur, postquam characteres inaruerint, nullæ apparent notæ; sed ubi intrà purum laticem immaduerint tota scriptura fit conspicua. Sin verò succum pomi citrij, aut medici, vel etiam cæpæ adhibeas instar atramenti si ad ignem scriptum folium calefeceris, fiunt literæ conspicuæ, quæ antea non apparebant. Omnes ferè succi acres adhibiti loco atramenti hoc idem præstant, ut etiam succus uvæ acerbæ, ejus tamen scriptura igne calefacta eum refert colorem, quem uva maturior in vite habuisset, sin verò scriptura sale Ammoniaco aquæ mixto fiat, ad ignem nigros repræsentat characteres. 7.

8\. Aliquando scriptura erat tota conspicua, & aperta, sed locum, & potestatem unius literæ occupabat alia, & loco a ponebatur c. vel alia, adeo ut sensum scripturæ is tantùm legeret, cui hæc transpositio literarum innotuit; hujusmodi notæ clandestinæ repertæ fuerant in libris Epistolarum Cai Cæsaris ad Cajum Oppium, & Balbum Cornelium procurantem res ipsius absentis: ea autem erat tessera, ut locum primæ literæ occuparet quarta, & sic deinceps, ac successivè locum secundæ quinta, tertiæ sexta in hunc modum

a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z
d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c

9\. Unde si Cajus Cæsar scripsisset per has notas *erimus victores* posuisset *hunpzx znfyruhx*. Possunt & alio modo inverti literæ alphabeti prout magis libuerit. Imò loco unius literæ sumi potest integrum verbum, adeout unicum verbum totidem contineat verba quot literæ. Tunc sumuntur viginti tria verba, quorum cuilibet respondeat una ex literis alphabeti. Minori etiam labore adhibentur notæ clandestinæ si schema duplex paretur cum intercisis spatijs in qualibet linea, majora vel minora, ex æquo tamen, ut simillimum schema utrumque sit, ut is qui scribit unum retineat apud se; & alterum amico abeunti extradat; & cum occasio se dederit scribendi schema membranæ, vel paginæ superponitur, & ubi abscissa intervalla papyrum ostendunt, ibi ea scribuntur, quæ legi ab amico debent. Alia spatia sublato schemate supplentur alijs verbis, quæ diversam referant sententiam.

10\. Modi loquendi tempore belli obsessis in aliqua arce ab ijs, qui foris sunt, varij etiam antiquitùs usurpabantur, frequentiores teste Suida erant per accensas faces ex lignis piceis, quas si socij advenirent faces ostentabant quietas; sin verò ingruerent hostes, easdem quaterent, & agitarent. Usitatum etiam fuit, ait Vegetius, ut quando erant legiones separatæ significaretur per diem fumo, & per noctem flammâ; & etiamnum moris est, ut per singula litora maris Tyrrheni sub noctis crepusculum flammâ significetur, si naves Turcicæ, vel Piratæ marinos illos trajiciant tractus. Sunt enim certis spatij intervallis per totum illud litus constructæ turres, in quibus custodes vigilias noctis agunt, & si qua navis Turcica visa fuerit flammam accendunt, & si plures fuerint per repetitas vices ostendunt, & occultant flammam, seu facem accensam juxta numerum navium.

11\. Ad declinandum laborem scribendi per notas clandestinas, ne literis interceptis consilia paterent hostibus, scimus fuisse antiquitùs aves accersitas tabellarias, ut per aëra volitantes nuntij obsessis intra urbis, vel arcis mœnia fideliter Epistolas deferrent; hac industriâ liquet, Hircium consulem scripsisse ad Decium Brutum, dum is ab Antonio Mutina obsideretur: hinc Plinius: *Nihil vallum, & vigil obsidio, atque retia amne prætensa profuere Antonio per cœlum eunte nuntio.* Sed obsidentibus Christianis Tyrum, ut refert Justus Lipsius, vel ut malunt alij Ptolemaidem, obsidentes avem interceperunt cum Epistola ad pedes alligata a quâ Galadinus obsessos hortabatur ad constanter propugnandam urbem, eò quia suppetiæ jam essent paratæ. Christiani verò contrarium scripserant nimirum hostium vires prævalere, nec ullam affulgere spem sufficientis subsidij, idque causa fuit, quòd obsessi desperatis auxiliis urbis deditionem exhibuerint Christianis, ne ferro, & igne omnes perirent. Columbæ præsertim deferendis hisce Epistolis assuescunt; & Varro refert, moris olim fuisse quò patres familias ituri per urbis plateas solerent secum domesticos secum deferre columbas, quas ut nuntias domum cum tabellis remitterent, ut indicarent domesticis, quid esset agendum.

Non solùm columbæ adhibebantur tabellariæ, verùm etiam aliæ aves cicures. 12. Marrhes Rex Ægypti cornicem habuit, quâ ut fideli tabellaria uteretur, & ob servitia præstita demortuam curavit honorificè sepeliri. Hirundines etiam fuisse instructas, ut codicillos, & schedas deferrent referunt plures. Interdum fuerunt etiam in urbem obsessam vibratæ sagittæ cum hisce schedis, miles enim cæteris audacior occultè castra obsidentium penetrabat ad talem ab urbe distantiam, ut in eam posset sagittam emittere: Cleomenes Lacedæmonum Rex suis imperavit militibus, ut tela conjicerent ad socios obsessos cum hac epigraphe *Venio ut urbem afferam in libertatem.* Non aves tantùm tabellariæ fuerunt, sed etiam ipsi canes tabellarij officio fideliter funguntur: narrat Justus Lipsius canem fuisse Lovanij, qui Epistolas sui Domini cursim inde Bruxellas perferret, & responsum eodem die referret. Quinimo codicilli in ipsa etiam humana viscera reconduntur, ne ab hostibus intercipiantur, tutiùsque ad destinatum locum deferantur. Sunt ex medicæ artis peritis, qui ad curandum volvuli morbum deglutiendos æreos globulos præscribunt, ut transmissi in alvum viscerum internodia solvant, & ubi lethalis morbus ilia restringit, evolvant suo pondere. Fama est in obsidione Rupellæ hujusmodi globulos argenteos fuisse ita aptatos, ut in duas partes possent aperiri, & intus facilè includi codicillus, & unum ex hisce globulis fuisse cuidam Juveni extraditum, & ab eodem deglutitum, eique injunctum, ut cum primùm pervenisset ad socios pharmacum hauriret, quo globulum deglutitum egereret, & Epistolam eximeret socijs tradendam.

EXPEN-

EXPENSIO V.

De Hieroglyphicis.

1. Hieroglyphicorum ratio usurpata præsertim fuit ab Ægyptijs, qui imaginibus delectati, animi sui sensa per rerum figuras, quæ blandiùs sub sensus caderent exteriores expresserunt, alijsque communicârunt; non solùm per has figuras internos mentis conceptus, sed etiam res ipsas, quæ sensu minimè percipiuntur non absque eruditionis ad blandiente involucro indicârunt: etenim volentes significare Deum, seu ens summum, quod sit supra omnia; non dixerunt esse mentem, quæ naturam universam moderetur, moveat, ac regat; sed pingi curârunt oculum, cui regale sceptrum substituerunt; ut per sceptrum oculatum intelligerent populi, Deo regiam inesse dignitatem, & omnia videre, ac esse illi plenissimè explorata. Sceptrum regiæ dignitatis est symbolum; & oculus adapertus vigilantiæ. Cœlum expressuri aspidem delineârunt, eò quòd in circulum feratur; & serpens multis voluminibus flexuosus temporum circulos repræsentavit. Anastasius Synaita *lib.* 1. *Hexamer. sub finem* ait, consuevisse Ægyptios suis in pyramidibus hæc sculpere hieroglyphica inquiens *Ægyptij sacra quadam ratione draconem in circulum revolutum, ac sibi caudam mordentem sculpserunt in pyramidibus, æternam, & individuam circumactionem divinarum rerum significantes.*

2. Magno igitur fuit Ægyptijs in pretio hæc de symbolis scientia, quam figurarum monumentis suis voluerunt in pyramidibus perennare. Duplex ex Clemente Alexandrino *lib.* 1. *Strom.* fuit Ægyptiorum scientia popularis una, hæcque aperta, ac omnibus exposita, ut Geometria, Astrologia, Arithmetica, Musica, & aliæ id genus facultates. Altera fuit arcana, & sacra hieroglyphica, quâ per symbola gravissima Theologiæ, Physiologiæ, ac Politicæ facultatis dogmata, & mysteria per oculos blandiùs, quàm per aures populos edocerent.

3. Hanc Hieroglyphicam scientiam callebant præsertim Sacerdotes, quorum munus erat alios divina edocere mysteria. Hinc populus in ea versabatur opinione, ut existimaverit, cœlestem quandam virtutem hieroglyphicæ inesse scientiæ, quæ Sacerdotes illuminaret divinis incumbentes; ut discussa ignorantiæ caligine, tenebrisque inscitiæ depulsis ad intelligentiam sacrorum mysteriorum, rerúmque sensus fugientium exteriores perducerent. Et ne hujusmodi arcanorum symbola memoriâ exciderent in operosis obeliscorum, ac pyramidum molitionibus, ut & in templorum valuis, vel marmore insculpta, vel ære fusa voluerunt, quò diutiùs perennarent, ut refert S. Cyrillus Alexandrinus adversus Julianum, disputans enim de Moysis figuris, ait: fuisse apud Ægyptios quosdam ænigmatum magna industria, & gravitate præditos, quos illi Hieroglyphos vocant, qui templis & obelisci notas insculpebant non vulgaribus utentes literis, sed alijs figuris rerum naturas effingentes. Huc spectant Lucani carmina

Nondum flumineos Memphis contexere libros
Noverat, in saxis tantùm vol cresque, feræque
Sculptáque servabant magicas animalia linguas.

4. Hæc hieroglyphicorum scientia ab Ægyptijs in alias postea fusè, latéque manavit gentes. Scythæ siquidem hisce delectari figuris cæperunt; & ipsi per involucra hieroglyphicorum non solùm animi sensa, verum & res omnes, quæ sub sensus non cadunt, repræsentare. Neque hæc ratio Hieroglyphicorum populos latuit septentrionales, de quibus ait Olaus Magnus lib. 1. c. 21. *Nonnulli pro privatis computis instar Ægyptiorum varijs animalium figuris pro literis utebantur.*

5. Comprehenditur Hieroglyphicum veluti species sub genere symboli, quod procul dubio latiùs patet; est enim symbolum genere è signum sensibile rei animo conceptæ, hinc tesseræ hospitales, militares, quarum usus præsertim viget in castris, & theatrales, vocantur symbola, collatio itidem convivarum, ut & annuli pronubi symbola dicuntur, ut etiam pleraque alia, quæ dari solent loco arrhæ; hæc omnia symbola vocabantur, quia essent mentis, voluntatis, ac stipulationis signa, simúlque essent conjecta, & collata.

6. Hieroglyphica igitur propriè sumpta; *sunt imagines figuratæ, ex quacunque re creata ad quamcunque aliam ex instituto significandam desumptæ,* non tamen quæcunque imago figurata est Hieroglyphicum, sed ea tantùm, quæ ob aliquam similitudinem, ac proportionem ex instituto assumpta est ad rem aliam significandam, ut liquet ex hieroglyphicis Hori Apollinis Niliaci, qui hieroglyphica Ægyptiorum congessit apud Caussinum, quorum selectiora hîc subjicio. Ægyptij expressuri *Ævum* solem pingebant, & lunam, eò quia sint elementa æterna. Vel etiam serpentem in circulum revolutum, & caudam sibi mordentem, eò quia circulus carens principio, & fine symbolum sit æternitatis. *Mundum*, itidem exprimebant per pictum, vel sculptum serpentem varijs tamen interdistinctum squamis, quibus cœlum pluribus coruscum stellis indicarent; serpens itidem suam ipsius caudam rodens sphæram describebat, eò quia sit mundi figura sphœrica. *Martem* & *Venerem* repræsentabant per duas cornices marem, & fœminam, eò quia hæc avis gemina pariat ova, ex quibus mas, & fœmina gignuntur. *Vulcanum* indicabant per Scarabœum, & vulturem.

7. *Terrarum orbem* per Cynocephalum erecta cervice sursum aspicientem; ut etiam lunam, eò quia tempore quo luna cum sole congrediens suo destituitur lumine Cynocephalus nec aspicit, neque vescitur; sed demisso in terram vultu indignabundus veluti lunæ raptum videtur lugere. *Duo Æquinoctia* itidem per Cynocephalum innuebant; eò quia hoc animal in anni æquinoctijs duodecies die, seu singulis horis diurnis, & nocturnis urinam emittat, & pingebatur Cynocephalus sedens, quia tempore

æquinoctij dies & noctes sint duratione æquales. *Iram* repræsentabant per leonem, eò quia pupillas habeat ignitas. *Solem* per leoninum caput, eò quia hoc sit rotundum, pilisque sparsum, veluti radijs solis, cujus figura est itidem sphœrica. Ejusdem leonis per anteriora membra *robur* notabant; eò quia in leone hæc membra sint reliquis robustiora, & valentiora. *Vigilantiam* itidem per leonem oculis indormientem apertis. *Sermonem* per linguam, & subcruentum oculum, quia primas sermonis partes linguæ tribuebant, secundas oculis, seu menti. *Silentium* per numerum M. XCV. eo quia hic numerus sit triennij, si annus constituatur ex trecentis sexaginta quinque diebus, intra quod tempus nisi infans loquatur, lingoa creditur præpeditus. *Cor* per Ibin, quia hoc animal Mercurio erat sacrum præsidi, ac moderatori cordis, ac rationis. Mercurio Ibim dicârunt Ægyptij, eò quia Mercurius in pugna gigantum fingitur latuisse sub Ibidis alis, ut refert Ovidius *Metamorph* *Eloquentiam* per cœlum, à quo diffluant roseidi imbres; qui sicut ros decidens in omnes diffunditur plantas, ex quibus tamen eas tantùm emollit, quæ talis sont naturæ, ut molliri possint; non alias, quæ suapte natura præduræ sunt: ita eloquentia, & doctrina ad omnes quidem pertingit homines, sed illos tantùm erudit, qui felici nati sunt ingenio.

8. *Pudicitiam* innuentes pingebant ignem, & aquam; eo quia his elementis omnis lustratio fieret, & expiatio. *Impudentiam* repræsentabant per muscam, eò quia hæc pluries, vel manu, vel flabello abacta, adhuc molestior accedit. *Cognitionem* per formicam, quia si quid homo tuto occultaverit hæc cognoscit; & quia præscia futuri annonam ad victum sibi in hyemem congerit, nec aberrat à loco ubi cibum condidit. *Imprudentiam* per pictum, vel sculptum pelicanum, quia hæc avis cum possit in locis editioribus ova reponere, id negligit, & defossâ terrâ, illic pullos collocat, quos ubi deprehenderint venatores, locum illum arescente bovis stercore circumliniunt, cui & ignem subjiciunt. Pelicanus superveniens videns fumum satagit alarum flabello eum extinguere, sed ea agitatione accendit, & conflagratis alis facilè ab aucupibus capitur. *Gratum animum* per Cucupham, eò quia ex mutis animalibus solum hoc genitoribus, à quibus fuerat educatum paria referri beneficia, & eodem in loco, quo ab eis fuerat hæc avis enutrita nidum genitoribus construit, & eorum pennis avulsis cibum suppeditat, donec renatis plumis, possint sibi consulere.

9. *Ingratitudinem* per geminos ungues equi fluviatilis deorsum vergentes, eò quia hoc animal cum ad floridam pervenit ætatem cum proprio genitore pugnat, ac periculum facit, an præpolleat: quod si pater cesserit eum matre connubium contrahit. *Tenebras* per Crocodili caudam, eò quia non aliter ad exitium, ac internecionem pertrahat Crocodilus quodcunque apprehenderit animal, nisi caudâ prius cæsum reddiderit invalidum. In cauda enim est præcipua Crocodili vis, ac robur. *Virum bonum* per cor hominis faucibus appensum, eò quia nonnisi ex corde loquatur. *Febrim* in homine malè valente per florem anemonem; eò quia flos iste dicatur tertianis, quartanisque esse remedio. *Concordiam* per duos homines insignibus ornatos Magistratûs. *Vitam longam* per cervum, cui quot annis cornua renascuntur. *Mulierem viduam* ita perseverantem usque ad mortem per columbam nigram; quia columba quamdiu vidua est alteri mari non jungitur. *Hominem invalidum*, qui sibi per se nequeat opem ferre per Ichneumonem: hic enim conspicatus serpentem, non statim in eum irruit, sed vocatis priùs clamore alijs, & postea resistit. *Hostem cum pari inimico congredientem* per scorpium, & Crocodilum, eo quia uterque alteri mutuum affert exitium, odiùmque fovet inextinguibile. *Musicum senio confectum* indicavit Cycnus, quia senescens, & in vitæ extremo suavissimum edit cantum.

Mulierem sterilem mula repræsentabat, eò 10. quia natura sit infœcunda. *Mulierem abortientem* equa lupum conculcans, quia equa si lupum conculcet dicitur abortum facere; ut etiam si lupi vestigia calcaverit dicitur statim fœtum edere immaturum. *Hominem tutò urbem incolentem* aquila lapidem ungue gestans. Dicitur aquila è maris litore sublatum lapidem ad suum ferre nidum, quò tutior, ac firmior sit. *Hominem imbecillem, & audaciùs aliquid supra vires molientem* vespertilio, quia licèt alis destituatur volare tamen adnititur. *Virum voluptatibus captum* turtur, quia hæc avis tibia & saltatione dicitur capi. *Hominem sacris ceremonijs addictum* cicada, quia hæc non ore, sed dorso sonum edit. *Principem solitarium, & exercentem justitiam* aquila, quia hæc in locis desertis nidum sibi construit, & cæteris volucribus evolat sublimiùs. *Hominem in proprios parentes studiosum* Ciconia; quia hæc à parentibus enutrita nunquam ab ipsis sejungitur, sed ad extremum usque senium ijsdem debitam rependit observantiam. *Filium matri ingratum, eique insidiantem* vipera, quam mater dum parit, perit; non enim in lucem editur vipera nisi discecto, diruptóque matris utero. *Hominem cæcum* talpa, quia oculis caret. *Hominem sibi damnum inferentem, ac fabrum proprij detrimenti* Castor, quia cum videt se venatione peti, proprios testes avulsos in prædam objicit venatoribus.

Hominem acutiùs cæteris audientem, capra, 11. quæ & naribus, & auribus respirat, & excellet auditu. Hominem victum ab inferiore, ac invalidiore innuebant geminæ pelles, hyænæ una, altera pardi: hæ pelles si simul junguntur, pellis pardi pilos abjicit, non ita pellis hyænæ. *Hominem ex improviso trepidantem, & ad quodvis discrimen timore correptum*, lupus eum lapide; quia lupus licèt non timeat ferrum, neque virgam, lapidem tamen expavescit; & si quis lapidem in eum jecerit consternatus illicò deprehenditur, & ubi lapis illi vulnus inflixerit, enasci, ac ebullire ibi solent vermes. Sed Gernerus refert, tympanistem in itinere venientem ad se lupum frustra lapidibus impetivisse.

viſſe, neque potuiſſe ſaxorum jactu eum abigere; ſed ubi tympanum pulſavit, & ſtrepitus tympani increbuit ſtatim procul à ſe expulit. *Hominem per toleratas adverſitates factum modeſtiorem* taurus caprifico revinctus, quia tunc miteſcit. *Hominem rapacem, ac inertem* Crocodilus plumas Ibis in capite geſtans: quia ſi Crocodilus Ibis pennam tetigerit hæret immobilis.

12. *Mulierem ſemel tantùm enixam* Jæna, quia hæc bis uterum non fert. Sed Ariſtoteles id putat commentum eſſe Ægyptiorum. *Hominem citò, ſed inconſultò agentem* cervus cum vipera, quia ſi hanc ille viderit præcipiti dat ſe illicò fugæ. Sed id etiam cenſetur fabula, & Gernerus aſſerit, viperas à cervis capi, ac interimi. *Hominem mortis memorem, & curantem ſibi ſepulchrum conſtrui* Elephas proprios dentes defodiens, ubi enim dentes exciderint, factâ ſcrobe in terram condit. *Hominem aſſentationibus deceptum* cervus cum tibicine; quia cervus audiens canentium modulatum, ingenti demulcetur voluptate, & tacitè in venatorum caſſes incidit. *Copioſam vindemiam* upupa, quia hæc ſi in vineis cecinerit vini præſagit abundantiam.

13. *Senem præ fame morientem* Aquila roſtro adunco. Aquilæ feneſcenti aduncum fit roſtrum, & non valens eſcas rapere, inedia perit. *Hominem inopem dimittentem proprios filios è domo, quos potis non eſt alere* accipiter prægnans Is tria dicitur ova parere, ex quibus unicum, quod foveat, ac nutriat seligit, reliquis duobus fractis. *Hominem viſu acutum, ſed impudentem* rana, quæ tantùm in oculis ſanguinem habet; & hoc reſperſi ſanguine dicuntur impudentes fieri. *Hominem cæteris infeſtum, & cum nullo ſocietatem ineuntem* Anguilla; hæc enim cum nullo alio piſce commercium habet. *Hominem ſe ipſum non curantem, ſed qui ab aliis curetur*, oſtreum & cancer carni oſtrei velut agglutinatus. Oſtreum in concha eſuriens hiat, ſed ſi piſciculus aliquis irrepſerit, mordet cancer ungula oſtreum quod ſtatim concham claudit, & piſciculum capit. *Hominem* ingluviei deditum Scarus; quia is ſolus ex piſcibus ruminat, omnes occurſantes piſciculos devorat. *Hominem cum exteris commercia, ac ſocietatem, ac amicitiam nectentem, ac foventem* Muræna, quæ è maris fluctibus exiens campos petit, ubi cum viperis miſcetur; & iterum in mare recurrit. *Homicidam ſui ſceleris pœnas luentem* Paſtinaca piſcis hamo implicata; hæc capta ſpinam, quam in cauda habet abjicit Dioſcor. *lib. 2. c. 22.*

14. *Hominem proprias pecunias abligurientem, & alienas decoquentem* polypus, qui ſi victu aliunde quæſito indiguerit propria edit flagella. *Hominem vafrum hoſtiles inſidias declinantem* ſepia piſcis, qui ſi viderit à quopiam ſibi inſidias ſtrui, nigerrimum ex alvo effundit ſanguinem in aquam, quæ fit & ipſa nigra, & ſepia non ampliùs conſpicua manus evadit inſidiantium. *Judicem probum jus ſuum omnibus impertientem*, Struthio-Cameli penna; quia hoc animal pennas alarum æquales habet. Hactenus receniſita hieroglyphica placuit apud Cauſſinum ex Horo Apolline decerpſiſſe, qui plura deſiderat legat librum formularum ſpiritualis intelligentiæ S. Eucherij, quem Sandæus in ſuam tranſtulit Theologiam Symbolicam, Pierium, Kircherium.

EXPENSIO VI.

De fonte, ex quo pellucidi hieroglyphicorum latices ſcaturiunt.

QUemadmodum tota ars Symbolica unicæ innititur metaphoræ proportionis, in 1.
qua fundatur; ita hieroglyphica veluti rivuli ab hoc fonte dimanant; eſt metaphora proportionis, quâ plura in aliqua conveniunt ratione, ut lacrymæ, & guttæ pluviæ in figura, & fluxibilitate; cœli ſplendentia ſidera, & vernantes in terris roſæ; & quia juxta principium geometricum, quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe, ſequitur, unum extremum notitiam ingerere alterius connexi beneficio metaphoræ proportionis. Equus à lupino dente læſus fit generoſior, ac valentior; & quia vir probus, & patiens adverſitatum tolerantiâ perficitur, equo pariatur, qui à lupo læſus fit valetudine proſperior; per hanc igitur metaphoram proportionis potes ſymbolicè virum probum patienter adverſa, & præſertim ægritudines tolerantem repræſentare per equum generoſum, quem lupus in pede mordeat. Quia roſa odore, & colore placet, ſed ſpinis cruentat, dicit proportionem cum mundi voluptate, quæ arridet corpori, & nocet animæ, quam & lethaliter vulnerat. Teſtudo tardo incedens gradu, ſed tutè procedens habet proportionem cum viro prudente, ac humili, qui per teſtudinem ſignificatur. Ignis in flammam accenſus ſi modica aqua inſpergatur, magis accenditur, & ſplendet clarior, proportionem refert ad cultorem virtutum, quem contraria uberius illuſtrant. Virum egregiis dotibus cumulatum, & animo demiſſum, ac humilem per metaphoram proportionis prodit ſpica flaveſcens, ac incurvata, quia optimis plena granis. Virum conſtantem ac imperterritum, quem ærumnæ perficiunt, & cui adverſa ſunt virtutis exercitio, non exitio indicat asbeſthinum linum, quod inter flammas non uritur, nec quidquam patitur detrimenti, quin ſordes, & maculas quas contraxerat abſtergit, ac purius & defœcatius inde evadit. Qui aliis ſtudent prodeſſe, & nulli obeſſe per hanc metaphoram proportionis ſymbolicè innuuntur per aves Seleucides, quæ in Caſpiis montibus locuſtas abigunt à ſegete, cui alioquin detrimentum adferrent cum damno incolarum.

Hac arte animi noſtri ſenſa expeditiùs 2.
communicamus, ac blandiùs abſque labore, imò & cum quadam voluptatis illecebra alios erudimus; & Deus ipſe per has ſenſibiles figuras homines veluti per linguas diſertiores homines edocuit, ut Patriarcham Jacob per ſca-

lam; Moysem per rubum ardentem; Israelitas per columnam; Apostolos per linguas ignitas è summo cœlo in terram delapsas: idque forteſſis cauſæ, cur figuræ rerum ſenſibilium certiùs perfectiùſque animum ſubeunt, quàm voces, quia ut ſcitè Horatius

Segnius irritant animos demiſſa per aures;
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

3. Res enim cum naturam non mutent, minimè ſunt ſalſiteti obnoxiæ, niſi perperam fuerint intellectæ: ſecus verbe perſæpe mentiuntur, facilè effluunt, & cum minus expenſa fuerint per aëre evaneſcunt, & vento rapiuntur. Ad hanc autem de rebus nos erudientibus formendam imaginem, neceſſe eſt, ut res imaginibus expreſſæ eliquam cum rebus ſignificatis præſeſerent ſimilitudinem, quâ ſenſum blandiùs afficiant, & animo eltiùs, firmiúſque inſideant. Ars enim memorandi, quam Cicero fuerat profeſſus ſolis nitebatur imaginibus, ait lib. 2. partit. *Imagines notæ ſunt, quibus quæ diſcenda ſunt notamus, ut locis pro cera, ſimulacris pro literis utamur:* pro literis Citero ad juvandam memoriam imagines uſurpavit, quod ante ipſum præſtiterunt Ægyptij, de quibus Diodorus Siculus lib. 3. Hiſtor. *Apud Ægyptios ars literalia non compoſitione ſyllabarum, ſed deſcriptarum imaginum ſignificatu, & translatione per excitationem memoriæ inſculpta ſubjectam orationem exprimit, & abſolvit.* Non tamen quælibet imago apte eſt enimis erudiendis, ſed illæ, quæ in metaphore ſundantur proportionis, & aliquam cum rebus ſignificatis præſeferunt ſimilitudinem; quo pacto echinus terreſtris ſignificat ducem contre adverſarios armatum; quie ſi echinus à canibus impetitus ſuos exetit dumos, quibus ſe defendit à morſu; Dux etiam proprijs armis ſe ſuóſque tuetur contra hoſtes irruentes. Formica virum providum, ac labore infractum.

4. Scarabeus hominem in cœno involutum vitiorum. Simia morionem motes aliorum imitantem. Canis ſervum fidelem heri ſuo. Cervus ad pellucidos currens fontis latices virum aſcetam ſitientem Deum fontem aquæ vivæ.

5. Elephas ſuis viribus pollens, principem cæteris præpotentem.

6. Aſinus ſtupidum, tardúmque ad operandum. Ovis manſuetum, & innocentem. Leo magnanimum, ac generoſum. Aries rivelem, Venereum, procum. Lupus rapacem furem, & edacem, ganæonem: Capra virum auditu alios præcellentem.

7. Lynx acutiſſimum obtutum. Tigris ſævum, & crudelem. Lepus quia oculis indormit apertis vigilantem. Camelus oneribus ferendis aſſuetus virum, qui laboribus incalluerit. Mulus nothum, & inſœcundum, probro laborantem ſterilitatis. Lepus fugiens virum timidum, ac trepidantem. Vulpes callidum, ac doloſum. Talpa corpore cæcutientem, vel animo heberem. Felis terra inſepeliens proprium excrementum virum turpitudinis diſſimulatorem.

Salamadra ab igne circumfuſo non læſa, 8.
hominem in adverſitatibus conſtantem. Scorpius malignum cupientem alijs nocere. Caduceus concordiam, pacem, ac felicitatem. Vipera uxorem inimicam marito.

Baſiliſcus hoſtem eminus, ac ſubdolè no- 9.
centem. Speculum hominem omnibus fidelem; quia ſpeculum eſt cunctis æquè fidum repræſentans objecta qualia in ſe ſunt. Mus Armenius intaminatam munditiam; Hic mus villis conveſtitus candidis adeo cordi habet hanc pellis ſuæ divitem ſupellectilem, ut cubilis oſtiolum ſi limo reſperſum ſit à venatoribus non egrediatur, ne meculas contrahet, & mavult mori, quàm fœdari. Anſer ovis ſuis incubans, virum, qui rebus ſuis intentus non ſe immiſcet alienis. Alaude repertâ in terris eſcâ ſurſum rectà avolans arguto modulamine, virum probum ex ſuſceptis beneficijs gratias Deo rependentem. Muſtela pugnatura cum veneneto ſerpente ruta ſe muniens, virum qui prudentia, & virtute magis, quàm vi hoſtem ſuperat. Grus altero pede ſuſpenſo lapillum tenens ducem in caſtris vigilem. Cucupha gratum animum. Ibis inefficaciam voti.

Ciconia pietatem. Caput Meduſæ terro- 10.
rem. Hydra proſtrata, & interfecta cum clava Herculis vitium à virtute edomitum. Phœnix carnis reſurrectionem, & anni inſtaurationem. Pelicanus amorem patris in filios. Noctua vanæ ſapientiæ ſtudium. Cornix maritalem Capulum. Columba continentiam vidualem. Turtur caſtitatem conjugalem. Pſittecus vanam eloquentiam. Corvus ignominioſam repulſam. Pavo ſuperbiam. Anſer cuſtodiem. Apis Poëſim amœnam. Culex animi afflictionem. Muſca importunitatem, & pertinaciam. Cicada vanam garrulitatem. Polypus militem victoriâ uti neſcium. Teſtudo ſegnitiem. Locuſta ſeditionem; Cochlea terrenis addictum. Rana inverecundum. Remora impedimentum. Vides hactenus recenſitas figuras fundari in metaphora proportionis; & eliquam præſeſerre ſimilitudinem cum rebus ſignificatis; & hieroglyphicum hac una conſtare figura indicante apud peritos rem aliam ſignificatam, & per hoc differre ab emblemate, & Phrenoſchemate; quie illud præter figuram includit ſententiem, & carmina explicantia apodoſim, vel documentum morale. Phrenoſchema præter figurem includit lemma, ſeu hemiſtichium; & Jeroglyphicum ſolam figuram ſine lemmate, & carmine.

EXPENSIO VII.

Cur figuræ rerum sensibilium præseferentes similitudinem cum rebus significatis plurimum in hieroglyphicis habeant aucupij, ac ponderis ad persuadendum.

1. QUia quod articulata vox exprimit sono, vel literis scriptura declarat; id ipsum rerum sensibilium imaginibus, ac figuris beneficio metaphoræ proportionis oculis exhibetur aspicientium, blandiúsque animum subit; disquirendum superest, undénam oriatur hoc animi blandimentum. Vespasianus recèns ad imperium promotus lustránsque Ægyptum dixit pro concione teste Philostrato *lib. 5. c. 10.* in vita Apollonij *Haurite ex me tanquam ex Nilo.* Moris fuit, ut Ægyptij non cœlum respicerent, sed Nilum prodromum ubertatis; ac copiosæ annonæ, & innuit, se in id incubiturum studij, ut populo annonæ ubertas non esset unquam defutura, qua oratione nil potuisset in aures & animos blandiùs influere, nil benignius mentem erigere in spem concupitæ felicitatis.

2. Totum illicium hujus orationis à figura, seu imagine fluvij Nili effluxit, qui si aquis redundaret uberem spondebat annonæ messem. Si Imperator simpliciter cerum promisisset abundantiam, non ita blandè populum allexisset, sed quia imaginem exhibuit Nili, blandius subditorum animos ejus subijt sponsio; quia proprium est Nili uberes rivos annúmque feracem Ægyptijs advehere: & referente Agricola *lib. 1. de Invent. cap. 24.* quidam Philosophus interrogatus quid vita hominis esset, nullum protulit verbum, sed in gyrum se agens illicò se abscondit, innuens perbrevem esse orationem, quæ statim absolvitur, ac cessat. Alij per imagines bullæ, candelæ absumptæ, herbæ solstitialis, quæ cito exarescit, floris languescentis, vasis testacei, vitreique confracti, clepsydræ evacuatæ, umbræ inanis, fumi sursum avolantis, & oculos fugientis, blandius quid sit vita hominis expresserunt, altiúsque menti impresserunt, quàm si prolatis verbis dixissent hominis vitam esse brevem, & intra paucos finiri annos.

3. Quòd si per verba nonnisi præsentibus loqoimur; per rerum sensibilium objectas imagines non solùm præsentibus, verùm etiam absentibus, ac dissitis animi nostri sensa expeditiùs communicamus, ut excitatis per noctem ignibus, & per diem fumo. Et Romani olim in bello victores suos triumphos posteritati voluerunt enarratos per erecta trophæorum, & arcuum insignia, per hastilia in atrijs defixa, & per hostilia spolia successoribus relicta.

4. Duæ sunt imaginum species aliæ corporum, animorum aliæ, quarum meminit Plinius *lib. 35. c. 2.* ubi ex neglectu imaginum infert bonas artes Romæ intercidisse inquiens. *Artes desidia perdidit; & quoniam animorum imagines non sunt, negligunt etiam corporum. Aliter apud majores: in atrijs hæ erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra, & marmora: expressi cerâ vultus singulis disponebantur armarijs; ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, sempérque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat populus. Aliæ foris, & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spolijs, quæ neque emptori refringere liceret. triumphabántque etiam dominis mutatis ipsæ domus: & erat hæc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis quotidie, imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Meminit Plinius utriusque speciei imaginum tum corporis, tum animi; quæ ad figuram corporis cognoscendam ducunt, dicuntur imagines corporis: quæ verò ad animi affectiones convertunt imagines dicuntur animorum: illæ coloribus delineari, vel scalpro possunt sculpi: istæ quia sub sensus non cadunt nec pingi neque cælari possunt; sed tantùm per imagines alienas mutuatas à rebus sensibilibus repræsentantur beneficio metaphoræ proportionis præseferentis similitudinem, quâ referatur ad rem significatam, cujus propterea notitiam ingerat. Hæcque ratio, cur imagines rerum sensibilium plurimum habeant aucupij, & illicij, quia similitudinem præseferunt, quâ ducimur in notitiam rei insensibilis.

Quòd si cum laudamur imaginibus nostras exprimentibus dotes, ac virtutes, vel maximè delectamur; ijsdem acerbiùs exasperamur, si convicijs impetamur, nimirum si hæc apparatu metaphoræ proportionis, ac similitudinis vibrentur; id Narseti obrigit oppressæ Italiæ Vindici, ac pristinæ libertatis assertori; gentem enim universam Gothorum vicit, superavit, ejecitque e ditionibus Italorum unà cum eorum rege Totila, qui ad prælium contra Narsetem venerat ludibundus ante ambas acies jaculum in sublimem emittens aërem, & celapsum iterum expedita manu recipiens per jocum, quasi victoriæ præluderet. Sed Narsetem triumphis celebrem ob victum Totilam, Gothósque debellatos imbellis fœmina amarulento dicterio vulneravit; eum ex muliebri livore, monuit Narsetem Sophia Augusta, ut tandem desineret in Italia regnare, ac propterea quavis disruptâ mora Byzantium reverteretur ad colum, & fusum æquiùs in gynæceo tractandum, quàm sceptrum Romæ. Imagines Narseti objectæ coli, & fusi, & similitudinem præseferentes imbellis fœminæ, cujus sunt instrumenta nendi, acutissima fuerunt tela. quæ Narsetis intimiora viscera sauciârunt, & contorserunt; non solum pupugit animum, sed acerbissimè etiam vulneravit metaphora, & translatio petita ex lanificio muliebri; ferendæ ignominiæ impar respondit, se quidem in Regio palatio nere, & texere didicisse; sed licio jam præparato brevi se orditurum telam, quam nec Sophia Augusta, nec Justinianus Imperator retexerent. Tunc vindictam meditatus Alboinum Regem Longobardorum ex Pannonia accersivit, ut uno avulso bellicosissimæ gentis duce alter succederet, & bellum in intimis Imperij visceribus accendit non sine gravi 5.

Sophiæ Augustæ molestia, & indignatione. Non tulit Narsetes convicium, quod mulier licèt Augusta intorsarat per metaphoram illam proportionis, ac similitudinis artis ignavæ, quæ exprobrationem demasculati viri prodebat.

6. Imago igitur fundata in metaphora proportionis larvam induit, vel similitudinis si fit in honorem, & propterea arridat, placet, ac delectat; vel dissimilitudinis si fit in contumeliam & tunc perturbat, displicet. Delectatio eò percipitur major, quò animus plura per objectas sibi imagines discit, idque contingit in quavis comparationa, in qua utrumque simile, ac utriusque convenientia non absque animi oblectamento consideramus, ac similia invicem conferimus, ex hac enim collatione non modicam percipit animus delectationem præsertim cum judicat protasim convenire eum apodosi. In quavis metaphora hanc experimur voluptatem, & si fuerit contracta ad unum verbum liquidiùs, ac jucundiùs delectat, quemadmodum pictura in arctum coacta magis placet, quàm si in Tabula universa sit explicata.

7. Cæterum similitudo inter comparationes magis excellit, quia quò est verior, eò conciliandæ voluptati censetur aptior: veritas enim si innotascat quamdam perfundit voluptatem quâ mens plurimum percipit delectationis: idque causæ, cur placeant apologi, delectent parabolæ, arrideant hieroglyphica, quia eruditionis involucro veluti in perpolito speculo veritatis quoddam vestigium nobis exhibent contemplandum: Historia verò magis delectat sive fortuita eventa narret, sive res præclarè gestas enuntiat, quia veritas in Historia sine fuco, absque ullo involucro emicat simplicior, ac splendet clarior. Hinc similitudo, quæ sumitur ex natura, quia magis constans, & perpetua blandiùs delectat, ac jucundiùs allicit; generatim quò veritas enitescit clarior, eò placet uberiùs. Sicut sermo aut proprius est, aut translatus; ita quælibet imago, vel est propria rerum, & opus est pictorum; vel est translata, & ad Poëtas pertinet. Si pictor expressurus hominem rusticanum pingeret hominem feminudum palâ, aut sarculo verrentem agrum, munus ageret pictoris non poëtæ: sin verò delinearet bovem onustum plaustrum trahentem, vel asinum clitelarium sub onere desudantem, quid aliud à rustico oculis objiceret adstantium, quod tamen in ferendis laboribus cum rustico conveniret; & officium exequeretur pictoris; & sub hieroglyphici involucro veritatem exhiberet symbolicè adumbratam.

8. Quamvis repræsentandi ratio sit multiplex sive per naturam, sive ex instituto, ut cum per gallum gallinaceum vigilantiam; per hederam vinum vendibile significamus per primum ex natura, per hederam ex instituto; attamen in hieroglyphicis frequentiùs sumuntur imagines, quæ ex natura ob similitudinem, & proportionem notitiam ingerunt alterius. Sic apud Ægyptios Accipiter celeritatem significavit, quia velocitate volatûs cæteras superet aves. Lynx acutissimum obtutum. Asinus ignarum, ac impudentem hominem. Mulus nothum, & simul sterilitate laborantem. Camelus imperitum disceptatorem Gallus vigilantiam, lepus timiditatem. Ovis innocentiam. Sus vitiorum cœno involutum. Panthera dissimulatorem. Tigris crudelitatem. Columba viduam continentem. Aquila Imperatoriam majestatem. Grus custodiam. Phœnix instaurationem. Noctua quia Minervæ sacra sapientiam. Passer prolificam salacitatem. Luscinia Poësim. Psittacus eloquentiam Coturnix perditissimam malignitatem. Pavo superbiam. Pica garrulitatem. Hæc hieroglyphica significant ex natura, quia figuræ per se, & ex propria natura dicunt proportionem cum rebus significatis. Eadem tamen rea potest significare ex instituto, & ex natura: hedera enim ex instituto significat vinum vendibile; & ex natura amorem conjugalem, quia arbori velut arcto innexa vinculo adhærescit. Caput leonis ex instituto esse principis insigne refert Diodorus Siculus *lib. 3. Hist.* ex natura magnanimitatem significat.

EXPENSIO VIII.

De nomine Emblematis.

Eruditis ingenijs ad oratoria decora natis semper placuit mentales conceptus per imagines enucleare; & internos sensus exteriùs exsculptis figuris exprimere: imò adeo placuerunt hominibus figuræ, ut vix ad necessitatem multa inventa humanæ vitæ subsidia, vestes, parietes, pavimenta, domus, & vasa varijs imaginibus statim cœperint collustrari: nunc ad eliminandam omnem æquivocationis umbram, dico, emblema apud Veteres significâsse quodlibet ornamentum cuilibet operi adjectum: peculiariter verò pro emblemate intelligebant vasorum aureorum, Corinthiorúmque ornamenta exmptilia, ut puta claviculos, gemmas, & cætera hujusmodi, deinde cœpit latiùs patere, & pro emblemate significârunt quodlibet ornamentum ascititium; sic in parietibus vermiculata, in pavimentis tessellata, in lignis segmentata, in vasis ornamenta, in clypeis admirabiles cælaturæ dicebantur *Emblemata*, ut etiam *Argumenta, Anaglypta, Chrysendeton, Dedalmata; ornamenta exemptilia*: hinc Tullius in Bruto quodcunque opus vermiculatum vocat emblema inquiens de M. Calidij oratione: *Nullum nisi loco positum, & tanquam in vermiculato emblemate structum verbum videres*, & *Act. 6.* ait, Verrem ex vasis, quæ jusserat perferri ad se crustas, atque emblemata extraxisse, atque Haluntinos, excussis delicijs cum argento puro remisisse. Additque de eodem Siciliæ everriculo. Ipsum emblemata ex thuribulis, & patellis; ita scitè in aureis poculis illigâsse, ita aptè in aureis scyphis inclusisse, ut illam rem nata esse viderentur, unde emblema vocabulum semper fuit honoris, & ornamenti; 1.

&

& quamvis Tiberius Imperator plus æquò studiosior Latij idiomatis, emblema, ut vocabulum peregrinum fastidisrit, censueritque expungendum è Latio dictionario; nihilominus M Tullius Romanæ Princeps eloquentiæ illud asservari censuit, eò quia instar ornamenti, ac phaleræ in Romanum sermonem inserverat Poëta, cujus versiculos exhibet Tullius 3. *de Orat.* agens de idonea collocatione Verborum

Quàm lepidè lex eis compostæ, ut tesserulæ omnes,
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato!

2. Quæ tamen omnia, quamvis sint Symbola, non tamen sunt Symbola, de quibus hìc loquimur, quia illa ornamenta non significant nisi se ipsa sine apodosi, seu absque applicatione ad aliquod documentum morale; Symbolum verò, de quo loquimur, *Est metaphora exprimens conceptum mentis mediante aliqua figura corporea*, & hoc est summum genus complectens universam artem Symbolicam; & per hanc definitionem Ars Symbolica differt ab arte Lapidaria, quæ consistit in sculptis characteribus: hæc igitur est differentia inter artem Symbolicam, & lapidariam, quòd per artem Symbolicam exprimimus nostros conceptus mentales per imagines, ac figuras sensibiles, vel pictas, vel sculptas: per Artem verò Lapidariam exprimimus nostros conceptus per characteres vel scriptos, vel sculptos.

3. Cæterum Symbolorum species multiplices sunt, quas ad quosdam, quasi cancellos revocare possumus; alia symbola dicuntur *Hieroglyphica*, de quibus satis dixi suo loco: alia sunt *Phrenoschemata*, de quibus infra: & alia *Emblemata*, quorum alia sunt *Historica*, alia *Physica*, alia *Ethica*; symbolica etiam sunt *Stemmata*, seu insignia, quæ vulgò *arma gentilitia* dicuntur: unde symbolum est genus complectens has omnes species: Hi autem nobiles erant, qui sui generis stemmata, seu arma gentilia, sivè imagines poterant ostendere; sic imagines seu stemmata pro nobilitate usurpari familiare semper fuit Auctoribus. Has imagines Romæ Patricij in primis sibi tribuerunt; & qui majores magistratus, nempe Ædilitatem majorem, Præturam, censuram, & consulatum obtinebant; & hæc insignia gentilitia, quæ ad honorem & gloriam fuerunt usurpata, virtutis postea fuêre præmia, & rerum præclarè gestarum manifestum indicium.

4. Verum ut redeamus ad Emblemata. Fuerunt plerique, qui Emblema cum symbolo, cum ænigmate, cum sententia, cum adagio imperitè confuderunt; & primò emblema differt à symbolo, ut species à genere; licèt enim emblematis vis sita sit in symbolo; non tamen omne Symbolum est emblema; aliud enim est hieroglyphicum, & aliud Phrenoschema, & aliud emblema; differt etiam ab ænigmate, quia emblematis sensus est clarior, ac facilior, secus ænigma ambiguum est in verbis, & obscurum, ut etiam solertes, & ingeniosos viros interdum longa mora teneat, eorúmque ingenia defatiget; differt quoque à sententia, quamquam emblemata sæpe sententias in se contineant, nisi fortassis emblema sumatur pro ipso epigrammate, seu explicatione emblematis; cæterum nec semper necesse est, emblemati adjicere Epigramma & versus; sententia verò necessariò est verbis exprimenda; unde emblema, & sententia videntur differre, ut verba, & res, seu ut signa, & res signatæ. Denique differt ab adagio, & parœmia: quia emblema est aliquod ingeniosum ab ingeniosis excogitatum, adagium verò est tritum aliquod dictum in ore omnium versans, ut dixi supra in centurijs adagiorum. Insuper differt emblema ab hieroglyphico, quia hieroglyphicum non explicatur per verba, ut emblemata componuntur ex figuris, & verbis, quæ includunt aliquod documentum spectans ad bonos mores; quamobrem Lacon miles, qui *Muscam* pro emblemate minutis lineolis curavit sculpi in clypeo; ad indicandum, quod tam prope erat ad hostes accessurus, ut vel Muscam illam despicere possent, quæ verba licèt fuissent sculpta non tamen illa Musca fuisset emblema, quia nullum videtur includere documentum morale.

Emblema igitur prout hìc sumitur, *Est* 5.
Symbolum compositum ex figura, & verbis continentibus aliquod documentum pertinens ad bonos mores. Unde Emblema potest describi, quòd sit *Gnoma, & sententia animata figuris, quæ sententia cœlaturâ, vel penicillo expressa debet servire moribus.* Quare carmina adjecta ipsi emblemati debent explicare emblema, ac includere documentum morale, quod si per Distichon fieri poterit, perfectius erit emblema: cæterum emblematis carmen numeris debet esse adstrictum, styli nitorem etiam amplectitur; ut patet in subiectis emblematis, *Exercitium præbent non exitium animo heroico res adversæ.* ut hoc Gnoma exprimatur aliquo emblemate. Pingatur *Scopulus* in mari à tumidis undarum turbinibus concussus, sed non fractus, & picturæ adjiciatur hoc carmen.

Elidit tumidas saxum, non frangitur, undas;
Fortunæ irridet mens generosa minas.

Principem dedecet crudelitas. Pingatur inter 6.
pratorum amœna volitans *Apum examen*, quarum *Rex* cæteras antecedat, sed sine aculeo.

Rex apis en stimulum rejicit, nec vulnera figit.
Princeps sic populos mitis amore regat.

Justitia exercenda est æqualiter in omnes. De- 7.
lineetur *Sol* Zodiaci signum libræ percurrens, ac per totam tellurem suos æqualiter disseminans radios, omnibúsque æqualiter lucens.

Sol cœli cyclos currens illuminat omnes.
Justitiæ sic lux, omnibus una micet.

Parentes monitis filios sæpe corrigant. Pingatur 8.
Ursa, quæ editum fœtum, massámque carneam linguâ lingat, forméique linguâ partôs partes;

Ursa suos catulos mancos lingendo refingit.
Sic monitis sobolem formet, & ore parens.

Fortuna inconstans, quos fovet occidit. Pinga- 9.
tur *hedera* altum serpens per murum;

Corrumpunt hederæ muros amplexibus altos.
Sic fortuna viros, quos fovet ipsa necat.

Usus emblematum viguit ab ipsis Orien- 10.
tis

ris eloquentiæ cunabulis; Hesiodus scribit; in Heliconis colle consuevisse homines colere *Musas, & Cupidinem* simul, ad indicandum; carmina excitando *amori* perapta esse: & Fornutus addit; in eodem fano consuevisse etiam colere *Mercurium unà cum tribus Gratijs*; ut indicarent, proprium esse Principum muneta, ac gratias conferre Sapientibus. Quidam etiam haud imperitus Poëta videns vitem amplectentem suis palmitibus viridem oleam nobile construxit emblema, nam redarguens vitis audaciam, eò quia inebrians homines ausa sit amplecti arborem virginem dicatam castæ Palladi; pinxit oleam vitis palmitibus circumseptam, & sic introduxit oleam loqueatem

Quid me palmitibus premitis? sum planta Minervæ
Tolle mihi vites: vina puella fugit.

11. Eodem pacto Poëta Græcus inspiciens Asellum gestantem simulacrum Deæ *Isidis*, & hinc inde obvium populum flexo poplite Numinis effigiem colentem; & cum Asellus sibi tantum præstari honorem credens, superbiret, pulchrum construxit emblema, & pro Asello intellexit hominem rudem, ac ignarum; pro simulacro Deæ *Isidis* dignitatem ejusdem viri addito lemmate: *Non tibi, sed Religioni;* unde Sacerdotes, qui rebus sacris præsunt, in honore sunt habendi; ob id maximè, quòd sacris præsint; licèt aliquando, aut vitijs implicati, aut ignari, ac stupidi habeantur. Alius etiam in simulacrum Deæ *Nemesis*, seu *Rhamnusiæ*, quæ sinistra manu *mensuram* stringebat, dextera verò *frænum* gestabat, argutum etiam composuit emblema. *Nemesis* Dea fingebatur vindictæ: Pausanias in *Atticis* ait; *Nemesim sive Rhamnusiam* scelerom esse vindicem, ac superborum ultricem; Macrobius 1. *Saturn.* 17. Eam contra superbiam coli consuevisse scribit: nec desunt, qui apud Hesiodum, Nemesim Justitiam interpretenrur: Cæterum Nemesis Dea vindictæ intelligebatur: hoc igitur simulacro voluit indicare, quod qui non vult in manus Deæ Nemesis incidere, debet rectitudine proprias commensurare actiones, ac træno cohibere linguam, quod dilucidavit subjecto distico;

Mensurâ, frænóque homini Rhamnusia monstrat;
Et verbis frænum, rebus inesse modum.

12. Quamobrem emblema, ut ad præsens pertinet institutum est Symbolum ingeniosum, suave, ac moratum plurimum habens illicij, constans ex figura, & verbis innuentibus documentum aliquod in ordine ad bonos mores, vel servandos, vel promovendos. Usurpantur in hoc Symbolorum genere pictura, & metrum, quia cum emblemata mores corrigant, vel promoveant; contineántque semper admonitionem aliquam, quæ morum dicitur medicina, condienda erant aliquâ picturæ adblandientis illecebrâ, metrique dulcedine; ut absque fastidio, ac detrectantis animi nauseâ admonitio reciperetur. Palato delicatiori solet pharmacum propinari in scypho aureo, vel argenteo, ornato gemmulis, vel instructo figuris, hunc ornatum in emblemate exhibet pictura oculos alliciens, animúmque suavitate perfundens: rursus sicut scyphi labrum succo aliquo dulci, gratóque solet illiniri, ut infusa castigetur amarities; ita emblemati additur metrum, vel sententia aliqua gravis, vel quæ nonnihil contineat acuminis, & aucupij, quo admonitio blandiùs in mentis intimiora illabatur: qui prodesse nituntur, necesse est, studeant delectationi; ut monuit Horatius de Arte Poëtica: *Et prodesse volunt, & delectare Poëtæ.*

Pictura in hujus symboli genere complectitur quamlibet figuratam expressionem alicujus rei sive hujusmodi figuræ fiat penicillo, ac delicatiori colorum varietate in tabulis delineatæ; sive scalpro incisæ marmore, sive ære fusæ. Neque emblema plures semper exigit figuras, dummodo morale documentum exprimatur: non caret figura voluptate, tametsi sola fuerit; uberem ad figuras venustiores deligendas materiam suppeditabunt Historiæ omnes, Poëtarum commenta, Apologi, hieroglyphica, virtutes plantarum, arborum, florum, germinum omnium, ac gemmarum, nec non abstracta virtutum, ac vitiorum. Quod verò ad metri genus attinet, sicut nullum præscribitur; ita nullum proscribitur: possunt esse versus heroici, elegiaci, epici, seu lyrici, Drammatici, & prout magis placuerit: Laconismo tamen hoc symboli genus gaudet; unde non quantum quis vult, sed quantum satis est ad explicandam figuram id tantum exhibeatur; debet enim, quod pictura proponit, metrum citra fastidium innuere; ac morale documentum exprimere. Aliter enim Ægyptiorum hieroglyphica; aliter Pithagoræ symbola; aliter Æsopi fabellæ admonent, morésque instruunt; modum enim habent peculiarem id præstandi, ex quo propterea differunt: sicut enim cælatoria, & fusoria ex eo discrepant, quia illa cælando, & feriendo; hæc liquando, & fundendo homines heroas in statuis imitantur, marmoreis illa; ære fusis ista: pari pacto emblema peculiari, blandóque, ac suavi quodam modo per documentum morale admonet, morésque corrigit, scilicet beneficio picturæ arridentis, & metri admonentis, ut præstitit Alciatus in emblematis, & præsertim, in quo curavit pingi simulacrum castæ Veneris opus Phydiæ altero pede testudinem prementis, cui addidit versus. 13.

Alma Venus, quænam hæc facies, quid denotat illa
Testudo, molli, quam pede Diva premis?
Me sic effinxit Phydias, sexúmque referri
Fœmineum, nostra jussit ab effigie,
Quodque manere Domi, & tacitas decet esse puellas,
Supposuit pedibus talia signa meis.

Testudo intra tegumen, seu testam tuta est; 14.
& puella quamdiu domi manet. Testudo à Paeuvino, & alijs domifera dicitur, quia suam secum defert domum, à qua nunquam exit, ut esset fœminis documento ait Livius *tutiùs esse, domi manere* Rursus testudo dicitur lingua, vel saltem linguæ usu carere, quo discant puellæ linguam cohibere.

EXPEN-

EXPENSIO IX.

Ex quibus partibus necessariò coalescat perfectum emblema.

1. QUatuor assignantur perfecti emblematis partes; *Thema, figura, explicatio figuræ*, & *apodosis*, seu applicatio figuræ ad documentum aliquod morale. Thema est, super quod emblema conficitur; ut Gratitudo, si incommendationem hujus virtutis fiat emblema. Interdum thema exprimitur supra figuram, ut præstitit Alciatus in emblemate 84. quod inscripsit *in avarot*, & pinxit Tantalum Mediis in aquis sitientem, quas labijs non valuit attingere, nec fugitiva poma carpere, quibus famem sedaret. Rursus emblemati 86. supra figuram Principis aureis detenti compedibus scripsit *in Aulicos*. Emblemati 30. supra figuram Ciconiæ posuit *gratiam referendam*. Emblemati 40. super figuram Gerionis Tergemini *concordia insuperabilis*. hæc omnia dicuntur themata, quæ ut tituli præfiguntur emblematis ad magis disponendum intellectum ad eorum cognitionem.

2. Secunda pars est figura, quia emblema est conceptus Symbolicus expressus per aliquam figuram, quâ magis alliciat; ait Augustinus Epist. 119. *Quemadmodum multa per vitrum, aut succina pellucent jucundiùs, ita magis delectat veritas per imagines, & symbola collucens.* Si dicas, virtutem unitam plus præteferre roboris, pigrè incitas animum; at si addas, hoc idem veteres excellentis ingenij viros in arcanis symbolicæ Philosophiæ mysterijs subtiliter expressisse per fasciculum virgarum, vel plurium sagittarum, & si pingeres hominem nitentem, sed non valentem hunc frangere fasciculum, & adderes lemma *Virtus unita fortior*. Inventionis proprietas, & imaginis expressio sensus mulcerent suaviùs, plúsque afferrent oblectamenti.

3. Ex figuris aliæ sunt naturales, aliæ Historicæ, fabulosæ, artificiales, & chimæricæ. Naturales sunt, quæ naturam exprimunt animalium. Athenienses significaturi *Verborum parsimoniam* decere virum sapientem in proprio stemmate *Noctuam* sculpserunt Minervæ sacram, eò quia silentij habeatur Symbolum, magnique consilij: rarò sapiens loquitur, sed ejus perspicacitas in rebus captu difficilioribus elucescit luculentiùs: differt ab imperito prudens, quia hic est pauciloquus, ille verò multiloquus: hinc Alciatus expressurus virum prudentem in emblemate 19. pinxit stemma Atheniensium, seu clypeum, in quo sculpta est *Noctua*. In emblemate 30. indicaturus à filiis esse subveniendos parentes, & beneficia beneficiis compensanda duas pinxit *Ciconias*, quarum senior à proprio pullo alitur. Id proprium Ciconiæ ex Solino *cap.* 43. ut quantum temporis impenderit teneribus educandis, tantum & ipsa senio confecta à pullis suis vicissim alatur. Hinc Ægyptij ut significarent, hominem in proprium parentem obsequia præstantem, ejúsque curam gerentem *Ciconiam*, & *Cucupham* pinxerunt, eò quia hisce volucribus sit à natura inditum, ut genitoribus ob senium impotentibus beneficia rependant, quibus fuerunt hujusmodi aves educatæ. Emblemati 148. expressurus clementiam Principis pinxit *Apum Regem inermem, seu sine aculeo.* Seligunt sibi apes Principem, quem sequantur corpore cæteris proceriorem, qui tametsi imperium in alias exerceat, aculeo tamen caret, eò quia Principem deceat clementia, & dedeceat crudelitas. Senec. lib. de Clement. *Rex Apum sine aculeo est, noluit illum natura sævum esse: exemplum hoc magnis Regibus ingens: nec pudeat ab exiguis animalibus mores trahere; cum tantò hominum moderatior esse debeat, quantò vehementiùs nocet.* Idque causæ, cur Theodosius Imperator Honorio filio salubre hoc dederit consilium apud Claudianum.

Sis pius in primis: nam cum vincamur in omni Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

4. Aliæ sunt figuræ Historicæ nomen trahentes nomenclaturam ab aliqua Historia, quam exprimunt. Historiæ si ad orationem corroborandam, & firmis veluti adminiculis fulciendam plurimum valent: in emblematis plurimum præteferunt aucupij, quo suaviùs sensum animúmque titillant. Per figuram Historicam Alciatus explicaturus: *Nil tam durum esse, quod frangi non possit*, nilque tam efferatum, quod cicurari nequeat. Emblemati 29 pinxit M. Antonium curru insidentem triumphali, quem *cicures leones* traherent; teste Plinio *lib.* 8. *cap.* 16. Mar. Antonius primus omnium leones cicures ad currum junxit post delatam ex Pharsalicis campis victoriam. Embl. 37. indicaturus *virtutem ubique tutam* pinxit *Scythicum Hominem* addita epigraphe *Omnia mea mecum porto.* Virtute præditus tametsi divitijs, bonisque omnibus temporalibus spoliatus semper omnia bona secum defert, seu virtutem animo inhærentem. Scytharum mores luculenter describit Justinus Historicus *lib.* 2. inquiens: *Scythæ agrum non colunt, domus illis nulla, aut tectum, aut sedes est, armenta, & pecora, semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Uxores, liberósque secum in plaustris vehunt; quibus corijs imbrium, hyemisque causa tectis pro domibus utuntur. Justitia gentis ingenijs culta, non legibus. Nullum scelus apud eos furto gravius: quippe sine tecto, munimentoque pecora & armenta habentibus, quid salvum esset, si furari liceret? aurum, & argentum aspernantur lacte, ac melle vescuntur. Lanæ ijs usus, ac vestium ignotus, & quamquam continuis frigoribus torqueantur, pellibus tamen ferinis, aut murinis se vestiunt.* Emblem. 57 *Furorem*, & rabiem expressurus Alciatus pinxit Agamemnonis clypeum, in quo sculptus erat leo ferociens ad terrorem alijs incutiendum, & scutum hocce in anathema appendit in O y   p æ templo addita inscriptione *Terror hic est hominum, qui que hunc gerit clypeum est Agamemnon.* Emblem. 119. indicaturus *fortunam in rebus humanis plus habere loci, quàm virtutem* delineavit *Brutum* civem Romanum ense proprium pectus confodientem, interfecto enim Julio Cæsare à Bruto, & Cassio, ut Respublica pristinæ restitueretur libertati;

res tamen non ita contigit, ut ipsi sperabant, quia occiso Cassio in Pharsalicis campis; Brutus ne in hostiles manus incideret; quibusdam fugam ei suadentibus respondit, non certè pedibus est fugiendum, sed manibus, & tunc nudato ense se ipsum confodit. Emblem. 161. significaturus *veri amici auxilium nunquam deesse:* pinxit Mythilum generosum militem proprio innixum clypeo marinos fluctus trajicientem: scutum bellicum olim tantæ fuisse magnitudinis fertur, ut totom tegeret corpus. Fuit Myrthilus fortis animi miles, qui cùm ad maritimam expeditionem enavigâsset submersâ navi clypeo innixos citra naufragium in portum delatus est. Emblem. 170. indicaturus eos, qui vel post necem volunt superstitibus conferre formidolosi pinxit *Tympanum* ex detracta pelle Ziscæ compactum. Scitu dignum est Ziscæ Exemplum: natione is Bohemus armis assuevit; in Monachos, & Catholicos sævijt: unde Sigismundus Imperator, cùm videret Ziscæ cuncta prosperè, ac adblandiente fortuna succedere, eùmque unum esse, ex quibus res Bohemiæ penderent, clam sibi eum conciliare adnixus est, verùm dum accederet ad Imperatorem per viam peste perijt. Ferunt illum cum ægrotaret rogatom, quo mortuus loco vellet sepeliri, jussisse, cadaveri suo pellem detrahi, carnes volucribus, ac feris tradi, & ex pelle Tympanum fieri, eóque duce bella geri, quo vel ipse Tympani obstrepens sonns hostes fugaret, quibus & terrorem incuteret. Emblem. 194. expressurus *pietatem filiorum in parentes* pinxit *Æneam* humeris gestantem patrem Anchisem. Ilio enim expugnato cum Troia incendio arderet, Æneas patrem Anchisem senio gravem per media hostium agmina, perque cadentes urbis ruinas ac incendij flammas sustulit, & ab incendio liberavit.

5. Figuræ fabulosæ licèt aliquid exprimant fictum à Poëtis, documentum tamen aliquod morale nobis suppeditant, unde Alciatus Emblem. 4. significaturus Animam ex se non posse cœlum conscendere, neque supernaturalia emancisci, nisi divina corroboretur gratia, pinxit *Ganimedem* in sublime raptum ab Aquila: per Ganimedem animam intellexit, quæ ut ait Plotinus tunc condere caput intra cœlum dicitur, cum relictâ quasi corporis crassitie, sola cœlestia mentis oculo contemplatur, quod sine raptu quodam, opéque divinæ gratiæ, quam exprimit aquila fieri nequit. Emblem. 14. ostensurus nil tam arduum, ac inaccessum esse, quod animi, ac ingenij dexteritate assequi non possimus, nullúmque esse tam grave infortunium, quod animi tolerantia non retundatur, delineavit *Bellerophontem Chimæram interimentem*, fuit Chimæra monstrum triforme anteriori parte leonem, posteriore draconem, media capram referens. Emblem. 56. *Temerarios* significavit *per lapsum Phaëthontis*, & Emblem. 40. *concordiam insuperabilem* expressit per tricipitem Gerionem.

6. Figuræ artificiales sunt, quæ exprimunt opus aliquod fabrefactum. Alciatus indicaturus, *eundum esse, quà Dij vocant*, pinxit statuam Mercurij Hodij, quæ erigebatur in trivijs ad signandam viam peregre proficiscentibus: ait Fornutus, quòd Nermæ, seu statuæ Mercurij; & lapidei, lignéique Cippi solerent in trivijs erigi ad indicanda viarum discrimina, & Viatores consuevisse statuis hisce acervos cumulare lapidum, putantes Deum honorari. Emblem. 15. Vigilantiam, & custodiam bellè expressit pingendo Templum, in cujus janua sculptus aderat Leo, & in sacræ turris summitate Gallus, qui vigilantiam designat, & Leo custodiam, unde cecinit.

Est Leo, sed custos oculis quòd dormit apertis.
Templorum idcircò ponitur ante fores.

Emblem. 51. maledicos exprimit per marmoreum *Archilochi tumulum*, ac *vespas* in ipso sculptas, vespæ enim raucæ, ac mordaces aculeo tantùm pungunt; & affixæ Archilochi tumulo, linguæ malæ effrœnem petulantiam arguunt; fuit Archilochus Poëta Parius, qui Lycambem socerum, tam atrocibus, ac virulentis carminibus insectatus est, ut eum adegerit in laqueum, unde Archilochus pro maledico sumitur.

Aliæ postremò sunt figuræ Chimæricæ 7. ut Emblem. 68. Impudentiam significat per biformem Scyllam: hanc Phorei filiam Glauci amore captam, Circe quia eundem deperiret, sic affecit, ut fontem, in quo Nympha se lavare consueverat, veneficijs, & magicis herbis infecerit, cujus rei nescia Scylla, fontem ingressa inferiores corporis partes, quâs aqua tetigit in caninos rictus vidit esse commutatas, quam deformitatem horrens Scylla in mare se præcipitem dedit, & in saxum mutata ansam dedit Poëtis in varias erumpendi ineptias; ac fabulas. Etenim Scylla, & Charybdis in Porthmo Siliciæ duo fingebantur monstra naves mare trajicientes vorantia, ab alijs verò duo promicantes scopuli, in quos impingentes naves frangerentur: rei veritatem, quia testis sum visu, hoc in loco repetere non me piget. Siciliæ Porrhmus, angustum est mare, quod Siciliæ Regnum à Messapia, quam vulgò Calabriam vocant, dividit, ab Oriente Adriaticum, ab Occidente Tyrrenum mare respicit; mirum est, quòd pluries in hoc porthmo observavi; mare nempe modò instar concitati fluminis fluit; modò instar torrentis rectè, & obliquè currit; tantâ undarum inter se collidentium pugnâ, ut mox veluti terga dantes vorticibus in imum desiderent; mox quasi victrices in sublime ferri videntur; loci, ubi hoc peragitur undarum certamen duo præsertim sunt, ubi non adsunt monstra, nec in charybdi scopuli; eorum unus dicitur Scylla in Calabria, alter Charybdis prope portum Massanæ, & ab illis incipit, præcipuus maris fluxus, ita ut navem, quæ modò mare trajiciebat propè charybdim; statim undarum fluxus in Scyllam transferat, & ex hoc ortum fuit illud adagium *incidit in Scyllam cupiens vitare charybdim*, & aliquando tanta fluit celeritate, ut prosperè efflantibus austris redeuntes plenis, ac tumidis velis ex Oriente Angliæ, & Holandiæ naves viderim, vel sistere sine motu, vel retrò vehi: hic maris fluxus vulgò Rema vocatur, quâ cum ob pugnam flantis venti impel-

pellentis in partem oppositam contra concitatum cursum renitentium fluctuum, trajicientes illuc naves hæreant immobiles, putârunt nonnulli remoram, seu Echneidem naves in pleno cursu sistentem aliud non esse, quàm tumultuarios hos fluctuum corsus in partem oppositam flanti vento; & quia dicitur lingua vernacula hic fluctuum cursus *Rema*; volunt esse vocem imminutam à *Remora*, sitque in eorundem opinione Remora idem ac Rema. Verùm hos propria fallit opinio; Aldrovandus enim *lib. 3. de piscibus cap. 22.* & apud ipsum plures probatæ notæ Authores testantur Remoram à se visam hærere clavo navis, & illam sistere, fatentúrque esse pisciculum parvum anguillæ persimilem, qui si navibus adhæserit etiam maximis in pleno cursu, eas sistit. In Actiaco bello Antonij prætoriam navim stitisse fertur; & Caii Cæsaris ab Astura Antium redeuntis quadraginta in illa remiges delusisse, donec à clavo, seu gubernaculo abstraheretur Echneis. Pluraalia exempla producuntur apud Aldrovandum, ut dari hunc exiguum piscem sistentem naves, nequeat in dubium revocari.

8. Ad emblematis structuram, primò inveniendum est thema circa quod est emblema construendum: si velim aliquo emblemate significare voluptatem veneream beneficio fugæ vinci, & castitatem servari incolumem; thema esset illud, *Venerea voluptas fugiendo vincitur.* Posito hoc themate seligerem figuram, quæ thema explicaret; & quia ex figuris aliæ sunt Historicæ; pingerem Parthorum aliquem militem, qui fugiendo, & sagittas à tergo in hostes evibrando eos interficiat; quæ fuga Parthis non est partus timoris, sed victoriæ parens: hoc pacto Christi miles Venerem fugiendo vincit, & eò proximiùs de eadem prostrata triumphat, quò longiùs distat fugiendo, quæ fuga non timuris, sed fortitudinis est nota.

9. Ab Historica figura si emblemate vellem fucatos, vanósque concionatores carpere, thema esset, *plerumque quæ aures demulcent, exitium animo adferunt.* Cui addenda esset Historia Neronis, qui Mecœnatis insidens turri ferstur canendo, chelim pulsâsse eo tempore, quo urbs tota flammarum voluminibus dìflagraret. Quid ni fucati concionatores ex iscris exedris inanes, ac futiles spargunt cantilenas, quando vitiorum flammæ non urbem tantùm, sed orbem totum succendunt in perniciem, ac hominum exitium.

10. Quia figura emblematis potest esse fabulosa, si emblemate vellem exprimere hoc thema *pretiosa vigili cura sunt custodienda*, pingerem *oculatum, ac vigilem draconem ad Hesperidum pomorum custodiam.* A figura artificiali hoc thema *inimicorum munera sæpe sunt noxia* significarem pingendo *Equum Troianum* oppletum hostilibus armis. A re naturali hoc aliud thema; *Nihil vix natum est perfectum* dilucidarem pingendo Ursam matrem, quæ lingua paulatim efformet deformem partum. A re chimærica ad exprimendum hoc thema: *Sapientia vitium enecat*, pingerem Pythonem ab Apolline sauciatum, aut interfectum.

Inscriptio quæ post Thema, & figuram, est alia pars essentialis ipsius emblematis, duo complectitur; nempe explicationem figuræ, & applicationem, seu apodosim ejusdem figuræ ad aliquod documentum morale; quod est res significata per figuram; unde figura est res significans, & documentum morale res significata: res significans seu figura aliquando potest explicari per modum narrationis, ut præstitit Alciatus Embl. 7. *Isidis effigiem tardus gestabat Asellus.* Aliquando introducendo aliquem loquentem, ut in Embl. 56. *Aspicit Aurigam currus Phaëtonta paterni.* Aliquando per modum Dialogismi, ut in Embl. 122. ubi adest picta Fortuna innitens sphœricæ rotæ; 11.

Cur pinnis stas? usque rotor, talaria plantis
Cur retines? passim me levis aura rapit.

Hæc inscriptio debet esse talis, ut explicet rem significantem, seu picturam; & rem significatam, scilicet documentum morale, quod si fiat unico disticho perfectior erit inscriptio: quæ tamen non debet excedere quatuor, vel sex carmina.

Omnia Emblemata ad aliquod ex tribus Rhetoricæ generibus reducuntur. Ad genus demonstrativum ea emblemata, quæ virtutem laudant, vitium vituperant, ut est illud Alciati, quo pietatem filiorum in parentes laudans, pinxit Æneam deferentem Patrem Anchisen. In genere deliberativo Alciatus Embl. 195. deliberat Mulieris famam non formam vulgatam esse oportere. In genere Judiciali sunt, quibus condemnatur vitium, & defenditur virtus, ut in Embl. 48. ubi virtus insidet tumulo Aiacis lachrymis madida, eò quia injustè lata sit à Græcis Judicibus sententia de armis Achillis Ulyssi, non Aiaci, quo significatur quosdam viros bonos plerumque iniquorum Judicum decretis angi. 12.

EXPENSIO X.

De Apodosi, seu Applicatione Emblematis ad documentum morale.

Hactenus egimus de re significante, hoc est de figura emblematis; superest in præsenti expensione de re significata peragere; res significata est idem, ac documentum morale significatum per figuram emblematis; do exemplum; si velim explicare emblemate hoc documentum Politicum. *Non sunt formidini, quæ divisa:* pingerem flumen, quod in plures divisum partes à Cyro rege, tutè, ac sine timore ab ejus exercitu trajicitur: res significans est ipsa figura, scilicet *divisum flumen pictum*; res significata est ipsum documentum morale, nempè, *Non esse formidini, quæ divisa.* Do aliud exemplum, ut exprimerem emblemate hoc thema morale, *Virtus unita fortior*, pingerem illum fasciculum sagittarum à Severo Imperatore exhibitum filijs, quem frangere non potuerunt; voluit enim indicare filijs scitus pater, quòd si viverent concordes, ac uniti Imperium servarent integrum; figura, seu Fasciculus 13.

ſciculus ſagittarum pictus, eſt res ſignificans: documentum morale, *virtus unita fortior*, eſt res ſignificata.

2. Documentum morale præcipuè fit per apodoſim, hoc eſt per applicationem figuræ emblematis ad mores, *Apodoſis eſt ſchema, cùm ſingulis ſingula correſpondent*, quamobrem finis emblematis eſt admonere. & quia admonitio medicina eſt ægro propinanda animo, ideo dulcedine aliqua erit temperanda: quæ autem major dulcedo illa, quæ provenit ex pictura?

Apodoſis fit cùm comparatur una res cum alia, ſeu appropriatur alteri; ut Olympi caput tonante aëre, ſerenitate cæli ſemper fruitur, *Apodoſis eſt*: Sapiens inter adverſantis fortunæ procellas mentis tranquillitate, ac ſerenitate ſemper fruitur; ex hac applicatione, ſeu *apodoſi*, poſſes componere hoc thema morale, *Fortuna detonat infrà verticem ſapientis*, ſub quo ſi pingeres montem Olympum ſerenum in capite, ac denſa circumdatum in ſinu nube perfectiſſimum conficeres emblema. Vel, ſcimus teſte Plinio inferi facillimè laurum cupreſſo, Laurus victoriæ eſt ſymbolum, cupreſſus mortis. *Apodoſis*, Triumphatores in ſinu victoriæ; aliquando etiam fato cedunt; vel etiam, Victores parta victoria facilè Deo moriuntur, ſcelera agglutinando ſceleribus; ex hac *apodoſi* poſſes eruere hoc thema, *Mors, & Mars cognata nomina æquo jure in bello regnant*, ſub quo ſi delineares Libithinam, ſeu Mortem, quæ ficca, & exangui ſua manu ſtolonem cupreſſi lauro inſerat perelegans conficeres emblema. Vel Gubernator navis jactatæ fluctibus, ac procellis. dum navis clavum benè moderatur; ut cæteros à naufragio tueatur, ſeipſum etiam à naufragio liberat. *Apodoſis*: ſic Princeps dum ſubditos benè regit, ac moderatur, ſeipſum etiam regit; ex apodoſi, conficiatur hoc morale thema, *Princeps, qui ſuis conſulit, ſibi conſulit*, addatur figura, & pingatur navis jactata fluctibus, cui præſit vigil gubernator, ut ſuos à naufragio tueatur. Vel, Plinio teſte, ferarum Rex leo ad canum latratum non movetur, nec iraſcitur. *Apodoſis*, ſic grandes animi imbecillioris hoſtis minas contemnunt: Thema ſit iſtud. *Magnis non ſunt terrori, nec formidini latratus*, pingatur Leo in ſpecu majeſtatem ſpirans ex una parte, & canum adlatrantium grex ex altera.

3. Apodoſes tamen in Emblematis poſſunt metro, ac carmine explicari, non tamen carmina debent excedere numerum quaternarium, aut ſenarium; cæterùm ſi in diſtico poſſint explicari figura, & apodoſis; longè perfectior erit inſcriptio; ut in ſubjecto emblemate. Lilia inter ſpinas pulchriùs vernant. *Apodoſis*, ſic cordis puritas ciliciorum ſepta ſpinis venuſtior efflorefcit, ac tutè cuſtoditur: Thema morale poſſet eſſe iſtud. *Cordis puritas ciliciorum ſepibus cuſtodienda*: In emblemate funt pingenda multiplicia lilia inter ſpinas amæno in agro, quam figuram cum apodoſi hoc diſtico explicarem;

Florent candidiùs dumoſis lilia in arvis.
Servari hæc poterit, ſi lubet, arte pudor.

4. Vides, emblema nihil aliud eſſe, niſi ſymbolum ingenioſum, eruditum, ac ſuave, conflatum ex pictura, & metro; addita ſententia morali, quæ eruitur ex apodoſi: quia verò cenſeo, fore opus perquam utile hujus inſtituti tyronibus; plures hic ſubjicio apodoſes, ac eruditiones; ex quibus facilè componi poſſint emblemata.

5. Argus, quia centum ſcateret oculis, fabulantur Poetæ à Junone fuiſſe conſtitutum cuſtodem Jûs Inachi filiæ, quam Jupiter in juvencæ formam commutaverat. *Apodoſis* Principes, & Prælati, & ſi centum invigilarent oculis in ſubditos, nec eorum diligens cuſtodia eſſet ſatis; quamobrem; *Principem decet ſumma vigilantia.*

6. Argus filius Phryxi per mille pericula aureum quæſivit vellus in Colchidem transvectus. *Apodoſis.* Homines non poſſunt aurum acquirere, nec divites fieri, niſi per plures ſubeundos labores, vel per pericula incurrenda animæ amittendæ.

7. Polyphemus Cyclops, Neptuni filius unum tantum oculum habuit, eùmque in fronte; hunc ut ferunt poëtarum commenta Ulyſſes inebriavit; cui alto ſopore obruto, ad uſto ſtipite, oculum eruit. *Apodoſis.* Vinum, & crapula, mentis aciem obtundunt, ac facilè obcæcant, ne animæ exitium in Veneris illicijs videant temulenti.

8. Niobe filia Tantali uxor Amphionis ſuperſtes ſeptem filiorum funeribus, quos Apollo, & Diana ſagittis confixerant ex dolore in ſaxum verſa eſt. *Apodoſis.* Sic nimius amor parentum in filios ſæpe, & filios, & parentes perdit in Gehenna.

9. Prometheus pater Deucalionis, qui hominem ex luto dicitur efformâſſe, Minervæ auxilio cælum conſcendit, igneámque faculam à ſolis rota abripuit; quamobrem irata Numina duo mala immiſerunt terris, *Febres*, & *Morbos*, ut Sapho, & Heſiodus memorant; ipſum etiam Prometheum in rupe Caucaſea per Mercurium relegârunt, adhibitâ Aquilâ, quæ ejus cor exederet. *Apodoſis.* Sic mulierculæ, ac Veneres, quæ inſanos diſſeminant ignes illicijs, ac blanditijs ad peccatum ſuccendentes incautos juvenes: veluti Promethei in Gehennæ rupe alligati æternùm cruciabuntur, non ab Aquilis, ſed ab immundis ſpiritibus.

10. Arachne tenuiſſima ſua pependit ſuſpenſa in tela. *Apodoſis.* Plerique adhærentes tenuiſſimis hujus terræ ſubſtantijs in ipſis pereunt, & divitiarum ſtaminibus aureum ſibi texunt laqueum ad necem.

11. Hercules Hydram ſeptena repullulantem in capita, & igne, & ferro contrivit, *Apodoſis.* Peccati monſtrum, & ferro pœnitentiæ, & igne divini Amoris extinguitur.

12. Alcides devicto Leone ejus pelle veſtitur. *Apodoſis.* Sic virtus poſt exanthlatos labores majus acquirit ornamentum.

13. Phaëton Solis filius cum à patre petiſſet currûs habenas; has filio induſit pater; at aurigandi arciſi imperitus terram combuſſit, & à Jovis fulmine excuſſus in Padum fluvium decidit.

Apodoſis.

Apodosis. Funestus Soboli est sæpe parentis amor.

14. Hesperidum aurea poma à vigili, ac insomni dracone custodiebantur. *Apodosis*. Divitiæ, non nisi anxia curs servantur, & sæpè nocturnam nobis abripiunt quietem.

15. Cadmus Draconis serens dentes, statim surgere homines armatos vidit. *Apodosis*. Qui serit rixas: strages, ac damna statim metit.

16. Orphens Phlegethonteis ab oris traxit Euridicen lyræ sonitu. *Apodosis*. Orationis sonus plures revocat à peccato, & orco homines.

17. Castor, & Pollux exiguo prodierunt ab ovo; licèt in Cœlo luceant. *Apodosis*. Heroes præclari obscuro aliquando oriuntur è loco; & eminentiæ dignitatum sæpè ab humili patria emergunt.

18. Amphion accepta à Mercurio lyra, adeò suaviter canebat, ut asserant poëtarum commenta, saxa traxisse ad Thebanos muros construendos. *Apodosis*. Sæpè eloquentiæ vis, ac suavitas, vel dura, ac saxea corda emollit, ac ad virtutum trahit exercitia.

19. Chiron Centaurus, Saturni, & Phillyræ filius dimidia sui parte equus, reliqua homo erat. *Apodosis*. Homines sensui dediti, ac Veneris illiciis, plus animalitatis, quàm rationalitatis participare videntur.

20. Mercurius caduceo dissidentes animos componebat. *Apodosis*. Sapiens prudenti eloquio rixas, popolique furores facilè mitigat.

21. Bacchus pampineis habenis immanes moderatur tigrides. *Apodosis*. Pectora dura facilè flectuntur vino.

22. Herculis duodecim gesta inter sydera fulgent. *Apodosis*. Feliciùs Martyrum pugnæ in cœlesti Capitolio triumphant.

23. Calais, & Zethes Boreæ filij ex Orithya conjuge alati fuerunt geniti; undè cum Argonautis Colchos profecti fuerunt. *Apodosis*. Sic genus, genium, ingenium soboles à genitore trahit.

24. Europa Agenoris Phœnicum Regis filia à Jove in bovem transformata rapta fuit, & in Cretam abducta. *Apodosis*. Pudicitia ne pereat, etiam tuta, & quæ videntur sine periculo debet timere. *Vel* sicut amor in bovem transformavit Jovem: sic impudico amore homines sæpè in bruta degenerant.

25. Dædalus unà cum Icaro filio è Creta fugiens binas sibi construxit alas, quibus per aëra volitavit. *Apodosis*. Quod natura negat sæpè ab arte possumus petere.

26. Icarus cum Patre Dædalo è Creta fugiens fretus alarum subsidio ultra patris jussa altiùs evolavit; at liquefactis propè solem alis cereis decidit in mare; quod est inter Samum, & Myconem, quod ab ejus nomine Icarium dictum est. *Apodosis*. Ambitiosi Aulici altiùs volitando, quàm par sit, ad sublimiores aspirando dignitates, sæpè corroont è gratia Principis, & in amaritudinum mare pereunt: undè ascendunt, ut lapsu graviore ruant, testis est Achabus in Aula Regis Assueri.

27. Gerionis tria corpora in uno junxerunt Poëtæ. *Apodosis*. Sic concors amor sæpè fratrum pectora, ac corda jungit.

28. Eteocles cum fratre Polynice, ità convenerant, ut alternis annis regnarent, exacto tamen primo anno, cum Eteocles (qui, cum major natu esset, primo anno regnaverat) reverenti fratri renueret regnum cedere, Polynices fratri bellum intulit; in quo ambo mutuis vulneribus ceciderunt. *Apodosis*. Cupiditas divitiarum sæpè inter fratres, & parentes rixas, ac bella excitat sanguinem fundit, cladium cupressos metens.

29. Salmonæus Æoli filius Rex Elidis, cùm divinos sibi honores petulantiùs quæreret, Jovemque structo æneo ponte tonando, & in jaciendis fulminibus imitaretur; ab eo fulmine ictus ad inferos detrusus est. *Apodosis*. Sic gravis pœna sacrilegos jocos semper sequitur.

30. Jupiter aureâ pluviâ Danaëm decepit, ejúsque violavit pudicitiam. *Apodosis*. Plures Virgines auro allucinatæ illum perdiderunt florem, qui semel amissus nullo auri, argentive pretio amplius venalis est.

31. Sphinx apud Thebas monstrum erat, cujus caput, & manus puellæ, corpus canis, vox hominis, ungues leonis, cauda draconis similitudinem referebant. Lactantius vero asserit, sphingem fuisse monstrum alas, & ungues habens in similitudinem harpyarum, quod insidens scopulo viæ imminenti insolubilia ænigmata transeuntibus proponebat, & quotquot dissolvere non poterant unguibus dilacerabat: ænigma quod proponebat erat hoc, nempè, *Quódnam animal mane quadrupes, meridie bipes, vespere tripes esset*, cujus ænigmatis nodum Oedipus ita dissolvit, ut hominem significare diceret, qui in infantia manibus, & pedibus repens quadrupes est; factus vir, ut qui nullo alio, quam pedum adminiculo nititur, bipes est; ingravescente verò ætate assumpto scipione tripes est. *Apodosis*. Oedipi sunt expositores divinarum scripturarum, qui difficilia quæque nobis dilucidârunt: Oedipus etiam dicitur subtilis speculator, qui objectiones perdifficiles solvit, vel qui negotium arduum ad bonum ducit finem.

32. Pro Helenæ simulacro dimicârunt olim inter se le Graij, & Phryges. *Apodosis*. Puellæ formositas sæpè bella cruenta movet. Andromade, quia de præstanti gloriaretur forma, à Nymphis scopulo fuit alligata, cetóque devoranda exposita, sed à Perseo liberata fuit, qui illac opportunè iter faciens, & cetum interemit, & Andromadem uxorem duxit. *Apodosis*. Natura humana, quia se nimis jactavit in protoparente nostrn, ac voluit fieri similis Altissimo in miseriarum abyssum ceciderat, ubi Tartareis detenta vinculis æternis erat intorquenda cruciatibus; sed à Christo tandem fuit liberata, ac proprio redempta sanguine, cui tam intimè voluit copulari, ut mediante unione hypostatica, illam nunquam velit dimittere.

33. Alcides rediit domito redivivus ab orco. *Apodosis*. Invictis animis invia nulla via est.

Gany-

34. Ganymedes formosissimus adolescens jussu Jovis in cœlum ab aquila fuit asportatus. *Apodosis.* Sic Deus innocentes pueros, sæpè ab hac miseriarum valle eripit, ac in cœlum trahit, antequam à malitia immutentur.

35. Paris Priami Troianorum Regis filius, cùm in dirimendis controversiis esset æquissimus, maximam justitiæ famam sibi comparavit, adeò ut ortâ inter Deas Junonem, Palladem, & Venerem disceptatione de forma, ob aureum pomum à Jove cœlitùs demissum, in quo scriptum erat, *Detur Pulchriori*, ille Venerem cæteris præposuerit. *Apodosis.* Mulierculæ, ac Veneres sæpè judicum mentes obcæcant, ac illorum vota, ac sententias ad se se injustè attrahunt.

36. Protheus Tethyos filius in omnes se mutabat formas. *Apodosis.* Vir prudens, ac sapiens formas rerum se vertit in omnes.

37. Atalanta virgo formâ, ac viribus corporis præstans, cum à nuptijs abhorreret procis suis certamen proposuit; in quo victus mortis pœna plecteretur, victor conjugij sui præmium sequeretur; verùm cum Hippomenes Veneris consilio in ipso cursu tria poma aurea illi objecisset, ab auro decepta, ab Hippomene superetur. *Apodosis.* Non solùm hæc puella auro capta fuit, sed sæpè Virginum pudicitiam venalem facit aurum, & quæ virtutis cellem percurrebant, mox ad aspectum objecti auri sistentes; demùm cum virginitatis flore animam perdunt.

38. Midas Rex Phrygum cæteros Reges pecuniæ abundantia antecessit; huic propter Bacchum hospitio susceptum concessum fuit, ut quidquid vellet, peteret, quia foret voti compos; petijt ut quidquid tangeret in aurum verteretur, quod annuente Baccho factum fuit, sed cum cibus, & potus, quò alebatur in aurum quoque verteretur, sentijt tandem stolidus stultam petitionem. *Apodosis.* Avari pecuniarum acervos undique cumulantes inter aurum; argentùmve semper egent.

39. Arion citharædus nobilis, ac Poëta Lyricus, primus Dithyrambos creditur invenisse; hic ut narrat Plutarchus in Symposio, cum ex Italia ubi pecuniarum copiam arte sua acquisierat Corinthum trajiceret; viderétque à nautis, qui opibus suis inhiabant, sibi insidias construi, paululum temporis ab ipsis petijt, quo veluti cygnus moriturus epicedia sibi caneret, quo impetrato stans celsa in puppi carmen orthium Dijs marinis cecinit, & statim in mare se præcipitem dedit. *Adoposis.* Aurum hominum hostis est crudelis, ubique insidias illis nectit in mari, in terra; qui aurum secum defert in itinere, mortem portat secum.

40. Dephnes castissima virgo in laurum mutata fuit. *Apodosis.* Virginitatis honor, sic æternùm virescit.

41. Narcissus tantâ formæ præstantia puer fuit, ut cum ad fontem bibiturus accessisset con. spectæ suæ imaginis amore captus in fluvium se se projecit. *Apodosis.* Amor proprius sæpe multos perdit.

Musæ omnes virginitatem colunt. *Apodosis.* Sapientiæ pudica mens placet. Medusæ aureos crines à Minerve in angues mutatos ob scelus in templo patratum, qui adspiciebant in saxa vertebantur. *Apodosis.* Sic juvenes meretricis formam aspicientes, sæpè pereunt, ac à cultura virtutis degenerantes in peccatum prolabuntur; unde monet Regius Psaltes; *Averte oculos tuos, ne videant vanitatem.* 42.

Endymion in somnio felix fuit, *Apodosis.* 43. Hujus vitæ felicitas somnium est.

Astræa aureo sæculo è cœlo in terras mi- 44. grata; demùm mortalium sceleribus offensa cœlum repetijt. *Apodosis.* Ratò justitia in judice vitijs coinquinato moratur.

Jo formosissima Virgo à Jove adamata, in 45. juvencam ab ipso Jove fuit commutete. *Apodosis.* Amor profanus multas mutavit virgines in lupas, ac meretrices.

Antheus cum Hercule decertens ex con- 46. tactu telluris nervosior surgebat. *Apodosis.* Humilis cum deprimitur eltior evehitur.

Venus procellosò è mari nata fuit. *Apodosis.* 47. Venereæ voluptates maris amaritudines gignunt, ac naufragium aperiunt animæ.

Celebris fuit Pallas consilio, & armis. 48. *Apodosis.* Sine consilio sæpiùs arma nocent.

Tantalus in fluvio mersus magis sitit. *Apo-* 49. *dosis.* Avarus divitijs affluens, semper pauper, ac egens.

Circe imponebat hominibus speciem, sui- 50. mámque ferarum. *Apodosis.* Voluptas enimum non corpus devenustat.

Gigantum eudeciem Jovis fulmen percu- 51. lit. *Apodosis.* Adversus Deum omnis potentia est impotens,

Jugulati leonis pellem Hercules ad pom- 52. pam induit. *Apodosis.* Sic pati est gloria fortis. Bellerophon felici rerum successu elatus, cum in cœlum evolare cum Pegaso conaretur immissu à Jove æstro, equo excussus est, ceciditque in campum, qui Aleius dicitur. *Apodosis,* Audaciæ finis infausta mors est.

Diviso è Jovis capite ortam aiunt Poëtæ 53. Palladem. *Apodosis.* Omnis sapientiæ, & virtutis initium Deus est.

Rapax aquila Promethei artus, ac cor la- 54. ceravit. *Apodosis.* Conscientia læsa aquilâ immitior animum torquet.

Ixion deceptus pro Junone vacuam, ac in- 55. anem nubem est amplexus. *Apodosis.* Qui dignitatibus, ac honoribus adhærent inanes amplectuntur umbras.

Sisyphus labore stulto lapidem circumvol- 56. vit. *Apodosis.* Sisyphi lapidem movent, qui inutilibus rebus tempus terunt.

Cygnus plumarum candore propriæ car- 57. nis fuliginem, ac nigredinem cooperit. *Apodosis.* Hypocrita fictæ virtutis candore animi vitium tegit.

Duodecim Herculis labores inter sydera 58. splendent. *Apodosis.* Gloria, & lux, ac posteritatis laus, hominum labores semper sequuntur.

Tres sunt furiæ, quæ inferos inhabitant. *Apo-* 59. *dosis.* His addenda est quarta; mens improbi,

Pro-

60. Prometheos sublatum à Sole ignem per totam disseminavit tellurem. *Apodosis.* Hac tempestate mundus plus habet fumi, quam ignis.

61. Theseus Ariadnæ filo è Cretensi labyrintho evasit, ac de Minotauro triumphavit. *Apodosis.* Sapiens prudentia duce ardua quæque superat negotia.

62. Sirenum cantus taliter alliciebat, ut mortem afferret. *Apodosis.* Mulierum illecebræ incautos juvenes alliciunt ad necem.

63. Tres sirenulæ Parthenope, Ligia, & Leucosia Siculum littus incolentes, nautas prætereavigantes in naufragium pelliciebant, Ulysses autem cum illac sibi iter esset, sociorum aures cera obturavit, ne insidiosos sirenum cantus audirent; & seipsum arbori navis jussit alligari; sicque tutus periculum evasit. *Apodosis.* Ne illaqueemur blandis Veneris insidiis, quotiescumque catnis illicia sensum titillant, statim debemus arbori Crucis adhærere, ac Dominicam Passionem meditari; sicque insidias Veneris cuti evadimus, nam ut loquitur D. Augustinus lib. Confessio. ad expellenda Veneris incitamenta nullum tam efficax pharmacum reperitur, quàm meditatio Dominicæ Passionis.

64. Saturnus, quos edidit filios edit. *Apodosis.* Tempus etiam destruit, quod composuerat.

65. Prometheus primum finxit ex luto hominem. *Apodosis.* Res fragilis, & vilis homo est.

66. Marsias eum Phœbo contendens etiam cute spoliatur. *Apodosis.* Pugnare cum Superiore est periculosum.

67. Exterrent Leonem Galli cantus. *Apodosis.* Edificant Principes, vel minimum populi tumultum metuere; vel edificant maximi, vel minimas voluptates, hoc est sirenulæ blandulæ voces non admittere.

68. Magnum Orionem occidit parvus Scorpius. *Apodosis.* Magnus licèt sis; parva, ne contemnas.

69. Argus centum habuit oculos, ut juvencam custodiret. *Apodosis.* Princeps mille scateat oculis, ut non bovem, sed populum servet.

70. Sanguineæ Medulæ guttæ infinitos genuerunt serpentes. *Apodosis.* Exigua verba sæpè magna parturiunt mala.

71. Pandoræ in vase remansit sola spes. *Apodosis.* Spes veniæ nunquam debet relinquere peccatores.

72. Juppiter captus amore Europæ Tauri formam induit, ac mugijt. *Apodosis.* Profano amore succensus homo, sæpè à ratione degenerat.

73. Adonem aper sub inguine occidit dente. *Apodosis.* Talis est finis Amicorum Veneris.

74. Amphion lyræ sono Thebarum erexit mænia. *Apodosis.* Musica etiam saxea corda emollit.

75. Inter sydera emicat Astræa. *Apodosis.* Homines illam vident, sed longè distantem à terra, ubi raro exercetur justicia.

76. Lactea via ad Elysios campos, & ad Deos tutum erat iter *Apodosis.* Sic puritatis candor ad Deum ducit.

77. Proserpina apud inferos ultrò moratur, quia ibi imperium exercet *Apodosis.* Allijs imperare est etiam inferis dulce.

Lethæi fluvij epota unda memoriæ est 78. naufragium. *Apodosis.* Sic voluptas cœli memoriam arripit.

Aureum pomum diffidij fuit radix inter 79. tres Deas. *Apodosis.* Ferè omnium rixarum, bellorúmque causa aurum est, auríque cupiditas.

Rosa Veneris flos statim putrescit, & so 80. lum servat spinas. *Apodosis.* Veneris voluptas citò transit, & solum læsæ conscientiæ supersunt dumi.

EXPENSIO XI.

Exhibentur plura emblemata juxta regulas superiùs enucleatas.

Postquam de præceptis emblematum dictum est, superest, ut praxi confirmemus, quæ superius expendimus: ideò operæ pretium duxi nonnulla hic subjicere emblemata; quæ allicere, & monere animos possint: emblematum inchoata ratio si spectetur, rudis potiùs fuit; hac verò tempestate ubi potissima florescunt ingenia, multiplici ornatu perfectius emersit Emblema ad oculorum, animique delicias. Nam ut arma primùm quidem rudia expetivit periculorum metus ad propriæ vitæ defensionem, quæ deinde varije exposire ornamentis Ars industriosa cæpit; ita emblematum prima initia, quasi inculta nullam præstabant amænitatem; modò magis exculta suaviùs sentum, animumq; e titillant: quia inscriptio laconica est perfectior, ideò unico distico figuram, & figuratum si fieri poterit enucleabo; sit igitur. 1.

CEDENDUM EST SUPERIORIBUS, NE IPSI NOS CAEDANT. 2.

Pingatur efflans *Boreas* in speciem faciei humanæ; ex una parte annosa frangatur *Ilex*; ex altera levis flectatur *arundo*, sed non frangatur: inscriptio est subjecta;

Cede minor superis: vento, quæ dimicat ilex
Frangitur: ut vincat flectit arundo caput.

SEMPER AVARUS EGET. 3.

Pingatur *Tantalus* ad inferos detrusus, ubi usque ad mentum Eridani fluvij mersus in aquis; & poma capiti imminentia habens perpetua torqueatur fame, ac siti.

Si cupis immanes gazas, te fallis avare.
Es sitiens medijs Tantalus alter aquis.

VOLUPTAS ETIAM FORTES ENERVAT. 4.

Pingatur blanda *Venus*, quæ & armis, & vestibus languidum præ amore Martem spoliet.

Corporis enervat vires, animique voluptas.
Ut Martem spoliat Blandula amore Venus.

AMBITIO, QUÆ AD ALTIORA ASPIRAT SE IPSAM TORQUET. 5.

Pingatur *Ixion* volubili alligatus rotæ, in qua perpetuò voluretur,

Ixion cruciat rapido, dum tollitur axe.
Sic dolet Ambitio, dum petit alta simul?

6. VOLUPTAS FUGIENDO VINCITUR.

Pingatur *Ulysses* arbori alligatus navis, & insidentes scopulo pariter delineentur blandæ *Sirenulæ* pulsantes canendo lyras.

Sirenum illecebras vinctus devicit Ulysses,
Sed tu delicijs ne capiare; fuge.

7. VERAM AMICITIAM DURA PROBANT.

Pingatur *Lydius lapis* subniger, quo faber Argentarius fricando probet aurum.

Indicat incertos animos fortuna sinistra.
Ut signis aurum Lydius iste probat.

8. VIRTUS OPPRESSA PERFICITUR.

Pingatur *accensum funale* ex cera, ac sulphure compactum, quod expositum ventis magis ardeat, ac elucescat,

Opprimitur virtus, sed non extinguitur unquam,
Ut magis à ventis fax agitata micat.

9. MODICA NON SUNT SPERNENDA.

Pingatur *Fabius Cincinnatus*, qui contemnens in lacte pilum, dum lacteum poculum ebibit, mortem per pilum hausit

Non desunt uni, ac tenui sua damna capillo.
Nilque boni modicum sperrito, nilque mali.

10. INGRATIS BENEFACERE, EST OPERAM PERDERE.

Pingatur *Agricola* aratro scindens arenam maris.

Munera præbe viro grato: bene námque scelesto,
Qui facit ingrato, vomere littus arat.

11. FACILE CADIT AMASIUS, SÆPE AMATAM PUELLAM INVISENS.

Pingatur *Papilio*, seu *Pyrausta* igneum circumvolitans lumen.

Dum sibi papilio indulgens circumvolat ignem
Igne perit: quod amas captus amore cave.

12. HEROICA VIRTUS IN INFIRMITATE PERFICITUR.

Pingatur *Vitis*, quæ amputetur cultro à Colono, ut magis succrescat.

Cæsa comis ferro succrescit lætiùs arbor.
Sic crescit virtus vulnere culta suo.

13. SÆPE PARVUM CRIMEN MAGNUM SECUM TRAHIT DAMNUM.

Pingatur *Statua* Nabuchodonozoris fracta lapillo è montis vertice delapso

Nabuchi Statuam fregit de monte lapillus.
Crebrò causa fuit parvula noxa necis.

14. DIGNITATIS TITULUS SINE VIRTUTE INANIS EST.

Pingatur *Carbunculus Gemma* lucis igneos radios emittens:

Nomen habet, non vim rutili carbunculus ignis.
Sic tituli plures nomen inane gerunt.

15. ANIMO HEROICO RES ADVERSÆ EXERCITIUM PRÆBENT, NON EXITIUM.

Pingatur *Scopulus*, in quem tumidæ procellosi maris undæ impingant, non tamen frangatur ab ipsis.

En manet immotus scopulus percussus ab undis,
Fortunæ irridet mens generosa minas.

16. QUÆ DIFFICILIUS MANDANTUR MEMORIÆ, DIUTIUS HÆRENT ANIMO.

Pingatur *Lapidicida* scalpro characteres sculpens duro in marmure,

Difficili ingenio signata fideliùs hærent;
Ut sculptas retinent marmora dura notas.

JUSTITIA ÆQUALITER IN OMNES EXERCENDA. 17.

Pingatur *Sol*, qui percurrens in zodiaco signum libræ, & suos disseminans radios per totam tellurem æquè omnibus lucet.

Omnibus æqualis resplendet ab æthere Phœbus
Justitiæ, sic lux omnibus una micet.

NIMIUS PARENTUM AMOR, SÆPE FILIIS NOXIUS. 18.

Pingatur *Simia*, quæ amore capta proprij partûs ita arctè illum stringit in sinu amplexibus, ut suffocet;

Amplexu occidit dilectum Simia partum.
Sic prolem nimio perdit amore parens.

FORTUNA, QUOS FOVET, SÆPE ENECAT. 19.

Pingatur alta *Ulmus* sine folijs per cujus ramaria serpat tenax hedera.

Suffocant hederæ strictis amplexibus ulmos.
Sic fortuna viros, quos fovet, ipsa necat,

VERBA SEMEL DICTA AMPLIUS NON REVOCANTUR. 20.

Pingatur Juvenis, qui nervosa manu *Lapidem* in distantem locum projiciat:

Non revocatur iter lapidis, quem dextera jecit,
Nec revocat verbum lingua proterva suum.

PUDICITIÆ LILIUM INTER SPINAS CILICII CUSTODIENDUM. 21.

Pingantur dumoso in campo candicantia, ac vernantia *Lilia*;

Candidiùs florent dumosis lilia in arvis.
Servari hâc poterit, si lubet, arte pudor

OPUS PERFECTUM DIU MATURANDUM. 22.

Pingatur *Elephas* suum parturiens fœtum, quem in alvo decem annis detulit;

Vix Elephas partum decimo progignit in anno,
At dignus tanto tempore partus erit;
Omnia maturè gere, nam properatio lædit,
Perfice cuncta diù, quæ pretiosa voles.

FESTINANDUM LENTE. 23.

Pingatur fluviatilis *Cancer* chelis volitantem retinens *Papilionem*:

Festina lentè non est mora figere gressum.
Sat citò res gesta est, si benè gesta fuit.

PLURA AUDIRE LICET, QUAM LOQUI. 24.

Pingatur *Caput humanum*, constans ex unico ore, sed ex duplici aure.

Os unum natura, duas tibi condidit aures;
Audire, ut discas plurima, pauca loqui.

VOLUPTAS ALLICIENDO VULNERAT. 25.

Pingatur *Examen apum* quæ propè alvearium puerorum manus mel rapientes pungant;

Hyblæas imitatur Apes fugitiva voluptas;
Mel fundit, tacito vulnere pungit, abit.

MULIERUM FORMOSITAS DEFORMIS EST. 26.

Pingatur *Mulier* ante speculum, minio, ac cerussa sibi vultum pingens,

Vultus deformes minium, acc e russa fatentur:
Scilicet abscondi, non nisi fœda solent.

EST.

27. EST SEMPER IN DEO SPERANDUM.

Pingatur *Pandoræ Vas*, in quo ex Deorum muneribus sola spes remansit.

Unica spes versâ Pandoræ in pyxide mansit:
Hanc animo semper, vel moriendo tene.

28. PRINCIPEM DECET VIGILANTIA.

Pingatur *Argus* centum structus oculis à Junone constitutus ad custodiam *Jûs* Inachi filiæ; quam Jupiter in juvencæ formam commutârat.

Vix oculis centum Jo custoditur ab Argo.
Non sunt principibus lumina mille satis.

29. PERICULA INVENIT, QUI AURUM QUÆRIT.

Pingatur *Argi Navis* in tumido procellosi maris sinu, agitata ab undis.

Argus Phryxæum per mille pericula Vellus
Quæsiit. Aurum aliter quærere nemo potest.

30. VITIUM POENITENTIÆ TELO CONFODIENDUM.

Pingatur Hercules hydræ capita resecans.

Argolicâ illicijs vitium est crudelius hydrâ.

31. *Ni ferro juvenis vincere, & igne potest.*

IMMODICUS PARENTUM AMOR SÆPÆ FILIOS PERDIT.

Pingatur *Phaëton* insidens Solis quadrigæ, qui laxatis equorum habenis simul cum Sole in Padum fluvium ruat.

Dum pater indulget Phëtonti; occidit amando,

32. *Noxius est soboli sæpè parentis amor.*

ANXIA CURA SERVANTUR OPES.

Pingatur oculatus *Draco* in Hesperidum horto pervigil in custodiendis aureis pomis.

Aurea poma vigil custodit bellua curis,

33. *Anxia, sic hominum cura tuetur opes.*

VERA GLORIA LABORIS EST FILIA.

Pingatur *Hercules* jugulati Leonis indutus pelle.

Alcides cæsi vestitur pelle Leonis.

34. *Clarior, & virtus nata labore nitet.*

VIRTUTUM CONCENTU EXTRUENDÆ SUNT URBES.

Pingatur *Amphion*, qui argutia digitis citharam percutiens saxa ad se trahat, ac Thebarum mœnia construat.

Construit Amphion Thebarum mœnia cantu.
Sic urbes virtus condere blanda potest.

35. EMOLLIT VINUM PRÆDURA CORDA.

Pingatur *Bacchus* sedens in quadriga varijs intexta racemis, pampineis habenis tygrides trahentes currum moderans.

Pampineis Bacchus Tygres moderatur habenis.
Sic facilè cedunt pectora dura mero.

36. QUOD NATURA NEGAT ARTIS INDUSTRIA EST COMPARANDUM.

Pingatur *Dædalus* ascititijs, ac fabrefactis alis per aëra volitans cum Icaro filio, ut è Creta fugeret.

Tollitur in altum compactis Dædalus alis,
Quod natura negat sedulus arte parat.

37. PUDICITIÆ JACTURA UBIQUE EST TIMENDA.

Pingatur *Europe* Agenoris Phoenicum Regis filia, rapta à Jove in bovem transformato; nempè pingatur Europe insidens bove transjiciente mare.

Europe ignoto cùm Tauro ludere flevit.
Ne pereat; discat cuncta timere Pudor.

CONCORS AMOR FRATRES SIMUL UNIT. 38.

Pingatur *Gerion* Gigas triplici corpore.

Fabula Gerionis tria corpora junxit in uno.
Sic amor in fratres jungere corda potest.

IMPUNE NON ASPICIT, QUI NUMINA DESPICIT. 39.

Pingatur *Salmoneus* Rex Elidis, qui structo æneo ponte, ut Jovem tonando, & injaciendis fulminibus imitaretur, ab eo fulmine ictus ad inferos detrusus est.

Vibratis Numen cædit Salmonea telis.
Sacrilegi impune haud vult Deus esse scelus.

AURAM SEQUITUR, QUI AURUM QUÆRIT. 40.

Pingatur *Ixion*, qui nubem Junonis effigiem simulantem insequatur.

Ixion nubem sequitur Junone relictâ.
Sic auri cupidum decipit aura virum.

MULIERIS FORMA DEFORMES SÆPE EXCITAT RIXAS. 41.

Pingatur formosissima *Helena*, pro qua invicem pugnent *Graij*, ac *Phryges*, multo hinc inde effuso cruore.

Pro forma certant Helenæ, Graiique Phrygésque.
Virginis, & rixas causat imago necis.

DECET PRINCIPEM INSONTES TUERI. 42.

Pingatur *Andromede*, quæ ob matris jactantiam, quæ se Nereidas formâ antecellere gloriabatur à Nymphis scopulo fuit alligata, ac ceto devoranda exposita; sed Persei virtute liberata, qui fortuitò illàc enavigans cetum interemit. Delineetur igitur Perseus solvens catenas, quibus & vincta, & à ceto voranda hærebat scopulo Andromede

Perseus Andromedam servat, dum vincula frangit,
Servare insontes Principis esse puta.

FINIS AMORIS AMARUS. 43.

Pingatur *fluvius Padus* è sinu Vesuli montis celsissimum in cacumen elati profluens floribus, ac pubescentibus herbarum smaragdis marginatus, qui post longum cursum per arvorum amœna; tandem in mare devolvatur.

Principium fluvij dulce est, at finis amarus,
Dulcis amor surgat, finis amarus erit.
Illicijs mulcet juvenes, sed versa tendit,
Læta venire Venus, tristis abire solet.

FIDES E DIFFICULTATUM LABYRINTHO EMERGIT 44.

Pingatur *Theseus*, qui Ariadnæ filo Cretæ labyrinthum ingressus Minotaurum enecet,

Rexit, ut errantis Thesei vestigia filum
Virginis. Humanum, sic genus una fides.

SCELUS SCELERI VIAM EMOLLIT. 45.

Pingantur *Pueri*, qui brumali tempore niveum globum volvant, ut grandescat magis

Rumor rumores, errores parturit error,
Ut nivis exiguus crescit eundo globus.

JUSTUS IN TRIBULATIONIBUS PERFICITUR. 46.

Pingatur *Linum*, quod dentato ferro, ac

ferreo dente torqueatur, ac laceretur, ut magis perficiatur.

Ut ferrum linum, sic & tribulatio justos
Perficit; est curis vera probanda fides.

47. DIU DURANT, QUÆ À TENERIS ANNIS DISCUNTUR.

Pingatur *Puer* sculpens teneri arbusti in cortice characteres, qui gramdescant crescente arbore.

Heu malè diluitur teneris, quod mentibus hæsit.
Ut servat sculptas arbor adulta notas.

48. ANIMO FORTI INVIA NULLA VIA EST.

Pingatur *Hercules* ab inferis redux;

Alcides rediit domito redivivus ab orco
Invictis animis, invia nulla via est.

49. RAPITUR, NON ASCENDIT AD HONORES VIRTUOSUS.

Pingatur formosissimus, ac innocens puer *Ganymedes*, qui jussu Jovis ab aquila in cœlum asportetur.

Formosum puerum Cælos Jovis, intulit ales.
Sic castos rapiunt Numina ad astra viros.

50. NEMO EX OMNI PARTE TUTUS.

Pingatur *Achilles* invulnerabilis, vulneratus tamen in talo à Paride, ubi non fuerat mersus in unda:

Percusso cecidit talo grandævus Achilles
Ex omni tutum est denique parte nihil.

51. AURO FACILIUS VINCITUR, QUAM FERRO PUDICITIA.

Pingatur *Atalanta* in ipso cursu se inclinans humum, ut projecta ab Hippomene poma aurea rapiat; & interim Hippomenes precurrat:

Hippomenes pomis Atalantam vicit, & auro.
Non solùm hæc auro capta puella fuit.

52. SAPIENS UBIQUE TUTUS.

Pingatur *Arion* à Delphino per æquora vectus;

Æquora Delphini obsequio transfertur Arion,
Ingenio sapiens tutus, ubique suo est.

53. AMOR PROPRIUS PLURES PERDIT.

Pingatur *Narcissus* formosissimus puer in fonte propriam speculans imaginem, cujus amore captus se in undas dejiciat.

Exarsit propria Narcissus imagine captus.
Sæpè sui nimio stultus amore perit.

54. QUOD PROPIUS NOBIS, HOC MAJUS VIDETUR.

Pingatur Luna pleno orbe splendescens, & plura sydera ferè nullius lucis, & magnitudinis.

Proxima quòd nobis sit, maxima Luna videtur.
Sic videor minimus maximus esse mihi.

55. VITIUM PER OCULOS ANIMUM EXPUGNAT.

Pingatur *Gorgonis caput*, cujus crines in angues à Minerva mutati, quos aspiciebant in saxa vertebant.

In saxum riguit, quem viderat horrida Gorgon,
Sic perdit meretrix, quos videt ipsa viros.

56. CONSILIO, ET ARMIS EST PUGNANDUM.

Pingatur *Pallas* scientiarum Dea, hasta, ac clypeo obarmata;

Consilio celebris Pallas laudatur, & armis;
Nam sine consilio sæpiùs arma nocent.

DIFFICULTER FLECTUNTUR HOMINES AD VIRTUTEM. 57.

Pingatur *Deucalion* lapides retrò jaciens, ac ex lapidibus homines procreans.

Deucalion lapides hominum nova semina jecit;
Inde hominum durum, quis neget esse genus?

SUSPECTA AB HOSTE SEMPER DONA. 58.

Pingatur *Equus Troianus* ingenti plausu susceptus à tota urbe, sed à quo postea militum exeat exercitus, urbémque diripiat:

Troës equum læti accipiunt, sed funera cernunt,
Sic hostis semper munera crede mala.

PRETIOSA VIGILI CURA SUNT CUSTODIENDA. 59.

Pingatur in Hesperidum horto oculatus *Draco* ad custodiam malorum aureorum.

Aurea ab insomni servantur poma Dracone
Sedulò custodi, quæ pretiosa putas.

SUPERBIÆ VINDEX EST COELUM. 60.

Pingatur *Jupiter* contra Gigantes fulminans:

Jupiter occidit Titanas fulmiuis ictu,
Impunè in superos prælia nemo movet.

STUDIUM ACUIT INGENIUM. 61.

Pingatur manus ex nube exporrecta ad cotem telum acuens; est enim cos lapis, quo cultri acuuntur.

Ingenium studijs alitur, teritur quoque, sicut
Tela terendo acuit cos, acuendo terit.

EXPENSIO XII.

De Emblemate mixto, seu non explicato carmine.

1. Quia Emblema limpida gaudet claritate nitescere, contingit aliquando, ita clarè esse delineatum, ut solo schemate explicetur, nec indigeat carmine illud dilucidante, sed per se ipsum pateat, ac quadam suavitate adstantium animos perfundat. Hæc autem species emblematum vocatur *Mista*, quasi coalescat ex emblemate, ac phrenoschemate; videtur namque participare de natura utriusque symboli; convenit cum phrenoschemate, quia super sculptam, vel pictam figuram habet hemistichium alludens ad figuram subjectam; convenit cùm emblemate, quia res significata per rem significantem; seu per figuram; semper est aliquod documentum morale.

2. Ut hæc emblemata plurimùm habeant aucupij amæna aliqua eruditione sunt vestienda; & schema dilucidans figuram debet esse argutum includens aliquam æquivocationem; vel se habere per modum sententiæ argutæ moralis. Historia ad componendam figuram; & firmis veluti adminiculis fulciendum emblema plurimum obtinet dignitatis, ac roboris, nam Historiæ vis in alliciendis, ac demulcendis animis est admirabilis, ex quo efficitur (quod air Divus Gregorius Nazianzenus in carm. ad Nicobolum) *Ut unus hominis mens, ex omnium mentium, & seculorum perfectione, in unum sapientiæ acervum coalescere videatur. Quid divinius,*

quàm

quàm omnia nosse, quàm disiunctissimas regiones vel ocyssimi syderis more lustrare? quàm omnium ætatum memoriam, res gestas, facta, exempla percensere? quàm imperiorum status, ortus, progressus, vicissitudines, decursus, exitus, uno mentis aspectu contemplari? quid illustrius, quàm regendi, militandique disciplinam, clarissimarum virtutum effigies, in unam veluti tabulam congestas inspicere? præterita cum præsentibus comparare? alieno damno sapere, salutaria inde præcepta ad omnem vitæ culturam decerpere? Cum igitur tanta sit Historiarum utilitas; ut & animos mulceat, ac doceat; optimum erit ex ipsis, emblematum figuras construere.

3. Apologi etiam, ac res naturales in figuris emblematum exprimendis aliquid habent dignitatis. Thesaurus ut alluderet illis, qui imbecilles audent contra fortiores arma tractare, pinxit dormientem *Herculem*, quem circumdabat *pumilionū turba* adnitentiū illum funib⁹ vincire, ac vincere hoc lemmate, *Volunt, non valent*, quam figuram desumpsit ex embl. 58. Andreæ Alciati. Alludens ad illos, qui vitijs denigrati, ac correctionem audientes non corriguntur, pinxit *Æthiopem* sedentem super marginem limpidissimi fontis, quem nititur alius homo multa aquarum effusione lavare hoc schemate, *Allues non ablues.* Et alibi alludens ad illos Principes, qui à proprijs subditis, ac servis infectantur pinxit Actæonem, qui à Diana in cervum conversus à proprijs canibus dilaceratur, cui lemma est, *Quos Pavit pavet*, hoc est, quos habuit subditos, timet. In alio emblemate ad significandum in magnis negotijs esse festinandum lentè, & nimiam celeritatem persæpè negotia perdere pinxit *duos equos*, qui laxatis habenis in præceps rapiuntur, hoc lemmate. *Quod præpes præceps.* Ad exprimendos Aulicos, qui auri pretio libertatem perdunt, pinxit Aristippum aureis vinctum pedicis, hoc schemate. *Ditior, sed impeditior*, quam figuram Alciatus desumpserat ex apophtegmate Diogenis, contra Aristippum. Ob symbolum suasionis pinxit Herculem Gallicanum aureis catenis adstantium animos vincientem hoc lemmate, *Vi Sua-Vi*, hoc est *vi suavi.* Et tandem ad exprimendas Veneris illecebras, pinxit super scopulum maris blandas syrenulas lyras pulsantes hoc hemistichio, *Vorant, quos vocant.*

4. Quia amænam eruditionem præstant hæc symbola, & ut ait D. Augustinus magis delectat veritas per imagines, & symbola collocens, ideò nonnulla subjicio emblemata mixta.

5. *Liberalium artium disciplinæ animum pacatum desiderant.*

Pingatur speculum, cujus crystallus si nitida sit, inspicientis imaginem reddat, secùs verò si sit offuscata; sic Sapientiam vitiatus animus nequaquam potest exhibere.

6. *Fortuna detonat infrà verticem sapientiæ.*

Pingatur Olympus montium Rex, cujus caput serenitate fruatur, ejus tamen sinus nubibus obsitus fulminibus dilaceretur.

7. *Voluptas fugiendo vincitur.*

Pingatur Parthorum aliquis miles, qui fugiendo sagittas evibret, hostemque confodiat, nec enim fuga Parthis est timoris partus: sic castitatis pugil non aliter Venerem vincit, quàm fugâ; & ideò vincit, quia fugit.

Mors, & Mars cognata nomina æquo jure in bello regnant. 8.

Pingatur Libithina, quæ exangui sua mano stolonem cupressûs lauro interat. Teste Plinio Laurus facilè cupresso inseritur; hæc est symbolum Mortis, illa Martis.

Magnis non sunt terrori, nec formidini minæ, ac latratus. 9.

Pingatur impavidus Leo in specu ex una parte; Canum adlatrantium grex ex altera.

Exercitium animum doctum facit, ac illustrem. 10.

Pingatur vomer aratri, qui eo splendescit nitidior, quò magis in arando exercetur; agri cultura facilè transfertur ad animi studium, nam fæcundus naturâ ager fit arte fæcundior, fæcunditas enim partim in soli bonitate, partim in ejus cultura est constituta; ager, sivè hortus animus est; cultura eruditio; coloni, præceptores; flores scientiæ; virtutis lumina fructus immortalitatis.

Consilia omnia tamdiù tuta, quamdiù tecta. 11.

Pingatur Arbor, cujus radices ab humo avulsæ exarescant.

Principes, ac magni, tùm deficiunt, spectatores habent. 12.

Pingatur Sol in eclipsi, cum ingenti inspicientium frequentia.

Facilè excitantur rixæ, difficulter extinguuntur. 13.

Pingatur grande incendium, ad quod extinguendum defatigentur multi.

Nil citiùs pulchritudine consenescit. 14.

Pingatur Hortulus Occidente sub Sole occidens.

Humana omnia opinione constant. 15.

Pingantur nonnulli Indi subnigro in vultu colore, qui saccū exonerent auro plenū, & rudē illam telam tanquam thesaurum secum asportent, relicta in littore pretiosa pecunia.

Fortitudo sibi munimentum est. 16.

Pingantur Spartani milites, Spartam sine mænibus propugnantes.

Voluptas in fronte blanda, in recessu horrida. 17.

Pingatur Siren blandè argutis digitis citharam pulsans, alliciendo, ut enecet.

Inutiles sunt sæculi labores. 18.

Pingatur Sisyphus ingens saxum in montis verticem circumvolvens.

Cum ingenijs odio innutritis, non est tuta consuetudo. 19.

Pingatur Martialis ille Leo, qui ingrato dente læsit magistri manum.

Non sunt omnia uni conferenda beneficia, ne nimiùm insolescat. 20.

Pingatur beneficus Sol nimium vaporem extollens, qui deinde concretus in nubem serenitatem abripiat, ac benefactorem Solem obscuret.

Nullum ab insidijs mortis securum iter. 21.

Pingatur Puer jugulatus à cadente è tecto stiria, hoc est tenui aqua frigore concreta.

Qui frigidè scribit, dea victura non scribit. 22.

Pingatur manus imprimens characteres in galu fervanti expofito Soli.

23. *Non semper magistri virtute imbuuntur discipuli.*

Pingatur Dædalus afcititijs alis per aëra volitans, quem Icarus faquitur, qui tamen altius prope fulem avolans liquafactis, ac folutis alis præceps in mare ruit.

24. *Tenera adolescentia seria cura excolenda.*

Pingatur tenallum plantarum namus, aquarum rivulis irriguum.

25. *Nulla dignitatis purpura molestijs, ac curis est vacua.*

Pingatur Rofatum floribus ac fpinis fimul coronatum.

26. *Tenera ætas durè est excipienda, ut duris assuescat.*

Pingantur Lacedæmoniæ Matres fuos diverberantas pueros Dianæ, ac Minervæ ad aras.

27. *Pingit non fingit Historia.*

Pingatur Pictor, qui ex Prototypo Typum extrahat.

28. *Furtum non relinquit impunè cælum.*

Pingatur Promacheus ad rupem caucafeam alligatus, & ab Aquila dilacaratus.

EXPENSIO XIII.

De Emblemate morali moribus informandis, hominique instruendo per picturarum lenocinia accommodato.

1. EMblamata præceptiva moribus informandis, totique homini componendo perapta in domuum ornamenta funt alfumenda, ut tum inhabitantes ædas, tum adveniantes hofpites, vel à muto præceptore, quæ agenda funt addifcant, & quidem eo oblectamento oculorum, animique illicio, ut addifcere quædam fit voluptas, quam Poëfis & pictura muruis junctæ fœderibus ingerunt; eft Poëfis pictura loquax, & pictura poëfis muta, ut autumavit Simonides referente Plutarcho; axhibant emblamata præceptiva Ethices præcipua dogmata, quæ Didafcalia picturæ concredit alegantioribus exprimenda figuris, ex quibus non modò oblectamentum; fed & uberrimum hauriunt intuantes fructum: quæ etenim lenocinanta præfartim colorum varietate ac figurarum alegantia oculis objiciuntur, animos folent blandiùs illicere, quàm quæ dicta, vel fcripta exhibentur percipienda, ut innuit Horatius

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

2. Hifce emblemaris inftruendo homini peridoneis illa ornanda funt in Principis ædibus conclavia, ad quæ nobilium acceffus eft major; vel Confiliariorum confeffus frequentior; cujusmodi funt fupremi confilij Collegia; atrij lacunaria, & parietes. Anterioris conclavis laqueare, feu pars fuperior convexa, quæ varijs folet adornari fcalpturis, ac picturis: in hifce, alijsque confpicuis locis prout magis libuatis, areæ plures, vel pauciores interjectis fpatiorum intervallis funt diftinguendæ pro majori, vel minori amplitudina fornicum ad id falectorum, val parietum; & quidem opere eleganti topiario, quadrato, hexagono, vel rotundo; quia elegantia operis topiarij præftat, ut virides toruli intar fingulos pulvinulos intergerini grati fint oculis, ac quoddam ingarant aucupium, quo fpectatores fuaviori detineantur illicio. Rasqua obtinger venuftior, fi parietes intergerinos, & areolarum interftitia ornatus occupent ax buxo concifa, vel tonfa myrtho, aliáque perenni viriditare, cujus artificium à Pictoris dependet ingenio. Emblemata in interjectis pinganda areolis, fi præceptiva fint, non ornamento tantùm, fed & documento effe dabent, ac apta bonis moribus informandis, vitæqua ritè inftituendæ. Non enim præceptum emblemati, nec amblema præcepto obeft, quin potiùs ex mutuo fœdare juvant fe invicem, atque vim, & alegantiam accerfunt.

Sunt hujusmodi Emblemata inftar amanti, quo haftæ præceptorum acriùs intorquentur: imò id præcepra præftant emblamatis, quod mel ceræ, quô nil fuavius; vel quod gemma aureo annuli umbilico, quô nil pretiofius; vel quod flamma illito olivâ lychno, quo nil fplendidius; præfertim fi ea pingantur in fornicibus arte emblamata, ut in figuris fufpiciatur fymmetria, ac nativus ordo in membris, argutiæ vultuum, ac elagans varietas; in corporibus artificiofa compendia, valuti in nodum contracta fingula mambra, aò artis ingenio, ut fingula diftinguantur, ac diftincta proprios axerceant actus, coloribus fiva fictitijs, fiva nativis fuaviffimè femper inductis, variéque temparatis, fi coloras ita fcienter lecernantur, ut umbras fcitè corporum eminentiæ projiciant, longinqua fimulent, ac ramota, quæ ftatim digito attinguntur; in plano montofa, in recto obliqua, in arcto ampla affingant; & corpora tam nitidè colorent, tam graphicè denudent, tam elegantar vaftiant, ut plurimum adfarant illicij, multúmqua aucupij, quò fingula planè arrideant. Hâc artis elegantia pictura plurimum adjicit amblemati fplendoris, & amblema præcepto morali multum venuftatis, ac decoris. Ut autem initium demus, fit primum. 3.

VERUS PHILOSOPHUS NON LINGUA TANTUM, SED MORIBUS ETHICEM DOCET,

Pingatur Perfea arbor, cujus folia linguæ, fructus cordis rafarunt figuram, & pueri plures fructus carpentas. Hanc Ægyptij arborem Numini facrârunt aloquiorum, quæ da rebus inftituuntur divinis; ut innuerent; perinde ac linguam neceffum effa cor Theologi Deo famulari, fau omna ipfius vitæ inftitutum debere cum altiffimis de Deo difputationibus confentire. Nequa Chriftiana Philofophia hoc hieroglyphico documanto potuit quidquam fanctius afferete, nec quidquam edocere verius. Cum Deus ipfa vifus fir in paradifo terreftri veluti in aperto gymnafio ad erudiendos primos homines hujus documenti inganiofum conftituiffe Symbolum in ligno fcientiæ boni, & mali pro- 4.

proximè

ximè implantato arbori vitæ, quia ut scitè Justinus Martyr ad Diogenem. *Neque vita sine cognitione, neque cognitio vitæ sine vera vita est; ideo in propinquo utrumque plantatum fuit, quam facultatem cum perspexisset Apostolus reprehendens cognitionem, quæ sine veritate mandati in vita exercetur, dicit scientia inflat, charitas ædificat.* Non illæ probantur arbores, quæ luxuriantibus folijs oculos tantùm pascunt omni destitutæ fructu, quo vires reficiantur; miseræ sunt arbores, quamvis vernent, & floreant, si nullum ferant fructum; vel non vera dent poma, sed qualia arbores Sodomitico in agro teste Solino; quæ si quid pomorum tulerint, quamvis speciem poma ex ramis pendula prætetulerint maturitatis, nil habuerunt utilitatis, quâ homini ea edenti prodesse possent; cum vel levi compressa tactu illicò fatiscerent in favillas, abiréntque in cineres. Parum refert eloquentiæ pompâ virtutum studia laudibus excipere, si quæ lingua loquitur mores non exprimunt. *Delicatus sanè Magister*, ut monet Hieronymus Epist. 2. ad Nepot. *qui pleno ventre de jejunijs disputat; accusare avaritiam & latro potest. Sacerdotis os, mens, & manus concordent.* Mores Philosophum constituunt, non lingua; nam etiam obstrepentes picæ, garruli psittaci, loquaces citeriæ voces edunt, sonósque emittunt, ac etiam ad aurium lenocinia, verborum fuci aures pulsant, non animum corroborant. Nullus est, qui nummum licèt inconcinnè cusum, sed justi, ac legitimi ponderis, valorisque intrinseci poríque metalli non præferret alteri, quamvis monetali signo eleganter cuso, si a sinceritate deflectat metalli, vel à ponderis æquitate, vel adulterinus fuerit. Hinc Zeno fucatos Philosophorum sermones, quibus mores non respondeant Alexandrinæ aiebat pecuniæ similes; grati siquidem erant nummi oculis, plurimum in extima superficie præseferebant elegantiæ; sed intus nullius prorsus erant valoris. Cor inter, & linguam necesse est fœdus intercedat, ac talis consensua, ut linguæ folia, cordi respondeant fructua: quod si alterutro carendum, longè satiùs, ait Cyprianus de bono patientiæ Serm. 3. *Philosophum esse factis, quàm verbis; virtutum conscientiam nosse, quàm jactantiam*

MUSARUM SUAVITAS NON PERFUNCTORIE, SED STRENUE STUDENTES AFFICIT.

5. Pingatur Minerva poculum lauro coronatum propinans. Si scientias vernantes dixeris rosas, suavitate non carent, nec illicio; sed suis etiam obarmantur spiculis, vallantur dumis, cum in scientiarum acquisitionẽ incumbendũ sit labore, multóque studio. Ut tamen poculum, in quo Sapientia propinatur, placeat, non summis tantùm labijs, sed pleno haustu ebibendum est; ejus satietas non ut illa Bacchi inficit, sed reficit blandiùs: in imò enim poculi subsidit liquidior voluptas. Quamvis radix scientiæ paulò amarior sit, ejus tamen fructus summam sapiunt dulcedinem; quia ut scitè Augustinus conc. 2. in Psalm. 103. *Quo aliquid quæritur difficilius, eò dulcius invenitur:* ipsa enim difficultate veluti conditur. In sacris literis, ait Hieronymus *Epist. 13. ad Paulin. de Institut. Monach.* Totum quod legimus, nitet quidem, fulgétque etiam in cortice, sed dulcius in medulla est: hac ratione D. Gregorius in *Ezechiel. homil. 6.* censet, Deum circumfudisse tenebras, & impedivisse locis quibusdam obscurioribus sacram scripturam, non solùm ne vilesceret, si aperta cunctis foret; verùm etiam ut tantò majore dulcedine reficiat, quanto majore labore fatigat animum quæsita. Veræ Sapientiæ studiosi non desipiunt cum stultis, qui aliquantula difficultate deterriti Sapientiam despiciunt, sed alacri animo, quæ ijs obviant impedimenta superant. Norunt illita esse ora hujus Palladij poculi aliqua laboris amaritudine, veluti absynthij stillâ; sed norunt etiam puram in imo voluptatem subsidere, quâ nil sit in hac vita suavius, optabilius nihil. *Plena siquidem sunt omnia sacra volumina mysterijs*, ait Bernardus *homil. 7.* super missus est, *ac cœlesti singula dulcedine redundantia, si tamen diligentem habebunt inspectorem, qui noverit sugere mel de petra, oleúmque de saxo durissimo.*

LIBRI ITA LEGANTUR, UT SOLA UTILIA SELIGANTUR.

Pingatur Virgilius è cœno gemmas aureo suo bacillo eximens; perinde ac cautè decerpuntur rosæ, ne spinæ, quibus armantur, carpentis vulnerent digitos; ita non minoris est negotij curiosa lectione libros omnes promiscuè, etiam quæ honestati adversantur evolvere illibatis moribus, illæsáque conscientia, stylo incorrupto, ac doctrina impolluta: cautissimè procedat necesse est, qui manibus incontaminatis gemmas è luto legere studet; picem tangere, & non coinquinari, attramentum tractare, ac effundere, & nullam contrahere maculam non exiguæ est industriæ. Libri variæ comparandæ eruditioni, tametsi idonei censeantur, ea sunt cautione legendi, ut legentes cum Lucretio dicant: *Omnia sic itidem decerpsimus aurea dicta.* Specimen cautæ in legendo solicitudinis, & solicitæ in colligendo cautionis dedit Maro, qui dum incultum, & absoletum Ennij spissum opus manibus, oculisque evolueret; & quid ageret interrogatus respondit, se aurum ex Ennio luto colligere; quia ex vetere illo Poëta sic sententiarum dignitatem, gemmásque exemit, ut nihil ipsi de quisquilijs, illuvie, ac fecibus styli Enniani adhæserit. Seneca hoc idem præstitit ex Epicurei suinis alveis: gemmas enim ex illo cœno puras extraxit, quas suis inservit Epistolis, ut ipsemet fatetur *Epist. 21.* 6.

PARIT DEO DEI GRATIA, QUEM IPSI PARET.

Pingatur D. Paulus proficiscens Damascum, quem lux de cœlo demissa dejiciat ex equo in terram mirantibus itineris socijs, in scheda hæc verba *Domine, quid vis, me facere.* Quia divinæ gratiæ parēre non detrectavit, qui Saulus erat, conversus est repente in Paulum; idque omnibus contingit, qui desperata ferè salore ad bonam revertuntur frugem, è cœno rapiuntur in cœlum, ex mortis umbra, in qua sedebant ad vitæ perennis lucem; de corrupta & perdita vita ad integram, sanam, & sanctam; sic Saulus ex furente leone fit mansuetus agni. 7.

agniculus; adeout parœmieliter ejus converſio ex Saulo in Paulum uſurpetur. Eleganter Petrus Bleſenſis in tract. de converſ. D Pauli ex. pendens illa verba, *Domine quid vis me facere* ait: *Ad vocem divinæ animadverſionis in perſecutione humiliatur elatio, decrudeſcit iu Saule ſeveritas, & effrænata rabies, manſueſcit in gratiam, ſuccidıtur oleaſter, ut oliva fructifera plantetur in dome Domini, lupus mutatur in ovem, rhamnus in vitem, herodius in celumbam, Sicarius iu Apoſtolum, blaſphemus in ſanctum, Saulus in Paulum.*

NON EXTREMA SENECTA, SED VIRTUS SENECTÆ LIBITHINAM VITAT.

8. Pingatur Mathuſalem, qui mille annos minus triginta vixiſſe fertur, Tithonus, & Arganthonius, qui ſenectam etiem protraxiſſe diuturniſſimam dicuntur, quos omnes Libithina rete implieatos detineat exreptis eorumdem virtutibus, quarum ſymbola extra rete Genij aligeri manu tenent; cujusmodi ſunt bilanx Symbolum juſtitiæ; ceduceum Mercurij prudentiæ; columna ſorcitudinis; fræenum temperantiæ. Quamvis ætatem circumſeramus annorum numeris non ſolùm onuſtam modò; ſed & pondere preſſam, atque longo uſu detritam, tandem in mortis caſſes, velimus, nolimus neceſſe eſt incidamue. Poſt laboree, artium ſtudie, dignitates, opes, ſequuntuc flagella, dolores, aliáque mille fugientem vitam exereitantia, & ſola virtus ſuperſtes manet, hinc cecinit ille

Poſt obitum benefacta manent, æternáque virtus
Non metuit ſtygijs, ne rapiatur aquis.

Et Horatius lib. 3. ode. 30. *Non omnis moriar, multáque pars mei vitabit Libithinam.*

BONAM SENECTUTEM NON CAPITIS CANITIES SED MORUM CANDOR CONSTITUIT.

9. Pingentur duo ſenes calvus unus, canus alter, ille altera manu globulos prerarios percurrat, altera nummos pauperi elargietur; ille florum corollas cum pueris componat, terátque inutiliter tempus. Bone ſenectus eſt, quem virtutum flores exornant, operum bonorum, morúmque candor inſignit: Sicut in ſenis capite capilli candidi fiunt; ita opera juſti à peccati nigredine ſunt immunia. Lepidè Auguſtinus in Pſalm. 91. *Et ſenecta mea in miſericordia uberi*, ſeu ut ipſe explicat *pingui*, ait. qui dixit ſenecta mea: Noviſſima mea. Quomodo in ætatibus noſtris noviſſima ſenectus eſt, ſic totum hoc quod modò pariter Chriſti eorpus in laboribus, in ærumnis, in vigilijs, in fame, in ſiti, in ſcandalis, in iniquitatibus, in preſſuris; juventus ipſius eſt; ſenectus ipſius, id eſt noviſſima ipſius, in lætitia erunt; & intendat charitas veſtra, quia dixi ſenectutem, ne putetis & mortem: homo enim in carne ideo ſeneſcit, ut moriatur. Senecta Eccleſiæ candida erit rectè factis, morte autem non corrumperur. Quod eſt capuc ſenis, hoc erunt opera noſtra; videtis quemadmodum raneſcat caput, & inalbeſcat, quantumcunque ſenectus accedit. Qui bene ſeneſrit, ordine ſuo quæres illi aliquando in capite capillum nigrum. & non invenies: ſic cùm fuerit vita noſtra talis, ut quæratur nigritudo peccatorum, & non inveniatur, ſenectus ſua juvenilis eſt, ſenectus ita viridis eſt, ſempérque virebit! hactenus Auguſtinus.

NON FLECTUNTUR PRECIBUS PARCÆ, NEMINI PARCUNT.

10. Pingantur tres Perræ Erebi, ac noctis filiæ, ſeu laniſicæ ſorores, ita vocatæ eò quia ſtamen humanæ vitæ ducanc, ac ſorfice præcidant. Pingantur præceſſa inſidentes nube, quarum altera filum intorqueat, ſecunda intortum conglomeret, tertia forfice lurridat filum aureum deſcendens in terram ad regiam Principis decumbentis in aureo lecto, è cujue pectore ad Parcæ uſque ſorficem protenſum filum ſuſpiciatur. Mercurius, Minerva, & ex aula proceres primi honoris fuſis lachrymis fundant preces, rogéntque Parcam, ne filum ſecet, ſed quæ non ſinat ſe precibus flecti. Parcarum nomina ſunt Clotho, Lacheſis, Atropos, quæ etiem Fata dicuntur, de quibus Cleanthes: *Ducunt velentem fata, nolentem trahunt.* Finguntur vitæ hominis præſſe, & nendo eam ducere. Et Apuleius aic: Tres Parcas tria fata eſſe, munera cum ratione temporis ſarientia, ſi poteſtatem earundem ad ejusdem ſimilitudinem temporis referas. Nam quod in fuſo perfectum eſt præteriti temporis habet ſpeciem; quod torquetur in digitis momenti præſentia indicat ſpecia; & quod nondum ex colo tractum eſt, ſubactúmque curâ digitorum futuri ſæculi deſignat ſpatia. Verùm inexorabile Fatum dicitur, quia nec precibus flectitur, nec molleſcit lacrymis, qua ratione Virgilius

Deſine fata Deûm flecti ſperare precando.
Stat ſua cuique dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ.

PULVIS, & UMBRA SUMUS.

11. Pingatur atrum, pallidúmque cæmeterium pluribus calvarijs, multiplicique oſſuaria refertum; cujus parietes veſtiant lapides plures ſepulchrales, qui inciſis inſcriptionibus eorum nomina indicent, qui deceſſerunt. Interim Libithina in foveam profundè excavatam oſſa injiciat promiſcuè, premátque falcis manubrio, & altero pede calvarias conterat in pulveres, conſtat quodlibet ex ijs, in quæ reſolvitur; cumque homo deſinat in pulveres, umbrásque ſepulchri, ideo rectè recinit Lampſac.

Ecce ſumus pulvis, ſumus ecce miſerrima tellus,
Et noſtri fugiunt, ut levis aura dies,
Solvimur ut nebulæ, ſurgens ut in aëra fumus;
Et veluti ſolvi ſole pruina ſolet.
Carpimur, ut ſtipulæ rapido carpuntur ab igne,
Nil niſi vivendo ſomnus, & umbra ſumus.

Et Horatius lib. 4. Ode 7.

Damna quidem celeres reparant cœleſtia Lunæ;
Nos ubi decidimus,
Quo pius Æneas, quo Tullus dives, & Ancus,
Pulvis, & umbra ſumus.

VOLAT IRREVOCABILE TEMPUS, & NOS TRANSIMUS IN ILLO.

12. Pingatur in aëre puer aligerus, qui per nici volatu fluentem cleps ydram ſecum deferat. Inferius quatuor hominis ætates ſymbola gerentes quatuor anni tempeſtatum, quarum una alteram ſequatur ſepulchrum verſus, ubi eſt itine-

itineris meta serpénsque non procul sibi caudam mordeat, & circulum effingat æternitatis. Senectus cæteris est propior sepulchro, pingitúrque sub specie senis jam ætate confecti, viribus detriti, quique dexterâ scipioni nitatur, sinistra patinam gerat cum prunis accensis, quibus calefiat, incurvatis humeris, submisso capite, mœstisque oculis proximum adspiciat cœnotaphium. Hunc sequitur homo adultus quinquagenarius, racemis, pomisque coronatus, pepones, pira, ficus, & alios id genus autumnales defert in amplo canistro fructus. Succedit inde Juventus, quam exprimit Juvenis vegetus, agilis, flavescentibus redimitus spicis, quarum plures manipulos utroque complectitur brachio. Ultima est infantia cæteris ordine naturæ à sepulchro remotior, hanc exhibet puer jucundus facie, flosculis coronatus, quique flores varios uti hyacinthos, Narcissos, tulipas, & alios manibus teneat, qui verno tempore depictos suos explicant colores. Fluunt cum anno hominis ætates nilque in homine stabile scitè Horat. lib. 4. Ode. 7:

Immortalia ne speres, monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris : ver proterit Æstas.
Interitura simul,
Pomifer Autumnus fruges effuderit, & mox
Bruma recurrit iners.

Idque edoctus non alio magistro, quàm experimento Seneca ait: Diem nox premit, dies in noctem, Æstas in Autumnum desinit. Autumno Hyems instat, quæ vere compescitur: omnia transeunt, ut revertantur. Tibi autem nemo restituet annos tuos, nemo iterum te tibi reddet. Ibit quà cœpit ætas, nec cursum suum aut revocabit, aut supprimet.

OMNES MORS UNA MANET.

13. Pingatur peramplo in foro Libithina, quæ postquam plures artium mechanicarum professores, ut Tonsores, fullones, caupones, phrygiones, carminatores, sutores, & alios sua enecaverit falce, quà in propriis officinis, & quà in foro ipso ubi inanimes jacent; pede, falcisque manubrio clausam nitatur regii palatii adaperire januam. Rexque è fenestra lachrymabundus mortis aspiciat violentiam, à qua minimè cesset, licèt enixim à pluribus rogata Aulæ Proceribus, & prænobiles fœminæ ob id lugeant, crinésque dilacerent; *Moritur Sutor eodem modo, ac Rex:* ait Menander; quia ut verè Horatius lib. 1. Ode 4. *Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regúmque turres;* neque vim ullam habent lachrymæ emolliendi ejus duritiem. Mors nec movetur ululatibus, nec flectitur precibus, ut enim monet Lamp.

Dilaceras crines, cœlúmque ululatibus imples,
Mœstaque sanguineis unguibus ora notas:
Credis an extinctos huc posse revertere Reges?
Flere obitum est, addi vulnera vulneribus.

14. IS TEMPUS BENE IMPENDIT, QUI SE BENE EXPENDIT.

Pingatur Zeno Philosophus unà cum pluribus è suis discipulis, sedens in porticu Stoicorum memoratissima, quam Chrysippus dictus est fulcire. & Polygnotus eleganter pinxisse. Fuit hæc porticus Athenis dicta Pœcile à varietate picturæ. In hac pingitur Zeno in pulpiro sedens cum clepsydra alata, ac alligata libro cubo innitenti; dexterâ ori admota silentium indicit adstantibus, ut sibimet attendant, expendántque sedulo examine proprios mores, quos corrigant, si aliquid in iisdem vitiosi deprehenderint. Nullibi utilius tempus impenditur, quàm in propriis corrigendis moribus, amoribus amovendis, qui fluxa sapiunt, ac rectæ dissona rationi. Plerique ita tempore utuntur, ut abutantur, prodigántque *Mirum ait* Seneca de brevitate vitæ, *re omnium pretiosissima luditur, vix est, qui tempus æstimet; nullus ab hoc excusandus errore, in omnibus, & singulis hæc culpa redarguenda, hominibus præsertim qui nullo non momento meliores effici, & possunt, & debent. Utuntur homines tempore seguiùs, & quasi flocci æstimantes, cuilibet illud petenti dant illico, quin & ultrò exhibent, quasi nihil darent, quod ad ipsos pertineret; & tamen id dant, quod semel datum, vel condonatum, nemo est nec Princeps, nec Rex, qui vendit, & possit ampliùs restituere. Hujus profusionis hæc fortassis causa, quia rei fluxæ levis videatur esse jactura. Imò quia res est fluxa, quæque non revertitur, pluris censenda est, quàm quæ semel amissa recuperari, potest. Quia ipsi fluxiore sumus animo, piget nos injecta manu velocissimæ rei moram facere, diúque hærere pertranseunti. Sola temporis possessio nostra est, & avaritia laudabilis, qui sibi incumbit, ac satagit melior fieri, quàm sit, benè tempus impendit.*

LICET MORTE NIL CERTIUS, NIL TAMEN INCERTIUS HORA MORTIS. 15.

Pingatur Libithina quæ pansis retibus in longè, latéque protensa planitie duos comprehendat simul pugnantes exercitus, è quibus plures ferro saucii, alii igne absumpti, vel fulmine è cœlo ruente enecti cadant. Omnes mortis clauduntur cassibus, omnésque certò rapit Libithina hoc tantùm discrimine, quòd alii aliis ocyus, quod quidem incertum. Hinc Horat. *lib. 2. Ode 3.*

Divesne prisco natus ab Inacho
Nil interest, an pauper, & infima
De gente sub dio moreris
Victima nil miserantis orci.
Omnes eodem cogimur: omnium
Versatur urna: serius, ocyus
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

Moriendum semel esse, certissimum est, incertum tamen, quo loco, vel tempore, ut rectè Seneca *Incertum est, quo te loco mors exspectat. Itaque tu illam omni loco expecta.* Nocte intempesta cum minus de ipsa cogitamus, nos cogit mors, exigitque, quod ei debemus pensum. Stultus sanè se tempore, vel loco aliquo tutum putat, à mortis insidiis; talis fuit Evangelicus ille, cui Lucæ 12. dicitur, *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti cujus erunt?* Quid? flagitii alicujus atrocitas hanc supplicii secum traxit severitatem? id non crediderim, non enim hic dives rapuit in officinis, vel templis, sed messuit in campis: non telonio insedit, quo rapaciùs nihil; sed rura excoluit, quo vitæ stu-

dio innocentius nihil. Nam legimus Scortis, Parasitis, Mimis, & Sicarijs congestas suas defluxisse opes, & sibi parum indulsisse, ac animæ suæ mensam, somnúmque intimâsse Luc. 12, 19. *Anima requiesce, comede, bibe, epulare*, eh quid inde mali? etiam Elias requievit in via; epulatus est Loth in domo: Noëmus bibit in vinea: comedit Isaacus in lecto; cur hic solus stultitiæ nota redarguitur? certè non quia comederit, biberitque; sed quia se tutum existimavit ob florentem ætatem à Libithinæ falce; quasi hæc promiscuè capta oculis omnes non capiat, metátque: mortem meruit, quia vitæ sibi foerat pollicitus securitatem inquiens: *Anima habes multa bona reposita in annos plurimos*. Hisce annis decurtata est vita opulenti, & in noctem unam contracta. Odit Deus vitæ spem in hominibus inopinæ obnoxijs neci, amátque timorem incertitudini innixum; hacque fortassis de causa delinquenti, reóque proroparenti maluit indictam mortem differre, quàm inferre, ne si statim suum clausisset diem accedentis Libithinæ noctem futuram ævi sui terminum reliceret. Fuerat Deus Genef 2. 17. comminatus. *In quocunque enim die comederis ex eo morte morieris*. Comedit, nec mortuus est, quia si diem obijsset suom post præcepti transgressionem de sui funeris hora certus fuisset, & ne id contingeret, distulit sententiæ executionem; ut Adam incertus viveret, quâ esset hora moriturus.

16. FATA TRAHUNT OMNES.

Pingatur juxta Cocytum fluvium ingens hominum moltitudo promiscui sexus, omnisque conditionis, ætatis, ac generis, quorum singuli certam exhibeant Charonti pecuniam, ut ejus cymbam ingrediantur, transvehantúrque ad aliam ripam. Charon à Poëtis dicitur, qui defunctorum animas per tria Infetni flumina Acherontem, Stygem, ac cocytum, ad aliam transvehit ripam, ad quam omnes homines destinantur, nullúsque sit, qui cymbam charonteam, seu trajectionem ea hac fluente vita ad aliam valeat declinare; adeout Anaxagoras, & Socrates cum jam imminentis mortis sententiam per nuntios accepissent, responderint: *Jam olim istam sententiam æquè in Judices, atque in nos tulit natura*; quia Fata manent omnes, & ut rectè Seneca *undecunque ad inferos una via est: nulli aliena patria mortuo*. Hinc lepidè Horatius lib. 3. Ode 14.

Charontis unda scilicet omnibus.
Quicunque terræ munere vescimur,
Enaviganda sive Reges,
Sive inopes erimus coloni.

17. QUÆ MARTE, VEL ARTE ACQUIRUNTUR MORTE OBTERUNTUR.

Pingatur supremus exercitûs Præfectus, seu Doctor cataphractus tristi vultu, quem mors cupressos binas humeris deferens, altero brachio ad proximum ducat cœnotaphium, uxore ornatu muliebri ad elegantiorem pompam indutâ ululante, lachrymásque fundente ob ultimam, quam dicit marito properanti ad sepulchrum salutationem; filiúsque in prima infantia unà cùm Matre plorantibus. Alij tamen grandiores coram aliquibus militum tribunis, ac castrorum Magistris bona à Patre congesta inter se se dividant, scitè Horatius hoc idem expressit lib. 2. Ode 14.

Linquenda tellus, & domus, & placens,
Uxor, neque harum, quas colis, arborum
Te præter invisas cupressos
Ulla brevem Dominum sequetur.
Absumet hæres cæcuba dignior,
Servata centum clavibus. & mero
Tinget pavimentum superbum
Pontificum potiore cœnis.

SENEX PRUDANS DE ROGO COGITAT, INSANUS DE DOMO CONSTRUENDA. 18.

Pingatur Severus Imperator sedens suo coram exercitu in elegantissimo papilione; quique per castra observet circumvehi linteum conto elevatum. Simol ex parte altera pingatur senex capularis stans, ac urgens plures operarios, quorum alij prædura marmora secent, alij columnas perpolliant marmoreas, alij mutoa construant, vel deferant trabes, lateres, calcem, & alia id genus, quæ à sene neci contiguo solicitè considerentur, ac urgeantur, de quo propterea verum fit illud Horatij lib. 2. Ode. 18.

Truditur dies die
Novæque pergunt interire Lunæ
Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus, & sepulchri
Immemor, struis domos.

Plura hæc insania senum occupat capita: Plura senum pulsat pectora superstitis ambitio nominis; coguntur lacerata ferro marmora post fata loqui, quæ nusquam noverunt, putantque lapidea duritie, cui nomen concredunt temporis eludere dentes, saxisque propriæ consulere perpetuitati. Hæc est sors misera eorum senum, quibus quo minus superest vitæ, amplior de viatico, de fama, deque mansione cura est. Non ita egit Severus Imperator, qui cum se sensim ad proximam Libithinam properare animadvertisset, Linteum, in quo tumulandus erat per castra conti elevatum cuspide circumferri jussit, & per præconem edici: *Ex ex amplissimis regni opibus, quod unicum Severus Imperator secum asseret.*

VITA ITA INSTITUATUR, UT MORS NON METUATUR. 19.

Pingatur Pietas dexterà Libithinæ obstans accedenti; Sinistrâ circulum teneat æternitatis Symbolum, juxta aram Vestalium perpetuò clararam flammâ. Juvenis ante aram se in speculo sphœrico, quod per manubrium sinistra tenet, contempletur, morum, non corporis correcturus errores, ut ad normam rectæ rationis vitam instituat, quæ mortem rideat venientem. Serpentes plures aligeri sibi cauda mordentes annorum fluentium deferibant seriem in productæ formam catenæ, de quibus Horatius lib. 2. Ode. 14.

Eheu fugaces Posthume, Posthume.
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis, aut instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti.

Mors quam vita bona præcessit, non est formidini, quia nil mali adfert, imò nec vitam aufert,

fert, sed loco mutat, quò melius se habeat, non ampliùs mortalitatis obnoxia ærumnis; est siquidem mors post procellas acriori vento concitatas arridens malacia, postque tumentes fluctus, æstûsque effervescentes pacatus portus, perfugiúmque vitæ ærumnosæ. Cum possit homo, si velit, rectè vivere, potest etiam si velit mortem non timere. Timet homo, si mortem timeat, quam non timere in ejus est potestate.

20. ITA VIVAMUS, UT NOS NON POENITEAT VIXISSE.

Pingatur Virtus, quæ pansis alis ab humo homines binos pietatis cultura, & scientiarum studijs insignes ad æthera extollat. Præcedat optimi nominis præclara Fama inflans buccinam. Est enim sola virtus, quæ non finit nos pulsari anteactæ vitæ pœnitudine. Nunquam nos pœnitet benefacti; pudet nos vitæ malè actæ; erubescimus non fuisse meliores, & non dedisse virtutum culturæ, quod vitijs indulsimus. Quippe ut scitè Seneca.

Nunquam stygias fertur ad umbras
Inclyta virtus: vivite fortes
Nec Lethæos sæva per amnes.
Vos fata trahent: sed cum summas
Exiget horas consumpta dies
Iter ad superos gloria pandet.

21. NULLI SIBI TUTE VIVIMUS.

Pingatur Æschylus Siculus sedens in suburbani collis amœna radice detecto capite, sine capillitij tegmine calvo: tota mentis attentione apertum legat volumen, juxta pedes calamaria theca cum libello papyraceo. Aquila imminens testudinem demittat frangendam capiti calvitie saxum imitanti. Ait Valerius Maximus Æschylus in Sicilia mœnibus urbis, in qua morabatur, egressus, aprico in loco resedit: super quem aquila testudinem ferens, elusa splendore capitis (erat enim capillis vacuum) perinde atque lapidi eam collisit, ut fractæ carne vesceretur: eóque ictu origo, & principium fortioris tragœdiæ extinctum est, hinc lepidè Horatius lib. 2. Ode. 13.

Quid quisque vitet nunquam homini satis
Cautum est in horas. Navita Bosphorum
Pœnus perhorrescit: neque ultra
Cæca timet aliunde fata:
Miles sagittas, & celerem fugam
Parthi: catenas Parthus, & Italum
Robur: sed improvisa leti
Vis rapuit, rapietque gentes.

22. ÆTERNUM SUB SOLE NIHIL.

Pingatur senex Saturnus pansis alis discurrens per orbem, qui utraque manu retortam vibret falcem, quâ Herculem, Mercurium, Martem, atque trigeminas gratias messuerit, humique prostraverit; utrinque plura ædificia, quà jam solo æquata, ac eversa, quà labentia, ac multiplici hiatu vitium facientia, annosæ quercus in campis nudatæ folijs, & semimortuæ, aliæ securi sectæ. Item sepulchra marmorea diruta, de quibus cecinit Ausonius.

Miramur perijsse homines, monumenta fatiscunt.
Mors etiam saxis, nominibusque venit.

Omnia sub sole interitui obnoxia sunt, fluxa omnia, ac labentia, quibus inniti, non nisi ruinam secum trahit. Rectè Horatius de Arte Poëtica.

———Mortalia facta peribunt,
Ne dum sermonum stet honos, & gratia vivax.

PRINCIPUM DELICTA PLEBS LUIT. 23.

Pingatur raptus Helenæ, cujus causâ cruentæ clades excitatæ sunt, & Troia perijt, ferro, & igne eversa: milites aliquot vi Helenam ad paratam navim solicitato asportent passu; alia sit navis longè grandior pansis velis Helenam expectans, quam recipiat. Duo exercitus districtis gladijs, vibratisque sagittis eminus, & cominus, ad multi sanguinis pugnent effusionem. Ferunt fuisse Helenam Jovis filiam ex Leda. Hæc ob formæ elegantiam, quâ cæteris antecelluit, à plerisque concupita fuit, & primùm à Theseo adhuc puella rapta; sed postea absente Theseo à Castore, & Polluce repetentibus citra injuriam restituta. Mox adulta Menelao Lacedemonum Regi nupsit. Paris autem Priami Filius, qui omnibus etiam virili, elegantique forma cæteris præstabat, illius pulchritudine illectus Spartam navigavit, ibique Helenam absente Menelao, à quo priùs benignè fuerat exceptus rapuit, vastatâ priùs illâ regione, & expugnata Sparta. Hac injuria læsi Græcorum Principes omnes in Aulide conjurârunt de repetenda Helena, & evertendo Ilio. Hinc nova cruenta bella, populorum clades, regionum eversiones, & Troiæ excidium, ut verum sit illud Horatij lib. 1. Epist. 2.

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, scelere, atque libidine, & ira,
Iliacos intra muros peccatur, & extra.

POENA SCELERIS COMES, AC CULPÆ PEDISSEQUA. 24.

Pingatur Pœna sub deformi iratæ mulieris specie, claudo pede, seu potius ligneo, sinistro brachio, virgas, secures, gladios, aliáque id genus instrumenta, quibus promeritæ infliguntur pœnæ, complectatur. Dextera verò manu flagellum elevet serpentibus retortum, ac minitantibus virum patratis sceleribus infamem, quem pœna insequitur, flagellátque, ac urget patibulum versus. Vir scelestus districtum dextera tenet gladium recenti adhuc sanguine madidum, sinistra sectum ab humano corpore defert caput. Repræsentatur pœna pede claudo, quia lento gradu ad vindictam sui, divina procedit ira: tarditatem tamen gressûs supplicij gravitate compensat. Non tamen est scelestus ullo tempore à pœna immunis; ut enim rectè Seneca Epist. 97. *Prima peccantium, est pœna peccâsse: nec ullum scelus, licèt illud fortuna exornet muneribus suis, licèt tueatur, ac vindicet, impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est*, & Seneca Tragicus *sequitur superbos ultor à tergo Deus.* Non modica est delinquenti pœna, non parva miseria ipsum deliquisse, præsertim si cogitet, quæ sibi mala parturierit, quibus se bonis seducente peccato spoliaverit, quibus se intus reclamante conscientia pœnis addixerit. Vix donantur expiatu damna, quæ patrata invehunt scelera, trahúntque secum flagitia. Adeo nexa peccato pœna est, ut plerumque nec ipso discriminentur nomine,

mine, ut iniquitatis vocabulo cruciatus iniquitati debitus intelligatur Psalm 68. v. 28. *Appone iniquitatem super iniquitatem*, id est, adjice cruciatum patratæ iniquitati, ut expendit Isidorus Pelusiota *lib. 3. Epist. 91.* inquiens: *Perinde ac si diceret appone cruciatum super iniquitatem eorum:* hic autem nexus indicat cruciatus, ac pœnam iniquitatis comites esse; hæcque connexio tanta est, ut Dei ira ex nostris dicatur culpis distillari, non secus ac in torculari ex racemis pressis vinum: acutè Olympiadorus in catena Græca interpretatur illud Thren. 1. 15. *Torcular calcavit Dominus Virgini filiæ Sion:* ait ipse ad rem nostram, *Omnia peccata Deus simul collegit, quibus calcatis fecit vinum*, *de quo Psalm. 74. Calix in manu Domini vini meri, id est iræ, examinata namque peccata: & quodammodo expressa divinam distillant iram, quâ potantur peccatores.* Iram distillat divinam, qui peccata perpetrat, è quibus in torculari divini judicij premitur indignatio. O fatui homines, ò deliri Adæ filij, qui modicâ titillantis sensus indulgentiâ tam gravibus se pœnis addicunt, & unius sceleris lapsu in tam magna, tamque multa supplicia se conjiciunt; ut peccata ob pœnarum incrementa usuris etiam addicant, eo quòd diviti fœnore supplicia parturiant: huc vocatur illud Prophetæ Regij Psalm. 71. *Ex usuris, & iniquitate redimet animas eorum:* ait Augustinus: *Quæ sunt istæ usuræ nisi peccata, quæ etiam debita nominantur; usuras autem appellatas puto, quia plus mali invenitur in supplicio, quàm delectationis perceptum fuerit in peccato.*

25. Infra vires deprimuntur, qui supra vires aliquid moliuntur.

Vel, vis consilij expers mole ruit sua.

Pingantur Gigantes addentes ingentia saxa saxis in præcelsis montis fastigio, ut propiùs cœlum adoriantur, & expugnent. Jupiter ex atra. densâque nube fulmina in temerarios evibret, quorum aliqui fulmine icti humi exanimes jaceant, alij ex montis jugo unà cum saxis deorsum ruant, & omnes exturbati, ac perterriti ab incœpto cessent conamine. Insana certè temeritas! terreni cum simus, humíque repentes, adhuc audemus cœlum lacessere, adoriri. Est temeritas impetus sine ratione, quæ quos tangit perdit, testes vocantur Gigantes, qui suis confisi viribus dum cœlum petunt, in imum præcipites ruunt. Exemplo sunt Milo Crotoniates, & Polydamas Athleta, qui accurrentes, ut montem labentem humeris sistant, obruuntur rupe, quia ut scitè Horatius lib. 3. Ode 4.

Vis consilij expers mole ruit sua
Vim temperatam Di quoque provehunt.
In majus, ijdem odere vires
Omne nefas animo moventes.

Huc revocandum Poëtæ monitum, altæque menti, ne oblivione deleatur, imprimendum.

Ardua ne subeas ignotæ pondera molis
Ni bene sint tergi robore mensa tui.

26. Vento pascitur, qui in aula spe vivit.

Pingantur Aulici plures virentibus herbarum folijs redimiti, quorum quilibet suo adblandiatur Camæleonti oscitanti ad hauriendum aërem, quem pascatur, omnes veluti personati forum circumeant regalium ædium. Hos præcedant Pavones duo explicatis caudis superbientes. Desumitur Emblema ex Jeremia *cap. 22.* ubi pasci vento interpretatur jactari falsa spe, qualis plerumque in aula est procerum oblonium. Quos ambitio pulsat, facilè spes vana veluti ad patibulum collo alligatos suspensos tenet; utque torqueantur diutius, vacuis seducit promissionibus; perspicuum, notúmque est, ventum pro re vacua, atque nugatoria usurpari. Qui vitam ex aliena promissione suspensam trahunt, atque hiantem, quorum in Principum aulis ingens numerus, hi profectò inani pascuntur aurâ; perinde ac Camæleontes, qui solo vento sustentari creduntur, ac pasci.

In miseriam, & mortem non cadit invidia. 27.

Pingatur Libithina altero pede, falcisque manubrio pectus premens Invidiæ humi resupinatæ, cujus capillos serpentes tornati è capite erumpentes effingunt. Miseria sub specie impallescentis, luridæque aniculæ, detritis, laceratisque induta vestibus stans ridet Invidiam humi jacentem, accersitque Herculem pedibus itidem conculcantem Hydræ colla, ut quod de se dat Invidia spectaculum, spectet. Perinde ac umbra ad solem incedentes sequitur, ita comes est invidia procedentibus acquisitæ virtutis merito, vel Principis favore ad altiores honores; omnes invidia torquet, quia ut scitè Ovidius.

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit,
Tum suus ex merito, quem tueatur honos.

Sicut rarus ille, qui velit ingenio cedere, ita rarior, qui nolit alijs præesse, hinc ut pulchrè Augustinus: *Invidet par pari, quia ei coëquatur: invidet superior inferiori, ne ei coequetur: invidet inferior superiori, quia illi non coëquatur:* tantum post mortem cessat invidia, timida est, Libithinæ umbras timet: superba est, extremæ casam miseriæ ingredi dedignatur, non pede tantùm: sed & sola cogitatione. Quamvis miserrimus sit invidus; miseriæ tamen, quam quis in alio videt, invidet nullus; adeout sola miseria invidiæ nescia de Invidia triumphet. Fortuna hominis misera, cui non invidetur. Ferunt, Platonem cum ei condiscipuli inviderent, Socratem interrogâsse, quâ ratione posset hominum declinare invidiam, & Socratem respondisse, esto & tu Theosites: fuit hic homo omnium miserrimus, in quem propterea cadere invidia non potuit.

Sola temporis avaritia utilis. 28.

Pingatur Pindarus Poëta Sellæ insidens lauro redimitus in mensa, ubi theca est calamaria scribens carmina, quæ mente conceperat. Sinistra manu Tempus veste teneat; ne abeat. Pingitur tempus sub specie hominis senio confecti pansis ad humeros alis, cujus capiti clepsydra hæreat, dexterâ manu falcem verset. Ex Musis Thalia, & Terpsichore Saturnum rogent, ut suas velit moras adhuc cum ipsis trahere. Fluunt omnia, nos quoque fluimus, ac fluminis more rapimur, quidquid sub sensus cadit cum tempore fluit, quia fluida est rerum omnium sensibilium materia, & caduca, mutationum ob-

noxia

noxia vicissitudinibus. Tempua ideo ritè impendendum; ita enim fluit, ut idem nunquam refluat. Noxia omnis avaritia; illa sola peobatur, quæ est temporis, si virtute apprnbetur, non reprobetur vitio. Omnis avaritia à cordis humani sinu procul exuler; quòd si aliqua placet, tempoeis avaritia admittatur, hæc enim sola bona est, proinde tempore bene semper utamur, abutamur nunquam. Volat tempns, neque revocatur, si tuus hospes fuerit, sic illo utere, ut abeunti gratias velis agere, ut monet Lamps.

A te tempus abit, frustra remoraberis, imò
Grates ante tibi quod fuit hospes, age.

29. TEMPERA TE TEMPORI.

Pingatur Mercurius Jovis Nuncius, ac Legatus eloquentiâ, ac dexteritate in agendis negotijs percelebris, qui Aligerum senem Saturnum cum falce, & clepsydra hospitem cupiat, proindeque suadeat ei ingressum in prupeiam parentum domum. Sint ambo ad fores in platea, & Mercurius tempus manu prehensum introducat in domum. Aër sit atris nubibus fœdua, fulgura ex eoeundem sinu, ac fulmina erumpant. Ventus procellosus arbores in campis eradicet, domus, & mapalia evertat. In mari acriori procella exasperata tumentes fluctus naves ad naufragium agitent, alias submergant. Fortuna ubique locorum furore debacchetur novercali. Quid tunc viro prodenti agendum; satiùs si se tempori accommodet, si in domo illud recipiat, eòque utiliter domesticos inter parietes utatur. Huc monitum pertinet Lampsaci.

Invisens hilari Tempus te suscipe vultu.
Hospitióque fove fac tibi, sitque lucro.

Tempore semper bene utendum, neque quod hodie fieri potest, in crastinum protrahendum est: minus ex crastino pendet, qui hodierno die ultimam dat opeei manum: dum res differtur, vita transcurrit: Omnia aliena sunt, ait Seneca, tempua tantùm nostrum est; quando illo rectè utimur; nósque illi nostra accommodamus: ut enim monet Pindarus

Proque loco nunc huic fieri, nunc expedit illum.

Nescimus quid sequens dies pariet, varia est temporis vicissitudo, & inconstantia. Rectè Horatius lib. 3. Ode 29.

——— ——— Quod adest memento
Componere æquus. cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace dilabentis Etruscum
In Mare: nunc lapides adesos
Stirpésque raptas, & pecus, & domos
Volventis unà, non sine montium
Clamore, vicinæque sylvæ,
Cum fera diluvies quietos
Irritat amneis.

Tempus autem, dum volvuntur dies, aliam, & aliam affert rerum vicissitudinem, quinimò parœmiali figurâ dicimus, diem non laudari ante vesperam, ob varias scilicet vicissitudines, quibus est obnoxius; sæpe quæ læta fuit mane dies, sub vesperam atris, densisque fœda nubibus fulgurum coruscatione, fulminúmque ruinis in tragœdiam desinit. Non semper dies illucent Halcyonis, qui malaciam à procellis tutam invehant.

NON DIU VIXISSE, SED RECTE EGISSE HOC MORIENTI PRODERIT. 30.

Pingantur in luctu in squalore iacentes ad umbram lethalis cupressi Nestor longævus, & Sybilla Cumana extrema senectute detriti, quos unà cum pluribus cornicibus suis Libithina claudat retibus, ut diffugere neutiquam valeant. In aëre supra cupressum Virtus pansis alis, pernicique volatu in cœlum Herculem cum clava evehat. Nestorem, & Sybillam Cumanam longævos vixisse annos adeo clarum, ut cum diuturnam alicui vitam apprecamur, Nestoreos vel Sybillinos illi annos paræmialiter voveamus, quæ de utriusque longævitate produnt Auctores, obvia cuique sunt, Præ cæteris Ausonius *Epigr. 18.* ad uxorem.

Nestore sis quamvis provectior, æmulaque annis
Vincas Cumanam, tu quoque Deiphobem,
Non ignoremus quid sit natura senectus
Scire ævi meritum, non numerare decet.

Fluxit laude vacuus numerus, qui numerat tantùm annos, & non rectè in annis acta. Non annorum longa series, sed probitas vitæ licèt brevis hominem commendat. Plures exiguo viventes tempore consummatique in brevi explent tempora multa, quia paucis annis absolvont ea, quæ vix alij multis perfecissent; tunc operum copia ætatem superat. Perfectam ætatem perfecti actus probant: annorum nuda recensio perinde fluxit, ac Danubij unda, quæ varios post flexus, cursúsque productos in Pontum Euxinum, seu mare nigrum, quod oblivio interpretari potest, pleno devolvitur alveo.

FLUUNT OMNIA, & AD INTERITUM RAPIUNTUR. 31.

Pingatur Libithina stans ad maritimam oram ubi ingens fluvius se exonerat, effunditque in mare; sinistrâ falcem, dexterâ prælongum funem teneat, quo ad se trahat decurrentes cum flumine quinque Cymbulas ita unà colligatas, ut altera alteri immediatè succedat, in quarum prima sedeant dies, nox, Horæ, & mensis, ut solent pingi; in secunda Hyems; in tertia Autumnus; Æstas in quarta; & Ver in ultima. Fluminis more illabitur vita nostra; id nostri dies sunt, quod in excurrente fluvio undæ; & dierum horæ; quod in fluctibus guttæ; hominis ætates anni produnt tempestates, quarum altera alteri succedit, omnésque unà colligantur, ab unâ trahuntur Libithinâ. Quam ne declines bene utaeia tempore, abutaris nusquam necesse est. Bene autem utitur tempore, qui illud ad æternitatē ducit, reducitque ad suum Principium: è cœlo sua tempus natalia trahit, motu, & conversione orbium, inde oritur, ubi æternitas viget: ad suam reducendum est originem, idque ut contingat in tempore quærenda est æternitas, ad cujus felicitatem, cruces, ærumnæ, passiones scholam construunt: hæcque ratio, cur tota humana vita in Christianorum Kalendario uni feriæ sextæ olim pariaretur, quæ cruci ferendæ tota sacra est. Pulchrè Petrus Domianus Serm. 48. *Tota hæc vita feria sexta*

est: quia scilicet crucem post Dominum bajulare jubemur.

33. MORS OPTIMA DISCIPLINARUM MAGISTRA, NOS EDOCET ARTEM BENE VIVENDI, ADEAMUS SÆPE MORTEM, UT DIU VIVAMUS.

Pingatur vir Philosophus sedens medius inter spem, Timorem, & Iram stantes, caróque caudâ infligentes vulnera. Filum è summo cœlo ad nudatum usque caput meditantis Philosophi cum prægrandi aperto, innixóque sinui libro productum, quódque una ex lanigeris sororibus, seu Erebi Filijs, quæ vulgò Parcæ vocantur atra insidens nube sorfice scindat. Spes pulcherrimæ puellæ speciem præferens, viridi induta colore, folijsque redimita virentibus trifolium hilari vultu sedenti, mortémque meditanti exhibet Philosopho; imminet Spei puellus aliger cornu deferens Amalthææ omnium fructuum refertum genere. Suntque votorum fructus, reique speratæ assecutio. Timor personam induit feniculi impallescentis cervina vestiti pelle, totus contremiscit suspiciens Erebi filiam nube pendulum vitæ filum resecantem. Ira sub specie cataphracti militis accensas manibus agitat tædas. Hoc emblema descripsit Horatius *lib.* I. *Epist.* 4.

Inter spem, curámque, timores, & iram
Omne crede diem tibi diluxisse supremum.
Grata superveniet, quæ non sperabitur hora.

Moribus corrigendis, vitæ ritè instituendæ, mortique sanctè, beatéque obeundæ aptius nihil crebrâ imminentis mortis cogitatione. Interrogatus Musonius, quisnam optimè diem extremum claudere posset? respondit, *qui postremum sibi diem semper instare proposuerit.* Quia nil mortis accessu certius, nil horâ ejus adventûs incertius, ídque ut Christus innueret; patrem se furi fecit, cum potuisset se fulmini comparare Luc. 12. *Si sciret, quâ horâ fur veniret.* Eh cur non se parem effecit fulmini, quo nil velocius, nilque aptius incutiendis terroribus? quia non plena fulminis ignoratio, non plena incertitudo, cum nubes fœdè congestæ illud & prænuncient, & pariant in matre gravidata procellis; ruitura mox fulmina facilè prævidentur. Maluit ergo Magister optimus deterrima comparatione suum fœdare adventum, quàm vestigium ad certam horam accedentis mortis conjiciendam permittere. Invehitur hæc mortis incertitudo, ut nostræ consulamus saluti; à nobis vitia exulent, quibus sublata hac incertitudine facilè indulgeremus, ac in omne scelerum genus prolaberemur; ut contigit Oeconomo illi Evangelico, qui spe vitæ longioris in symposiis ebrius, in foro rixosus, in aula iracundus omnibus se flagitijs fœdavit, Matth. 24. 48. *Si autem dixerit malus servus in corde suo; moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere conservos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet Dominus in die qua non sperat, & hora, qua ignorat.* Ita est non ex alio fonte scelera, ac flagitia scaturiunt, quàm ex sperata funeris mora; nec alio validiori aggere vitia coërcentur, quàm incertissimi objectu funeris. Hanc vitæ longioris vacuam sponsionem, ut æternæ mortis promptam è corde prorsus eliminemus. Tamdiu à vetito pomo abstinebimus, quamdiu fucatæ vitæ perennitatem nullus nobis anguis inhalaverit. Ubi enim etiam in terrestri insonuit paradiso Genes. 3. 4. *Nequaquam moriemini:* statim raptim in arborem insilitur, pomum carpitur, morsu laceratur, morsque lethali morsu deglutitur. Audin dicere plus homines terreri, plúsque vitia coërceri objectu incerti funeris, quam scitu proximæ mortis. Quibus apud Isaiam 22. sensui indulgere cordi duntaxat erat, tametsi putarent, se cras morituros, adhuc sibi propinabant, *comedamus, & bibamus cras enim moriemur.* Dies superest, quam symposiis donant, quia certi erant se cras esse morituros, Secus Eva quia meticulosius de impendente funere fuerat loquuta, licèt esurierit, abstinuit tamen succlamans *ne fortè moriamur.* Securius lascivit petulantia de suo funere certa, quàm anceps, & anxia. Morituri die crastino, horas paucas, quæ supersunt ebrietati, alijsque sceleribus dicant; cum incerta mulier, an ad pomi esum sit mors successura, fructum sibi gratissimum interdicit. Plus habet roboris ad vitia coërcenda futuri funeris incertitudo, quàm jam imminentis securitas; plusque terroris incutit mors absens, quàm præsens, si illa incerta nos ancipites teneat. Mortis cogitatio ita animo imprimenda, ut nunquam a mente exulet, nunquam in mente moriatur; adeo bona est mors, ut incipiat bonus esse, qui mortem meditatur, hæc est illa, quæ vitia comprimit, delinquentes ad meliorem revocat frugem. Hinc post lapsum Deus primos parentes pelliceis vestibus induit; cur non alterius generis integumento? ut mortem mortis exuvija cogitarent, ac resipiscerent. Bona est mors, ut incipiat bonus esse, qui mortem meditatur.

BONA SENECTUS LUDICRA DIMITTIT, ADMITTIT VIRTUTES. 34.

Pingatur senex annorum pondere gravis, ac curvus, canitie capitis, vultúque rugis exarato venerabilis sedens in sella, quam Natura fulciat. Tempus seu Saturnus pansis alis volitans falcis manubrio ab ejus intuitu longè abigat somnum papavere coronatum, Gullum mordentem pomum, Ludum jocantem pedibus, ac manibus pulsantem Tympanum, ac Cupidinem arcu, & pharetra fugientem; Altera manu prehendat Tempus Prudentiam, quam complectuntur Justitia, & Temperantia, & senectuti sistat excolendam, cum cæteris socijs virtutibus. Hoc proprium Temporis munus, somnum, Gustum, Cupidinem, Ludum, aliaque juvenilia oblectamenta à viro depellere senescente, ac varias animi dotes, ac virtutes ut prudentiam, temperantiam, & alias grandiori ætati convenientes accersere. Hac ratione Solon Atheniensis juvenes, ut cupiditatibus varijs obnoxios à Magistratu arcendos asservit: & senes ad Rempublicam admovendos, eò quia à cupiditatibus immunes: & etiam ut notavit Seneca: sanæ mentis oculus tunc incipit intimius res inspicere, quando corporis oculus incipit hebescere.

SENE-

35. SENECTUS IMPROBA PUERITIAM SAPIT, PUERITIA PROBA SENECTAM.

Pingantur Susannæ improbi senes castam accusantes Susannam apud Danielem Judicem Juvenem, à quo senum impudentia redarguatur, & ab injusta accusatione Susanna absolvatur, dimittatúrque innocens. Senes improbi quique corruptis sunt moribus infantiam dicuntur redolere; quia non senili agunt judicio; sed puerili cæcitate, ac furore temerè ducuntur; non annorum numerus, nec capillorum canities senem constituunt, sed mores candidi veram commendant senectutem; cujus canities si malorum morum maculis deturpata fuerit in nigredinem degenerat improbitatis redarguendam. Decrescit plerumque cum ætate prudentia, & cum viribus corporis virtus languescit animi. Non anni, sed merita senectutem commendant. Salomon, cum adhuc adolescentia teneretur, senes ipsos Sapientiâ, & prudentiâ antecelluit; senex verò adolescentibus improbior audijt, Adolescens scortis jus dixit, & senex ob fœminas, quas deperivit jus divinum abdixit. Saul quò plus præcessit ætate, eò longiùs ab æquitate recessit. David imberbis gigantem stravit, factus vir adulteræ succubuit. Adam quò junior, eò sanctior. Non annorum numero, sed virtutum incremento ætas senilis computatur.

36. QUOD CARET ALTERNA REQUIE, DURABILE NON EST.

Pingantur novem Musæ decumbentes semisopitæ in clivo Montis Parnassi dejectis fistulis, alijsque instrumentis musices. Solus Apollo sedens lyram pulset ad dulciorem reconciliandum soporem. Otium istud post susceptos labores non otiatur, quia cultores suos vegetiores efficit, ac reficit, ut alacriores iterum labores aggrediantur. Huic indulgere otio perinde est, ac viam labori sternere. Gaudet natura rerum vicissitudine. Hinc Horatius *lib. 2. Ode 9.*

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut Mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Usque: nec Armenijs in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes.

37. Sicut non semper riget Hyems, neque ridet Ver; sed tellus, quæ alto concreta gelu senescente Decembri jacebat in squalore; mox ariete veluti postliminio reduce Aprilis grato se vestit virore, terræque gremium omnigena exornat florum elegantia, & vernam temperiem æstas dispellit; ac demum leonis æstus virgo temperat Autumnalis, adeo ut rerum ipsa vicissitudo naturam reficiat, perficiátque; ita labor, & quies alterna vicissitudine, quas promovent artes, enutriunt, & enutritas servant. Musæ itidem otio post studia indulgent, ut refectis suscepta quiete viribus ocyùs suas suflent fistulas. Musarum nomina, ac munia innuit Poëta.

Clio gesta canens transactis tempora reddit.
Melpomene tragico proclamat mœsto boatu.
Comica lascivo gaudet sermone Thalia
Dulciloquis calamo. Euterpe flatibus urget.
Terpsichore affectus cytharis movet, impe- at, auget.
Plectra gerens Erato saltat pede, carmine vultu.
Carmina Calliope libris heroica mandat.
Urania cæli motus scrutatur, & astra.
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia gestu.
Mentis Apollineæ vis has movet undique Musas.

Poëtæ novem finxerunt Musas, quas Deas, ac Jovis, & Memoriæ dixerunt filias, ut 38
musicæ præessent, ut significarent, oportere virum eruditum intelligentia, & memoria vigere. Has dixerunt Helicone inhabitare, qui mons est Bœotiæ, Phocidi affinis, à quo musæ Heliconides nuncupantur. Quin Parnassum etiam dicuntur incolere, unde & Parnassides vocantur. Quia verò Phocidi confinis Aonia est, etiam Aonides appellantur. Primæ Musarum nomen inest Calliope, à bonitate vocis; secundæ Clio à gloria, ac celebritate rerum gestarum, quas canit; tertiæ Erato à canendis amoribus; quartæ Thalia à voluptate, ac lascivia cantûs; quintæ Melpomone à canendo, seu concentu ad numeros rite instituendo. Sextæ Terpsichore à choreis, unde Citharistria etiam dicitur; Septimæ Euterpe à suavitate concentûs, & ab aliquibus Tibicina dicitur. Octavæ Polyhymnia, eò quia tota sit in canendo, vigeátque memoriâ. Nonæ Urania, quasi cœlestis sit, vel à cœlestium rerum cantu, vel à cantus divinitate.

LABOR LITERARIUS, NE AMITTATUR, INTERMITTATUR IDENTIDEM.

Pingantur Labor improbus in scientiarum studijs. Et ab ijsdem animi relaxatio. Ille sub 39
specie Viraginis viridi indutæ tegumento, usu detrito; vultúque impallescente dextra librum fulcit apertum, quem attentè legit: sinistrâ arcum ex contenso fractum. Animi relaxatio sub specie juvenis euntis venatum per campos cum cane venatico, arcum defert remissum, sed integrum ex humero pendulum; & laborem intuetur, ac si ipsum alloqueretur, ac diceret *Ut diu tendas, ne diu tendito.* Quod lemma passim obvium in eum torquetur, quem nimius labor frangit, ac labefactat & præsertim idoneum est admonendis ijs, qui animum ad studia litterarum intendunt, ut identidem eum velint remittere, ac laxare honesta aliqua animi relaxatione, ne succumbant, ac grave aliquod patiantur detrimentum; qua ratione dicimus cornua arcui relaxanda identidem, ut sic usui, seu arcum non semper, & ubique tensum esse deferendum; quòd si ad animum flectatur; innuit, remissionem aliquam à laboribus animo dandam, ne flaccescat. Ea est affinitas arcum inter, & animum, sive ingenium, ut eadem utrique conveniant affectiones, ijsdemque exprimantur nominibus, sic Tullius *de senect.* ait *Appium Clodium animum intensum tanquam arcum habuisse. Hinc vetus illud Trochaicum.*

Mentem sæpe, arcúmque laxa sæpe, si uti eis
cupis, ut etiam illud Jambicum. *Laxato cornua* 40
arcui, aut inusui est. Utilis enim & salubris remissio est (ait Arnobius *lib. 3.*) quæ corpori à laboribus datur, ut animus cantisper recreetur, virésque à discreta laborum interpolatio-

ne ſumat: neque adhærendum puto Gellio adſtruenti aliud eſſe animum remitters, & aliud animum jucundis laxare ſermonibus deceptus authoritate Muſonij: etenim lib. 18. cap. 2. ait. *Saturnalia Athenis agitabamus hilarè prorſum, ac modeſtè, non ut dicitur remittentes animum; nam remittere, inquit Muſonius, quaſi amittere eſt, ſed demulcentes eum paulum, atque laxantes jucundis, honeſtisque ſermonum illectationibus.* Major enim fides Tullio, Senecæ, & alijs præſtanda eſt de animi remiſſione in bonam partem loquentibus. Hinc tempeſtiva animi remiſſio prorſus ſuadenda, diſſuadenda verò ſolutio; quia ut rectè Seneca *de tranquil. cap. 15.* remittere animum identidem à diuturnis ſtudijs, ut reficiatur, laudi datur, ſolvere autem vituperio; primum ſiquidem moderationem, hoc immoderationem ſignificat, quapropter S. Ambroſius lib. 1. offic. *Caveamus* inquit, *ne dum laxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam,* quaſi concentum quendam *bonorum operum,* ut virtutem ſapiat, quod exercemus, extrema neceſſe eſt, declinet, mediúmque occupet; parœmialiter dicimus, *ſæpe plus juvare cibum, qui ſupereſt comedenti, quàm qui ab illo conteſtus eſt,* quatenus perſæpe plus commodi nobis adfertur ex relicto cibo, quàm ex aſſumpto, idque ad animum, ut flectatur, dicam, ut diu ſtudeas, immoderatiùs ne ſtudero: ut animum diu tendas, non diu tendito. Duplici ex cauſa eſt hoc monitũ ab hominibus ſtudio litterarum deditis obſervandum; quarum prima ne ſcientiarum inquiſitio, ut pote ſuaviſſima, ex nimietate ſtomachum moveat, ac nauſeam creet: monet Sapiens Prov. 25. 26. *Mel inveniſti, comede quod ſufficit tibi, ne ſatiatus evomas illud:* hujus ſatietatis, ac faſtidij periculum eò majus eſt in ſtudijs litterarum, quàm in melle; quia ſtudiorum ſuavitas laborioſa eſt: condimentum autem laboris eſt intermiſſio, quæ ſi adhibita fuerit, acrior fiet ad ſtudia reditus. Secunda ratio valetudinis, viriúmque corporis, animique reſpicit conſervationem, vegetiores enim fiunt ait Lucianus *lib. 1. var. Hiſtor.* ſi more Athletarum aliquid laxamenti dantes operam ſtudijs percipiant. Hoc enim præſtiterunt antiquitùs viri eruditi. Seneca modico utebatur ſomno meridiano, quo vires reficerentur, ac vegetior intermiſſa redordiretur ſtudia.

42. Plinius itidem ſecundus ſumpto meridiano cibo dormiebat horæ ſemiſſe, ut altero quaſi die ad cœnam uſque ſtuderet. Non ſolùm ſomno, verùm & aliqua honeſta animi relaxatione intermittenda ſtudia ſunt; adeout identidem ceſſatio ab ijsdem plurimum adſerat utilitatis, & commodi ſtudioſis, hacque ratione Iſocrates ad Demonicum admonet, *ut deſinat laborare, dum adhuc laborare poteſt,* conſentaneè ad monitum medicorum præcipientium, ut qui tueri valetudinem volet, nunquam ad ſatietatem veſcatur. Quinimò etiam profitentibus religioſam vitam licebit identidem animam honeſta relaxare animi remiſſione, ſeu ut loquitur S. Gregorius Nazianzenus *honeſtis oblectamentis labores diluere.* Inconſulta in ſtudijs pertinacia letius ocyus luitur, quia perinde ac frequentior luſus, & uſus jocorum omne animi pondus enervat, vímque omnem eripit; ita labor improbus præſertim in ſtudijs cum viribus valetudinem abſumit. Hinc ſtatæ intermiſſiones neceſſariæ ſunt, cum perpauci ſint ex diuturnam navantibus operam ſtodio, qui cum Auguſtino non poſſint dicere lib. 4. confeſſ. c. 2. *Literario labori nimio pulmo meus cedit, & difficulter trahit ſuſpiria, doloribúsque teſtatur ſe ſaucium, vocémque clariorem, & productiorem recuſat.* Duplex eſt otij genus, ait Valerius Maximus *lib. 8. cap. 8.* alterum quo virtus evaneſcit, alterum quo recreatur; ſtrenui autem & induſtrij tempeſtiva laboris intermiſſione fiunt ad continuanda ſtudia vegetiores, demum ut monet Seneca in Proœmio controv. *Omnibus prodeſt animum relaxare: excitatur enim otio vigor, & omnis triſtitia, quæ continuatione pertinacis ſtudij obducitur, feriatum hilaritate diſcutitur.*

DIGNUM LAUDE VIRUM MUSA VETAT MORI. 43.

Pingatur Virgilius laureâ redimitus corollâ librum ſecum deferens, tubámque manu tenens, quem Tempus, ſeu Saturnus panſis alis dextero brachio amplectatur, ſurſúmque evehat ad æthera, ſiniſtra manu ſerpentem in orbem revolutum, ſibique caudam mordentem teneat elevatum. Prævia fama volitans iter ſignet, tubámque inflet. Jupiter in præcelſa ſedens nube cum Aquila cæteriſque Numinibus venientem expectet Poëtam, quem novem Muſæ cum Apolline inſedentes Parnaſſo ſuſpiciant ad ætera evectum, cui propterea adgratulentur. Præclari nominis gloria alio non eſt auro venalis, quàm Sapientia, virtute, ac eruditione; ſunt veluti alæ, quæ virum ſapientem, virtutiſque cultorem ad æthera evehunt, vindicántque à Libithina undè rectè Horatius.

O ſacer, & Magnus vatum labor, omnia fato
Eripis, & populis donas mortalibus ævum.

Quod verò de Muſis dicitur, id de quavis 44. ſcientia intelligendum, pro cujus adeptu plures vigilias in ſeram propemodum noctem, & antelucanas horas ſuas lucubrationes in multum diem produxerunt, præſertim primi bonarum artium inventores, qui ſuis laboribus ingentes nobis acquiſiverunt Theſauros in librorum apothecis, quas cuique fas ſit in proprios convertere uſus. Laborârunt ingenuarum diſciplinarum cultores, ut ſuppeditarent poſteris, quod in memoriæ conderent horreum, unde ſuas paſcerent mentes, qui propterea ſuis ſuperſtites fatis, adhuc vivunt in poſteris, quos edocent. Quòd ſi Gymnaſia quæras, ubi hi docent Magiſtri, neceſſe eſt adeas Bibliothecas, quas dixeris illam Phœbi cortinam, unde reſponſa illam adeuntibus fundebantur; vel logothetam Minervæ; aut percelebre Mercurij ſalinum, unde candidiſſimos ſales promebant omnes facultates, ac ſcientiæ; vel Myrothecium & Seplaſiam unde ſingulæ artes, ut libet ſtibium accipiunt vel ceruſſam, vel minium, vel alia hujuſmodi, ſeu pigmentorum lenocinia ad venuſtatem, ſeu odorum ſuavitates, ad delicias, ſeu ſuccorum præſtantiam ad ſuavitatem robúrque; ut ſe comant, poliant, atque venuſtent.

stent. Sapientum scripta volumina sunt mammæ illæ lacte raseriæ, quas mulgent, qui in Palladis sinu adolescunt. Sunt pellucidi fontes, è quibus puros hauriunt latices, qui scientias sitiunt; imò sunt redundantia illa flumina, quibus ad uberrimam messem irrigantur ingenia posterorum. Non enim Augustinus licèt in excogitando capacissimus implere potuisset Bibliothecas suis commentationibus (nisi ut refart Possidonius) materiam hausisset à scriptis præcedentium, quam in nos uberiùs refunderet. Varro eatenus tam multa scripsit volumina, quia assiduus fuit in evolvendis alienis scriptis: hac enim lectione incalescit animus, & quasi quodam divino aliquo Numine afflatus necesse est (ut ait Tullius) intelligantiam suam excutiat. Scripta volumina rectè diceres equum Troianum, è cujus sinu eruditi omnes profluxerunt; Pythagoras sublimis Philosophorum apex; Plato, cui nomen divini datum; Aristoteles item, & Socrates partem non minimam suæ eruditionis derivârunt in sua latifundia ex librorum fontibus, quos sitierunt, plenóque haustu abiberunt.

45. VOLUPTAS VERA ANIMUM REFICIT; FUCATA INFICIT.

Pinguntur in Heliconis virescente fastigio Apollo chalim argutè pulsans, & novem Musæ dulcedine affectæ, ac voluptatem percipientes ex harmonico concentu. In præalto monte ad Maris Tirreni, seu in Circeo colle, venefica Circe poculum Ulyssis propinans socijs, quos lenocinijs, ac veneficijs in porcos deploranda metamorphosi convertat. Sicut vera voluptas filia ast honastæ matris, seu virtutis; ita omnem abigit tristitiam, ac matum dispellit, animúmque reficit, blandéqua demulcet. Unda Horatius lib. 1. Ode 26.

Musis animus, tristitiam, & metus.
Tradam protervis in mare Creticum,
Portare ventis.

46. Voluptatas, quæ ex epularum luxu, jocorum illicijs, ac scortorum lenocinijs percipiuntur, si cum ijs conferantur, quas virtutum cultura, ac studia inganerant scientiarum, stomachum potiùs movent, quàm animum tranquillent. Laude vacuus esse nequit, qui alias non aucupatur voluptates, quàm quæ è Castallio fonte, ac scientiarum hauriuntur scaturigine. Huic non placent nisi illa illecebrarum lenocinia, quæ hominem ad veram animi tranquillitatem promovent. Sanè nil dalectabilius, quàm domesticos sedentem inter parietes universum propemodum orbem peragrare, ac lustrare, mentisque oculis inspicere: quidquid est uspiam præclarum; repetare, & ad mamoriam revocare omnium retrò sæculorum, Imperiorum, regnorum, ortus, progressiones, decrementa, interitus; & præcelsa veluti è specula sine periculo inspicere axercitus utrinque cruenta clade dimicantes; spectara naufragia, sine metu; rimari tarræ viscera; axcurrere Regnorum tractus; adire remotissimas ditiones citra ullam corporis dafatigationem. Principum inteiiora conclavia, imò & secretiora absque repulsæ periculo ingredi; interesse sapientum consilijs, è Stoa transire in Academiam, & ex Academia in Lyceum; colloquia miscere cum viris sapientissimis, & toto orbe clarissimis, loquentésque audira etiamnum Zenonem, Socratem, Platonam, Aristotelem, utrumque Senecam, D. Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, Joan. Chrysostomum, & alios primæ notæ viros, quà sanctitate, quà doctrinâ insignes; certè hisce voluptatibus, quas litterarum suppeditant studia nil potest excogitari jucundius, nil in formando animo bonisque artibus instruendo aptius. Quid delectabilius, quàm lectione librorum dalibare quidquid ast in Grammaticis acuratum, in Epicis amœnum, in Tragœdijs sententiosum, in comœdijs festivum, in lyricis exculium, in satyra salsum, in epigrammate acutum, in fabula ingeniosum, in Panegyri alegans, in Historia varium; in eloquentia artificiosum, in Philosophia reconditum, in Mathesi admirabila, ac utile in cæteris facultatibus. Est vara voluptas, quæ ex scientiarum fonte hauritur; omnium deliciarum promptuarium, ac verum mentia pabulum, quo ita plenè reficitur, ut à quavis alia abhorreat corporis voluptata, quæ animi lumen ad capessendas disciplinas necessarias axtinguit: ut rectè Tartullianus lib. de spectaculis: *Quæ major voluptas, quàm fastidium ipsius voluptatis?* Magistro adhærens Cyprianus Discipulus *lib. de bono pudicit.* succinit: *voluptatem vicisse voluptas est maxima.*

47. E converso voluptas fucata nil continet voluptatis præter extimum corticem, intus enim continat, quò inficit, quos afficit: est Circeum poculum eos dementans, quibus propinatur. De Circe referunt Mythologi fuisse pulcherrimam fœminam Solis, & Perses Nymphæ filiam, & Æiæ Colchorum regis sororam vaneficiorum peritissimam: quæ Sarmatarum rege, cui nupsarat, veneno sublato, regnóque per scelus parto, cum crudelius imperaret, ab incolis pulsa in Italiam profuga venit, ac in Cercæo monte (qui olim Latij terminus arat, ac afficacissimis abundabat harbis) sedem sibi dalegit, ubi cum Glaucum Marinum Deum adamaret, Scyllam puallam, quam ille deparibat infestis fontibus in monstrum commutavit marinum. Poculum varijs herbarum refertum succis hospitibus propinabat, quos in bruta horrenda metamorphosi commutavit, ut Ulyssia socios in porcos. Hinc usus invaluit, ut val vitium, vel concitati animi iralcentis, vel concupiscentis passio, quæ homines infatuat, & damentat, nec sinit hominem perfectè uti rationa Circes dicatur; cujus certè imperium perquàm ast inter homines axporrectum. Usitatiùs Circes voluptas dicitur; quia hæc perinde ac Circes amatores suos quadam blanditie deceptos enacat. Hinc omnis aa muliercula Circes audit, quæ suis illecebris, viros allicit, ut perdat, blanditijsque decipit, ut perimat.

48. Huc spectat illud Plutarchi *in Dialog.* ubi grillum loquentem induait; ait enim: ut pisces quibusdam medicamentis celariter capiuntur; sed alui fiunt inutiles: ita mulieres, quæ amoris poculis, ac veneficijs viros capiunt, stupidos

ne fumat; neque adhærendum puto Gellio adstruenti aliud esse animum remittere, & aliud animum jucundis laxare sermonibus deceptus authoritate Musonij: etenim lib. 18. cap. 2. ait. *Saturnalia Athenis agitabamus hilarè prorsum, ac modestè, non ut dicitur remittentes animum; nam remittere, inquit Musonius, quasi amittere est, sed demulcentes eum paulum, atque laxantes jucundis, honestisque sermonum illectationibus.* Major enim fides Tullio, Senecæ, & alijs præstanda est de animi remissione in bonam partem loquentibus. Hinc tempestiva animi remissio prorsus suadenda, dissuadenda verò solutio; quia ut rectè Seneca *de tranquil. cap. 15.* semittere animum identidem à diuturnis studijs, ut sæficiatur, laudi datur, solvere autem vituperio; primum siquidem moderationem, hoc immoderationem significat, quapropter S. Ambrosius lib. 1. offic. *Caveamus* inquit, *ne dum laxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam,* quasi concentum quendam *bonorum operum*, ut virtutem sapiat, quod exercemus, extrema necesse est, declinet, mediúmque occupet; paræmialiter dicimus, *sæpe plus juvare cibum, qui superest comedenti, quàm qui ab illo comestus est*, quatenus persæpe plus commodi nobis adfertur ex relicto cibo, quàm ex assumpto, idque ad animum, ut flectatur, dicam, ut diu studeas, immoderatiùs ne studeto: ut animum diu tendas, non diu tendito. Duplici ex causa est hoc monitū ab hominibus studio litterarum deditis observandum; quarum prima ne scientiarum inquisitio, ut pote suavissima, ex nimietate stomachum moveat, ac nauseam creet: monet Sapiens Prov. 25. 16. *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne satiatus evomas illud:* hujus satietatis, ac taltidij periculum eò majus est in studijs litterarum, quàm in melle; quia studiorum suavitas laboriosa est: condimentum autem laboris est intermissio, quæ si adhibita fuerit, acrior fiet ad studia reditus. Secunda ratio valetudinis, viriúmque corporis, animique respicit conservationem, vegetiores enim fiunt ait Lucianus *lib. 1. var. Histor.* si more Athletarum aliquid laxamenti dantes operam studijs percipiant. Hnc enim præstiterunt antiquitùs viri eroditi, Seneca modico utebatur somno meridiano, quo vires reficerentur, ac vegetior intermissa redordiretur studia.

42. Plinius itidem secundus sumpto meridiano cibo dormiebat horæ semisse, ut altero quasi die ad cœnam usque studeret. Non solùm somno, verùm & aliqua honesta animi relaxatione intermittenda studia sunt; adeout identidem cessatio ab ijsdem plurimum adferat utilitatis, & commodi studiosis, hacque ratione Isocrates ad Demonicum admonet, *ut desinat laborare, dum adhuc laborare potest*, contentaneè ad monitum medicorum præcipientium, ut qui tueri valetudinem volet, nunquam ad satietatem velcatur. Quinimò etiam profitentibus religiosam vitam licebit identidem animam honesta relaxare animi remissione, seu ut loquitur S. Gregorius Nazianzenus *honestis oblectamentis labores diluere*. Inconsulta in studijs pertinacia lerius ocyus luitur, quia perinde ac frequentior lusus, & usus jocorum omne animi pondus enervat, vimque omnem eripit; ita labor improbus præsertim in studijs cum viribus valetudinem absumit. Hinc statæ intermissiones necessariæ sunt, cum perpauci sint ex diuturnam navantibus operam studio, qui cum Augustino non possint dicere lib. 4. confess. c. 2. *Literario labori nimie pulmo meus cedit, & difficulter trahit suspiria, doloribúsque testatur se saucium, vocémque clariorem, & productiorem recusat.* Duplex est otij genus, ait Valerius Maximus *lib. 8. cap. 8.* alterum quo virtus evanescit, alterum quo recreatur; strenui autem & industrij tempestiva laboris intermissione fiunt ad continuanda studia vegetiores, demum ut monet Seneca in Procemio contsov. *Omnibus prodest animum relaxare; excitatur enim otio vigor, & omnis tristitia, quæ continuatione pertinacis studij obducitur, festarum hilaritate discutitur.*

DIGNUM LAUDE VIRUM MUSA VETAT MORI. 43.

Pingatur Virgilius laureâ redimitus corollâ librum secum deferens, tubámque manu tenens, quem Tempus, seu Saturnus passis alis dextero brachio amplectatur, sursúmque evehat ad æthera, sinistra manu serpentem in orbem revolutum, sibique caudam mordentem teneat elevatum. Prævia fama volitans iter signet, tubámque inflet. Jupiter in præcelsa sedens nube cum Aquilâ cæterisque Numinibus veniemtem expectet Poëtam, quem novem Musæ cum Apolline insedentes Parnasso suspiciant ad ætera evectum, cui propterea adgratulentur. Præclari nominis gloria alio non est auro venalis, quàm Sapientia, virtute, ac eruditione; sunt veluti alæ, quæ virum sapientem, virtutisque cultorem ad æthera evehunt, vindicántque à Libithina: undè rectè Horatius.

O sacer, & Magnus vatum labor, omnia fato
Eripis, & populis donas mortalibus ævum.

44. Quod verò de Musis dicitur, id de quavis scientia intelligendum, pro cujus adeptu plures vigilias in seram propemodum noctem, & antelucanas horas suas lucubrationes in multum diem produxerunt, præsertim primi bonarum artium inventores, qui suis laboribus ingentes nobis acquisiverunt Thesauros in librorum apothecis, quas cuique fas sit in proprios convertere usus. Laborârunt ingenuarum disciplinarum cultores, ut suppeditarent posteris, quod in memoriæ conderent horreum, unde suas pascerent mentes, qui propterea suis superstites fatis, adhuc vivunt in posteris, quos edocent. Quòd si Gymnasia quæras, ubi hi docent Magistri, accesse est adeas Bibliothecas, quas dixeris illam Phœbi corrinam, unde responsa illam adeuntibus fundebantur; vel logothetam Minervæ; aut percelebre Mercurij salinom, unde candidissimos sales promebant omnes facultates, ac scientiæ; vel Myrothecium & Seplasiam unde singulæ artes, ut libet sibimet accipiunt vel cerussam, vel minium, vel alia hujusmodi, seu pigmentorum lenocinia ad venustatem, seu odorum suavitates, ad delicias, seu succorum præstantiam ad suavitatem robúrque; ut se comant, poliant, atque venustent,

ftent. Sapientum fcripta volumina funt mammæ illæ lacte refertæ, quas mulgent, qui in Palladis finu adolefcunt. Sunt pellucidi fontes, è quibus puros hauriunt latices, qui fcientias fitiunt; imò funt redundantia illa flumina, quibus ad uberrimam meffem irrigantur ingenia pofterorum. Non enim Auguftinus licèt in excogitando capaciffimus implere potuiffet Bibliothecas fuis commentationibus (nifi ut refert Poffidonius) materiam haufiffet à fcriptis præcedentium, quam in nos uberiùs refunderet. Varro eatenus tam multa fcripfit volumina, quia affiduus fuit in evolvendis alienis fcriptis: hac enim lectione incalefcit animus, & quafi quodam divino aliquo Numine afflatus neceffe eft (ut ait Tullius) intelligentiam fuam excutiat. Scripta volumina rectè diceres equum Troianum, è cujus finu eruditi omnes profluxerunt; Pythagorea fublimis Philofophorum apex; Plato, cui nomen divini datum; Ariftoteles item, & Socrates partem non minimam fuæ eruditionis derivêrunt in fua latifundia ex librorum fontibus, quos fitierunt, plenóque hauftu ebiberunt.

45. VOLUPTAS VERA ANIMUM REFICIT; FUCATA INFICIT.

Pinguntur in Heliconis virefcente faftigio Apollo chelim arguté pulfans, & novem Mufæ dulcedine affectæ, ac voluptatem percipientes ex harmonico concentu. In præalto monte ad Maris Tirreni, feu in Circeo colle, venefica Circe poculum Ulyffis propinans fociis, quos lenociniis, ac veneficiis in porcos deploranda metamorphofi convertat. Sicut vera voluptas filia eft honeftæ matris, feu virtutis; ita omnem abigit triftitiam, ac metum difpellit, animúmque reficit, blandéque demulcet. Unde Horatius lib. 1. Ode 26.

Mufis animus, triftitiam, & metus.
Tradam protervis in mare Creticum,
Portare ventis.

46. Voluptates, quæ ex epularum luxu, jocorum illiciis, ac fcortorum lenociniis percipiuntur, fi cum iis conferantur, quas virtutum cultura, ac ftudia ingenerant fcientiarum, ftomachum potiùs movent, quàm animum tranquillent. Laude vacuus effe nequit, qui alias non aucupatur voluptates, quàm quæ è Caftallio fonte, ac fcientiarum hauriuntur fcaturigine. Huic non placent nifi illa illecebrarum lenocinia, quæ hominem ad veram animi tranquillitatem promovent. Sanè nil delectabilius, quàm domefticos fedentem inter parietes univerfum propemodum orbem peragrare, ac luftrare, mentifque oculis infpicere: quidquid eft ufpiam præclarum; repetere, & ad memoriam revocare omnium retrò fæculorum, Imperiorum, regnorum, ortus, progreffiones, decrementa, interitus; & præcelfe velutì è fpecula fine periculo infpicere exercitus utrinque cruenta clade dimicantes; fpectare naufragia, fine metu; rimari terræ vifcera; excurrere Regnorum tractus; adire remotiffimas ditiones citra ullam corporis defatigationem. Principum interiora conclavia, imò & fecretiora abfque repulfæ periculo ingredi; intereffe fapientum confiliis, è Stoa tranfire in Academiam, & ex Academia in Lyceum; colloquia mifcere cum viris fapientiffimis, & toto orbe clariffimis, loquentéfque audire etiamnum Zenonem, Socratem, Platonem, Ariftotelem, utrumque Senecam, D. Auguftinum, Ambrofium, Hieronymum, Joan. Chryfoftomum, & alios primæ notæ viros, quà fanctitate, quà doctrinâ infignes; certè hifce voluptatibus, quas litterarum fuppeditant ftudia nil poteft excogitari jucundius, nil in formando animo bonifque artibus inftruendo aptius. Quid delectabilius, quàm lectione librorum delibare quidquid eft in Grammaticis acuratum, in Epicis amœnum, in Tragœdiis fententiofum, in comœdiis feftivum, in lyricis excultum, in fatyra falfum, in epigrammate acutum, in fabula ingeniofum, in Panegyri elegans, in Hiftoria varium; in eloquentia artificiofum, in Philofophia reconditum, in Mathefi admirabile, ac utile in cæteris facultatibus. Eft vera voluptas, quæ ex fcientiarum fonte hauritur; omnium deliciarum promptuarium, ac verum mentis pabulum, quo ita plenè reficitur, ut à quavis alia abhorreat corporis voluptate, quæ animi lumen ad capeffendas difciplinas neceffarias extingoit: ut rectè Tertullianus lib. de fpectaculis: *Quæ major voluptas, quàm faftidium ipfius voluptatis?* Magiftro adhærens Cyprianus Difcipulus *lib. de bono pudicit.* fuccinit: *voluptatem vicisse voluptas eft maxima.*

E converfo voluptas fucata nil continet 47. voluptatis præter extimum corticem, intus enim continet, quô inficit, quos afficit: eft Circeum poculum eos dementans, quibus propinatur. De Circe referunt Mythologi fuiffe pulcherrimam fœminam Solis, & Perfæ Nymphæ filiam, & Ætæ Colchorum regis fororem veneficiorum peritiffimam: quæ Sarmatarum rege, cui nupferat, veneno fublato, regnóque per fcelus parto, cum crudelius imperaret, eb incolis pulfa in Italiam profuga venit, ac in Cercæo monte (qui olim Latii terminus erat, ac efficaciffimis abundabat herbis) fedem fibi delegit, ubi cum Glaucum Marinum Deum edamaret, Scyllam puellam, quam ille deperibat infeftis fontibus in monftrum commutavit marinum. Poculum variis herbarum refertum fuccis hofpitibus propinabat, quos in bruta horrenda metamorphofi commutavit, ut Ulyffis focios in porcos. Hinc ufus invaluit, ut vel vitium, vel concitati animi iraleentis, vel concupifcentis paffio, quæ homines infatuat, & dementat, nec finit hominem perfectè uti ratione Circes dicatur; cujus certè imperium perquàm eft inter homines exporrectum. Ufitatiùs Circes voluptas dicitur; quia hæc perinde ac Circes amatores fuos quadam blanditie deceptos enecat. Hinc omnis ea muliercola Circes audit, quæ fuis illecebris, viros allicit, ut perdat, blanditiifque decipit, ut perimat.

Huc fpectat illud Plutarchi *in Dialog.* ubi 48. grillum loquentem induxit; ait enim: ut pifces quibufdam medicamentis celeriter capiuntur; fed efui fiunt inutiles: ita mulieres, quæ amoris poculis, ac veneficiis viros capiunt, ftupidos

eos, ac depravatæ vitæ socios deinceps habent: qui è Circæo voluptatis poculo hauserunt, nil Circi profuerunt, nec ad ullam rem ijs usa est, cùm in canes,& asinos degeneråssent. Sitiunt plerumque homines Circæum poculum, quia voluptates amant, quibus & ipsi hamantor à Venefica Circe, quæ in blandimentis, ac lenocinijs retia pandit, à quibus difficulter valeant se Circes amasii extricare. Unus fingitur Ulysses callidæ Circes veneficia delusisse, cum socij epoto lenocinantium voluptatum poculo in bellua degenerâriat. Sicut pauci ex Africa omnino candidi reperiuntur; ita rari Circes amasii, qui nullis omnino lenocinantium illecebrarum frangantur conatibus. Quotquot enim vitiorum capiuntur præstigijs, corporis indulgent oblectamentis.

49. FOTUNA VESTES NON GENUS MUTAT.

Pingatur fortuna capta oculis peplo supra caput ventis tumido, plenóque; altera manu rotam, altera simiam ducat, regio indutam palludamento cum torque aureo è collo pendente, quæque dextra sceptrum teneat, in capite aureum diadema. Tametsi Fortuna indignos plerumque foveat, ijsque faveat; non tamen id unquam præstabit, ne indigni sint, scitè accinuit Lampiac. fortunam carpens.

Cæca fove indignos Fors, ut lubet, at tua dona,
Simia, ne maneat Simea, non facient.

Quia ut ad rem nostram loquitur Seneca: non faciunt equum meliorem aurei frœni: neque hominem præstantiorem Fortunæ ornamenta.

50. QUOS FOVET FORS, IIS FAVET SORS.

Pingatur Timotheus dormiens sobnixo capite umbriferæ fagi caudici, seu trunco in longè, latéqua exporrecta planitie, in qua Fortuna auceps casses, ac retia plura tendat, quibus sceptra, coronas, urbes aucupetur, hoc est, delineentur urbes, quas Fortuna suis cingat retibus, perinde ac muri essent. Fuit Thimotheus Atheniensis disertus, impiger, reique militaris peritus, sed cui maximè fortuna favit; adeout non defuerint Athenis æmuli, qui ut ejus imminuerent gloriam, quam soli fortunæ adscriberent; prægrandem pinxerint tabulam, in qua ille pictus erat dormiens, adstans interim fortuna, quæ civitates in ejus retia ageret. Hinc parœmialiter de eo, cui omnia ad vota fluunt, dicimus Timothei esse assecutum fortunam, eò quia in felicitatis mare felicissimè enaviget. Congruit etiam, cui opes nollo ferè labore obveniunt, & ei in castris, qui absque sanguinis fusu victorijs potitur, & civitates se illi ultro dedunt: festivè Bonifac. Simonetta Epist. 2. lib. 1. ait: *Geido multis dotibus animi in Burgundia eminens: præclaram Timothei fortunam jam est assecutus, quem fortunatum imperatorem valentes significare; urbes effinxere, quæ illo dormiente reti suo se implicabant, ipse ridens ait: si urbes capio dormiens: quid me facturum arbitramini cum vigilavero.*

51. SATELLITIUM ANIMI PATIENTIA.

Pingatur illustre Patientiæ exemplar, Socrates ab uxore contumelijs petitus, cui Socrates Philosophus respondeat; *Penes te est maledicere, penes me autem rectè audire.* Uxor in irrisionem vas aquæ fundat in tergum sedentis, ac legentis Socratis, qui nec iras concitet, nec à lectione distrahatur. Qui verè patiens est, nunquam judicat sibi contumeliam fieri; & de sibi injurias inferante dicit; mihi non nocuit, licèt fortassis animum nocendi habuerit. Magnum, & honestum vindictæ genus est injuriarum illatori ignoscere: perinde ac incus robusta non veretur malleum; ita nec animum patientem ulla dejicit adversitas, nullisque aut minis, aut ictibus vincitur, nec teritur, malis omnibus fortior est aurea patientia. Vir patiens inter noxios adeo à noxis abstinet, ut salubria pro lethalibus; suavia rependat pro duris: olorem imitator, cujus modulatior est clangor, cum dolore angitur, pœnisque torquetur, túque similem fatereris lyricæ chordæ violentius tensæ, quæ quo plus torta, eò ad musices concentus suaviores edit sonos; amaritudinem tollit, & dulcedinem invehit; & Petrus Blessensis Serm. 50. ad Monachos patientiam æquiparavit farinulæ Elisæi inquiens. *Patientia quasi farinula Elisæi est, quæ totius cibi amaritudinem novit dulcorare, ne mors sit in illa.* Est patientia aureus clypeus, quo recuduntur singula adversantis fortunæ spicula; animi fortis satellitium, cujus fulmine virtus propriam servat majestatem, à qua nunquam dejicitur

NON EXIGUI EST INGENII ALIORUM GENIO SE INFLECTERE. 52.

Pingatur Aristippus Philosophus Alexandro Macedonum Regi tum ob Sapientiæ studium, tum ob morum facilitatem pergratus, quem propterea Alexandar manu prehensum secum ducat sedenta Diogane in suo inverso dolio, quique aulicam vitam virum Philosophum dedecere existimans, Aristippum ut sorte sua minimè contentum arguat: cujus tamen monitionem eludens Aristippus dicat Diogeni *Si scires regibus uti, olus, ac mendicitatem fastidires.* Decet Philosophos aulas Principum frequentare, ut eos doctiores, melioresque teddant, ut scitè Ovidius

Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ;
Qui sapit, innumeris moribus aptus erit.

SUA NEMO SORTE CONTENTUS. 53.

Pingatur equus alligatus aratro, quod trahat, & campum sulcis proscindat. E converso Bos Ephippiatus cum frœno, phalerisque equorum proprijs ornatus, cui insidens homo calcaribus ad cursu stimulet, ut enim Horat. lib. 1. Epist 14.

Optat Ephippia Bos piger, optat arare caballus.
Cui placet alterius sua nimirum est odio sors.

IN ID PRÆSERTIM INCUMBENDUM STUDII, AD QUOD QUISQUE EST NATURA PROPENSIOR. 54.

Pingantur plures artium cultores, quorum singuli proprijs suis dent operam facultatibus; Pictor Iphingem in tabula delineet; Poëta lauro redimitus cogitabundus sedeat, manu calamum teneat scripturus mox excogitatum carmen. Medici urinæ fœces explorent: in vicino campo canis leporarius leporem, molossus cervum insequatur. Maxima ingenia vix plusquam in uno opere eminuisse experimento satis compro-

probatum, Virgilius in heroico carmine cæteris antecelluit; in soluta verò oratione nil præstitit, quod laudem promererit: è converso Cicero eloquentia adeo excelluit, ut Oratorum Princeps audiret; ligata verò oratione nec mediocrem sibi laudem comparavit; Horatius in Lyricis excelluit, in heroico non multa fuit laude dignus. Non solùm ingenijs, sed etiam corporibus hoc idem obtingit, quorum vires non ad omnia, quæ viribus aguntur, aptæ sunt: illi nemo luctando par est, ille ad tollendam magni ponderis sarcinam prævalet, iste quidquid apprehendit, non remittit, sed in proclive vehentibus vehiculis moraturas injicit manus. Ex brutis præsertim canibus, alij ad leporem, ad aprum alij, alij ad cervum sunt idonei ob varias, quas sortiuntur naturales propensiones. Ex equis alij in equarij domitiis palæstra, seu domituræ arena facilè erudiuntur, & equestris disciplinæ obsequuntur Magistro, sinúntque se agitari, in orbem versari, circumagi. Alij nec frœnum patiuntur, nec sessorem. Alij crura antica, & postica ex arte, & ad numerum, quàm citissimè flectunt, alternatimque surgunt, ac deprimunt. Alij laxis habenis vix impelluntur, & calcaribus stimulantur. Alij sinunt se poppysmate mulceri; alij vix manûs sustinent cactum. Hos tirones, qui equestribus erudiuntur, binis, ternisque decursionibus leniter agitant, & exercent, quasi pugnæ præludentes, quos expeditiores reddant ad certamen, prælénique frœni patientiores. Illos vix equariæ domituræ Magister, frœno, & calcaribus stimulat, flectitque ad artis numeros. Ex hominibus Pylades in comœdia, Batyllus in tragœdia multum à se aberant. Alij cum Oplomachis, quidam cum Thracibus egregie pugnant. Vincere sciebat Annibal, sed victoria uti nesciebat: neque hactenus contigit, ut unus, idemque omnibus in rebus emineret. Quisque proprium æquè genium, & ingenium exploret, illique studio det operam, ad quod se senserit magis aptum, ac stimulari. *Non omnis fert omnia tellus.* Non est nostrarum virium ascendere in verticem rerum omnium sublimium. Neque viris cordatis placent ardeliones, qui tunc maximè inscitiam suam prædicant, cùm se omnia scire profitentur, satius in uno eminere, quàm de singulis parum, quod est perinde ac de toto nihil; dubius color, decolor est; meliùs uno penitus ac plenè imbui, quàm pluribus leviter aspergi. Canis venaticus fugientem feram sequitur, donec assequatur; majore est laude dignus bonus Aulœces, quàm malus citharedus; sciat quisque *quid valeant humeri, quid ferre recusent*, & studia nostra ut ait Tullius 1. officior. naturæ regula metiamur, nec enim attinet quidquam sequi, quod assequi nequeas.

55. DOMI ARGUS, FORIS TIRESIA,

Seu

Aliena vitia ante nos ponimus, ut cernamus: nostra post terga.

Ridiculum est cum quis sua ignoret, aliena scrutari velit.

Pingatur rusticanus homo manticam humeris deferens, in cujus anteriori saculo patente plura animalcula aliena vitia referentia acutè intueatur; alij verò in postero manticæ saculo deferentis vitia aspiciant, scilicet avaritiam, quam exhibet bursa clausa; superbiam, quam cauda pâvonis; luxuriam, quam hircus. Argus anteriorem manticæ partem unà cum deferente introspiciat. Tiresia cæcus arrepta posteriori deferentis veste eum sequatur ambulantem. Aliena siquidem vitia ante nos posita veloti in mantica acutè perscrutamur; nostra verò post terga relinquimus, quæ tamen alienos non effugiunt oculos. Hæcque misera philautiæ conditio. Hinc Horatius lib. 1. Satyr. 3.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis;
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? at tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus, & illi.

Ii igitur, qui in proprijs cæcutientes aliena acutè perscrutantur, dicuntur foris Argi, intus Tiresiæ, & quidem parœmiali formula, seu adagialiter, oculis plenus erat Argus, oculis destitutus, viduúsque visu Tiresia. Dicuntur itidem oculis pares, simílesque, qui cùm se non videant, aliena vident, unde ille. 56.

Qui reliqua aspiciunt, nunquam sua lumina cernunt.

In proprijs cæcus, cur aliena vides?

Qui pares sunt oculis, ij dispares sunt bene oculatis, qui se ipsos vident, ut corrigant. Non oculos imitemur sed eum, qui oculos fecit, rectè Basilius *homil. 9.* in exaëmer, ita philosophatur: *Oculi omnia exteriora cum videant se ipsos tantùm non vident; sed ipsa mens etiam nostra peracutè perspiciens alienos errores, tarda est, & cunctator ad proprios defectus suos cognoscendos. at vero qui viri sunt suæ salutis amatores, non oculorum, sed Dei, qui semper se ipsum intuetur, similitudinem gerunt.* Cæcutire in proprijs est aliena acutè perscrutari, philautiæ, seu amoris proprij est condicio, & proprium invehit damnum; testis Dina *Genes. 34.* ubi dicitur *Egressa est Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius.* neglexit se, ut in aliena ferretur; rectè S. Gregorius *3. part. curæ pastoralis* rem expendit: *Dina ut videat mulieres alienæ regionis, egreditur, quando unaquæque anima sua studia negligens, ac actiones alienas curans extra proprium ordinem vagatur.* Sed si quæras, cur Dina filia potiùs Liæ dicatur, quàm Jacob, qui ejus fuerat Pater. Recolendum est, Liam oculis fuisse lippis; nempe cæcutiens in suis, matrem referebat, acutè aliena perspiciens: pulchrè S. Bruno *Dum sic Dina cæcutiens, & ad sua non attendens alienos mores inquirit, non Jacob, sed Liæ filia dicitur, quam lippis fuisse oculis sacra scriptura testatur.* Plus tamen matre cæcutijt filia, laboravitque oculis, dum exterarum mulierum mores lustrare quærit, proprios fœdat, & castitatem amittit. 57.

QUISQUE SUI FATI FABER. 58.

Pingatur Perillus Atheniensis, qui jussu Phalaridis in tauro ex ære artificiosissimè ab ipso conflato occludatur comburendus sub, ecto igne.

igne. Fuit Perillus Athenienſis Faber ingenio cæteris ſui ævi antecellens. Is Phalaridem Agrigentorum in Sicilia tyrannum acceſſit, & in ejus gratiam taurum ære fuſum conflavit, ut Rei, virique nequam in illo incluſi ſubjecto igne torquerentur: cúmque vocem emitterent, clamorésque ex dolorum acerbitate, non voces, ſed mugitus edere audiebantur. Cum pro invento munus à Tyranno artifex expoſtulâſſet, in hunc ipſum taurum primus juſſu Phalaridis conjicitur Perillus, & ſuppoſito igne eoſdem, quos pro cæteris torquendis cruciatus invenerat primus expertus, exemplum dedit, homines ijsdem petire artibus, quibus dederunt operam, & quemque ſui fati eſſe fabrum.

59. INVIDIA SE IPSAM TORQUET.

Pingatur in peramplo horto Timon Athenienſis vir invidus prægrandem ſuccidens ſecuri arborem. Invidia humi jacens cor dente corrodat. Fuit Timon vir, qui omnibus invidebat, omnium arrodebat actiones, dictus propterea Miſanthropos, ſeu oſor hominum, qui hominum genus univerſum peroſus, nullius congreſſum admittebat præterquam unius Alcibiadis, cujus conſortio ſe idcirco delectari aiebat, quòd ſciret, eum aliquando populo Athenienſi magni mali cauſam futurum; nimirum invidus malo alieno gaudebat. Timonis Epitaphium ad maris oram, hoc fuit. *Hic cum post vitam miserámque, inopémque sepultus sit. Nomen non quæras, Dij, Lector, te malè perdant.* Hic Timon arborem in ſuo horto conſitum habuit, quam erat ſucciſurus, ideo priùs evulgari voluit, arborem ſibi eſſe, in qua ſe aliquot miſerorum hominum ſuſpenderint; ideo properandum illi, qui ſui in ea ſuſpendium cogitaret.

60. AMICUS AMICUM INDUIT.

Pingantur Amphion, & Zethus, Jovis & Antiopæ filij. Hi tametſi fratres, diverſi tamen fuerunt ſtudij: Amphion pulſandæ Citharæ, Zethus verò venationi, ac ruralibus exercitijs aſſueverat; hinc magna inter eos animorum diſſenſio extitit, nec ante deſijt, quàm abjecta Amphion Cithara ſua fraternis inſtiterit veſtigijs. Zethus ut venator pingitur, quem plures præcedunt venatici canes. Amphion laureatus Citharam abjicit, ac veſtigia ſequitur Zethi fratris, à quo data manu ſinit ſe duci per opaca nemora, pulchrè Horatius lib. 1. Epiſt. 18

Nec tua laudabis studia, nec aliena reprehendes:
Nec cum venari volet ille, poëmata panges,
Gratia sic fratrum geminorum Amphionis atque
Zethi dissiluit: donec suspecta severa
Conticuit Lyra fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion.

Initurus Amphion veram cum Zetho fratre amicitiam propriam exuit conſuetudinem; & mores, ac amores induit Zethi: Mores induere alterius, perinde eſt, ac illius ſe accommodare genio, eique in omnibus complacere: hinc ſingulari dilectioni, familiaritatique aliquorum exprimendæ etiam parœmialiter hac utimur formæ *amicus amicum induit.* Hac amicitiæ nota excelluiſſe Scipionem, & Lelium refert Valerius Maximus inquiens. Par veræ amicitiæ clariſſimum Scipio, & Lelius cum amoris vinculo, tum etiam omnium virtutum inter ſe juncti ſocietate, & actuoſæ vitæ iter æquali gradu exequebantur; ita animi quoque remiſſioni communiter acquieſcebant. Conſtat enim Cajetæ, & Laurenti vagas litoribus conchulas, & umbilicos lectitâſſe.

AMICUS AMICI VITIA NE FASTIDIAT. 61.

Pingatur Pater familias, qui quos genuit filios dextera prehenſos cæcum, ſiniſtra claudum ducat ſequentibus cæteris pluribus. Amor, ſeu Cupido arcu humi jacentem invidiam verberet. Veræ amicitiæ nota eſt amici non faſtidire defectus: ut enim Horatius lib. 1. Satyr. 3. *Vitijs nemo sine naſcitur: optimus ille est, qui minimis urgetur.* Verus amicus animo ſe adiungit, admiſcétque amici, ſtudétque, defectus, ſi qui ſunt corrigere; vera quæ eſt amicitia animam unam in duo invehit corpora, adeo ut amici eadem dicantur voluntate velle; quòd licèt poëticum quid ſapiat, explicat tamen utriúſque amici affectus, & concordiam; hácque forma utitur Gregorius Nazianzenus *Orat. in funere S. Basilij* inquiens: *Una ambobus anima videbatur duobus inclusa corporibus:* hinc pathetica loquutione, ac per quandam parœmiam amicus dicitur dimidium animæ amici, qua phraſi uſus eſt S. Auguſtinus lib. 4. confeſſ. cap. 6. *Bene quidem dixit de amico suo: dimidium animæ meæ: nam ego sensi animam meam, & animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus, & ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere, & ideo fortè mors metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.*

VERA AMICITIA PYLADÆA EST, 62.
QVAM NEC MORS IPSA DIVELLIT.

Pingatur Oreſtes in Charontis Cymba; Pylades ad litus ſtygiæ Paludis Nauclero Charonti pecuniam numeret, ut unà cum Oreſte eum transvehat per Acherontem, ſtygem, & Cocytum, Oreſtes ex Cymba manum Pyladi porrigat. Inſignis amicitia, quam nec mors ipſa divellit Pyladæa dicitur. Pyladis, & Oreſtis amicitia, quæ unum pro altero morti objecit, nota eſt apud Poëtas, tranſiitque in adagium ad indicandum vinculum veræ amicitiæ nunquam diſſolvi: ait Billius ex Nonno: Oreſtes Agamemnonis filius, & Pylades tanto amore ſe ſe complexi ſunt, ut mortuo Pylade unà cum eo Oreſtes ad inferos deſcenderit. Sed amicus verè fidus rara avis in campis, difficulter vera amicitia in pectoribus adoleſcit, idque colligunt Græci ex nomine Ἔρως quod cum voce Ἔρις cognationem habet, amorem autem illud ſignificat, vox vero Ἔρις litem: hinc pulchrè Poëta cecinit.

Nondum alter Pylades, nondum alter natus Orestes.
Rara est in terris fidus amicus avis,
Cuilibet ergo cave, nudes ne pectus amico,
Hic Damon poterit craſtinus esse Theon.
Tam citò nunc certè mutatur amicus in hoſtem,
Quàm citò mutatur nomen ΕΡΩΣ *in* ΕΡΙΣ

AMICUM OPTIMÆ RES PARANT, 63.
TRISTES PROBANT.

Pin-

63. Pingatur Bellisarius supremus Cæsariani exercitûs Præfectus, cui militum copias lustranti, omnes exercitûs strategi, ac Duces sua exhibeant obseqnia. Rursus ante fores templi pingatur idem Bellisarius humi jacens detrita veste in luctu, in squalore; ac obolum cupiens sibi dari, nauciqueà prætereuntibus fiat. Probus amicus à fucato differt, quia ille sive fortuna arrideat, sive irrideat amico eodem adhærescit amore. Fucatus verò cùm primùm cœperit fortuna novercari, tristémque frontem alteri amico ostendere ab illo unà cum arridente fortuna avertitur; ideóque fidus amicus inventu difficilis, raróque in humanis coalescit amicitia pectoribus; umbratilis amicitia rectè Mercurio Metallorum inconstantissimo pariatur; facilem argentum vivum cum auro amicitiam init, à quo tamen se illicò subducit, cum aurum incipit igne torqueri; vera hæc falsorum amicorum consignatio, vera adulantium nota; tamdiu amico hærent, quandiu extra tribulationis ignem versantur, & fortuna suis eidem bonis arridet; ubi mox ejusdem novercantis ignis sævire, ac adurere inceperit, illico se ab illo subducunt, abeúntque: *Insamis quæstus* ait Hildebertus Epist. 1. *proximum colere, dum bene succedit, dum malè est ignorare.* Nec abs re in sententiis ethico-politicis amicitia sali pariatur, quasi amicitia perinde ac sala amicorum animi condiantur. Sicut Sal in aquam injectus liquescit, ac perit; ita amicitia adversitatum sæpe obruta fluctibus, quibus amicus concutitur, jactatúrque facilè deficit, ac evanescit: arundinea & vacua est illa amicitia, quæ in amico ad quemlibet auræ flatum subortæ procellæ agitatur, & frangitur: amicus verus non est, qui cùm primùm discurrentes per aëra nubes minis strepentes, ac procellis fœdæ, solis abripiunt amico faciem, ab amicitiæ sinu se sinit divelli, pulchrè Petrus Abbas Celensis lib. 5. Epist. 21. *Nescit veræ amicitiæ naturam, qui in amore imitatur arundinem vento agitatam. Sine profunda radice amicitia accidens est, non substantia, species non virtus, fœnum de tecto, quod antequam eudatur, arescit.* Vera amicitia virtus est in corde, in quo altiùs radices figit, ac efflorescit: malè tamen utitur amicis, qui illis utitur, ut floribus, qui tunc grati, quando recentes; rejiciuntur postea cum incipiunt arescere, quibus illud congruit quod in fucatum retorsit amicum Sidonius Apollinaris lib. 4. Epist. 14. *Porro videbere sic amicis uti, quasi floribus tamdiu gratis, donec recentibus.* Incommoda est ea amicitia, quæ commoda tantùm quærit, detrahit suam amicitiæ dignitatem, qui eam ad propriam duntaxat utilitatem parat; non hæc amicitia, sed negotiatio est ad quæstum invehendum, non ad animos conglutinandos.

64. IDEM VELINT, NOLINTQUE AMICI.

Pingatur Theseus cum Perithoo amicitiam jurejurando firmans, à quo propterea divelli nunquam potuit, habuitque, cum ipso Idem velle, ac nolle; hic fingitur à Poëtis unà cum illo ad inferos descendisse ad rapiendam Proserpinam. Ubi mores, & amores non conveniunt rarò adolescit amicitia, senescit nunquam; vulgatum est de Turdo, ac hirundine commentum, dixerat hæc matri: ô mater! quàm elegantem, & commodum amatorem mihi reperi! quemnam? subdit mater, Turdum respondit hirundo. Tum mater, non bene filia inter te, & ipsum consultum à natura, cum tu frigus ferre nequeas, ille calorem; tu ver sequaris, ille brumam petat. Haud dispar illud de Carbonario, & Fullone: Invitaverat fullonem carbonarius, ut ad suas ampliores commigraret ædes, detrectavit fullo accedere corbonarij domum, inquiens: quid enim commercij inter nos esse potest? quæ enim ego eluendo nitidissima reddidissem, ea tu fuligine fœdares, & maculis repleres. Musica aiebat Plutarchus constat è diversis, puta gravibus, & acutis inter se ratione dispositis: at amicitia constat similibus; copulat enim, quæ similitudinem præseferunt, & quæ arcano ad invicem feruntur affectu. Quò plures in idem conveniunt, eò facilius amoris vinculo copulantur, nil fortius excitare potest amicitiam, quàm eum amare, cum quo cupimus amicitiam inire, ac ea velle, & nolle, quæ ipse: hinc aiebat Hecaton apud Senecam: Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius Veneficæ carmine: *si vis amari, ama.* Est finis amicitiæ ex sententia Socratis, ut duo unum fiant amore, & voluntate; adeo ut una fit anima in duobus corporibus, dicatúrque amicus: *magis amicum spirare, quàm aërem,* quâ phrasi uti solemus ad explicandum ingentem amoris affectum erga amicum; eadem usus S. Gregorius Nazianzenus *Epist. 9.* ait de S Basilio: *Equidem ipse te magis, quàm aërem spiro; idque solùm vivo, quod tecum sum, vel coram, vel absens per animi simulacrum;* quæ locutio valde pathetica est, explicátque paucis, singularis intensionem amoris.

VERÆ AMICITIÆ VINCULUM NULLO EST GLADIO SOLUBILE. 65.

Pingatur Pylades, qui prehensum manu Orestem prærupta per montium juga ducat, fugatis antea districtis gladijs quibusdam grassatoribus. Amicus amici causa pericula adit, labores subit, commoda, honores dignitates, voluptates, cæteraque fortunæ bona negligit, ac aspernatur, juxta monitum Sapientis *Perde pecuniam propter amicum.* Hujus tesseram amicitiæ exhibuerunt Pylades, & Orestes, quorum amicitiæ vinculum adeo arctum fuit, ut casus nullus, nullus gladius, nec ulla adversitatis falx valuerit succidere, adeo in amicitiæ cultu fuerunt singulares, ut locum adagio fecerint, ad indicandos duos homines amicitiæ nexu inseparabiles. Rara tamen nostris temporibus ea amicorum dilectio, quæ conferri possit cum ea, qua ex Poëtarum, Ethnicorúmque relatione, Pylades, & Orestes; Theseus, & Peritous; Tideus, & Pollinices; Patroclus, & Achilles; Lelius, & Scipio unà ita amicè confœderabantur ut nullo irruente casu à suscepto amicitiæ flecterentur instituto.

AVARUS QUO PLURIBUS AFFLUIT DIVITIJS, EO EST PAUPERIOR, AC VILIOR. 66.

Pingatur Mercator detrita veste humi se-

 dens

dens juxta plures oppletas pecunijs cistas, dolia generoso plena salerno, ac plura pretiosæ supellectilis involucra; quique frustum panie vilioris comedat ad pellendam famem, ciathum frigidâ plenum altera teneat manu ad sitim extinguendam. Rapula una, vel altera adjiciatur ad lautitiem prandij, hunc avarum describit Horatius lib. 1. Satyr. 3.

——— Ut quidam memoratur Athenis.
Sordidus, ac dives, populi contemnere voces
Sic solitus: populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca
Tantalus à labris sitiens fugientia captat.
Flumina, quid vides? mutato nomine de te
Fabula narratur. Congestis undique saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

67. Avaritia, quem auri, argentive pondere premit in ima despectum, sordidúmque dejicit, in cloacam demergit vitæ sordescentis, quinimò hominem extra hominem trahit, ut notat Petrus Blesensis *Serm.* 44. in Synodo inquiens: *Avaritia trahit hominem extra se, quia facit eum amplexari stercora pro croceis.* Hoc est avaritiæ ingenium, ut rerum copiâ inopiam invehat, & quos ipsa informat, in Tantalos formet sitientes fontem in laticibus mersos ore tenus, & ad famem pellendam, quâ torquentur, pendula nec valentes poma mordere, quæ labia deosculantur. Carnificis planè, tortorisque exercet avaritia munus, eos egregiè torquet, quos vel leviter tangit. Pulchre Justitia divina, ut peccatores puniat, res ipsas, quas amant, mutat in tormenta, & vitia animi in supplicia vertit corporis. *Pecunia siquidem* ait Guarrigus *in Serm.* omnium Sanctorum, *quæ justum ampliùs justificat, & veriùs ditat dispensata, vel semel data, avarum cruciat servata, prodigum polluit profligata.* Hinc avaritiam cum ærugine cohærere etiam Horatius *in arte Poëtic.* dignum censuit observatu, inquiens *Ad hæc animos ærugo, & cura peculi, cum semel imbuerit*, ærugo vitium est metallorum, quod æs demollitur: immodica auri possidendi cupiditas animum in imo sordescentem collocat, hominémque inficit, ac coinquinat. Dominatur avaritia homini, illóque utitur perinde ac vili mancipio, eum jubet noctes ducere insomnes, diésque laboribus, ac molestijs gravatos ferre, diuturna suscipere itinera, cúmque vitæ discrimine pelagum trajicere, à patria exulare, ut ditescat, & eò sibi semper pauperior visa, quò plura acquisivit.

68. RARO AVARUS INHIAT DIVITIJS, QUIN VITIJS SCATEAT.

Pingatur Polymnestor parricida impius proprium jugulans patrem, ejus divitijs, ut citius potiretur. Sedeat pater, cui filius gladio districto vim inferat in cista pecunijs cumulata, addantur pretiosæ supellectilis rariora genera. Polymnestorem avaritia captum suum interemisse Patrem, pluribúsque alijs fuisse sceleribus inquinatum ferunt, ut quivis avarus, impius, crudelis alius audiat Polymnestor, & Hildeberrus de quodam divite improbo Epist. 33 ait: *Quotidie Nero nostris occurrat aspectibus, quotidie Polymnestor:* & sanè avaritia est primipilaria iniquitatis, totiúsque auriga malitiæ. Radix enim malorum omnium dicitur cupiditas esse; avaritia verò cum immodica divitiarum cupiditas sit, matrem vitiorum, sicatiam virtutum, seditionum originem, scandalorum foveam, lapidémque offensionis, quis eam inficiabitur? Non putet possidere, quæ bona congerit; absumit enim, evertitque avaritia partas opes, non verò servat, ac custodit, quia opes injusto titulo acquisitæ etiam justos perdunt, ut adstruit Chrysostomus *Homil.* 15. *in Epist.* 1. *ad Corinth.* ubi avaritiam cum fermento rectè confert inquiens: *Avaritia est fermentum vetus: & ubicunque ceciderit, & in quamcunque domum fuerit ingressa eam reddit immundam: & si vel pauca lucreris ex injustitia totas fermentat facultates.*

Non temporales tantum corrumpit ava- 69.
ritia opes; verùm & animam ea inficit cæcitate, ut nulli inserviat Numini, quàm soli auro; Avari Deus quid aliud, quàm aurum, vel argentũ? Ethnici idola venerabantur, aurea, lapidea t quidni nova sibi conflat idola, qui aurũ veneratur, colitque argentum, & opes ardentiori, quam par sit amore prosequitur, appositè Hisichyus ad illud Levit. 26. 1. *Nec insignem lapidem erigetis in terra vestra, ut adoretis eum*, ait: *Non ponetis cumulum auri, aut argenti, aut pretiosorum lapidum, in quibus seducuntur avari, sicut gentiles in idolis.* Aurum à Jove prognatum edocuit Sapho, neque abs re, quia perinde ac Jupiter idolum fuit Gentilium; avari numen, quod impensè colitur, aurum est: eadémque idololatriæ nota notandum avarum, se nummis donantem, notat Guarricus Abbas in festo omnium sanctorum inquiens. *Avarus quò plura possidet, pluribus eget. Quamquam nil minùs habeat, quàm quod habere se putat, cum habeatur, non habet, servus pecuniæ, mancipium avaritiæ, cultórque crumenæ, idololatra detestandus, cui nummus est Deus;* magna enim affinitas divitias inter & idolum, adeout Oseæ 12. 8. dicatur *Verumtamen dives effectus inveni idolum mihi*, quasi divitiæ idolum essent, & cùm primùm quis divitias assequitur, idolum consequatur. Bene Nummus numen dicitur avarorum, cum ipsi nummũ perinde ac numen colant, in pretio habeant, pro eo acquirendo intimiora terræ penetrent viscera, & sepulcra ipsa adeant mortuorum, si spes auri affulgeat aliqua in Manium umbris. Semiramis Assyriorũ Regina, quæ Babylonẽ fertur condidisse, sarcophago sibi apparato inscribi jusserat. *Quisquis Rex pecuniis eguerit, aperto monumento quantum voluerit, capiat.* Cúmque Darius ea potitus urbe auri appetens, specioso plenóque spe titulo crederet, saxum ingens quò monumentum claudebatur, amoveri jussit, nilque invenit speratæ pecuniæ, sed duntaxat ex altero saxi latere hoc inscriptum reperit. *Nisi vir malus esses, & pecunia inexplebilis, haudquaquam loculos moveres mortuorum.* In quæ non incurrunt flagitia, qui aurum sitiunt? Pygmalion Rex Tyri Sichæum sororis suæ Didonis maritum, ut ejus potiretur auro, interfecit, Hinc non abs re Bion avaritiam vocavit omnis improbitatis metropolim. Et Timon cognomento Misanthropos, seu hominum exosor,

sor, elementa malorum esse dixit avaritiam, & ambitionem: sicut enim ex primis illis, & secundis principiis generantur naturaliter omnia; sic ex avaritia, & ambitione omnia alia vitia oriuntur.

70. AUREA CLAVIS OMNEM APERIT JANUAM.

Pingatur Philippus Macedo suo cum exercitu castra in longè, la éque exporrecta planitie metatus, Asellus auro onustus duobus tantùm prævijs militib' per prærupta inaccessibilis rupis ascendat juga, ubi munitissima eminet arx, cujus præsidiarij milites ingressuro mox asello ultrò januas aperiant. Cùm Philippus Macedo animum strategis suum aperuisset, de arce quadam occupanda, eique, qui à belli erant consilijs objecissent, arcem illam esse accessu difficillimam, & milite validè instructam: tunc Philippus percunctatus est, num ad eam asinus auro onustus posset accedere? eó que præmisso arcem sibi venalem fecit; verúmque probavit, quod paræmialiter dicitur, de aurea clavi omnem januam aperiente. Plerumque in castris plus virium aurum obtinet ad arces præsertim expugnandas, quam ferrea, vel æneaquævis machinamenta. Aurum in castris quovis Marte fortius hostium cuneos penetrat, ejus arces ingreditur, in foro obsequia trahit, in litious arbitrum agit. Si aurum loquatur Tulliani eloquii raucessit tuba; ubi aurum decertat vis quævis martia enervatur; ubi hastis pugnatur argenteis virtus expugnatur licèt Herculea major. Si aurum suos explicat nitores, extinguuntur bellicæ virtutis ardores. Si Judicum ingreditur aulas, silent statim cæteri, auróque loquente iners est omnis oratio; persuadet enim illud, etiamsi vocem nullam emittat. Moris est apud Principes in Germania præsertim, ut aliquibus ex suis domesticis, famulisque auream concedant clavem, ut ipsis omnia pateant, nihil occludatur. Plures tamen ex divitibus aurea utuntur clavi, quâ ad omnia scelera sibi aperiunt januam, quaque principi famulentur tenebrarum: sicut bene ille utitur aureâ clave, qui eleemosynarum elargitione cœli sibi fores aperit; ita ille abutitur, qui ad nefanda scelera divitias adhibet, qui divitijs vitijs indulget, huc pertinet illud Joannis Eusebij lib. 6. cap. 27. *Adjice, maximum opprobrium divitiarum, alimenta vitiorum esse, organum voluptatum, libertatem peccandi, clavem auream scelerum.* Non sui natura malum est aurum, sed possidentium vitio, atque abusu.

71. ET GENUS, & FORMAM REGINA PECUNIA DONAT.

Pingatur Mercator Indus pulvinari insidens, qui cistas, saccósque auro oppletos prænobili ostendat puellæ Europeæ, quam parentes in uxorem offerant, nec puella defixis in pecunias oculis parentum detrectet votis assentiri. Nobilitas auream corollam capiti imponat mercatoris. Eam putes vim pecuniæ, quam qui nactus est, licet obscuris natus parentibus, licèt nullius culturâ virtutis clarus, splendet illicò aureo suffusus fulgore, nobilisque evadit, quia ut rectè Horatius lib. 1. Epist. 6.

Scilicet uxorem cum dote, fidémque, & amicos,
Et genus, & formam regina pecunia donat,
Ac bene nummatum decorat suadella, Venusque.

Tanta est pecuniarum potentia, & vis, ut in mus Orbis dicatur dominator à Tertulliano adversus Marcionem lib. 4. inquiens. *Injustitiæ authorem, & dominatorem totius sæculi nummum esse haud diffiteor.* Quin mo Dominatoribus ipsis dominatur, sceptrúmque, ut ita dixerim, gerit, cui propterea obediunt leges, obsequuntur Principes, famulantur nobiles, serviunt omnes. Auro si inhias, auro servis, aureásque tibi compedes struis, quibus auro famularis. Parum refert ferrea, an aurea detineare catenula, utraque servitutem invehit, neutra libertati favet, neutra à molestiis vindicat. Festivè de pecude, & cruce nummo impressis lusit Poëta, allusitque non jocosè, ut seriò menti inseratur, quod ille suis inservit carminibus,

Cautius, an Christi sectator, an Ethnicus iste
Auro qui pecudem sculpsit, ut ille crucem,
Neuter cedit mihi, vana ratione movetur,
Judicium que ambo, quo tueantur, habent:
Nam qui sollicito se totum dederit auro
Inde animo pecudem gestat, & inde crucem.

A noxio pecuniæ æstu ab immundico auri amore mores corrumpente à Tantalica divitiarum siti aureâ suâ nos avocat Chrysostomus eloquentiâ homil 23. in Epist. 1. ad Corinth. inquiens: *Timeamus ò dilecti, timeamus fontem tam multorum cruciatuum, fucorum insociabilem, nostræ salutis perniciem. Fieri enim non potest, ut simul pecuniam servemus, & animam. Discamus quòd terra, & cinis sunt pecuniæ: quod hinc nos excedentes deserunt, imò verò etiam antequam excedamus resiliunt, & ad futura obsunt, & ad vitam præsentem.* Congestas divitias, qui servat, vix Dei observat præcepta, auro inhiare. est vitia vocare divitijs, ac vitijs ideo cognata nomina imponuntur, quia illæ istis perquam affines sunt. Iniquitati se inserit, qui mammonæ inservit. Mammon Præfectus auro, gemmis. que rubris credebatur, ac prop erea ejus colebatur imago: plures ferreum habet homines sæculum, qui aurum venerantur, colúntque, ut ipsi colantur; multo auro illiti putant se boni aliquid præstare, cum nonnisi inauratam exhibeant nullitatem, quia ut Eusebius lib. 1. cap. 78. *Quidquid pretiosum est in mundo inaurata nullitas, purpuratum nihil est.* neque pluris faciendum, quam flavus capillus, cujus nitor evanidus antiquis etiam Hebræis: mos fuit apud ipsos ait Josephus lib. 8. cap. 7. *Antiquitat.* auri ramentis caput adspergere ad majorem splendorem, ornatúsque incrementum: equis enim Salomonis selectiotibus insidebant equites prolixo flavóque conspicui capillitio: ad hoc ramentis auri capillos quotidie spargebant, ut ad solarium radiorum contactum fulgor è capitibus eorum reflecteretur. Invaluit mos iste etiam apud Ethnicos: refert de Vero Capitolinus, tantam habuisse curam capillorum flavorum, ut capiti auri inspergeret pulveres, ut magis coma illuminata flavesceret. Plinius etiam virorum crinibus aurum implexum indicat lib. 33. cap. 1. inquiens. *Ecquidem apud Homerum*

merum virorum crinibus aurum implexum, ideo nescio, an prior usus à fœminis cœperit. Quàm flocci sit aurum faciendum ex eo conjice, quòd capillo infestiat, pilo deterius, viliúsque.

73. PECUNIÆ OBEDIUNT OMNIA.

Pingatur Plutus numen divitiarum Throno insidens cæcus, & claudus, dextrâ ascoperem, seu marsupium pecuniis refertum teneat; sinistrâ aureum sceptrum, cujus fastigium in aureum desinat numisma, diademata, torques aurei, sceptra, vasa aurea, ac omnia pretiosioris supellectilis genera cæcum stipent nomen, cui sua exhibeant obsequia, & ad nutus paratissimos se ostendent Mors cataphracta, Pallas hastata, virtus studiosa, Fama bucinetrix. Quia ut cecinit Horatius l. 2. Satyr. 3. *Virtus, Fama, Deus, Divina humanaque pulchris divitijs parent: quas qui construxerit ille Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam & Rex. Et quidquid volet, hoc veluti virtute paratum speravit magnæ laudi fore.* Plutus à Græcis divitiarum fuit habitus Deus, quem in adventu claudum, in recessu elatum dixère, innuentes setiùs quidem contrahi opes: partas autem velocissimè dilabi. Eundem cæcum finxerunt, ac judicij expertem, hancque aiebant causam esse, cur indignissimum quemque divitijs videamus affluere; probos autem, & prudentes viros in re versari tenuissima. Ea auri est vis, quæ cuncta movet, artes promovet, labores protrahit, urbes construit, séque commiscet omnibus, ut cecinit Baldus.

Aurum cuncta movet, superi flectuntur ab auro
Gaudet, & aurato Jupiter ipse thoro.
Templa micant auro, radiátque altaribus aurum,
Auro certa fides, perpetuúmque decus.
Aurum pace juvat, nec bello spernitur aurum,
Aurum pugnaces mittit in arma viros.
Auro Romulei redimunt capitolia patres,
Parent victa auro sidera, terra, fretum.

74. Auro in aula obsequuntur proceres magis, quàm Principi, qui si stipendia, ac spem omnem adimeret lucri, vix esset, qui ei inserviret, cum perpauci sint, qui ex puro tantùm affectu, ac amicitia alteri famulentur. Hinc Chilo Lacedemonius aiebat, id aurum esse homini, quod Lydium auro, quia perinde ac lapis lydius aurum probet; ita ingenium hominis aurum: cui acquirendo, ac congerendo student ij omnes, quotum pectora auri famea pulsat: hæcque ratio, cur interrogatus Diogenes, cur aurum metallorũ princeps palleret? respondetit, quoniam multos habet insidiatores. Mirum sanè quòd potior hominum pars auro inserviat, obediérque, à quo aliam non accipit mercedem, quàm molestias, curásque animum torquentes, nocturnámque abripientes quietem, ut Sigismundo Cæsari contigit. Huic ex Hungaria allata fuerant ducatorum quadraginta millia, quæ cum nocte adventante, in quos converteret usus solicitè cogitaret; per cubicularios accersi consiliarios omnes, ac militum Duces ad se vocavit, & aperta arca ait: ecce vim illam auri infensissimi: fuerunt mihi hostes anteacta nocte: hi ex Hungeria ad me delati aurei, somnum mihi eripuerunt, pluribus cogitationibus mentem impleverunt; neque permiserunt me quieti indulgere: accipite, et inter vos dividite, ut mihi proximè accedente nocte jam tranquillè liceat indormire. Distributâ mox pecuniâ inter ipsos, postquem abiissent, suis dixit, jam recessit à me carnifex, qui me nocte flagellavit; nunc securiùs quiescam. Ita est Carnifici serviunt, quotquot auro inhiant, appositè Ovidius lib. 1. Fab. 4.

Effodiuntur opes irritamenta malorum;
Jámque nocens ferrum, ferróque nocentius aurum,
Prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque.

Eò impensè homines auro serviunt, eique obsequuntur, ut pecunias auteas Deos mortalium esse censuerit Mænander, nec abs re ad idolorum cultum incitare avaritiam dixit Isidorus Pelusiota *lib. 1. Epist. 434.* inquiens. *Si avaritia veneno, quod quidem omnis mali radix est, teque sensibus omnibus à se translatis, ad idolorum cultum incitat, capius es: vocem hanc divinitus traditam ipsi responde, Dominum meum adorabo, & ei soli serviam.* Non solum auro obedit, qui auro inhiat, sed aurum colit veluti numen, cui omnia sua præstat obsequia.

FAME PERIT, QUI SOLUM AURUM QUÆRIT. 75.

Pingatur Midas auribus asininis Rex Phrygium insidens aureo Throno aridissimo, cui gradus sint aurei, atque aurea universa supellex. Ephebus panem, quo famem pellat, ei porriget, quem Midas solo contactu in aurum vertat, nec propterea dentibus valeat conterere, mirantibus utrinque Proceribus Principis inopiam in tanta auri copiâ, & affluentia, ac auri insufficientiam ad naturæ explendum appetitum, ejúsque occurrendæ necessitati. Fuit Midas filius Gordij bubulci, & Rex Phrygum ijs divitijs affluens, quibus cæteris antecelleret Principibus. Huic juxta Poëtarum commenta propter Bacchum hospitio susceptum concessum fuit, ut quidquid vellet, ac optaret, futurus esset voti compos; optevit autem, ut quidquid corpore contigisset in aurum verteretur: quod annuente Baccho factum est, sed tum cibus, & potus ex solo contactu in aurum itidem verterentur, sensit stolidus, se stultè petiisse. Nil per se confert aurum ad benè, beatéque vivendum; nisi eo nos rectè utamur, nil ad beatitudinem affectionem, ut notat Gregorius Nissenus *homil. 4. in Ecclesiast.* ubi curea exhibet hæc monita contra auri amorem, ac pecuniarum cupiditatem, ait ipse. *Fingamus aurum non per minam, aut Drachmam, aut talentum venire ad eos, qui sunt pecuniæ cupidi, sed eis repente simul omnia facta esse aurea, terram, arenam, montes, campos, saltus ponamus omnia repentè in eam mutata fuisse materiam, quid per hæc vita accedet ad beatitudinem?*

Quinimo ex ea auri affluentia miserior foret; animi siquidem jucunditas, & felicitas auri possessione inficitur, ac polluitur; aura necesse 76.

necesse est ontriatur, ac pereat, qui soli inhiat auro. Ille maximi faciendus, qui nihili aurum facit. Natura ipsa aurum, argentum, opésque calcandas tacitè docuit, cum nostris subjecerit pedibus, ac in terræ, quam pedibus terimus incluserit visceribus. Qui non vult ab auro calcari, ac premi, aurum premat, & calcet, olim apud Romanos teste Plutarcho Lunulæ in calceis gestatæ tesseram exhibuerunt nobilitatis. *Ut tacitis velut ambagibus commonerent*, ait Cœlius Rhodiginus lib. 20. lect. Antiq. cap. 28. *non insolescendum, nec prospere successu efferendos animos inconstantiæ rerum semper memores, qua humana conficiantur, cui argentum præbeat luna, quæ primo quidem ex obscuro prodeat, mox splendido refulgens nitere visenda consurgat facie. Sed cum jam clarissimum præseferat candoris apicem, rursum consenescens deflorescit, donec ratione quadam reciproca in nihil denuo redeat.*

77. Discamus ab hoc nobilitatis indicio à laudato Romanorum more fastum omnem, mundíque pompam pedibus subjicere. Joanni *Apocalips.* 12. signum fuit magnum, mulierem videre, quæ lunam sub pedibus contereret, seu terrenam nobilitatem, mundíque fastum, ac opes contemptui haberet; ac propterea digna fuit, quæ sole induta splendescerer, stellísque micantibus irradiaret redimita. Redarguendi certè Persarum Reges, quos ambitio, ac fastus eò rapuit dementiæ, ut cœlestem sphæram ad excellentioris elegantiam artis effictam suis voluerint pedibus subjici. Homines sanè hominis nomine indigni: dum supra hominis tam superbè evehi ambierunt. *Neve simus* ait Petrus Chrysologus Serm. 120. *ut Persarum Reges, qui subjecta nunc pedibus suis sphæra, Polorum se calcare vices mentiuntur, nunc radiato capite, ne sint homines, solis resident in figura: nunc imposita sibi cornibus, quasi viros se esse doleant, effeminantur in lunam; nunc varias velut siderum sumunt formas, ut hominis perdant figuram, & nihil supernæ claritatis acquirant.* Saniori consilio cœlum induunt, qui terrenum fastum exuunt, & aurum in neglectum habent.

78. Pravorum Societas Plurimum Bonis obest.

Pingatur rusticus, qui in peramplo campo expansis retibus Ciconiam deprehensam cum gruibus segetem depascentibus aucupetur; & ut rea detineatur captiva; Nota est hæc fabula de ciconia inventa cum gruibus segetem depascentibus, quæ nobis est documento, raram esse cum scelere affinitatem, quæ non pariter in probrum transeat: siquidem ipsa etiam innocentia crimen est, quoties nocentibus adstipulatur; hinc & pœna non rarò expolcitur ab insonte; quando illi si non improbitas, saltem improborum consortia, placuerunt.

79. Nullibi Tutius Virginitas Triumphat quam in solitudinis recessu.

Pingatur una ex Sybillis ætate provecta in excelsæ rupis secessu scribens in palmæ folis, apiculis circum illam plerisque lilijs dumeto vallatis.

Sors sua quemque beat. 80.

Pingantur Baucis, & Philæmon, qui à Mythologis mortalium dicuntur felicissimi, eò quia licèt pauperes sua tamen fuerunt sorte contenti. Fuit Baucis anus paupercula apud Ovidium *lib. 8. Metamorph.* quæ cum Philæmone marito Jovem, & Mercurium suscepit hospitio.

Timeat, quem multi timent. 81.

Pingatur Damocles Dionysii Tyranni Siracusarum assectator regiæ insidens sellæ ad mensam lautissimis constructam ferculis, cujus nudo capiti gladius è lacunari equina seta suspensus immineat. Cum Damocles Dionysio assentiretur, eius felicitatem summis commendaret laudibus, Visne Damocle, respondit Dionysius, meam experiri fortunam? cùm se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in sella sua regia, tum ad mensam eximia forma delectos adolescentes jussit consistere, eósque ad nutum illius intuentis diligenter ministrare, deferebantur delicatissima fercula, incendebantur suavissimi odores, in tanto rerum splendidarum apparatu Damocles fulgentem, tersúmque gladium è lacunari demitti videt, ejúsque capiti imminere equina tantum detentum seta, fractu facili: cúmque more pendula illius impenderet cervicibus, timore perculsus Damocles manum non est ausus in mensam lautissimè structam porrigere; rogavitque Dionysium, ut abire liceret, quia ita beatus nollet esse. Declaravit Tyrannus hoc pacto eum non posse felicitate donari, cui semper timor impendet: scitè Seneca.

Quicunque regno gaudet? ô fallax bonum!
Quantum malorum quàm fronte blanda tegis,
Necesse est ut multos timeat, quem multi timent.
Venenum auro bibitur: expertus loquor.

Innocentia ubique tuta. 82.

Pingatur Opilio inermis, seu Pastor impunè armatorum militum pertransiens exercitum. Titus Vespasianus, teste Suetonio audiens prædecessores suos multis à subditis affectos injurijs, aiebat: *Nemo me injuria afficiet, quia nihil ago, quod alios lædere possit.* eleganter Horatius *lib. 1. Od. 22.* cecinit.

Integer vitæ, scelerisque purus
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra.
Sive per syrtes iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Tonat Fortuna Infra Verticem Sapientis. 83.

Pingatur Socrates Philosophus columnæ basi innixus, librantásque manu tenens bilances, dum proxima domus ventorum impetu corruit, alia flammis absumitur; & delapsus grando flavescentem in campo conterit segetes. Socratis adagium fuit apud Stobæum: ut statuam in sua basi, ita virtuti, ac bono proposito nixum immotum esse debere. Tonante, ruinásque minante fortuna, non veretur sapiens, nec turbatur. Virgil.

Ac si dura silex, aut stet Margesia cautes.
Refert Plutarchus, Anaxarchum cum à Nicocreonte Cypri Tyranno in saxo concavo tunderetur, animo infracto dixisse: *Tunde tunde Anaxarchi vasculum: ejus constantiam non teres.*

84. TARDIUS ABSOLVIT, QUI NIMIUM PROPERAT.

Pingantur duo Sertorij equi validus unus, & ad cursum expeditissimus, alter imbecillis; validi cauda ab imbecilli lene paulatim convellatur; ab infirmo validus juvenis nitatur totam simul caudam evellere, irrito tamen conatu. Ait Valerius Maximus: Sertorius corporis robore, omnique consilio parem naturæ indulgentiam expertus, proscriptione Sullana Dux Lusitanorum fieri coactus; cum eos oratione flectere non posset, ne cum Romanorum universa acie confligere vellent, vafro consilio ad suam sententiam perduxit. Duos enim in conspectu eorum constituit equos, alterum validissimum, alterum infirmissimum: ac deinde validi caudam ab imbecillo sene paulatim carpi, infirmi à juvene eximiarum virium universam convelli jussit. Obtemperatum imperio est. Sed cùm adolescentis dextra irrito se labore fatigat, senio confecta manus ministerium executa est. Tunc pro concione subjecit: quia caudæ consimilem esse Romanorum exercitum, cujus partes aliquis aggrediens opprimere possit: universum conatus prosternere, celeriùs tradiderit victoriam, quam occupaverit.

85. AMANT ALTERNA CAMÆNÆ.

Pingatur Socrates Philosophus prolixa in arundine puerorum equitans inter catervas, laxandi animi causâ post feria Philosophiæ studia. Item Occasio manu Palladem ducens spatiatum per florida, & virentia prata. *Sic enim inquit Valerius Maximus strenui tempestiva laboris intermissione ad laborandum fiunt vegetiores. Id vidit, cui nulla pars Sapientiæ obscura fuit, Socrates: ideòque non erubuit tunc, cum interposita arundine cruribus suis cum parvis filiolis ludens, ab Alcibiade visus est.* Hinc animi laxationem, quam Horatius *lib. 4. Od. 12.* vocat brevem stultitiam. *Misce stultitiam consilijs brevem* Occasio Palladi suadet apud Senecam *Post multa virtus opera laxari solet.* Quia quod caret alterna requie durabile non est, Fragiles ne labascant, aut langueant vires, vacandum interdum à serijs, dandùmque aliquid temporis ludicris, quibus interrumpuntur feria, ut suadet ille.

Interpone tuis nonunquam ludicra curis.

85. UT DIU TENDAS, NE DIU TENDITO.

Symbolicè id innuunt arcus duo, alter ex diuturna fractus tensione, & alter quia interdum remissus sua adhuc gaudet integritate. Monentur qui animum ad studia literarum intendunt, ut identidem animum honesta recreatione laxent, ne diuturno frangantur labore. Non modica affinitate arcus, & animus junguntur: Cicero de senectute ait: *Appium Clodium animum intensum tanquam arcum habuisse.* Debet tamen hæc animi relaxatio honestate circumvestiri, ne dum volumus animum laxare, illum vitijs inquinemus. *Caveamus* ait S. Ambrosius *lib. 1. de officijs ne dum laxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum.* Viris studio addictis indulgendum est aliquid remissionis honestæ, ac lusus; ne continuo fatiscant, ac deficiant labore; id suasu Socratis, Senecæ, ac universæ Stoæ. Hinc Plinius secundus pomeridiano somno vires à matutino studio defatigataa reficiebat, qua ratione Martialis lib. 3. Epist. 66. dixit: *Hora lassos interjungit equos meridiana*, petita metaphora ab equis jugalibus, qui sub meridiem solvebantur, ut paululum interquiescerent. Inconsulta in studijs pertinacia ferins, ocyus luitur, cum valetudinis non modico discrimine: lusus, & usus jocorum permittendus est, ut inde ocyor ex otio fiat. Idque licebit etiam profitentibus religionem, ac severiorem vitam, ut honestis oblectamentis labores diluantur. Pauci recensentur ex ijs, qui diutiùs occupantur in studijs, qui cum Augustino *lib. 4. confess. cap. 2.* ingenuè non dicant. *Literario labori nimio pulmo meus cedit, & difficulter trahit suspiria, doloribùsque testatur se saucium, vocemque clariorem, ac productiorem recusat.* Monet tamen Valerius Maximus duplex esse otium, alterum quô enervescit virtus, alterum, quô recreatur: industrij hominés tempestiva laboris intermissione huic indulgent, non illi.

PERNICIES A LINGUÆ PROCURSU TIMENDA. 87.

Pingatur Harpocrates silentij Numen digito labellum compescentem inter fercula, & pocula. Nil magis prodest, quàm linguam silentij fræno compescere; & minimum cum alijs loqui, Xenocrates in convivio rogatus, cur cæteris garrientibus ipse solus taceret, fertur respondisse. *Nunquam tacuisse pænituit, locutum sæpius.* Quia nescit vox missa reverti. Hinc illud Catonis *Virtutem primam esse puta, compescere linguam. Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.* Ut quis Deo appropinquet, qui amicus silentij uno omnia dixit in Verbo, silentium colat, à multorum verborum fusu abstineat. Lingua coërcenda est, & silentij fræno compescends. Equo solet lingua comparari, quæ quò velocius currit, eò faciliùs loquentem dejicit, ut monet Nazianzenus in silent. quadrag. jejunij, ubi ait: *Certè nulla res est, quæ majorem hominibus perniciem adferat, quam lingua: equus est perpetuo cursu mentem antevertens*, ex quo fit, ut loquens miserè cadat.

ID TANTUM AGAS, QUOD NONNISI PUBLICE AGERES. 88.

Pingatur vir probus rurali amictu, qui binas collo appensas gerat manticas, quarum altera ante pectus, altera à tergo pateat Famæ intus inspicienti. Finxit Æsopus, homines singulos, binas habere manticas, seu perulas viatorias, quarum altera ante pectus, altera à tergo propenderet; & in priorem aliena vitia conjicere, in posteriorem sua propris. Hinc orta parœmia, homines non videre, quod in tergo manticæ est. Quia cum homo centicolus sit Argus, ut aliena videat vitia; cæcutiens talpa

pro.

propria haud videt. Qui honestè operatur, ita agit, ut quæ à tergo mantica defert, possint omnes citra verecundiam introspicere. Scitè Lampsac.

Vir bonus inspice, ait Sodes, ò Fama quod ante
Pectus, & à tergo, mantica nostra gerit.
Quin nostræ tibi nulla domi volo clausa fenestra,
Janua nulla tibi, nulla sit arca tibi:

Vir honestus ac probus non audet quidquam cogitare, aut facere, quod non audeat omnibus prædicare. Hinc monuit Seneca *in Epist.* ita vive, ut nihil tibi committas, nisi quod committere etiam inimico tuo possis. Livius Drusus, cum domum in urbe ædificaret: & architectus se exhiberet ita structurum domum, ut libera prorsus foret ab arbitris, & exterorum curiositate, *quin tu potius* respondit Drusus apud Livium in exempl. Politic. *si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quidquid agam ab omnibus inspici possit.* honestè agens nullum veretur testem.

89. PERFICIT ASSUETUDO NATURAM, & INFICIT.

Pingantur duo Lycurgi canes alter domesticus, qui coram populorum frequentia fugientem leporem insequatur neglectâ delicatiori esca; & alter venaticus, qui omittens leporem ad escas currat. Lycurgus is, qui Lacedemonijs leges condidit, ait Valerius Maximus, cum conaretur cives suos à moribus præsentibus ad temperatiorem vivendi rationem traducere (nam erant corrupti delicijs) duos educavit catulos, venaticum unum, alterum domesticum: venaticum passus est domi lautioribus vesci cibis, domesticum eductum venationibus exercuit. Dein cum ambos produxisset in forum apud multitudinem posuit illic escas aliquas delicatiores. Mox emisit leporem, cum uterque raperetur ad assueta, alter escas, alter leporem invaderet: an non videtis cives, dixit Lycurgus duos catulos ob diversam educationem admodum dissimiles evasisse, plúsque ad honestatem momenti, habere exercitationem, quàm naturam? Ea est consuetudinis vis, ut naturam ipsam vincat, & in eam educat partem, ad quam assuetudo traxerit, scitè S. Isidorus Pelusiota lib. 5. Epist. 236. *Consuetudo quid magnum, & in naturam paulatim abit, alterámque esse naturam, quidam affirmant. Alij etiam à consuetudine superari naturam illud veteris Poëtæ adhibentes asserunt.*

Gutta cavum reddit saxum dum decidit usque.

90. Quid saxo durius? quid aqua mollius? & nihilominus ictu assiduo naturæ vincitur durities: cedit jugi guttæ fluxui immane saxum: assuesce probis, ut probitatem induas, exuas malitiam: ab ineunte, ac florente ætate optimo assuesce vitæ instituto; licèt sub initijs durum tibi visum fuerit, assuetudine mollescet, ac dulce fiet. Eligenda est optima vitæ ratio, ait Cicero, quam consuetudo jucundissimam reddet. Bona consuetodo excutere debet, quod mala invenit: verum enim habet, quod communi jactatur parœmia; consuetudinem consuetudine vinci; non solùm bonam peiore, sed etiam malam meliore. Imò ipse sexus imbecillior assuetudine ad valentiora instruitur; id Socrates ex puella saltatricula intulit, quæ inducta in convivium mira dexteritate, ac arte trochos duodecim in altum projectos excipiebat, ita temperato altitudinis spatio, numerisque pedum, ut nunquam falleret: subdítque eandem inter acutissimos gladios non sine horrore spectantium impavidam saltitâsse. Hinc Laertius Juvenes ephebos adhortabatur, ut se subinde ad speculum converterent; quid si essent egregia corporis forma, caverent, ne quid ea indignum committerent: sin minus, quod corpori deesset, id ingenij cultu, morúmque honestate pensarent. Plurimi interest à teneris annis bonis assuescere artibus. Aristippus referente Laertio *lib. 2. cap. 8.* percunctanti, quæ potissimum adolescentibus essent discenda? respondit, quæ viris usui futura sunt: optima ab ineunte ætate discenda sunt, ne rudis ætas, quæ maximè docilis est, supervacaneis occupetur.

OTIA SI TOLLAS PERIERE CUPIDINIS ARCUS. 91.

Pingatur Penelope plures inter procos stantes telam texens. Fingit Homerus, Penelopem Ulyssis uxorem procos jam urgentes hac delusisse conditione, ut tum se promitteret nupturam, ubi telam, quam præ manibus habebat, absolvisset; interim mulier prudens, quod interdiu texuisset, id noctu retexere, ac penitus dissolvere maluit, quàm otiari, procisque annuere. Otium aversata Penelope molli telâ Cupidinis tela delusit, pulchrè Ovidius lib. de Remed. Amor.

Otia si tollas periere Cupidinis arcus,
Contemptæque jacent, & sine luce faces.

Vir prudens honesta occupatione aditum 92.
præcludit vitijs, pravisque affectibus, quibus alimentum suppeditat otium. Ad extrema malorum decurrit, qui otio torpet, qui desidiâ corripitur, quæ virtutum lethale est venenum, & scelerum fomes. Si desidia viscera subierit, perinde evomenda est statim, ac exitiale virus, ne virtus corrupta cadat: quàm bene paterfamilias arguit, quos otiosos in platea repererat, quos nemo adhuc conduxerat, neque excolendæ vineæ addixerat; *Quid hic*, inquit, *statis tota die otiosi* Matth. 20. nullius alterius eos insimulat criminis; sed solius otiositatis; quia scilicet ab hac una perinde ac à putido fonte omnia scatent vitia, singula fluunt scelera, quid si conductos jam torpori indormientes reperisset? Eccles. 2, 14. *Væ duplici corde, & manibus malè facientibus*, seu ut legit Vatablus *manibus remissis*. Regia *manibus dissolutis*, quia otio torpentes malè operantur licèt non operentur; siquidem desidia correpti in multa scelera delabuntur, quasi idem sit malè operari, ac remissis manibus otio torpescere. Otio non marcescat, qui carnis cupiditatibus vinci non vult; extulit Moyses manus, excussit otium, & victor surrexit Israël, victos cecidit Amalech. Ad bona opera manus admoveamus, ut carnis vitia ad fugam vertantur, pulchrè S. Nilus *orat. 1. de gula*, suos alloquitur Monachos inquiens: *Manuum Moysis sublatio Amalech in fugam convertit, & Monachi honestis in rebus occupatio carnis cupiditates expellit.* Non otiantur, qui otio torpent, qui torpori indormiunt, quia ad gehennam viam sibi sternunt; indul-

indulgere otio est nutrire singula vitia, ac dæmoni famulari.

93. Labor quietis condimentum.

Pingantur in occato agro rustici plures post meridiem sedentes, ac quiescentes umbriferis sub arboribus, simúlque consabulantes, ut post modicam illam quietem vegetiores surgant ad reliquum campum occandum. Boves itidem cum ferrea, ac dentata occa medio prostrati in campo quiescant. Terræ gremio jam emollito, ac subacto semen spargitur, quod tellus occata cohibet; occatur verò cum rastro, seu occa ferreis instructa dentibus surgentes glebæ conteruntur, & agri superficies coæquatur, ac semina cooperiuntur. Moris est illis præsertim in regionibus, ubi Sol ferventius urit, ac dies illucescunt laxiores, ut rustici arva excolentes matutinos post exantlatos labores modicæ sub meridiem quieti indulgeant, ut inde fortiores, & alacrierce reliquos diei labores subeant. Dicitur hæc quies, quam labor præcessit gratior, ac suaviur obtingere, cujus propterea labor præcedens est condimentum; nobisque documento, ut si veram nitimur quietem enancisci, laborem substernamus: id nos docuit Deus in orbe condendo; sex diebus legitur tunc operatus, & uno requievisse, *Requievit Deus*, ait Moyses Genes. 2. *die septimo. Hic advertas*, ait Oleaster, *non esse quiescendum, nisi satis prius laboraveris.* Hunc laborem specialius hominem Deus edocuit, cum hominem condidit, sunt Dei verba: *Faciamus hominem*, Genes. 1. non dixit *fiat homo*, ut de rebus cæteris, quas de nihilo ad hujus lucis traduxit usuram: idque ea ratione, ut homo labori assuesceret, Dum Dei quasi laborem in sui formatione noverit: ut laborem non refugeret, cum Deum in se quodammodo laborantem audierit, ut expendit S. Ambrosius *Serm. 1. in Psal. 118.* inquiens: *Si Deus majori quodam studio te creavit, cui ipse tui studium relinquit? sic Deus in te laboravit, qui laborare non novit, cur ipse fugitans sis laboris.* Labor si ritè instituatur non solùm dulcescit ipse; sed amara etiam, quæ contingunt, sacchareа constituit; animum abstrahit à molestis cogitationibus; est enim labor genus gaudii, fœnus voluptatis: sicut desidiâ vitia foventur; ita labore virtutes nutriuntur.

94. Se prodit virtus, nisi se prodat.

Pingantur Virtus, & Inertia, ambæ somno sopitæ. Illa saxo innixa, hæc plumeo cubans in lecto, cui adstet asinus: est Virtus exercitio destituta Desidiæ similis, quia virtus sine actione, pulchrum est corpus, sed inanime; nobilis gemma, sed luto obducta; procera arbor, sed sterilescens, quia sine exercitio nullus ex virtute fructus redundat, scitè Claudianus.

Major & utilior facto conjuncta potenti
Vile latens prius. Quid enim submersa tenebris
Proderit? obscuro veluti sine remige puppis,
Vel lyra, quæ reticet, vel qui non tenditur arcus.

Nisi exercitio se virtus prodat, suásque vires exerat, neglecta marcescit, fallitur qui sine districto gladio, motúque brachij, ac sine pedum gressu putat in castris palmas metere, ac triumphos sibi cudere, perinde est virtus, si exercitio non nubat, ac gladius in vagina alta obductus rubigine victoriæ comparandæ haud aptus. Militia est vita hominis, in castris nascitur, edversarij in ipsum plures insurgunt: caro cuniculos molitur; mundus bellum indicit, arma movet: Dœmones tentationibus classicum canunt. Concupiscentia exitiales excitat ignes, qui denso fumo diem eripiunt; mentem atra caligine obducunt: Irascibilis globos ejaculatur; pravorum exercitu objectorum omnes sensuum aditus obsidentur, librantur arietes; quidni succombat, necesse est, qui motu destituitur, qui abaque virtutis exercitio se minimè tuetur. Si virtus sine adversario marcescat; si hostis adsit, séque non exerceat, ac prodat, se ipsam prodit, quia necesse est cadat: vestem otiosam perrodunt tineæ, agrum ab aratro vacantem vestiunt illico vepreta; hortorum areolas culturâ destitutas devenustant, quæ spontè succrescunt herbarum genera; gladium in vagina perpetuò torpentem vitiat rubigo; aquam jugiter stagnantem incolunt ranæ; aërem quem venti non agitant, diuturna corrumpit quies; & homines extra virtutum exercitia deliciæ enervant, & vitia inficiunt: non cùm vigilant, operantúrque, sed cum desidiâ correpti indormiunt homines, venit inimicus homo, & superseminat Zizania; hoc est cum otio torpescunt, tunc insurgunt vitia, excitatur concupiscentia, ac depravatæ naturæ motus contra rationis rebellant imperium. Cum Samson in sinu Dalilæ deses dormivisset, & unà cum capillis robur omne deperdidisset, Philisthæi eum excitârunt, sed jam malè attonsum, ac viribus destitutum; hæcque ratio, cur Scipio Nasica delere Carthaginem vetuit, nimirum ne unquam deessent, qui Romanos à somno excitarent; non latuit ipsum otio arma rubiginem contrahere, & milites frangi, ac enervari.

Hinc Deus ipse Hethæos, Jerezæos, Amorrhæos, Chananæos, Pherezæos, & Hervæos, Jebusæos robustissimos hostes in medio constituit Israelis, ne hic desidia torpesceret, otio marcesceret, ac vitijs indormiret; sed ingem haberet pugnandi materiam; & occasionē exercendæ virtutis. Priusquam David Rex proclamaretur, regebat ille oves, & pastoritiam exercens, studio virtutum, quas inter montiū vepreta excoluit, ad summas efforuit laudes, quia in exercitio masculæ virtutis nunquam ferias inter fetas, quarum incoluit latibula, admisit; cum verò ab exercitio caulæ, ad otia transiit aulæ, delicijs mox diffluens vitijs indulsit, fumóque ex præconcepta libidinis flamma candorem denigravit innocentiæ, adulterij perpetravit scelus, & literulis fidelissimum Uriam interimere non reformidavit. 95.

LIB.

LIBER VII.

De Phrenoſchemate, ſeu Symbolo heroico Italicè *Impreſa*, Gallicè *Deviſe*.

INolevit tam multiplex opinionum varietas in tradendis regulis perficiendi phrenoſchemata, ſeu Symbola heroica, ut plerique huic inſtituto viſi ſint potiùs obfuiſſe, quàm opem tuliſſe; eò quia minutias quasque putidiuſculè, ac perperam, vel propugnent, vel expugnent; & videretur res riſu digna, niſi potiùs moleſtias ingereret, legere tàm varias, ac inter ſe ſe pugnantes ſententias, ut in eorundem Authores retorqueri poſſit adagium illud, *quot capita, tot ſententiæ*; etenim quod ab aliquibus commendatur, ac propugnatur, ab alijs omnino rejicitur, ac excluditur, veluti hujus inſtituti pergrave peccatum: nec ullum hactenus in lucem prodiit phrenoſchema, ſeu heroicum Symbolum, quin illud aliquis ex hiſce momis Satyrico dente momorderit. Quale phrenoſchema plus obtinuit plauſûs, ac laudis, illo Ludovici XII. Franciæ Regis? ubi pingitur hyſtrix ſuos è propria cute dumos evibrans, addito lemmate, *Eminùs, & cominùs* deſumpto ex quarto lib. Lucani: *ſic undique ſepta juventus*, COMINUS *obliquis*, & *rectis* EMINUS *haſtis* ad ſignificandum Regem Ludovicum, & Procul, & prope ſuos terrere, proſternere, & debellare hoſtes: & tamen hoc idem phrenoſchema à ſingulis Academijs ſummo exceptum plauſu, & ab Emanuele Theſauro exhibitum, veluti ideam perfecti phrenoſchematis, & inter perfectiora poſitum à Bargalio, Jovio, Ruſcellio, & Capacio: nihilominus ut imperfectum ſchema rejicitur, & damnatur ab Hercule Taſſo, Guiazio, Chiocchio, aſſerentibus ad perfectum phrenoſchema neceſſarias eſſe plures figuras, ſaltem duas; cum in illo Ludovici nonniſi una adſit: & tamen ut infra expendemus, nullum hactenus in lucem prodiit Phrenoſchema, quod tantas incluſerit perfectiones, ut iſtud. Quia igitur hujus inſtituti Scriptores inter ſe ſe diſſentiunt, videantúrque Dedaleum conſtruere Labyrintum, in quo Ariadnæo deſtituti filo implicatiores videantur ipſo Theſeo, operæ pretium duxi perfectiores regulas, magisque ab Authoribus clarioris notæ approbatas hîc perſtringere, ac veram phrenoſchematis eſſentiam enucleare.

EXPENSIO I.

De nomine Phrenoschematis, seu Symboli heroici.

1. TAmetsi nominis cognitio, ut Sophorum loquuntur classes, in quovis quæsito sit præsupponenda: in hoc tamen instituto non ita contingit, eò quia hæc symbola elapso duntaxat sæculo nata, & veluti adhuc pubescentia, nulla latinè stabilis nomenclatura videtur ijsdem inesse. Plures Græcè ea vocârunt *Heroglypta*, seu *Heroicum sculptile* ad distinctionem *Hieroglypti*, quòd significat *sculptile arcanum*. Verum videtur statim hoc nomen respuendum, cum & ipsa hieroglyphica sint plerumque conceptus heroici sculpti, vel in obeliscis, vel Clypeis; quo pacto Ægyptij heroicos suos conceptus Symbolorum involucris obtegere consueverunt, ne in plebeorum hominum sensus, ac intelligentiam pervenirent. Idque causæ, cur Hieroglyphica sculptis rerum, animaliúmque figuris significantibus mentis reconditos conceptus adinvenerint. Rursus ut fatetur Olaus Magnus *lib.* 1. *cap.* 22. in usu etiam fuit septemtrionalibus populis exprimere mentis conceptus per animalium figuras sculptas, vel in marmore, vel in ligno, ait ipse, *Nonnulli pro privatis computis instar Ægyptiorum varijs animalium figuris pro litteris utebantur, quibus cum dicta Sapientum præclara, & sententiæ exprimantur, evenit, ut in animos instillentur jucundiùs, quo submoto quasi obscuritatis velo detecto repente lux emicare videatur*: unde hæc vox *Heroglyptum* quatenus significat conceptum mentis expressum per aliquam sculptem, vel pictam figuram alicujus rei sensibilis est potiùs vox generica conveniens æquè Hieroglyphicis, ac emblematis, & symbolis heroicis.

2. Emanuel Thesaurus termino complexo vocavit Phrenoschemata *argumenta urbana*, eò quia sint argumenta fellacia, idque evincit ex phrenoschemate Ludovici XII. in quo vel picta, vel sculpta exhibetur hystrix cum lemmate *Eminus, & cominus*, eò quia hoc animal è propria cute missiles evibret dumos: argumentatur Thesaurus: *Quod ferit eminus, & cominus est Hystrix; sed Rex Ludovicus hostes suos ferit eminus, & cominus, ergo est Hystrix*: quod argumentum est fallax, ac poëticum, sed urbanè concludens: ex quo infert ipse, Phrenoschemata vocanda esse argumenta urbana, licèt fallacia. Verùm huic placito non adhæreo, quia quævis argutia ut idem Thesaurus fatetur est argumentum fallax, & urbanum, & tamen non est phrenoschema: censet ipse, argutias spectare ad tertiam operationem intellectûs, adeóque esse argumenta fallacia, & urbana: nam quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se. Si per metaphoram, rosam, & minium fucatæ puellæ sunt idem in colore rubro; ergo minium est rosa, quæ tamen est simplex metaphora fundata in similitudine coloris, seu qualitatis; fieret autem argutia, si quis investigans non causam pro causa diceret: *non mirum, si puella rosas nutriat in genis; vere fruitur suæ juventatis; verna temperies gaudet rosis coronari*: hæc argutia est argumentum ab effectu, fallax tamen, & urbane concludens: hoc pacto: ubi enascuntur, & luxuriant flores, ibi verna temperies regnat: sed per metaphoram similitudinis in genis puellæ florent rosæ: ergo verna ibi est temperies. Cùm igitur argutiæ ex Thesauro sint etiam argumenta urbana, & interdum heroica, & argutiæ non sint phrenoschemata, sequitur, hæc symbola non esse vocanda argumenta urbana heroica, & fallacia. Tum quia argumenta, vel Theologica, vel Philosophica, si subtiliter, ac nervosè probent, dicuntur heroica; & tamen non sunt phrenoschemata. Præterea, quia argumenta heroica cum plures includant vocee, potiùs per quandam circumscriptionem exprimerent genus hoc Symbolorum, proinde minùs aptè, quàm si id fiat per unicam vocem.

Hercules Tassus *pag.* 266. censet, hoc Symbolorum genus esse vocandum *Impresiam* à verbo imprimendi, eò quia Italicè communiter vocentur *Imprese*. Vèrùm si hæc symbole vocenda essent *Impresiæ*, eò quia imprimuntur, etiam hieroglyphica, notæ clandestinæ, & emblemata imprimuntur; quapropter dici deberent *Impresiæ*, quod nnn conceditur. Non igitur rectè autumant, qui putent, hanc vocem derivari à verbo *Imprimere*, eò quia hoc Symbolorum genus imprimi soleat, & non secus, ac Deorum aliquis dictus est *Aius*, eò quia *aiebat*, seu loquebatur. Rursus à verbo *imprimo* supinum deducitur *impressum* réique dicitur impressa: & licèt unicâ tantùm demptâ literulâ manserit *impresa*, quâ voce ab Italis hoc genus Symbolorum vocatur, quasi error typi nomen dederit huic symbolo, id non concesserim, cum hoc Symbolum potiùs in prælijs, quàm prælis ortum sit. Præterea hæc vox *Impresa* latina non est, nec unquam fuit in Latio, sed vocabulum est purè italicum derivatum à verbo *imprendere*, quod Italicè idem significat, ac aliquid honestè aggredi, vel moliri, præsertim in bello; videtur enim hoc Symbolorum genus suam è castris originem traxisse. 3.

Neque in scopum videtur collimâsse Scipio Bargalius putans hanc vocem Italicam *Impresa* idem sonare, ac Gallicè *Entreprise*. Non enim est Itala lingua ita inops, & mendica, ut necesse habeat peregrinari in exteras regiones, & nomina quærere, quibus res suas significet. Quamobrem Paulus Aresius ex nostra Congregatione vir hujus instituti amans, ac eruditissimus asserit, vocabulum hoc *impresa* pro- 4

priè eſſe Italicum, & per illud Italos ſignificare ſpeciale illud Symbolum, quod à Græcis phrenoſchema dicitur, & à Latinis Symbolum heroicum: perinde ac Ariſtoteles infert, comœdiam eſſe inventionem Doricam, eò quia ſit Doricum vocabulum: quia igitur hæc Symbola ſuperioribus ſæculis fuerunt ab Italis inventa, vel ſaltem majori perfectione, ac uberiori elegantia donata, rectè ab Italis vocantur *impreſe* ad ſignificandam expeditionem aliquam arduam quidem, ſed quæ ſuſcipienti ſit laudi, ac decori.

5. Alij omiſſo hoc nomine *impreſa* vocant hoc Symbolum juxta præſens inſtitutum *Epigramma figuratum*, ut Donatus *lib. 3. cap. 32.* in ſuis de arte Poetica commentarijs. Verum nec huic placito poſſum acquieſcere, quia etiam emblemata Alciati ſunt epigrammata figurata, quæ coaleſcunt ex figura, & brevi carmine: & quia hæc ſymbola diſtinguuntur ab emblematis, debent etiam nomine differre. Alij rejicientes voces complexas vocant ſimpliciter *Symbola*, quæ tamen vox eſt generica, non ſpecifica; imò & æquivoca. Symbolum enim ſumitur primò pro eo, quod ad cœnam parandam plures conferunt, Terent. in Andr. ait: *Symbolum dedit*, ſeu ſua detulit ſeccula ad cœnam conſtruendam. Secundò dicitur Symbolum *Signum Bellicum*, quod à Latinis teſſera dicitur, quo ſigno ſocij ab hoſtibus, & Exploratoribus ſecernuntur, ut in exercitu Marij Symbolum fuit *Lar Deus*: in caſtris Syllæ *Apollo Delphicus*: & ab hac ſimilitudine *Symbolum Apoſtolorum* dicitur quoddam quaſi breviarium totius noſtræ fidei, quo veluti quadam teſſera, Pſeudo-Apoſtoli à veris diſcernerentur. Tertiò quia Julius Pollux interpretatur Symbolum *parvum numiſma*. Quartò Ariſtoteles originem, & Etymologiam vocabulorum etiam vocat Symbolum. Quintò licèt ab aliquibus ſymbola dicantur notæ arcanioris cujuſdam myſterij ſignificativæ, ut cum *Ciconiam* dicimus eſſe Symbolum pietatis; *lilium* puritatis; *Roſam* charitatis, *Serpentem* prudentiæ, *Leonem* magnanimitatis; & ſecundùm alios plura ſymbola dicantur breves quædam, & involutæ ſententiæ, & quædam veluti ænigmata rem aliquam occultam, ac reconditam ſignificantia, ut ſunt ſymbola Pythagorica; adhuc tamen hieroglyphica, & emblemata dici poſſent hujuſmodi ſymbola.

6. Quamobrem omiſſâ hac ſententiarum varietate dixerim hæc ſymbola, quæ Italicè *Impreſe*, & Gallicè *Deviſes* vocantur, & Latinè à plerisque *Symbola heroica*, quod poſtremum nomen quia complexum, pluribus non placet, eò quia per circumſcriptionem videatur hoc genus Symbolorum ſignificari; ſatiùs putârim per unicam ſimplicem vocem, quamvis Græcam vocari *phrenoſchema*, quod ſignificat mentis ſpeciem, ſeu conceptum exteriùs expreſſum per rem aliquam ſenſibilem animatam aliquibus verbis; cenſerem vocem hanc Phrenoſchema præferendam alijs. Quòd ſi excludatur eò quia in latio repecta non fuerit, circumſcriberem cum clarioris notæ Authoribus latinè hoc genus Symbolorum, ut diſtinctum à hieroglyphicis, & emblematis *Symbolum Heroicum* compactum ex re aliqua ſenſibili nobili, ve uti ex corpore, & lemmate, veluti anima. Cæterum hoc Symbolum, cum fundetur in ſimilitudine ac proportione, eſt argumentum poëticum deductum à ſimili, & fundatum in Ariſtotelico axiomate Poët. cap. 10. *Sicut ſe habet ſecundum ad primum, ſic quartum ad tertium.* ut res clarior elucescat, ſumatur Phrenoſchema Ludovici XII. ſeu Hyſtrix propria è corpore ſpicula ſtiles dumos evibrans cum lemmate *Eminus, & cominus*: concurrunt hic quatuor termini duo in re ſignificante *Hyſtrix, & dumi*, & duo item in re ſignificata, ſuntque *Ludovicus Rex, & ejus arma*, quibus hoſtes ferit cominus, & eminus; hi termini invicem ſibi correſpondent, quia ſicut ſpinæ ſunt arma hyſtricis, perinde arma ſunt ſpinæ Ludovici, quibus hoſtes ſuos pungit, ferit, & proſternit prope, & procul; hinc liquet hoc phrenoſchema nil aliud eſſe, quam perfectam ſimilitudinem hiſtricis cum Ludovico Rege.

Neque obſtat, ſi dicas, etiam imagines poſſe hoc pacto dici phrenoſchemata cum fundentur in ſimilitudine, ut pictura Cæſaris, quæ ſimilis dicitur Cæſari. Contra eſt, quia phrenoſchemata ſunt tantùm ſimilitudines metaphoricæ, & poëticæ, quia phyſicè hyſtrix nullam præfert ſimilitudinem cum Ludovico Rege. Præterea neque ſimilitudines ſpecificæ videntur dicendæ phrenoſchemata, quia hæ ſimilitudines fundantur in eodem genere, & eadem differentia, & ſolùm indicant diſtincta ſubjecta individualiter, ut ſunt Cajus, & Titius ſimiles in animalitate, & rationalitate: ſecus ſimilitudo metaphorica eſt ſolùm inter individua diſtincta ſpecificè, ut inter hyſtricem, & Ludovicum Regem. Neque exinde ſequitur, quòd omnia quibus poteſt tribui hæc Ethymologia ſint Phrenoſchemata, quia aliud eſt Ethymologia, & aliud definitio; certo certius eſt, definitionem non convenire niſi rei definitæ, non ita Ethymologiam, etenim *lapis* dicitur eò quia *lædat pedem*, & tamen non omne quod pedem lædit, lapis dicitur: etiam ſpina punxit pedem Veneri, læſitque, & tamen ſpinæ lapides non ſunt. 7.

8. Quamobrem dicuntur phrenoſchemata, quia ſunt ſimilitudines metaphoricæ; & phrenoſchema ſignificat ſimilitudinem inter duo diverſæ ſpeciei, eſtque ſimilitudo metaphorica transferens rem ab una ſpecie in aliam. Neque phrenoſchema eſt nomen æquivocum, ut ſignificet etiam hieroglyphica, & emblemata, quia illa ſunt potiùs ænigmata, ſeu figuræ animalium pictæ, vel ſculptæ ad exprimendum duntaxat conceptum mentis, & non dicunt metaphoricam ſimilitudinem, cùm perſona, ad quam phrenoſchema alludit; ſed eorum finis eſt tantum exprimere conceptum mentis mediante aliquo figurato ſenſibili proportionato: quo pacto Ægyptij ænigmatum involucris ſuas adumbrârunt ſententias, ne in plebeorum hominum pervenirent intelligentiam. Hinc etiam in ſacris litteris plura traduntur in parabolis, cujus

rei

rei disertam adducit rationem Origenes *homil. 1. in Luc.* inquiens *Sicut in novissimis diebus Verbum Dei ex Maria carne vestitum processit in hunc mundum, & aliud erat, quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur; carnis namque aspectus in eo patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur veritatis agnitio:* tali pacto Ægyptij suos exprimebant conceptus, ut talis imago suaviùs sensum titillaret, nam ut ait D. Augustinus Epist. 119. *Quemadmodum multa per vitrum, aut succinum pellucent jucundiùs; ita magis delectat veritas per imagines, & symbola collucens.* Nec significat emblema, quia hoc duntaxat exprimit documentum morale mediante figura sensibili.

EXPENSIO II.

De origine Phrenoschematum, seu Symbolorum, quæ dicuntur heroica, & de præcipuis Auctoribus, qui ultimis hisce temporibus de hac arte Symbolica scripserunt.

1. Mirum non sit, si hujus instituti Scriptores taliter inter se se opponantur, ut Palladis in area videantur potiùs pugnas inire, & oppugnare phrenoschemata, quàm illorum regulas tradere, ac dilucidare: siquidem hujusmodi Symbola in bello nata, & clypeos pro cunis nacta, nonnisi dissidia visa sunt præsagire: asserunt communi suffragio hujus instituti cultores, primam phrenoschematum patriam Mavortis fuisse castra, in quibus Duces suis in clypeis, vel etiam vexillis picta, vel sculpta voluerunt hujusmodi symbola, quibus bellicam fortitudinem, aut aliam virtutem, animique prærogativam exprimerent: idque causæ cur Plinius secundus asserat, clypeos non esse dicendos à *cluendo*, seu à lumine, ac splendore perpoliti, ac tersi chalybis, sed censeat suam sortiri nomenclationem à verbo *Glypion*, quod significat *sculptile figuratum*. Magnifica in primis fuerunt vexillorum, clypeorúmque symbola, qualia sunt, quæ apud Æschilum in Tragœdia de septem ad Thebas commorantur, & ab Homero, ac Virgilio in Heroum clypeis describuntur. Verùm ijs sub initijs rudia fuisse, ac imperfecta hujusmodi symbola liquet ex eodem Æschilo *loco cit.* ubi in scuto Capanei describit virū cum tæda accensa, satagente clausas urbis januas comburere addita epigraphe: *Comburam urbem.* Et in scuto Etheoclis virum exhibet nitentem cum scuto, & districto gladio scalam conscendere, ut arcem inscendat additis verbis; *Nec Mars ipse repellet.* Licèt hæc symbola coalescant ex figura, & lemmate, sunt tamen perquam imperfecta, neque easdem servant leges, quibus adstringuntur nostræ ætatis phrenoschemata, quæ humana corpora excludunt, & lemmata ex classico Authore selecta exigunt.

2. Herodotus primos phrenoschematum authores censet fuisse Caricæ Gentis equites, ac milites, eò quia in clypeis omnium primi in sculptas gesserint varias figuras, ait ipse, *Caricæ Gentis hominibus, qui illis temporibus clarverunt ingeniosissimè numerantur tria inventa; quippe Galeis cristas imponendas primi ostenderunt; cares clypeis signa adjunxerunt: postremo lora quoque scutorum excogitârunt.* Hunc morem sculpendi Symbolum aliquod in clypeis viguisse etiam apud Romanos ex eo liquet, quod fulgetra gesserint proprijs insculpta clypeis, adeò ut una ex Romanis legionibus fulminatricis nomenclationem obtinuerit juxta illud Horatij lib. 6.

Cuncta phalanx insigne Jovis, cælataque gesta,
Tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes.

Silius Italicus etiam refert, Magnos Duces consuevisse proprijs insculpere clypeis præclara suorum Majorum gesta, & de quodam Scævola ait; *Scævola, cui diræ cælantur, laudis honores effigit clypeum:* & de Scipione Africano *Terribilem ostentans clypeum, quo patris & unà cælarat patrui spirantes prælia dira effigies.* Et de duobus equitibus, qui inconcussa pectoris firmitate, animique inflexili constantia pugnârunt, & expugnârunt hostes *in lib. de bello Hispanico* habetur: *cum ad dimicandum in planitiem se contulissent, scutorúmque landibus insignibus præfulgens opus cælatum.* Agamemnonem Ducem fatentur Historiæ insculpsisse clypeo leonis caput addito lemmate: *Hic hominum terror.* Davidem itidem eodem symbolo suum voluisse clypeum insignitum refert Josephus Hebræus. Alcibiades etiam suo insculpsit clypeo *Cupidinem actu frangentem fulgetrum* indicaturus, quòd si armis muniatur amoris, nec Jovis fulmina ei forent terrori. Epaminunda Martis ille terror insignitum voluit proprium clypeum *Draconis capite*, quasi se jactaret ex nobili stirpe Heroum, qui suam traxerunt originem ex dentibus à Cadmo disseminatis. Lacon Spartanus Muscam minutis lineolis suo voluit in clypeo cælsam, cui rei causa cum ab alio rogaretur; tam propè, repostuit, ad hostes sum accessurus, ut vel muscam meam possint alspicere. Clypei jacturam grande fuisse dedecus, ac indelebilem ignominiæ notam ex Plutarcho, & Rodigino infertur, hinc mulier Spartana in proprij filij clypeo non caput leonis ad terrorem incutiendum pinxit, sed tantùm hæc verba scripsit: *Aut cum hoc, aut in hoc* indicatura, ejus filium, vel cum eodem clypeo esse in patriam reversurum, vel in eodem enectum: & Epaminunda noluit antea occumbere, quàm quid esset de amisso clypeo intelligeret. 3.

Ex clypeis ad sigilla, & insignia, seu stemmata gentilitia visa sunt transisse hujusmodi symbola; adeo ut nulla fit gens, nullus privatus aliquo doctrinæ splendore clarus, vel bellico facinore illustris, qui peculiare Symbolum proprium non affectaverit; & ut omittam Persarum *Aquilas aureas*, Atheniensium *Noctuas*, Thebanorum *Sphinges*, afferam tantùm illud de Augusto Cæsare, quæ maturitatem in rebus gerendis ostensurus in altera numismatis parte *papilionem unà cum fluviatili cancro* cudi curavit addito lemmate *festina lentè.* Scimus etiam Mecœnatem egregium illum Doctorum Fautorem ad commendandam silentij 4.

religio-

religionem *ranam* sculpsisse: & Carolum V. Imperatorem geminas Alcidis columnas, cum lemmate *Plus ultra.* Et Othonem Vice-Comitem occiso apud Hierosolymam Barbaro, cujus in clypeo sculptus erat serpens in varias convolutus spiras, oréque hianti infantulum nudum evomens pro stemmate suo gentilitio eundem sibi usurpâsse serpentem.

5. Hinc hujus instituti originem antiquissimam esse non diffiteor: siquidem unà cum armis dimicantis Bellonæ in area in lucem prodijt. Verùm quia prima horum Symbolorum elementa Gradivi in castris crassiora fuerunt, & licèt fulgurantium armorum circumfusa splendoribus, adhuc obscura essent, & nulla ab antiquis scriptoribus fiat de hac arte mentio; ideo antiqua illa Symbola à regulis deflectunt, quibus nostra ætas phrenoschemata conficit: nec mirum, quia cum de rerum initijs est sermo, & ab ipsis cunis res repetuntur; non considerandum est, an tunc ornatum habuerint; nil enim est simul natum, & perfectum. An verò phrenoschemata perfectiora initium suum duxerint ab Arturo Rege Britanno, vel à septem Ducibus ad Thebas, disquirant ij, qui recèns omnia excogitata, ac inventa fastidiunt, invidentes ævo suo gloriam, quam posteri non erunt denegaturi. Mea non me fallit opinio, si asseram, phrenoschemata perfectiora, quibus nostra delectatur ætas, fuisse inventa superiori sæculo, cum ijs præsertim legibus, quibus nunc illigantur.

6. Quamobrem hujus instituti perfectio initium habuit in Italia elapso sæculo, cujus pater, & Author fuit Paulus Jovius, qui sectatores habuit plurimos, qui tamen ob sententiarum pugnam non parum huic instituto visi sunt nocuisse, cùm in tradendis regulis discrepent, videantúrque earundem labyrintum nullo Dedalo molitore potiùs construxisse, ut hoc institutum ingenuè de se ipso possit repetere, *inopem me copia fecit*, seu multiplicitas variarum sententiarum.

7. Quia verò non diffiteor, me gratum aliquid præstiturum si Authores præcipuos recenseam, qui huic Symbnlicæ arti postremis nostris temporibus incubuerunt, seu sæculo ab orbe reparato sexto decimo plurimúmque adjecerunt ornamenti, ac splendoris; non abs re fore duxi, eorundem Historiam hic attexere. Primus igitur omnium, qui huic symbolicæ arti in Italia navavit operam fuit Paulus Jovius. Huic cum æstivi caloris molestiæ, æstuantisque caniculæ latratus impedimento forent, quo minus inchoatam suam prosequeretur Historiam, sibi adscito Ludovico Dominico, cui amicitiæ vinculo erat obstrictissimus, laxandi animi, & curiositatis causâ castra adivit; & cum de symbolis, quibus militaria saga, ac vexilla Gallorum eleganter non minus, ac ingeniosè inspicerentur ornata sermo cum alijs eruditione præclaris viris incidisset; perbrevem de ijsdem Dialogicum tractatum composuit, cui initia dant imagines, quibus veteres propria exornârunt cœmeteria, vexilla, & clypeos, & quinque dumtaxat regulis artem Symbolicam enucleat, quarum prima est, ut justa sit proportio inter corpus, & animam, seu figuram inter, & verba. Secunda ne Symbolum nimia obvolvatur obscuritate, ut Oedipo opus sit ad illud evolvendum; nec ita implicatum, ut ad illud enodandum Macedonis gladius desideretur. Nec ita evidens, ut cuique obvianti statim patescat; primòque obtutu omnibus æquè innotescat. Tertia ut figura sit nobilis non abjecta, oculis pergrata, visúque jucunda, quæque astrorum aliquod, vel elementorum, aut oobiliorum repræsentet animalium; vel præstantissimarum artium instrumenta. Quarta ut figuram excludat humanam. Quinta ut lemma sit breve non multa obvolutum obscuritate, nec vernacula expressum lingua; ea scilicet, quâ utitur, qui hoc symbolo gaudet. Hisce expensis exempla exhibet; & aliqua sine corporibus; & nonnulla nudo tantum lemmate expressa proponit symbola, seu Symbolorum cadavera sine anima, & animam corpore destitutam, ac viduatam. Alia itidem multis involuta tricis, ac obscura; & nonnulla notis coalescentia clandestinis, quæ consistunt in certa potissimum litterarum, syllabarum, vocúmque dispositione. Alia denique, quorum lemmata limites excedentia debiti laconismi vitia contrahunt culpatæ prolixitatis. Exhibet etiam symbola Ludovici XII Francisci I. Henrici II. quæ ut elegantissima commendat, eò quia plurimum contineant aucupij ad animos alliciendos, ac concinnitatis ad demulcendos. Hoc unico tractatu eam sibi comparavit apud Eruditos laudem, ac æstimationem, ut plus quàm centum annorum decursu primus Symbolorum Author habeatur; illi siquidem uni debemus artis Symbolicæ elegantiam, & concinnitatem, quæ nostris temporibus plurimum obtinet commendationis. Quia verò rerum initia non statim omnibus suis sunt absoluta numeris; ideo tam exiguum Jovius tractatum composuit, ut potiùs dicendus sit, hanc adumbrâsse materiam, ut posteris iter aperiret, ac argumentum præberet hac super materia disserendi, scribendique; quàm ad colophonem ut vulgò dicitur, eam perduxisse, omnique ex parte absolvisse.

Manum huic arti post Jovium adjecit 8.
Hieronymus Ruscellius, qui vernacula lingua Italica dissertationem edidit de Symbolorum origine; regulásque tradidit ea ritè componendi, quam propterea in octo digessit capita; in quorum primo agit de regulis symbolorum; in secundo qua occasione additum sit lemma figuris; tertium numerum comprehendit figurarum; in quarto quærit, an figuræ humanæ, vel ejus partes possint in Symbolis comprehendi; quintum exhibet emblema, ejúsque discrimen à symbolo assignat; sextum expendit lemmata Symbolorum, eorúmque perfectiones. Septimum de ijs agit symbolis, quæ in alicujus concinnantur honorem. Octavum de ijs, qui sibi symbola componunt. Cum Ruscellius eodem fermè tempore floruerit cum Jovio, ac tractatum de symbolis paulò post in lucem ediderit, symbolicæ artis Principibus meruit adsci-

adſciſci, præſertim cum uberiùs rem hanc tractârit.

8. Ruſcellium imitatus Scipio Ammiratus genealogus perquàm celebris anno anteacti ſæculi ſexageſimo ſecundo Dialogum de ſymbolis edidit ſumpta occaſione ex ſymbolo picto Rhedæ, quâ vehebatur Bernardus Roſa; cum aliquibus præſertim Nino de Ninis Epiſcopo Potenzenſi in Regno Neapolitano viſum fuerit captu perdifficile; Ammiratus occaſionem nactus ſuum de arte ſymbolica tractatum congeſſit; cui tamen plura inſerit, quæ in ſcopum non videntur collimare; alia addit, quæ in hujus artis notitiam minimè conducunt.

9. In Academia Affidatorum Papienſi Alexander Farra Juris Conſultus haud ignobilis quoddam dedit opus Typo ſeptem comprehendens tractatus, quorum primus inſcribitur Mercurius, ſecundus Pſyche, tertius Zoroaſter, quartus Epulum, quintus Socrates, ſextus Homerus, & ultimus Philoſophia ſymbolica, ubi poſt aliquot diſſertationes de myſterijs cabalæ; de re Poëtica Orphei, de numeris, & ſententijs Pythagoræ digreditur ad hanc artem ſymbolicam, quam paucis comprehendit. Tria expendit Symbolorum genera, eorum quæ ſolis conſtant verbis; aliorum, quæ ſolis figuris, ac demum cæterorum, quæ verbis coaleſcunt, & figuris: ad primum genus revocat ſententias, ſcommata, adagia, & alia id genus, quæ ſolis conſtant verbis. Ad ſecundum Hieroglyphica, quæ ſolas exhibent figuras. Ad tertium ſymbola, quæ ad noſtrum pertinent inſtitutum; & plura quæ ad eorundem ſtructuram deſiderantur expendit, Authoris conſilium; verba lemmatis; proportionem verba inter, & figuras; figuræ proprietatem; & figuram ipſam, quæ per picturam exhibetur; ac demum tria corporum genera Fabuloſa, Hiſtorica, & Naturalia approbat.

10. Id temporis ſeu anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo Bartholomæus Taëgius nobilis Juriſconſultus Mediolanenſis, quem compoſuerat horis ſuccifivis de ſymbolis tractatum excudi curavit; in quo cum Farra totam ſymbolicam artem tribus comprehendit generibus; quorum primum complectitur parabolas, quas ab Hebræorum fontibus ad nos putat dimanâſſe. Parabolarum pediſſequa ponit Hieroglyphica, quæ ſua in Ægypto fuiſſe incunabola ſortita non diffitetur. Hieroglyphicæ adjicit in tertio genere Romanorum ſymbola, quæ vocat genuina, dignáque ſymboli nomine; Univerſam ſymbolicam artem decem explicat regulis; quarum prima eſt, ut ſententia ſit perbrevis non tumida, nec inflata, ſed modeſta, & gravis, elegans, ac præclara, & alia ab eo, quod per figuram exhibetur. Secunda, ut verba à figura ſeparata non habeant integrum ſenſum; ſed figura coloribus delineata aliquid etiam explicet, ac ſenſum à verbis inchoatum abſolvat. Tertia ne in eodem ſymbolo plures permittantur figuræ, in quid unum coëuntes; cenſet, multitudinem figurarum puritati officere ſymbolicæ; quarta ut figura ſe ipſam manifeſtet, nec alia indigeat, quâ explicetur, nota. Quinta ut figuræ ſint perſpicuæ, ac perfectæ, neque in oppoſitum inflecti poſſint. Sexta ne Symbolum adeo ſit clarum, ut cuilibet ſtatim obvianti ſui ingerat notitiam; nec ita obſcurum, ut Oedipo opus ſit. Virtus ſymbolica medium occupat inter utrumque extremum. Septima, ut res per ſymbolorum involucra repræſentatæ figuras exhibeant humanas, quæ plurimum præſeferant majeſtatis, nihilque dedecoris. Octava, ne Symbolum ſit malevolis fomiti adſcommota, & convicia effutienda. Nona, ne figurarum præcipuarum denominatio conſtituat lemma. Decima, ut ſingulæ ſymboli partes nectantur, ſimúlque cohæreant in ordine ad unum totum harmonicè conſtituendum. Lemma verò quod attinet, arbitratur adjiciendum lingua vernacula, præſertim in ludicris equitum pugnis, ſeu umbratilibus quæ inſtituuntur certaminibus, idque ut prænobilibus fœminis, quæ ſolent iiſdem intereſſe ſenſus pateſcant Symbolorum.

In delicijs hanc artem ſymbolicam habuit Lucas Contile, qui ſymbola pletaque, ex quavis depicta occaſione in unum congeſſit tractatum, quem regulis in arte ſymbolica ſervandis praclarè dilucidavit, fecitque publici Juris anno decimi ſexti ſæculi ſeptuageſimo quatto. Sub initium novem explicat inventionum genera, ſuntque ſigna dignitatis; inſigna gentilitia; inſignia virorum illuſtrium; habitus diſcolores; quibus utuntur prænobilium famuli; conſuetudines veſtium; emblemata, numiſmata; nummorum facies, numeri, & Hieroglyphica. Huic tractatui alium adnectit de hac noſtra ſymbolica arte; cujus originem, ac Etymologiam repetit, quaſi Troianum bellum à gemino hoc ovo inchoatur. Sex poſtea proponit quæſtiones, an ſymbolum pluralitatem reſpuat figuratum. An figuræ adjiciendum ſit lemma. An lemma integram poſſit ſententiam complecti. Quo tempore Ars ſymbolica cæperit florere. Quid ad ſymbola perficienda requiratur. Ad quos uſus pertineat ars ſymbolorum. 11.

In Academia Urbinenſi Joannes Andreas Palatius Fanenſis quatuor de arte ſymbolica habuit eodem fermè tempore diſſertationes, quarum primâ originem expendit ſymbolorum. Secundâ explicat diſcrimina inter ſymbola, emblemata, notas clandeſtinas, & alia id genus involucra. Tertiâ tradit ſymbolorum definitionem, & quartâ exhibet diverſa ſymbola. Dat iſte Author tres ſymbolis ætates, quarum primam ab ipſo Infantiam vocatam cenſet ab Ægyptijs ad bellum uſque Troianum floruiſſe; ſecundam, quam dicit adoleſcentiam vult viguiſſe à bello Troiano ad ætatem uſque Petrarchæ, Tertiam, ſeu virilitatem ad noſtra uſque tempora. 12.

Egregiè itidem de ſymbolis ſcripſit Scipio Bargalius, qui artis ſymbolicæ originem ab ipſo mundi exordio arceſſitam ab Hebræis poſtea ad Ægyptios putat derivâſſe, ut ab Ægyptijs ad Græcos, ab iſtis ad Romanos. Nomen poſtea, & varias Symbolorum expendit definitiones à varijs traditas Authoribus, propriámque 13.

qoe exhibet, cui adhærendum putat: humanas figuras vult hac ab arte prorsus exulare. Quatuor explicat causarum genera, quæ in symbola influunt: causam materialem assignat picturam, & imaginem, quæ sub sensum cadat. Formalem ipsam similitudinem rem inter sensibilem, & id, quod per Symbolum significatur. Finalem sitam in debita cogitatorum expressione. Et efficientem, quæ est hominis ingenium. Hic Author ob methodum exactam, regulásque, quas tradit genuinas plurimum sibi comparavit æstimationis, ac laudis, quinimo adeo ejus authoritas quibusdam invaluit Academijs, ut nullum tunc approbârint Symbolum, quod juxta Bargalij regulas non foret excogitatum.

14. Post Bargalium Julius Cæsar Capacius Neapoli suum de symbolis opus tripartitum typis evulgavit, cujus primam partem triginta absolvit capitibus, agitque de emblemate, hieroglyphico, ænigmate, nomismatis, & de symbolis, quæ Itali vernacula lingua *Imprese* vocant, artémque hujusmodi conficiendi symbola accuratè expendit, & varijs illustrat exemplis depromptis ab astris, meteoris, elementis, & animalibus. Secunda operis pars proprietates comprehendit animalium, plantarum, aliorúmque corporum, ac subjectorum, quæ assumi possunt in symbola. In tertia parte quædam congerit emblemata, quæ oratione cum ligata, tum soluta illustrat.

15. De symbolis, veráque ratione eorundem concinnandorum eruditè paulò post Capacium scripsit Andreas Chioccus nobilis medicos, ac Philosophus Veronensis. Hic Philosophicè rem tractat symbolicam; sedulo discutit examine symbola Academicorum; & philosophicè ostendit, esse hominem à Deo conditum ad felicitatem; neque alium suis in actionibus debere sibi finem præfigere, quàm honestum; inde infert, æquum esse, ut Academicus politioris litteraturæ addictus culturæ suo exprimat in symbolo, se non aliò suis actionibus collineare, quàm ad felicitatis assecutionem. Tria postea proponit Symbolorum genera; quorum primum eos respicit, qui toto nisu ad opus aliquod accinguntur. Secundum ad eos pertinet, quibus honestas, noménque bene olens unicè est cordi. Tertium ad eos attinet, qui affectum aliquem, ac animi passionem symbolicè per figuram sub oculos cadentem nituntur cæteris aperire. In primi generis exemplum exhibet tres coronas Henrici III. Regis Galliæ, & Poloniæ cum hemistichio *Manet ultima cælo.* Exemplum secundi generis ponit Symbolum Erasmi, cui Terminus erat à Deo hac epigraphe, *cedo nulli.* Exemplum tertij proponit Symbolum Curtij Gonzagæ, arborem fulmine ictam cum lemmate. *Il mio sperare;* quod verò ad figuram attinet, docet, esse debere, geminam ot alteram agat, patiatúrque altera, non secus ac usu venit, cum pyrites allidit ad chalybem, ut inde splendentes exiliant scintillulæ. Asseritque, hanc regulam primùm à se ipso inventam, quam tamen nos infra impugnabimus.

Neapoli Anno 1612. Hercules Tassus, 16. quem de symbolis composuerat tractatum publici fecit juris; estque opus bipartitum; in priori parte agit de Symbolorum generibus, de notis, emblematis, Ænigmatibus, sensimque ad Symbolum pervenit, cujus definitionem prolixo verborum absolvit apparatu; traditque postea regulas perfecti symboli conficiendi, quas numero complectitur undenario. In parte sui operis secunda in examen revocat Authores, qui ad id usque tempus in Italia de symbolis scripserant, quos numerat quinque supra viginti, ex quorum tractatibus plura depromit, vel ut explicatione illustret, vel ut impugnatione rejiciat. Causa verò de symbolis scribendi et triplex fuit, quarum prima, quia nondum de arte symbolica perfecto calamo scriptum esset, neque hujusmodi tractatio suie foret omnibus absoluta numeris. Secunda, quia cum aliqua ipse reprehenderit symbola ab alijs excogita, rationes non adjecerit reprehensionis. Tertia ut quædam propugnaret symbola ab ipso pluribus datis occasionibus elaborata.

Cæteris verò fusius, & accuratius de Arte 17. symbolica scripsit nostræ Congregationis Clericorum Regularium vulgò Theatinorum Paulus Aresius Mediolanensis, ad infulas postea Dertonenses promotus, dignus properea, ut bene ab omnibus rei symbolicæ addictis audiat. Cum varios sermones sacros in Cœlitum laudes composuisset, suisque exornâsset symbolis, ac in octo tomos digessisset; integrum, accuratúmque ijsdem de arte symbolica adjecit tractatum omnigena fartum eruditione, lubrilibus munitum rationibus, ac omnibus suis absolutum numeris; occasio hac de symbolica scribendi arte ei fuit objectio uni ex suis symbolis ab alio opposita; & quia nil hactenus firmi, limatísque hac de re in alijs, qui calamo eum præcesserunt deprehenderat. Hæcque illi ratio, cur paulò rigidiùs arcana hujus artis fuerit scrutatus, ut regulas certas traderet, probarétque contra adversariorũ murmur, sua, quæ sacris præmiserat sermonibus symbola ad hujus artis amussim ab ipso concinnata. Constat autem Aresij tractatus viginti tribus capitibus, & agit de nomine symboli, déque ejus origine, ac antiquitate. Postea quærit num Symbolorum possit disciplina constitui. Qua methodo, ac ordine sint symbola tractanda, An symbola constent essentialiter rebus, seu figuris, & verbis. An figura dicenda sit symboli corpus, & lemma ejusdem anima. Quâ forma Symbolum constituatur perfectum. An præter figuras naturales, & artificiales; alias Symbolum complectatur figuras. An figuræ humanæ possint in Symbolis adhiberi. Vel saltem partes humani corporis. An excludenda sit figura absolera non satis nota. An figurarum debeat esse certus numerus. Quænam sint conditiones symbolo essentiales. An symbolorum significatio innitatur similitudine. An æquè possint pro alijs, ac pro se componi symbola; & an excogitata in laudem alterius, vel ignominiam sint vera symbola. An necesse sit Symbolum respiciat tututum, nunquam præsens,

ſens, vel præteritum. Qualis eſſe debeat conceptus ſymboli. Qua ratione per figuram ſub ſenſum cadentem exprimendus. Quæ cauſa finalis, & efficiens Symbolorum. Ad quam reducendum cathegoriam Symbolum. Quæ diſcrimina inter Hieroglyphica, Emblemata, Numiſmata, notas, & ſymbola. Quomodo Symbolum definiendum. Quæ regulæ in figuris ſervandæ. Regulæ lemmatia quales. Senſus ſymboli quas regulas ſervet. Demum quæ ſymbola ſint alijs perfectiora.

18. Bienaio poſt Areſium Abbas Ferro integrum Symbolorum opus evulgavit inſcriptum *Theatro delle Impreſe* quod in duas dividitur partes, quarum prior regulas artis ſymbolicæ complectitur; Poſterior ex varijs ſymbolis à diverſis depromptis Authoribus ordine congeſtis alphabetico coeleſcit. Hic Author cum ſententiam plerisque in locis impugnâſſet Areſij, dedit huic occaſionem plura alia non minùs eruditè, quàm acutè ſcribendi de ſymbolis; aliúmque componendi tractatum hac de re, cui Titulus eſt *penna reſecta*; cui Abbas Ferro alium oppoſuit, quem inſcribit *Umbræ apparentes*. Tandem Areſius, ut ſymbola a ſe excogitata propugnaret, oppugnaretque ſingula, quæ illi à Ferro objiciebantur ſeptimum ſcripſit, typóque vulgavit ſacrorum Symbolorum volumen inſcriptum: *Agmen ultimum ſacrorum Symbolorum Pauli Areſii Epiſcopi Dertonenſis ex ſacro ordine Clericorum Regularium Theatinorum*: in hoc opere acutè, ac eruditè duas ſupra ſexaginta enervat, propulſâtque objectiones à Ferro oppoſitas; & ſuam de ſymbolis ſententiam firmiùs ſtabilit, ac dilucidiùs explicat.

19. Non ſolùm Itali in Italia, verùm & in Germania inferiori Sylveſter Petra ſancta Romanus è S. J. de hac arte ſymbolica tractatum compoſuit cum Leodij moraretur; & Antverpiæ excudi curavit varia ſymbola, quæ collegerat; interviteque tractatui, quem typo edidit Antverpiano hoc ſub ſub Titulo, *De ſymbolis Heroicis libri IX. Authore Sylveſtro Petraſancta Romano è ſocietate JESU.* In primo libro ſymbola varia ab hujus artis ſtudioſis approbata collegit, ac in quinque congeſſit capita, quorum primum continet ſymbola Cœlitum, ſecundum Pontificum, ac Præſulum, ſeu Antiſtitum. Tertium Cæſarum, ac Regum, Principúmque. Quartum eruditorum virorum. Quintum aliquarum fœminarum. In ſecundo libro agit de veterum Numiſmatis. In tertio de Annulis, eorúmque notis. In quarto de notis clandeſtinis, modóque loquendi apud veteres ſine dictione, & ſcriptione. In quinto de Emblemate. In ſexto de vi, & natura ſymboli heroici. In ſeptimo de figura ſymboli heroici. In octavo de ſymboli heroici epigraphe. In nono de ſymbolis generalibus.

20. Prolixiùs, uberiúsque de arte ſymbolica ſcripſit Jacobus Malenius Germanus S. J. in erudito ſuo opere inſcripto. *Speculum imaginum veritatis occultæ exhibens ſymbola, emblemata, hieroglyphica, Ænigmata omni tam materia, quàm forma varietate exemplis ſimul, ac præceptis illuſtratum.* Sex libris ſuum abſolvit opus, in quorum primo agit de imaginibus. Secundus fontes exhibet Imaginum, Iconologiæ, Fabularum veterum, ac Parabolarum. Tertius comprehendit ſubjecta imagines recipientia, cujusmodi ſunt inſignia bellica, clypei, ſaga militaria, ſigilla, annuli, numiſmata, & alia id genus. In quarto expendit Metaphoram, Analogiam, & comparationem, quas vocat de eſſentia imaginum. In quinto agit de ſymbolis per decem capita, in quibus tractat de ſymboli definitione. De materia moralium, & heroicorum ſymbolorum. De lemmate. De varijs Symbolorum ſpeciebus, de fontibus Symborum. In ſexto agit de Emblematis, Hieroglyphicis, & Ænigmatibus.

Petrus la Moine Gallus è Soc. JEſu aliquot 21. in unum faſciculum collegit heroica ſymbola, & moralia additis explicationibus, ac diſſertatiunculis ad artem regnandi ſpectantibus. Aliam etiam tractatum edidit anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto de ſymbolis, quem in quinque diſpertitus eſt libros, quorum primus continet originem, ac dignitatem artis ſymbolicæ. Secundus complectitur naturam, differentias, ſubjecta, ac ſpecies Symbolorum. Tertius figuram, quæ vicem gerit corporis. Quartus lemma quod eſt ſpiritus, ac anima ſymboli. Quintus explicat perfecti ſymboli qualitates.

Ex Hiſpanis de arte ſymbolica tractatum 22. edidit D. Joannes de Orasco, & Covaruvias. Hic Author per plura capita agit de Emblematis, ſymbolis, Notis, Habitibus, Gentilitiis Inſignibus, Hieroglyphicis, & alijs doctis imaginibus. Quod vero ad artem ſymbolicam attinet in ſymbolo heroico exigit debitam proportionem figuram inter, & lemma. Ut Symbolum nec nimia claritate ſtatim pateat; nec nimia lateat obſcuritate. Ut figura ſit oculis grata, ac intuentibus jucunda. Ut figura excludatur humana; lemma ſemper includatur. Totum Symbolum aliquod ſignificet honeſtum. Paucis conſtet figuris. Ut res repræſentet gerendas, non geſtas.

Abbas D. Philippus Picinelli Mediolanenſis Spiſſo volumini inſcripto *mundus ſymbolicus* complectenti de re quavis omnia ſymbola quinque præfixit capita, in quorum primo nominis etymologiam, & ſymbolorum antiquitatem expendit. In ſecundo ſymboli definitionem. In tertio de corpore ſeu figura. In quarto de lemmate. In quinto de ſpeciebus Symbolorum, & exhibet quædam ſymbola particularia. Eſt hic Author Canonicus Regulis. 23.

Ultima arti ſymbolicæ manum impoſuiſſe, 24. ac ad plenam perduxiſſe perfectionem ſymbola videtur Emanuel Theſaurus in ſuo Teleſcopio Ariſtotelico; licèt quoad nomen ſymboli, de quo agimus, & ejus definitionem non plenè, ejus ſententiæ acquieſcam.

Plerique alij de hac arte eruditè ſcripſerunt, omnes recenſere nimis prolixum foret. 25. Alij etiam ſermones ac diſceptationes ſymbolis exornârunt, ut Don Didacus de Saavedra, qui centum ſymbolis, totidemque adjectis diſſertationibus ideam exhibet Principis Chriſtiani.

stiani, cui operi Hispanica lingua scripto Titulus est *L. Idea de un Principe Politico Christiano representada en cien Empresas per D. Diego de Saaverda*. Petrus le Moine alium scripsit tractatum politicum de arte regnandi, quem exornavit etiam symbolis.

EXPENSIO III.

An Phrenoschema, seu Symbolum heroicum possit componi ex solo lemmate, vel ex sola figura, & quales sint Authorum sententiæ.

1. PHrenoschema posse constare sola figura censent plures, idque nituntur evincere exemplis sacræ scripturæ, asserunt enim *Noëticam Columbam* oleæ deferentem ramosculum, & ad arcam revertentem: *Æneam serpentem* in deserto: *quatuor animalia* significantia, quatuor Evangelistas vera esse phrenoschemata absque lemmate, & huic sententiæ videtur adhæsisse Russellius. Verùm displicet hoc placitum, quia etiam hieroglyphica ab Ægyptijs fuerunt exhibita sculpta sine lemmate, & quamvis, præsetuleriut easdem figuras, ot phrenoschemata, adhuc tamen per eundem Russellium distinguuntur ab hisce symbolis heroicis, quæ phrenoschemata à nobis dicuntur. Capacius ad magis corroborandam prærecensitam sententiam duplicem adfert rationem; quarum prima est, quia lemma solùm requiritur ad exprimendum conceptum mentis alteri, perinde ac mediante voce nostros alijs communicamus mentis conceptus: atqui potest quispiam phrenoschema efficere, quod sine lemmatis ope perfectè intelligatur ab alijs, ut si delineetur leo ad significandam alicujus viri magnanimitatem: vel cùm pingitur S. Cajetanus, vel alius cultura castitatis insignis cum lilio ad exprimendam morum innocentiam: tunc lilium absque lemmate clarè indicat, proditque viri innocentiam, ac intaminatam castitatem. Secunda ratio est, quia adsunt plura symbola per se nota, quæ non indigent lemmate explicari; ut est phœnix è morte hauriens vitam, & è tumulo ad thalamum instauratæ juventæ avolans. Idque ex eo firmat, quia in aliquibus phrenoschematis superfluum fuit lemma, quale præ cæteris fuit illud, cujus Author delineavit *Lotos*, quæ planta nocturno tempore latens sub undis Euphratis fluminis, surgente mox ab horizonte sole emergit ab aquis, cui lemma erat *Sic diva lux mihi*: etenim absque hisce verbis clarè intelligebatur Author similis huic plantæ.

2. Eandem plantam pro corpore phrenoschematis selegerat Cardinalis Madroccius, cui addidit hoc aliud lemma *Emergo lucente sole*, quæ verba videntur otiosa, ac superfluere, cùm ipsa planta id per se explicet: perinde ac si quispiam alius pro corpore phrenoschematis assumeret funale accensum nocturno tempore, cui adderet hoc lemma *Lucet in tenebris*, est enim hoc superfluum, cum sit ipso lumine clarius, hujusmodi funale splendere in tenebris, id enim statim obviat oculis. Verùm hæ objectiones facili retunduntur responsione: si enim per phrenoschema intelligatur Symbolum genericè, ultrò concedo, non esse necessarium lemma; cum de facto Ægyptij arguta Hieroglyphica, & symbola sine vocibus delineaverint, & sculpserint: sin autem per phrenoschema intelligatur peculiare Symbolum heroicum, quod ex insolita consuetudine obtinuit lemma ex Classico Authore depromptum, sine quo hisce temporibus à nulla componitur Academia, inficias eo, symbola lemmate destituta esse phrenoschemata. Russellius igitur potiùs videtur locutus de symbolo in genere, sub quo comprehenduntur etiam hieroglyphica. Ad rationes Capacij respondeo finem lemmatis non esse figuram exprimere, sed animare phrenoschema, cujus est spiritus. Hinc Alexander Farra tres distinguit phrenoschematum species, quarum prima est, quæ constat solis vocibus, cujusmodi fuit phrenoschema Sylvestri Bottigellæ *ex imbre pulverem*. Secunda, quæ constat sola figura sine vocibus, cujusmodi sunt Hieroglyphica. Tertia quæ constat figura, & lemmate, & hæc tertia species est phrenoschema, ut usurpatur ab omnibus in Italia Academijs, & distinguitur ab alijs symbolis.

Paulus Jovius, qui principium tenuit hujus instituti, & facilè principatum sine corpore reliquit hoc lemma *Fato prudentia maior*, quia ut ipse fatetur, nescivit ei proprium adaptare corpus: sed potuisset Morum pinxisse, quæ arbor ne damnum patiatur ullum à grandine, nec detrimentum à verna pruina, ultima cæterarum arborum virescit, ac efflorescit; sed plerumque etiam æstivo tempore ab intempestiva tempestate grandinum concussa plurimum patitur detrimenti, adeo ut cecinerit Regius Vates *Occidit in grandine vineas eorum, & Moros eorum in pruina* ex hoc inquam Jovij lemmate plures falsò existimàrunt verum phrenoschema posse solis constare vocibus. 3.

Non diffiteor à plerisque pro symbolo fuisse assumptos solos numerorum characteres; vel etiam litteras alphabeticas. Isabella Manruæ Ducissa pro suo symbolo selegit has numericas notas XXVII. quasi diceret vernacula lingua Italica interprete Paulo Jovio *vinti sete*, hoc est victi estis, quia quos habuit adversarios, superavit. In hieroglyphicis Hori, Apollinis Niliaci, Symbolum silentij apud priscos homines habebatur per has numericas notas MXCV. eò quia ille dierum census triennij spatium comprehendat, quo circumactò aiebant infantem si nondum loqueretur destitutum haberi usu linguæ. 4.

Consuevisse itidem veteres lemmatis loco sola elementa literarum in baltheis exarare, liquet, quia urbes Romana, & Remensis ijsdem litteris usæ S. P. Q. R. legerunt Senatus, Populùsque Romanus, aut Remensis. Arpinum etiam oppidum ex se obscurum, sed cele- 5.

lebre, clarum, at illustre Ciceronis natalibus, etiamnum retinet in stemmate tanti Oratoris characteres exprimentes nomen ejusdem M. T. C. Fridericus III. Aquisgrani inauguratus Imperator quinas pro symbolo delegit vorales A. E. I. O. V. quarum interpretatio multiplex fuit, quas inter Nicolans Reusnerus rejicit hanc, ut nonnihil deflectentem à modestia *Austria Extenditur in erbem universum*, & approbat hanc, *Aquila, Electa, Justè Omnia Vincit*, quia legitimo Principe nil sanctiùs, nilque ad victoriam aptiùs.

6. Alij verò ad Aquilam, & Aquisgranum alludentes fuerunt interpretati præfatas vocales hoc pacto *Aquila excellit inter omnes velucres*, & similiter *Aquisgranum excellit inter omnes urbes*, scilicet id temporis ob inaugurationem Imperatoris. Ferdinandus I. in suo symbolo Octonas posuit litteras A. J. P. Q. N. S. J. A. scilicet *Accidit in puncto, quod non speratur in anno.* Innuens momenta temporis esse plurimi facienda, quia plerumque occasionem exhibent consequendi, quod erat in voto. Rudulphus II. Imperator has pro symbolo voluit litteras A. D. S. J. T. quæ varias patiuntur interpretationes, ut *adjuvante Deo superabo Imperatorem Turcarum*, quæ interpretatio congruit nostro ævo Leopoldo I. Qui pluries de Turca triumphavit, & Pannoniam à Turcis occupatam recuperavit. Vel *Auxilium Domini sit iniquis Terror*, hoc est suppetiæ, & vires, quas Deus dedit Christianis sint iniquis Turcis terrori. Vel *Austriaca Domus secura Jovis telorum.*

7. Duces Sabaudiæ in torque Ordinis SS. Annuntiatæ circumferunt quaternas has litteras F. E. R. T. & continent elogium Amedei Magni cum suppetias misit, quibus Rodum servavit, estque interpretatio litterarum *Fortitudo ejus Rodum tenuit.* Stephonius in satyris Menippæis hos proposuit characteres M. M. M. M. quos interpretârunt nonnulli. *Mala Merx Musicus Malus.* Vel *Mala Merx Medicus Malus*, vel *Mala Merx Mulier Mala.* Quia si Musicus sit malus sensum depravat: si medicus sit malus ægrotum interimit, & corpus destruit: si mulier sit mala animam depravat. Fuit etiam, qui cùm à calcitrosa mula læsus in crure fuisset ex impacto sibi calce quintam addidit interpretationem *Mala Merx Mula Mala.* Vulgò etiam dicitur ab una ex tribus hisce litteris. F. F. F. scilicet *Fortitudine, Fraude, Fame* arcem quamlibet licèt munitissimam superari. Fuit etiam, qui pluries iteratis litteris veluti arcanum quoddam alienæ exposuerit interpretationi. P. P. P. P. E. S. S. S. E. V. V. V. V. V. V. V. F. F. F. hoc est, *Primus Pater Patriæ Profectus est, Secum Salus Sublata Est; Venit, Victor, Validus, Vicit Vires Urbis Vestræ Ferro, Flamma Frigore.*

8. Moris etiam fuit, ut pro symbolo à viris præsertim Principibus integra, & aperta exhiberetur sententia, ut fuerunt symbola Traiani, *qualis Rex, talis Grex.* Marci Aurelij *Rex viva lex.* Sergij Sulpitij Galbæ *Miles legendus, non emendus.* Titi Cæsaris *Princeps Orbis amor bonus.* Adriani Cæsaris *Non mihi, sed populo.* Lolij Veri Cæsaris *Uxor nomen dignitatis, non voluptatis.* Scipionis Africani *Satius servare unum, quàm occidere mille.* Marci Aurelij Antonini *Regni clementia custos.* Gordiani *Princeps miser, quem latet veritas.* Valeriani *Magnum Principum satellitium amor subditorum.* Maximiani *melius mori, quàm sibi soli vivere.* Flavij Julij Crispi *Homo, non homo, iratus.* Claudij *Vana sine viribus ira.* Heraclij *Insania læta voluptas.* Leontij *Pulchra est concordia cordis, & oris.* Othonis II. *Pacem cum hominibus, bellum cum vitijs.* Philippi III. *Satiùs recurrere quàm malè currere.* Tiberij Cæsaris *Melius tondere, quàm deglubere.* Caligulæ *oderint dum metuant.* Julij Cæsaris. *Nil præpes perpes.* Maximini Imperatoris, *quò Major, hoc laboriosior.* Alexandri Severi *quod tibi, hoc alteri.* Caij Julij Veri *Ultorem ulciscitur Ultor.* Aurelij Antonini Caracallæ Cæsaris *Omnis in ferro salus.* Publij Septimij Getæ *Nulla fides Regni.* Constantij *quidquid delirant Reges plectuntur Achivi.* Marci Opelij Macrini Imperatoris *Ferendum ac sperandum.* Marci Antonij Helingabali *Suus sibi quisque hæres optimus.* Cœlij Balbini *Bonis nocet, qui malis parcit.* Quinti Herennij Ethrusi Decij *Apex Magistratus authoritas.* Catonis Majoris *Apex senectutis auctoritas.* Caij Vibij Voltiani *Nemo amicus, idem, & adulator.*

Verùm quia Phrenoschemata aliquam necessariò debent figuram exhibere, quæ metaphoram exhibeat fundatam in similitudine, usus jam invaluit, ut symbola vidnata figuris è Cathalogo expungantur Phrenoschematum, quæ debent distingui à symbolis Pythagoricis, cujusmodi sunt *loquere, ut te videam. Adoraturi sedeant;* ut etiam ab ænigmate, & Gryphis, notisque clandestinis, quæ absque Ædipo vix percipi possunt. 9.

Sola itidem figura non sufficit, quia sine 10. lemmate obscura foret, incerta, & confusa, est siquidem lemma index illius, quod in phrenoschemate considerari debet: hinc tormentum bellicum extrudens in explosione ferreum globum in Symbolum assumptum à Luca Pitti Florentiæ æmulo Cosmi Medici, quia sine lemmate fuit exhibitum, in qualem scopum intenderet Author per hoc Symbolum collineare, non aperuit. Fuit tamen qui illud ita explicuit, ut Lucas se tali symbolo jactaverit, fore brevi, ut pilæ Mediceæ ferro, & igne Florentiâ excluderentur.

EXPEN-

EXPENSIO IV.

Expenduntur plures definitiones Phrenoſchematis, ſeu ſymboli heroici ab Authoribus tradita.

1. QUò faciliùs veniamus in cognitionem veræ eſſentiæ Phrenoſchematis, ſeu ſymboli heroici examinandæ ſunt Authorum definitiones. Bargalius hujus inſtituti Profeſſor egregius definit Phrenoſchema quòd ſit: *Expreſſio peculiaris conceptus animi per modum ſimilitudinis, ac mediante aliqua figura naturali (excepta humana) vel artificiali brevibus, & acutis verbis neceſſariò conſociata:* hæc definitio utpote tradita a viro in hac facultate clariſſimo eſt diligenter expendenda.

2. Prima igitur vox *Expreſſio* videtur impropria, quia ſignificat actionem, & paſſionem: præterea, quia ut aiunt Philoſophi etiam actualis locutio eſt expreſſio conceptus mentalis: Phrenoſchema autem non dicit hanc actionem, ſicut perperam domus diceretur *ædificatio* non *ædificium*: quamobrem phrenoſchema nequit dici expreſſio, ſed potiùs *ſignum expreſſivum*, quia ſignum clariùs explicat eſſentiam phrenoſchematis: etenim à D. Auguſtino *lib. de doctrin. Chriſtian. c. 1.* Signum definitur eſſe. *Res, quæ præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus aliud aliquid ex ſe facit in cognitionem venire.* Quod videtur eſſe proprium phrenoſchematis, quod propterea nonniſi impropriè, & per ſynecdochen dicitur expreſſio, eo pacto, quo habitatio ſumitur pro ipſa domo habitata. Rurſus ponuntur illa verba *brevibus & acutis verbis conſociata*, quibus excluduntur illa lemmata, quæ tantùm conſtant ex unico verbo, quæ tamen ſunt vera lemmata, ut ſi ſagittæ ſurſum tendenti addatur hæc unica ſyllaba *vi* habetur perfectum phrenoſchema ſignificans ſine vi, & virtute divinæ gratiæ non poſſe hominem ſurſum per opera ſupernaturalia ferri, nec ſalutem æternam in cœlis conſequi: quinimò quò lemmata pauciora includunt verba, & ex verbis pauciores ſyllabas, eò cenſentur perfectiora. Additur *per modum ſimilitudinis* quod non videtur concedendum, quia Phrenoſchema eſt vera metaphora proportionis, quæ licèt fundetur in ſimilitudine, non tamen eſt ſimilitudo, ut docet Quintilianus *lib. 8. cap. 6.* ubi ait: *Metaphora brevior eſt, quàm ſimilitudo, eoque diſtat, quòd illa comparatur rei, quam volumus exprimere, hæc pro ipſa re dicitur.* Similitudo autem eſt cum dico, hominem eſſe magnanimum ut leonem: metaphora autem, & translatio eſt, cum dico, Achilem fuiſſe Magnanimum leonem: quo pacto in phrenoſchemate Ludovici XII. non dicitur Rex ſimilis hyſtrici, ſed hyſtrix armis feriens eminus, & cominus. Rurſus addit *brevibus, & acutis verbis neceſſariò conſociata*, ubi præter ſuperfluitatem illius vocis *neceſſariò* (ſiquidem ſingula in definitione jam ſupponuntur neceſſaria) videtur aſſerere ſolùm requiri inter lemma, & figuram unionem concomitantiæ, quod non conceditur, quia verba debent etiam exprimere proprietatem figuræ, ut *plus ultra* in columnis Herculeis: *emergo lucente ſole* in plantam Lotos. *In utroque cæſar* inter calamum, & enſem. *Qui me alit, me extinguit* in funali accenſo, & in humum verſo; quod propterea à liqueſcente, ac defluente cera extinguitur. *Mors ſceptra ligonibus æquat* in effigie mortis complectentis ſceptra, ligones, purpuras. *Malè parta, malè dilabuntur* in ſimiam è feneſtra domus aureos nummos in plateam projicientem. *Ingratis ſervire nefas* in ſerpentem à propriis partubus interfectum. *Donec totum impleat orbem* in dimidiatam Lunam, vel in plenilunio *cum plena eſt, fit æmula ſolis.*

Admiratus definit Phrenoſchema, quòd *ſit ſignificatio noſtræ mentis ſub nodo verborum, ac rerum, quæ omnia ſerviunt ad explicandum noſtræ mentis conceptum*: huic tamen definitioni opponitur Hercules Taſſus, & objicit non explicari formam ſubſtantialem phrenoſchematis; & eſt, quòd verba ſine figura & figura ſine verbis nihil ſignificent, quæ tamen objectio non videtur eſſe ad rem: falsò enim aſſeritur; verba ſine figura, & è converſo, figuram ſine verbis nihil ſignificare; quia ſicuti juxta axioma Philoſophicum, *Ex nihilo fit nihil*, ita ſi partes ſeorſim ſumptæ nihil ſignificarent, nec etiam unitim; deinde adeſt phrenoſchma ejuſdem Taſſi, in quo alludendo ad proprium nomen pinxit Taxum plantam, hoc lemmate, *Itala ſum quieſce* ubi tam Taxus, quàm verba ſeorſim ſumpta ſignificant, ut conſideranti patet. 3

Poſſet meo judicio contra ſupradictam definitionem melius objici, eò quia aſſignata definitio etiam convenit emblematis, quæ explicant conceptum mentis, nempe documentum morale mediantibus rebus, ſeu figuris, ac vocibus; ut etiam Hieroglyphicis: nec valet, ſi dicas, emblemata non exigere neceſſariò voces, nam licèt has non exigant neceſſariò, non eas tamen excludunt, imò lege emblemata Andreæ Alciati, & pluries invenies argutiſſima lemmata ſuper figuris, ut ſuper *aſellum* geſtantem effigiem *Iſidis*, quod ſimulacrum flexo poplite ab ingenti populorum frequentia colebatur, *Non tibi, ſed religioni.* in *Mulierem Apocalipſis* propinantem hominibus latices aureo è cratere *Falſa Religio.* In effigies *ſpei, & Nemeſis. Illicitum non ſperandum.* Super *Venerem* confodientem Adonidem. *Amuletum Veneris.* In *Prometheum* alligatum rupi Caucaleæ, & ab Aquila dilaceratum, *Quæ ſupra nos, nihil ad nos.* Super *Mercurij caduceum* inter Amalteæ cornua *Virtuti fortuna comes.* In *Milvum* edacem nimis, ac ſuperfluam evomentem eſcam *Malè parta, malè dilabuntur.* In Cupidum, ac avarum Principem, *Quod non capit Chriſtus, rapit Fiſcus.* Super cæcum deferentem Claudum. *Mutuum auxilium.* Super Galeam intrepidi militis, in qua mellificant apes, *Ex bello pax.* Et tandem in effigiem Herculis Gallicani aureis catenulis hominum turbas vincientis, *Eloquentia fortitudini præſtantior.* 4.

Adrianus Politus definivit phrenoſchema *Eſſe conſilium animi, quod exprimitur comparatione* 5.

animi

ius lemmatis, & unius corporis figurati. Verum cum ipse distinguat phrenoschema; seu Symbolum heroicum ab emblemate non videtur collineâsse in scopum; quippe definitio ita soli coagruit definito, ut alteri à definito nequeat accommodari: exhibita autem definitio cadit etiam in emblema, quod est consilium, seu conceptus animi expressus comparatione unius lemmatis, & unius corporis figurati: etenim Alciati emblema, quo pingi curavit asinum phaleris eleganter vestitum, deferentémque simulacrum Deæ Isidis, & arrectis auribus superbientem ob sibi præstita obsequia à populorum accurrentibus frequentijs, cum lemmate *Non tibi, sed Religioni*. Quo indicavit illa obsequia non asino, sed Deæ Isidi exhiberi: fuit consilium animi expressum comparatione unius lemmatis, & unius corporis figurati, significavit enim Sacerdotem rudem, & sanguine obscurum non debere superbiâ inflari, si populus eum veneratione prosequatur; quia non personæ, sed dignitati sacerdotali exhibentur obsequia.

6. Alexander Donatus *de arte Poëtica lib. 3. cap. 32*. similem excogitavit definitionem æquè emblemati, ac phrenoschemati explicando aptam; ait enim in his symbolis figuram, accedente verborum notâ certam adipisci facultatem repræsentandi, & fieri velut ex duobus conflatum corpus, quod nanciscitur vim ulteriorem significandæ actionis in altero, cujus gratia excogitatum fuerat Symbolum, seu phrenoschema, eò tendens, ut per spectatam similitudinem quidpiam mente conceptum præclara inventione significetur. Hæc enim definitio; seu descriptio si sedula expendatur discussione explicat adæquatè productum Alciati emblema, cui convenit; proindeque non est definitio phrenoschematis, prout hoc juxta præsens institutum distinguitur ab emblemate.

7. Julius Cæsar Capacius phrenoschema, seu Symbolum heroicum vult *esse expressionem invectam specie alicujus rei naturalis elevatæ supra propriæ naturæ significationem: ut alia significatio nobilior fiat occulti consilij, quod symboli Author injecit*. Verùm hæc definitio, ut jacet, non placet, quia est potiùs definitio hieroglyphici: hoc siquidem Symbolum ab Ægyptijs in nos derivatum specie alicujus rei naturalis significat nobilius aliquod consilium. Ægyptij enim, ut picturæ illecebrâ ævum exprimerent, serpentem pingi curârunt, cujus cauda reliquo involveretur, ac tegeretur corpore. Pari pacto, ut mundum symbolicè exhiberent serpentem pinxerunt, qui suam ipsius caudam roderet, varijs interstinctum squamis, per quas stellas, quibos cœlum coruscum est, subindicârunt. Mensem itidem per Lunam deorsum inversam significârunt, quia in senio triginta diebus completis cornua ostendit deorsum inflexa. Iram innuerunt per caput leonis, eò quia rotundum sit, & in eo pupillæ ignitæ. Cor humanum repræsentârunt per Ibin Mercurio sacram, eò quia ex Poëtarum fabulis Mercurius in pugna gigantum sub Ibidis latuerit alis: est Ibis cordi assimilis. Fortitudinem cum temperantia conjunctam innuentes taurum pinxerunt integra præditum corporis constitutione: hæc Hieroglyphica, quæ Horus Apollo exhibet, specie alicujus rei naturalis elevatæ supra naturæ propriæ significationem significant nobilius consilium juxta mentem authoris symboli. Sunt enim propriè Hieroglyphica imagines, & figuræ, ad aliquid significandum ex hominum arbitrio determinatæ, quibus vice litterarum Ægyptiorum sapientes utebantur. Capacius igitur per allatam definitionem non definivit phrenoschema juxta præsens institutum; sed potius hieroglyphicum. Phrenoschema rem venustiùs, & liquidiùs proponit, estque Symbolum plus continens ingenij, ac jucunditatis; simúlque est magis suave, ac moratum, constans ex pictura, & lemmate, quo aliqua gravis sententia indicatur: ut si per phrenoschema vellet quis innuere virtutem infirmitatibus non infici, sed perfici, illustrarique clariorem; cerauniam gemmam posset pictam exhibere addito lemmate, *Fulmine crevit*. Ceraunia siquidem nonnisi in locis fulmine ictis reperitur; inter fulgura, fœdíque aëris tumultus blandior emicat, irradiátque splendidior.

Hercules Tassus definivit phrenoschema, seu Symbolum heroicum *esse Symbolum heroicum constans ex figura naturali (sublata humana) vel artificiali, & ex verbis aliquot, seu proprijs, seu translatis: quæ duo seorsim accepta nihil inferant: juncta verò invicem exprimant; non dotem ullam ipsius figuræ, sed consilium illius, qui symboli fuerat Author*. Nec huic definitioni adhærendum puto: quia in phrenoschemate figura, & lemma licèt seorsim non significent consilium authoris, propriam tamen exhibent significationem. In phrenoschemate Ludovici XIV. Galliarum Regis figura est Sol Meridiano jubare coruscus cum lemmate *Nec pluribus Impar*. figura seorsim significat planetam diurnum; & lemma divisim à figura indicat, posse unum quid pluribus alijs etiam simul junctis non esse deterius, aut imbecillius. Præterea non placet, quòd dicat illa duo juncta non exprimere dotem ullam ipsius figuræ in phrenoschemate, siquidem Ludovici XII. hystrix cum lemmate *Eminus, & Cominus* explicat dotem naturalem figuræ, seu hystricis, cujus proprietas est missilibus muniri aculeis, quibus eminus ferit, & cominus. 8.

Lucas Contile multipliciter definit phrenoschema seu Symbolum heroicum; tametsi asserat *esse compositionem figuræ, & lemmatis, quæ repræsentet consilium virtutis masculæ, & magnanimæ*. Nihilominus addit phrenoschema modò esse expressum desiderium aliquid moliendi ad immortalis famæ acquisitionem; modò esse susceptionem rei arduæ, & testimonium præclari, ac generosi conatus. Rursus censet in figura semper debere reperiri similitudinem; ac debere lemmate designari dotem eam peculiarem figuræ, ex qua similitudo hauritur. Demum putat in phrenoschemate illustriorem semper contineri promissionem, quâ suam Author 9.

Author obstringat fidem ad id præstandum, quod spondet, ac pollicetur in phrenolchemate: hinc existimat lemma esse ejusmodi sponsionis stipulatorem, ac fidejussorem, sigillum, ac testem juratum. Neque huic placito placet acquiescere; quis *compositio figuræ, & lemmatis repræsentans consilium virtutis magnanimæ* non distinguit phrenoschema juxta præsens institutum ab emblemate: etenim emblema simulacra exhibens spei, & Nemesis cum lemmate: *Illicitum non sperandum* est compositio ex figura, & lemmate, repræsentans consilium virtutis magnanimæ; sperare enim & agere ea duntaxat, quæ honestate circumvestiuntur proprium est magnanimæ virtutis, nunquam à recta ratione deflectentis; congruit igitur allata definitio emblemati. Præterea videtur etiam in eo peccare, quia censet esse de essentia phrenoschematis sponsionem includere, qua suam Author fidem obstringat ad id præstandum, quod in phrenoschemate pollicetur, quia sponsio nonnisi futurum respicit; & pleraque dantur phrenoschemata communi comprobata calculo, quæ præteritum repræsentant, proinde nullam includunt sponsionem; tale fuit phrenoschema Joannis Baptistæ Portæ, qui bombycem assumpsit è serico suo ergastulo egredientem cum lemmate *Et feci, & fregi*: ut se liberum proderet ex quodam amatoriæ vesaniæ veluti carcere. Cæterum si quæ sunt phrenoschemata sponsionem includentia, debent hæc Auctoris fidem obstringere; id enim exigunt fidelitas, & honestas. Tum quia quæ insigni apparatu, ac illustri tessera, cujusmodi est phrenoschema, profitemur, instar sponsionis non violandæ haberi debent. Hinc Alexander Severus, teste Lampridio, Croceo, albóque amictus panno spopondit, se fore universo imperio beneficum solis instar, & Lunæ: quòd si simplex color omnis figuræ expers fidem Principis oppigneravit; quanto fortiùs fidem obstringet phrenoschema instructu longè nobiliori exhibitum? Cæsares etiam suis in numismatis hanc fidem exhibuerunt, servàrúntque, cum spponderent, modò securitatem publicam, modò uberem annonam, vel justitiam.

10. A Paulò Aresio hujus instituti egregio Professore definitur phrenoschema, seu Symbolum heroicum *compositum ex figura, & lemmate, quod mediante proprio significato ordinatur ad repræsentandum latè, & efficaciter, aliquem nostrum mentis conceptum*, adeo ut ejus propria significatio eò spectet, ut efficaciter, & cum quadam voluptate consilium Authoris repræsentet. Verùm hæc definitio non caret difficultate; primò quia non explicatur, an figura debeat esse repræsentativa alicujus corporis naturalis, artificialis, chimerici, aut humani. Rursus nec significatur, an hujusmodi figura debeat esse metaphorica, vel ejusdem speciei cum re significata. Præterea illa verba *latè, & efficaciter*, videntur superfluere, cùm omnia symbola supponantur repræsentare conceptum mentis cum aliqua inspicientis delectatione. Demum quia hæc definitio latiùs patet definito; quia non excludit emblemata, nec hieroglyphica, cum illa componantur ex figura, & verbis; & hæc mediante figura repræsentent latè, & efficaciter mentis conceptum. Neque necesse est, ut emblematis semper addatur integrum Epigramma, quia ut superiùs innuimus, dantur vera emblemata, quæ sine carminibus per solam figuram, & lemma, exprimunt conceptum mentis.

Ab Emanuele Thesauro definitur Symbolum heroicum, seu phrenoschema, ut *fit argutia proportionis per modum argumenti comparativi, significans conceptum heroicum mediante aliqua figura naturali, vel artificiali præter humanam cum proprietate peregrina, sed apparente, indicata ab aliquo perbrevi, & arguto lemmate*: sed suas etiam hæc definitio videtur difficultates pati, dicitur enim *argutia* loco generis, quod videtur esse nimis laxum, & remotum, cùm non solùm complectatur omnia symbola, sed etiam metaphoras, veneres, lepores, & amœnitates omnes dicendi, quæ etiam argutiæ ab Oratoribus, & Poëtis vocantur: sicut non rectè definiretur homo *vivens rationale*, eò quia hoc genus vivens sit nimis remotum, & non solùm complectatur animalia omnia, sed etiam Angelos, & plantas: sic argutis utpote complectens omnes metaphoras, dicendi lepores, & symbola est genus nimis remotum excludendum à definitione phrenoschematis. Rursus additur *significans conceptum heroicum*, quæ verba indicant actionem, & passionem, quam phrenoschema non significat. Præterea voces illæ *per modum argumenti comparativi* videntur excludere metaphoram proportionis: comparatio enim tantùm connotat terminum distinctum, quo pacto per comparationem dicimus quòd Achilles fuerit fortis ut leo, vel fortior leone: metaphora autem non distinguit, sed unit, ac identificat extrema per illationem argumenti Poëtici, adeò ut Achilles dicatur fortis Leo, & Ludovicus XII. hystrix hostes feriens *Eminus*, & *Cominus*. 11.

EXPENSIO V.

Traditur, & explicatur definitio Auctoris.

Eximia, & venusta opificia non minoribus difficultatibus ars vallavit, quàm rosam spinis natura. Nobiles sunt ingenii fœtus, phrenoschemata, seu symbola heroica, sed non facilè eorundem essentia, & formale constitutivum, per quod differunt à cæteris symbolis percipitur, neque illorum naturam visi sunt hactenus attigisse, qui phrenoschema dixerunt *esse compositum ex figura, & vocibus, quod ordinatur ad significandum aliquem conceptum mentis*. Hæc siquidem definitio directè convenit etiam notis arbitrariis, seu siglis, quæ persæpe componuntur ex figura, & voce aliqua ad indicandum occultum aliquem mentis conceptum convenit etiam emblemati, imò & etiam numismati, in quo cuduntur plerumque 1.

figuræ cum vocibus, ut in numismate Cæsaris Mulier plorans cum lemmate *Judæa capta*, ad indicandum Cæsarem Romano subjecisse imperio Judæam universam.

2. Putârim igitur posse definiri phrenoschema, quod sit *Symbolum Metaphoricum expressivum alicujus heroici conceptus per modum argumenti Poëtici fundati in metaphora proportionis, seu attributionis mediante aliqua figura naturali, vel artificiali, cujus proprietas significetur per lemma perbreve, & acutum ex Classico Authore depromptum.* Dicitur *Symbolum Metaphoricum* locô generis quia convenit cum cæteris symbolis. Adverte me non dicere simpliciter *Symbolum*, sed addere *Metaphoricum* quia eum symbola hic non sumantur æquivocè, sed quatenus dicuntur notæ arcanioris cujuspiam mysterij significativæ, ut cùm dicimus *Ciconiam* esse Symbolum pietatis; *Papaver* fertilitatis; per illam additionem *Metaphoricum* excluduntur imagines humanæ, ut est illa Mercurij significans hominem sapientem; illa Martis exprimens animum bellicosum: quia eo ipso quòd Symbolum est Metaphoricum, necesse est, sit alterius speciei, cùm metaphora sit translatio de re propria ad impropriam.

3. Additur *expressivum alicujus heroici conceptus*, quia omnia phrenoschemata ordinantur ad exprimendum mentalem aliquem, & heroicum conceptum: subjungitur *per modum argumenti poëtici fundati in metaphora proportionis* loco differentiæ, quia per id differt à reliquis symbolis, emblematis, hieroglyphicis, notis arbitrarijs, siglis, numiamate, & alijs, quia hæc symbola non fiunt per modum argumenti poëtici metaphorici: cùm è contra phrenoschema fit argumentum Poëticum pictum, vel sculptum, & non fit simplex comparatio; si enim Ludovicus XII. in suo phrenoschemate hystricis dixisset, *ego confodiam armis eminus, & cominus hostes meos, perinde ac hystrix suis spinis ferit prope, & procul*, fuisset hujusmodi locutio propria, & communis, & tantùm comparativa, quatenus Ludovicum Regem hystrici pariaret; sed quia pinxit Rex hystricem missiles domos è sua cute vibrantem addito lemmate, *Eminus, & Cominus*; hæc pictura fuit verum argumentum poëticum fundatum in metaphora proportionis, & in principio illo philolophico; *quæ sunt eadem uni tertia, sunt eadem inter se*: etenim per metaphoram proportionis Rex Ludovicus, & hystrix conveniunt simul in actione, quatenus uterque ferit eminus, & cominus: inventa hac metaphora proportionis argumentum poëticum, & urbanum fallax fit tali pacto: *quod ferit eminus, & cominus est hystrix: sed Ludovicus ferit armis hostes suos eminus, & cominus: ergo est hystrix:* quia quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; ex quo principio deducitur illatio urbanè fallax, quâ Ludovicus Rex dicitur esse hystrix, cujus picta imago repræsentat metaphoricè ipsum Regem.

4. Hæc phrenoschemata fundata in metaphora proportionis sunt venustiora, ac reliquis perfectiora; tale fuit phrenoschema Emanuelis Filiberti Sabaudiæ Ducis, in quo curavit delineari elephantem cum lemmate *Infestus Infestis*. Per eandem Metaphoram Serenissima Sabaudiæ Ducissa Bona post consortis prematuram mortem se totam Deo consecrans pinxit phœnicem accenso suo in rogo, addito lemmate *Sola facta solum Deum sequor*, ut indicaret post mortem mariti esse surrecturam ad vitam spiritualem. Ille etiam Cœnobita, qui varijs pressus angustijs spem suam uniçè in Deum direxerat allusurus ad illud D. Pauli *Virtus in infirmitate perficitur*, pinxit agrum ob natam annonam virescentem, quam equus depascebat, cum lemmate *virescit vulnere virtus:* & Virgo illa, quæ illicijs simul, ac minis ad stuprum provocata noluit virginitatis florem perdere, parata potiùs mori, quàm fœdari, pinxit murem atmeniom eum lemmate, *Malo mori, quàm fœdari*, quæ omnia sunt argumenta poëtica fundata in metaphora proportionis. Additur *vel attributionis*, quia possunt etiam sumi instrumenta, seu circumstantiæ pro ipso subjecto attribuendo parti, vel instrumento, quod proprium est subjecti. Phrenoschema fundatum in metaphora attributionis fuit illud Cæsaris in quo pinxit calamum decussatim annexum gladio cum lemmate *in utroque Cæsar*. Et alius sumendo abstractum pro concreto pinxit justitiam sub specie formosæ viraginis, quæ dexterâ manu ensem, sinistrâ stateram teneret, cum lemmate: *Unicuique suum*. Paulus Aresius ex nostra Congregatione inchoavit sua phrenoschemata sacra delineando *Calamum* cum lemmate *non vehor, ut vehar*, fundatum in metaphora attributionis. Adduntur postrema verba: *Mediante aliqua figura, vel naturali, vel artificiali, cujus proprietas explicetur per lemma*; quia argumentum poëticum debet fieri sensibile mediante figura, & lemmate.

Est igitur phrenoschema non simplex comparatio utrumque simile ponens seorsim, & ad invicem conferens, includens protasim, & apodosim, tanquam partes, per quas fit utriùsque similis collatio: sed est argumentum poëticè concludens metaphoram fundatam in similitudine: hoc interest discrimen inter comparationem, & metaphoram illatam ex argumento poëtico, quia comparatio non identificat duo simul, sed tantùm confert unum cum alio, habétque partes geminas protasim, & apodosim, per quas duo simul conferuntur: ut si dixerim, vir studio castitatis addictus pugnat sicut Scytha, qui fugiendo hostem vincit, tantùm confero virum castum cum Scytha, & ex hac protasi sicut Scytha fugiendo vincit, fit transitus ad apodosim; ita cultor castitatis voluptatem vincit, si eam fugiat: at metaphora non confert, sed identificat Scytham cum castitatis studioso, licèt poëticè ex argumento lepidè fallaci; hoc pacto. Scytha est, qui fugiendo hostem vincit: sed castitatis cultor fugiendo voluptatem carnis animæ inimicam eam vincit: ergo victrici hac fuga est Scytha. Debet tamen hæc metaphora fundari in similitudine, quæ plurimum habet aucupij ad delectandum; multúmque roboris ad persuadendum, quæ duo 5.

duo potissimum intenduntur ab efficiente phrenoschema.

6. Delectat metaphora fundata in similitudine, quia ex ea animus suavi quadam eruditionis illecebrâ plura addiscit, scilicet simile quod in protasi assumitur, & aliud simile, quod cum illo in apodosi poëticè, ac lepidè identificatur: blandiùs enim allicit metaphora fundata in similitudine, quàm simplex comparatio: etenim si Tyrannum dixero bubulco similem, eò quia si ooo lac, aurum mulgeat, non ita mulcet hæc comparatio, sicut metaphora fundata in eadem comparatione, & similitudine; blandiùs enim delectat, si dixero Tyrannum esse bubulcum populi, cujus substantiam exactè mulget; quia ratione similitudinis identifico duo extrema aliàs disparata. Pari pacto, si eum Pericle dicam, Samios infantibus similes, eò quia sicut infantes queruli, ac plorantes nutrimentum à parentibus accipiunt; ita Samij beneficia; non ita blandè comparatio animos demulcet, quàm si dicam, Samios ætate provecta repuerascere exigentes lachrymis beneficia: est præstantis ingenij res cæteroquin diversas unà beneficio argumenti poëtici identificare. Quòd si comparatio plurimum videatur præseferre aucupij, eò quia ex ea animus plura discit, scilicet simile assumptum in protasi, & aliud simile collatum cum ipso in apodosi; multò blandiùs alliciet metaphora cum sit comparationis brevitas contracta, prodeátque instructa insolito habitu, & personata alieno vultu, quem sibi usurpat ut proprium. Delectat jucundiùs metaphora, quia ejus beneficio innocua metamorphosi res una transmutatur in aliam, & à propria sede transfertur in alienam; qua ratione gaudium ab homine transit ad prata, cùm dicimus *prata ridere*; luctus ad nubes, cùm asserimus, has *lachrymarum imbre hominum lugere miserias*; ars pingendi ad sensus nostros exteriores, cum Plato *in Phile* eos vocet *animæ pictores* ob varias rerum imagines, quas eidem imprimunt.

7. Phrenoschemata ideo jucundiùs mulcent, ac suaviùs eblandiuntur, quia per argumentum poëticum identificant metaphoricè plura etiam disparata, & extremè dissita, dummodo ingerant aliquam similitudinem, cui veluti fundamento metaphora innitatur. Tale fuit phrenoschema S. Caroli Borromæi, assumpsit enim pro symbolo *Cervum* ad fontium latices toto nisu c[illegible]ntem anguium venena elutarum hoc lemmate *Una salus*; quia in adversis erant ipsi solatio aquæ, quas hauriebat *De fontibus Salvatoris*. Alexander Cardinalis Ursinus hac eadem usus metaphora, *ursam* pro symbolo assumpsit, quæ suctu priorum pedum à puerperio multos dies vivit, hac epigraphe *Ipsa alimenta sibi*, quia sibimet futurus auctor gloriæ, quam proprijs meritis aleret. Cardinalis Estensis ad indicandam propriam munificentiam *Solem* curavit pro symbolo pingi addita epigraphe *Non exoratus exorior*. Proposuerat enim beneficia ultro conferre, & non expectare preces, quibus flecteretur. Cardinalis Madrucius accepturus vim ab ipsis adversis pro phrenoschemate usurpavit *Phœnicem* in rogo; hoc lemmata *ut vivat*, quia phœnix *dum perit, se parit*. Henricus filius Francisci I. Galliarum Regis superstite adhuc patre *Lunam* pro symbolo cornua exerentem voluit, hoc lemmate; *Donec totum impleat orbem*. Quia Luna splendet nitoribus à sole mutuatis, sensimque augetur, donec orbem impleat; & Henricus Patris luce spirans, eique successurus incrementis inhiabat virtutum, donec hæres regni periodum suæ magnitudinis expletet. Ferdinandus Rex filius Alphonsi I. Aragonensis pro phrenoschemate *murem* delegit *Armenium* cum lemmate *Malo mori, quàm fœdari*. Mus Armenius candidis villis convestitus, adeo cordi habet candidam hanc pellis suæ supellectilem, ut cubilis ostiolum limo, vel stercore si respergatur à venatorib⁹, nunquam egrediatur, malitque capi, ac interimi, quàm fœdari. Franciscus Mediceus Magnus Hetruriæ Dux *Mustelam* curavit pro symbolo pingi gerentem ore ramusculum Rutæ, quâ enecat Bufonem adjecto lemmate *Amat victoria curam*, quia suos adversarios, curâ, sedulitate, & consilio erat superaturus, Emanuel Filibertus ex Regalibus Sabaudiæ Principibus *Elephantem* assumpsit in Symbolum oviculas promulcide submoventem, ne fortè eas obvias proterere, cum lemmate *Infestus, Infestis*, ut indicaret, fore natura leni, neque ulli nociturum, nisi injuriam priùs auderent inferre.

Symbolum Principis clementis per metaphoram fundatam in similitudine, & deduct. m ex argumento poetico, urbanè ac lepidè fallaci est *Rex apum* corpore cæteris procerior sine aculeo, ac inermis præcedens suum satellitium cum lemmate *Signat Clementia Regem*. Solus Rex inter apes est sine spiculo, quia *noluit*, ait Seneca lib. 1. de Clementia *illum natura, nec sævum esse, nec ultionem petere; telúmque detraxit, ac iram ejus inermem reliquit*. Ferdinandus Gonzaga Dux Mantuæ qua sirorus claritatem, ac lumen animi ex propria, non ex Majorum, & aliena virtute *solem* pro symbolo assumpsit cum lemmate *Non mutuata luce*. Reliqua sydera suos à sole hauriunt nitores, quibus emicant; Sol tamen sui nitoris, suæque lucis faber, lucem à nemine mutuatur. Alphonsus X. Legionis Rex significaturus, nil magis esse illi cordi, quàm vitam religioni & reipublicæ impendere, curavit pingi *Pelicanum* pullos suos proprio sanguine è pectore elicito pascentem addito lemmate *Pro lege, & pro Grege*. 8.

Joannes Baptista Porta expressurus suam ex quodam amatoriæ vesaniæ carcere vindicationem, in quem se minùs cautè injecerat, pro symbolo assumpsit bombycem è serico suo egredientem ergastulo hac epigraphe, *Et Feci, & fregi*. Plato de homine vesani amoris capto illecebris, ac irretito lsqueis dixit, eum in proprio corpore mortuum, & tanquam in alieno vivere. 9.

Alius virum indicaturus modestum, ac alienum ab humana laude, occultantémque eas præsertim actiones, quibus potuisset laudes promereri pinxit eundem *bombycem* adhuc inclusum 10.

clusum in serica, ac secreta sua officinula, in qua pergit nere, ac sericum texere cum lemmate *operitur, dum operatur*. Hæc & similia phrenoschemata sunt metaphoræ fundatæ in similitudine, & deductæ virtute argumenti poëtici urbanè, ac lepidè fallacis juxta præexpensam, quam produximus, phrenoschematis definitionem.

EXPENSIO VI.

Exhibetur, & explicatur ars nova construendi plura Phrenoschemata in idem subjectum.

1. Liquet ex hactenus expensis, phrenoschemata esse metaphoras proportionis fundatas in similitudine subjectorum. Est mundus frons, plena imaginibus, cum & ipse homo imago sit, & in imagine pertransfeat; hinc unum subjectum potest cum pluribus alijs convenire, ac similitudinem præseferre; & hujusmodi imagines, ac similitudines non sumptæ comparativè, sed metaphoricè, si medullitùs perpendantur, vera sunt corpora phrenoschematum: etenim Rex Ludovicus suos feriens hostes *Eminus, & Cominus*, similis est hystrici, & hæc imago, seu similitudo, ac hystrix sumitur metaphoricè pro eodem Rege, qui per argumentum poëticum concluditur esse hystrix feriens eminus, & cominus, ut superiùs enucleavimus: hæc enim metaphora proportionis plus habet illicij, & aucupij, quàm si comparativè Rex Ludovicus diceretur similis hystrici. Ratio fit illicò perspicua: quia homines propositâ rerum nudâ veritate, non adeo facilè alliciuntur, sed aucupio cujusdam exhibitæ similitudinis blandiùs trahuntur, & suaviùs alliciuntur: idque causæ, cur hominem vivum, & spirantem nequaquam miremur, cum tamen ejusdem depictam effigiem admiremur, quia artis, ac industriæ suavioribus illecebris capti exhibitas nobis rerum imagines, ac similitudines avidiùs amplectimur. Imò Deus ipse, ut nos ad sui amorem pelliceret, suæ Divinitatis vestigia in rebus creatis impressit, ac longè, latéque dispersit, & maximè in homine, in quem se illustriori quâdam majestatis notâ effudit: quòd si ferunt, Phidiam Minervæ clypeo imaginem suam insculpsisse, quam præ cæteris simulacris eximiâ præstantissimæ manûs gloriâ, omnibus artis lenocinijs perpoliverat: Deus rerum omnium moderator, & Artifex Sapientissimus in homine suæ majestatis effigiem impressam voluit; ut mirum non sit, si imaginibus, ac similitudine delectentur homines, præsertim hujus sæculi, & suavi quadam titillatione, ac delectationis illecebrâ eos phrenoschemata mulceant.

2. Ad plura igitur construenda phrenoschemata in idem subjectum optimam censeo esse regulam seriò perpendere, primò qualitates omnes subjecti, & concurrentes circumstantias; deinde invenire supremum genus, sub quo militat talis specifica actio, seu qualitas subjecti: cum verum sit, genus prædicari de pluribus speciebus, & has de individuis sub ijsdem comprehensis; hæc individua, si sint metaphorica, militéntque sub eodem genere, assumi possunt ut corpora phrenoschematum, quæ exprimant idem subjectum, quod per argumentum poëticum, & urbanè fallax infertur, esse quid aliud à se ipso, ut in phrenoschemate Ludovici Regis, quod ferit eminus, & cominus est hystrix: sed Ludovicus Rex hostes suos eminus, & cominus ferit, ac vincit, ergo est hystrix; ubi vides argumentum poëticum esse urbanè fallax, & in conclusione Ludovicum Regem identificari cum hystrice; quod plus habet aucupij, & illicij quàm si dicerem, Ludovicum Regem similem esse hystrici; esset enim comparatio, non metaphorica identificatio.

Ob majorem rei claritatem descendamus ad praxim, & proponamus S. Jobum, cujus heroica virtus premi in ærumnis, morbis, & adversitatibus potuit quidem, sed non opprimi, cum inde magis perficeretur aiente Apostolo *Virtus in infirmitate perficitur*. Habemus masculam virtutem adversantis fortunæ ictibus premi, sed non opprimi, imò magis perfici: modò sumatur hoc supremum genus: *Res adversæ virtutem perficiunt, non lædunt*, deinde perpendantur in rerum natura ea omnia, quæ suis copulata contrarijs, vel emicant illustriùs, vel perficiuntur nobiliùs: hæc omnia analogicè conveniunt cum heroica virtute S. Jobi; imò per argumentum poëticum inferuntur esse metaphoricè idem ob principium illud Aristotelicum, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: hinc quia campana malleis percussa fit sonorior, magisque perficitur; ad exprimendam hanc Jobi virtutem pingi posset *campana* actualiter malleo pulsata addito lemmate; *Percussa valet*. Quia linum asbestinum purgatur in flammis, ac irradiat candidius inter accensos rogi carbones, potest pingi *tela ex Asbestino intexta* in flammis illæsa cum lemmate *Uritur non comburitur*. Quia *basilica herba* regia scilicet hortorum proles dum atteritur, grandescit sublimior pingi posset hæc herba, vel pede protrita, vel ferro obtonsa addito lemmate *Attrita crescit uberior*. Quia Sabæa illa lachryma thus suaviùs fragrat, cum comburitur, pingi potest acerra cum manu è nube porrecta, & projiciente thus in arcensas prunas, cum lemmate, *fragrat cum flagrat*. Quia silex nunquam fulguraret, nec splendoribus coronaretur quasi lapidum Rex, nisi præduri chalybis ictu vulneraretur, optimè potest delineari *Manus chalybe silicem percutiens*, hoc lemmate; *Ex vulnere splendor*; sic possent similia phrenoschemata in infinitum procedere, sumendo ea omnia, quæ dum videntur pati magis perficiuntur, sic posset pingi *Funale sulphureum accensum, & agitatum vento*, pro lemmate, *Agitata revivo*, scilicet flamma; *Suber* cujus cortex resecatur feruri: *Ex vulnere vigor*. *Pyramis* quadrata, inter aërie, procellas, ventos, grandines, *Immota manet*. Columna immobilis, spirante borea *Nec frangor, nec flector*. *Prunæ*, quæ expositæ vento magis succenduntur. *Crescit spirantibus Euris*, scilicet flamma. *Phœnix* inter accensi rogi ignes moriens,

moriens, *Et damna juvant.* Viridis annonæ herba quâ depaſcatur equus in agro, *Vireſcit vulnere virtus.* Vireſcens laurus intactâ geminos inter leones, ac prope fulmina è nubibus vibrata, *Ita & virtus.* Palma, cujus remi magnis inclinentur ponderibus, *Inclinata reſurgo.* Arundines agitatæ ventis *Flectimur, non frangimur.* Struthio Camelus ferream deglutiens catenulam, *Spiritus duriſſima coquit.* Scopuli in ſinu procelloſi maris undique percuſſi undis, *conantia frangere frangunt.* Phœnix in flammis emoriens, *perit ne pereat.* Brachium Mutij Scevolæ expoſitum flammis. *Agere, & pati fortia Romanum eſt.* Manus vulnerata ab Ape, cui aculeum fixum relinquat *ſibi magis.* Tellus ſciſſa aratri vomere, *Exculta vireſcit.* Apis inſidens flori, ejuſque humorem exſugens, *Sine injuria.* Capra amaram comedens ſalicem, *At mihi dulcis.* Columna percuſſa à ſolis radijs, & in oppoſitam partem emittens umbram. *Tantùm volvitur umbra.* Adamas ſuper incudem, malleisque percuſſus. *Semper Adamas.* Elephas multis ſauciatus ſagittis. *Citra cruorem.* Follis pugillarius in altum emiſſus per brachiū nervolum, ac ligneo, & dentato brachiali luſorio veſtitum, *Concuſſus ſurgo.* Linum ferreo pectine pexum, *Aſperitate politum.* Roſæ inter cepas flureſcentes, *Suaviùs olent.* Vitis amputata ferro *Ex vulnere vita.* Vides quàm latus pateat campus conficiendi phrenoſchemata in idem ſubjectum.

4\. Hæc igitur ars plura conſtruendi phrenoſchemata in unum, ac idem ſubjectum, plurimum confert ſubſidij in publicis gaudijs, quibus ſolemni pompa, eleganti que apparatu Principum natalitia feſta, vel nuptias, aut victorias, arcuum molitionibus, pegmatum ſtructuris, ac Symbolorum involucris celebrantur. Cum ſymbola, vel phrenoſchemata ad idem debeant ſubjectum alludere, ſunt hæc inventu faciliora, ſi ſub alto aliquo genere ſpecies, vel individua ſub eodem militantia, ac ſimilitudinem præſeferentia unà congerantur; delectû que ſolerti ea ſeligantur corpora in phrenoſchemate delineanda, quæ plus viſa fuerint continere proportionis cum ſubjecto, ad quod alludunt.

5\. Juſſus ipſemet ſui Monachij anno octogeſimo quinto ſupra milleſimum ſexcenteſimum auſpicatiſſimas nuptias Sereniſſimi Electoris Bavariæ Maximiliani Emanuelis cum Sereniſſima, & lectiſſima Sponſa Maria Antonia Archi-Duce Auſtriæ Leopoldi I. Imperatoris filia phrenoſchematum involucris, alijsque molitionibus in Electorali palatio, & platea repræſentare. Mandato Principis obſequuturus mentem direxi ad ſupremum genus *Conjunctionis*, quâ duo unà coëunt; eſt enim matrimonium vinculum inſolubile nectens conjuges duos in carne una: & ſub hoc alto genere ea omnia corpora nobilia, & venuſta, quæ aliqua adhæſione unà junguntur, ſelegi; additisque inſcriptionibus plura exhibui phrenoſchemata, quæ nobile commendârunt conjugium. Ut *Aquila*, & *Leo*; illa Lectiſſimæ Sponſæ Symbolum; hic Sereniſſimi Sponſi gentilitium ſtemma, ambo eodem Throno juncti cum lemmate *Par ſine pari.* Rurſus eadem Aquila explicato alarum remigio in ſublime nitens, quam volucrum turmæ ſubſequuntur; inferiùs in latè exporrecta planitie Leo majeſtate decorus, cui feræ obſequuntur, addito Virgiliano hemiſtichio 1. Æneid. *Imperium ſine fine dedi.* Nectuntur *Aquila*, & *Leo* per metaphoram attributionis ratione ſymboli Sereniſſimæ Sponſæ, cujus corpus fuit Aquila; & ſtemmatis domûs Bavaricæ, quod gemino inſignitur leone: & etiam ratione dignitatis, quia illa volucribus; hic quadrupedibus præeſt. *Sol* è cœleſti ſigno Leonis ingrediens proximum Virginis cum hemiſtichio Maroniano. *Jam redit, & virgo.* *Leo* Amalteæ verſans cornu floribus, fructibusque refertum, & *Aquila* roſtro fructus carpens cum altero Maronis hemiſtichio, *redeunt Saturnia regna.* *Aquila*, & *Leo* uno, eodémque con plexi nexu compacto ex myrtho, ſeu fronde Veneris cum lemmate: *Thalamo junguntur eodem.* *Aquila* perniciſſimo volatu nitens ſolem verſus in cœleſti ſigno Leonis ſplendidiſſimum cum lemmate, *Recto oculo, rectóque volatu.* *Adamas* ſingularis magnitudinis, ec nitoris aureo inſertus annulo his verbis: *Nec ferro, nec igne,* ſub intelligitur non ſeparabuntur adamas, & aurum, eſt enim adamas inſertus annulo Symbolum nobilis conjugij. *Gryphus* ænigmaticus laureæ complicatus ſurculis utriusque Sereniſſimi Sponſi exhibens initiales nominum litteras hac epigraphe. *Nec fulmina ſolvent*: quia laurus immunis cenſetur à fulmine. *Horologium ſolare* projectâ gnomonis umbrâ indicans quota ſit hora cum lemmate *Nil ſine te,* quippe ſine ſole umbram non projiceret, neque quota ſit hora, oſtenderet, & in conjugio unus conjugum in ordine ad finem matrimonij, prolémque gignendam ſine alio nil poteſt. *Aquila* firmiſſimo obtutu ſuſpiciens ſolem in cœleſti ſigno leonis addito hemiſtichio deprompto ex Claudiano, *Hic me fervor alit.* *Flos ſolaris,* quem vulgò heliotropium vocant flectens ſe ſolem verſus in cœleſti ſigno leonis additâ epigraphe *Unus me rapit amor,* & exprimit amorem ſponſæ, quo fertur in ſponſum. *Aquila* ſolem in eodem ſigno leonis oculo irretorto intuens cum lemmate *Mora probatur amor,* & exhibet etiam amorem, quo ſponſa ſponſo adhæret. *Surculus inſitivus* in alterius plantæ caule hac epigraphe: *Dulcia poma feret,* præſagit hoc Symbolum prolem utrique ſponſo: *Citharæ* binæ ea conſtructæ arte, ut ad pulſum unius reſpondeat altera cum verbis, *Quàm bene concordes* alludit ad concordiam cordis, & oris neceſſariam ſponſis. Montes bini ignivomi *Ætna*, & *Veſuvius*, è quorum jugis erumpunt flammæ cum lemmate; *Deficient nunquam*, alludi que ad amorem utriusque ſponſi, qui nullo unquam tempore deficiet. *Lyra* duplici fide ſonora cum inſcriptione: *Ex adhæſione concentus.* Alludit ad concordiam utriusque ſponſi, ex qua harmonicus oritur domeſticus concentus utrique gratus. *Equi duo* trahentes rhedam auro illitam cum lemmate: *Concordi motu,* quia ſponſi in ferendo matrimonij jugo neceſſe eſt ſint concordes.

cordes, quò minus onus sentiant. *Turtures duo* mas, & fœmina, unà cohærentes eum verbia *Diu, & concordes*, indicant utriusque sponsi fidem, & amorem. *Vitis ulmo innitens* hac epigraphe *Juncta quiesco*. Alludit ad conjugium, quo sponsa adhæret sponso. *Catenula aurea* pluribus illuminata gemmulis, quâ simul vinciuntur corollæ duæ ex lauro una, altera ax myrtho addito lemmate: *Unit, & ornat*. alluditque ad virtutes utriùsque sponsi, quæ plus conjugio adjiciunt ornamenti, quàm gemmarum plures thesauri. *Flammæ geminæ* prægrandis navis hærentes antennis, quas Mythologi vocant Castorem, & Pollucem, post marinos æstus, aërisque procellas, subsecuturæ malaciæ præsagientes serenitatem cum lemmare. *Spondéntque serenum*. Fuerunt siquidem hæ nuptiæ initæ post vendicatam à Turcica obsidione Viennam Austriæ. *Heliotropium* se una cum sole circumagens: ita enim flos iste solis ortum manè spectat, ejusque diurnum sequitur iter ad occasum, ut eum semper inspiciat. Fuit Sol in signo pictus cœlestis Leonis innuentia Serenissimum Sponsum: Heliotropium exhibuit Serenissimam Sponsam cum lemmate: *Dilectus meus mihi*: & indicavit amorem sponsæ in sponsum. *Specula duo* tersa, ac polita reflectentia vicissim mutuatos à sole splendores eum lemmate *fertque, refertque*. Fuit Symbolum regalis celsitudinis Caroli Emanuelis Ducis Sabaudiæ cum duxit in uxorem Catharinam Austriacam: eadem specula eum hac alia epigraphe: *Mutuus ardet amor*, exhibui in hisce Electoralibus nuptiis. *Flumina duo*, quorum unum ingreditur alveum alterius hac epigraphe *Unita valent*, & alludit ad utramque domum Austriacam. & Bavaricam, quæ plus obtinent roboris ex unione mediante conjugio. *Myrthus* planta Junoni pronubæ sacra sub præcelsa lauro eum lemmate *Nec fulmen metuit Hymen*: quia Serenissimus Sponsus post deletas cruento conflictu Turcarum copias, occupatúmque Vivarinum ex Hungaria Monachium redux cum Serenissima sponsa æquè triumphi laurum, ac myrthum detolit nuptiarum. Surculus ex arbore frugifera resectus, & in alia sylvestri implantatus cum lemmate deprompto ab Horatio lib. 1. ode 13. *Irrupta tenet copula*. Pleraque alia sub alto genere unionis, quô duo mutua adhæsione junguntur; vel ab invicem referuntur, phrenoschemata alludentia ad nuptias utriusque Serenissimi sponsi exhibui in opere, cui Titulus est *Ingressus Martio-Nuptialis*, ubi post narratam Hungaricam Historiam triennem à vindicatione Viennæ, exhibeo Arcuum Triumphalium moliriones, pegmatum structuras, Symbolicæ eruditionis ornatus, Lucernarum nocturnos lusus, ac festiva artificialium ignium spectacula, & alia recipiendis Serenissimis sponsis erecta, & à me jussu Principum inventa.

EXPENSIO VII.

An perfectum Phrenoschema, seu Symbolum heroicum excludat figuram humanam?

Ardua semper visa est hæc quæstio, ac pluribus difficultatum nodis implicita, adeo ut hujus instituti Professores etiamnum in diversas dividantur partes inter se se discrepantes. Una, eáque potissima ratio excludentium è Phrenoschemate figuram humanam est, quia hoc Symbolum exigit fundari in similitudine, & comparatione; dicunt enim, esse comparationem florem, ac delicias compti, & eruditi sermonis; eò quia duo semper includat similia, quæ seorsim exhibet, & invicem confert; partésque habet geminas Protasin, & Apodosim, per quas fit utriusque similis collatio: ut si dicamus comparativè quemadmodum Scythæ beneficio fugæ hostes superant; ita voloptas fugiendo vincitur. 1.

Quia igitur symbola heroica adinventa sunt, ut simul delectent, ac futurum persuadeant, ideo exigunt in comparatione aliqua fundari. Delectat enim comparatio, quia ex ea plura quis discit, scilicet simile, quod assumitur in protasi, & aliud simile, quod cum eodem confertur in apodosi, & utriúsque convenientem naturam in aliquo prædicato; quo pacto Pericles dixit, Samios infantibus similes fuisse, qui nutrimentum accipiunt plorantes; quia similiter Samij accipiebant ab Atheniensibus plura beneficia, & simul conquerebantur; in hac enim similitudine Samiorum, ac infantium ob convenientiam inter ipsos plura addiscimus, naturam infantium pronam ad lachrymas, & Historiam Samiorum, qui de susceptis beneficijs conquerebantur: & ex collatione utriúsque plurimum hauritur illicij, ac delectationis: hinc quia figura humana incapax est hujus comparationis, ac similitudinis, inferunt, excludendam à perfecto phrenoschemate. Evincunt hanc incapacitatem comparationis; quia inter individua ejusdem speciei non datur similitudo, & comparatio: non enim inter hominem & hominem datur similitudo, sed identitas. Nituntur hac ratione præ cæteris Bargalius, & Jovius, tametsi iste in sua serie phrenoschematum absque ullo scrupulo admiserit figuras humanas, cujusmodi sunt illi duo homines ducentes bubalum per funem alligatum annulo infixo bubali naso cum lemmate *Menatemi, è non temete*, hoc est ducite me absque timore: & alibi pinxit sylvestrem hominem stringentem clavam addito Hemistichio *Mitem animum aggresso sub pectore servo*. Ad indicandum beneficium tempestivè collatum finxit, simúlque pinxit militem lapsum à viatore erectum hisce vocibus *Bis dat, qui tempestivè donat*: & ad symbolicè exprimendam virtutem expressam delineavit rusticum adhuc pubescentem annonam in tenella herba conculcantem, *Virescit vulnere virtus*. Ad indicandum etiam hominem querulum, militem 2.

ex-

exhibuit nudato enſe carbones ignitos confodientem cum lemmate *Ignis gladio non fodiendus*.

3. Non defuerunt alij, qui figuras humanas proprio exhibuerint in phrenoſchemate. Etenim Perinus Cardinalis Gonzaga Herculem exhibuit hydræ ſeptenna capita clavâ converberantem addito lemmate *Tu ne cede malis*: ad indicandum pari animi fortitudine eſſe invidiæ monſtra ſuperanda. Albertus Archidux Auſtriæ in ſuo phrenoſchemate cudi curavit, vel pingi Jaſonem geſtantem manu aureum vellus, altero pede draconem vigilem velleris cuſtodem prementem, & non procul etiam tauros flammas è naribus, & ore ſpirantes, cum epigraphe *Aſſiduitate*. Matthias itidem Auſtriæ Archidux ſupremus militiæ Præfectus in Hungariæ regno ſuo pinxit in phrenoſchemate *Perſeum* liberantem eb imminenti periculo marini ceti *Andromedam* ex Nereidum odio ſcopulo illigatam marino, cum lemmate: *Amat victoria curam*, quia ſicut Perſeus Andromedam à monſtro marino, ita Matthias Hungariam à jugo liberavit Turcarum.

4. Quamvis plures non excluſerint à phrenoſchemate figuras humanas, putârim tamen omnino excludendas; non tamen ob eam rationem, quia inter individua naturæ humanæ non habeatur ſimilitudo, nec comparatio, ſed ſola identitas, nam hæc ratio ſtatim corruit, quia identitas, ſi philoſophicè loquamur non eſt inter duo diſtincta: aliquin veh principibus ſi non eſſent à mendicis diſtincti, ſed cum ijsdem quid unum, ac idem: inter homines igitur datur vera ſimilitudo & convenientia, non verò identitas; eſt enim ſimilitudo ex Ariſtotele inter duo diſtincta convenientia in aliquo prædicato: quapropter nequit homo eſſe ſimilis ſibi ipſi, ſed alteri à ſe. Quòd ſi ſimilitudo ſumatur pro ipſa comparatione non diffitetur Bargalius poſſe comparationem fieri inter individua ejusdem ſpeciei: & apud Ariſtotelem *3. Rhetoric. cap. 4.* Democritus Oratores nutricibus æquiparat, ac confert, quæ deglutientes cibum, ſalivam pueris exhibent: ite Oratores ſua recipientes ſtipendia minimam Reipublicæ adferunt utilitatem; & quid ſunt præfata phrenoſchemata Alberti, & Matthiæ Auſtriæ Archiducum, quorum primus Jaſonem, ſecundus Perſeum, illum aureum vellus rapientem; hunc Andromedem ad ſcopulum revinctam liberantem, quàm comparationes inter individua ejusdem ſpeciei humanæ, ut evicimus? Eleonora de Toledo uxor Coſmi Magni Hetruriæ Ducis Lucretiam pinxit Collatini uxorem, quæ à Tarquinio compreſſa, ne ſuperſtes dedecori eſſet, pugione ſe ipſam inflicto pectori vulnere interemit, addito lemmate *Famam ſervare memento*, quæ figura eſt comparatio, cum quavis alia fœmina, quæ potiùs mortem ſubire ob honeſtatem debeat, quàm permittere hanc labefactari. Sigismundus Maleteſta Princeps Arimini in ſuo phrenoſchemate aram cum igne, & in ea brachium Mutij Scevolæ cum nudato gladio cremandum pinxit cum verbis *His graviora*; in quo phrenoſchemate habetur vera, & propria comparatio inter individua ſpeciei humanæ: fuit enim mens Sigismundi exprimere ſymbolicè, quod ſicut Mutius pro patrie peti brachij aduſtionem voluit: ita Sigismundus paratus erat flammis, & ferro non manum tantùm, ut Mutius, ſed & corpus totum perdere pro ſubditorum defenſione. Ex hiſce liquet dari comparationem, & ſimilitudinem inter individua ejusdem ſpeciei humanæ cum pleréque fuerint eſſumpta phrenoſchemata cum figuris humanis exprimentibus hanc comparationem, & ſimilitudinem.

Vera igitur ratio, cur perfectum phrenoſchema figuram excludat humanam, mihi videtur potiùs eſſe, quia phrenoſchema, ut enucleavi in ejus definitione, eſt metaphora proportionis, quæ non eſt translatio de uno individuo ad aliud ejusdem ſpeciei; ſed de una ſpecie ad aliam: & cum omnes homines ejusdem ſint ſpeciei, non poteſt inter ipſos fieri hujusmodi metaphorica translatio. Rurſus metaphora definitur ab Ariſtotele, & Cypriano *translatio de re propria ad non propriam*, quæ nequit fieri de uno ad alium hominem: quia omnes homines conveniunt in eadem proprietate. Objicit tamen contra hanc rationem Paulus Areſius, quia quamvis metaphora nequeat transferri de uno ad alium hominem ratione eſſe ſpecifici; quia omnes ejusdem ſunt ſpeciei: nihilominus poteſt transferri metaphora ratione qualitatum accidentalium, & individualium, quo pacto virum crudelem metaphoricè vocamus Neronem, virum fortem Herculem, hominem ſtrenuum Achillem, inſignem Poëtam Homerum, aut Virgilium: hæ ſiquidem ſunt veræ metaphoræ, quia transfertur nomen Neronis à ſubjecto, cui eſt proprium, ad ſubjectum, cui non eſt proprium; quapropter habetur translatio metaphorica de re propria ad non propriam. Verùm hujusmodi translationes non ſunt perfectæ, nec in rigore metaphoræ, quia tametſi fiat translatio qualitatum de ſubjecto in ſubjectum, quia tamen hujusmodi qualitates ſunt propriæ hominibus, ac ſpeciei humanæ, non dicitur translatio de re propria ad impropriam: hinc vera metaphora debet eſſe translatio de qualitate propria alicujus individui ad aliud diverſæ ſpeciei, cui qualitas non ſit propria, ut cùm dicimus *prata rident, cœlum luget*, riſus proprius hominis, ut etiam fletus transfertur, ille ad pratum, iſte ad cœlum, quibus non ſunt proprij. 5.

Si opponas plura fuiſſe phrenoſchemata exhibita cum figuris humanis, ut ſunt ſuperiùs recenſita ex Jovio, & alijs; & illud Philippi II. Regis Hiſpaniarum, qui poſt quam Carolus V. ejus Pater ſe abdicavit à curis ſaculi, & imperio, pinxit in ſuo phrenoſchemate Herculem humeris fulcientem orbem cum lemmate *Ut quieſcat Atlas*. Reſpondeo hæc & ſimilia phrenoſchemata non eſſe perfecta defectu perfectæ metaphoræ, quæ eſt translatio de una ſpecie, ad aliam, & omnes figuræ humanæ comprehenduntur ſub eadem ſpecie. Præterea quia 6.

figura

figura phrenoschematis debet metaphoricè identificari cum Authore phrenoschematis per syllogismum poëticum, ut in definitione hujus symboli expendimus, hæc enim metaphorica identitas plus habet illicij, & est veluti contracta brevitas: si enim compares otium animæ cum morte corporis, & dicas sicut tunc corpus deprehenditur mortuum, quando ampliùs non movetur, & totaliter otiatur: ita anima quoties suas non exercet potentias non movetur, proinde mortua est; hæc est pura comparatio: sed si non comparativè, sed per identitatem dicas, otium esse mortem animæ plus exhibes aucupij, & delectationis, eò quia, sit hæc metaphora in unum verbum contracta brevitas illata in argumento poëtico hoc pacto: ubi quis destituitur quovis motu, & actione, ibi mors adest: sed otium est destitutio cujusvis motus, & actionis, ergo est Mors, proinde ubi anima est absque ullo exercitio potentiarum, mortua censenda est. Per hanc metaphoram plura addiscimus unum in protasi, & aliud in apodosi, & utrinsque convenientiam in prædicato, & eò magis delectat, quò est plurium contracta brevitas ad unum, quod insolito, & alieno habitu veluti personatum incedit.

7. Ex eo itidem videtur excludenda à perfecto phrenoschemate figura humana, quia metaphora in hisce symbolis non debet esse superficialis, & humilis; sed elegans, & mirabilis: ea est metaphora superficialis, cujus proprietas statim fit sensui obvia, & à quovis facile rudi intellectu percipitur, ut est accensum funale sereno expositum soli Matthæi Justiniani cum lemmate *Lumine victus*; vel laterna clausa Mutij Matthæi cum verbis *Ardet non lucet*, quia hæc corpora, seu figuræ non videntur, nec cognoscuntur nisi à cæcutientibus. Metaphora verò elegans, & mirabilis est, cujus figura non statim percipitur ab intellectu, sed ancipitem, dubiúmque reddit animum, cujusmodi sunt proprietates plantarum, & animalium, quæ apud nos non sunt in usu; & quorum proprietates non facilè cognoscimus, ut esset planta *Lotos*, quæ noctutno tempore latens Euphratis sub undis; oriente postea è maris gremio sole, oritur & ipsa ab undis, quasi planetarum principis æmula; idque causæ, cur Cardinalis Madrucius curaverit in suo phrenoschemate pingi hanc plantam in fluvio, addito lemmate *Emergo lucente Sole*, ut significaret, quòd oriente divinæ gratiæ lumine emergebat ab undis corrupti sæculi, ac voluptatum, quæ instar fluminis effluunt. Præterea quia perfectum Phrenoschema exigit figuram, quæ novitate aliquid nos doceat, quod nobis erat ignotum, hinc corpus phrenoschematis debet etiam mirabile esse, eò quia admiratio filia sit novitatis, & delectatio partus admirationis: corpora autem humana nullam secum afferunt novitatem, cum assiduè ea nobis obvient, cadántque sub sensus. Has igitur ob rationes putârim, excludenda à perfecto phrenoschemate humana corpora,

EXPENSIO VIII.

An perfectum Phrenoschema, seu Symbolum heroicum excludat membra humani corporis.

Præsens difficultas plura semper torsit ingenia, quæ ad solvendum hujus difficultatis Gordium nodum non minus inter se videntur pugnare calami acumine, quàm Bellonæ in castris, ac Mavortis area hastati milites. Stephanus Guazzius in suo dialogo de phrenoschemate arbitratur, pergrave esse peccatum in hac facultate uti membris humani corporis, ut esset pingere manum tenentem florem, vel stringentem gladium: potior ratio, quâ movetur, ea est, quia membrum humani corporis gravitat, & separatum à corpore non est capax ullius actionis, imò nec potest in aëre sustentari, cum gravia omnia naturali impetu descendant, ferantúrque in suum centrum, quapropter delineare membrum humanum in aëre, quia esset contra naturam, & hujusmodi membrum in statu esset violento, sequitur, hæc membra sejuncta à corpore esse excludenda à perfecto phrenoschemate. Alij etiam forsan delicatiores perhorrescentes ad aspectum membri recisi ab humano corpore ea itidem excludunt, eò quia excitent in mente species cladium, sanguinis, vulnerum, funerum, quæ intuentibus sunt potiùs molestiæ, ac fastidio. Verùm si ob id essent membra corporis humani à phrenoschemate excludenda damnandi illicò essent excellentiores pictores, cujusmodi fuerunt Apelles, Parrasius, Bonarota, Raphael Urbinas, Guido Rhenus, & alij plures excellentissimi Pictores, qui interdum membra pinxerunt à corpore separata. Præterea falsum est, quòd manus tenens sertum ex varijs compactum floribus sit horrori, ac fastidio aspicienti; cùm potiùs illa florum varietas delectet: aliud est manus picta, & aliud manus realiter amputata à reliquo corpore. 1.

Ad rationem Guazzij rectè respondet Hercules Tassus non esse monstrosum manum videre nudatum gladium stringentem, vel quid aliud simile tenentem, quia hujusmodi actiones sunt propriæ manus, quæ tunc non est censenda à reliquo corpore recisa: sicut in tabulis contingit, in quibus præ multitudine figurarum ex humano corpore nonnisi aliqua apparent membra, quæ tamen non censentur recisa, nec intuentibus sunt horrori, & fastidio, sed potius illicio, & voluptati. Ad aliud, quod addebatur, corpus grave, ut est membrum humani corporis, non posse in aëre quiescere, & tantùm violenter ibi stare, respondetur, illud membrum non supponi simpliciter in aëre, sed unitum corpori perinde, ac membra illarum figurarum, quæ in tabulis pictis apparent sine reliquis partibus corporis. 2.

Plures igitur asserunt cum Bargalio, Aresio, Tasso, Ruscelio, Jovio, Camillo de Camillis, Alexandro Farra, Capacio, Contile posse in phrenoschemate admitti corporis humani mem- 3.

membra, quo pacto Pius III. pinxit manum tenentem flagellum cum Oleæ ramo additâ inscriptione *Pœna, & præmium*, quasi sciscitaretur à subditis utram vellent sortem promereri. Rodulphus I. produxit in suo phrenoschemate brachium armatum, cujus manus clavam stringeret unà cum oleæ ramo, addito lemmate *Utrum lubet:* ac si hostibus suis ex æquo pacem vel bellum offerret, prout illis magis placeret. Fridericus III. brachium etiam armatum cum districto gladio supra librum apertum exhibuit in suo phrenoschemate additis verbis: *Hic regit, ille tuetur:* indicaturus, quòd gladio vellet leges indemnes custodire. Henricus VIII. binas dexteras invicem jugatas, & sustinentes caduceum coronatum proposuit in suo symbolo additis verbis *Fide, & Consilio*, eò quia ambæ hæ virtutes plurimum conferant ad imperij felicitatem. Carolus Fridericus Juliæ, Cliviæ, Montium Dux clypeum pro suo phrenoschemate voluit, quem plura humana corda tegerent, & quasi protegerent cum epigraphe *Hic murus æneus esto*, quia affectus subditorum vera est Principis securitas. Ottobertus Comes Habspurgensis pro symbolo posuit armatum brachium cum cithara addita epigraphe: *Hæc mihi tuba* ostensurus Principes subditorum fide, ac concordia veluti bellicâ tubâ stimulari ad gaudia quæque. Clodovæus in suo phrenoschemate brachia duo cœlo supina, quæ alijs duabus manibus fulcirentur, pinxit, cum unica tantùm voce *tutissimus*, allusitque ad Moysis victrices manus, quæ hostium cuneos prosternebant, dum in cœlum elevabantur.

4. Difficultas tamen est, quomodo debeant hujusmodi humani corporis membra collocari in phrenoschemate, & quo munere fungi. Volunt plures, humana corpora posse admitti, non ut partes intrinsecè componentes phrenoschema, seu non ut partes significantes, ac exprimentes conceptum mentis, sed solùm ad majorem ornatum figuræ. Camillus de Camillis inter illustria phrenoschemata, quæ sparsim ex pluribus Authoribus in unum congessit, nonnulla exhibet, in quibus apparent membra humani corporis, ut est illud Gregorij Serlupij, in quo ad exprimendum animum diversis oppressum angustijs, sed nil læsum, imò inde validiorem factum, pinxit manum tenentem funale accensum ex sulphure, & cera factum, quod agitatum à ventis non extinguitur, sed emicat clarius cum lemmate *Agitata revivo*, subintelligitur flamma. Quamobrem membra humani corporis, si fungantur munere instrumenti non repugnant phrenoschemati juxta Authores hactenus recensitos.

5. Quòd si meam deberem sententiam producere, satiùs censerem etiam membra humani corporis excludenda à perfecto phrenoschemate; cujus corpus ut superiùs innuimus debet simplex esse, nobile, ac perfectum, quòd propterea non indigeat membro humani corporis, ut existat, vel suas exerat vires. Perergaa, quæ emblemati sunt ornamento; phrenoschemati sunt nocumento, & vitio, à quo propterea excludendum est omne ascititium.

EXPENSIO IX.

An corpus perfecti phrenoschematis possit esse fabulosum, vel Chimericum, vel solum verum, & reale.

Tametsi phrenoschema, ut superiùs innui sit metaphora proportionis, & argumentum poëticum, exigit tamen verisimile fundatum super naturale, non fabulosum, quia metaphora non debet esse remota, ut si diceres, voluptatem esse scopulum castitatis esset metaphora fundata super corpus naturale, ut est scopulus; at si diceres, voluptatem esse Scyllam castitatis, metaphora fundaretur super aliquod fabulosum, esseтque nimis remota: hinc libentiùs Rhetores dicunt *adulatorem esse Principis scopulum*, quàm *adulatorem esse scyllam Principis*, & licèt metaphora fundata in apologo videatur elegantior, excluditur tamen, quia ingenij prodit levitatem excludendam à symbolo heroico. Alij corpora fabulosa excludunt, quia in phrenoschemate figura expressiva conceptûs debet esse vera, non ficta, & damnant figuram Herculis sustentantis orbem cum lemmate *Ut quiescat Atlas*, non solùm quia includat humanum corpus, sed etiam fabulosum: neque obstet aliqua corpora fabulosa crebrò usurpari, & censeri vera, ut phœnix inter flammas: *Perit, ut se pariat*, nam respõdet Aristoteles *poët. cap. 22*, id posse tolerari circa falsa subjecta tragædiarum, quæ tamen à populo credebantur vera, ait ipse: A principio ejusmodi fabulæ contexendæ non erant, sed si semel constitutæ sint, & ita receptæ, eas admittere, quamvis absurdas probabilius erit. Ad majorem tamen phrenoschematis perfectionem similia corpora sunt excludenda, quia non repræsentant efficaciter conceptum mentis, & licèt non sit munus, & officium phrenoschematis probare rem significatam, ut censet Bargalius; est tamen ejus conditio exprimere efficaciter conceptum mentis, animùmque Authoris, quod efficaciùs fit per corpus naturale, quàm fictum. 6.

Excludendæ igitur sunt à perfecto phrenoschemate figuræ Chimericæ præsertim, quæ constant ex partibus inter se repugnantibus, quæque naturaliter non possunt uniri, ut *testudo alata* instar avis hoc lemmate *Amor addidit*, rationes excludendi hujusmodi figuras, plures sunt, quia lemma non solet tunc verum indicare, ut in alato phrenoschemate *amor addidit*, siquidem amor telludini nunquam alas addidit. Rursus perfectio cujusvis operis exigit proportionem inter partes, ac perfectam earundem symmetriam, proinde hæc proportio servanda etiam est in phrenoschemate: & alæ non sunt proportionatum membrum testudini. Præterea quia conceptus mentalis Authoris in phrenoschemate exprimi debet per aliquod corpus verum, & reale: & hac ratione non solùm excluduntur apologi, seu corpora fabulosa; sed à fortiori etiam illa, quæ non sunt 7.

sunt vera, nec naturalia, & coalescunt ex partibus repugnantibus. Excluduntur etiam illa corpora, quæ naturaliter nequeunt stare simul, ut cancer tenens inter chelas lunam cum lemmate *Fatis agor*. Rursus excluduntur etiam omnia corpora abstracta, ut esset Justitia altera manu stateram, & altera gladium tenens cum lemmate *Unicuique suum*. Quamobrem de hisce heroicis symbolis dicam cum Pithagora: non ex quocunque ligno Mercurij statuam fieri, cùm tot conditiones requirantur.

3. Cum igitur postremis hisce temporibus ara symbolica præsertim, qua ex parte versatur circa phrenoschemata ultimas attigerit metas perfectionis; non putârim posse ampliùs corpora usurpari chimerica, vel ex Apologis, alijsque rebus fabulosis petita, cujusmodi fuit illud repertum in onyche gemma, quod exhibebat equinum caput, cum hominis vultu, barbâque in pectus promissâ, cum pedibus gruis, & cauda galli gallinacei, additisque vice lemmatis ternis characteribus F. A. B. fuitque symbolum Fabij Cunctatoris, ut monstrosa hacce figura virtutes proderet supremi in castris strategi: scilicet ut equino capite præfectura, & principatus in bello designaretur; vultu, barba, & pectore hominis, prudentia in rebus bellicis deliberandis; pedibus gruis, & cauda galli gallinacei, cunctatio, vigilantia, & victoria.

4. Alij alia in suis symbolis fabulosa corpora exhibuerunt: ut Marchio Polignani Tantalum sitientem, & fatigantem labia in fluvij ludibrio cum lemmate *Inopem me copia fecit*: ut indicaret, versari se inter medios honores, non tamen eos consequi, quibus avidiùs inhiaret. Princeps Salerni testudinem alatam, ac volantem per aëra cum epigraphe *Amor addidit* ut paratissima in regem sua exprimeret obsequia. Andreas Sfortia Marchio Palavicinus Venetarum copiarum generalis Dux obeliscum, in cujus fastigio binas addidit alas hac epigraphe *Immobilis* significaturus sua nunquam è constantia esse dimovendum, tametsi alæ ipsi adderentur; promitterentúrque insignes honores. Octavius Farnesius Dux Parmæ, & Placentiæ Herculis clavam, fili glomum, orbésque tres piceos, seu illa instrumenta quibus munitus Theseus Minotaurum interfecit in Cretensi labyrintho cum epigraphe *His artibus*, ut ostenderet contra hostes parem adhibiturum industriam, supparémque fortitudinem. Albertus Archidux Austriæ Jasonem elevantem levâ manu vellus aureum; dextrâ Herculeam clavam agitantem, cum Dracone velleris custode, taurisque flammas, fumósque spirantibus hac epigraphe *Assiduitate*. Ex æmulatione Jasonis, qui cum Argonautis in Colchidem navigavit; bellicam meditabatur expeditionem, potirique insigni provincia. Mathias alter Archidux Austriæ in Hungaria supremus Cæsarei exercitus Præfectus Perseum in aëre vibrantem gladium contra Marinum monstrum, ac liberantem Andromedam ex Nereidum odio ad scopulum revinctam hac epigraphe; *Amat Victoria curam*: perinde meditabatur ipse Hungariam Regionem pulcherrimam à jugo vindicare Turcarum; ut Perseus Andromedam. Cardinalis Gonzaga Herculem clavâ Hydræ capita verberantem cum verbis *Tu ne cede malis*: quia eadem fortitudine invidiæ monstrum erat superaturus. Ugo de Verdala Cardinalis, ordinisque Melitensis Magnus Præses & Magister, Æsopi Apologum scilicet gruem obsonantem intra vas oris oblongi coram vulpe jejuna, & ringente additis verbis *Fraus fraude compensatur*.

5. Henricus I. Rex Lusitaniæ Pegasum alis sursum nitentem, & leonem extremis pedibus proterentem cum lemmate *Perennitas laudis*. Meditabatur tunc maritima classe Africæ populos adoriri, ac praeferoces illas gentes edomare. Licèt apologi plurimum habeant aucupij ad animos demulcendos, vimque præseferant suavem persuadendi; nihilominus recentiores Academici, & clarioris notæ Authores à phrenoschemate Apologum excludi volunt; licèt Aristoteles *lib. 3. Rhetor. cap. 39.* Apologos, & fabulas recenseat inter oratorias argumentationes; referátque actionem Æsopi; qui ut virum Reipublicæ Principem accusatum repetundarum apud Samios, liberaret, narrationem instituit de vulpe in voraginem lapsa, & non approbante consilium erinacei, nec muscas abigente, à quibus totus quasi sanguis exsugebatur: & persuasit Samijs, ut eum jam congestis divitijs onustum retinerent; ne majori cum damno famem experirentur successoris. Non tamen multum obtinent roboris argumentationes ab apologis petitæ; cum id quod assumitur in ijsdem commentitium sit: adcóque à phrenoschemate debent apologi exulare, siquidem ex protasi ficta, facta apodosis infirmatur, & nunquam inducit firmam, ac solidam persuasionem.

6. Hinc quæ ex parabolis etiam depromuntur figuræ à phrenoschemate itidem excluduntur. Est parabola juxta Justinum Martyrem *lib. Respons. ad orthodox.* Oratio rei fictæ, & opponitur Historiæ, quæ est narratio rei factæ. Differt etiam parabola ab apologo, seu fabulas quia apologi sunt narrationes non solùm fictæ, sed etiam incredibiles; parabola verò licèt sit narratio ficta, est tamen vero similis, & credibilis; & assumitur ad luculentiùs rem aliam explicandam ob similitudinem, quam parabola ingerit; quippe parabola est rerum alioquin diversarum in una, aut pluribus affectionibus collatio citra ullam translationum mixturam; & usurpatur ex rebus penè paribus, quales sunt exemplorum comparationes; & Aristoteles *lib. 1. Rhetor. cap. 18.* asserit, parabolam perinde ac parœmiam fieri à forma ad formam; ut cum ager confertur cum animo; præceptor cum colono; educuntur enim parabolæ à rebus naturalibus, cœlo, sideribus, elementis, meteoris, animantibus, plantis; ut etiam à rebus artefactis, à scientijs, disciplinis; cum nihil sit in rerum natura, quod in aliquam nequeat similitudinem trahi.

7. Hoc explicandi genus res per parabolas adeo placuit Hebræis omnium hominum sapien-

pientiſſimis; ut quidquid lectiſſimum eſſet in eloquentia ac valde figuratum, hoc parabolam dicerent. Aliæ itidem gentes ab Hebræis edoctæ parabolis fuerunt delectatæ præſertim Scythicæ, quarum hoc extat apud Curtium *lib. 7.* eloquentiæ monumentum; ubi Principes totius gentis viri apud Alexandrum Regem legatione fungentes plura per conciſas parabolas exprimunt; ut. *Quid tu ignoras? arbores magnas diu creſcere, una hora extirpari? Stultum eſt, qui fructus earum expectat, altitudinem non metitur. Vide nedum ad cacumen pervenire contendis, cum ipſis ramis, quos comprehendis, decidas. Leo quoque minimarum avium fit pabulum, & ferrum rubigo conſumit. Nihil tam firmum eſt, cui non ſit etiam periculum ab invalido.*

8. Tametſi parabolæ plurimum præſeferant aucupij ad animos demulcendos, multum roboris ad eoſdem flectendos; & ab Hebræorum imitatione effluxerint Pythagoræ ſymbola, & Ægyptiorum Hieroglyphica, quæ plenis ulnis involucra parabolarum complectabantur; quibus etiam fuerunt Græci delectati; qui propterea melogranata Mercurio Deorum interpreti ſacrificârunt, eò quia in melogranatis, ut exponit Clemens Alexandrinus, perinde ac in parabolis plures ſint latebræ; & quotquot inter Græcos eruditione cæteris antecellerent contentaneas humanæ vitæ ſententias iſtiusmodi parabolis obtegerent; nihilominus à perfecto phrenoſchemate arcentur parabolæ, uti collationes, quæ ex protaſi ficta, licèt credibili, & veroſimili, deſumuntur: argumentum ſiquidem à re ficta depromptum non multum obtinet roboris ad perſuadendum; quæ finguntur nunquam inducunt firmam perſuaſionem.

9. Eadem ratione reſpuunt perfecta phrenoſchemata illa corpora, quæ ex hieroglyphicis depromuntur; quia cum ſint imagines, ſeu figuræ determinatæ ex hominum arbitrio ad aliquid ſignificandum; & olim ab Ægyptijs uſurparentur vice literarum; ſunt etiam hieroglyphica pura hominum commenta; proinde etiam ipſis deeſt firma vis ad perſuadendum, quam phrenoſchemata exigunt. Hinc Coſmus Mediceus Hetruriæ Magnus Dux, qui Capricorno, inter priores pedes quidem orbem terrarum, & remum, & in dorſo cornucopiæ adpoſuit cum lemmate *Fidem fati virtute ſequemur:* non exhibuit perfectum phrenoſchema, quia plura hieroglyphica unà congeſſit. Ut nec etiam Henricus VIII. qui propoſuit binas dexteras invicem junctas, ac ſuſtinentes caduceum diademate regali redimitum cum epigraphe *Fide, & Conſilio.* Non tamen excluduntur doteæ naturæ, ex quarum accommodatione Hieroglyphica plura prodiere. Hinc cornix avis, quæ Symbolum fuit amoris, & fidei conjugalis aſſumi poteſt in phrenoſchemate, ut etiam Grus Symbolum vigilantiæ, & alia id genus.

EXPENSIO X.

An perfectum phrenoſchema componi poſſit ex figura cujuslibet corporis naturalis, & an figura Corporum naturalium ſint perfectiores figuris artificialibus.

Liquet ex hactenus expenſis, veram metaphoram proportionis phrenoſchema eſſe, & hoc eò nobilius, quò præſtantior eſt metaphora, quæ ut nobilis ſit, nobile debet objectum repræſentare, ut docet Ariſtoteles in Rhetoricis, ubi ait; *Melius dicitur aurora a roſea, quàm purpurea,* quia epithetum *roſea* nobis exhibet pulcherrimum florem; & epithetum *purpurea* effuſum, corruptúmque viliſſimi Vermis ſanguinẽ. Homerus indẽ ad exprimendũ furorem Achillis, pulchriùs vocavit Achillem per metaphoram proportionis *leonem*, quàm *ſerpentem*, quamvis utraque fera animum repræſentet, furore percitum: quia leo eſt objectum nobilius: cùm igitur perfectum phrenoſchema ſit perfectiſſima metaphora proportionis, quæ ex Ariſtotele eò eſt perfectior, qòd nobilius exhibet objectum; ſequitur perfectiſſimum phrenoſchema figuram excludere corporis ignobilis, ac vilis, quamvis tale corpus naturale ſit, ut *Crocodillus lugens* Alexandri Vitalini apud Camillum de Camillis: *plorat, & devorat.* Coluber inter virgulta cum hemiſtichio *latet in herba.* Bufo Cæſaris Pavefi, per cujus patulum os ingreditur muſtela cum lemmate *Callidior errat.* Taurus Renati Regis Siciliæ apud Paulum Jovium cum lemmate *Pedetentim.* Omnes hæ figuræ, quamvis corporum naturalium excludi ſolent à perfecto phrenoſchemate ex duplici ratione, quarum prima eſt, quia metaphora proportionis non repræſentat objectum nobile, imò ignobile, ac viliſſimum. Secunda quia phrenoſchemata ſunt argumenta poëtica, & figura corporis naturalis indicat Authorem phrenoſchematis, qui propterea in argumento poëtico ob illud principium Ariſtotelicum. *quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*, diceret: ego ſum coluber, Crocodillus, Bufo, ſerpens. 1.

Ad ſecondam Tituli difficultatem quod attinet, ſingillatim reſpondeo, corpora naturalia eò eſſe artificialibus præſtantiora, quò natura nobilior eſt ipſa arte, cum illa ſit opus divinæ mentis, & hæc intellectûs creati: illa ſit magiſtra, hæc diſcipula; Rurſus quia metaphoræ, quæ transferuntur à rebus naturalibus ſunt magis naturales, quàm quæ eruuntur ex artificioſis, quæ ſunt magis affectatæ: hinc infertur, perfectum phrenoſchema exigere figuram corporis naturalis, realis, nobilis, pulchri. Rurſus proprietas hujus corporis eſſe debet vel ſingularis, vel ſpecifica, ſeu non propria alterius corporis. 2.

Poteſt proprietas eſſe, vel generica, vel ſpecifica, vel individualis: illa convenit pluribus ſpecie differentibus, ut *volare*, quod eſt pro- 3.

prium omnium avium *natare* proprium totius squamigeri gregis. Specifica, quæ convenit pluribus differentibus numero, ut *probare ad solis radios proprios fœtus*, quod proprium est omnium aquilarum. Individualis convenit unico soli individuo ut *renasci inter flammas* proprium solius phœnicis. Communicare splendores reliquis planetis est proprietas tantum solis. Accendere aquis extinctas faces Dodonæi fontis. Vivere in igne Salamandræ; hæc tamen corpora cùm ut plurimùm sint fabulosa excluduntur à perfecto phrenoschemate, in quo proprietas corporis debet vera, & specifica esse, ut apud Ægyptios nobilis fertur ales esse in palmis tantùm nidificans, & potest assumi in Symbolum spiritus generosi, qui in sinu victoriæ adoleverit. Aquilæ geminos dicuntur fœtus progignere, quorum alterum semper expellunt, suntque Symbolum Monarchiæ; vel earum matrum, quæ nutriendi partum tœdio affectæ proprios filios, quibus officia denegant naturæ, alijs fœminis nutriendos extradunt. Apud Indos est avis, quæ à solis cursu Heliodromus vocatur, quæ vix nata materno avolans è sinu, orientem solem suspicit, quem sequitur per meridiem, & cum eo vertitur in occasum, & nonnisi ad unicum annum vitam dicitur protrahere, quasi sit hac ave terra indigna, cum cœlo sit ipsa dignior. Herciniæ sylvæ volucres dicuntur nocturno tempore lucere in terris, non secus, ac sydera splendeant in cœlo. Luscinia cantu suavissimo sonum conciliat, & suæ carnis esu ad vigiliam provocat. Cornices vigiliæ, & custodiæ habentur Symbolum, eò quia in turribus ac altioribus ædificiorum pinnis vigilent, agántque veluti excubias; & Attilæ fuerint bonum omen: hic jam per triennium Aquileiam cinxerat obsidione; sed ubi cornices turmatim aliò pullos suos asportare vidit, acriùs urbem oppugnavit, & tandem expugnavit. Struthio Camelus ferrum vorat, suóque nativo calore concoquit, estque Symbolum viri Religiosi, cujus spiritus durissima quæque digerit. Struthio ova fœcunda ab infœcundis secernit, illa tantùm fovet, hæc rejicit; habet itidem struthio id proprium, quia non corpore, sed oculis, & intuitu ovis incubat, in quæ influit, fovétque. Monocodiata, seu avis paradisiaca cœlesti rore tantùm pascitur. Aquila calva, & deplumata solem magis pellicit.

4. Tametsi corpora naturalia proprietatem exhibentia specificam artefactis præferantur, eò quia sit natura arte præstantior; plura tamen circumferuntur phrenoschemata, quæ licèt corpora exhibeant artefacta plurimum tamen laudis promeruerunt: ut ferula, quæ non clave ullâ reseratur, donec orbibus circumductis litteræ unà coëant, promántque certam verbi significationem; & fuit phrenoschema Mariæ Virginis, quam cœlesti legatione Nuntius sydereus matrem appellavit, & Virginē esse promisit cum epigraphe *Uni patet Verbo*. Sicut ferula litteraria non aperitur nisi litteræ uni respondeant verbo ita Virginis uterus uni tantùm patuit Verbo, quando *Verbum caro factum est*. Ovum exemptus vitello, & albumine antelucano refertum rore quod sursum à sole trahitur, alijs humi relictis, quibus ponderi sunt cognata viscera eum epigraphe *Quia rore plenum*; alluditque ad Virginem matrem post obitum in cœlum assumptam; eò quia illa sola fuerit præ cæteris gratiâ plena à caduceatore Archangelo salutata. Lucerna versatilis haud effusura oleum, nec amissura lumen, quantumvis in omnem partem voluatur, cui addidi lemma *Vertes non evertes* estque Symbolum viri constantis in exercitio virtutum, quibus splendet contra impetus novercantis fortunæ. Speculum politum, ac tersum referens cujusvis obviantis objecti speciem hac epigraphe *Omnibus omnia*, refertque virum Apostolicum omnibus se accommodantem; ut omnes Christo lucri faciat. Tubus papiraceus pyrio fartus pulvere, filóque innexus, ne cum arserit à scopo deflectat hac epigraphe *Ne deviet ardor* alludit ad humanas actiones directas juxta amussim rectæ rationis. Globus crystallinus solis perfusus radio, ac splendens solis instar hac epigraphe *Candor illæsus*: fuit phrenoschema Clementis VII. ex gente Medicea senos globulos exhibente in stemmate: sicut enim crystallinus globulus, quo solares radij in unum coëunt res objectas inflammat, ijs exceptis, quæ candore imbuuntur, ita hoc symbolo profitebatur Pontifex in se candorem animi non esse corruptioni obnoxium. Vomer atatri ex cudi ferro, cui accedit splendor argenteus ex continuo usu, quo tellurem discindit cum lemmate *Longe splendescit in usu* fuit phrenoschema Cardinalis Gambara, qui à cultura agri transiens ad cultutam animi; innuit hunc esse studijs excolendum, ut scientiarum ornatu splendeat. Situlæ, quibus à puteo latices haurimus, quarum una sursum agitur, dum altera deorsum voluitur addito lemmate *Altera levatur* delineatæ inspiciuntur in phrenoschemate Ascanij Piccolominei Arhiepiscopi Senensis, ut indicaret in obitu viri pij, ac justi corpus veluti situla vacua deprimi; sed animam meritis onustam veluti situlam plenam sursum erigi. Eædem situlæ cum verbis *Alternant pondera eundo* Symbolum sunt mutui officij, ac gratæ vicis inter amicos. Statera pendula cum epigraphe *Omnibus eadem* fuit phrenoschema Petri Aloysii Carafa, ut innueret se in administrando jure nemini præ alijs velle favere; sed erga omnes justitiam æquè servare. Idem Carafa ostensurus neque à prosperis, neque adversis esse dimovendum ab æquitate, Bilances exhibuit, quæ licèt motæ invicem discrepent, suum tamen daturæ cuique pondus consistunt in æquo. Rotæ molendini ab aquarum defluxu circum actæ hac epigraphe *Convertunt non evertunt* Symbolum viri sapientis, cui adversa sunt exercitio, non exitio. Arma placa in unum acervum congesta, quæque in armamentarium referuntur hac epigraphe *Conduntur non contunduntur* fuit phrenoschema Emanuelis Philiberti Sabaudiæ Ducis, ut significaret, etiam pace inita non intermissurum belli præsidia. Prærecensita hactenus phrenoschemata corpora continent fabre-

facta,

8. facta, & nihilominus plurimum commendantur.

In commendationem Virginis Matris ſine labe conceptæ fuit etiam qui pinxit præcelſam pyramidem, ſupra quam recta linea perpendiculari ſplendeat Sol illuminans æquè ex quavis parte totam pyramidem, quæ propterea nullam projiciat umbram addito lemmate *Umbræ neſcia.* Alij pinxerunt Alcyonem figuram naturalem, eſtque avis, quæ præſentiens cœli ſerenitatem, marisque malaciam hoc tempore, marino nidificat in litore adſcripto hemiſtichio *Cœlo concepta ſereno.* Etenim Virgo Mater concepta fuit cœlo non irato, ſed propitio, à quo fuit exempta à communi originali noxa. Figura artificialis eſt etiam rotatum horologium cum lemmate Virgiliano *Mobilitate viget.* Circinus Typographiæ Plantinianæ *Labore & conſtantia.* Funis incendiarius ignitus *Vivit ad extremum.* Hamus piſcatorius aquis immiſſus *Non capio niſi capior.* Navis plenis velis adnitens portum ingredi flante in contrarium vento *Aut ingredi, aut perire.* Navis è portu ſolvens æquora trajectura: *Quò me fata trahent.* Horologium in horto ex myrto in areola conſitum *Docet, & delectat.*

EXPENSIO XI.

An pluralitas figurarum ſit de eſſentia phrenoſchematum.

1. INolevit quorundam opinio aſſerentium pluralitatem figurarum eſſe de eſſentia phrenoſchematis. Verùm quia illud dicitur de eſſentia rei, quo ſublato res eadem eſſe nequit, cujusmodi ſunt partes definitionis eſſentialis apud Dialecticos genus, & differentia, etenim ſine animalitate, & rationalitate homo non eſſet: ſi figurarum pluralitas diceretur de eſſentia phrenoſchematis, non poſſet hoc absque hac figurarum pluralitate exiſtere, quod evincitur falſum: cùm plura ſint perfectiſſima phrenoſchemata ſine hac pluralitate figurarum, ut eſt phrenoſchema Ludovici XIV. Galliarum Regis, in quo pinxit ſolem cum lemmate *Nec pluribus impar.*

2. Ex quo evincitur, figurarum pluralitatem non eſſe de eſſentia perfecti phrenoſchematis, quia id eſt de eſſentia rei, ſine quo res eſſe nequit: & cùm dentur plura phrenoſchemata perfecta, quæ unicam tantùm figuram includunt; ſequitur evidenter, hanc figurarum pluralitatem non eſſe de eſſentia perfecti phrenoſchematis: etenim inter perfecta phrenoſchemata recenſetur illud Ludovici XII. in quo unicam pinxit hyſtricis figuram addito lemmate *Eminus, & Cominus.* Illud Emanuelis Philiberti invictiſſimi Sabaudiæ Ducis, in quo unicam Elephantis curavit figuram delineari cum lemmate *Infeſtus Infeſtis.* Illud Philippi II. Piiſſimi Hiſpaniarum Regis, in quo pinxit ſolem cum verbis *Jam illuſtrabit omnia.* Illud Henrici adhuc pueri Franciæ Regis in quo exhibuit unicam dimidiatæ lunæ figuram cum Hemiſtichio *Donec totum impleat Orbem.* Illud ejusdem jam adulti apud Paulum Jovium, in quo poſuit eandem lunam, ſed pleno Orbe roſcam, ac in plenilunio, cui addidit lemma: *Cum plena eſt, ſit æmula ſolis.* Alexander de Cupis in commendationem Cardinalis Rivarolæ pinxit formoſiſſimum *leonem* auream quaſſantem jubam hoc lemmate, *Bello in ſi bella viſta anco è l'horrore,* ſeu pulcher horror in pulchra apparentia. Unde vides in omnibus hiſce phrenoſchematis perfectioribus unicam tantùm adeſſe figuram: ergo concluſum remanet, pluralitatem figurarum non eſſe de eſſentia phrenoſchematis.

3. Andreas Chiocius Medicus Veronenſis vir in re litteraria politiſſimus unicam affert rationem in ſuo Dialogo, quâ probat, pluralitatem figurarum eſſe de eſſentia phrenoſchematis, ait ipſe: non ſufficere ad perfectionem phrenoſchematis unicam figuram, non quia unica figura participet de ratione hieroglyphici, aut quia relinqueret mentem confuſam, aut quia ejus ſignificatum innoteſceret etiam rudioribus hominibus: ſed non ſufficit unica tantùm figura, eò quia in phrenoſchemate eſſentialiter requiritur relatio inter Agens, & Paſſum: ratio eſt, quia figura phrenoſchematis continet in ſe aliquam actionem, actio vero neceſſariò debet eſſe inter duo, nempe inter agens, à quo emanet; & paſſum, in quo recipiatur.

4. Hæc tamen ratio nulla eſt. Reſponderi enim poteſt: primò hanc relationem ſalvari optimè poſſe in unica figura: ipſe enim debet neceſſariò admittere actiones immanentes, quæ recipiuntur in eodem ſubjecto, a quo emanant, uti ſunt operationes intellectus, motus progreſſivus, & cæteræ actiones, quæ inhærent principio, à quo fluunt, & de hac actione immanenti nulla eſt difficultas penes Philoſophos, quamobrem illa propoſitio Chiocci, *Quòd omnis actio neceſſariò exigat Duo corpora, unum à quo fluat, & alterum, in quo recipiatur.* A Philoſophica veritate deflectit, & tantum vera eſt de actionibus tranſeuntibus.

5. Quòd dentur plura phrenoſchemata perfecta, & ab Authoribus approbata, ac fundata in actione immanente liquet. Habemus enim cœlum pictum comitis S. Caroli cum lemmate *Immotum in motu.* Circinum ſe vertentem ac circulum deſcribentem cum verbis *Non vagus vagor.* Rotam foliorum pompa luxuriantem *Per alo.* Arborem, quæ præ nimio fructuum pondere frangitur *Inopem me copia fecit.* Stellam, quæ Reges perduxit ad præſepe infantis JESU cum lemmate *Monſtrant Regibus aſtra viam.* Colubrum in circulum revolutum *Ad me redeo.* Aquilam intra atras nubes volantem, altiùsque penetrantem celeri volatu, *Nulla via invia.* Hæc phrenoſchemata fundantur in actione immanente, quæ non exigit plura corpora diſtincta, cum actio immanens recipiatur in eodem principio, à quo fluit. Præterea poſſunt fieri perfecta phrenoſchemata, quæ in nulla fundentur actione, ut eſt illud, in quo exhibetur unicus adamas cum lemmate *Maculâ carens.*

6. Quòd ſi velimus in phrenoſchemate corpus naturale adnectere artificiali, habetur in

commendationem Virginis Matris sine noxâ concepæ Parthenium phrenoschema, in quo pingitur piramis, supra quam directè Sol splendet cum lemmate *Umbræ nescia*: pyramis enim Symbolum Virginis Matris nullam depromit actionem immanentem, nec transeuntem, licèt æternus Sol eam, ex quavis parte illustraverit, effeceritque ut absque humanæ originis nævo, & umbra conciperetur. Præterea non est necesse, hanc actionem sive immanentem, sive transeuntem esse in actu secundo, sed sufficit, si exprimatur in actu primo, & potentia proxima, ut est laudatum illud phrenoschema Comitis Poliani, quo exhibuit Millum multiplici intextum ferreo acumine cum lemmate *Sauciat, & defendit*, ubi loquitur de actione in actu primo, & potentia proxima.

7. Concludendum igitur est, unicam figuram esse de essentia phrenoschematis, adeo ut hoc absque ulla figura esse nequeat: & plures tantùm de perfectione, vel integritate. Dantur enim plura phrenoschemata includentia plures figuras; ut sunt plures excultæ areolæ in horto ex quibus nondum sub veris initium flores eruperunt, eò quia Sol adhuc florum rudimenta non fovit ob rigentem hyemem cum lemmate *Aspice, ut aspiciar*. alloquitur hortus solem. Plures columbæ sequentes primam suavi perfusam odore cum lemmate *In odorem*. Emissa siquidem una odorifera columba plurimas alias secum trahit, adducitque ad columbarium. Arbuscula balsami, quæ referente Theophrasto *lib. 4. cap. 6. de histor. plant.* Viperam ad se trahit, & allicit, ut in eadem nidulerut, ac virus omne deponat cum lemmate *Venio positura venenum*. Academici insensati Perusiæ Grues plures expresserunt, quæ mare transvolaturæ arenam devorant, & lapillos falculis gerunt ad moderatam gravitatem Saburratæ cum lemmate *Vel cùm pondere* indicantes Academicos illos eruditos quasi pondere impolito, vel sponte suscepto ad honores fore evehendos. Academici Firmiani in Piceno apes ex bove mortuo genitæ, & sursum avolantes posuerunt pro symbolo addita epigraphe *Alieno funere vitam*. Alludentes ad extinctam ibi Academiam, quæ tamen instaurata vegetior esset proditura. Mediolani Academici animosi plures pinxerunt cervos peramplum lacum natatu trajicientes ea lege, ut vices mucent, & primus, qui ductare alios inceperat loco ultimi succedat, & supra ejus dorsum onera capitis, seu tarnua proclinet cum epigraphe *dant animos vices*. Fuit etiam, qui pro symbolo exhibuit craterem fontis, è cujus medio aqua per siphonem eò exsilit impetu, ascenditque in sublime, ut in summo fastigio globum ligneum sustentet, ne excidat, quantumvis aquæ refluant, adjecta epigraphe *Extulit, & sustinet*, Symbolum Principis benefici, qui quem ad dignitatem promovit, extulitque contra adversarios, ac invidos protegit, sustinétque, ne cadat. Joannes Baptista de Ninis apes plures in suo phrenoschemate exhibuit, lapillis munitas adversus ventorum flabra, cui loco lemmatis adscripsit, *Ne deviet impetus Euri* alluditque ad animi passiones, quæ prudentiæ ponderc, ac modetamine debent coërceri, ne homo ab honesto deflectat. Fuit etiam qui plures apes ad ostiolum apiarij excubias agentes pinxerit, ut fucos abigant cum lemmate *custodia servat*, allusitque ad eos, qui præsunt alijs, qui vigili custodia ita præesse debent, ut noxia quæque avertant.

Quòd si quæras quot figuræ poni possint in phrenoschemate. Respondeo posse multiplicari juxta exigentiam metaphoræ proportionis assumptæ in phrenoschemate, & repræsentatæ per figuram ejusdem. Hinc Cardinalis Mediceus splendidissimum pinxit cometam syderum turmis circundatum cum lemmate *Inter omnes*. Habetur etiam ursa cœlestis septena sydera continens cum lemmate *Vertitur non occidit*, & fuit Symbolum Reginæ Hispaniarum, quæ moriens non cadetet extincta, sed orbem suum tantùm commutaret, mansura in septem liberis suis, ad quos visa sunt allusisse totidem inoccidua sydera cœlestis ursæ. Ponitur etiam in phrenoschemate Rex apum inermis, seu sine aculeo præcedens plenum reliquarum examen cum epigraphe *signat Clementia Regem*. Quinimò licèt sint figuræ specie discrepantes dummodo uni serviant sententiæ, ac necessariæ sint ad Authoris consilium exprimendum, adhuc possunt in phrenoschemate multiplicari cujusmodi est rosa, quam hinc apis depascitur; & illinc ex ejus fragrantia scarabeus examinatur cum epigraphe *Uni salus, alteri perniries*, estque Symbolum pueri JESU, qui dicitur natus in ruinam, & resurrectionem multorum. 8.

9. Si quæras, quæ sit vera regula cognoscendi præcipuam figuram, quando in eodem phrenoschemate plures adsunt figuræ? Respondent plures, sed perperam; tunc illam esse præcipuam figuram, à qua fluit actio, ut ab agente. Contra est, quia dantur plura phrenoschemata ex perfectioribus, in quibus præcipua figura non est Agens, sed potiùs passum, ut est illud phrenoschema Nicolai Cauli, in quo ad exprimendam inconcussam animi constantiam inter adversantis fortunæ ictus delineavit pyramidem grandinum concussam à ruenti procella, hoc lemmate *Immota manet*. Et alius Academicus ad exprimendam eandem animi constantiam pinxit adamantem malleatum super incudem, hoc lemmate, *Semper Adamas*. Et Petrus Franciscus Toccolus pinxit Asbestinum extensum super flammas hoc lemmate, *Tergit non ardet*. Asbestinum est quædam species lini apud Indos, quod inter flammas non solùm non comburitur, sed magis perficitur. In hisce phrenoschematis non agens, sed passum, ut adamas, Pyramis, & Asbestinum, sunt figuræ præcipuæ phrenoschematum.

Alij dixerunt, præcipuam figuram esse illam, cui convenit lemma phrenoschematis: hæc tamen assertio genericè non est vera; dantur phrenoschemata ex perfectioribus, in quibus lemma nullo pacto convenit præcipuæ figuræ; ut est illud phrenoschema, in quo Monoceros 10.

Rhocerot ſuum cornu mergit in fontem, hoc lemmate *fine noxa bibuntur*: Ubi figura præcipua eſt *Monoceros*, & lemma illi non convenit, ſed aquis.

21. Dico igitur, veram regulam cognoſcendi præcipuam figuram phrenoſchmatis, eſſe, animadvertere ad illam figuram, quæ per metaphoram proportionis, ſeu per argumentum poëticum repræſentat Authorem phrenoſchematis, ut eſt adamas malleatus ſuper incudem; adamas eſt præcipua figura, quia per argumentum poëticum repræſentat conſtantem animum Authoris tali pacto. Adamas quamvis malleatus irridet ictus, & non frangitur, nec mutatur; ſed ego tametſi malleatus, & percuſſus ab adverſante Fortuna non frangor, nec immutor; ergo quia adverſis malleatus non immotor, ſum adamas. Similia ſunt hæc alia phrenoſchemata viri probi utilitatem hsurientis ex rebus adverſis, pinxit enim urſum linguam exerentem, apibúsque exhibentem cum epigraphe *Aciem acuent aculei*. Et illud Vincentij Medicei, qui pinxit canem lambentem proprium in pede vulnus cum inſcriptione *Ni lingat, languet*. & alluſit ad nomen propriæ familiæ. Alius etiam expreſſurus nemini eſſe moleſtiæ, niſi ei, a quo priùs moleſtia afficeretur, pinxit hamum piſcatorium cum verbis *Non capio niſi capiar*.

EXPENSIO XII.

Expenduntur reliqua ad figuras phrenoſchematis, ſeu ſymboli heroici ſpectantia.

1. CUm perinde phrenoſchema ex epigraphe, & figura coëuntibus in unum mentis conſilium oculis ſubjiciendum coaleſcat; ac animal ex corpore, & anima; ſabrefactum ex materia, & forma artificiali; oritur dubium, num figura perſpicua eſſe debeat, & ſub ſenſum cadere; tametſi paradoxum videatur; aſſerere figuras non apparentes, quæ tamen internum mentis conceptum exteriùs prodant; cum nil valeat ad noſtram pervenire notitiam, quin priùs ſub ſenſum aliquem ceciderit exteriorem. Cenſeo nihilominus poſſe loco figuræ aliquid in phrenoſchemate aſſumi, quod expers ſit omnis picturæ; aut cælaturæ dummodo potis ſit Authoris Conſilium palam facere, ejúſque notitiam alijs ingerere; tunc enim ob rei novitatem, ac ſuſpenſionem, quâ intuens hæret anceps videtur phrenoſchema plus continere aucupij; cujuſmodi fuit illud Cardinalis Ludovici Borbonij, in quo exhibuit dumtaxat tabulam raſam picturæ aptatam cum epigraphe *Melior fortuna notabit*: & lepidè innuit Conſilium Authoris expectantis, quod hactenus enanciſci non valuerat, ob novercantis fortunæ obices. Comes Eſlexiæ ſignificaturus intenſiſſimum mœrorem, quo intus premebatur ob amici præmaturam necem; eúmque non poſſe explicari, parmulam aſſumpſit pro phrenoſchemate albam nullâ præſignatam figurâ, ſed ſola illitam albedine, cui addidit lemma *Par nulla figura dolori*.

Plerunque illa aſſumuntur etiam in phrenoſchemate corpora, quorum figuræ licèt non pingantur, ab ijsdem nihilominus hauritur ſimilitudo; cujuſmodi ſunt ſydera in cœlo, quæ interdiu micante ſole non ſunt conſpicuæ eum lemmate *Non cernuntur, & adſunt*, eſtque Symbolum viri humilis occultantis virtutes, quas excolit. Satius tamen cenſeo ab hiſce figuris non apparentibus abſtinendum; quia licet per epigraphen poſſint ſubindicari, nonnihil tamen obſcuritatis ſemper invehunt; ut in præfato phrenoſchemate vix abſque interprete quis conjiceret lemmate ſydera indicari. Tum quia per epigraphen debet proprietas aliqua figuræ ſignificari, quæ propterea pingi debet, vel ſculpi, ut appareat, cujuſnam ſit proprietas expreſſa per lemma: vel ſaltem delineandus eſt locus proprius, ac ſpecificus, ex quo ſtatim conjiciatur, de qua re ſit ſermo; tunc enim excuſari poteſt figura, quia licèt non appareat in re; proponitur tamen in quo loco naturaliter ſolet eſſe; ut Bombyx intra clauſtrâ ſui officinulam; in qua pergit nere, licèt non appareat eum lemmate *operitur, dum operatur* eſtque Symbolum hominis modeſti, qui metu laudis ſuam clanculùm exercet virtutem. 2.

An verò eas phrenoſchema figuras abjiciat, quæ nonniſi ex proprijs poſſunt coloribus dignoſci, uti ſunt plures aves, avium plumæ, & res aliæ ſignificantes in phrenoſchemate ratione coloris, ut ſpecilla rubra, vel praſina; non una eſt omnium ſententia. Paulus Areſius has figuras vult à phrenoſchemate exulare, quia ære incidi, igne fundi, cera fingi, marmore ſculpi proprijs ornatæ coloribus non poſſint. Ruſcellius eas admittit, quæ ſolo colore albo, vel nigro dignoſcuntur, reliquas eum Areſio rejicit. Hercules Taſſus cenſet, non eſſe de eſſentia phrenoſchematis, ſed de uberiori ejuſdem perfectione poſſe illius figuram, cudi, incidi, fundi, pingi, aut ſculpi. Scipio Bargalius, cui ſuffragatur Paulus Jovius hujuſmodi figuras non ſolùm approbat; verùm etiam plurimum commendat; & præ cæteris videtur laudibus excipere Symbolum Laurentij Medicei exhibens annulum aureum nitidiſſimo ornatum adamante, ternisque plumis alba, viridi, ac rubra eum epigraphe *ſemper*, quo ſuam indicavit conſtantiam in exercendis virtutibus Fidei, Spei, & charitatis. 3.

Si quid ipſemet ſentiam perquiras, ijs ad hærendum non puto, qui huic inſtituto addicti minutias quaſque putidiuſculè diſcutiunt, latóque præceptorum choragio plus hiſce videntur ſymbolis obeſſe, quàm prodeſſe. Putârim igitur, hujuſmodi figuras diſcolores minimè à phrenoſchemate abhorrere: quia ſi ſtemmata gentilitia familiarum, ſuis etiam illiniuntur coloribus, quibus ſunt obnoxia; & ab alijs per ſolos plerumque inverſos colores diſtinguuntur: nulla mihi videtur ratio urgere, quâ figuras colorum ornatu ſignificantes debeamus à phrenoſchemate ablegare; præſertim cum in hoc 4.

quod est *durate* exhibet phrenoschema, in quo navis marina agitatur tempestate. Nonnunquam ex duabus duntaxat verbis coalescit lemma, ut est in illo symbolo, in quo pingitur navia victoria, quæ rotum circumivit Orbem cum epigraphe *Æmula solis*. Platanus cum lemmate *Umbra tantùm*. Tubus papyraceus fartus pyrio pulvere accenso *Tantùm crepitus*. Terminus in symbolo Erasmi cum epigraphe *Nemini cedo*. Camelus humi procumbens, ac merces juxta se habens cum epigraphe *donec accipiat*. Bos cum verbis *Tantum frugi*. Sol in nube rorida imprimens sui imaginem, quam Philosophi pateliam vocant cum lemmate, *quia respexit*. Ursa suos linguâ partus rudes, ac informes efformans *Utinam perpoliantur*. Vitreus globus cum lumine *Intus latius illustrat*. Cancer cum verbis *Retrocedens accedit*, quod lemma propter brevitatem, & antithesin plurimum habet leporis. Ursa minor ex septem constans syderibus *Sine occasu*. Leo proprio rugitu exanimatos leunculos excitans, ac vivificans eum epigraphe *Rugitu exsuscitat*.

7. Ea tamen lemmata censentur perfectiora, quæ constant ex tribus tantùm vocibus, quia ternarius numerus est perfectior, utpote constans ex principio, medio, & fine: & tunc lemma altiùs menti imprimitur, & elegantius papyro, vel tabulæ hæret; quia legitur prima vox in latere dextero, secunda in medio, & tertia in sinistro, qui ordo non servatur, quando lemma constat ex pluribus, vel minoribus verbis, quando enim lemma ex duplici tantum voce constat, tunc vel una ex duabus debet obtruncari, ut ejus syllaba in medio collocetur, quod invenustum est, & oculo displicet, & interdum ex tali separatione Syllabarum oritur alius sensus, ut in symbolo cujusdam amasij imprudentis, qui pinxerat Asbestinum linum in flammis cum lemmate *Illæsus ardet*, sed sine Diphtongo, & obtruncando primas duas syllabas *ille*, quas posuit in latere dextro, in medio posuit tertiam *Sus*, & in sinistro latere *ardet*, & sensus fuit ILLE SUS ARDET. Vel hoc aliud in Orpheum pulsantem chelim, ac soni suavitate ad se trahentem aves, saxa, feras cum lemmate *Vi suavi* scilicet *Vi sua vi*. Vel debet omitti, ac relinqui vacuum spatium medium, ut unum verbum sit in primo latere, & secundum in altero. Perfectum tamen phrenoschema est spica flavescens, & incurvata cum lemmate *Quia plena* Symbolum Humilitatis B. Virginis.

8. Perfectiora igitur sunt illa lemmata, quæ triplici tantùm voce constant, ut in hystrice Ludovici XII. *Eminus, & Cominus*. In Monocerotem mergentem cornu in aquis *expellit, & allicit*. Super solem in signo Tauri *Aurea condet secula*. In Aquilam atras nubes volatu penetrantem *Nulla via invia*. In cetum qui *dum* pisciculos sequitur in scopulos impingit, *dum ruit, ruit*. In Arundines aquis innatas *Abluimur non obruimur*. In solem patientem Eclypsim *Deficit, quia tegitur*. In Phœnicem morientem in flammis *petit ne pereat*. In hastam Achillis *Vulnus, opémque gerit*. In palmam, & Cupressum *Erit altera merces*. In quercum annosam in humum lapsam, *Et magna jacet*. In acervum prunarum ignitarum *Extinguimur, si distinguimur*. In solem micantem in Zodiaco, vel exurgentem ab horizonte *Malè operantibus pavor*. In struthium vorantem terream carbonum *Spiritus durissima coquit*. In horologium constitutum ad delicias in horti areola *docet, & delectat*. Pharus turris cum lampade accensa, & lemmate Virgiliano *Forte citi ferrum*. In testudinem capite, & pedibus extra propriam testam *Graditur non egreditur*. In Crocodillum lugentem *plorat, & devorat*. In viperam parturientem, & occisam à proprio fœtu *Ingratis servire nefas*.

Plus verò concinnitatis ea continent in phrenoschemate lemmata, quæ numeris alligantur poëticis; quàm quæ soluta fluunt oratione; siquidem voces, & incisæ sententiæ ad carminum concinnatæ modulos blandius per aures in animum dilabuntur, quia suaviùs fluit oratio ad numeros temperata poëticos, quàm alia solutior, minúsque sonora. Quamobrem plurimum delectabit, habebitque illicij phrenoschema, cujus epigraphe numeris fuerit vincta poëticis; tunc enim suavius lemma eblanditur auribus; sicut figura est oculis oblectamento; perinde dulcis sonus est gratum auribus pabulum; sicut pictura, gratus, & dulcis est oculis cibus. Hinc illa lemmata censentur venustiora, majorisque authoritatis, quæ ex Poëta aliquo classico, ac clariorìs notæ promuntur. Nititur tamen Hercules Tassus contra comprobatam cæterorum calculis opinionem oppositum suadere; satiúsque fore, si lemma perinde ac figuræ delectus è proprio fluat marte; sicut enim non daretur Praxiteli laudi, si statuæ à se ad omnem elegantem perfectionem inchoatæ, caput sineret agglutinari, quod opus esset Phidiæ: ita non censet ex alieno penu haurienda lemmata symbolis inserenda. Verùm licèt concesserim plus mereri laudis, quæ à nostra fluunt mente, dummodo omnibus sint perfectionibus absoluta; nihilominus plus authoritatis, ac ingenij habent, si quæ ab Authoribus classicis usurpata fuerint in uno sensu, in alium ab authore phrenoschematis flectantur; laudem enim industriæ tunc Auctor promeretur, multúmque acuminis, ac ingenij ostendit, si aliena effata de re in rem transferat; idque causæ cur Parœmiæ plurimum habeant illicij, placeántque varijs accommodata rebus. 9.

Ut exemplo res clarior illuscat non incongruè mihi obviat Virgilianum carmen, quo de Fama buccinatrice, ejúsque incremento, quod subit, sit: 10.

Mobilitate viget, virésque acquirit eundo

Primæ duæ voces horrologio rotato non incongruè accommodantur, siquidem *Mobilitate viget*, ac beneficio motûs ostendit fideliter quota sit hora. Postrema ejusdem carminis verba adaptantur flumini, quod si longiorem habuerit alueum incrementum subit plurium rivulorum accessu: adeout verè de tali fluvio dicatur *Vires acquirit eundo*; estque Symbolum

quod accommodari potest cuilibet adolescenti in exercitio Studiorum; vel etiam cuilibet viro danti operam, vel virtuti, vel alicui negotio in quo proficiat; vel etiam mercatori proficiscenti nundinandi causâ, & quæstûs causâ in alias provincias; dicitur enim acquirere vires per congestas divitias. Rursus hoc aliud Virgilianum hemistichium *Exsudat inutilis humor* accommodatur pateræ ex hederæ ligno tornatæ; ita enim vas hederaceum vinum retinet, ut si hoc fuerit aqua mixtum; infusam per tenuissimos meatus aquam foras transmittat; purúmque servet vinum; hæcque fortassis ratio, cur hedera fuerit olim Baccho dicata.

11\. Hæc autem, quæ ex classicis Authoribus depromuntur lemmata necesse est, sint brevia; ut simul cum figura integrent, compleántque sententiam, ac Authoris conceptum explicent. Cum Protasis non debeat tota coloribus, neque tota exprimi verbis; debent lemma, & figura simul necti, & in unum coire, quo Consilium percipiatur Authoris; hinc lemma debet esse oratio incisa, & veluti mutila, quasi echo attingens breviter eam figuræ proprietatem, ex qua metaphora hauritur proportionis. Hæcque ratio, cur hujus instituti professores integras respuant sententias; admittántque duas duntaxat voces cum Luca Contile; vel tres cum Paulo Jovio. Cæterum sicut ab integra sententia; ita ab integro versu abstinendum esse suadent omnes, præsertim si versus fuerit Heroicus, Elegiacus, vel Hendecasyllabus: hinc non approbatur versus Italicus Hendecasyllabus serpentis adscriptus figuræ *Cangio la vecchia, e nova spoglia prendo* idest antiquas depono exuvias, & recentes sumo.

12\. Neque debet lemma quidquam continere supervacaneum, ut non sit ex parte ulla otiosum. Censetur tunc lemma otiosum, quando ea exprimit, quæ ex solius figuræ intuitu fiunt statim nota; ut est lemma illud adscriptum flammæ *splendet, & ardet*: peccat enim otiositate; quia flamma abundè per se absque alio adminiculo prodit suum splendorem, & ardorem. Cum primùm audit quis, vel videt flammam, illico utcumque concipit splendorem, & ardorem. Otiositatis etiam redarguitur hoc aliud lemma *splendet, & ascendit* adscriptum tubo papyraceo pyrio pulvere farto, qui concepto igne sursum nititur; siquidem soli laborantes cæcitate non vident tubum illum papyraceum splendere, & ascendere. Generatim censetur lemma peccare otiositate, quando id ipsum significat, quod figura ex se abundè exprimit, ut sunt fluxus fluminis, splendor solis, ardor ignis, obscuritas noctis, frigiditas nivis, & alia id genus, quorum notitiam ex sola perspecta figura enanciscimur. Si enim Solem videam pictum; scio eum splendere, cum sit natura solis splendores delegare; unde si solis figuræ addatur lemma *splendet ubique* nil mihi indicat, quod ex sola figura non satis percipiam, unde lemma illud otiosum censetur; uti etiam omne aliud nominans eam figuræ partem, quæ alioquin satis se prodit, ut est illud *Tantùm voluitur umbra* adjectum columnæ à solis radio collustratæ; & hoc aliud *Percussus elevor* adscriptum folli lusorio, seu pilæ pugillari; quia follis lusorius opplerus aëre, si videatur cæstibus ligneis, dentarisque percuti, videtur etiam sursum agi; adeout lemma cum nihil innuat, quod sola figura per se non abundè exhibeat, censendum est otiosum.

Ut igitur lemma dicatur aliquid operari, debet proprietatem aliquam figuræ prodere, quæ non sit ita obvia, & conspicua; vel saltem ex pluribus aliquam determinare; ut est illud *Flectimur non frangimur undis* super arundines palustres; fuitque Symbolum familiæ Aquavivæ; licèt in phrenoschemate appareant aquæ, quibus alluditur ad cognomentum gentis Aquavivæ; si tamen hæ non nominarentur in epigraphe, anceps hæreret lector, num de ventis potius, quàm de aquis arundines loquerentur. Ut omnem abigat lemma otiositatem, excluduntur etiam ab epigraphe omnes particulæ demonstrativæ, quæ figuram quantumvis pictam adhuc demonstrant, ut est lemma adscriptum gladio Herculeæ innixo clavæ *Hoc fulcro innixus*: tale etiam fuit celebre illud Spartanæ matris monitum filij castra adeuntia inscriptum clypeo *Aut cum hoc, aut in hoc.* Potiori ratione excluduntur etiam ut otiosæ particulæ omnes comparativæ, cujusmodi sunt *Ita, sicut, haud, aliter* & aliæ id genus; quia hujusmodi particulæ non pertinent ad lemma, cujus munus est, ut sit pars Protasis, assumptionis; non verò Apodosis, seu collationis. Redundant etiam in epigraphe particulæ comparativæ; cum jam supponatur, debere figuram in phrenoschemate delineatam suo accommodari authori; hinc plerique improbant Symbolum Vincentii Gonzagæ Ducis Mantuæ, in quo curavit delineari Lunam, quæ sursum cornua exerit, & in disci meditullio scribi adverbium comparativum *SIC.* Alij verò fortassis veriùs volunt, tres illos characteres non componere particulam comparativam, sed esse literas initiales, harum trium vocum *Sic illustrior crescam*, quia sensim incremento virtutum speraret, fore ut illustrior claresceret. 13

Rursus ea præ cæteris commendantur lemmata, quæ mores indicant sive vitio corruptos, sive virtute excultos, ut illud *Plorat, & Devorat* de Crocodilo, cujus lacrymæ locum dederunt parœmiæ, prodúntque virum lugentem aliena damna, quorum fuerat ipse author; Formicæ orbem succollanti addidi lemma *cedit quia excedit* ut hominem perstringerem opus molientem proprias supra vires. Tedæ Hymenæi ex spineti ramis compactæ adscribitur lemma *Pungit, & ardet*, & redarguit sponsum qui zelotypia pungebatur, simúlque urebatur amore. Hæc tamen, & alia id generis symbola, quibus vitia deteguntur proximi à pluribus hujus instituti Professoribus rejiciuntur; eò quia honori detrahant aliorum, quod adversatur charitati. Verùm sicut concionatores acriter invehunt contra vitia genericè sumpta reticentes personas particulares, quæ illa 14

con-

quod est *durate* exhibet phrenoschema, in quo navis marina agitatur tempestate. Nonnunquam ex duabus duntaxat verbis coalescit lemma, ut est in illo symbolo, in quo pingitur navis victoria, quæ rotum circumivit Orbem cum epigraphe *Æmula solis*. Platanus cum lemmate *Umbra tantùm*. Tubus papyraceus fartus pyrio pulvere accenso *Tantum crepitus*. Terminus in symbolo Erasmi cum epigraphe *Nemini cedo*. Camelus humi procombens, ac merces juxta se habens cum epigraphe *donec accipiat*. Bos cum verbis *Tantum frugi*. Sol in nube rotida imprimens sui imaginem, quam Philosophi pateliam vocant com lemmate, *quia respexit*. Ursa suos linguâ partus rudes, ac informes efformans *Utinam perpoliantur*. Vitreus globus com lumine *Iutus latus illustrat*. Cancer cum verbis *Retrocedens accedit*, quod lemma propter brevitatem, & antithesin plurimum haber leporis. Ursa minor ex septem constans syderibus *Sine occasu*. Leo proprio rugitu exanimatos leunculos sxcitans, ac vivificans cum epigraphe *Rugitu exsuscitat*.

7. Ea tamen lemmata censentur perfectiora, quæ constant ex tribus tantùm vocibus, quia ternarius oumetus est perfectior, utpote constans ex principio, medio, & fine; & tunc lemma altiùs menti imprimitur, & elegantius papyro, vel tabulæ hætar; quia legirur prima vox in latere dextero, secunda in medio, & tettia in sinistro, qui ordo non servatur, quando lemma constat ex pluribus, vel minoribus verbis, quando enim lemma ex duplici tantum voce constat, tunc vel una ex duabus debet obtruncari, ut ejus syllaba in medio collocetur, quod invenustum est, & oculo displicet, & interdum ex tali separatione Syllabarum oritur alius sensus, ut in symbolo cujusdam amasij imprudentis, qui pinxerat Asbestinum linum in flammis cum lemmate *Illæsus ardet*, sed sine Diphtongo, & obtruncando primas duas syllabas *ille*, quas posuit in latere dextro, in medio posuit tartiam *Sus*, & in sinistro latere *ardet*, & sensus fuit ILLE SUS ARDET. Vel hoc aliud in Orpheum pulsantem chelim, ac soni suavitate ad se trahentem aves, saxa, feras cum lemmate *Vi suavi* scilicet *Vi sua vi*. Vel debet omitti, ac relinqui vacuum spatium medium, ut unum varbum sit in primo latere, & secundum in altero. Perfectum tamen phreuoschema est spica flavescens, & incurvata cum lemmate *Quia plena* Symbolum Humilitatis B. Virginis.

8. Perfectiora igitur sunt illa lemmata, quæ triplici tantùm voce constant, ut in hystrice Ludovici XII. *Eminus*, & *Cominus*. In Monocerotem mergentem cornu in aquis *expellit*, & *allicit*. Super solem in signo Tauri *Aurea condet sæcula*. In Aquilam atras nubes volaru penetrantem *Nulla via invia*. In cetum qui *dum* pisciculos sequitur in scopulos impingit, dum *Irruit, ruit*. In Arundines aquis innatas *Abluimur non obruimur*. In solem patientem Eclypsim *Deficit, quia tegitur*. In Phœnicem morientem in flammis *petit ne pereat*. In hastam Achillis *Vulnus, opémque gerit*. In palmam, & Cupressum *Erit altera merces*. In quercum ann sum in humum lapsam, *Et magna jacet*. In acervum prunarum ignitarum *Extinguimur, si distinguimur*. In solem micantem in Zodiaco, vel ... tem ab horizonte *Malè operantibus pavor*. In struthium vorantem ferream catenu... *Spiritus durissima coquit*. In horologium consitum ad delicias in horti areola *docet*, & *delectat*. Pharus turris cum lampade accensa, & lemmate Virgiliano *Ferte citi ferrum*. In testudinem capite, & pedibus extra propriam tellam *Graditur non egreditur*. In Crocodillum lugentem *plorat, & devorat*. In viperam parturientem, & occisam à proprio fœtu *Iugratu servire nefas*.

Plus verò concinnitatis ea continent in phrenoschemate lemmata, quæ numeris illigantur poëticis; quàm quæ soluta fluunt oratione; siquidem voces, & incisæ sententiæ ad carminum concinnatæ modulos blandius per aures in animum dilabuntur, quia suaviùs fluit oratio ad numeros temperata poëticos, quàm alia solutior, minúsque sonora. Quamobrem plurimum delectabit, habebitque illici phrenoschema, cujus epigraphe numeris fuerit vincta poëticis; tunc enim suavius lemma eblanditur autibus; sicut figura est oculis oblectamento; perinde dulcis sonus est gratum auribus pabulum; sicut pictura, gratus, & dulcis est oculis cibus. Hinc illa lemmata censentur venustiora, majorisque authoritatis, quæ ex Poëta aliquo classico, ac clarioris noræ promuntur. Nititur tamen Hercules Tassus contra comprobatam cæterorum calculis opinionem oppositum suadere; satiúsque fore, si lemma perinde ac figuræ delectus è proprio fluat marte; sicut enim non daretur Praxiteli laudi, si statuæ à se ad omnem elegantem perfectionem inchoatæ, caput sineret agglutinari, quod opus esset Phidiæ: ita non censet ex alieno penu haurienda lemmata symbolis inferenda. Verùm licèt concesserim plus mereri laudis, quæ à nostra fluunt mente, dummodo omnibus sint perfectionibus absoluta; nihilominus plus authoritatis, ac ingenij habent, si quæ ab Authoribus classicis usurpata fuerint in uno sensu, in alium ab authore phrenoschematis flectantur; laudem enim industriæ tuna Auctor promeretur, multúmque acuminis, ac ingenij ostendit, si aliena effata de re in rem transferat; idque causæ cur Parœmiæ plurimum habeant illicij, placeántque varijs accommodata rebus. 9.

Ut exemplo res clarior illuscat non incongruè mihi obviat Virgilianum carmen, quo de Fama buccinatrice, ejúsque incremento, quod subit, ait: 10.

Mobilitate viget, virésque acquirit eundo

Primæ duæ voces horologio rotato non incongruè accommodantur, siquidem *Mobilitate viget*, ac beneficio motûs ostendit fideliter quota sit hora. Postrema ejusdem carminis verba adaptantur flumini, quod si longiorem habuerit alueum incrementum subit plurimum rivulorum accessu; adeout vete de tali fluvio dicatur *Vires acquirit eundo*; estque Symbolum quod

quod accommodari potest cuilibet adolescenti in exercitio Studiorum; vel etiam cuilibet viro danti operam, vel virtuti, vel alicui negotio, in quo proficiat; vel etiam mercatori proficiscenti nundinandi causâ, & quæstûs causâ in alias provincias; dicitur enim acquirere vires per congestas divitias. Rursus hoc aliud Virgilianum hemistichium *Exsudat inutilis humor* accommodatur pateræ ex hederæ ligno sornatæ; ita enim vas hederaceum vinum retinet, ut si hoc fuerit aqua mixtum; insufum per tenuissimos meatus aquam foras transmittat; purúmque servet vinum; hæcque fortassis ratio, cur hedera fuerit olim Baccho dicata.

11. Hæc autem, quæ ex classitis Authoribus depromuntur lemmata necesse est, sint brevia; ut simul cum figura integrent, compleántque sententiam, ac Authoris conceptum explicent. Cum Protasis non debeat tota coloribus, neque tota exprimi verbis; debent lemma, & figura simul necti, & in unum coire, quo Consilium percipiatur Authoris; hinc lemma debet esse oratio incisa, & veluti mutila, quasi echo attingens breviter eam figuræ proprietatem, ex qua metaphora hauritur proportionis. Hæcque ratio, cur hujus instituti professores integras respuant sententias; admittántque duas duntaxat voces cum Luca Contile; vel tres cum Paulo Jovio. Cæterum sicut ab integra sententia; ita ab integro versu abstinendum esse suadent omnes, præsertim si versus fuerit Heroicus, Elegiacus, vel Hendecasyllabus: hinc non approbatur versus Italicus Hendecasyllabus serpentis adscriptus figuræ *Cangio la vecchia, e nera spoglia pñendo* idest antiquas depono exuvias, & recentea sumo.

12. Neque debet lemma quidquam continere supervacaneum, ut non sit ex parte ulla otiosum. Censetur tunc lemma otiosum, quando ea exprimit, quæ ex solius figuræ intuitu fiunt statim nota; ut est lemma illud adscriptum flammæ *splendet, & ardet*: peccat enim otiositate; quia flamma abundè per se absque alio adminiculo prodit suum splendorem, & ardorem. Cum primùm audit quis, vel videt flammam, illico utrumque concipit splendorem, & ardorem. Otiositatis etiam redarguitur hoc aliud lemma *splendet*, & *ascendit* adscriptum tubo papyraceo pyrio pulvere farto, qui concepto igne sursum nititur; siquidem soli laborantes cæcitate non vident tubum illum papyraceum splendere, & ascendere. Generatim censetur lemma peccare otiositate, quando id ipsum significat, quod figura ex se abundè exprimit, ut sunt fluxus fluminis, splendor solis, ardor ignis, obscuritas noctis, frigiditas nivis, & alia id genus, quorum notitiam ex sola perspecta figura enanciscimur. Si enim solem videam pictum; scio eum splendere, cum sit natura solis splendores delegare; unde si solis figuræ addatur lemma *splendet ubique* nil mihi indicat, quod ex sola figura non satis percipiam, unde lemma illud otiosum censetur; uti etiam omne aliud nominans eam figuræ partem, quæ alioquin satis se prôdit, ut est illud *Tantùm volvitur umbra* adjectum columnæ à solis radio collustratæ; & hoc aliud *Percussus elevat* adscriptum folli lusorio, seu pilæ pugillari; quia follis lusorius oppletus aëre, si videatur cæstibus ligneis, dentatisque percuti, videtur etiam sursum agi; adeout lemma cum nihil innuat, quod sola figura per se non abundè exhibeat, censendum est otiosum.

Ut igitur lemma dicatur aliquid operari, 13. debet proprietatem aliquam figuræ prodere, quæ non sit ita obvia, & conspicua; vel saltem ex pluribus aliquam determinare; ut est illud *Flectimur non frangimur undis* super arundines palustres; fuitque Symbolum familiæ Aquavivæ; licèt in phrenoschemate appareant aquæ, quibus alluditur ad cognomentum gentis Aquavivæ; si tamen hæ non nominarentur in epigraphe, anceps hæreret lector, num de ventis potius, quàm de aquis arundines loquerentur. Ut omnem abigat lemma otiositatem, excluduntur etiam ab epigraphe omnes particulæ demonstrativæ, quæ figuram quantumvis pictam adhuc demonstrant, ut est lemma adscriptum gladio Herculeæ innixo clavæ *Hoc fulcro innixus*: tale etiam fuit celebre illud Spartanæ matris monitum filij castra adeuntia inscriptum clypeo *Aut cum hoc, aut in hoc.* Potiori ratione excluduntur etiam ut otiosæ particulæ omnes comparativæ, cujusmodi sunt *Ita, sicut, haud, aliter* & aliæ id genus; quia hujusmodi particulæ non pertinent ad lemma, cujus munus est, ut sit pars Protasis, assumptionis; non verò Apodosis, seu collationis. Redundant etiam in epigraphe particulæ comparativæ; cum jam supponatur, debere figuram in phrenoschemate delineatam suo accommodari authori; hinc plerique improbant Symbolum Vincentii Gonzagæ Ducis Mantuæ, in quo curavit delineari Lunam, quæ sursum cornua exerit, & in disci meditullio scribi adverbium comparativum *SIC.* Alii verò fortassis veriùs volunt, tres illos characteres non componere particulam comparativam, sed esse literas initiales, harum trium vocum *Sic illustrior crescam*, quia sensim incremento virtutum speraret, fore ut illustrior claresceret.

Rursus ea præ cætera commendantur 14. lemmata, quæ mores indicant sive vitio corruptos, sive virtute excultos, ut illud *Plorat, & Devorat* de Crocodilo, cujus lacrymæ locum dederunt parœmiæ, prodúntque virum lugentem aliena damna, quorum fuerat ipse author; Formicæ orbem succollanti addidi lemma *cedit quia excedit* ut hominem perstringerem opus molientem proprias supra vires. Tedæ Hymenæi ex spineti ramis compactæ adscribitur lemma *Pungit, & ardet*, & redarguit sponsum qui zelotypia pungebatur, simúlque urebatur amore. Hæc tamen, & alia id generis symbola, quibus vitia deteguntur proximi à pluribus hujus instituti Professoribus rejiciuntur; eò quia honori detrahant aliorum, quod adversatur charitati. Verùm sicut concionatores acriter invehunt contra vitia genericè sumpta reticentes personas particulares, quæ illa con-

contraxēre; ita arbitrarer poſſe hæc eadem vitia in abſtracto exprimi in phrenoſchemate citra periculum lædendi honorem proximi; & ad eum finem, ut qui ijsdem inficiuntur, deſiſtant illis indulgere; & eò erit phrenoſchema commendabilius, quò majus ſpecimen modeſtiæ, ingenijque ſublimitatem præſefert. Cavendum enim eſt ne phrenoſchema ſit expreſſio animi iracundi, ferocis, invidi, ægri, aut perturbati; tunc enim vitium proderet Authoris; & alterius vitia ita exprimere, eſt eadem profiteri, quod ab animi deflectit nobilitate.

15. Huc etiam pertinet quod ſuadet Scipio Bargalius, ut epigraphe nunquam efferatur in ſecunda perſona; ſed tantùm vel in prima, vel tertia; niſi fortaſſe ipſa figura loquatur ad lectorem; ut eſt illa epigraphe in verſatili lucerna *Verte non extingues*. videtur enim figura adſtantem provocare, ut in omnem vertat partem penſilem, ac verſatilem illam lucernam; nunquam tamen ei lucem adimet. Quod ad diverſa verborum tempora pertinet, ac eorundem varios modos; neceſſe eſt epigraphe ſe accommodet proprietati, quam in figura prodit: non enim lemma ſpectat ad apodoſim, quæ ut plurimum eſt de re futura; ſed eſt para ſolius Protaſis, quæ eſt de re ſemper retinente eumdem modum; ſeu exprimit figuræ proprietatem, quæ ſemper ſe habet eodem modo, ſervátque immutabilem ſtatum; proinde ſive habuerit notam præſentis, vel præteriti temporis id non officit rei futuræ, quam Author phrenoſchematia pollicetur. Lemma non abhorrere à tempore præſenti modi indicativi liquet ex illo adſcripto in areola horti ad omnes conſiti delicias; ubi aderat horologium ſolare, cujus ſinguli numeri ex tonſa buxo variè inflexa deſcripti erant, in quorum meditullio gnomonis vices parva agebat cupreſſus umbram projiciens ad deſcriptos numeros juxta motum ſolis, adeout umbra ſemper ſignaret quota eſſet hora, cui lemma erat *Docet*, & *Delectat*, quod proprium eſt Eloquentiæ Profeſſoris.

16. Lemmata præteriti temporis ſunt illa ſatis vulgata *Et feci*, & *fregi*, de Bombyce egrediente è ſuo ergaſtulo. *Quia reſpexit* de nube rorida, in qua Sol imprimit imaginem ſui, quam Philoſophi parelion vocant. Temporis futuri eſt lemma quod Scipio Bargalius adſcripſit Roſis *Et decerptæ dabunt odorem*. Modi Imperativi in ſecunda perſona eſt hemiſtichium illud Virgilianum *Ferte citi ferrum* additum igni è ſumma turri nocte illuni ſplendenti, portúmque indicanti. Modi optativi eſt illud inſcriptum Urſæ informem, rudémque fœtum perpolienti, ac paulatim officioſa linguâ efformanti *Utinam perpoliatur*. Modi ſubjunctivi eſt epigraphe inſcripta faci intra vitreum globulum ſplendenti *Ut lætius illuſtret*. Modi infiniti eſt lemma additum navi nitenti obverſantibus ventis portum ingredi *Aut ingredi*, *aut perire*.

17. Plurimum verò habent aucupij illa lemmata, quæ antitheſim includunt, ut illud Cancri *Retrocedens accedit*. In Tantalum medio ſitientem in fluvio *Inopem me copia fecit*. In Teſtudinem *Feſtina lentè*. In Hiſtricem *Eminus*, & *Cominus*. In flammam *Nec procul, nec prope*. Annominatio, etiam & Traductio, & quæcunque in nomine, aut verbo ingenioſa mutatio valet ad lemmatis illicium; ut illud adſcriptum ſoli *Non exoratus exorior*; & hoc aliud additum Anſeri. *Deficiam, aut efficiam*; ut etiam iſtud inſcriptum Circino *Dirigor, & dirigo*; & demum illud inſcriptum Auroræ *Du... pario pereo*: & illud additum hederæ complectenti annoſam quercum *Nec reciſa recedet*; vel hamo piſcatorio *Non capio, niſi capior*; aut cani lambenti proprium vulnus *Ni lingat languet*. Dictiones tamen obſcuræ, & perplexæ quæ multum mentem defatigent excluduntur a lemmate, quod propterea latinè ſcribi debet, licet nonnunquam permittatur, licèt rarò, vernacula lingua.

Cæterum lemmata interdum plura, quàm tria comprehendunt verba, ut cum ad ſymbolicè explicandum, etiam Principes morti eſſe obnoxios, exhibetur Sol ex interjectu lunaris globi ſolem inter, & nos ecclypſim patiens cum verbis. *Quisque ſuos patitur Manes*. Ad indicandum præmium, quo donantur Beati in cœleſti patria pro toleratis ærumnis, & laboribus in terris pingitur Aquila ſignum cœleſte in parte Boreali novem fulgens ſtellis addito lemmate *Requies hæc certa laborum*. Vel exhibentur duo bacilli decuſſatim diſpoſiti in formam crucis cum verbis *in hoc ſigno vici*, & fuit Symbolum Margaritæ Eſtenſis Guaſtallæ Duciſſæ, quæ adverſa quæque Chriſti patientia meditatione ſuperavit. Sunt alia plura heroica ſymbola his ſimilia in lemmate. Ut Cithara diſruptis fidibus jacens ad ripam fluminis *Verſa eſt in lacrymas*, cupreſſus arbor è qua rami plures fulmine icti cadant *Hinc dolor, hinc lacrymæ*, Cupreſſus rectà ſurſum excreſcens *Recta ſe tollit in altum*. Olea arbor in cœmeterio ſata *Melior poſt Fata virebit*. Trophæum vario ſpoliorum armorum genere *Has auiat victoria curas*. Teſtudo *ſub parvo ſed meo*. Vel *Domus propria, Domus optima* alludens ad eos, qui licet pauca poſſideant, non tamen ſunt ære alieno gravati. Vel ad eos Authores, qui pauca quidem ſcripſerunt, ſed propria. Speculum *Non niſi vera revelo*. Organum cum varijs inſtrumentis muſicis *Si majora minoribus conſonent*. Apes ſugentes mel ex varijs floribus *Et nobis*, & *aliis* eſt Symbolum Academiæ Eruditorum Fori Julij. Turbo clibanus, quo ſuccus florum elicitur per diſtillationem *Non multa, ſed meliora* ad illum alludens Authorem, qui ſelectiora à pluribus alijs decerpſit, pauca quidem ſed meliora. Unio in ſinu aperti conchilij *Non Te quæſieris extra* alludit ad puellam quæ non debet extra domum vagari. Hirundines verno tempore revertentes. *Cœli melioris ad auras*. Sol percurrens, & illuminans utrumque Emiſphœrium *Orbis Te noſcit uterque*. Alludit ad cœlitē, cujus ſanctitatem ubique terrarum colant gentes. Aquila oculo irretorto ſolem ſuſpiciens *Intuetur facie ad faciem* alludit ad Beatum in cœlis. Stella poſt ſolis occaſum ſplendentes *Vivit in prole ſuperſtes*: ſicut lumen 18.

solis occidui splendet in astris; perinde Virtus Principis, & splendor servatur in filijs. Stella Polaris, quæ Ursa minor dicitur *Et regit, & vigilat* officia indicat optimi Præsulis. Nox obscura illunis *Tandem vertetur in diem.* Post procellas tribulationum, & adversitatum cœli serenitas, marisque tranquillitas speratur. Pirobolus accensus, & sursum ascendens *Quàm rectè nectitur astris* obitum designat viri pientissimi, qui divino arsit amore, & decessit cum opinione sanctitatis. Apes colligentes mel ex varijs floribus. *Hinc studijs alimenta meis* Hominem prodit industrium proprio labore sibi necessaria comparans ad victum. Aquila nubes superascendens *Virtuti invia nulla via.* Turris Pharia lumine corusca nocte illuni signans portum navibus mare trajicientibus *Per vada monstrat iter* alludit ad legem divinam, nos edocens quomodo debeamus præsentis vitæ trajicere fluctus, ut ad portum appellamus æternæ quietis. Hystrix spinis contecta, quam canes oblatrantes mordere non audent *Decus, & tutamen in armis.* Alludit ad Principem armis præpotentem. Vitis ulmo innexa pendulis dives racemis *Sic vos non vobis.* Alludit ad Avaros, qui cumulant divitias, quibus non fruuntur, & posteri abliguriunt. Vesuvius fumum è montis fastigio, ex hiatu emittens *Ardent in viscera flammæ* Virum exhibet flammas foventem in corde divini Amoris, & per crebras orationes jaculatorias, ac pia desideria Deum invocantem. Cervus telo vulneratus *Hinc dolor. Inde fuga.* Docet pericula fugienda. Horologium Sciathericum *Nulla hora sine linea* Nos monet, non esse tempus inutiliter terendum. Papilio circumvolitans amicum lumen, quod cum osculatur perit. *Tanti non emo pœnitere* Veneream prodit voluptatem, quæ cum attingitur interimit. Bilanx duas exhibens lances, quarum altera vacua sursum eveheatur; altera rebus varijs repleta deorsum deprimatur. *Terrenis carens cœlum petit.* Alludit ad religiosam paupertatem. Ferrum candens malleatum. *Tundamus dum calida incus;* occasio non negligenda. Temporis opportunitas non deserenda. Catellus contra Molossū oblatrans, quia suam offam deglutiuit *Vana sine viribus ira.* Minæ contra Præpotentem vanæ sine armis. Astrologus per tubum opticum, seu telescopium Maculas solis observans *Nil omni ex parte beatum.* Nullus princeps sine defectu; absque aliqua oppositione. Navis faventibus favonijs mare trajiciens, *Felix cui militat Æther.* Alludit ad divinam gratiam. Canis leporarius fugientem insequens leporem præceps ruit ex prǽalta rupe. *Sic spes eludit hiantem.* Divitiæ plerumque perdunt ijsdem inhiantes. Bilances æquilibratæ, gladio humi jacenti imminentes. *Non vis, sed Jus,* Æquitas non armorum violentia lites dirimat. Hercules in cunis discerpens serpentes. *Virtus non postulat annos.* Sol in speculis repercussus in naves Marcelli, quæ comburuntur *Intrat lux, & exurit ignis.* Arridet splendor dignitatis, sed cavendum ne desinat in ignem gehennæ.

19. Interdum Symbolorum lemmata etiam pauciora tribus comprehendunt verba, ut sunt, sagitta sursum rectà ab arcu vibrata cum lemmate *Vi.* Columba fugiens accipitrem *Fugâ tutior.* Castitatis cultor beneficio fugæ illibatum servat pudoris candorem, exemplo Josephi in Ægypto. Ciconia nidificans in prǽaltæ turris fastigio *Hic tutior* vitam commendat solitariam. Leo se in speculo aspiciens *semper Idem* Hominem prodit constantem, ejusdémque semper propositi. Sclopetum tormentario fœtum pulvere paratum ad explodendum *Si tangar* hominem indicat iracundum, qui si uno, vel altero verbo pungatur statim irascitur, & vulnera infligit. Rastrum in area paleas coacervans. *Sparsa colligit* alludit ad Authorem in uno colligentem volumine, quæ sparsim in pluribus legit. Cui posset Titulum præfigere *Quæ sparsim legi, collecta lege.* Porta prægrandis vivis tantùm lapidibus sectis absque cæmento arcuata juxta regulas Etruscæ Architecturæ *Uno avulso.* Ea prodit plurium principum fœdera, quorum si unus separetur tota machina ruit. Eliotropium vertens se ad solem *Tibi soli* virum exhibet Ascetam divinæ in omnibus conformem voluntati. Coclea propria secum deferens domum. *Tecum Habita,* seu Tibi attende. Leo sceptrum tenens, *Quis auferet,* Principem indicat præpotentem, qui sua armis tuetur jura. Follis pugillaris ex lapsu resurgens *Lapsu resurgit.* Resipiscentem indicat, qui post peccatum, & lapsum ferventius Deo inservit, & per cruciatus, quam contraxit noxam abstergit. Clypeus pictus effigie Virginis Matris *Nunquam Tutiùs* ad patrocinium alludit Beatæ Virginis quæ ope sua clientes suos tegit, & protegit. Gallus gallinaceus cantans, & Leo Batavus fugiens *Meruitque timeri* allusi ad Regem Galliæ quando 1672. Bellum indixit Holandis. Aquila prope solem, quem oculo intuetur irretorto, plumásque deorsum demittens. *Damna juvant.* Ad eos alludit qui patienter propter Deum, cujus amore ardent, adversa patiuntur. Aquila ad volandum suos provocans pullos, quos præit. *Exempla trahunt.* Fortiùs movet Præsul subditos exemplo, quàm verbis. Cœlum nocturnum stellis coruscum *Indicat Authorem.* Ex creaturis creatorem cognoscimus, ut ex artefacto artificem; dicatur propterea cœlum enarrare gloriam Dei. Laurus arbor vegeta *Æternùm virebit.* Allusi ad gloriam Maximiliani Emanuelis Bavariæ Ducis post plures partas in Hungaria victorias contra Turcam.

Magis tamen nunc arrident lemmata tri- 20.
bus comprehensa verbis eò quia verborum distributio totam impleat schedam, habeátque initium, medium, & finem; & numerus ternarius censeatur perfectior. Ut Horologium Sciathericum non illustratum sole. *Despicior ni aspiciant* alludit ad aulicum, cui si princeps non faveat ab omnibus habetur contemptui. Æs campanum *Ex pulsu noscitur,* Ex verbis cognoscitur vir. Frœnum *Regit & corrigit.* Disciplina mores corrigit, ac rectè dirigit Arbor Indica ex secto cortice opobalsamum distillans *Ex vulnere salus* Vexatio dat intellectum, & tribu-

contraxêre, ita arbitrarer posse hæc eadem vitia in abstracto exprimi in phrenoschemate citra periculum lædendi honorem proximi; & ad eum finem, ut qui ipsdem inficiuntur, defillant illis indulgere; & eò erit phrenoschema commendabilius, quò majus specimen modestiæ, ingenijque sublimitatem præfeset. Cavendum enim est ne phrenoschema sit expressio animi iracundi, ferocis, invidi, ægri, aut perturbati; tunc enim vitium proderet Authoris; & altetius vitia ita exprimere, est eadem profiteri, quod ab animi deflectit nobilitate.

15\. Huc etiam pertinet quod suadet Scipio Bargalius, ut epigraphe nunquam efferatur in secunda persona; sed tantùm vel in prima, vel tertia; nisi fortasse ipsa figure loquatur ad lectorem; ut est ille epigraphe in versatili lucerna *Verte non extingues*. videtur enim figura adstantem provocare, ut in omnem vertat partem pensilem, ac versatilem illam lucernam; nunquam tamen ei lucem adimet. Quod ad diversa verborum tempora pertinet, ac eorundem varios modos; necesse est epigraphe se accommodet proprietati, quem in figura prodit: non enim lemma spectat ad apodosim, quæ ut plurimum est de re futura; sed est pars solius Protasis, quæ est de re semper retinente eumdem modum; seu exprimit figuræ proprietatem, quæ semper se habet eodem modo, servátque immutabilem statum, proinde sive habuerit omen præsentis, vel præteriti temporis id non officit rei futuræ, quam Author phrenoschematis pollicetur. Lemma non abhorrete à tempore præteriti modi indicativi li quet ex illo adscripto in areola horti ad omnes comiti delicias; ubi aderat horologium solare, cujus singuli numeri ex tonsa buxo variè inflexa descripti erent, in quorum meditullio gnomonis vices parva agebat cupressus umbram projiciens ad descriptos numeros juxta motum solis, adeout umbra semper signaret quota esset hora, cui lemma erat *Docet*, & *Delectat*, quod proprium est Eloquentiæ Professoris.

16\. Lemmata præteriti temporis sunt illa satis vulgata *Et feci, & fregi*, de Bombyce egrediente è suo ergastulo. *Quia respexit* de nube rorida, in qua Sol imprimit imaginem sui, quem Philosophi perelion vocant. Temporis futuri est lemma quod Scipio Bargalius adscripsit Rosis *Et decerptæ dabunt odorem*. Modi Imperativi in secunda persona est hemistichium illud Virgilianum *Ferte citi ferrum* additum igni è summe turri noctè illunt splendenti, portúmque indicanti. Modi optativi est illud inscriptum Ursæ informem, rudémque fœtum perpolienti, ac paulatim efficiosa linguê efformanti *Utinam perpoliatur*. Modi subjunctivi est epigraphe inscripta faci intre vitreum globulum splendenti *Ut lætius illustret*. Modi infiniti est lemma additum navi nitenti obversantibus ventis portum ingredi *Aut ingredi, aut perire*.

17\. Plurimum verò habent aucupij illa lemmata, quæ antithesim includunt, ut illud Cancri *Retrocedens accedit*. In Tantalum medio fluentem in fluvio *Inopem me copia fecit*. In Testudinem *Festina lentè*. In H... *Eminus, & Cominus*. In flammam *Nec procul, nec prope*. Annominatio, etiam & Tr... & quæcunque in nomine, aut verbo ingeniosa mutatio valet ad lemmatis ... ut illud adscriptum soli *Non exoratus exorior*; & hoc aliud additum Anteri. *Deficiam, aut efficiam*; vel etiam istud inscriptum Circino *Dirigor, & dirigo*; & demum illud inscriptum Auroræ *Dum pario pereo*: & illud additum hederæ complectenti annosam quercum *Nec recisa recedet*; vel hamo piscatorio *Non capio, nisi capior*; aut cani lambenti proprium vulnus *Ni lingat languet*. Dictiones tamen obscuræ, & perplexæ quæ multum mentem defatigent excludantur e lemmate, quod propterea latinè scribi debet, licet nonnunquam permittatur, licèt rarò, vernacula lingua.

Cæterum lemmata interdum plura, quàm tria comprehendunt verba, ut cum ad symbolicè explicandum, etiam Principes morti esse obnoxios, exhibetur Sol ex interjectu lunaris globi solem inter, & nos ecclypsim patiens cum verbis. *Quisque suos patitur Manes*. Ad indicandum præmium, quo donantur Beati in cœlesti patria pro toleratis ærumnis, & laboribus in terris pingitur Aquila signum cœleste in parte Boreali novem fulgens stellis addito lemmate *Requies hæc certa laborum*. Vel exhibentur duo bacilli decussatim dispositi in formam crucis cum verbis *in hoc signo vici*, & fuit Symbolum Margaritæ Estensis Guastallæ Ducissæ, quæ adversa quæque Christi patientis meditatione superavit. Sunt alia plura heroica symbola his similia in lemmate. Ut Cithara dissuptis fidibus jacens ed ripam fluminis *Versa est in lacrymas*, cupressus arbore qua tamen... ictu cadant *Hinc dolor, hinc lacrymæ*, Cupressus resectà sursum excrescens *Recta se tollit in altum*. Olea arbor in cœmeterio tacta *Melior post Fata virebit*. Trophæum ... *Has amat victoria curas*. Testudo *sub parvo sed meo*. Ve... *Domus propria, Domus optima* ... dens ad eos, qui licet pauca possideant, non tamen sunt ære alieno gravati. Vel ad eos Authores, qui pauca quidem scripserunt, sed propria. Speculum *Non nisi vera revelo*. Organum cum varijs instrumentis musicis *Si majora minoribus consonent*. Apes sugentes mel ex varijs floribus *Et nobis, & alijs* est Symbolum Academiæ Eruditorum Fori Julij. Turbo clibanus, quo succus florum elicitur per distillationem *Non multa, sed meliora* ad illum alludens Authorem, qui selectiora è pluribus alijs decerpsit, pauca quidem sed meliora. Unio in sinu aperti conchilij *Non Te quæsiveris extra* elludit ad puellam quæ non debet extra domum vagari. Irundines verno tempore revertentes. *Cœli melioris ad auras*. Sol percurrens, & illuminans utrumque Emisphœrium *Orbis Te noscit uterque*. Alludit ad cœlitē, cujus sanctitatem ubique terrarum colant gentes. Aquila oculo irretorto solem suspiciene *Intuetur facie ad faciem* alludit ad Beetum in cœlis. Stelli post solis occasum splendentes *Vivit in prole superstes*: sicut lumen

 solis

dit insignis oratoris. Area hortensis, in qua flores incipiunt germinare,& Sol oriens in signo arietis *Aspice ut aspiciam* cui in aula Principis gratia favet ab aliis honoratur. Cometa *Nulli impunè visus* Dei justitiam nemo effugiet. Camelus pede turbans aquam,quam ebibat, *Turbata magis placet*: adminifter Politicus Principis turbulentiis populorum gaudet,ut in turbido divitias expifcetur. Labirinthus *Fata viam invenient* Dei auxilium nos à periculis extrahit. Sol excutiens nebulas terræ incubantes *Ut vidi vici* alludit ad Maximilianum Emanuelem Bavariæ Electoris, qui in Hungaria pluries Turcarum exercitum fugavit. Athena in cervum conversus,suis à canibus discerptus interimitur *Pavet, quos pavit*. Ingratis servire nefas. Flos in ampulla aquea *Protrhao Fata superstes*. Authorem indicat, qui in suo opere superstes vivit; Simea suum amplectens fœtum occidit *Cœcus amor prolis*,Parentes nocent Proli,cui indulgent. Struthio ferrum deglutit *Spiritus durissima coquit*, Vir ascetа omnia patienter tolerat.

EXPENSIO XIV.

De cæteris perfectionibus lemmatis.

1. Arduum non esset etiam rudioris notæ hominibus, proprio marte lemmata invenire etiam arguta, quæque suis videantur symbolis hermicis congruere; sed quia illa lemmata communi calculo probantur, & approbantur, quæ ex classico aliquo Authore eruuntur, vel quæ à celebri aliquo axiomate eruditi Authoris depromuntur, quæ inopinatò ad nostra confirmanda phreuoschemata videantur excogitata, ideo potior difficultas videtur sita in hujusmodi lemmate ex classico Authore depromendo, quod est Herculi clavam arripere, in fulcimentum proprij symboli.

2. Quamobrem præcipua lemmatis perfectio in eo sita videtur, ut ab aliquo Authore Classico, fide dignu eruatur, Nam cum nostra licèt sagaciter inventa confutari, refelli que possint liberiùs; sola Authorum (qui modò omnium consensu, magni fiunt, & suot celebres) observantia, tam mitem elicit assensum, ut pudor sit differi, & non libenter amplecti, quæ superiorum sæculorum oracula suo calculo comprobârunt, tale fuit illud lemma Ludovici XII. super hystricem *Eminus, & Cominus* erutum à gravibus Authoribus, videtur enim desumptum ex vigesimo quarto libro Titi Livij,ubi de artificiosis, ac mirabilibus machinis Archimedis contra Marcellum oppugnatorem Siracusanæ urbis, sic ait, *sed ea quoque pars omni tormentorum apparatu instructa erat, quæ non* EMINUS *tantùm,sed* & COMINUS *tela mitteret*, idem lemma videtur quoque erutum ex quarto libro Lucani, ubi luculenter describitur pugna, in qua occisus obijt Cugrio, ait. *undique septa juventus* CMINUS *obliquis* & *rectis* EMINUS hastis obruitur, & compilator Hieroglyphicorum

COMINUS *ut pugnat jaculis atque* EMINUS *hystrix*

Rex bonus est ARMIS, CONSILIJSQUE *potens*.

3. Secunda perfectio est, quod in lemmate lateat aliqua æquivocatio, ut est illud lemma Henrici Regis apud Paulum Jovium in dimidiatam Lunam, *Donec totum impleat orbem*. Ubi vox illa *Orbis* significat, & circulum Lunæ, & globum terræ. Et super thus exardeos igne *Fragrat, & flagrat*.

4. Tertia perfectio est, quòd in lemmate reluceat aliqua figura Antithesis, ut legitur in lemmate super phœnicem morientem inter flammas *perit, ut vivat*: vel *moritur,& oritur*: vel *perit ne pereat*, & super palmam arborem, *Inclinata resurgo*. Super montem Æthnam stipsum nive, flammásque evomentem, *Gelat, & ardet*. Et alluditur ad quandam Virginem Amasiam, cui nomen erat *Gelarda*.

5. Quarta est Isocolon, longè enim perfectiora sunt illa lemmata, in quibus lucet *Isocolon*, hoc est æqualitas, seu perfecta symmetria partium, ot in Metas, *Nec citrà, nec ultra*, vel ut est hoc aliud lemma, *Parvus Magnis, Magnus parvis*, in Pumilionem.

6. Quinta perfectio est reticentia, quia cum in lemmate placeat brevitas, magis in eodem reticentia arridebit, quia ea est hominis indoles, ut illa amet, quæ veluti propria esse opinatur, ideóque ea phrenoschemata plùs placent, in quibus partem lemmatis, veluti ex nostro ingenio substituimus; quod fit beneficio reticentiæ, quatenus hæc relinquit aliqnid de industria supplendum à lectore, ut est lemma illud Scipionis Bergalij *Si tangar* adscriptum scloperi rotulæ cum silice igniario; & aliud additum navi procellâ exagitatæ, estque Virgiliana inchoata parænesis *Durate*, invitat enim reticentia grato lenocinio,ut lector addat. *Et vosmet rebus servate secundis*.

7. Sexta perfectio est, ut mores tribuat ipsi figuræ, seu mores indicet, ut est illud *Donec accipiat* adscriptum camelo humi procumbenti, & merces juxta se habenti, estque Symbolum hominis honores ambientis fucatis obsequiis. Et illud *Tantùm crepitus* inscriptum rubo papyraceo ferro incendiario pulvere,virúmque prodit se inani laude jactantem. Et istud *Umbrâ tantùm* additum lascivieuti virentibus foliis platano, & viri tumidi carpitur fastus, & luxus. Platanus enim ob solas umbræ delicias in hortis divitum nutritur: & Xerxes adeo platanum amavit, ut eam armillis,gemmisque ornaverit, eadem prudentia, quâ & mare ob haustam classem jussit flagellari.

8. Quæres an lemma possit scribi in quocunque idiomate. Respondeo, esse inscribendum latino idiomate, quia hæc lingua est perfectior, & universalior, unde est error, qui irrepsit semper per leviora ingenia,scriber: ad eruditionis ostentationem Græcè, Hebraicè, Siriacè, & alio idiomate extero,quod pauci callent, lemmata Symbolorum: hisce enim congrueret illud Heracliti affectantis in suis scriptis obscuritatem: *non vult intelligi, ne legatur quidem*, idque causæ, cur Demetrius Phalereus in

in lib. quem de elocutione ſcripſit eos redarguat, qui Græcis vocibus peregrinas immiſcent: & Tiberius Cæſar noluit in Senatu Græcam vocem uſurpare, quamvis neceſſaria cenſeretur.

9. Si quæras quomodo parma, ſeu campus figuræ exhiberi debeat. Reſpondetur, eſſe errorem multiplicare parerga ad ornatum phrenoſchematis, ſeu figuræ in parma, ſeu ut vulgo dicitur in campo, quia id perinde eſt, ac absque ulla urgente neceſſitate entia multiplicare: æquè ſtemmata gentilitia, ac phrenoſchemata adſcititia reſpuunt ornamenta: differunt ſtemmata gentilitia à ſymbolis heroicis, quia illa integram repræſentant familiam; & phrenoſchema perſonam tantùm particularem: & ſicut eſſet error in parma ſtemmatis gentilitij præter propriam figuram alias adjicere, ac delineare, Aquilas, leones, plantas, flores; perinde hæc parerga officiunt phrenoſchematis, cujus parma non debet affectare peregrinos colores. Interpretes tamen Virgiliani hemiſtichij lib. 11. *Parmaque inglorius alba*, cenſent talem parmam fuiſſe Albam. Et inde concluditur, parmam phrenoſchematis omnia adſcititia rejicere ornamenta, & parerga, præter figuram ſignificantem, ut præſtitit Ludovicus XII qui ſimpliciter pinxit hyſtricem cum lemmate *Eminus, & Cominus.*

10. Quæri ab aliquibus ſolet an epigraphe dicenda ſit anima, phrenoſchematis, & figura corpus? licèt uſus invaluerit, ut epigraphe cenſeatur anima phrenoſchematis: proprietamen anima hujus ſymboli eſt ſola metaphora ſimilitudinis, adeout lemma ſit tantum quoddam ejuſdem adjumentum, vel adminiculum; ſicut in homine voces non dicuntur anima hominis, ſed tantùm adjumenta, quibus animi ſenſa exteriùs produntur. Non enim notæ ſunt anima muſices, ſed harmonia, quæ per voces exprimitur; ita in phrenoſchemata anima eſt potius illa metaphora ſimilitudinis, quæ exhibetur per totum compoſitum ex figura, & lemmate. Neque obſtat, quod lemma figuram coërceat ad talem ſpecialem ſignificationem, quia etiam campanula in horologio ſuo tinnitu indicat, quota ſit hora ſpecialis, & nihilominus anima horologij non eſt æs campanum; ſed converſio machinarum certis legibus, & tractum librato ſgmine temperata.

EXPENSIO XV.

Subjiciuntur, donantúrque explicatu aliquot priſcorum hominum ſymbolica lemmata deficientia à perfectionibus requiſitis à recentioribus hujus ſymbolici Inſtituti Profeſſoribus, eò quia vel ſe habeant per modum ſententiæ integræ, vel peccent nimia verborum prolixitate; vel careant figura. Sunt tamen digna ſcitu ob documenta moralia.

1. PLacuit Cajo Cæſari Caligulæ pro ſymbolo Tyrannicum illud Syllanum effatum, ut loquitur Seneca: ODERINT DUM METUANT quod plures è throni apice in imum detrudit miſeriarum; quia ut ſcitè Tacitus: Metus, & terror infirma ſunt charitatis vincula; quæ ubi removeris, qui timere deſierint, odiſſe incipiunt, & repertis auctoribus animos tollere nituntur. Nec mirum ſi execrabile lemma arriſerit Caligulæ, cui volupe erat humanum ſanguinem fundere; ac optare, unam duntaxat cervicem habere Populum Romanum, quem unico poſſet ictu delere. Sed Caligulæ Carnificum potius Principi, quàm Imperatori à Chærea occiſo inſultans Romanus Populus inquiebat. *At tu unam cervicem habes: nos verò manus multas.* Quamvis metus coërceat ſubditos; plus tamen poſſunt in regendis populis amor, & benevolentia: unde Seneca

Ferrum tuetur Principem, melius fides.

2. SEMEL, QUAM SEMPER: uſus eſt hoc lemmate C. Julius Cæſar, quaſi diceret: ſatiùs ſemel mori, quàm diuturnis torqueri mœroribus, angi ſolicitudinibus, ſpe vanâ jugiter paſci, vacuâ expectatione detineri. C. Julius Cæſar oppreſſâ armis Republicâ perpetuus Dictator factus; plurium, ut moris eſt, concitavit in ſe invidiam, odiúmque excitavit. Is amico cuipiam inſidias ſibi imminentes denuntianti, reſpondit: *Satiùs inſidias ſubire* SEMEL, QUAM *cavere* SEMPER: innuens melius ſemel mori, quàm perpetuò vivere mortis metu. Scitè ſcitus ille *Quotidie damnatur, qui ſemper timet.*

3. SAT CITO, SI SAT BENE effatum Octaviani Cæſaris Auguſti, qui nil temerè, ac inconſultò aggreſſus eſt; ſed prævijs conſilijs maturè ſingula perfecit, & Romam cum lateritiam accepiſſet, marmoream poſteris reliquit. Is in adminiſtratione Imperii non niſi lentè feſtinavit, eò quia tutus ſit ſemper melior, quàm temerarius imperator: teſte ſiquidem Livio: *Nil magni diſcriminis conſiliis tam inimicum eſt, quàm celeritas.* Feſtinatio improvida eſt, & cæca: hinc monet Tacitus: *Conſilium ante rem: omnia inconſulti impetus facta, initijs valida, ſpatio langueſcunt.*

4. A MORIBUS NON MAJORIBUS SPECTANDA NOBILITAS. Familiare fuit effatum Claudio Cæſari. Verum eſt, rarò degeneres eſſe parentibus filios; ſed ſi hos vitia fœdaverint, nil ex paten-

parentum virtute in eos derivetur nitoris, nilque decoris. Solo virtutis splendore gaudet nobilitas clarescere. Cæterum ut monet Horatius. *Fortes creantur fortibus, & bonis*: idque exemplo evincit belluarum

Est in juvencis, est in equis Patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam

Plurimum enim refert, quo quis sit genere natus, quos nactus parentes; quia ut asserit Plato: *Neque solùm optimus, magnificentissimùsque liberorum thesaurus est, parentum virtus, atque gloria: sed inest quoque in ea vis quædam admirabilis, & occulta propagandæ virtutis, & in stirpem quasi derivandæ*. Spiritus ut plurimum censendum est, ex nobilium fatu, quàm vulgarium hominum ruditate oriri generosiores, atque nobilium animis quamdam ingenerari excellitatem; & majorum similitudinem, unà cum semine propagari; cum ex bono semine boni enanicantur fructus.

5. Melius tondere, quam deglubere: sic effari consueverat Tiberius Cæsar, qui teste Suetonio præsidibus suadentibus onerandas tributis provincias rescripsit: *Boni Pastoris esse tondere pecus, non oves deglubere*. Est Princeps pastor, non lanius populorum; quorum commoda promovere debet exemplo Cyri apud Xenophontem *lib. 8*. asserentis: Boni pastoris, & Regis boni opera consimilia esse: quorum ille felicitatem pecoribus conciliando, ita utitur his, quæ beata est ovium vita; hic verò pariter civitates, hominèsque efficiens beatos, sic denique eis uti, fruique debet. Cui suffragatus Alexander Magnus, nobile illud apophtegma præsidibus suis respondisse fertur: *Odi olitorem radicitùs olera exscindentem*; quia ut censet Pomponius: qui totum lac ex uberibus ovium emulserit, agnos fraudans cibo, prædo est, non Pastor.

6. Miles legendus, non emendus; ut censuit Sergius Sulpitius Galba exercitus Romani Ductor fortissimus, qui militari disciplinâ plures messuit victorias, quàm nudati ferri violentiâ. Is veteranum æquè, ac tyronem militem assiduo exercuit opere, quia ut scripsit Vegetius; *qui victoriam cupit, ad eamdem suos Imperator milites instruat*; hinc Galba censuit, militem legendum, non emendum esse; sentiens Mercenarium militem fortem haud esse; neque ad victoriam valere, qui utpote nihil nisi quæstum, & licentiam exspectat. Verum cecinit Lucanus

Nulla fides pietásque viris, qui castra sequuntur.
Venalésque manus: ibi fas, ubi maxima merces.

7. Procul à Jove, procul à fulmine; in eos torquetur, qui vel principum lateribus ad scisci cupiunt, eorumdem favori inhiantes; vel principatum ipsum ambiunt. Refert Suetonius M. Salvium Othonem tanta flagrâsse cupiditate regnandi, ut non dissimularit, se nisi principem, stare, aut vivere non posse; nihilque referre, ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet. Par in C. Julio Cæsare fuit imperij cupiditas, quem manè ad comitia euntem, narrat Suetonius matri suæ prædixisse, se nisi Pontificem, domum non reversurum. Agrippina itidem Chaldæis sibi vaticinantibus, Neronem filium imperaturum quidem, sed matrem occisurum fertur respondisse *Occidat, modò imperet*. Plerunque dignitatum splendores ad fatales Minionis umbras viam sternunt: id fuit expertus Cajus Julius Cæsar, qui honores appetivit, ac recepit, ut continuum consulatum, perpetuam Dictaturam, præfecturam morum, prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ, statuam inter reges, suggestum in Orchestra. Ab initio quò altius ascendit, eò est vicinior interitui.

8. Audentes fortuna timet licèt vulgatis parœmia ex Marone deprompta habeat *Audentes fortuna juvat*: vel ut ait Livius *Fortuna virtutem sequitur*, cui suffragatus Terentius inquit *Fortuna fortes adjuvat*. Nihilominus C. Junius Posthumus communem visus est parœmiam, retorsisse cum dixit *Audentes fortuna timet* quod deprompsisse videtur ex Seneca Tragœdo in Medea

Fortuna fortes metuit, ignavos premit.

Quia viri fortes, & audentes fortunam vincunt, quam in sua vota trahunt. Licèt hæc ignavos interdum foveat; favet tamen ijs magis, qui fortiter fortunam tentant, quam qui nihil audent experiri. Hi verò rectè vindentur audere, qui nihil temerè vel sperant, vel rejiciunt; quod quantum habeat momenti sciunt Themistocles, Lucullus, Alexander Macedo, aliique plures, qui exiguâ manu ingentes fregerunt, vel fugârunt exercitus.

9. Bonis nocet, qui malis parcit: quia ex impunitate scelerum via ad quæque sternitur flagitia; quibus à nocentibus innocentes opprimuntur; & vitium de profligata virtute triumphat: unde opus est quadam severitate justitiæ: impunitas enim malorum maxima est peccandi illecebra, non absque proborum injutiâ. Hinc Tacitus *Pœnas ob delicta solvi ratio suadet*: quia ut scitè Lactantius: *Bonorum salutem custodit, qui malos punit*. Et Seneca Tragœdus

————Victima haud ulla amplior
Potest magis optima mactari Jovi:
Quàm homo iniquus.

10. Esto quod audis, aiebat M. Aurelius Numerianus, scilicet sis talis, qualis videri vis: si quis enim, ait Tullius, id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset, is proculdubio virtutum cultu supremum attingeret gloriæ fastigium; neque quid aliud innuit Numerianus, nisi virtuti operam dandam esse ei, qui stabilem gloriam consequi velit. Nam hac ipsâ expeditâ, & compendiariâ viâ perveniri ad gloriam edocuit Socrates monens homines, ut ipsam potiùs virtutem, quàm umbram ejus consectarentur.

11. Satius cædere multitudini, quam cædi. Turba siquidem turbulenta est, ait Varro, apud Gellium *lib. 13. Noct. Attic.* quippe corpus est sine capite, absque ductu rationis, fertúrque tumultuario quodam impetu, censetúrque

exlex, & excors, licèt multorum corporum immanis bellua; quia ot ait Cicero pro Plancio: *Non Consilium est in vulgo; non ratio, non discrimen, non diligentia:* unde nil commotâ turbâ turbulentius; quippe non delectu aliquo, aut Sapientia; sed potiùs temeritate fertur.

12. Nil difficilius, quam recte imperare, aiebat C. Valerius Diocletianus: quia deflectentes à rectitudine, vitijsque indulgentes pœnæ severitatem iniquiùs ferunt, quam præscribat justitia, ac publica exigat tranquillitas; & cum plures sint mali, quàm virtutum cultores, longè difficilius est ait Isocrates: simul rectè imperare, & populo placere.

13. Fumo pereat, qui fumum vendidit sententia est Alexandri Severi, ait Lampridius contra Thurinum Verconium. Is Alexandro cum esset familiaris, favore Principis abuti consueverat, ac populo persuadere, se quidvis posse apud Imperatorem: atque ita numerata pecunia provinciarum munera, magistratus, officia, dignitatum honores nundinabatur; quæstum faciens ex vendito fumo; idque cum Cæsari innotuisset, criminis reum jussit fumo suffocari, addita voce præconis: *Fumo pereat, qui fumum vendidit.*

14. In pretio pretium M. Didij Juliani effatum habetur. Is cum pecunias cumulâsset à militibus Imperium Romanum mercatus fuit: licitante contra illum Sulpitiano: sed eo rursus in castris pollicente omnia se daturum, quæ vellent, ut refert Herodianus, pecuniâ, & pollicitatione ad Imperium viam sibi aperuit nemine objiciente: hinc asseruit: *Pecuniæ obedire omnia; & in pretio pretium esse.* Huc pertinet illud Ovidij in Fast.

In pretio pretium nunc est, dat census honores,
Census amicitias: pauper ubique jacet.

15. Magnum satellitium amor, Saloninus Valerianus hocce usurpavit effatum, ut innueret nullam principi tutiorem posse custodiam obtingere amore subditorum, quia ut scitè Seneca *lib. de Clementia* ait: *Unum est regni inexpugnabile munimentum, amor civium.* Nil enim fortius, nil tutius habet Princeps fidelitate, ac benevolentia populi: est hæc cæteris alijs firmior custodia. Frustra se terrore Princeps succinxerit, qui septus subditorum benevolentiâ non fuerit. *Non exercitus* aiebat Micipsa Rex Numidarum apud Sallustium: *neque Thesauri præsidia sunt regni; verùm amici; quos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio, & fide parantur.*

16. Marcet sine adversario virtus fuit effatum C. Valerij Maximini, perinde ac virtus juxta Euripidem per labores incedit, ac sudorum imbre madida lætior efflorescit; ita otio innutritur vitium. Unde misera censenda est illa fortuna, quæ caret adversatio; quia sine exercitio facilè torpescit; ac marcescit otio, quod à Menandro *jucundum* dicitur *malum*, & à D. Ambrosio *pulvinar Satanæ.* Si in folio segnities sedeat, vel à cervo leones vincuntur; quia nil magis enervat, frangitque vires, quàm inertia. Otio perijt Roma delerâ Carrhagine; quia ubi divitiæ avaritiam, & voluptates luxum invexerunt; virtus Romana labefactata corruit. Hinc Nasica quibusdam asserentibus rem Romanam in tuto esse extinctis Carthaginensibus, & in servitutem redactis Græcis: *imò verò*, respondit, *nunc demum summo in periculo sumus, quando nulli ampliùs supersunt, quos vel metuamus, vel revereamur.* Quamobrem Scitus ille scitè cecinit

Luxuriam animi rebus plerumque secundis;
Nec facilè est æqua commoda mente pati.

Nemo amicus idem, & adulator. Lau 17.
dat adulator, sed non est verus amator, quia non te, sed tua amat. Et Tacitus vocat assentationem *vetus in Republica malum;* & cum deleat veritatem, amicitiam corrumpit, quæ sine veritate nequit consistere. Est adulatio Aulica meretrix, cujus blanditijs sæpius, quàm hostium violentiâ, opes principum eversæ fuerunt: sunt in aulis pauci Principum monitores, sed plures adulatores, qui blandientes venena propinant; vel scurilibus, ludicrisque fluxum temporis fallentes principem decipiunt, detinéntque inanibus, quibus cum placere student, plurimum adferunt nocumenti, nihilque documenti. Imò petsæpe quod est oleum muscis, formicis, alijsque id genus insectis, idem adulatio principibus; siquidem, ut ait Plinius *lib. 11, cap. 19.* oleo perunctis insecta moriuntur: Principes verò assentatione in exitium trahuntur suis ab aulicis. Hinc meminerint Principes symboli C. Ubij Triboniani Imperatoris Romani. *Nemo amicus idem, & Adulator.* Quâre permotus Serenissimus Elector, & Dux Bavariæ *Maximilianus I.* Serenissimo Filio hæredi *Ferdinando Mariæ* odium assentationis graviter commendavit, in ijs monitis, quæ in proba ejus habentur institutione *cap. 3.* ubi Sapientissimus Pater alloquens filium ait: *Carere te velim ab assentatorum, & minutiorum, aulæ servulorum consultationibus. Talibus enim ad nutum Principis, quæstûs causâ, sive is honesta gesserit, sive indecora deprædicare mos est, & Consilium. Sordidè, ac simulatè quidvis insusurrant, facilè mentiuntur, calumniantur, invident, oderunt, assentantur. Quòd si ex ejusmodi assentationibus nihil lucri reportent; ut rem aliunde faciant; & vanum nomen, quasi in Principis arcana admissi, aucupentur; res, dicta, facta, consilia, sensa Principis vulgant, produnt, vendunt, traduntunt, nundinantur.*

Nil obiter, seu non decet Principem 18.
præproperè quicquam agere, sed maturè prævijs consilijs singula disquirere: turpe siquidem in rebus gravioris momenti ex inconsideratione peccare; adhibenda est diligentia, ne quid negligenter, ac temerè agatur à Principe, quia ut monet Sophocles in Oedipo: *Quisquis sapit celeriter, non tutò sapit.*

Mens non gens aiebat C. Julius Æmilia- 19.
nus, scilicet vera nobilitas ex cultura progerminat virtutis, quâ *Mens* ornatur, ac splendescit; non è sanguine, quo *Gens* commendatur. Licèt Simonides eos nobiles asserat, qui majoribus longo tempore locupletibus nati sunt; cum nobilitas sine divitijs splendida sit

miseria;

miseria: veriùs tamen nobilitas vocatur antiqua virtutis possessio, hinc cecinit Satyricus ille

Tota licet veteres exornent undique ceræ.
Attica nobilitas sola est, atque unica virtus

Cui suffragatur Claudianus illo hemisticho: *Virtute decet, non sanguine niti.* Hominis nobilitas, non sanguinis, sed animi est pretium. Pecudum nobilitas firma censetur corporis habitudo; hominum, splendor morum. Hinc nulla homini improbo inest nobilitas, ut censet Epicharmus, quia verum est illud Plautinum in Mercatore

Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio malo
Suapte culpa ex genere capiunt genus, ingenium improbant.

Hinc Lucanus ad Pisonem

Nam quid imaginibus, vel avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti
Profuerint? cui vita labat, perit omnis in illo
Nobilitas, cujus laus est in origine sola?

20. MELLEA HOSTIS VERBA, FELLEA SUNT VERBERA, usurpavit hoc effatum P. Licinius Valerianus, quod Titus Livius *lib. 5. Decad. 1.* hoc pacto expressit; *Donum inimicorum veneno illitum est;* proinde nunquam hosti fidendum: blanda hostis verba non tam verba, quàm verbera sunt; & à Tacito *malitiosa blanditia, pessimum veri affectûs venenum* dicitur, quia ut cecinit Ovidius

Impia sub dulci melle venena latent

Hinc Seneca monuit; *Non acerba, sed blanda verba timenda esse:* quod adeo verum; ut ne in amico quidem assentatio careat suspicione, cum plerunque assentationi odium nectatur: hinc S. Ambrosius de officijs ait *Benevolentia facit, ut inimici vulnera, quàm amici oscula sint utiliora.*

21. PRINCEPS MISER, QUEM LATET VERITAS id novit M. Aur. Gordianus, cujus fuit effatum; quia nisi veritatis fax præfulgeat, necesse est in scopulos impingat: est veritatis notitia Principi, perinde ac nauclero prælucens cynosura; utraque quà sit eundum præsignat; & sine hoc præsidio imminent naufragia, tristésque rerum exitus. Raro tamen aulas Principum veritas ingreditur: hinc Ludovicus XI. Galliæ Rex aiebat, se in suo regno, & potissimum in aula propria, abundare rebus omnibus exceptâ unâ; sciscitantibus nonnullis familiaribus, quænam hæc esset; *veritatem* esse respondit; sentiens eo miseriores esse principes, quò rariùs veritatem audiunt. Et Augustus post Vari fatum maximè indoluit; eò quia non amplius esset à quo verum audiret.

22. SUMMA VIAM AD IMA STERNUNT, usus est hoc effato P. Licinius Galienus, quia ut cecinit Lucanus *Summis negatum stare diu.* Et Livius eò rem pervenisse Romanam asserit, ut jam magnitudine laboraverit suâ; & Horatius *Suis & ipsa Roma viribus ruit;* quia ut fatetur Tacitus: *virtute quàm pecuniâ, res Romana meliùs stetit.* Cujusvis rei fluxæ, ac vicissitudini obnoxiæ tunc declinatio metuenda, cum ad supremum fuerit evecta fastigium. Huc pertinet illud.

Optima sunt homini mediocria: summa periclis
Obvia: contemptum sordida vita parit

QUALIS REX, TALIS GREX, digna fuit Traiano 23.
Cæsare vox, quâ innuit Principem erga subditos, talem esse debere, qualem erga se velit esse ipsos subditos. Fit plerunque, ut Princeps subditos suo moveat facilius exemplo, quam sancitis legibus, vel oblatis præmiis. Nam vita Principis censura est: *Ea Principis conditio,* ait Fabius, *ut quidquid faciat præcipere videatur.* Unde Claudianus

——————Componitur orbis
Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentum

Solent subditi studiosiùs facta Principum imitari, seque componere ad eorundem mores, ut invecta similitudine eorumdem sibi comparent benevolentiam, gratiam aucupentur. Non tam imperio subditis opus est, quam exemplo, quia hoc efficaciùs urget, quam leges; siquidem duci natura mavult, quàm cogi; unde Tacitus *Obsequium in principem, & æmulandi amor validiora sunt, quàm pœna ex legibus.* Hæcque ratio, cur Cyrus columen virtutum sibi proposuerit; quia non fieri posse putabat, ut si quis ipse talis non sit, qualem esse oporteat, alios valeat ad præclaras, & laudabiles actiones excitare. Scitè Seneca in Thyest.

Rex velit honesta, nemo non eadem volet.

MULTOS TIMEAT NECESSE EST, QUEM 24.
MULTI TIMENT. Seu qui timetur is timet, ait Tacitus, quia quisque timoris causas excutere nititur, tutiorem ducturus vitam. Hinc Claudianus in Honorium 4.

Qui terret, plus iste timet: sors ista Tyrannis
Convenit; invideant claris, fortesque trucident:
Muniti gladijs vivant: septique venenis,
Ancipites habeant arces, trepidique minentur.

Est id proprium Tyrannorum, in quibus, ut ait Tullius, nulla fides, nulla charitas, nulla stabilis benevolentiæ potest esse fiducia: sed omnia semper sunt suspecta, ac sollicita; quinimo plerunque Tyrannus, teste Seneca, vanos pavet metus, veros fatetur; quô fit, ut neque is, qui Tyrannus est, diligat quenquam; neque à quoquam diligatur; sed potius odio habeatur, quo nil miserius; nil infelicius; quia ut rectè Seneca: *nullum supplicium publico odio gravius.* Non est ibi Rex tutus, ubi nihil à Rege tutum: quem subditi metuunt, oderunt; & quem quisque odit, periisse expetit. Hinc Tacitus: *Metus, & terror infirma vincula sunt charitatis, quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient.* Quantum subditorum odium principibus obsit ex tragico liquet Tyrannorum exitu, quorum plerique aut ferro, aut veneno perierunt; perpauci *siccâ morte,* ut loquitur Satyricus, seu sine cæde, & sanguine. Seneca de Nerone in Octav.

Licèt extruat marmoribus, atque auro tegat.
Superbus aulam: limen armatæ Ducis
Servent cohortes: mittat immensas opes
Exhaustus orbis: supplices dextram petant

Parti cruentam: regna divitias ferant:
Veniet dies, tempúsque, quo reddat suis
Animam nocentem sceleribus, jugulum hostibus
Disertus, & destructus, & cunctis egens.

85. REGNI CLEMENTIA CUSTOS, fuit effatum Marci Aurelij Antonini Philosophi principis per omnia moderatissimi; sui semper similis, ut de illo fassus sit Suidas; neque ulla in re unquam variabilis, aut mutabilis, semper ad amorem, sibique conciliandos animos compositus. Is felicius amore imperium rexit, quàm alij incusso timore; & clementiâ, quam exercuit, omnem abegit timorem, ut scitè Seneca in Octav.

Magnum timoris remedium clementia

Ut sævitia odium excitat, ita clementia amorem conciliat; est clementia, quâ firmiùs Regnum nititur; & plurimum prodest, hoc ab initio jacere fundamentum regni firmandi, quia ut rectè Salustius: *Imperium iisdem artibus facillimè retinetur, quibus initio partum est.* Equidem cuncta imperia crudelia, magis acerba, quàm diuturna sunt; & Tyrannus semper anceps, nullibi tutus: oportet moderatorem populorum cum Justitiæ aculeo, mel clementiæ habere commixtum. Immò natura ipsa clementiam principes edocet cum Apum reges voluerit inermes absque aculeo sua præcedere examina armata; hinc fuit, qui apum Regibus adjecerit lemma *Signat clementia Reges*, quasi natura hunc posuerit characterem, quo principes à populo secernerentur. Hinc Claudianus *in Panegyric. 4.* Honorij

Sis pius imprimis, nam cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis

Videtúrque Poëta hanc sententiam mutuâsse ex M. Tullio Cicerone, qui pro Q. Ligario ait: *Homines ad Deos nulla re propiùs accedere, quàm salutem hominibus dando.* Cæterum clementia regni cultos est, ac fulcimentum: hinc Seneca: *Clementia non tantùm honestiores, sed & tutiores præstat: ornamentúmque imperiorum est, simul & certissima salus. Et lib. de Clementia* ostendit; nullum magis decere Clementiam, quàm Principem, cui suffragatus Ovidius *lib. 3. Trist. Eleg. 5.* ait

Quo quisque est major, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrâsse leoni
Pugna suum finem, cum jacet hostis habet.

86. REX VIVA LEX, sic fari consueverat M. Aurelius Claudius Cæsar, qui ut refert Trebellius Pollio princeps fuit optimus, æquitati unicè addictus. Quippe legum, quas tulit in imperio abservantissimus fuit, ut fortiùs Exemplo, quàm voce populum doceret. Cúmque inter alias leges edicto vetuisset, ne ab Imperatore res alienæ peterentur; & mulieri, cujus prædium ipse ante susceptum imperium ex dono Imperatoris acceperat, conquerenti apud se à Claudio Magistro equitum factam sibi fuisse injuriam; respondit: *Quod Claudius dum privatus erat, nec leges ita curabat, abstulit; hoc factus imperator restituit.* Sensit Claudius. Nil magis decere principem, quàm si secundùm leges vivat, & moribus, exemplóque suo ita imperium doceat. Scitè Pittacus apud Ausonium

Pareto legi, quisque legem sanxeris.

DELIGAS, QUEM DILIGAS, hoc effato Fl. 87. Valentiniani Junioris monemur in amicis deligendis opus esse prudentiâ, & in iisdem diligendis fide, & constantiâ. Plurimum refert scire quomodo amici deligendi, ac diligendi sint: *eos enim potissimum sequi amicos oportet*, monebat Bias, *quos non pudeat elegisse;* unde Pythagoras in symbolis prohibet cuivis dexteram porrigere, seu unumquemque in amicitiam recipere, sed potiùs deligere, quem diligendum quis putet. Sunt qui profitentur amicitiam ob prandium, ad quod frequenter vocantur: sed amici ollares amici sunt triobolares.

ERIPERE TELUM, NON DARE IRATO DECET 88. aiebat Theodosius Magnus, quia omnis nocendi occasio adimenda est, ne retineatur ira; fomésque adjiciatur flammæ: coërcenda, non fovenda est ira; quia ut monet Seneca immodica ira gignit insaniam; frœnum verò iræ mora est; frigescit enim ira tempore: unde Seneca in Agamemnone

Da tempus, & spatium tibi,
Quod ratio nequit, sanabit mora

Consilium fuit Athenodori ad Augustum Cæsarem ne quid faceret, aut juberet iratus, antequam vigintiquatuor elementa literarum græcarum pronunciaret. Vetuit Pythagoras *ignem gladio fodere;* seu non lacessere ira percitum, ne magis æstuet irritatus, magisque desipiat; nil faciliùs mentem corrumpit, quam effrenis iræ affectus: idque conjicitur in Xerxe Persarum Rege; is ut intellexit, classem illam maritimam, quam adornârat expugnandæ Græciæ in mari Hellespontico sæviente procella fuisse disjectam; ac decumanis majori sui parte absorptam fluctibus; ita excanduit in pelagus, ut solet herus in vilissimum exasperatus mancipium, misitque, qui Hellesponto veluti naufragij reo vinciendo par compedum injicerent, fœda insuper stigmata inurerent, & colaphos, ac trecenta verbera infligerent, Barbari hominis barbarum mandatum ait Herodotus *lib. 7.* & Valerius lib. 3. c. 2. quasi ut homo sit mare rationis compos, intelligátque quid regibus displiceat, sitque in ejus potestate, Æolo imperare, ne ruptis per vim antris, ventorúmque turbulentiorum carceribus, prohibere, ne isti se se in apertum effundant; nubes nubibus agglomerent, fluctus fluctibus committant, nec omnia fœdè permisceant.

HOMINEM AB HOMINE IRA DEJICIT: ea 89. est trucis vis iræ, ut non solùm hominis nobiliorem partem fœdè perturbet, mentem lædat; verùm etiam hominem penitus exuat hominis, quo ad hominis usum, quia ut rectè Terentius in Phormione *iratus nequit animum ad cogitandum instituere:* & Demea in Adelphis negat ira percitum apud se esse, quia non sic animi compos; ex quo Ennius fassus est, iram initium esse insaniæ, quia ut Cato Romanus aiebat; *impedit ira animum, ne possit cernere verum:*

verum: nec quicquam magis rationem lædit, quàm ira; quia ut monet Chrysippus *ira cæca est, & improvida, plerúmque ea non sinit cernere, quæ apertissima sunt, & præcepta sæpe numero obscurat.* Recte monet Ovidius

30\. *Vince animos, iràmque tuam, qui cætera vincis*

Male parta, male dilabuntur usus est hoc effato Fl. Honorius, quia divitiæ, ac vitia cognata nomina, rarò sejunguntur; ubi aurum pluit germinant vitia, quæ malè partas depascuntur divitias: quemadmodum milvus rapta aliena viscera præ ingluvie rursus evomit; ita qui alienis opibus inhiat, easque sibi malis artibus comparat, eas rursus fœdè effundit, & cum censu sensum perdit, quis ut rectè Sophocles *Calamitates lucra turpia afferunt.* Initijs suis affines sunt fines, iniquo quæstui iniquus respondet exitus, quapropter Euripides in Jone, infelicem eos messem metere ait, qui opes, & divitias per fas, & nefas sibi parant; & alibi lucrum injustum harram infortunij vocat. Et in Iphigenia; *Sic parta lucra non honestis artibus obesse, quàm prodesse cernas pluribus.*

31\. Sapiens tempori paret; seu flectit se, & accommodat necessitati, cui nemo citra insaniam repugnat. Fuit effatum Fl. Theodosii Junioris mutuatum ex Græciæ Sapientibus. Cicero itidem *lib. 3. de Finibus* refert hoc effatum veluti præceptum Græcanæ Philosophiæ; loquiens: *Nemo de bonis, & malis verè judicare potest, nisi omni cognita ratione naturæ, & vitæ etiam Deorum, & utrum conveniat, nec ne, natura hominis cum universa, quæque sunt, vetera præcepta Sapientum; qui jubent,* tempori parere *& sequi Deum, & se noscere, & nihil nimis.* Qui enim tempori paret, necessitati paret, & qui necessitati paret, divinæ paret voluntati cui repugnare fatuum est, quia ut ait Piodarus *Necessitatis, aut Fati nulla est fuga;* unde Livius: *Ultimum, ac maximum telum necessitas, cui parendum est.*

32\. Non quam diu, sed quam bene, aiebat Fl. Gratianus Cæsar hoc est, non quærendum quanto quis tempore imperaverit, sed quam bene suo sit officio functus. Non quam diu quis vivat refert, sed quàm bene: ait Chrysostomus: *diu vixit, qui paucis annis talenta plura bene vivendo lucri fecit.* Sæpe fit ut qui diu vixit parum vixerit, quia non bene vixit. Non ut diu vivamus curandum est; sed ut bene: est autem bene vivere honestam vitam instituere juxta normam virtutis, cujus cultura, laude, & gloria digna est, scitè Seneca Epist. 49. *Non ut diu vivamus curandum est; sed ut satis: animo longa est vita, si plena est; impletur autem, cum animus sibi bonum suum reddidit; & ad se potestatem sui transtulit.* Et Epist. 78. *Quomodo fabula; sic & vita; non quàm diu, sed quàm bene acta sit, refert.*

33\. Vive, ut vivas; seu vive, ut non moriaris, sed semper vivas æternâ donatus beatitate. Neque enim præsens vita, ut pote fluxa, ac interitui obnoxia, est propter se expetenda; sed propter æternam, quæ nos manet in cœlis, & ad quam non nisi per bona opera, ac mortis januam patet aditus. Qui huic inhiat vitæ, is bene vivere, ac mori discit; bene mori, est rectè vivere. Nam ut vitæ præsentis finis mors est beata; ita mortis finis vita est beata; adeout una sit bene, beatéque vivendi, ac moriendi regula; quæ docet, hominem ita vivere, ut beate moriatur, & ut mori, ut beatè vivat. Is verò bene, beatéque vivit, ac moritur, qui mundo, noxæ, vitijsque omnibus moritur, & soli Deo vivit; in quo spei, ac fiduciæ suæ unicum habet solatium. Hæc est vita vitæ mortalis expectatio, ac spes vitæ immortalis; & ita vivere, ut nos non pœniteat vixisse. Pulchrè cecinit ille

Vive diu, sed vive Deo; nam vivere mundo
Mortis opus, viva est vivere vita Deo.

Quod pudet, hoc pigeat, In quo metus est turpitudinis, in eo pudor est honestatis; ut è converso, in quo pudor, in eo & metus: qui enim pudore afficitur, & verecundia, is turpia timet: cum aliud non sit verecundia, quàm inurendæ turpitudinis metus, & amor laudis; quorum ille à vitio retrahit; hic ad honestatem allicit: hinc verecundia à Tullio dicitur *custos virtutis, laudem sequens, & fugiens dedecus:* & Diogenes conspicatus adolescentem erubescentem: *Bono* inquit *animo esto: hic enim color virtutis est, & vas boni ingenij.* Nam is verecundus, quem pudet ea, quæ impudica sunt, & loqui, & facere. Qui igitur verecundus, is probus, & ab omni abhorret turpitudine. Nulla tamen hujus virtutis conservandæ melior ratio, quàm si quis se ipsum maximè vereatur, ut quod coram alijs pudeat facere; ne solus quidem ausit facere, tanquam se ipso inspectore, ac teste; quod Thales Milesius præcipit apud Ausonium 34.

Turpe quid ausurus te sine teste time

Verum siquidem est quod Sasullius dixit: *suum cuique animum ex conscientia spem præbere, aut metum: pudor enim, & conscientia potentissima sunt, ac certissima facinorosorum hominum flagella:* adeout Poëtæ finxerint eos, qui aliquid impiè, ac sceleratè commiserint; semper agitari, ac perterreri Furiarum ardentibus tædis.

Quod cito fit, cito perit quia celeritas perfectionem operis vix permittit; experimur omnia præcocia subitò flaccescere, & una quasi die adolescere, et rursus contenescere: *Matura fatto*, ait columella, *sæpe decipit: sera nunquam, quin mala sit:* magis diuturnum quod paulatim crescit, & adolescit; quàm quod fungi, seu boleti instar una prorumpit nocte. Quid flore pulchrius: *At dum nascuntur consenuere rosæ.* In ipsis pueris præmaturum judicium non caret suspicione; & Sophocles in Ædipo ait: *Periculosa est præpropera prudentia;* sicut Plinius *lib. 7.* refert, *Catonem censorium, dixisse senilem juventam præmaturæ mortis, signum esse:* hinc Poëta apud Apuleium *Odi puerulos præcoci Sapientia.* Non quæ cito, sed quæ bene absolvuntur, hæc perennant. Zeuxis Agatharco pictori se se iactanti de pingendi celeritate, cum Zeuxis diutius immoraretur 35.

retur operi: *ego*, respondit, *diu pingo, quia æternitati pingo:* quæ cito absolvuntur, citiùs pereunt. In re bellica plus commodi attulit Romanæ Reipublicæ prudens Fabij cunctatio; quàm M.Mintij præceps festinatio.

36. CORDIS, & ORIS PULCHRA CONCORDIA nullus concentus suavior, nulla harmonia blandior eâ, quâ os cordi, lingua menti, & verba cogitationibus respondent; hæc illa est harmonia, ex qua candida oritur veritas, ac fides nascitur intemerata: est siquidem veritas cordis, & oris consensio, quatenus os loquitur, quod cor sentit; quo nil jucundius, nil suavius. Huic harmoniæ aures Princeps assuescat; & si non pedum motus ad choreas, manuum opera ad rectum regimem eidem accommodet, seque moveat, ut commoda promoveat subditorum.

37. PAX BELLO POTIOR usus est hoc effato Fl. Marcianus Imperator mitis, & qui humano pepercit sanguini, delectatus pace, quam bello prætulit, quia ut rectè Tullius in officiis: *Non quæritur pax, ut bellum exerceatur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur.* Nec bellum, ait Augustinus, ritè suscipitur nisi pacis causâ; Moveatur bellum, ut pax promoveatur. *Melior est* ait Livius, *tutiorque certa pax, quàm sperata victoria;* cum hæc rarò obtingat, quin plus afferat perniciei, quàm commodi. *In pace*, ait Tacitus, *causa, & merita spectantur: ubi bellum ingruit, innocentes, ac noxij juxta cadunt: in turbas, & discordias pessimo cuique plurima vis: pax, & quies bonis artibus indigent.* Hinc cecinit Sabinus

Pace nihil melius, nil pace salubrius orbi
Terrarum cœli, qui regit astra dedit.
Pace Dei cultus, legúmque verenda potestas,
Et sacra Musarum gloria pace viget.
Pace frequens affert Hymenæus gaudia sponsis:
Educat, & castus pignora casta torus.
Pace suas mercator opes, sua rura colonus
Possidet: absque metu carpit, & hospes iter.
Tunc resonant Citharæ, tunc saltibus apta juventus
Ad numerum cœtu ducit ovante choros.

38. SUSQUE, DEQUE, seu æquo animo novercantis fortunæ sive minas, sive tela ferre. Apud Plautum aliósque authorea invenitur *susque deque fero*, vel susque, deque habeo, pro eo quod est nihil mea refert. Aulus Gellius, & plerique alij usurpant susque deque ferre, pro æquo animo esse, ac patienter sufferre adversa, quæ obversantur. Est patientia vera malorum panacea, ut cecinit ille

Tu ne cede malis; Patientia quippe dolori
Optima, sic cuivis sit medicina malo

Magni animi est, mentisque generosæ injurias negligere, neque ad convicia aures præbere, neque linguam adhibere. Dura est commotio, quam gignit injuria, sed molline delet dolorem medicina patientiæ aiebat Symmachus: & Aristippus à quopiam contumelijs lacessitus: penes te, inquit, est malè dicere, sed penes me bene audire. Plato itidem Conviciatori cuidam; *Perge* inquit, *maledicere, quia benedicere nondum didicisti.* Xenophon itidem cuidam convicia effutienti respondit: Tu maledicere didicisti; Ego conscientia teste didici maledicta contemnere. Patientia remedium malorum est.

Anser strepit inter olores dicitur de Poëta indocto, rudi, carmina deturpante, vel etiam de improbo, ignaro, probis, ac Sapientibus adsciscì nitente; ingrata est hæc discors concordia: tunc per parœmiam dicitur *graculus inter Musas*, aut *Anser inter olores*. Importuna est improbi nugacitas.

FORTUNA CUM BLANDITUR FALLIT, quia plerunque quos plurimis cumulavit beneficijs, & ad editiora honorum erexit fastigia ad imum detrudit miseriarum; quia ut ait Demosthenes in Olynthiaca 1. Felicitas, quæ evenit non merentibus, occasio desipiendi est ingenijs stultis: siquidem ut asserit Cicero in Lælio: *Non solum ipsa fortuna cæca est; sed eos etiam plerunque efficit cæcos, quos complexa est.* Recte Ovidius 39

Luxuriant animi rebus plerunque secundis:
Nec facile est æqua commoda mente pati:

Hannibal victoria Cannensi elatus ex principe humanissimo in Tyrannum degeneravit perniciosissimum: perinde fortuna secunda adversam expectar, ac adversa secundam: qui utraque scit probè uti, is major est ipsa fortuna. Est fortuna vitrea, cum splendet frangitur: & tunc maximè suspecta, cum blandiùs arridet, quia ut ait Seneca in Agamemnone

Quidquid in altum fortuna tulit, ruitura levat

MORTE BEATA, NIL BEATIUS fuit hoc effatum familiare Friderico pulchro Cæsari, qui summum hominis bonum duxit, bonum ex hac mortali vita exitum: mors enim beata non solùm quies est ærumnarum ut ait Salustius, sed initium beatitatis: *Bona mors*, ait mellifluus Doctor, *vitam non aufert sed transfert in melius.* Una est rectè, beatéque vivendi, ac moriendi regula, quæ docet hominem sic vivere, ut bene moriatur; unde cecinit ille 40

Ut tibi mors fœlix contingat, vivere disce;
Ut felix possis vivere, disce mori.

EX-

EXPENSIO XVI.

De significatione figuræ, deque ejus perfectionibus.

1. NOn exilis est labor, eas invenire figuras, quæ perfectè, & ad amussim congruant subjecto, vel personæ, quæ per metaphoram proportionis repræsentatur in phrenoschemate. Plurimum interdum intervenit discriminis duas inter figuras, quamvis exprimentes eundem conceptum mentalem: neque ut vulgò dicitur, ubi Achillis est hasta, ibi Achillis est manus: non sufficit, si figura exprimat conceptum mentalem Authoris; sed ita debet eidem proportionari, ut alteri nequeat ex æquo convenire. Plura fuerunt phrenoschemata adinventa potius communia pluribus, quàm uni tantùm propria, ut adamas malleatus cum lemmate *semper adamas*, quæ figura exprimit per metaphoram proportionis quemcunque virum constantem in adversitatibus. Similis huic est etiam figura phœnicis morientis in rogo cum Epigraphe *perit, ut se pariat*: quæ figura repræsentat quemcunque juvenem, qui abdicatis sæculi pompis, mundique voluptatibus, ac dignitatibus recusatis onus subit religionis; perit enim mundo, ut vivat DEO. Talis est etiam figura thuris fumum in igne evaporantis, cum epigraphe *flagrat, sed fragrat*, quæ figura repræsentat quemcunque animum religiosum, ac culturæ virtutum addictum, quique in ærumnis, & adversitatibus virtutem exercet patientiæ, & charitatis.

2. Figuræ propriæ dicuntur, quæ indicant circumstantias individuales, ut nomen, cognomen, stemma gentilitium. A nomine puella Bononiensis, quæ juvenem nomine Cæsarem adamavit, & cui cupiebat nubere contra patris voluntatem, pictam effigiem juvenis gessit in pectore, cui addidit lemma illud decantatum *Aut Cæsar, aut nihil.* Jacobus Trivulsius significaturus Regi Ludovico obstaculum, quod Gallico exercitui objiceret, si urbes Italiæ vellet adoriri, & obsidione vallare, pinxit Gnomonem, seu stylum horarium propriæ familiæ gentilitium stemma cum lemmate *Non cedit umbra soli.* Philippus Sega cùm prædixisset Pontificiam dignitatem Gregorio XIII. pinxit Draconem gentilitium stemma familiæ Boncompaniæ, cui addidit lemma *Delubra ad summa*: allusitque ad narrationem Virgilij. Alij etiam exhibuerunt figuras desumptas à circumstantiis præsertim nativitatis, & asterismi, proprii horoscopi: quia Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux materna ab alvo caput extulit mense Novembri, quo tempore Sol in Zodiaco adhæret Sagittario; pinxit Dux in symbolo proprio heroico sagittarium cœleste addito lemmate *Opportunè* indicaturus, quod data occasione res suas ita disponeret, ut juxta votum sortiretur Thesaurus in bellicis vexillis, equorúmque phaleris Principis Thomæ à Sabaudia pinxit pro symbolo heroico asterismum libræ cum Gallico lilio addito lemmate desumpto ex Manilio *Urbes, & Regna trement*: quia Princeps Thomas in horoscopo nativitatis solem habuit in signo libræ, & quidem in grado quintodecimo, & quia legerat in Manilio.

Felix æquato genitus sub pondere libræ
Judex extremæ sistet, vitæque, necisque,
Illum urbes, & Regna trement;

Selegit ultima verba pro epigraphe phrenoschematis, cui addidit Franciæ lilium eò quia esset tunc Princeps Thomas supremus Præfectus Gallici exercitus: Symbolum hoc heroicum ob circumstantias fuit particulare, quodque soli Principi Thomæ congruit.

3. Fit etiam singulare phrenoschema si alludatur ad aliquam peculiarem actionem, ut in phrenoschemate Caroli V. post Africam debellatam *Plus ultra* inter columnas Herculeas, quia primus omnium bellicis navibus Oceanum ingressus Herculeas metas transegit & alluditur ad illud quasi Propheticum hemistichium Lucani *Herculeis aufertur gloria metis.* Evadit quoque phrenoschema particulare, per oppositam allusionem ad aliud antecedens phrenoschema: quo pacto quia Colonienses omnes exhibuerunt juncos marinos in proprio symbolo ventis agitatos cum lemmate *Flectimur non frangimur* ad exprimendum, quod hostes nunquam eos debellaverint, quamvis pluries molestijs tentâssent: tunc è contra Cæsarini indicaturi se potiùs velle mori, quam dimoveri à proposito plures pinxerunt Columnas cum hemistichio *Frangimur, non flectimur*, allusentes etiam ad æmulos frangendos, seu vincendos per Cæsarinos.

4. Propterea figuræ non debet vulgata, & trita esse, omnibúsque nota; quia sicut, quæ trita sunt, nec animos mulcent, nec quadam suavitate, se se in mentis recessus insinuant; è converso novitas, & quæ primum ad nostram perveniunt notitiam plurimum habent aucupii, ac oblectamenti, eò quia nos aliquid novi doceant. Interdum tametsi figura trita sit, ac vulgata ejus tamen proprietas potest esse ignota, ac nova. Innotescit omnibus, apes opes rosarum, ac florum exugere, adeo ut non defuerit studiosus, qui expressurus se tantùm meliora decerpere è libris, apem pinxerit sugentem è sinu rosæ liquorem cum epigraphe *utile tantùm.* Sed præter hanc proprietatem sugendi dulces liquores è floribus, inest apibus hæc alia proprietas, quâ ita leviter volitant, ita delicatè liquorem sugunt, ut nullum floribus damnum inferant, quibus propterea posset addi lemma *citra injuriam* cum fine ulla læsione flores sugant.

omnes siquidem mediocriter eruditi sciunt, avem *sylvæ* Herciniæ noctu lucere: unde sicut Thesaurus a numero figurarum, quæ propter novitatem debent oculos demulcere, & animum allicere excludit Salamandram viventem in flammis, phœnicem renascentem è rogo; ita possem excludere hanc avem utpote vulgatam: imò apud Germanos est magis nota cum ejus proprietas etiam rusticis innotescat. Tertiò quia ut asserit Thesaurus proprietas figuræ debet tantùm subjecto convenire, quod exprimitur per figuram symboli heroici; & avis Hereiniæ sylvæ per metaphoram proportionis eos omnes exprimit, qui inter tenebras ærumnarum, ac tribulationum, exercitio patientiæ clarescunt illustriores; ex quo liquet, figuram non esse propriam, sed communem pluribus. Quartò quia parma, in qua figura delineatur debet potiùs esse alba, ut Thesaurus fatetur adferens illud Virgilianum hemistichium *parmaque inglorius alba.* Quod si asserat, id effecisse ad exprimendam noctem. Id non videtur ei suffragari, quia in phrenoschemate ut ipse asserit, non est delineandum corpus chimericum, sed reale, & naturale, & tenebræ expressæ per colorem nigrum sunt ens chimericum, cùm sint tenebræ merè privationes lucis; & color niger non sit privatio, sed forma positiva.

5. Ex his conjicitur quàm arduum, & difficilè sit phrenoschema, seu Symbolum heroicum, ex quavis parte perfectum exhibere, cum ipse Thesaurus vir ingenio acer, omnigenâ eruditione ornatus, cui ars symbolica plurimum debet, ingenuè fateatur vix posse ullum exhiberi phrenoschema licèt à politissimo, ac purgatissimo effluxerit ingenio, quod aliquam non contraxerit maculam, quâ ab una, vel altera deficiat perfectione ex ijs, quæ in purgatissimo desiderantur phrenoschemate, seu heroico symbolo. Putârim tamen minus rigidè procedendum esse, & sufficere, si ex præcensitis perfectionibus plures phrenoschema exhibeat, alioquin præcluderetur via Professoribus hujus instituti plura exhibendi phrenoschemata in nuptijs, vel funeribus Principum, alijsque solemnitatibus.

Si quæras, ad quæ ex tribus Rhetoricæ generibus reducantur phrenoschemata, seu heroica symbola. Respondetur, hæc esse argumenta Poëtica fundata in similitudine, & propterea reduci necessariò, vel ad genus demonstrativum, vel deliberativum, vel judiciale. 6. Ad genus demonstrativum præsertim reducuntur illa phrenoschemata, quæ exhibentur in commendationem virtutis, ut est adamas malleatus cum lemmate *Semper adamas* in commendationem constantiæ. Vel Ardeolus, qui prænoscens tempestatem supra nubes avolat addito lemmate *Natura dictante.* Ad hoc genus demonstrativum etiam reducuntur illa phrenoschemata, quæ redarguunt vitium, ut fuit ille Sus jugulatus addita epigraphe *Tantùm frugi* contra sordidum avarum. Genus deliberativum comprehendit illa phrenoschemata, quæ respiciunt tempus futurum, ut est gliscens Luna Henrici Regis cum lemmate *Donec totum impleat Orbem,* ut etiam Sol Philippi Regis *Jam illustrabit omnia.* Ad genus judiciale reducuntur illa heroica symbola, quæ accusant, vel excusant: phrenoschema accusans est vitis innixa populo arbori: vox enim *populus* significat arborem, & etiam turbam gentium, cui ad accusandam fœminam meretricem additum fuit lemma *Nulla magis arbore gaudet.* Phrenoschema excusans est illud cujusdam juvenis, qui arguebatur, eò quia relictis studijs Juris prudentiæ venationi vacaret ruri, ut enim se excusaret, pinxit nobilem equum cursorem, qui medio in itinere sistebar comedens frugem addita epigraphe *Otior, ut Ocyor.* Id est quiescebat, ut valentiùs studeret.

LIBER VIII.

De Symbolis petitis à ſimplici rei comparatione, & ex fontibus ſcripturarum, ac SS. Patrum, quæque Concionatoribus inſerviunt.

SYmbola quamdam dumtaxat rei præſeferentia ſimilitudinem, quia lemmate deſtituuntur, & ob ſolam convenientiam in qualitate, vel actione, aut paſſione, rem aliam repræſentant, ſatiùs figuræ dicuntur, quàm ſymbola; ut cum per gallum vigilantiam, per hederam vinum indicamus vendibile, & per caput leonis, vel tauri regem, vel principem, quatenus ſimul comparantur hæc duo extrema. Eſt ſiquidem comparatio collatio duarum rerum in aliqua ſimul proprietate convenientium; ut Achillis, & Herculis in fortitudine; & quia hujuſmodi comparationes plurimum ſolent oblectamenti præſeferre; & earumdem beneficio faciliori donantur explicatu abſtruſiores ſacræ ſcripturæ textus, non abs re fore duxi, ſi variæ eruditionis ſupellectilem, quam ex pluribus ſelegi probatis Authoribus hîc ſubjicerem in uberius præſertim Concionatorum commodum. Utuntur ſiquidem SS. Patres frequenter hiſce comparationibus, ut in faciliorem ſcripturarum captum rudiores pertrahant.

EXPENSIO I.

Variis comparationibus à SS. Patribus luxuria pungitur, quò à cultore caſtitatis prorſus expungatur.

1. S. Bonaventura Diæt. Sal. c. 9. expendens illud Genes. 8. *Dimiſit corvum, qui egrediebatur, & non revertebatur*, quia cadaveribus adhæreret, quæ aquis veherentur cataclyſmi, comparat luxurioſum corvo; quia carnis addictus illecebris relictâ arcâ continentiæ, & caſtitatis, adhæret cadaveribus, ſeu immundis delectationibus.

2. Idem S. Bonaventura loc. cit. explicans Abimelechi fatum Judic. 9. 53. *Et ecce una mulier. fragmen molæ deſuper jaciens; illidit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus* per Abimelechum virum intelligit libidinoſum incautè ad mulierem accedentem; per fragmen molæ tentationem, à muliere procaci prodeuntem, quæ luxurioſum virum interimit. D. Gregorius itidem Abimalech luxuriam interpretatur. 1. Reg. 15. v. 3. *Nunc ergo vade, & percute Abimelech, & demolire univerſa ejus.* Per regem Abimelech luxuriam intelligit, cujus propterea Regnum vult Deus funditus everti, & omnino deleri; etiam parvulos, ſeu cogitationes impuras, ut nihil ſuperſit luxuriam redolens.

D. Thomas Aquinas dilucidans ollam Jeremiæ objectam: *Ollam ſuccenſam ego video* Jer. 1. 13. Ollam æquiparat animæ peccatrici non ſolùm ob noxsrum nigredinem Nahum 2. v. 10. *facies omnium eorum ſicut nigredo ollæ:* verùm etiam 2.

pro-

propter concupiscentiæ fervorem, quo miserè consumitur, deficit, ac perit.

4. *Timuit Elias Jezabelem* 3. Reg. c. 19. v. 1. Hugo Cardinalis Eliam addicto virtutum studiis, præsertim culturæ castitatis æquiparat; & furentem Jezabelem carnis concupiscentiæ; quam vir justus, & castus, euro citiùs fugit, seque ab ejus subtrahit præsentia, perinde ac Elias Jezebelem beneficio fugæ declinavit.

5. Beda Venerabilis expendens illud Matth. 8. v. 14. *Vidit JESUS socrum ejus jacentem, & febricitantem* lib. 2. c. 8. per mulierem febri laborantem, animem intelligit concupiscentiis pravis æstuantem: & curationem hujus mulieris ait, esse, ad resipiscentiam trahere animam æstu libidinis pessimè valentem.

6. Fœtorem Lazari in sepulcro quatriduani fœtori solet pariari carnalium peccatorum; & resurrectio Lazari redivivi resipiscenti peccatori; & quòd Lazarus fuerit institis involutus indicat resipiscentem, qui tametsi à carnalibus recedet; adhuc tamen quia corpore involutus, carnis gravatus pondere, carnalibus est molestiis obnoxius, ut censent plures Interpretes.

7. Solet itidem luxuria conferri cum hydrope: quia sicut hydropicus quò plus bibit, eò plus sitit; perinde æstu laborans luxuriæ, vitioque carnis assuetus, nunquam satur alia jugiter peccata iterat, nunquam sitim extinguit. Æquiparatur etiam paralysi. *Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus* Luc. 5. 18. Peccatum luxuriæ paralysis est animæ Jerem. c. 31. v. 22. *Usquequo delicijs dissolveris filia vaga.* Hugo Cardinalis, paralyticum eum vocat, qui diu jacuit in carnalis illecebræ inertia.

8. S. Joan. Chrysost. tom. 6. de S. Thecla carnis voluptates vocat carnifices corporis; imò carnificibus crudeliores, quia vinculis torquent non manufactis; per oculos enimamferiunt: per aures luxuriæ faces admovent: aspero flagello intellectum sauciant: si juvenes aggrediantur ignis cum igne miscetur. Isidorus *lib.* 12. *Etymol.* 4. carnis voluptates dipsades vocat serpentes nocentissimos, a quibus qui mordentur statim inardescunt, & siti ardent, adeout incessanter haurientes tandem crepent, ac dissiliant. Geminianus lib. 1. cap. 58. ignem vorantem usque ad perditionem Job. 31. 12. *Ignis est usque ad perditionem devorans*: quia luxuria devorat usque ad consumptionem animæ per gratiæ expulsionem. Rupertus in Genesim quærens, cur non qualiscunque ignis; sed ignis sulphureus pluit super civitetes luxuria infames: respondet; quia talem fœtorem carnis miserunt in cœlum; rectè de cœlo fœtorem igneum, vel ignem fœtidum receperunt.

9. Beda lib. 3. in Proverb. venereas voluptates vocat sanguisugas, eo quia honorem, Dei gratiam devorent, divitias exsugant, & vitam absumant. S. Chrysostomus siliquas vocat quibus filius prodigus cupiebat exsaturari Luc. 15. v. 16. *Cupiebat implere ventrem suum de siliquis* ait ipse siliquæ sunt carnalium desideriorum illecebræ: & quærens cur siliquis cuperet exsaturari? respondet, quia porcus effectus affectu libidinis congruum sibi alimentum desiderabat.

Luxuria, ait S. Laurentius Justinianus, 10. semper sua importunitate decertat: serpit ut cancer, sævit ut ignis, rugit ut leo, tumet ut coluber, insidiatur ut latro, cœno volutatur ut aper, satis nunquam dicit, ut infernus.

Rupertus expendens illud Ezech. 8. v. 14. 11. *Et ecce mulieres ibi sedebant plangentes Adonidem* ait: quid est mulieres in planctu Adonidis sedere? nisi effœminatas animas in consuetudine peccati computruisse?

Medicorum axioma est; morbos connutritos, quiqus mutatione ætatum non corriguntur, curam semper difficulter sustinere: 12. & luxuriæ febris si diu æstuaverit, nonnisi impenso labore extinguitur. Christus Samaritanam ad saniorem conversurus frugem plures miscet sermones post susceptos prolixi itineris labores, aquam ab ipsa petit Joan. 4. v. 7. *Mulier da mihi bibere*, non ut propriam extingueret sitim peccantes convertendi; sed quæ contractas ab impudica muliere luxuriæ maculas abstergeret. Faciliùs aliorum criminum ægritudines curantur; cum Paralytico verò perfunctoriè tantùm dixerit: *jam noli peccare* Joan. 5. 14. Matthæo publicano: *sequere me*: & tamen unicam dumtaxat pellicem conversurus defatigatur Christus, cujus virtus etiam defatigata plurimum subit laboris. Inde conjicimus quàm operosum, & arduum sit negotium insolitam mœcandi consuetudinem ebolere.

S. Augustinus serm. 107. de tempore pro- 13. cacem mulierem inferno æquiparat, quia utriusque ignis perniciosissimus, & sicut infernus neminem repellit, omnésque ingredientes ad se trahit: perinde domus meretricis neminem excludit, omnes ad se allicit, quos miserè perdat.

S. Gregorius Nissenus *orat. 4. de orat. Dominic.* carnis illicitam serpenti comparat, cujus 14. ingressus ob squamarum lubricitatem facilis est; sed difficilis exitus, ob squamas in contrarium obsistentes. Facilè alliceris ab impudica muliercula, sed si semel consuetudinem cum eadem contraxeris difficulter te inde extrahes. Obsiste initio, ad hujus serpentis sibilum aures claude. Huc revocatur ænigma illud Genes. 3. 15. ipse observabit calcaneum tuum; & tu observabis caput ejus. seu initio obsistes

S. Laurentius Justinianus de continentia c. 2. Majus miraculum est de propria carne fo- 15. mitem eradicare, quàm expellere immundos spiritus de corporibus alienis.

Blesensis f. 56. in festo S. Petri ad vincula. Concupiscentia carnis est lutum visco- 16. sum: quem arripit, quasi inseparabiliter sibi agglutinat: inde est quòd caro nostra potiùs dicta est facta de limo, quàm ex terra, ut in hoc fervens ipsius glutinum insumeretur. S. Gregorius hom. 36. in illud Evangel. Luc. 14. 20. *Uxorem duxi, & ideo non possum venire*: ait, quid per uxorem nisi carnis voluptas intelligitur. Hæc impedit accessum ad cœlum.

Luxuriosi sunt *quorum pedes descendunt in mortem, & ad inferos gressus illorum penetrant* 17. Prov. 5. 5. seu ut textus Hebræ. *Sustentabunt*

quia luxuriosi infernum fulciunt, roborant, ne cadat: quatenus potior hominum pars damnatur propter peccata carnis; sine quibus infernus quasi evacuaretur, & caderet.

18. Quæritur cur hædorum nomine reprobi exprimantur Matth. 25. 33. *Statuet oves quidem à dextris, hædos autem à sinistris.* Respondetur; quia hædus animal est salax, luxuriosum, ac Symbolum viri libidinosi: & cum ob libidinem ferè omnes damnentur, rectè hædorum nomine æternis cruciatibus addicti significantur.

19. Joseph in Ægypto illectus ad turpia ab Hera Putipharis uxore impuris concupiscentiæ flammis æstuante, Rubo pariatur Moysi objecto in vertice Orebi, qui cum flammis sepireiur non comburebatur. Joseph enim tentatus non incenditur; & inter flammas non aduritur, nec quidquam contrahit damni.

20. S. Gregorius in lib. Regis expendens illud 1. Reg. 15. 2. *Recensui quæcumque fecit Amelec Israeli* ait Amelec specialiter significare libidinem: & quærens, cur Exod. 17. 9. ad Amalecitas prosternendos jubeantur viri eligi: respondet: quia ad libidinem vincendam non unum, sed plura requiruntur præsidia, præsertim Dei gratia.

21. Quæritur cur caro nostra fœnum esse dicatur Isaiæ 40. 6. *Quid clamabo, omnis caro fœnum.* Quia facilè flammas concipit libidinis, quibus pudicitia cinefit.

22. Finxère Poëtæ Venerem è mari ortam, & ex aquarum spumis. Sed cur non potiùs ex vino, cum Apostolus ad Ephes. 5. 18. scribat: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*, & Prov. 20. 1. vinum dicatur *res luxuriosa*. Respondet D. Hieronymus, ut inde moneamur etiam securitati posse subesse periculum. Si Venus, seu luxuria ex frigidis oritur aquis, quomodo non faciliùs ex calido vino? à quo propterea cavendum.

23. Hugo Card. explicans illud Psalm. 57. v. 9. *Supercecidit ignis & non viderunt solem*: ait ignem luxuriæ esse objectum, quo minus carnis addicti illecebris Deum videant in cœlesti beatitudine.

24. Meretrix puteo angusto pariatur Prov. 23. 27. quia perinde ac puteus profundus est, & obscurus; ita nonnisi tenebras libido menti offundit: si libidine fuerit anima capta perspiciendi facultatem mentis eripit, perinde ac caligo, & nubes oculis corporis lumen solis Osee 4. 11. fornicatio, & vinum auferunt cor, seu mentem, rationem, judicium. Fornicatio hominem dementat, facitque vecordem. Refert S. Ambrosius lib. 4. in Luc. cap. 4. Theotimum gravi oculorum incommodo laborantem, deperiisse uxorem, & cum ei interdicta fuisset à medico coeundi facultas; ipse libidinis impatiens dixit vale amicum lumen, & oculorum maluit cæcitatem pati, quàm ab usu abstinere conjugii. Carnalis concupiscentia excæcat oculos corporis, & mentis. Matth. 15. 14. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*: hæc cæcitas libidinosis specialiter tribuitur. Cupido ait Eusebius 8 *Strom. c. 6.* cæcos fingitur, ac pingitur, quia in cæcitate corporis, cæcitatem repræsentat mentis, quam amor carnalis invehit: nil hoc amore deterius, cum tenebras offundat cæcitatis. Nihil in mœcho remanet luminis, quod non totum occupent ferales tenebræ.

S. Bonaventura f. 1. d. 12. Peot. expendens ollam Jeremiæ objectam Jerem. 1. 13. *Ollam succensam ego video* asserit, hanc ollam infernum indicare ubi Diabolus veluti horribilis coquus carnes suas, seu luxuriosas, virósque carnales coquit, & ebullitione acriter torquet: quapropter 4. Reg. 4. 40. dicitur *Mors in olla*, seu in olla carnalium voluptatum. Unde Susanna Daniel. 13. 22. cum à senibus allicerelur ad adulterium, carnisque voluptates, dixit: *si hoc egero, mors mihi est*: quia ipsas carnales delicias mortem esse censuit. Senes enim vitam, & præmium spondebant suis annuenti votis, & mortem detrectanti. 25.

Vir carnis assuescens illecebris hominem exuit, & brutum induit, cujus naturam imitatur. Euthymius expendens illud Psalm. 79. 14. *exterminavit eam aper de sylva* seu Nabuchodonosor; hunc ob carnalia vitia, quibus assueverat, porco persimilem dicit. De Filio prodigo luxurioso Luc. 15. 15. dicitur missus, ut *pasceret porcos* nimirum præfuit porcis, qui naturam fuerat porcorum æmulatus, in cœno libidinum mersus: hoc honore afficiuntur, qui nonnisi carnis delectantur illecebris. Clemens Alexandrinus orat. adhort. ad Græcos, voluptatibus deditos sues esse dicit. 26.

David Psal. 49. *Nunquid manducabo carnes taurorum; aut sanguinem hircorum potabo?* Cur taurorum meminit, & hircorum? non ne oleraque alia mactantur animalia? ita est, mactantur, & oves, ac alia animalia; sed taurorum tantùm meminit, & hircorum, ut innueret Numini superbos, & luxuriosos præ cæteris displicere; hi per hircos, illi per tauros indicantur: ficuè Adam Præmonstrat. serm. 6. *Siquidem tauri superbos, Hirci innuunt luxuriosos; sic nec eorum carnes manducat; nec eorum sanguinem potat: eorum se non accipere dona significans, qui per elationem superbiæ tument, vel per corruptionem luxuriæ sordent.* Fertur de S. Malachia, lenonem vidisse formam præferentem bufonis ad puellam adreptentis, quam violare adnitereture: & S. Bernardus in vita S. Malachiæ addit: non prorsus aliter decuit, bestialem extingui libidinem, quàm per frigidissimum vermem. 27.

Luxuriam lusui pariatam legimus Exod. 32. 6. *sedit populus manducare, & bibere; & surrexerunt ludere*, seu mœchari; sed si ludus aleæ plures depauperavit, longè plures ludus luxuriæ. Luc. 15. 13. filius prodigus *dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè.* Non solùm corporis commoda surripit luxuriæ lusus, verum etiam mentis, ac rationis usum; adeout luxuriæ vitio correptus insano, & ei qui à Dæmone divexatur comparetur à D. Chrysostomo homil. 29. ad populum, ubi ait. *Quid luxuria correptus ab insano, & dæmoniaco differt? non videtur nudus ambulare; sed licet corporis vestibus amictus est; veris tamen vestibus privatus summa hominis gloria caret.* *Non lapidibus se ipsam cædi[t]* 28.

dit, sed sceleribus. Ex hoc fit, ut nunquam in se ipso sit: sepulchra sunt meretricum diversoria, cum multo fœtore, multa putredine sunt repleta.

29. Cum sepulchro plurimum habet luxuria cognationis; idque causæ, cur super Sodomam sulphur pluisse dicatur; stabulum fuit urbs illa nefandæ luxuriæ, cujus fœditates nonnisi sulphureo decuit igne deleri: ut ad gehennæ incendia eos præparati noscamus, qui carnis peccato fœdè corripiuntur: huc accersendus S. Gregorius Papa lib. 14. Moral. c. 10. ubi ait: *Sulphur sic ignem nutrit, ut fœtorem gravissimum exhalet, quid igitur in sulphure nisi peccatum carnis accipimus, quod dum perversis cogitationibus, quasi quibusdam fœtoribus mentem implet, æterna ei incendia præparat.* Quin imò igni pariatur infernali luxuria à D. Hieronymo Epist. ad matrem, & filiam, inquiens: *ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.* Non solum cum sulphureo igne, verùm & cum tetra gehennæ confusione quandam prætefert luxuria cognationem 1. Pet. 44. *Non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem,* & D. Paolus ad Philip. 3. 19. *quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt;* ubi confusio obscœnum quid videtur olere, quod innuit Eucherius Epist. parænet. ad Valerianum nepotem: *cui Deus venter est, & gloria in pudendis ejus,* seu in confusione.

30. Hugo Cardin. expendens illud Isai. 18. *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti* censet muscam hanc propter immunditiam, & inquietudinem dici luxuriam; sed cur in extremo fluminis, seu Nili, qui in septem diflectus rivos suas in mare exonerat aquas? an quia inter septem Capitalia peccata est luxuria deterior; & propter immunditiam ac fœtorem postremum occupat locum? Hioc etiam sentina in navi, & Noëtica Arca infima est mantiuncula, quia Symbolum luxuriæ perversè olentis. Idque causæ, cur cacodæmones spiritus audiant immundi, quia homines pravis suggestionibus ad libidinis trahent spurcitias. S. Francisca Romana, & S. Philippus Nerius fœtorem hunc sentiebant ab hominibus emanantem, eùmque aversabantur, ut habetur in eorum vitis; imò S. Magdalena de Pazzis cum ejus cadaver post mortem in feretro jaceret; & adolescens libidinosus ejus vellet faciem intueri; illa vultum in partem alteram avertit: & Bolandus 10. Januarij refert B. Oringam demortuam proprijs manibus faciem sibi veste texisse, ne à muliere aspiceretur libidinibus coinquinata. Narrat idem Bolandus 13. Januarij Libidinosos non posse ad sepulchrum S. Kentigerni accedere, statim enim moriuntur, vel morbo, aut dolere aliquo acriter torquentur.

31. Adeo fœda, & turpis est luxuria ut vel ipsi Evangelistæ nomen non audeant luxuriosi exprimere Matth. 1. v. 6. David Rex Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ, fuit hæc mulier Bethsabea, cujus nomen reticetur, vel quia suo nomine indigna fuit, vel ne famæ detraheretur adulteræ. Joan. 4. 7. *Venit mulier de Samaria* hujus itidem mulieris nomen non exprimitur, quia libidinis æstu laborabat Libidine desurpati ob infamiam indigni censentur, qui nominentur.

Filius prodigus cum adhæsisset meretricibus, induisset luxuriæ: cupiebat implere ventrem de filiquis, quas Porci manducabant Luc. 15. 16. censet S. Eusebius Emissenus Sabah. post Dominic. 2. quadrag. Porcos malignos esse spiritus, quia stercore, ac fœtore vitiorum delectantur. Hos porcos hi pascunt, qui eorum voluntati obediunt, eorùmque desideria complent. Libidines filiquæ sunt, quibus maligni spiritus nutriuntur. His dicuntur ventrem suum implere cum per carnalia desideria homines trahunt ad luxuriam, merguntque in cœno libidinis. S. Ephrem in illud *attende tibi* cap. 9 monet pulsatos libidinosa suggestionibus, ut eas statim excutiant, ait ipse. Dic suggerenti tibi concupiscentias sordidas, & immundas; vade ad Tui similes impudicos, atque lascivos. Porcorum gregem depoposcisti tibi? demergere in mare cum ipsis & non me amplius tibi servum habebis, aut voluntati obedientem tuæ. 32.

Scorpioni etiam comparari solet luxuria Pierius lib. 16. *Libidinem, & nequitiam pictus scorpio ostendit.* Hucque revocatur quod D. Hieronymus scribit de Virgine ad Avitum: *cavendum ne arcuato vulnere scorpij vulneretur,* scorpij venenum è cauda funditur. 33.

Libidine æstuans à S. Bernardino Senensi navi pariatur marino æstu, ac procella ad naufragium agitatæ; expendens illud Proverb. 30. 18. ait serm. de duodecim periculis art. 1. cap. 3. *Scriptum est tria sunt captu difficilia; via aquilæ in cœlo; id est superbus: via colubri super terram; id est avarus: via navis in medio maris, id est luxuriosus.* 34.

Calix arte cacodæmonum præparatus ad evertendos, & ab usu sanæ mentis dejiciendos homines dicitur luxuria a Guarrico Abbate serm. 1. in die Pentecostes *An non sibi videtur non modo potatus, sed & inebriatus calice dæmoniorum, qui libidinis, iræ, impatientiæ, aut similium raptatur furore passionum?* 35.

Homines carnis illecebris capti piscibus pares sunt; Synesius *lib. de Regno* marino pulmoni eos comparat, loquens de hominibus, qui Venereis assueverunt voluptatibus ait *vitam degentes Marini pulmones,* quasi luxuriæ innatarent fluctis, qui carnis diffluunt delicijs. Scimus in primæva mundi molitione ex aquis aves, & pisces prodivisse. Quid ni; aves, eos referunt qui supra luxus, & libidinis aquas se extollunt in cœlestia: Piscibus verò pares sunt qui carnis delicijs sunt addicti; hi aquis innatant luxuriæ æternorum obliti S. Thomas de Villanova conc. de S. Dorothæo. *Legimus aves & pisces eodem elemento, seu aqua fuisse formatos: sed pisces in genali elemento permanserunt; aves autem in aere supra suam Originem volaverunt. Una est hominum origo, sed differens vita: quidam suam naturalem inclinationem sectantes, quæ ad malum prona est ab adolescentia sua in seculo vagantes delicias carnis sequuntur, veluti pisces maris, qui perambulant* 36.

nlant semitas maris. Alij supra suam conditionem volantes ad æterna, & cœlestia rapiuntur. Pauci tamen qui cùm ovibus terram deserant sursum avolantes. Plures qui cum piscibus impuris deliciarum innatent aquis

37. In fluxæ libidinis pelago plerique à polypis nec latum unguem abludunt, mulierculis adhærescunt decepti. Theophylactus quæst. Physic. 8. ait Polypum Petræ, vel scopulo ita firmiter hærere, ut hinc avelli nonnisi difficulter possit. Quid ni? polypi induunt naturam quotquot in carnalium pelago voluptatum impuris mulierculis perinde ac præduris adhærent saxis, ut ob insolitam consuetudinem vix ab ijsdem avelli possint. Scitè Nicetas Choniates in Alexio Comneni filio: *vir imperatricis thalamo, ut polypus petris adhærens, arctabulis passim expansis, nequaquam inde sibi discedendum putabat.* Fœminea venustas petram imitatur, cui amasij veluti polypi ita arctè hærent, ut divelli difficulter possint.

38. Thomas Cisterciensis explicans illud cant. *Equitatui meo assimilavi te* Luxuriam currui æquiparat, cuius rotas describens ait: *Luxuriæ currus quatuor habet rotas, ventris ingluviem, coitus libidinem, vestium mollitiem, otij, soporisque resolutionem: trahitur duobus equis; prosperitate vitæ, & abundantia rerum. His duobus præsident aurigæ, torpor, insida securitas.* Serpenti libidinis vitium comparat S. Nilus orat. de fornicatione inquiens: *Par est serpentis, & fornicationis indulgentia; nam ut occasionem invenerint, mortem statim afferunt.* Quamvis blandus videatur hic serpens, adhuc serpens est; sibilo allicit, & veneno interficit.

39. Fluxæ luxuriæ voluptates aquæ conferuntur, & pœna culpæ respondit, cum Deus aquis in cataclysmo luxuriosos homines mergi voluerit, impurósque ignes extingui; pulchrè Abbas Bonæ spei de obed. cleric. cap. 6. *Rectè carni quæ nullo in cœlestia desiderio ferebatur, aquas diluvij Deus superinducere comminatur, & interficere omnem carnem, quæ spiritui noluit obedire, sed proprijs voluptatibus inservire, quæ noluit passiones corporis exercari, sed in illis sensu perdito volutari, & qui luxuriæ rheumatibus, & locis humentibus delectabiliter est immersa, tribulationum profluvio, velut aquarum diluvio pœnaliter sit submersa.* Hactenus ille. Meretricium mare quotquot traijciunt allum non appellunt portum, quàm gehennæ naufragium, quo æternùm torquendi merguntur: neque aliò naves hæ carnalium voluptatum undæ ducere possunt, eum decurrant ipsæ nativa propensione in abyssum. Timeat quisquis has sitit aquas ad recreandos libidinum æstus; has qui bibit sitim non extinguit, sed gehennæ incendia in propriam aecendit perniciem. In impurarum voluptatum ludentes pelago nonnisi gehennalis ignis pœnas ebibunt, ferrea ebullientes in sartagine, eo quia ut pisces aquis innataverint luxuriæ. Huc accersendus S. Bernardinus Senensis, qui expendens illud Ezechielis cap. 4. *Sume tibi sartaginem ferream* ait tom. 1. cap. 29. *Cur non timeant ab extremo, & sempiterno supplicio, quod post hanc vitam manet libidinosos? Ludunt quidem & lasciviunt in Pelago suarum voluptatum uti pisces, vel in maris salo, vel in flueuto rivuli enatantes: sed ut pisces ferrea in sartagine ebullient in gehenna.*

40. Venus ita ex aquis orta dicitur, ut Orco, & Acheronti comparetur, quatenus meretricia domus similis orco esse videtur: quemadmodum inferni januam ingredientes, nunquam inde egrediuntur; ita domum intrantes meretricis cum filio castitatis nunquã inde cum eodem exeunt; & vix ad viam revertuntur salutis Prov. 2. 19. *Omnes qui ingrediuntur ad eam non revertuntur, nec apprehendent semitas vitæ.* Facilis ad vitij domum patet aditus, sed difficilis exitus, salutis propriæ obliviscuntur qui alienæ carni adhærent, serviúntque libidini, ideóque negligunt ad Deum reverti Oseæ cap. 5. *Non dabunt cogitationes, ut revertantur ad Deum suum.* Inferno, & Acheronti pariantur impudicæ fœminæ, quia opes omnes, ac bona amantium devorant, ac deglutiunt, nec quicquam postea restituitur; idque causæ, cur meretrices fulcire, ac sustentare infernum dicantur, quatenus poriorem hominum multitudinem illuc pertrahunt: ubi enim Proverb. 5. 5. ait Salomon: *Pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant.* Hebraicè legitur: *& infernum gressus ejus sustentabunt*: dicuntur impudicæ mulieres infernum fulcire, quia incolis implent; quasi nutaret vacuus, nisi ab ijsdem infinitæ propemodum virorum multitudines illac ducerentur. Hæcque causa, cur à S. Ephræmo meretrix consolatio dicatur Diaboli: quatenus si dæmones capaces essent consolationis, hanc in lupanaribus inter meretrices haurirent; earum enim illecebris plura hominum millia lucrantur. Poculum exhibent illecebrarum illarum dulcedine Venereas sitientibus voluptates; cujus haustu sitis non extinguitur, sed accenditur lethalior. Veneno est poculum infectum mortem ijs illaturum, qui ora, & labia huic admovent haustui. Olim amatoria pocula, & philtra consuevisse mulieres exhibere ad virorum sibi amorem conciliandum refert S. Chrysostomus homil. de muliere & pulchritud. inquiens: *cum enim contenderent, ut sibi adhærerent, suique amore penitus astringerent amatoria pocula apparârunt: ita in gravem morbum conjectos lui, lentaque tabi traditos ex hac vita sustulerunt.* Temperant poculum, sed in perniciem, ac interitum bibentium, ac ijsdem adhærentium. Huc accersitur mulier illa Apocalyptica de qua ait Joan. cap. 17. vers. 4. *Et habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus*: quatenus aconitum suis amatoribus ad interitum offerebat: mellitum est Venereæ voluptatis poculum; sed sua dulcedine venenum propinat. Diogenes enim famosa scorta *Letiferum mulsum* vocavit. Venenum itaque ad interitum bibit, qui molliori sexui se committit; eadit qui cum impudicis stare mulieribus satagit, quia veneno infecta est potio, quam mulier impodica suis propinat adhærentibus, ut non immeritò viperæ parierur à SS. Patribus. S. Ephræmus Syrus tract. advers. improb. mul. eam describit: *Expetitam rabiem; viperam vestitam.*

S. Ana-

S. Anastasius Nicen. quæst. 63. *quietem serpentis, Diaboli solatium, viperam ornatam* S. Gaudentius serm. 9. ad Neophytos *colubrum ad illicita invitantem.* Sunt qui censent, viperas fœmellas se masculo commiscentes ei caput præcidere; adeo ut conjunctio vitam separet, & necem afferat: hoc idem videntur fœminæ impudicæ præstare: Christum hominis Christiani caput vulnerant, præcidunt: alloquitur S. Petrus Damianus has, mulierculas in quas calamũ acuit scribens Epist. 55. *Vos viperæ virosæ, quæ præ impatientis ardore libidinis, Christum, qui caput est clericorum vestris amatoribus detruncatis.* Quid igitur exitialius, quàm his viperis adhærere, ijsque copulari, gratiam, quæ vita est spiritualis, abigunt; Christum, qui caput est noster inflicto peccati vulnere à nobis sejungunt. Qui propriæ vult saluti esse consultum venenatas has viperas devitet.

Pariatur luxuria aloe, & cinnamomo à
41. Salomone Proverb. 7. *Aspersi cubile meum myrrha, & aloë, cinnamomo:* quia lenocinantis fœminæ illecebris plus inest amaritudinis, quàm voluptatis: scitè Hugo Carensis expendens effatum Salomonis: *Nota quòd tres species aromatias nominat, duas amaras, & unam dulcem, in quo notatur, quòd in carnali opere plus est amaritudinis, quàm delectationis: una amaritudo pertinet ad præsens sæculum, altera ad futurum.* Pro gutta delectationis pelagum amaroris ingrediuntur Venereis voluptatibus dediti. Appositè exclamat Ambrosius Exhort. ad Virginem lapsam c. 70. *O quàm acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio.* Et D. Hieronymus Epist. ad matrem, & filiam nervosiùs *O ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.* Luxuriam declinet quisquis gehennam timet; concupiscentiæ pravos motus compescat, ut infernales flammas extinguat. Luxuriæ voluptates gehennæ secum trahunt cruciatus; carnis oblectationibus supplicia respondent æterna. Non credas abs re Christum reprobos in extremo judicio locare ad sinistram, eósque hœdos vocare Matth. 25. comparantur siquidem hœdis; quia hœdus est animal lascivum, quò inde conjiciamus, nullum ita timere Dei judicium debere, quàm qui lasciviæ vitio fœdatur. Est itidem hœdus malè olens, ac sterilitate laborans; & luxuriosi nonnisi perversè Cœlitibus olent; & sterilescentes nullum depromunt opos bonum: scitè S. Laurentius Justinianus de Continent. cap. 4. *Ipsæ voluptates animæ impediunt salutem: oblivionem Dei inducunt; à Sapientia mentem retrahunt, sterilitatem bonorum operum inferunt, spiritualibus delicijs cor privant.*

42. Samson Judic. 15. 4. segetes combusturus Philisthæorum ignitos titiones vulpium caudis alligavit. Eadem à nobis est solertia adhibenda, ut Satanæ segetes comburamus; seu ut carnis illecebras abigamus, concupiscentiæ impuros motus compescamus, caudis necesse est vulpium utamur: seu finem perpendamus blandæ voluptatis, cujus caudæ annexus est titio gehennali succensus flammâ.

Venerem luxuriæ matrem suam è mari 43.
originem traxisse Poëtarum finxerunt commenta, sed suis non caret brevijs hocce luxuriæ mare, latent in ipso scopuli, quibus animarum illisæ naves miserè pereunt, subeúntque naufragium in gehennali igne.

Suas itidem luxuriæ, ac Veneris mare ha- 44.
bet Charybdes, quæ sectatores suos absorbent, ac interimunt, ut innuit S. Ælredus in specul. Charit. lib. 1. c. 16. ubi loquens de luxurioso ait: *Quem luxuriæ Charybdis absorbuit.* Cavenda omni studio est hæc Charybdis, quæ non solum divitias, facultates, & sanitatem absorbet; verùm etiam navigium ipsius animæ deglutit, quam in gehennæ demittit stomachum. Impudica quælibet fœmina implacabilis est charybdis, vorat enim virorum substantias, & eorumdem animam naufragam trahunt ab aquis carnalium delectationũ ad supplicia gehennalium cruciatuum. Anaxiles apud Athenæum lib. 3. de monstris feris, & Charybdi impudicam mulierem confert, & ait. Neque draconem, neque chimæram flammivomam, neque charybdim, neque tricipitem scyllam, Ponticum canem, neque sphingem. hydram, leænam, viperam, neque volucres Harpiarum genus, neque ullam aliam bestiam quamvis feritate immanem, posse cum diritate impudicæ fœminæ conferri. S. Petrus Damianus opuscul. 18. dissert. 1. cap. 7. improbas alloquens mulierculas ait. *Vos sirenæ, atque Charybdes, quæ dum suavem deceptionis editis cantum inevitabile struitis salo vorante naufragium.*

Stabulantur in hoc Veneris mare etiam 45.
scyllæ teste S. Hieronymo Epist. 1. ad Heliodorum ubi scribit. *In illo æstu Charybdis luxuriæ vorat scylla, seu renidens libido blanditur.* Est luxuria similis scyllæ, quia sibi adhærentes perinde ac fluctus bibit, & vorat. Declinandus quavis disrupta mora scyllæ scopulus, cum nautæ maria trajicientes pro malo omine habeant, si in navi hoc nominetur periculum; quantò cautius procedendum in ijs, quæ luxuriam redolent: non debent luxuriæ vocabula os nostrum conspurcare; hùc accersendus Richardus à S. Laurentio lib. 11. de laudibus Virginis ubi ait: *Scylla canis latinè sonat, quia ibi lacerantur naves quibusdam petris acutis quasi dentibus caninis, & hoc periculum signat luxuria, quæ blandam faciem protendit desuper, & subtus lacerat appropinquantes. Proverb. 5. 3. Favus distillans labia meretricis, novissima ejus amara quasi absynthium.*

Sirenæ itidem in hoc Impuritatum pela 46.
go suo cantu Veneris mare trajicientes illiciunt; voluptates omnes Sirenas dixeris, quæ suis illecebris homines fallunt, quos perdant pulchrè Synesius Epist. ad Herculianum ait: *Audivi doctum virum, qui fabulam allegoricè exponeret: Sirenas enim denotare voluptates, quæ delinitos, & suavitate eâ captos paulò post interimunt.* Idque de Veneris prætertim voluptatibus verum est. Cavendæ sunt impudicarum illecebrarum sirenæ,

renæ, quæ dum oblectant decipiunt, & deceptos interimunt, quæ enim fœminea facie blandiebantur, draconum induunt naturam: ubi legitur Isaiæ 13. v. 22. *Et respondebunt ibi ululæ in ædibus, & Sirenes in delubris voluptatis.* Textus Chaldæus effert: *& Dracones in domo habitationis deliciarum eorum.* & LXX Interpretes: *Et ædificabunt Ericij in domibus eorum.* Quæ in extima superficie sirenæ videntur blanda voce illicientes, si larvam iisdem detrahas, Dracones sunt, & Ericij, ex qualibet parte pungentes, vulnerantes. Quævis voluptas sæculi, quæ iucundam exhibet faciem dolor est, & afflictio; quapropter ubi David Psalm. 43. ait *Humiliasti nos in loco afflictionis.* Aquila apud S. Ambrosium legit *Quoniam humiliasti nos in loco Sirenum.* Sirenæ voluptatum, quæ blandæ apparent, meræ sunt afflictiones animam lancinantes. Qui sapit ad blandas harum sirenarum voces aures obserat, & surdus voluptates fugit, & meretricij blandimenta naufragij declinat.

47. Mulier impudica Charybdis est non in medio tantùm mari, sed etiam in civitate, ac domi domesticos inter parietes, ubi omnia absorbet, nunquam expletur: plura semper appetit, quamvis omnia etiam abjecta devoret, ac deglutiat. Bona singula abligurit mala mulier; idque innuit Sidonius Apollinaris lib. 9. Epist. 6. inquiens de viro luxurioso: *Ut primùm intelligere cœpit, & retractare quantum de bonusculis avitis, paternisque sumptuositas domesticæ Charybdis abligurisset.* Mulierem igitur, qui domi nutrit impudicam, voracem Charybdim accersit plerumque totius domûs substantiam, divitias omnes deglutientem; & universa bona tum animi, tum corporis absorbentem. Imò non divitias tantùm verùm, & homines ipsos absorbet hæc Charybdis, ut adnotat Philostratus Epist. ad uxorem: *Quænam hæc nova corporum pigneratio? quæ Tyrannis? Ducis me aspectu, & trahis nolentem, quemadmodum navigantes charybdis absorbeat. Erant ergo, & amoris luxus, & oculorum venti, quibus si quis semel implicatus sit, demergitur.*

Fomenta libidinis producuntur, ut coercantur.

48. Somno fovetur luxuria, & otio, non tamen otiatur ipsa, quia si ubi rosa ibi spina; ubi luxuria ibi dolores, & cruciatus. Luxuriæ vacâsse pudor est, ex pudore oritur dolor, ex dolore timor, ex timore angor, & ex angore cruciatus; sunt hujusmodi spinæ, quæ luxuriæ cingunt rosam, quæ statim emarcescit. Ubi stimulus carnis, ibi aculeus cordis, conscientiæ morsus. Quòd si voluntas fœdis assentiatur cogitationibus, quid tunc luxuria aliud gignit quàm mœstas, ac fœdas in memoria imagines; tetras in intellectu tenebras; miseram in voluntate servitutem; intestinum in spiritu bellum; sollicitam in mente anxietatem, & corrodentem in conscientia vermem. Est Acedia noverca castitatis, & luxuriæ fœcunda parens. Expertus id fuit David 2 Reg. 11. 2. *Accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem.* Post epulas somno meridiano, ac otio indulsit, mox expergefactus marcidum è somno corpus motu aliquo agitaturus, solarium insedit domûs regiæ; cumque auræ captandæ causa, oculos in hortorum laxaret amœna, vidit Bethsabeam contra solis ardorem se in horto domestico abluentem ad fontis salientis latices incautiùs renudatam, quàm castitatis cultricem decuisset; David è frigido illo fonte impuras hausit, ac ebibit flammas, quibus Bethsabeam cœpit deperire, quam ad aulam accersitam voluit; & cum interpellata de corporis usura, non fuisset obluctata, fœdavit David post epulas, & somnum alienum torum. Ecce quàm facilis è cibo & somno ad luxuriæ dedecora transit? epulæ, & otium proclive ad Venerem iter sternunt; idque causæ fuit Diogeni asserendi luxuriã negotium esse otiosorum. Non tot scintillas ejaculatur ferrum candens malleis in incude percussum; quot prava desideria homo epulis oppletus, ac otio marcescens excitat. Pulvillo dormientis Davidis Venus incubuit; & mollities suum è molli pluma ortum traxit. Somnus iste diurnus post epulas Dæmon fuit meridianus, cujus meminit Psalm. 90. & ex quo liberari exposcebat. *A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.* Fomenta luxuriæ sunt otium, somnus, mundi deliciæ.

Enutriri per gulam etiam luxuria assolet; 49. quid non agunt homines, ut corpus saginent lenocinentur crapulæ, ventrem farciant; quicquid per aërea volitat, aquis innatat, per avia sylvarum discurrit nostro tumulatur in stomaco, sepelitur ventre, veluti cæmeterio verminibus ebulliente, & cadaveribus perversè olente. Alij in aquis retis, & laqueos tendunt pisces exoticos, vel delicatiores expiscaturi: alij pedicas in sylvis obtegunt peregrinas aves aucupaturi; sed capiuntur hisce delicijs sarti Cupidinis retibus, luxuriæ laqueis. In epularum luxu libidinem adolescere, & uberiore cibo luxuriam lautiùs enutriri ex eo conjicitur, quod Noëmo contigit, qui post ebrietatem nudus, & detectus filiorum oculis mansit Genes. 9. v. 21. *Bibénsque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo* Interrogat B. Alvinus interrog. 137. in Genes. expendens textum, cur nudatio femorum post ebrietatem sequuta est? & respondet: *Quia sæpius satietatem libido subsequitur.* Proclivis est transitus à ferculorum satietate, vinique immodico haustu ad libidinem. Vix Salomon Prov. 23. dixerat: *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè; sed in novissimo mordebit, ut coluber,* statim subdit *oculi tui videbunt extraneas* innuens vini haustu libidinis excitari æstus, luxuriæ accendi flammas, quibus castitatis lilium exarescit, & virtus einefit pudicitiæ; in corporearum deliciarum fluentis fluctuant virtutes omnes; & procelloso libidinis æstu naufragæ pereunt.

Sicut pisces in aquis oriuntur, in arido 50. moriuntur: perinde luxuria in delicijs nascitur luxu in epulis enutritur, & adolescit; & jejunio,

nio, ac abstinentia deficit, emoritur: id innuit B. Albertus Magnus serm. in Dominic. 1. quadrag. inquiens: *Sicut pisces in arido moriuntur; ita luxuria in austeritate vitæ, & abstinentia à cibo, & potu emoritur.* Putrescunt pisces sine aqua, deficiunt, *& moriuntur in sicco*, cui consonat Terentius *sine Cerere, & Bacho friget Venus.* Deficit luxuria si cibus subtrahatur, & potus; adolescit vero, vires acquirit, & insolescit si corpus epulis saginetur, vino madeat. Tam paucis est natura contenta, ut illi frigida, panisque siliceus sufficiat. Non putemus olera, & legumina solis germinare pecoribus, humanæ etiam alendæ vitæ adaptantur: non est fames ambitiosa, neque deliciarum appetens, quæ solis delicatioribus, ac exoticis delectetur obsoniis; obvius panis explendæ fami sufficit, sitique extinguendæ aqua ex fonte, vel flumine hausta. Comedendum est ut vires reficiantur, non opprimantur; cibus sit ad corporis usum, non ad pondus, & gravamen stomachi; quid probrosius, quàm farcire ventrem, saburrare stomachum! vino madere immodico, in quo pudicitia naufraga mergitur; usúsque extinguitur mentis? Pharao perijt in rubro freto; sed in rubro vino mens plurium; dicatúrque insanire supra modum, qui bibit supra modum; lascivire cum hædis, qui luxu delectatur in epulis; quia ut monet S. Ambrosius lib. de Pœnit. cap. 14. *Pascitur libido convivijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate flammatur.* Et S. Nilus orat. 2. de luxuria Gulam vocat libidinis sociam, eò quia gulæ vitium, vitio semper adhæreat luxuriæ, cui fomenta suppeditat, & alimenta; ait ipse: *Libido Gulam sibi sociam assumit in bello, ut ejus auxilio, atque insidijs tandem expugnet adversarios.* Quam perniciosum bellum, quo duo confœderantur in perniciem unius! pugnant in exitium pudicitiæ, in interitum castitatis Gula & libido; quis hisce duobus est par; cum vix uni valeamus obsistere.

51. Hos fuge adversarios si nolis succumbere. Joseph in Ægypto cum ab uxore Putipharis ad turpia illiceretur, libidinis incentiva non sensit; acsi mortua in ipso esset luxuria, in quo floreret castitas, vigeret pudicitia; nec mirum gulam prostraverat ab omni luxu in epulis abstinens; ad siccum panem totum deduxerat obsonium Genes. 39. *Nec aliud noverat nisi panem*, quæ verba expendens Lippomanus in catena; ait, Joseph ex Heri sui cibis nil aliud gustâsse præter siccum panem, quo vescebatur; & frigidam, qua cum siti æstus omnes extinxit libidinis. Quia à luxu in epulis abhorruit, à gulæ se delicijs subduxit, carnis impudentiam compescuit; & indemnem florem servavit pudicitiæ.

52. Abraham Numini obsequuturus, & Saræ uxori, Ismaelem cum Agare matre domo ejecit nullo alio suppeditato viatico præter panem, & aquam Genes. 21. v. 14. *Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem, & utrem aquæ imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum, & dimisit eam.* Quid? quòd tam parcus in Agarem, & Ismaelem filium Abraham fuerit, ut solo pane, & frigida utrumque dimiserit, cum lautius obsonium consueverit hospitibus suppeditare. Quò abijt extorris liberalitas Patriarchæ? Non censeas id casu obtigisse, nec vitio avaritiæ; sed id præstitit quò mulieris consuleretur castitati: si Agarem dulciarijs, ac esculentiorum copiâ onerâsset, facilè libidinis incentiva luxus in epulis excitâsset: obsonio pauperem dimisit, ut carnis coërceretur lascivia; & solâ frigidâ æstus extinguerentur concupiscentiæ, floresque irrigarentur virtutum; ne Agar dimissa, ac libertate donata lasciviret, epularum subtrahitur luxus, quia pascitur libido convivijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate flammatur: lilium castitatis jejunus victus custodit; & carnis lascivia epularum parsimoniâ coërcetur: in paupere viatico suas castitas prodit divitias. Caveat cultor castitatis a luxu, voluptate, deliciarum mollitie, ferculorum copia, gulæ fluctuantis impetu; hæc sunt, quæ pudicitiam ad naufragium trahunt, scitè monet S. Laurentius Justinianus tract. de torr. et. *In omne malum ruiturus est quisquis impetum voluptatis, & voracitatis non cohibuerit. Hæc namque Loth in horrendum filiarum pertraxit concubitum: Hæc verenda Noë detexit: Per hanc primogenituræ honore se privavit Esau: Ipsa multorum filiorum Israel stragem exercuit. Quid namque mali ex gulæ inordinatione, atque ventris repletione non oritur? Est enim fomes libidinis, flagitiorum mater, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, stomachi lassitudo, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, insania voluntaria, ignominiosus languor, morum turpitudo.*

Temulentia aliud est fomentum libidinis, fluctuat castitas in vino, & plerunque naufraga perit. A mari ortam Venerem fabulantur Poëtæ; sed è mero pluries natam experimento deprehenderunt quotquot immodico vino maduerunt. Quantas in viros habeat temulentia vires liquet in Noë, qui diluvij victor, à vino victus fuit, ut scitè notavit S. Ambrosius lib. 1. de Virginit. *Quanta vis est vini, ut quem diluvia non nudaverunt, vina nudarent.* Latet in temulentia laqueus, quo etiam castitatis cultor capitur, dum ebrietate corripitur. Scitè S. Bacharius lib. de recip. lapsis. *Non te ebrietatis laqueis credas.* 53.

Vino divitias pariavit Socrates apud Stobæum serm. 91. ubi ait, *Vinum immutatur cum vasis: divitiæ verò cum moribus possidentium variant.* Socrati non dissentit Ariston, qui divitias vino conferens aiebat apud eumdem serm. 94. *Ut ab eodem vino alij contumeliosi, alij benigniores fiunt; sic à divitijs alij aliter afficiuntur.* Verùm perinde ac vinum divitiæ castitati insidiantur. Salomon postquam divitijs affluxit mulieribus fœdè admixtus est, non sine pudicitiæ detrimento 3. Reg. 11. 1. *Rex Salomon adamavit mulieres:* hoc est post Plutum, seu divitias Venus sequitur: cum divitijs affluxisse dicatur Jerusolymis, non mirum si gineceo molliter adhæserit. Sunt divitiæ alimenta vitiorum, ac peccandi instrumenta, pulchre ait Eucherius de contemptu mundi. *Quædam societas penè* 54.

etiam nominis duabus his rebus vitijs, & divitijs. Quid vita hominis quam quidam ad cœlum ascensus; fuit enim homo è cœno conditus propter cœlum: nemo in sublime avolat supervacuis gravatus ponderibus: nil autem auro gravius; Job auro dives ait c. 7. v. 20. *Factus sum mihi metipsi gravis.* Imò divitiæ non solùm aggravant premúntque, sed etiam ligant; suntque propterea opes compedes, & impedimenta animi, quæ ornamenta creduntur corporis.

55. Oculorum curiositas libidinis etiam habetur incentivum; David 2. Reg. 11. v. 3. *Vidit mulierem se lavantem ex adverso* seu è regij pallatij solario Bethsabeam se in horto ad pellucidos fontis latices abluentem; domus enim Uriæ respiciebat ex adverso regium pallatium; muliebris venustas speculum fuit insidiosum Davidem etiam procul aspicientem usi,ut scitè Augustinus in P s a m 50. *De longe vidit David illam, in qua captus est. Mulier longè, libido propè.* Avertendi sunt oculi præsertim à mulieribus, & si in earum aliquam jaciantur, nunquam figantur: perinde est oculos in venustam puellam figere, ac lethale vulnus castitati, ac pudicitiæ infligere: ait S. Gregorius de Davide aspiciente Betsabeam. *Lascivus aspectus scintilla fuit, quæ dum in paleam, seu formam incidit momento rapuit flammam, & fœdi amoris incendium excitavit.* Intueri non licet, quod non licet concupiscere. Oculi naturales dicuntur animi cuniculi. Sicut in obsidione munitissimæ arcis ducto cuniculo ad propugnaculum, fit resticula pulueris tormentarij, ducitúrque in lineam ad fundamentum murorum; neque igne apposito sequitur statim ruina arcis, sed paulatim flamma repit in pabulo igniariæ resticulæ, donec in specum tormentario pulvere fœtum in enorme flammescat incendium, quo horrifico magitu propugnaculum subruatur, solóque æquetur: ita eximiæ formæ pulchritudo per oculos, veluti per animi cuniculos subiens, ex aspectûs continuatione, veluti igneo fomite, ardor ipse cupiditatis in cordis pervenit arcem, ubi per lethalem ad turpia consensum ad fœdam libidinem mens tetra caligine obscuratur, cor impuris flammis accenditur, & pudicitiæ virtus perit cineſacta, gratiæ propugnaculum evertitur, muri dissipatæ conscientiæ solo æquantur. Potuit tunc David visa Betsabea dicere cum Jeremia Thren. 3. 51. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Vidit & statim è venusto illo spectaculo radius, & cum radio fulgur, & in fulgure vibrans amoris ignis, & ex igne ardor impurus interiora depascens.

56. Sua etiam aures libidini fomenta suppeditant, quia ut scitè Valerianus Niciensis Episcopus homil. 6. *Quotiescunque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur aspectus.* Quemadmodum modico distant spatij intervallo oculi & aures; ita facilis est transitus ab aspectu ad auditum; ut è converso si puellam audias tuas blanda voce, dulcique cantilena demulcentem aures; in illam statim tuos defigis oculos, ut qualis sit, & quanta ejus venustas deprehendas; & ex aspectu turpis excitatur in eamdem amor, ex amore Venereæ cogitationes,quæ blandè illicientes plerunque ad consensum trahunt. Ne malè audias,cave,has blandulas audire sirenulas. Plutarchus aures impudica audientium illis æquiparat urbium portis, quæ abominandæ vulgò habentur, quia per easdem nil fausti,jucundi, vel læti ingrediatur,&ex ijsdem Rei ad infamem subeundam mortem à carnifice educantur. Quid nî per aures infanda, & impudica audientium eunt, redeúntque plaustra obscæna Veneris fæcibus malè olentibus onusta, quæque mentem inficiunt, & cordis intima quæque perversè corrumpunt. Quoties impuris sirenulis nostras sinimus patera aures; toties sordibus oppletur mens, & carcinomis infestatur. Impura, qui loquitur ore teterrimo mephitim exhalat, quâ per aures audientium mentes commaculat; putorem emittunt quô pudicitiæ flos marcescit. Aristo Philosophiæ studiosus, ex ventis eos cæteris molestiores aiebat, qui indusium nobis retegunt; perinde castitatis cultores ex hominibus eos putant reliquis importuniores, ac nocentiores, qui quæ tecta esse oportuit, & natura ipsa latere voluit, detracta veno malitiæ intercula in patulo ponunt, ac retegunt.

57. Afflata pariter odorum suavitas,quia animum emollit, effœminátque, luxuriæ est fomentum, inducitque petulantis cujusdam lasciviæ socordiam, quæ animi robur omne infringit. Quotquot hisca delectantur odoribus, omnem à se longiùs odorem abigunt castitatis, quia veluti è comœdia comptuli, ac venustuli fœminis placere student, & ad se trahere, ac in sua impudica pertrahere vota. Quòd si columbæ exteras dicuntur ad se columbas odore trahere; mox corvi alienæ carnî inhiantes hisce odoribus exteras ad se cornices alliciunt. Lascivientis est fragrare mosco muræ; non virtute olentis; S. Cyrillus Hierosolymitanus vocat suffimentum cat. 12. *voluptatis inescatirum.* Quid aliud dixeris esse,quàm Veneris illicium, nequitiæ fomitem, & luxuriæ delinimentum. Hinc Homerus nulli odorum fragrantiam tribuit nisi Paridi, quem delicijs describit delinitum; voluptatibus elumbem, & enervatum, ac muliebri venustate cerussatum, totum à Venere, ac Cupidine mulierosum. Et Salomon delineans meretricem, eam pingit perfusam odoribus ad frangendum mentis robur accommodatis Proverb. 7. 17. *Aspersi cubile meum:* seu ut alij ex Hebræo vertunt: *cubile meum odoratum reddidi mirrha, aloë, & cinnamomo.* Sunt igitur viri elumbes, molles, effœminati, discincti nepotuli, amasii Veneris quorquot ungnentis cupiunt deliniri, odorúmque dalectantur suavitate; nilque ipsis magis volupe, quàm varia possidere thymiamata, cyphos, muscos, murium odoratas pelliculas, & totius Arabiæ suffitus. Cultor castitatis non odorum, sed operum expetit fragrantiams non unguenta, ex Arabia ad nos derivata; sed aromata è cœlo dimanata. Hinc David quos cupit virtutum addictos culturæ, iisdem com-

commendat *Myrrham*, *& guttam*, *& casiam è domibus eburneis*, seu ex operibus castitatis per candorem eboris indicatæ.

58. Potiora luxuriæ fomenta è tactu, jocisque oriuntur cum sexu altero; sunt enim ludi, qui exitio præludunt pudicitiæ, ut scribit S. Hieronymus in vita S. Hilarij inquiens: *Tactus, & Joci sunt morituræ castitatis principia*: quemadmodum est tactus sensuum omnium infimus, ita proximiùs ad fœces, ac corporis accedit colluvionem; cavendum igitur ab illo non secus, ac à putri, maléque olente cadavere, ne suo nos corrupto odore inficiat. Est tactus veluti leno libidinis, qui nonnisi interitum negotiatur castitatis; est luxuriæ colonus, qui florem pudicitiæ eradicat, est in officina impudicitiæ faber, qui pravæ concupiscentiæ flammas accendit, ut adulteria, stupra, incestus cudat. Propterea cavendum, ne mulieres tangamus; imò nec res ipsas, quæ proximè eas contingunt, ex earumdem enim contactu pestis irrepit, & lues Venerea in nos grassatur usque ad interitum Virginitatis; est etiam in ipsis scintilla voluptatis, & fomes libidinis. In muliebri amictu, in chiroteca, in strophiolo igneos latet Cupido, què tetigisse, perinde est ac ussisse. Ferunt, tactas aconito carnes eos statim necare, qui illas comedunt: nullum tamen est aconitum lethalius pudicitiæ tactu impudico alterius sexus. Qui ita ludunt cum mulieribus procellæ præludunt, in qua naufraga perit pudicitia; sicut ludus delphinorum in mari prodromus esse dicitur proximè futuræ tempestatis, qua naves demerguntur.

CONTRA LUXURIAM AMULETA, & ALEXIPHARMACA.

59. Luxuria ideo fugienda, quia putidissimus est fons malorum omnium; scaturigo omnium iniquitatum; & sanguisuga totius substantiæ. An non declinanda luxuria, quæ fœcundissima nequitiarum est parens? Quòd si rosam dixeris, eam perpende spinis circumvallatam. Ubi hæc luxuriæ Rosa vernat; ibi tristitiæ hyemant spinæ: ut in arboribus foliorum, ita in hominibus vitiorum pullulat luxuries; cujus tamen fructus amarissimi sunt, ac interimentes eos prægustantes. S. Ambrosius expendens illud 2. Reg. c. 23. v. 17. *Num sanguinem hominum istorum, & animarum periculum bibam? noluit ergo bibere.* Quærit, quis eum ne biberet cohibuit? Respondet: suavitatem bibendi habere non poterat, quæ proposito mortis horrore constabat; illi non sapit aqua, cui horrida mora ob oculos versatur. Si mors perpendatur imminere, nulla est sine felle voluptas, nulla sine amarore luxuria.

60. Mortis imminentis consideratio præsentissimum est alexipharmacum libidini coërcendæ, S. Gregorius expendens verba Job. 34. v. 15. *Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem revertetur* ait lib. 23. mor. c. 16. omnes affectus carnales peribunt, & homo, quasi in spiritum revertetur: sed quæris cur? *quia homo in cinerem revertetur* Psalm. 103. 29. *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem revertentur.* Hoc est si perpenderit homo humum esse, ac inanem cinerem, tumentes spiritus illicò deponet.

61. Deus protoparentibus frœnum injecturus, ne injunctum sibi præceptum transgrederentur mortis iisdem objecit memoriam. quam fuit minatus Genes. 1. *morte moriemini.* Sed Diabolus mortis cineres insufflavit, quo avolarent, & impressa mortis memoria deleretur: *nequaquam moriemini.* Quid ni? excussis cineribus prunæ acriùs ardent, torquéntque tangentes. Isai 54. 16. *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas.* Si fabri fornax follis halitu non insuffletur quiescunt veluti emortui sub cineribus igniti carbones: sed follium insufflatione cum primum volitant cineres, flammæ quasi è somno expergefactæ acuuntur. Vis gehennales sopire flammas mortis cineres menti freqoenter obversentur.

62. Jubet Christus Luc. 15. 22. calceamentis pedes induere: *Calceamenta in pedibus ejus.* Cur non potius nudipedem voluit, & à superfluis abhorrentem? Quia calceamenta ex mortuorum pellibus consuuntur, cum mortis refricent memoriam concupiscentiæ coërcendæ accommodatum sunt frœnum: metu siquidem imminentis mortis absterrentur homines à carnalibus voluptatibus: scitè S. Gregorius lib. 16. Moral c. 19. *Nihil sic ad edomandum desiderium carnalium appetituum valet; quàm ut unusquisque hoc quod vivum diligit, quale sit mortuum penset.*

63. Lumbos nostros præcinctos cupit Christus Luc 12. 35. *Sint Lumbi vestri præcincti*, quia cingulum ultimum est adsciti ornatûs. Cum quis eo cingitur nil ulterius ei superest induendum; sed supponitur vestes omnes jam induisse. Jubet igitur Christus, ut ita vivamus, quatenus omnibus jam necessarijs operibus absolutis mortem diebus singulis, imò & horis expectemus, quò ejus gelu æstus extinguamus concupiscentiæ; impetus coërceamus effrœnis libidinis: appositè S. Bonaventura serm 41. Domin. Quinq. *Nihil utilius ad domandam carnis lasciviam, & ad illuminandam animas, quàm cogitare qualis homo sit futurus in morte.* B. Margarita de Cortona per annos novem lascivo adhæsit juveni: cumque ille semel secedens canem secum duxisset; hic post dies aliquot ad Margaritam reversus, dentibus apprehensa veste extra domum eam pertrahere adnixus est; admirans mulier insolentem canis conatum, eum domo exeuntem sequitur, donec ad lignorum quamdam struem subsistens, ligna illa aspicit immobili intuitu, quasi mulierem moneret, aliquid sub illis latere; cæpit mulier ex curiositate aliquot amovere ligna sub quibus amatorem suum juvenem mortuum videt, ac vermibus jam scatentem; quo spectaculo permota resipuit, & reliquum vitæ pœnitentijs insumpsit, & patrata flagitia lacrymis delevit. In ejus vita

64. Efficax curando depravatæ concupiscentiæ æstui alexipharmacum memoria est judicij & æternitatis: vides post punctum lineam sequi; ita post punctum ultimum temporis linea sequitur interminata æternitatis, sive hæc

fausta fuerit, sive cruciatibus misera; hæcque incipit ubi nostra desinit mortalitas: ex puncto illo vitæ ultimo cruciamenta sequuntur, vel præmia, quæ nunquam erunt interitura; estque propterea punctum terribilium omnium terribilissimum ob id quod sequitur, seu judicium: *Quâ fiducia* ait Eusebius Emissenus homil. 2. de symb. *stabit desertor ante regem suum? vulneratus ante medicum suum? Perditus ante pretium suum? Unde misericordiam petiturus est, primùm de contemptu misericordiæ judicandus?* Bestiæ metu, ac sensu doloris absterrentur a voluptatibus, ad quas à natura impelluntur: & metu saltem judicij, ac gehennæ debent homines ab illicitis abstinere, motúsque depravatæ concupiscentiæ compescere; ut præstitit S. Augustinus inquiens lib. 6. confes. cap. 6. *Nec revocabat me à profundiore voluptatum carnalium gurgite nisi metus mortis, & futuri judicij.* Cum luxuriæ stimulis pulsaris, concupiscentiæ æstu inflammaris, perpende gehennæ cruciatus post mortem nunquam morituros.

65\. Igni dicitur ignem extinguere; & flamma libidinis, luxuriæ ignis gehennæ igne vel extinguitur, vel abigitur S. Chrysostomus homil. 10. in 2. Corinth. Si *libidinis igne flagras ignem illum appone: atque hic statim extinguetur, & evanescet.* Momentaneæ dulcedines nos alliciunt, ut ad æternas nos ducant amaritudines, carnis delicijs, sensuum illicijs per instans temporis delectamur, quò æternùm gehennæ cruciatibus torqueamur. Annon insaniunt quotquot carnis perfunduntur delicijs, ac voluptatibus corpus enutriunt; ut horarijs delicijs cruciatus sibi ex emant nunquam finiendos? *Qui ad voluptates obscœnas colliquescunt* ait S Nilus in Parænesi; *cogitent voluptatis brevitatem, & pœnæ magnitudinem.* Nemo hæc laborat insania, qui lubens æternam velit pœnam subire, ut instantanea fruatur volatica carnis voluptate. *Quanta iniquitas* clamat S. Augustinus, *quàm lugenda perversitas, ut animam, quam Christus sanguine suo redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem libidinis Diabolo vendat.* Delira est hæc iniquitas, cui tamen obnoxia esse videtur potior hominum multitudo. Adeo Numini, ac Cælitibus displicet luxuria, carnisque voluptas, ut à Deo non solùm in altera puniatur vita; verùm etiam in præsenti; Salomon inducens meretricem loquentem ait Prov. 7 Aspersi cubile meum *Myrrha, & aloe, & cynnamomo* tres recenset aromaticas species, ex quibus duæ priores amaræ sunt, tertia aliqua dumtaxat dulcedine profunditur, estque voluptas carnalis, cui duæ associantur amaritudines, seu supplicia, temporaneum unum in hac mortali vita; æternum aliud post interitum in altera. Non credas quid aliud cœli aperuisse catarratas, ac cataclysmum traxisse in mundi naufragium, hominúmque exitium, quàm fœda in terris libido, carnisque indulgentia. Hæc Numinis iram accendit, & in mundum diluvij calamitates traxit; neque impuræ fœdæ libidinis flammæ alijs erant undis extinguendæ, quàm universalis diluvij, eò creverunt, quò pauciores non sufficeissent aquæ ad tantam fœditatem delendam; nimirum perijt aqua humanum genus, ne extingueretur igne; licèt quod aqua diluvij perdidit, aqua restauraverit baptismi.

Elementa igitur ultora contumelias Deo illatas per fœdas libidines mutuo juncta fœdere conspirârunt contra humanum genus: aër, & terra pluvijs, nimbis, & fluctibus animalia quæque cum hominibus expugnârunt, everterunt, quasi aër exhorresceret halitus ipse pene libidinosorum, ac eorumdem inservire respirationi; & terram puderet tot substerni fœditatibus, ac luxuriæ spurcitijs. Aquarum cataclysmum eluvies libidinum, ac turpissimarum cupiditatum provocavit; Oseæ 4. v. 2. *Furtum, & adulterium innudaverunt, & sanguis sanguinem tetigit: propter hoc lugebit terra.* Tacuit per multum tempora Dei connivendis patientia, sed tandem insurrexit justitia, quæ pœnas exegit tanto severiores, quanto divina, clementia mitiùs expectavit resipiscentiam: sed quia in cunctis homines deliquerant, sine spe resipiscendi, in cunctis feriuntur: *Omnis caro corruperat viam suam* Sapient 3. & 5. Pugnavit cum Deo orbis terrarum contra insensatos: *armavit creaturam in ultionem inimicorum.* Libidinum fœditates, quæ terram contaminaverant, aquarum ad se cataclysmum traxerunt. Ait sacer Historicus Genes. 6. *cum cœpissent homines multiplicari super terram* cum hominibus multiplicata fuerunt adulteria, incestus, fornicationes; dixeritque propterea Isaias cap. 9. *multiplicásti gentem, sed non magnificasti lætitiam.* Pergit sacer Historicus: *& filias procreassent:* Si quæras, cur solæ fœminæ recenseantur genitæ, cum plures mares fuerint etiam procreati. Respondent Interpretes, ob hominum in carnis voluptatibus intemperantiam plures fuisse fœmellas procreatas, quàm mares: luxuriæ excessus vires debilitat generandi. Sequitur Moyses: *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ acceperunt sibi uxores, quas elegerant.* Prima hominum pernicies, suum ab oculis incustoditis duxit initium. Sunt oculi naturales animi cuniculi per quos haustæ à fœminea venustate flammæ irrepunt in arcem cordis, & virtutis propugnaculum, castitatis munimen evertunt. David licet sanctitate quàm purpura clarior, cum somno pomeridiano se recreásset, otióque indulsisset surrexit è regio lecto, & aurâ fruiturus liberiore solarium perambulavit, ubi liber in omnem viciniam prospectus erat. Laxavit ibi oculis habenas cósque curiosè circumagens *vidit mulierem se lavantem ex adverso.* Quid mi? ait Augustinus *mulier longè; libido prope:* è venusto renudatæ Bersabeæ spectaculo impura concepit desideria; & è frigido fonte flammas ebibit, quibus pudicitia cinefacta perijt, & tunc dicere potuit cum Jeremia Thren. 3. 51. *Oculus meus deprædatus est animam meam.*

Cum primùm igitur cœperunt filij Dei 67. videre filias hominum, seu fœminas è vitiata Caini stirpe oriundas, eas impudicè conceperunt. Postquam homines per septem ab Adamo protoparente generationes in avitæ pieta-

tis

tis studijs perseverâssent, & Cainitarum consortio, ac connubijs abstinuissent; tandem labem ex prava inolita consuetudine contraxerunt, & matrimonia cum gente à Deo maledicta contra vetitum inierunt. Propterea dixit Deus: *non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est:* seu voluptatibus carnis, spurcitijs libidinum indulsit: ab hisce effœminatis auferam spiritum, seu vitam; & humanæ ætatis contraham spatia Luc. 17. v. 27. *Edebant, & bibebant: uxores ducebant, & dabantur ad nuptias usque in diem, quâ intravit Noë in Arcam, & venit diluvium, & perdidit omnes.* Quòd si diluvium perdidit homines ob luxuriam in terra; quale erit diluvium flammarum in gehenna? cum duplici amaritudine temporaria, & æterna, dulcedo puniatur carnalis voluptatis? Dei nobis præsentis consideratio plurimum obtinet roboris ad impetus coërcendos libidinis. Idque nos edocuit Susanna cum insanientes redarguit senes, ac eorum compescuit luxuriam: dixit Daniel. 13. v. 23. *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini,* Dei ibi præsentis consideratio clipeus fuit, quo munita Susanna senum propulsavit assultus.

68. Hydrope, qui laboravit in Evangelio Luc. 14. ante Christum restituitur sanitati; adeout sola Numinis præsentia fuerit alexipharmacum curandæ infirmitati efficacissimum *Ecce hydropicus ante illum.* Hydropicus est qui per dissolutam vitam & pravæ concupiscentiæ æstum carnis sitit voluptates: Is ut sanetur alexipharmaco utatur Dei præsentiæ, ne coram illo id agat, quod erubesceret coram homine. Hinc Isai. 12. 6. *Magnus in medio tui sanctus Israel,* sed cum dixisset Propheta, adesse Deum in medio Israelis; ex hac Numinis præsentia intulit excidium Babylonis, interitum peccati subdens *Onus Babylonis* Isa. 13. idest servitus peccati cessabit, ac delebitur iniquitas: quia nil magis avertit à peccato, quàm Dei in mente præsentia. Idque causæ, cur filius in Evangelio prodigus omnem suam abliguriverit cum meretricibus substantiam Luc. 15. 13. *Profectus in regionem longinquam ibi dissipavit substantiam suam.* Quòd si quæras, cur in patria eam non dissipaverit, cum potuisset voluptatibus, carnisque delicijs indulgere? Respondet S. Chrysologus serm. 1. quia in patria: *ea paterno aspectui vis inerat; ut quodammodo præpeditus, cupiditatibus non posset indulgere.*

69. Memoria Dominicæ Passionis plurimum etiam obtinet roboris ad impetus coërcendos carnalis concupiscentiæ. Symbolum hujus alexipharmaci exhibuit Moyses cum in deserto æneum conflavit serpentem è palo eminentem, quem cum percussi aspicerent sanabantur. Num. 21. 9. *Fecit Moyses serpentem æneum, quem cum percussi aspicerent sanabantur.* Hugo Card. in Psalm. 15. per serpentem in præalta alligatum hasta, Christum intelligit cruci affixum; quem si percussi à serpente carnalis concupiscentiæ aspiciant, seu Christi meditentur passionem concupiscentiæ impetus retundunt, & à morsibus sanantur tentationum. Sponsa fasciculum myrræ suo fuit in sinu complexa, præsertim nocte cum tentationes turpes ingruunt, titillationes pulsant, phantasmata concupiscentiam accendunt. Cant 1. 12. *Fasciculus Myrrhæ inter ubera mea commorabitur,* seu ut habet textus Hebraicus *pernoctabit.* Myrra siquidem Dominicæ passionis efficax est amuletum ad turpes abigendas cogitationes, ac lascivientes concupiscentiæ motus coërcendos, aiebat S. Augustinus in Manual. c. 22. *Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio recurro ad vulnera Christi.* Est recordatio Dominicæ passionis scutum, quo castitatis cultor tela retundit insurgentis concupiscentiæ Jerem. Thren. 3. 65. *Dabis eis scutum cordis, laborem tuum.* S. Bonaventura ser. 11. hoc dominicæ passionis amuletum contra luxuriæ stimulos plurimum commendat inquiens: *Qui delicijs delectaris aspice Christum passum: est enim summum remedium contra omne carnis incentivum, cernere Dominum suum ad columnam alligatum, acriter verberatum, in cruce extensum, clavis affixum.*

Occasionis fuga præ cæteris luxuriam 70.
coërcet, nec sinit concupiscentiam insolescere: corporis nostri navigium æstu plerunque agitatur depravatæ concupiscentiæ, quæ libidinum malè olentis sentinam circumfert, in quam nec aspectus injiciendus; imò ne inficiaris procul fugiendum; mephitim exhalat quæ proximum aërem corrumpit, quem si attrahis inficiaris S. Ambrosius in Psalm. 118. Octon 1. ait. *In hoc navigio tui corporis movetur æstus cupiditatum, & non avertis oculos tuos ne videant sentinam libidinum? ne aspiciant mundi hujus stercora?*

S. Nilus orat. de Fornicar. Vitium libidi- 71.
nis, æquiparat serpenti, qui solo anhelitu venenum exhalat, & timentes illud ebibere una cum aëre se ab ejus præsentia subducunt fugiunt ab ejus etiam aspectu: ait ipse. *Par est serpenti libidinis indulgentia: nam ut occasionem invenerit mortem statim affert.* Positus in peccandi periculo proximus est præcipitio: nos monitos vult sapiens ut hunc serpentem, seu peccandi occasionem quâvis disrupta cunctatione fugiamus Eccles. 21. 2. *quasi à facie colubri, fuge peccata.* Non solùm cavendum, ne incurras morsum, verùm ut fugias etiam tactum: imò non solùm à contactu, verùm etiam ab aspectu fugiendum est. Nullus enim est tam noxius corpori coluber, quàm animæ mulier. Cum primùm equus licet elumbis, ac enervis equam videt non semel tantùm, sed iterum adhinnit: etiam senes Susannæ effæti, viribúsque destituti videbantur, qui tamen visâ fœminâ vel in ipsis canitiei nivibus impuras libidinis flammas excitârunt. Non priùs desinit nos caro titillare, quàm putruerimus in sepulchro.

EXPEN-

EXPENSIO II.

Pleraque producuntur Symbola à fonte hausta comparationis, quæ larvam superbiæ detrahunt, & qualis sit produnt.

1. QUemadmodum humilitas quò se magis demittit, eò altiùs efferenda est: è converso quò se altiùs superbus effert, eò profundiùs se in ima dejicit. Ascensus viri superbientis descensus est; imò lapsus, & præcipitium ut monet Richardus in cant. Abacuc inquiens: *Citò mens se in superbiam erigit, quæ se ad virtutis culmen excrevisse perspexerit. Sed quanto quis altiùs se per superbiam erigit; tanto inferius sub se deserente Deo per culpam dejicitur. Sicut scriptum est. Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos.* Superbientis altitudo putei est profunditas; dicitur enim altum etiam de profundo; quo pacto etiam in sacris paginis puteus altus dicitur, hoc est profundus, quò sciat superbus eò profundiùs se dejicere, quò altiùs putat inscendere, scitè Vgo Victorinus cap. 2. in Regul. D. Augustini: *Omnis superbus tanto in imo est, quanto in altum se erigit; tantóque profundius labitur, quanto excelsius elevatur, ut statera.*

2. Superbiæ, & jactantiæ verba veterem hominem sapere, novum non redolere, ut mirum non sit, si verba tumida, & ob superbiam inflata dicantur in sacris literis verba vetera, adnotavit noster Agellius in cant. Annæ. *Hebraico sermone verba jactantiæ, tumorisque plena vetera dicuntur: cum etiam in Psalm. 30. dictum sit in Hebræo: Qui loquuntur adversus justum vetera in superbia, & abusione.*

3. Superbiam meretrici Apocalypticæ, & Athaliæ mulieri perniciosissimæ æquiparat Petrus Blesensis Epist. 3. Inquiens. *Ille qui in altis habitat, & humilia respicit, superbiam super omnia detestatur. Hæc est illa sanguinaria meretrix, quæ de calice Babylonis aureo propinat hominibus spiritum vertiginis. Hæc est illa Athalia, quæ ferè omne genus regum extirpavit.*

4. Fulmini è cœlo ruenti in ima terrarum componi superbia assolet; quia fulmen præaltas quatit turres, quas humi æquat: & superbia è summo cœlo in ima detrusit inferorum Luciferum suis cum asseclis, qui à constantia desciverunt. Luciferum insolente mentis elatione æqualitatem ferunt Numinis ambivisse, neque sua contentum arrogantia plures alios in suam spiritus pertraxisse societatem; qui cum similem Altissimo acclamaverint, cœperunt Angelorum cohortes scindi in factiones. Pars sincerior peracriter contra Luciferianos invexit. Primus Prælij dux Michael fuit unus è Seraphinis: hic desertores attonans dixit. *Quis sicut Deus* simúlque cum Angelorum fœderatorum ordinibus in perduelles pugnavit, non districtis gladijs, vel jaculis, aut hastis, sed mutuis odijs. Tum fulminante Dei decreto fulguris more è summo cœlo præcipitetur Lucifer in Tartarum; fitque omnium infelicissimus, qui suprema felicitate donatus similis voluit esse Altissimo: & *qui nidum inter sidera posuerunt, detracti sunt.* Abdiæ. 4. Quid ni superbia Luciferum è summo cœlo deorsum in imum gehennæ præcipitem egit; & ex splendidissimo jubare, nigerrimum effecit titionem fumum emittentem ad alienas lacrymas eliciendas; è miraculo venustatis in teterrimum cacodæmonem deformavit. Par igitur fulmini est superbia; vel si mavis fulguri; Christus Lucæ 12. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Timeat superbia dum sursum nititur inscendere; tunc præcipitium sibi aperit cum ad altiora vult dignitatum culmina evehi. Sit ruina Angelorum, hominum cautela. Casus Luciferi assimilatur fulguri; non solùm ob velocitatem descensus, quia momento ruit; verùm etiam ob brevitatem lucis; quæ in ortu suo extinguitur. S. Chrysostomus innuens mala, quæ superbia invehit ait homil. 43. ad popul. *Nullum malum par elationi, hominem reddit dæmonem contumeliatorem, blasphemum, perjurum, cædes facit, & homicidia cupere. Elatus semper in doloribus vivit, semper indignatur semper mæret.*

S. Gregorius Nyssenus orat. expendens illud Genes. *Faciamus hominem ad imaginem nostram,* hominem monet, ne laudibus inflatus extollatur; neque se ipsum jactet, nec magnum quid se esse putet, ne fiat volucri similis: sunt enim aves naturê leves, ac instabiles huc, illucque volitantes; & ne sicut aves capiantur tartarei Aucupis retibus, vel laqueis: Ecclesi. 9. 12. *Sicut aves laqueo comprehenduntur; ita capiuntur homines in tempore malo.* 5.

Hugo Cardin. *in Genes.* 11. 4. superbiam turri Babel æquiparat, quæ contra Deum erigitur, sed confusa dejicitur. Et in Psalm. 19. currui Pharaonis Exod. 14. cujus equi divitiæ, & nobilitas. Solent hi duo equi currum trahere superbiæ. Cassiodorus in Psal. 57. Rhamno arbori ramos spargenti rectis aculeis, ac torenti quidquid attingit, ignem emittenti, & cætera igne consumenti. S. Bonaventura s. 3. Dom. 1. quadra. leoni rugienti, & clades minitanti. Hugo Cardin. ægritudini Ezechiæ. *In diebus illis ægrotavit Ezechias* 4. Reg. 20. 1. Est enim superbia ægritudo non quorumcumque membrorum, sed capitis. Alij lepræ Naaman 4. Reg. 5. 1. quia hoc morbo præsertim laborant magnates, & viri principes, qualis fuit Naaman Princeps Syriæ. Job. 7. 12. Mari fluctuanti *Nunquid mare ego sum, aut cetus?* Per mare fervens, & fluctuans intelligitur superbia S. Basilius monti nubibus obsito, ac turbato expendens Psalm. 45. 4. *Conturbati sunt montes in fortitudine ejus.* Eos dicit montes esse quotquot propriæ confidentes potentiæ superbiunt tumidi, séque contra Dei scientiam extollunt. S. Gregorius Moral. l. 15. c. 33. expendens illud Psalm. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum* edisserit quòd sicut ex abundanti cibo adeps; ita ex abundantia rerum, ac divitiarum redundantia oritur superbia, quæ divitis mentem impinguat; idque contingit cum divites intumescunt supra alios, quos habent contemptui. Superbia cordis, quædam est veluti pinguedo crassi- 6.

crassitudinis: & quia divitiæ plerunque vitia fovent: & ex abundatia oritur peccatum rectè Regios Vates dixit: *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum.* Petrus Blesensis Epist. ad virum nobilem, Elephanti, qui Eleazarum sua mole interemit, priùsque sepelivit, quàm moreretur. Turri in Siloë, quæ suos ædificatores interfecit Luc. 13. 4. Meretrici sanguinariæ, quæ de calice Babylonis propinat hominibus spiritum vertiginis. A. D. Thoma Aquin. 1. Cor. 15. Lec. 2. Inflationi; quia id inflatur quod solidam non continet materiam, & intus inanitate oppletum, superbientes enim veluti utres inflati, nil continent solidæ virtutis, & nonnisi inanitatem produnt. A S. Vincentio Ferrerio Araneo, qui sicut se eviscerat inanem texturus telam solis capiendis muscis aptam: perinde superbus animam perdit aucupaturus muscas humanæ laudis, vel honoris. S. Thomas in Psalm. 28. explicans verba illa *Vox Domini confringentis cedros* æquiparat superbiam abjeti, & cedro, quæ arbores sunt præcelsæ, & cadunt propria ex sublimitate, Zacchar. cap. 11. *Quia ceciderunt cedri, non ululet abies,* quod de Angelis per superbiam peccantibus intelligit D. Petrus Epist. 2. c. 2 *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Et Christus Luc. 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* A S. Ephræmo de vita Religiosa, Arbori excelsæ, ac speciosæ, sed infructuosæ. Superbus præ cæteris nititur eminere, sed nullus in ipso est boni operis fructus. Ab Isidoro in cap. 9. in Levit. Cygno eò quia altæ sit cervicis, & internam cutis nigredinem extimo plumarum candore obtegat. Superbus nonnisi splendoribus irradiatus vult ab alijs videri; cum tamen intus vitiorum denigretur caligine. A D. Augustino in Psalm. 55. Diei altitudini expendens enim illud *Ab altitudine diei conculcaverunt me* explicat *à superbia temporali;* nósque monet, ne velimus timere altitudinem conculcantium: quia diei altitudo temporalis est, non æterna. Divus Thom. in 1. cant. servientes luxuriæ, & superbiæ pares facit equis sub curru Pharaonis; seu sub tegmine Diaboli.

7. A D. Bonaventura superbis fumo similis dicitur; quia sicut fumus in sublime ascendens deficit, & evanescit: ita superbia, quò ad altiora nititur, eò citiùs deficit. A S. Gregor. lib. 4. moral. cap. 3. Montibus Gelboë, qui sterilescentes nec fructibus producendis, nec segetibus alendis apti sunt. Superbi enim nullis resipiscentiæ lacrymis madentes, nullo rigati cælesti rore, fructu destituuntur boni operis. A S. Vincentio Ferrerio de propriet. Vit. cap. 1. Lupo, qui uno mense ventô vivere dicitur. Superbi enim ut plurimum inani populi aura pascuntur. A S. Isidoro c. 1. in 1. Reg. Goliatho, cui David caput amputavit. Deus enim per humiles superbis resistit. Quòd si mundus mare dicitur procellosum fluctibúsque decumanis intumescens ratione tumoris per superbiam; sicut mari arenam litoris Deus terminum posuit; ita hominum superbiæ abjectos, & pauperes objecit. A D. Thom. Giganti explicat Isai. 26. *Terram Gigantum detrahes in ruinam,* & per gigantes, superbos intelligit, ac potentes. A S. Augustino montibus, expendens Psalm. 96. *montes fluxerunt sicut cera à facie Domini* quærit, quinam sint hujusmodi montes, & respondet esse superbos intelligendos altitudine extollendo se adversus Deum. S. Thom. in Apoc. 6. Diceris monti huic id est superbo Diabolo; *transi hinc* id est ab obsesso corpore *in altum maris,* seu in profundum inferni, & *transibit.*

Montibus Pardorum etiam pariantur superbi: siquidem à D. Thoma per montes Pardorum sæculi potestates, ac præpotentes intelliguntur: qui veluti montes in superbia extolluntur, & malignis spiritibus, quasi leonibus, ac Pardis cubilia præparant. A D. Augustino Navibus Tharsis in Psalm. 47. quia superbi populari aura tumidi in incertis ventorum flatibus præsumunt. Ab alijs oleo pariatur superbus, eò quia cæteris velit supernatare, ac præesse. S. Augustinus in *Psalm. 57* superbos Tauris æquiparat. *Congregatio Taurorum,* seu superborum cornupetarum inter vaccas populorum. Superbus Tauro similis fertur, quia in tauro cervix superbiæ demonstratur ut expendit S. Gregor. in Job. c. 13. Vento à D. Bonaventura similis dicitur superbia; quia hæc perinde ac ventus citò efflat, transit, ac deficit: lumen boni operis extinguit, rorem divinæ gratiæ exsiccat; & pulveres inopum, ac pauperum per contemptum exsufflat. 8.

Paleæ solet superbus etiam conferri: extollitur palea super granum, non quia dignior, sed quia levior: in hac vita plerunque superbia inflatus fertur super humilem non ob meritum, aut culturam virtutis, sed ob vanitatem, vel falsam opinionem; & quia plenus levitatis ut palea, & nihil ponderis, ac virtutis habet. Hinc superbire naturæ adversatur hominis, qui cum origine, & resolutione sit terrestris, & ex terra compactus, & ex humo homo, & terræ propria sit gravitas, est illi naturale descendere, ac humiliari, & subesse cæteris elementis; & contra ejus naturam in sublime eniti, ac ascendere. Hinc superbi locustis pariantur: quæ in saliendo se erigunt: sed statim cadunt. Dicuntur à vento Australi generari; & in aquilone emori. Quid ni post superbi ascensum statim casus, testis Amanus in aula Assueri, ubi ortus ex austro favoris regij, illico in aquilone defecit. 9.

Beati pauperes spiritu, Matth 5. 3. seu 10.
carentes spiritu superbiæ; quia hoc spiritu inflati miseri sunt, ac detestabiles. Spiritu superbiæ ditescentes pauperes sunt, quia censu virtutum destituti; & eorum est Regnum Diaboli. Quia ut ait Cæsarius Arelatensis homil. 23. *Omnis qui superbiam diligit, Diabolo plenus est.* Sed si superbus filius dicitur Diaboli; non dubites, humilem filium esse Dei. *Fugienda est superbia* ait S. Bernardus serm. 1. Advent. Domin. *quæ non modò Angelum;* sed Angelorum primum in Diabolum commutavit.

Genes. 28. 12. qui per scalam Jacobo in 11.
somno objectam, seu per gradus hujus vitæ ascende-

scenderant ipsi visi sunt descendisse; & qui in imo jacuerant scalæ, seu humiles in hoc sæculo fuerunt; hi per eamdem ascenderunt *Ascendentes, & descendentes,* scala erecta Symbolum præsefert hujus vitæ, in qua, qui ascenderant superbientes, despecti descenderunt. Hinc Regius Vates Numini eniaim suppliravit, quatenus nollet permittere eidem superbiæ pedem Psalm. 35. 12. *Non veniat mihi pes superbiæ:* non dixit in plurali pedes, quia superbiæ spiritu inflatus facilè eadit stare nescius. Lucifer quia superbivit in Numinis similitudine infeliciter cecidit Joan. 8. 44. In veritate non stetit. *Fortassis* ait Beroardus serm. 85. in Matth. *sedere voluit, qui stare non valuit.* Censet Cassiodorua in Psalm. 35. Noo vacare mysterio, quòd pedem hic singulari numero posuerit: quia uoo tantùm pede non potest homo continuè stare; qui propterea opportunè superbiæ coogruit: quia homo superbus unico pedi inniaus superbiæ stare diu nequit; Hinc David Psalm. 72. 18. *Dejecisti eos, dum alevarentur:* quia ubi mens tumore superbiæ inflata elevatur, ipsâ elevatione dejicitur; superbus divina transgreditur mandata, & descendit à legis observantia Luc. 10. 30. *Descendebat ab Jerusalem in Jericho homo quidam, & incidit in latroues:* quia descenderat à lege incidit in latrones. Descendebat, quia mente tumebat; tumore ascendere, perinde est ae descendere, Rupertus lib. 5. c. 1. in Genes. Ascenderat Nabuchodonosor in aurea sua statua ad divinum honorem, quem sibi arrogavit in statuæ cultu: sed illico descendit brutis adscitus. Væ homini cujua auriga superbia est, necesse est præceps ruat. Audeo tamen dicere, ait Augustinua de spiritu l. 14. c. 13. *Superbis esse utile cadere in aliquod apertum, ac manifestum peccatum, unde sibi displiceant; & resipiscant. Salubriùs Petrus sibi displicuit, quando flevit; quàm sibi placuit, quando præsumpsit.*

12. Puniturus Deua serpentem, qui in terrestri paradiso suasit Evæ pomi vetiti esum, diait Genes. 3. 15 *Inimicitias ponam inter te, & mulierem;* sed quænam pœna fuit hæc serpeoti inflicta si nullum inde dolorem sensit. Magnam ait Abulensis pœnam fuisse; quia cum Diabolua superbus sit: proprium est superbi acriter dolere si aggrediatur, ac vincatur à sexu fragili, ac imbelli: quo pacto soperbientes voluit Deus per fœminas imbelles prosterni. Sisara à muliere prostratus fuit Jud. 4. 21. Amalechum fœmina interfecit Judic. 9. 53. mulier cultro Attilam, qui dici voluit flagellum Dei occidit. Non solùm per fœmioas, verùm & per parvuloa Principea superbi deprimuntur prosternuntur. Judic. 8. Mandat Gedeon Jethero adolescenti, ut reges ioterimat *Surge & interfice.* Tunc Reges quasi essent contemptoi Hebræis doluerunt spreti, proiode rogâruot Judic. 8. v. 21. *Tu surge, & irrue in nos:* rogarunt ut à Gedeone strenuo in pugnis duce interficerentur non à Jethero; idque ne eorumdem detraheretur honori: quia ut notat Abulensis quæst. 17. *magis horrebant mori per manum pueri.* Imò & per minutissima insecta deprimuntur superbientes Reges; ut Pharao, qui in Ægypto spiritu superbiæ ioflatus ausus fuit flocci facere ipsum Deum: eum rogaretur à Moyse, quateous jussu Numinis dimitteret populum libertate donatum, arroganter respondis Exod. 5. 2. *Quis est Dominus?* sed cum primùm muscæ omois generis volaro, proposcide, maculis, imò & morsu, linctúque fœdo momorderont Ægyptios, contaminârunt mensas, inquinârunt vestes, & vasa; tunc Moysem humilis rogavit, ut Deu supplicaret pro Ægyptiis, & pro ipso Pharaone: Exod. 3. *orate pro me ad Dominum,* Deum cognoscit humiliatus, quem non noverat superbiâ elatus. S Rubertus lib. 1. c. 34. in Exod. *Potentia Dei contra superbiam Ægyptiorum plagis ostensa est per muscas:* præsertim per Scyniphes, qui tam parvi sunt eulices, ut vix ceroantur oculis. Exod. 8. 17. *Percussit pulverem, & facti sunt Scyniphes.* Potuisset Deus facere ut percussi pulveres in pardos, & leones convertereotur, perinde ac in scyniphes: sed id non præstitit, ut vilissimis, ac minutissimis insectis superbia retunderetur Principis ad ejus confusionem. Tamerlanes superbia tumidus Jerosolimam obsidione cinxerat; sed referente Roderico Rainaldo ad aonum Christi 1403. per bruchoa infestantes, ae vexantes totum exercitum, abire adactus fuit.

Anastasius Episcopus Nicenua quæst. 8. 13.
in additis censet, Davidem ex superbia lapsum in scelera Psal. 29. 7. *Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum:* quia tam elati sunc putat fuisse aoimi, ut ejusmodi proferret verba, quòd nunquam moveretur; seu maneret in suo gradu immutabilis; utque detumesceret permissus fuit in adulterium cadere. Superbia baltheum solvit castitatis Job. 12. 18 *Baltheum Regum dissolvit,* in quæ verba S. Gregorius Moral. lib. 11. c. 8. ait: Qui membrorum suorum motus bene regere sciunt, non immeritò regea vocantur. Sed cum de ipsa continentia elatione mens tangitur; plerunque omnipotens Deus, ejus superbiam deserens, hanc in immunditiam operis cadere permittit. Regium itaque baltheum dissolvit, qui cum sua membra bene regere videretur, elationis tumore castitatis cingulum disrupit. Superbiæ facilè adnectitur luxuria; adeout hæc duo vitia amico fœdere copulentur. Oseæ 12. 1. *Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum.* Ventum is dicitur pasci, qui superbiæ spiritu inflatur: & æstum sequi si impuria ardeat concupiscentiæ, ac libidinis ardoribus, ut explicat S. Rupertus lib. 5. in Oseam Hinc David 2. Corinth. 12. 7. *Ne magnitudo revelationum extollat me datus est mihi stimulus carnis.* Tumori superbiæ coercendo concupiscentiæ frœnum ritè adaptatur; adeo superbia & luxuria arctè vinciuntur, ut uno, eodémque coërceantur frœno.

Quòd si superbia vento pariatur, nequit 14.
non cito efflare, & evanescere Luc. 10. 18. *Videbam Sathanam sicut fulgur cadentem.* Fulgur superbiam vanámque gloriam designat; quia superbia periode ac fulgur statim disparet, ac perit. Pulvis est vana gloriola, de qua David Psalm 7. 6. *Gloriam meam in pulverem deducet:* loquitur de illo pulvere, de quo dixerat: *quem*

pro

proficit ventus à facie terræ ventus projicit, dispergit, seu vana jactantia. Pulvis, ait Cyrillus in Apolog. c. 14. Quanto plus erigitur, tanto magis dispergitur: & fumus quò magis extollitur, amplius annullatur: & vapor altus ab æstu consumitur. S. Ephræmus lib. de recta vivendi ratione comparat superbiam arbori præcelsæ, sed putridæ, cujus undique facilè confringuntur rami: in quam si quispiam ascenderit celeriter in profundum corruit. Ob brevem durationem; solet etiam superbia dici similis flori Ezech. 7. 10. *Floruit virga, germinavit superbia.* Germinat, & adolescit superbia, perinde ac flos, proinde dum floret interit; dum crescit cadit, dum oritur moritur. Gerson inflatæ vesicæ superbum parem facit, ait serm. in cœn. Dom. *Vidi ego vesicam modico turgescere flata, quæ pisis quatuor impositis sonuit. Hanc puer unus acu pupugit; diplosa repente, vilis, & absque sono flaccida detumuit.* Herodem superbiâ tumidum pupugit Angelus domini, & statim detumuit absumptus vermibus Act. 12. 23. Herodem percussit Angelus Domini, eo quia non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expiravit.

15. Montibus Gelboë à S. Bonaventura serm. de S. Agata pariantur superbi; quia sicut montes Gelboë nec pluvijs fuerunt rigati, nec rore maduerunt: ita in superbiâ tumidos, & elatos nec ros misericordiæ, nec pluvia gratiæ descendit. Imò Deus superbis resistit Jacobi 4. 6. & quidem veloti suæ contumeliæ propulsator. S. Augustinus serm. 2. in Ascens. Dom. Altus est Deus; erigis te, & fugit à te: humilias te, & descendit ad te. Quare hoc? quia excelsus, & humilia respicit, & alta de longè cognoscit.

16. Quæritur cur Genes. 1. 27. dicatur *Creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam*, & hoc de Angelis non dicatur; cum homo sit similis ratione intellectûs, & voluntatis, quæ potentiæ perfectiores, & excellentiores sunt in Angelis? Respondet S. Chrysostomus homil. 1. in Epist. ad Colloss. quia in Angelis naturæ sublimitas plures ex ipsis in impietatem conjecit: in homine humilitas securitatem præstitit; Dixit Deus homini Genes. 3. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Humilitas est, quæ tumorem infringit superbiæ. Licèt pelagus decumanis fluctibus intumescat; procellâ commotus infremat; totam tamen ejus superbiam exiguæ in litore arenulæ compescunt.

17. Quos superbia inflat, hos suo obcæcat fumo; sed hæc superbiæ cæcitas luto abstergitur humilitatis Joan. 9. 6. *Fecit lutum ex sputo,* & linivit oculos.

18. Mirum quòd superbus alijs velit præeminere, dedigneturque hominem alium habere sibi similem, & parem; quando Deus ipse non fuit dedignatus hominem condere sibi similem. *Faciamus hominem, ad imaginem, & similitudinem nostram* Genes. 1. 26. Hinc superbi, qui soli volunt excellere, unicornibus asseruntur similes: *Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam* Psalm. 21. 22. Unicornes semper singulariter evagantur, quia sibi pares dedignantur. Talis fuit Antiochus, qui à Lyrano *singularis ferus* Psalm. 79. 4. dicitur; ferus propter sævitiem, singularis propter arrogantiam, & superbiam. Hinc David loquens de superbis, ait Psal. 106. 4. *Erraverunt in solitudine in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt.* Dixit Luciferus Isai. 14. 13. *Sedebo in monte testamenti* inquæras cur sedere voluit, an non potius stare? quia in sublimitate quiescere absque molestia, & labore superbus cupit; non optavit Deo imperium eripere; non petijt, Deum regno carere, sed noluit Deo esse inferior, & voluit creaturis omnibus esse superior Isai. 14. 14. *Similis ero Altissimo*: quia unicus supra cæteras creaturas.

Ex honoribus acquisitis, & divitijs cumulatis perinde oritur superbia, ac teredo à ligno, vel tinea è panno. De Sedecia habetur Ezech. 7. 10. *Floruit virga;* seu ut explicat Lyranus: sceptro florere visus est. Sed quale putas, hunc ragium florem dedisse fructum; subdit Propheta *Germinavit superbia.* Regni flores nonnisi fructus superbiæ producunt. Hunc tumorem longiùs à se excussurus Gedeon Regiam recusavit majestatem Judic. 8. v. 23. *Non dominabor vestri* scilicet ne superbiret ait Abulens. quæst. 20. Exaltatio enim & inflatio facilè cohærent. 19.

EXPENSIO III.

De Symbolis petitis à varijs comparatis, quibus sordida pungitur avaritia, ut expungatur.

AUro inhiantes divitias bibunt, sed sitim non extinguunt hydrope laborantibus pares, qui quò plus frigidæ deglutiunt, eò sitis flammam accendunt acriorem: perinde potus hydropici ægritudinem accendit, seu cupiditas cumulandarum divitiarum avaritiam adauget; sicut ignis arentibus stipulis non obruitur, sed uberioribus crescit incrementis: congestæ opes aviditatem avaræ mentis acuunt, non obtundunt: quia *Avaro*, ait Theophilus Alexandrinus Epist. 3. contra Originem, *tam deest quod habet, quàm quod non habet*: semper egenus, quia semper auri, argentive cupidus nunquam satur, licèt ore tenus gazis immersus; aurúmque jugiter bibat, cumulet; aurum qui sitit aurum bibit non ad vitæ solatium, sed interitûs accellerationem. Hinc etiam Hebræis post exhibita aureo idolo obsequia: vitulus ex auro in pulverem redactus exhibetur à Moyse, ut aurum bibat, qui aurum sitiebat. Parœmialiter *Tantalica sitis* de illo sitis arescentis æstu dicitur, qui sedari nequit; tametsi redundent utrinque fluenta: idque in avaros divites torquetur, qui divitijs immersi aurum possident, quod sitiunt, nec sitim extinguunt: Nicetas Choniates lib. 2. in Alexio: *Tantaleam sitim perpessi, cum forum haberent, bibere non potuerunt; sed crebrò haurire co-* 1.

nati, aurum ex manibus amiserunt. Eamdem mentem ebibit Petrus Blesensis scribens Epist. 55. *Quidam more Tantalico in aquis sitiunt, dum inter opulentias inedia se affligunt.*

2. Parem fluctuanti mari avarum dixeris. Tametsi flumina omnia ebibat mare, non propterea satiatur, neque expletur; neque quam ex insita sibi salsedine sitim accendit unquam extinguit. Quidni? quamvis avarus divitiae omnes exsorbeat aurum totum deglutiat, opes singulas ebibat; non tamen quam avaritia sitim contraxit unquam extinguit, quia avaro nunquam sitis est: scitè ad rem nostram S. Nilus orat. 3. *Nec multitudine fluminum, nec divitiarum copia avari animus expletur.* Quod si avarum mari pariaveris; eum crede suis agitatum etiam fluctibus iræ, ac mœroris. Imò procellis naufragia minantibus obnoxium. Fluxa sunt Fortunæ bona, perinde fluitant ac maris undæ, sursum deorsum aguntur, cum plerunque suos deserant possessores.

3. Non mari tantùm, sed & feræ in sylvis fame ad alienam cædem stimulatæ similem avarum si dixeris, nec latum unguem à vero errabis. Fuit enim avaritia fera illa pessima, quæ Josephum devoravit apud Jacubum patrem: illum enim fratres pecunijs inhiantes Genes. 37. 28. *vendiderunt Ismaelitis viginti argenteis*: neque censeas, suam inde avaritiam sitim extinxisse, etiam tunica fratrem cæteris mercatoribus divenditum spoliârunt, quam sanguine occisi hædi tinxerunt, quam cum ad se missam cognovisset Jacob pater Josephi, lugens dixit: *Fera pessima comedit eum*: fuit hæc fera pessima avaritia, qua ejus fratres pecunijs inhiantes, illum Ismaelitis vendiderunt: apposité S. Chrysologus serm. 29 *Sic avaritia siccavit mentes, sic corda depressit; sic quod in illis fuerit humani sensûs ferinam in rabiem commutavit; ut non offensam Dei, non S. Patris dolorem, non proprij sanguinis sensum meminisse permiserit.*

4. Adeo magni ab avaro fit aurum, ut hoc ipsi Deo mente perversa, ac judicio corrupto præferatur Exod. 32. 6. à populo vitulus aureus adoratur, non quia vitulus, cum armenta plurima, & vituli pingues non deessent, sed quia aureus, ex puro puto auro conflatus. Avari amorem auri præferunt amori Dei; sed Deus eos è sua excludet gloria; quemadmodum è suo altari, hostijsque sibi immolandis aves excludit rapaces, quæ symbola solent avari auro inhiantis haberi Levit. 11. 14. Nec miluus, nec accipiter, nec vultur, seu herodius, nec alia rapax avis in Dei acceptatur sacrificium: hinc Isai. 33. *Væ qui prædaris.* Non fundit avarus cruorem in sacrificium, in Numinis obsequium; sed alienum ipse sanguinem bibit, sitque veluti sanguisuga alienas sitiens, ac ebibens substantias, ut ait D. Thom. opusc. de Regim. Princip. lib. 1. c. 5. sed licet avarus plures absorbeat opes, non tamen expletur, nec satiatur, similis orco, qui innumeros quamvis absorbeat homines, nunquam tamen exsaturatur, neque repletur. Pulchrè Isidorus Pelusiota lib. 5. Epist. 55. hydræ comparans avarum ait: *Semper enim accipiens nunquam expletur: sed veluti Hydra quædam multorum capitum mille faucibus cibum in ventrem inexplebilem demittens, tantò avidiùs eum appetit, quasi nihil adhuc acceperit: Ecquis igitur cordatus hujusmodi monstrum amaverit? Quòd & in hac vita inexplebili aviditate amatorem suum torquet; & in futura in ignem inextinguibilem præcipitabit.* Non hydræ tantùm; sed & Venaticis canibus à plerisque pares dicuntur avari, quia aurum, argentúmque veluti optatissimam prædam insequuntur. Plutarchus in vita Alexandri Magni. *Ibi Macedones primùm gustato auro, argento, mulieribus, & vita barbarica; sicut canes olfactis vestigijs, maturabant insequi; atque investigare Persarum divitias.*

5. Avarum araneæ pariatum invenio Psalm. 38. 12. *Tabescere fecisti, sicut araneam animam ejus*: quia avarus perinde ac araneus plurimum deludat, impenditque laboris, ut divitias coacervet, seu muscas captet: quid aliud dixeris mundi opes quàm muscas, quæ vel ad solam mortis umbram avolant, ac disparent? Scitè Hugo Cardinal. expendens Psalm 38. ait *Tela araneæ instabilitatem temporalium significat: multo enim labore texitur, facilè destruitur sicut temporalia.* Et D. Bonaventura serm. 3. Domin. sexages. Vocat avaros araneos Diaboli; quia telam texentes exteriùs, seu divitias cumulantes; se eviscerant interius, & plerunque usque ad interitum animæ, seu æternam damnationem. Alij similem locustæ avarum faciunt Psalm. 108. 23. *Excussus sum sicut locustæ.* Inest locustæ venter reliquo corpore grandior; & mane si decidno ab aëre repleatur rore; incalescente postea sole evacuatur: perinde avari mundi divitijs oppleti in æstu divinæ justitiæ omnia coacervata, vel nolentes deserunt, & ipsi præcipites in orcum ruunt: quia avari impij in circuitu ambulârunt, & vertigine laborantes non stant.

6. Imò muscæ se similem avaritia efficit; Eccles. 10. 1. *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti;* quia avaritia perinde ac musca vilis est, exilis, mordax, immunda, importuna, improba, & putida: vivit enim paucos dies; imò plerunque paucas horas; séque in oleo, melle, aliáque re dulci suffocat, vel ad lucem advolans luminis se ipsam adurans extinguit. Nil avaritia sordidius, nilque vilius, cum semper sordescat pannosa; & se ipsam in auri splendore interimat. Hinc Proverb. 15. 7. *Expectatio sollicitorum peribit*, seu ut legit Pagninus *expectatio divitiarum, & avarorum.* Alluditur ad Beniamin, quem Mater Rachel filiorum cupidissima in partu cupide enixa vocavit *filium doloris mei*; & Rachel hanc suam cupiditatem morte luit, quia pariens Benjaminum interijt. Perinde divitijs inhiantes non nisi cum dolore has coacervant, & nonnisi cum mœrore, ac interitu easdem amittunt, deserúntque.

7. Vaccas pingues, & quercus Basan audiunt avari Amos 4. 1. *Audite verbum hoc vaccæ pingues*, seu divites avari; & Principes Samariæ, qui bona pauperum depascuntur. Isa. 2. 13. dicuntur avari *super omnes quercus Basan*, quia cum opulenti ditescant, creverintque non secus

ac

& annosæ quercus, nonnisi escis vescuntur porcorum; seu ut pecunijs parcant, & sumptui, vilia comedunt. Quid hoc? nisi quia avarus vel cum opibus diffluit pauperrimus est: bona illi desunt cum adsunt; caret cum habet; quia illis non utitur, ac si non possideret: licèt plura possideat bona, nulli est bonus, sed sibi etiam malus; & cum in cumulandis divitijs felicitatem quærit, non nisi curas, molestias, ac infelicitatem invenit; & dum congestum possidet aurum, plerúnque necesse est alienum timeat ferrum; quia ubi multæ cumulantur divitiæ, ibi plures construuntur insidiæ: & quia avarus plures semper desiderat opes, semper est pauper, mendicus, & nunquam quiescit. Quamvis avarus plura possideat, quibus non fruitur; quia adhuc plura desiderat, quibus caret, pauper est, egenus, & miser unde David Psalm. 33. 11. *Divites eguerunt, & esurierunt.* Is pauper, cui plura desunt, quæ concupiscit: Is esurit, qui fami explendæ enixim aurum quærit: & avaro plutis est auri sacra fames, quàm cura propriæ famæ.

8. Rupertus tropologicè expendens illud Amos 8. 1. *Ecce uncinus pomorum* Avarum parem asserit hortulano, qui uncino sensim absque strepitu ramum pomis locupletem maturis ad se paulatim trahit, contorquet, donec rapaci manu poma decerpat. Avaro non desunt uncini, quibus alienas opes aduncet, & ad se trahat, Avari divitijs affluentes jugiter esuriunt: *Divites eguerunt, & esurierunt*: aliena poma, seu opes ad se trahere satagunt propriæ exsaturandæ fami causa; sed quæ deglutiunt demittúntque in stomachum decerpta poma minimè concoquunt ad propriam utilitatem, sed infeliciter evomunt ad augendam infelicitatem Job. 20. 15. loquens de divite avaro ait: *Divitias quas devoravit, evomet*, quia ut habetur in catena Græca: *Impius cum opes exsorbuisset, videbatúrque illas in tuto habere collocatas, tunc in divinam iram, quasi in mortiferum medicamentum veneno aspidum temperatum incurrens, opes flagitiosè partas vomit universas: id porro significat quemadmodum qui venenum hauserunt, incitantur ad vomitum: sic ille qui divitias comparavit injustas, cruciatur divulsis visceribus, & illas ipsas effundere cogitur.*

9. S. Vincentius Ferrerius *Dom. 2. post Pasch. s. 4.* æquipatat avarum equo nigro, à Joanne viso Apocal. 6. 5. *Et ecce equus niger*: equum nigrum peccatum, ait, esse avaritiæ: quia sicut color albus præ omnibus ostenditur: ita niger absconditur, quia avarus semper absconditpecunias. Hujus sessor equi stateram habet; quia quod est infiniti valoris, seu paradisus parum ponderat in oculis avari: & quod modicum valet, ut bona temporalia, maximè facit, ac regno præfert cœlorum. Imò neque equo pallido Joanni objecto in Apocal. 6. 8. *Et ecce equus pallidus*, dissimiles sunt avari; inhiantes enim divitijs coacervandis impallescunt ex nimia anxietate, ac solicitudine acquirendi; ut etiam ex timore possessa, & aquisita perdendi.

10. Serpenti solet itidem avarus pariari; quia quamvis fluenta divitiarum avarus bibat nunquam tamen sitim extinguit, quâ anhelus laborat: quia avaritia veluti diplas serpens avarum mordet, & à morso acrior oritur sitis. Hinc Rupertus de S. Alberto in ejus vita ait. *Pecuniam, aut accipere, aut etiam* manu contingere; haud aliter ac serpentinum virus abhorrebat. Non solùm avarus terræ adhæret ut serpens; verùm etiam terra immergitur, ut talpa. Cupidus enim terrenorum, quibus inhiat cæcutit; & quia terrena amat, cælestia perdit; sicque cæcutiens præfert fluida bona fixis; inania plenis, fucata veris, misera gloriosis, momentanea æternis: congregat exteriùs terræ quisquilias, sed intus d[illegible] p[illegible]peratur; augis adhæret defluentibus; & sublimia in cœlis despicit. S Cyrillus lib 3. c. 3. in quatuor avarum similem talpæ dicit; quia avarus perinde ac talpa est niger per nequitiam; cæcus per ignorantiam: quot habet possessiones tot etiam tumulos, in quibus sepelit se ipsum per continuam solicitudinem: & quidquid fodit ponit supra se, quia in bonis terrenis suam ponit beatitatem.

Symbolicè avaros par dicitur porco, non solùm quia ut porcus sit parcus in beneficijs præstandis indigenti; verùm etiam, quia quamdiu vivit nemini prodest; sed tantum cum moritur incipit alijs utilis esse fami propulsandæ, viribus reficiendis: avarus cum vivit auri tenax, argenti cupidus, divitiarum appetens pauperi denegat eleemosynam, sed mortuus, quas divitias congessit, quia secum deferre nequit, alijs vel invitus deserit, quia ab iisdem deseritur; non acervatas tantùm divitias alijs cedit, sed & corpus ipsum vermibus, & animam orco. Alij ovi avarum parem dicunt; eò quia perinde divitias congregat, ac oves, quæ lanam portant ad tempus tonsionis non sibi, sed alijs. Avarus coacervat divitias usque ad tempus tonsionis, seu mortis, non sibi, sed alijs. Hinc avarus sibi est detestabilis, nec ulli magis avarus, quàm sibi, cum sordidè splendidus vix congestis utitur. Inde fit quòd avarus cum infelicitate non solum habeat commercium, sed & contubernium. 11.

Fuit qui Erinaceo avarum appositè pariavit: siquidem Erinaceus hortum ingreditur, non comedit, nec indormit, sed arborem pomiferam conscendens aculeos pomis quamplurimis onerat: sed cum pomis onustus vult horto exire, nequit per foramen, quo pomis denudatus fuerat ingressus, inde exire, quia angustum pomis onusto, adigitúrque poma relinquere, quò evadere possit. Avarus spinis curarum pungitur; adeout pervigiles noctes, anxiæ dies, solicita tempora, trepida gaudia, inquieta desideria; solicitudo acquirendi, anxietas cumulandi, timor perdendi spinæ sunt, quibus non modicis afficitur molestijs: quamdiu igitur avarus in horto degit hujus mundi spinis circumvallatur; & dum se bonis temporalibus nititur onerare vix fruitur bonis, quæ impenso labore acquirit: & dum per angustum mortis foramen debet exire singula acquisita, vel invitus relinquit; Hinc alij 12.

equo avarum parem fecerunt, qui auro, gemmisque onustus toto die Thesaurum portat, quo non fruitur; & nocte nil aliud ei relinquitur nisi dorsum læsum. Avarus toto hujus vitæ die onera portat coacervatarum divitiarum, & noctis mortis nonnisi dolores, ac conscientiæ vulnera experitur: Scitè Augustinus de lib. Arbitr. *Quum avaritia alicui dominatur; subjectus malis omnibus demonstratur: quia de avaritia mala omnia oriuntur, & peccatorum omnium spinæ producuntur.*

13. SS. Patres plura exhibent avaritiæ symbola à comparatis petita. S. Bonaventura D. salut. 1. c. 6. æquiparat avarum cani rabido, qui domum exiens mordet quoscunque reperit. Avarus usures ab omnibus exigit. Idem loc. cit. Accipitri, qui alienis bonis semper inhiat. Idem loc. cit. Apostemati, quod est proximum cordi, quod inficit. D. Thom. in 43. Isai. divitias comparat aquis, & avaros naufragis; id edisserit ex illo Exod. 15. *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus*: quia avari pereunt cum divitijs, quas coacervârunt.

14. D. Bonav. serm. 3. in sexag. Araneo, qui multum laborat in tela texenda quam scopa unico destruit, vel rapit momento; & ait avaros esse araneos Diaboli, qui foris construentes, intus se eviscerant. S. Asterius hom in Avar. Præcelsæ albori, quæ à stipite longè, latéque suas explicat radices: quia avarus suas semper appetit divitias ampliare. Arnobius in *cap. 16. Matth.* manui aridæ, quæ non extenditur ad elargiendum, sed tantum aperitur ad accipiendum, Avari licet possint dare, malunt accipere, & prædari. S. Bonaventura serm. 3. Dom. 1. quadra. serpenti, qui dipsas dicitur: si enim mordeat sitim accendit usque ad mortem. Avarus ita cupiditate ulteriores opes possidendi ardet, ut sitim magis semper acuat, & nunquam extinguat, nisi mortis gelu. S Thom. serm. 2. Dom. 21. Pent. Febri hecticæ, quæ paulatim consumit, donec absumat. Avaritia quos efficit paulatim consumit, ac perdit. S. Ambros. in Psalm. 61. fomiti, seu radici, ac fonti putidissimo omnium iniquitatum S. Asterius homil. in avar. *Hederæ*, quæ tenacissimè adhæret parieti, quem depascitur. Avarus tenacissimè auro, opibúsque adhæret, quamvis ijsdem non vescatur, sed cum ijsdem pereat. S. Bonaventura hydrope laboranti, qui quò plus bibit, ardentiùs sitit. Avarus quò plures coacervavit divitias, majores ardentiori desiderio semper concupiscit. S. Greg. lib. 14. moral. c. 5. asserit, avarum ex potu, seu peccato sitim multiplicare. S. Asterius loc. cit. Idololatriæ, quæ sicut colit simulacrum, aureum, & argenteum, ita avarus, quos congessit thesauros toto corde adorat, eique inservit. Innocentius III. de contemptu mundi lib. 2. cap. 6. Inferno, quia Abac. 2. Avarus nunquam satur *Dilatavit quasi infernus animam suam*, seu desiderium plura semper possidendi quod nusquam expletur: sed avarus, & internus uterque comedit, & non digerit; recipit, & non reddit. Ab eodem igni comparatur inextinguibili; quia avari cupiditas insatiabilis nunquam cessat. S. Bonaventura loc. cit. lagenæ, de qua Isaias 3. *comminuetur, sicut conteritur lagena figuli.*

S. Thomas in 8. Apocal. Mari qood licèt 15.
flumina omnia ubique terrarum ebibat, semper sitit, nunquam redundat. Idem S. Thom. in Psalm. 47. Navi Tharsis, quæ auro onusta fluctuabat marinis ondis agitata: divites avari premuntur, simúlque fluctuant solicitudine, & timore agitati. D. Bonaventura loc. cit. Pyxidi perforatæ, quæ quas recipit pecunias, non reddit, nisi frangatur. Isai. 30. *Comminuetur sicut conteritur lagena figuli.* D. Bonav. loc. cit. Rotæ molendini; quia avarus semper circuit quærens divitias, quas sibi congreget. Idem loc. c. sterquilinio, quod congregatum corrumpitur, & fœtet; dispersum prodest campis, & plantis. Divitiæ, quas avarus congregavit nemini prosunt; nisi alijs dispergantur, ac communicentur. Idem loc. cit. stulto, cui Luc. 12. dicit Christus; *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ parasti, cujus erunt?*

Innocentius III. lib. 2. de contemptu 16.
mundi cap. 6. Tantalo, qui ore tenus undis immersus sitit. Avarus Thesauris suis innatans semper indiget, sitit divitias; & quamvis divitijs affluat, semper est pauper, quia semper divitias exoptat, quæ illi desunt. Tantalica siti laborat avarus, quia thesauros possidendo, desideriom acquirendi in ipso non extinguitur, sed accenditur uberius; & quia possessis non utitur; bona illi desunt, quæ adsunt; & cum divitijs affluit, pauper est, quia siti laborat Tantalica alias semper opes desiderans: avaritiæ enim siti sedandæ nec plenum divitiarum mare sufficeret, quod sua salsedine sitim potiùs accenderet, quàm extingueret. Bibat pecuniarum appetens opum aquas; non tamen, ut insatiabilis vorago, quæ expleri nunquam possit; sed perinde ac fertilis campus, qui sibi necessariam tantum ebibit aquam; & supervacaneam à se propulsat, ne superfluitas noceat: aquæ divitiarum ita bibantur, ut plantæ virentum irrigentur ad flores, & fructus promovendos, & qui exarescunt pauperum campi, irrigentur in in solatium, & levamen ærumnarum. Bibamus opes & divitias, quæ nobis conceduntur, non tamen ut Tantali audiamus, & hisce aquis innatantes siti pereamus.

Perstringit Plautus in supplemento Aulu- 17.
lariæ hos Tantalos, quos in medio oceano sitibundos redarguit, & ot tartareaingluvie laborantes carpit. Utinam nostra ætas plures non haberet Tantalos, qui aquas divitiarum in ventrem propriæ cupiditatis trajicientes sitim non extingunnt; sed excitant acriorem. Quàm infelix divitiarum sitis, quæ epotis divitiarum aquis, seu congestis divitijs non sedatur, sed excitatur. Pumici etiam pariari solent, à quo nil humoris exprimitur. Adeo est avarus suæ tenax pecuniæ, ut non valeat quidquam auri, vel argenti ab eo extorqueri. S. Augustinus in Ps. 138. Avari cupiditatem visco pariat; inquiens *obligata anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis.* S. Gregorius lib. 20. moral. c. 18. avarum parem facit Juniperi radici ex Job. 30.

quia

quia ex radice Juniperi plures prodeunt spinæ; & ex avaritia, ut è radice putida peccata ferè omnia. Luc. 15. 16. Prodigus filius *cupiebat implere ventrem suum de siliquis, & nemo* illi dabat. Forsan avaritiâ sordescebat herus, ut etiam facultatem edendi siliquas famulo negaverit. Avarus pluris facit porcum, quàm hominem; eique major est cura de porcis impinguandis, quos cariori pretio vendat, quàm de fame pauperis propulsanda.

17. Amos. 9. 1. *Avaritia in capite omnium:* dicitur avaritiæ monstrum in capite stabulari ob curas, solicitudines, molestias, timores, anxietates, quibus mentem torquet, animúmque divexat. Vel dicitur inesse capiti; quia avari cogitationes omnes, sensus, & curas eò dirigunt, ut divitias coacervent. Thren. 1. 5. dicitur. *Facti sunt hostes ejus in capite;* quia solicitudines, & anxietates comites avaritiæ, caput, seu mentem aggrediuntur, ut expugnent.

18. Avaritia repentina, ac improvisa plectitur morte Actor. 5. 5. *Audiens autem Ananias verba hæc cecidit, & expiravit.* Quærunt SS. Patres, cur Petrus tam severum se exhibuerit in Ananiam, eò quia partem pretij divenditæ possessionis sibi retinverit; & cum reliquis mitis, ac clemens fuerit, pronior ad veniam, quàm supplicium inferendum: cur potiùs Ananiam fraterna non corripuerit monitione? An quia laboraverit æstu avaritiæ curatu perdifficili? Ita est ait S. Ambrosius serm. 57. Si avaritiam Petrus in Anania potuisset corrigere, id præstitisset; & quia eum non correxit subita morte punivit, ut incusso timore alios avaritiâ sordescentes corrigeret. Sed si Petrus Ananiam morte punivit inopina, eò quia avaritiâ insorduerit; Cur Christus cruci affixus latroni vitam æternam spopondit Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* Respondet D. Ambrosius in Psalm. 39. Ut inde spem conciperent reliqui peccatores æternam assequendi beatitudinem, quando latro avaritiâ ductus aliena surripuerit: ait ipse: *Tam difficile est, hominem avarum absolvere; at qui latronem liberavit ostenderit se posse alienos morbos curare.* S. Chrysostomus homil. 5. in Luc. causam adfert, cur omnium primus latro in paradisum ducatur inquiens: *Ut quàm facilè aditus reliquis peccatoribus pateat, noscamus. Si enim latro aliena appetens paradisum intrat, quid dubitandum de reliquis.*

19. Quæritur, cur Diabolus postquam obtulerit Christo mundi regna, abierit, nec ampliùs fuit ausus eum tentare Matth. 4. 9. *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.* An quia divitiarum cupiditas est omnium fortissima ad animum flectendum in vota exhibentis; & si Regnorum oblatio par non est homini flectenti, inutilis, ac frustraneus sit quilibet alius conatus? Radix malorum omnium est avaritia, quâ cum vinci nequiverit Christus; victoriam cacodæmon desperavit; propterea abivit confusus non ampliùs ad tentandum reversurus. Tentavit cacodæmon Christum in deserto de calamitate; in templo de superbiæ vanitate; in monte de divitiarum cupiditate; & hanc tentationem posuit postremo loco; eò quia cæteris esset fortior, ac validior; quæ cum frustranea fuerit, statim abivit; non ausus ampliùs eum tentare, ne operam perderet.

Sanatu perdifficilis est avaritiæ ægritudo, hac 20.
laboravit Judas, qui triginta argenteis venalem magistrum fecit, & caput Redemptoris, pretium effecit proditoris. Quid non egit cœlestis Medicus hanc curaturus avaritiæ febrim? ut discipulum avaritiâ sordescentem ad meliorem traheret frugem? pedes lavit; Eucharistico eum epulo refecit, ad osculum amoris tesseram eum admisit; & tamen excutere pulveres sordescentis avaritiæ hæc præstita beneficia non valuerunt, neque pharmaca huic ægritudini curandæ paria fuerunt. Matth. 27. 3. *Tunc videns Judas, quia damnatus esset.* Ait Chrysostomus homil. 58. in Matth. *Avaritiam Judam effecisse proditorem nequissimum, & sacrilegum nefandissimum.* Adeo pertinax est avaritiæ æstus, ut nec mortis gelu extinguatur; asserunt D. Bonaventura, & Beda Iscariotem interpretari memoriam mortis; unde nec ipsa mortis memoria proprio infixa nomini potis fuit avaritiam in Juda cohibere, causam adfert D. Hieronymus: quia cum cætera vitia senescant in homine sola avaritia adolescit. Quòd si quæras cur plerumque avari castitati tuendæ studeant, & alijs pluribus floreant virtutibus respondetur, quia una, & sola avaritia sufficit ad homines reddendos obnoxios æterno supplicio.

Avarus non solùm æstu febrili, sed & 21.
hydrope laborat. *Et ecce homo hydropicus* Luc. 14. 2. hunc textum expendens S. Gregorius lib. 14. moral. c. 5. notat quod Christus ante Pharisæi domum hydropicum sanat, cum disputaret contra avaritiam: Luc. 16. 14. *Audiebant hæc omnia Pharisæi, qui erant avari, & deridebant eum.* Quid ni? ante Pharisæi domum hydropicus curatur; quia per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis. Hydropicus quò plus bibit, ardentiùs sitit: & avarus quò plures congerit divitias, eò majores semper concupiscit. Bibunt avari aquas divitiarum cum illas coacervant, sed cum in suæ cupiditatis ventrem eas trajiciunt sitim non extinguunt, sed accendunt, non minuunt, sed augent; adeout sitis divitiarum miseris avarorum assideat pectoribus: scitè Seneca Epist. 15. *Si quid in illis solidi esset aliquando implerent; nec haurientium sitim concitarent.* Aureliano Imperante argenti guttas imbris instar in terram decidisse refert Theodorus Metochita in Historia Romana. Si verè hujusmodi imbres caderent proculdubio satagerent divitijs inhiantes suam extinguere sitim; sed humani pectoris humus hisce rigata pluvijs adhuc sterilesceret; sunt imbres isti fructibus producendis inidonei; quinimò solet terra hisce aquis perpluta solùm tribulos dare, vel aconita germinare.

Sunt qui hydriæ Samaritanæ avaritiam 22
similem velint Joan. 4. 28. *Reliquit ergo hydriam suam mulier,* non tamen censeas vacuam, quæ à puteo suas mutuavit aquas, siti tamen

ex-

extinguendæ inidoneas; cum dixerit Christus Samaritanæ, qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum; quia avaritiæ siti sedandæ, nec plenum omnium divitiarum mare sufficeret. Neque insolens putes aquarum haustui, ac potui divitiarum possessionem conferri: cum etiam Ethnicus Poëta id innuerit cum avaros divitiis inhiantes perstringens cecinerit obvium illud

Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ,

23. S. Chrysostomus avaritiam ebrietati comparat: quia sicut ebrij, quanto plus vini ingurgitant, tantò magis ad sitim inflammantur; ita avari nunquam congestis satiantur divitijs, nec avaritiæ sitim unquam extinguunt; sed magis incrementant S. Chrysost. homil. 22. in Genes. Imò adeo est appetens divitiarum, ut has ipsi Salvatori Christo præferat Matth. 26. 15. Judas avaritia sordidus: dixit Judæis: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.* Ubi Cyprianus, de Jejun. & tent. Christi ait. *Usque ad mortem Domini amor lucri se ingerit, nec vitæ Salvatoris quæstûs desiderium parcit.* Beda lib. 3. in Proverb. expendens illud Proverb. 30. 15. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes Affer, Affer:* censet, has duas filias esse avaritiam, & luxuriam, quæ nunquam satiantur, quæ semper sitiunt, plusque cupiunt bibere, illa divitiarum fluenta, hæc fluxas, corruptásque deliciarum aquas; quas D. Hieronymus ut vitiatas vult esse declinandas: ait Epist. 12. ad Gaudentium: *Bibat de fontibus suis, & non quærat cisternas luparum dissipatas; quæ purissimas aquas pudicitiæ continere non possunt.* Per lupas meretrices intelligit; quia meretrix aquis impuris, & malè olentibus referta est, ut sentinam referat, & cloacam. Scitè aqua de meretricio dicitur opere; quia luxuria perinde ac unda fluit, ut Veneri addictos insepeliat. Quòd si ex fabularum figmentis Venus, quæ luxuriæ est mater, & Dea dicitur, ex mare oritur; Veneris alumnus in fluxarum voluptatum aquis naufragus moritur: qui mergi non vult ab hisce se aquis subducat.

24. Igni aptè confertur avaritia; dementia laboraret, qui ligno, oleo, pico ignem vellet extinguere: & qui congestis divitijs avarum satiare cuperet à sana mente censeretur dejectus: ignis postquam in incendium excrevit, totam absumit, ac destruit materiam, & avarus quamvis Cresi divitias possideat; adhuc solicitudinibus, curis, laboribus se ipsam absumit quò magis ditescat: fitque incremento rapicior, torrentem imitatus, in cujus alveum quò plures confluunt aquæ, eò fit insolentior, & sibi conterminas plantas, segetes, imò & campos rapit, furatúrque: nunquam avarus quamvis divitijs diffluat expletur, ut quiescat: ait Isai. 2. 7. *Repleta est terra argento, & auro.* Cur non dicitur repletum cor divitijs? an quia fieri possit ut terra repleatur auro; sed cor avari eo repleri nequeat? Qui multum possidet, plura cupit. Jos. 15. 19. dixit Axa: *terram Australem, & arentem dedisti mihi, junge & irriguam.* Axa antequam terram australem, quam vocat arentem possideret; nullo fuit desiderio anxia, sed tunc concupiscit terram irriguam, cum possedit australem; quia quò plus avarus habet, eò plus ardentiùs appetit; & ex ingesta materia ignis desiderij crescit ad uberiora incrementa.

25. Non igni tantùm verùm etiam mari pariatur avaritia; quia tametsi omnia ebibat fluenta divitiarum, nunquam suam extinguit sitim *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Eccles. 1. 7. Avarus quia inexplebilis avaritiæ laborat ægritudine, æstúque desiderij, ac sitis alias semper divitias coacervandi, mari haud impar dicitur, quod licèt ubique locorum omnia ebibat flumina, nullibi tamen redundat. Omnia ebibit mare flumina, sed non expletur, nec satiatur. Mare avari animus refert; opes bibit, divitias sorbet, non tamen expletur, nec suam extinguit sitim scitè S. Nilus homil. de avaritia: *Non multitudine fluminum mare; nec divitiarum copia avari animus expletur.* Quòd si mare nunquam sine fluctibus jacet; neque avarus sine curis, molestijs, solicitudinibus in divitijs, vel acquirendis, vel servandis. Divitiarum avarus possessor, quales ex congestis thesauris, ex impenso labore coacervatis opibus fructus legit? nisi pervigiles noctes, anxios dies, solicita tempora, inquieta desideria; sed dum in æstu, ac desiderio plura possidendi fluctuat, nunquam in portu quiescit; timore semper premitur, nunquam vero gaudio dilatatur. Quòd si mari pariatur avari animus sua ipsum non credas salsedine destitutum, cum inextinguibili siti laboret, scitè Isidorus Pelusiota lib. 5. Epist. 67. ait. *Ut is qui laborat siti, etiamsi fluminibus adponatur, nullam percipit delectationem; cum sitim restinguere nequeat: ita avarus, qui plura semper appetit, tametsi thesauros habeat infinitos, voluptatem nunquam sentiet, quia satiari nequeat.* Sitis, & potus eleganti metaphora ad cupiditatem transfertur divitiarum.

26. Sed si avaritia mari; divitiæ fluminibus conferuntur; fluunt enim perinde ac flumina ut innuit Regius Vates Psalm. 61. *Divitiæ si affluant nolite cor apponere.* Affluendi verbum ad rem nostram pulchrè exponit S. Antiochus homil. 29. inquiens: *Utique dixit eleganter si affluant, more enim aquæ per elices diffluentes universa mundi istius nos prætereunt. Hodie ad hujus pendent arbitrium; crastino futuræ penes alterum.* Et S. Ambrosius in ejusdem Psalm. commentaria conferens divitias fluminibus ad præfata Davidis verba ait: *Vides quia fluunt, non vides, quia præterfluunt? quid excipere quæris, quod tecum deferre non possis: fluenta sunt quæ miraris, quoniam veniunt, sic transeunt, & recedunt.* Non alliciunt divitiæ, neque ad se trahunt earum perpendentem fluxibilitatem: hinc aiebat D. Nilus in Parænisi: *cum vides divitias, aut gloriam, aut humanam potentiam considera labilitatem ipsarum, & effugies illecebram.* Tam velox, & rapax est divitiarum fluxibilitas, ut opes non fluminibus pariaverit D. Basilius homil. de divitijs, & paupertate, sed rabido torrenti, quia flumina sedatè, & torrentes cursu veluti præcipiti fluunt: ait ipse: *Fluxa est divitiarum natura, torrentéque citius eos, apud quos est præterlabitur.* Quòd si divitiæ fluentis conferuntur, & torrentibus,

pecu;

pecuniæ aquarum guttis aptè comparantur; & Poëta imbris metaphoram ad argenteas transtulit pecunias inquiens: *Imber spargitur argenti, nix velut alba pluit;* ac si pecuniæ a geotex veluti nivea velera è cœlo in imas terras caderent; & fortassis allusit ad tempora Aureliani Imperatoris: narrat Theodorus Metochita in Histor. Rom. Imperante Aureliano argenti guttas decidisse ad modum imbris.

27. Quàm pulchrè divitiæ suam ob fluxibilitatem aquis pariantur, vel deciduis in imbre, vel fluentibus in fluminibus, vel torrentibus: sed officiunt saluti hujusmodi aquæ, si nimis avidè bibantur, si avarè congregentur, de quibus propterea dixit David in Psalm. 31. *verumtamen in diluvio aquarum multarum:* aquæ enim diluvij quia nimiæ hominibus obfuerunt, non profuerunt; & aquæ divitiarum, seu bonorum temporalium ubi valde abundant plus obsunt humanæ saluti, quàm prosint. Idque nos edocuit Syracides Eccles. 11. *Si fueris dives non eris immunis à peccato.* In hisce aquis avaritia Charybdis est, quia nimia possidendi cupiditas peccato præludit, quo salus naufraga perit: scribit Apostolus 1 Timot. 6. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli.* Charybdes, & scopuli sunt divitiæ, quia sexcentis decumanorum fluctuum generibus virtuti insidiantur. Fluctibus semper agitatur divitum navis sive in prosperis sit, sive in adversis: sive eblandiatur, sive novercetur fortuna semper mare divitiatum trajicientes obnoxij sunt naufragijs. Scitè S. Laurentius Justinianus tract. de Paupertate cap. 2. *Magna tranquillitas cordis est nihil habere concupiscentiæ sæcularis. Nam si ad terrena concupiscenda, & ad divitias cumulandas cor inhiat, tranquillus, & quietus esse homo nullatenus potest: quia aut non adepta concupiscit, ut habeat, aut acquisita metuit, ne amittat Et dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa: huc, illucque quasi quibusdam fluctibus voluitur, ac per modos varios adversantium rerum volubilitate versatur.*

28. Richardus à S. Victore expendens illud Psalm. 80. 10. *dilata os tuum, & implebo illud* asserit, os internum hominis esse desiderium cordis, quod nulla potis est creatura satiare, ac implere nisi solus Deus: ex quo infertur, nullis posse divitijs avarum satiari; nullis congestis thesauris expleri, quia omnes mundi divitiæ hominis avaritia sordescentis nequeunt desiderio satisfacere: ait Richardus: *Vide quàm parva portio humani corporis, & quàm angustum foramen sit os carnis. Quis non videat, quàm parvum est, quod una bucella panis impleri potest. Quod est ergo una bucella ad os carnis; hoc est totus mundus imò multo minus ad os cordis,* seu humanum desiderium quod expleri non potest nisi à Deo. Achabi os quia regijs non fuerat divitijs expletum, adhuc fame, sitique premebatur vineam possidendi Nabuthi 3. Reg. 21. 2. *Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum* Ubi S. Ambrosius lib. de Nabuth c. 2. ait: *quæ alia vox egentis est? quæ vox alia stipem publicam postulantis? nisi da mihi: quia egeo; da mihi, quia aliud vivendi subsidium habere non possum.* Avaro etiam divitijs affluenti bona desunt dum adsunt egétque dum possidet; & dum quærit in divitijs felicitatem fic miserior, ac infelicior. Avaritiâ infordui Judas Iscariotes cum pecuniæ inhians triginta argentis eum vendidit, cujus una sanguinis gutta totum potuit mundum redimere; sed ab avaritiæ arbore tunc pendulum collegit fructum, cum seipsum laqueo suspendit Matth. 27. 5. *Abiens laqueo se suspendit: Audite ista*, ait Chrysostomus hom. 85. *Audite avari; versate animo, quod Judas passus fuit: nam, & pecuniam amisit, & scelus admisit, & animam perdidit.*

Ita est ait S. Leo Papa serm. 10. de Jejun. 29.
Decimi mensis: *Fœnus pecuniæ, funus est animæ* premunt pecuniæ avaros suos possessores quoa & suo pondere deprimunt, trahúntque in orcum; hinc Christus avarum locupletem alloquens ait Luc. 12. 20. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ parasti, cujus erunt?* Ubi observat S. Ambrosius animam avari nocte repeti intempesta, cum terræ tractus tenebris obvoluti jacent in luctu, mœrent in squalore: nimirum quia avarus cæcutit ad auri splendorem, ad argenti nitorem in tenebris ejus repetitur anima: ait Ambrosius lib. de Nabuth. cap. *Nocte anima avari reposcitur, quæ à tenebris incipit, & in tenebris perseverat.* Avaro cæcutienti ex auri splendore semper nox est. Hinc S. Chrysologus serm. 104. ait: *Convenienter hac nocte; quia fugiens misericordiæ diem, avaritiæ tenebris se mancipaverat.* Non solùm anima avari nocte repetitur, sed quod deterius in orcum trahitur. Divitijs affluebat, qui in Evangelio Luc. 17. 21. lautè epulabatur; sed simul inter auri splendores avaritiâ sordescebat; cum mensæ reliquias, imò & pauculas micas panis Lazaro denegaverit fame semimortuo; sed moritur dives, & sepultus est in inferno Luc. 17. 22. Quæritur cur dicatur ab Evangelista *sepultus;* cum damnati dicantur mitti apud Matth. 13. 42. *Mittent eos in caminum ignis.* Matth. 18. 9. *Quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Respondet S. Ambrosius: quia de divite avaro agebatur, hic autem ex auri pondere non tam mittitur in gehennam, quàm in profundo sepelitur; id exigebat auri gravitas; quia avarus suas in terra divitias sepelit, ne ulli innotescant, ex timore ne surripiantur; & istæ ut vices rependant, avaros itidem sepeliunt in imo terræ, in gehenna, non procul à terræ centro, non ut ibi quiescant, sed torqueantur.

Si dicas, Davidem dormientes vocâsse di 30.
vites, propterea quiescentes Psalm. 75. 6. *Dormierunt somnum suum viri divitiarum:* opportunè dixit dormierunt; quia nunc, seu post mortem non ampliùs dormiunt, sed torquentur, quia jam dormierunt in hac vita, in qua cum nihil boni egerint rectè dicuntur dormivisse, seu à bonis operibus quievisse, quia viri fuerunt divitiarum; hoc est servi non domini; sicut in scripturis *Viri Dei vocantur;* quia Deo fideliter servierunt: ita avari viri vocantur divitiarum; quia sordidè iisdem inserviunt. Hinc Apostolus ad Ephes. 5. 5. vocat avaritiam idolo-

rem servitutem; avarus cultum, qui soli Deo debetur, exhibet auro, cui inhiat, ac impensè servit. Idolo: duit non alio, quàm avaritiæ pulvere Hebraicus populus, cum ad promissam sibi terram proficiscens aliud noluit Numen colere quam aurum, ea quo vitulus à populo adorandus conflari voluit, Exod. 32. 4. *Hi sunt Dij tui Israel:* quia ut notat Chrysologus. Aurum Judaicum populum adeo suo captivavit aspectu, vicit illecebris, specie decepit; ut hoc DEUM esse crederent; sicque DEUM verum, a quo omnibus fuerant beneficijs cumulati, favoribus excepti, libertate donati, à naufragio liberati, à Pharaone defensi negârunt, séque à vero Numine averterunt: ita aurũ suo splendore tetras, cæcitatis offundit tenebras, ut cæcutiens populus crediderit, caput vituli suum esse caput, quasi aurum homines converterit in jumenta, quorum caput aliud non esset nisi vitulinum.

31. Similis etiam fit avarus statuæ Nabuchidonosoris, cui caput aureum erat, pectus argenteum: quia avarus nil præter opes mente versat; nil præter divitias corde fovet. Sed cur aureum est simulacro Babylonio caput, cui lutei sunt pedes? An quia mortis oblivio avaritiæ auro obstetricanti, ac inhianti favet, eamque fovet? neglectum jaceret sub pedibus aurum; si pulverulentum cœnum, si lutum, mortisque memoria vigeret in capite; quia facilè aurum & divitias habet contemptui, qui se brevi moriturum serió cogitat. De sanguisuga fertur, quód si pedibus inhæserit viatoris, sanguinem, quem sitit, bibit; sed si cinis ei insinuatur statim disjungitur, ac recedit. Avaritiam parem feceris sanguisugæ; sicut hæc sanguinem; illa virtutes exsugit, non ut servet, sed perdat; vel alienum secundum sanguinem, qui pecunias subindicat sitiat, ac ebibat; hanc à te ut longius excutias injice cinerem; seu serio cogita te brevi moriturum, & partas divitias cum dolore relicturum.

32. Demum D. Chrysost. in t. ad Thimoth. homil 12, confert avaritiam flammæ, quæ si in sylvam inciderit totam succendit; avaritia enim mundum evertit. Ab alijs dicuntur avari peiores feris: quia ursi, lupi saturati rapinas deserunt: sed avarus nunquam satur novis semper rapinis inhiat. Imò etiam idololatris deteriores; quia idololatræ Dei creaturas adorant, coluntque præter creatorem: avari autem non opus Dei, sed proprium venerantur, seu avaritiam, quam Deus non creavit, sed insatiabilis hominum cupiditas excogitavit. D. Basilius in Luc. æquiparat avaros sedentibus in theatro, a quo supervenientes excludunt: quia ita sedilia occupant, ut sibi vendicent ut propria, cum omnibus deberent usui esse: quas avari pecunias congerunt, recondunt, ne alijs sint usui, quibus aliàs communes essent. Maximus Monachus serm. 12. vitam avari parem asserit convivio mortuorum, in quo licet plura apponantur fercula nemini prosunt, nec ulli sunt commodo, ac utilitati: ita congestæ ab avaro divitiæ nulli sunt utiles, imo nec ipsis avaris, quibus non prosunt, sed obsunt, ob curas, & sollicitudines, quas secum trahunt. Socrates avaros avibus confert rapacibus, quæ prædam deglutientes se ipsas suffocant. Avari congestis divitijs, coacervatis thesauris se ipsos perdunt. Diogenes apud Stobæum avarum similem dicit hydropico, qui quò plus bibit, acriùs semper sitit, quò plus avarus congerit divitiarum, majoribus semper inhiat; nunquam sitim extinguit. Aristoteles avaritiam dixit ventum Cæciam nubes non excutientem, sed ad se trahentem contra reliquorum naturam ventorum, qui nubes dispellunt, & serenitatem adferunt. Plutarchus in Moral. Avarum comparat adultero qui propriam contemnens uxorem, alienas concupiscit. Avarus alienis bonis semper inhiat, proprijs non fruitur. Vel scabioso, qui ad continuum fricatum stimulatur. Cupiditas avari nunquam satiatur. Vel somnianti tristias quia avari nonnisi, quæ animum torquent, ac premunt, cogitant. Quia sicut trutina, ait Lipsius centur. 1. Epist. 44. in eam partem vergit, in qua plus continetur ponderis; ita avari propendent, ubi plus æris, ac divitiarum inesse cognoverint.

EXPENSIO IV.

De Symbolis alludentibus ad livorem Invidiæ.

Est invidia tristitia quædam animi de bono alieno, seu proximi existimato ab invidente ut malo proprio, quatenus per quamdam comparationem quodammodo censetur imminuere, vel saltem ipsius invidentis excellentiam, & nonnihil detrimenti ejus bono adferre; ut cum Saul laudibus invidit Davidis, cui puellarum chorus plaudente populo delatam de prostrato Goliatho victoriam adgratulabatur. Tristabatur Saul de laude exhibita Davidi, quatenus inde conjiciebat propriam obscurari præstantiam, minui excellentiam, & plurimum propriæ existimationi adferri detrimenti; cum laudes Davidi extraditæ illas excederent Sauli datas, ut ex ejus liquet querimonia 1. Reg. cap. 18. *Dederunt David decem millia, & mihi mille.* Invidus alienam felicitatem in proprium cudit tormentum. *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David à die illa, & deinceps* 1. Reg. c. 18. Vox illa gratulantium puellarum; *Percussit Saul mille, & David decem millia* Scintilla fuit, quæ odiorum excitavit incendium; & in bellum aliud Davidem pertraxit, priore diuturnius, longéque molestius, per octo siquidem annos in varia, & atrocia mala per Chananitidis regiones circumegit. Mel, & rosas sparserat triumphus Davidis, cui gaudia, & gratulationes, & fausta omnia respondebant; sed livor repentinos fellis imbres effudit, totámque triumphi, ac diei serenitatem tœdavit. Sicut nullum sine sale sacrificium; ita nec ulla felicitas sine invidia. Socrates cum ægrum crus fricaret, & nonnihil inde perciperet voluptatis; & mox dolorem sentiens ex illa fricatione subsequutum, fertur dixisse. Natura nihil admittit gaudij sine mœrore; 33

rore;

rore; nec quicquam felicitatis sine livore. Ea est invidiæ prava indoles, ut sui ipsius vindex prius in propria sæviat viscera, quàm in proximi bona; perinde ac fumus prodromus dicitur ignis mox accendendi.

2. Non Saul tantùm, sed præcedenter ad ipsum Cain Symbolum mundo exhibuit invidi. Interrogat Joannes 1. v 3. Propter quid Cain occidit Abel? & respondet: *quia opera ejus erant maligna fratris autem ejus justa.* Erat Cainus perfunctorius in cultu Numinis, cui deteriora dicabat, melioribus in proprium commodum reservatis: secus Abeli sicut indoles à teneris erat comis, reverentia in parentes, ut filium decet, quoties per victimas Numini supplicavit, quicquid optimi in gregibus, & frugibus possideret in sacrificium offerebat: hinc ob diversos utriusque divinitatis cultus, discreta fuerunt, & præmia secuta: siquidem super Abelis victimas divinus ex alto favor perpluit, ignis scilicet de summo cœlo in terram delapsus, & Abelis victimas depascens. Hæc flamma incendium accendit invidiæ in Caino, ut deinceps nonnisi vindictam animo livore infecto volueret; omnésque posthac victimas contumaciter ejutaret; & Abelem nihil mali suspicantem interfecerit: Suum ex invidia Cain occidit fratrem Abelem; protervus innocentem; interemit hominem, & Deum irritavit. Prima igitur fuit invidia in mundo labes, quæ una cæde quartam hominum partem avulsit è terra. Quis negat, invidiam malum esse vetustum? cum causa fuerit primi funeris; Angelorum principem cum suis asseclis cœlo ejecerit; primos homines excluserit paradiso: scitè D. Gregorius Nyssenus in vita Moysis invehit in invidiam, quam dicit mortis matrem, primam peccati januam, vitiorum radicem, doloris initium, calamitatis parentem, inobedientiæ causam, ignominiæ principium, mortiferum stimulum, mucronem reconditum, telum amarum, flammam cordis, intestinorum ignem.

3. Quod vermis ligno, rubigo ferro, tinea vestimento, hoc est invidia animo invidentis. Imò non errares si invidiam Orco pariares, in quo nil nisi dolor, & mœror, nil nisi clamor, & ululatus; nil nisi ignis, & cruciatus; nil nisi caligo sine splendore. Job. 5. 14. *Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte; sic palpabunt in meridie* nimirum quia invidi tristantur de aliorum bonis; lux ipsa in igne tenebras offundet, quibus invidi torquebuntur. S. Cyprianus lib. de zelo, & livore. *Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilô livoris involuis? quid invidiæ cæcitate, omne pacis, & charitatis lumen extinguis?*

4. Fuit invidia fera illa pessima, quæ devoravit Joseph, & de qua conquerebatur Jacob. Genes. 37. 33. *Fera pessima devoravit Joseph.* Erat Josephus ocellus patris sui Jacobi, eò quia in senectute eum genuerit; sexdecim erat annorum adolescens, cum in fratrum incidit invidiam nonnisi innocentis interitu extinguendam. Flammas livori addidit somniata Josephi præeminentia, & incusatio criminis cujusdam pessimi apud parentem; sed præsertim imagines quædam adolescenti objectæ per somnium, quas puerili candore undecim aliis adaperuit fratribus, dum narravit à se per quietem visos fratres colligantes manipulos, & suum stetisse erectum, & à fratrum manipulis circumstantibus pronis adorari. Ut etiam sub specie solis, & Lunæ, ac undecim stellarum se se coli. Geminæ narrationes indicantes adolescentis dominatum supra cæteros fratres; ut & polymita vestis multicolore filo elegantiùs intexta fomitem suppeditârunt livori, flammásque invidiæ non extinguendæ nisi Josephi nece. Verùm dum fraterna invidia nocere cogitat, adolescenti prodest, qui dum in cisterna demittitur ad Thronum erigitur; dum Madianitis mercatoribus venditur, proregis dignitatem sibi negotiatur; dum per plagiarios frater illuditur parenti seni, cui persuadetur, Josephum filium à cruenta fera devoratum; fratri divendito corona emitur. Dum igitur cogitavit invidia obesse, prodesse vel invita didicit. Nunquam Josephus ad Proregis Ægypti dignitatem ascendisset, nisi fraterna invidia in cisternam demisisset, & negotiatoribus Madianitis vendidisset. Proprio non parcit invidia sanguini in Caino innocentem interfecit Abelem, in Ismaele persequebatur Isaacum, in Esau Jacobum nitebatur interficere; quia invidus de profectu deficit, de pinguedine macrescit, de sanitate infirmatur, de prosperitate cadit ærumnosus.

Solet etiam Heli Symbolum exhibere invidi 1 Reg. 3. t. 2. 3. *non poterat videre lucernam Domini, antequam extingueretur.* Heli non poterat videre lucernam nisi extinctam; & invidus alienum splendorem non tolerat: proximi opera clara, & illustria non libenter videt, sed tantùm obscura, & mala. Duæ sunt invidiæ filiæ tristitia in proximi prosperitate; & exultatio in adversis; & in utraque adversatur charitati, quæ cum gaudentibus gaudet; lugétque cum lugentibus. 5.

Coritæ symbolicè invidos referunt. Fuerat Aaron a Deo institutus supremus sacrorum Pontifex: sicut & Moyses causarum civilium judex, ac divinæ interpres voluntatis; idque pupugit Coren Leviticæ propaginis virum; qui ut Aaronem, & Moysem fratrem exauctoraret, Dathanem sibi, & Abironem adjunxit, viros factiosos, & potentes in populum, cujus partem ad se traxit, ut & plures patritios ad ducentos, & quinquaginta, quorum vota eò redibant, ut Aaronem, & Moysem, quibus invidebant, illi pontificatum supremum sacrorum; huic principem in causis civilibus præfecturam; magistratu depellerent; & Aaroni Coren, Moysi quemcunque è suis alium prout consultiùs visum esset subrogarent. Sed invidia Coren cum asseclis præcipites ex terræ hiatu egit in gehennam: cum enim Coritæ hæ sibi vellent supremas usurpare dignitates, & earumdem fungi officijs, disruptâ terrâ, ac voragine lata diducta, præcipites uno, eodemque tempore ruerunt in tartara. Invidia malorum omnium fœcunda parens fuit, ambi- 6.

tionem peperit, odium fovit, inimicitiam enutrivit, livorem invexit, conspirationem proflavit, seditionem disperfit, pertinaciam accersivit, terræ hiatum aperuit, & gehennæ flammis torquendos tradidit invidos. Audiendus S. Cyprianus ferm. de livore. *Invidia radix est omnium malorum, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum*; ideóque nos monet D. Ambrosius, ut invidiam excutiamus, ejúsque livorem exuamus, ait ipse lib. de fuga sæculi. *Fuge invidiam, quæ non solùm alienos; verùm multo magis eum, quem possederit, lacerare consuevit.*

7. D. Gregorius expendens illud Cant. 8.6. *Dura sicut infernus æmulatio:* peiorem morte esse invidiam edisserit: ait ipse: *An non satis si mortem imitaretur invidia? cur inferni duritiam imitatur? mors prædatur corpus, animam non extinguit, nec cruciat infernus verò animas affligit.* Est invidia vermis, qui intus hominis corrodit intimiora; putredo ossium; est febris illa putrida, quæ suo æstu intimiora hominis corrumpit ad internecionem si non corporis, saltem animæ, quam divina destituit gratia, quæ vera est illius vita.

8. Ex Astrologis plures sunt, qui symbola itidem exhibent invidorum illi scilicet, qui telescopiorum beneficio, vel alijs instrumentis solem Planetarum principem observant; non ut illius metiantur altitudinem, explorent splendorem, indagentur virtutes, mirentur velocitatem, contemplentur operationes; sed ut ejus maculas detegant, quas manifestent; & ejus detrahant claritati, ac decori. Quid ni invidi per tubos opticos in aliorum splendores oculos quidem defigunt, non ut eos commendent, eorum laudes deprædicent, virtutes loquantur, sed ut defectus explorent; quibus eorumdem detrahant honori. Invidi maculas in sole quærunt, in virtute vitium, in sanctitate defectum. Vetustum est invidia malum, quod à mundi exordio insectatum semper fuit virtutem, ejus splendores vel ut extingueret, vel saltem obscuraret, in mundi infantia adolevit invidia, quæ cum Cainum corroderet in Abelem sævijt, ut nec inter fratres secura fuerit innocentia; nec inter sacrificia tuta religio; nec in ipso cultu Numini debito indemnis pietas; altaria ipsa profanavit invidia, quæ religionis, & naturæ violatæ rea, nec proprio pepercit sanguini, cum fratrem quia innocentem sustulerit; quia Numini meliora mactantem in ara, mactaverit in campo, simúlque dimidiam exhauserit natorum partem, quoa scimus tunc vixisse. Invidia rudem adhuc mortem accersivit, eámque in campo veluti in schola regulas edocuit homines sui juri faciendi, cum Cainus fratrem Abelem interemit; idque caosæ cur S. Vincentius Ferrerius ferm. 4. Dom. 2. post oct. Pasch. invidiam pariaverit equo pallido, eo quia sederent super eum Infernus, mors, & invidia; quia ut habetur Joannes 1. 3. 14. Qui non diligit manet in morte.

9. Præ cæteris, invidiæ Symbolum videtur vipera præferre, hæc editura in lucem, quos conceperat fœtus proprium disrumpit uterum sibique mortem infert. Invidia quoties enititur alianos defectus, sibi magis nocet, quàm alteri; quia invidiam pati, nullum est malum; nec est quis malus, quia alter eidem bonum invidet: imò uberior est illi gloria, si alterius fiat invidia dignus. Nemo invidet misero, nisi forte illi, cui minor est, quàm invidentis miseria. Idqua causæ cur felix invideat felicitori; ut & sibi in felicitate æquali; quia gaudet felicitas solitudine; & ipsa felicitatis æqualitas semen est, ex quo invidia germinat. Oritur igitur invidia ex aliena felicitate: sitque caligo ex splendore enatus; deformitas è pulchritudine genita; fletus è gaudio effloens; rivus fellis à fonta mellis promanans; fructus nequitiæ è planta honestatis, dolor proprius ex aliena lætitia; & calamitas domestica à gloria proveniens externa. Hinc Bion homini invido cum obviasset, eúmque vidisset tristi, ac dejecto vultu, interrogavit, num illi quidpiam mali, an qoid boni alteri contigerit; quia tristitia fœtus est vel mali proprij, vel boni alterius. Themistius adhuc adolescens conquerebatur mœrens, quòd nil boni adhuc effecerit, & ex eo id conjiciebat, quia neminem adhuc invidum fuerit expertus, *Præclari nihil feci; mihi, quippe non invidetur.* Invidus alieno bono contabescit; aliena crassitie macescit, aliena felicitate fit miser. Unde satiùs invidiam pati, invidósque experiri; quàm à quavis esse invidia immunem, Qui homines experitur invidos, sibi potest adgratulari; quia aliorum invidia certa est boni alicujus confessio.

Symbolum invidiæ S. Bernardus ferm. 14. in Psalm. assumpsit Basiliscum, qui fertur venenum in oculo gerere; habetúrque propterea animal pessimum, & præ cæteris execrabile. Basilisci oculos dixeris habere invidum; cum non nisi torvo, malignóqoe aspectu alienam videat prosperitatem. Invidiæ livor virus plerunque ingerit in animo, unde gaudiū potius deberet expoleere; lætitia enim deberet potius excitari ex diffusa in proximum prosperitate; sed adeo perversa est invidia, ut alterius felicitatem propriam putet miseriam; alterius incrementum suam diminutionem; alterius lucrum propriam jacturam; alterius gloriam propriam ignominiam; alterius honorem proprium dedecus; deprædicat alterius scientiam propriam ignorantiam; alterius abundantiam propriam depopulationem; alterius splendorem propriam obscuritatem: quia quicquid boni alteri accedit, hoc idam à se recedere putat. Unde satius esset invido si cæcutiret, oculis careret, ne videret; virus ut Basiliscus non effunderet, sibi tamen magis, quàm alteri noxium. Sciitè S. Cyrillus in Apolog. cap. 29. *Maledictus sit talis oculus, qui turbatur in lumine, & in turbine delectatur: qui cum naturæ vitalem lucem videre non patitur; sed in caligine illustratur: cui gaudium luctus, lux nebula, bonum malum; cui infelix est felicitas, & calamitas felix: cui adversitas prospera, & prosperitas adversa; cui amica miseria, & bonitas inimica.* 10.

Hinc

11. Hinc S. Bonaventura dixit. sal, c. 4. Diabolum ipsum assumit invidiæ Symbolum; quatenus invidus, perinde ac cacodæmon vellet ut nullus esset bonus; ea est invidiæ indoles, quâ alienæ advertetur prosperitati, insidietur emolumento; fitque veluti vermis in ligno; rubigo in ferro, tinea in vestimento. Talis fuit Babylone in aula Evilmerodachi filij Nabuchodonosoris, cui successit in regno, & apud quem Daniel non minore pollebat gratia, ac regio favore, quàm apud patrem Nabuchodonosorem valuerat, cotidianus conviva ad mensam assidebat Regiam, quâ si Daniel reficiebatur, invidia in reliquis aulicis nutriebatur; non tamen ut se reficeret, sed Danielem interficeret; omnem siquidem invidi aulici moverunt lapidem ad Danielem evertendum. Cumque sermo inciderit de Belo Babyloniorum Deo, quem populo exhibebat effigies intus lutea, foris ænea, sed cujus cultum Rex invitaret Danielem, detrectantem obsequia soli Deo debita impertiri luteæ statuæ: inde invidi Palatini occasionem nacti, populum contra ipsum concitârunt, neque invidia destitit, donec Daniel in lacum demitteretur à septem vorandus leonibus prædæ inhiantibus ob subtractum consuetum pastum; licèt innocentia incolumis manserit impastos inter leones. In aulis præsertim principum alitur lautius invidia; imò plerunque etiam imperat. Daniel. 14. *Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & Domum tuam. Necessitate compulsus tradidit Danielem.* Quia in aula Danieli placuit regi, displicuit reliquis palatinis, qui cacodæmones æmulati nolebant Danieli viro probo bene esse. Rex sedaturus satraparum tumultum, populique seditionem; è summo in aula loco in imum dejecit, & è regia mensa in lacum leonum. Res est lubrica in aula placere principi; invidia semper reperit odiorum causas, & præcipitium plerumque aperit sedenti in eminentiore sede.

12. Bercorius, & Pierius invidiæ Symbolum assumunt ignem, qui nonnisi excelsa appetit; invidia siquidem suum effundit livorem in eos, qui præ alijs eminent, vel dignitate in aula, vel honore in civitate, vel scientiis in scholis; vel arte in officinis. Alij symbola invidorum exhibent Indiæ serpentes, qui florentibus aromaticis arboribus fugiunt, ægrè ferentes divitias in arboribus illis, quas & corrodere dicuntur, ne floreant, non sustinentes florum odorem. Quid ni? nec invidi proximi prosperitatem tolerant. Alij papilionibus invidos pariant; qui dum lucernæ splendorem nituntur extinguere se ipsos concremantes interimunt. Invidi ex aliorum honore se ipsos torquent: & quanta felicium sunt gaudia, tanti sunt gemitus invidorum. Vis invidos torquere, virtuti stude. Fuit qui interrogatus quomodo posset invidos non experiri, respondit: si nihil præclari egerim, si omni fuerim virtute destitutus; si nihil ex magnis rebus habuerim: nam sola miseria est, quæ caret invidia. Socrates rogatus quid bonis viris molestum esset?

dixit: malorum felicitas; & quid malis? bonorum prosperitas.

Lipsius centur. ad Belg. Epist. 14. invidiæ 13. Symbolum usurpat flammam splendentem, cui addit lemma. *Non sine fumo.* Ita fama si splendeat non sine aliquo livoris fumo credas suos emittere nitores. Ubi nullum clarescit lumen, ibi nulla obscuratur umbra. Si flammam primùm accendis, multum excitas fumi, qui tamen minuitur, imò & evanescit invalescente flamma: ita aggredientem res præclaras sub initium multa premit invidia, donec ad gloriæ uberiora incrementa decrescat livor. Non abs re syrenibus conferuntur invidi. Dicuntur Syrenes fluctuante procellâ, ac minitante naufragia suavissimè canere: & sereno cœlo tranquillo salo, quiescentibus fluctibus obmutescere tristes, in luctu jacere squalidæ. Annon invidi lætantur si adversa alios, quibus invidebant, premant; & tristantur si prospera ijsdem obtingant? Invidos res adversæ oblectant; prosperæ contristant. Quibus fortuna lenocinatur, invidia suo livore insidiatur: nec inter prosperas sortes potis est quis invidorum dentes evadere.

Vultures itidem Symbolum præsefeŕunt 14. invidorum. Refert Ælianus *lib. 7. c. 3. de Animal.* Vultures cadaveribus pasci, & odore unguentorum interimi. Invidi aliena morte vivunt, alienis infortunijs aluntur: prosperitatibus torquentur; quia id proprium invidiæ tristari de alieno commodo. Quamvis invidum pudeat prodere morbum, quo cruciatur; vultus tamen qui est animi index eum detegit. Invido si obvias; oculi aridi intra palpebras tabidas, extenuatas & recedentes; supercilia contracta, facies tetra, incessus segnis; suspiria frequenter emissa satis produnt, quo intus rodatur verme.

Invidia morbus curatu difficilis etiam de- 15. functos ac in gehenna detrusos torquet; hoc morbo infectus, qui in Evangelio divitijs affluebat, ac lautè epulabatur Abrahamum rogavit ut ad se mitteret Lazarum, quem proprio complectabatur sinu Luc. 16. 24. *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum.* Plus ex invidia Lazari felicitas torquebat divitem flammis excruciatum, quàm gehennæ incendium. Ideo expetijt ait Chrysologus serm. 66 Lazarum extrahi è sinu Abrahæ, & suis precibus ad tartara duci: specie quidem pietatis ut suam refrigeraret linguam; sed revera, ut saltem ad modicum temporis illa destitueretur felicitate, quam ei invidebat. Hinc Abraham aptè retorsit Luc. 16. v. 25. *Filij recordare quòd recepisti bona in vita tua; & Lazarus similiter mala.* Recordare te delicijs, sensuúmque illecebris indulsisse; & Lazarum nonnisi mala fuisse passum; & nunc debere compensationem fieri; ut tu nullam prorsus remissionem in malis assequaris; neque Lazarus quid mali patiatur.

Invidus non curat damnum sibi inferri, 16. dummodo alteri, cui invidet obesse possit. Palæstini dummodo Isaaco obessent, cui prosperitatem invidebant; etiam cum proprio damno,

& incommodo puteos obturârunt per Palæstinam; maluarúntque aquarum destitui leticibus, quàm finere alios æstus sitis frigidâ extinguere Genes. *Omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham illo tempore obstruxerunt, implentes humo.* Nihil commodi, nec utilitatis ex ille obltructione puteorum poterat Palæstinia obringere; quin potiùs plurimum incommodi: & tamen quie invidiæ vermis intus eos torquebar, ejus morsus quò minus sentirent; maluerunt frigidâ destitui, dummodo Isaaco nocerent.

17. Invidie suum in hujus mortelis vitæ prosperitatem effundit livorem; parcit verò cœlesti beatitati: idque adifferunt fratres Josephi hic duo illis innocenti candore somoia recensuit, quorum alterum fuit manipulornm denotantium futuram in Ægypto frumanti causâ adorationem; etenim juxta Josephi prophetiam in Ægyptum profecti fratres rei frumentariæ causâ aum adoreverunt ibi Proregem, & hoc audito somnio terrenam præsagienta felicitatem, fratri somnenti non solùm invidetunt, totúmque virulentum effuderunt in ipsum livorem, verùm etiam da ipso interimendo consilium injerunt, convicijsque amarulentis eom fuerunt instigente invidia persecuti. Alterum somnium cœlasta fuit Genes. 37. *Vidi per somnium quasi solem, & lunam aderate me* & æternam indicavit beatitatem, quâ erat Josephus donandus: quo audito fratres silent taciturni; nullum invidiæ livorem ostendunt in fretrem in cœlis beatum; quem in terris noloerunt prosperitata ditatum. Somnium spicarum, & manipulorum ideo enotrivit iovidiem in fratribua, quia da terra terrenem portendebat felicitetem, ut scitè notavit Theodoretus *q. 93. in Genes.* stallarum aurem somnium, eatenus flocci tecerunt; quia de cœlo non nisi cœlestem in altere vita portandebat prosperitatem. Adeo cæcotiunt homines, ut terrenem, vilem, fluxam, umbrerilem, ac momeotaneem prosperitatem corrupto judicio præferant, cœlesti, æternæ, ac veræ felicitati hanc silentio prætereunt, cum in illam invidiæ dentes acuant, ut mordeant, rotúmque effuodant virulentum livorem, quò interimant. Ita est invidia virulento livose proprium inficit fretram, ut Jacobi filij Josephum fratrem. Cain Abelem innoaentem. Imò nec proprio parcit patri taltis Absolon 2. *Reg. 15. 10.* nec sorori, ut Rachel Liæ, eo quia hæc fœcunda esset, cum illa sterilitata laboraret Genas. 30. 1. Non parcit Benefectori testis est Saul lethali odio Davidem persequens. Non parcit innocentissimo testes Judæi crucifigentes Christum.

18. Invidus quie psres sibi respuit à cœlestium excluditur consortio. Symbolum hujus veritatis suppeditet David Psalm. 8. v. 4. cum dixit: *Videbo cælos tuos - Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti* mirum ianè quòd solie diei parenris, mundi lampadis clarissimæ non meminerit; & minutes recensuerit stellas, lunémque suis obnoxiam deliquijs. S. Pettus Damianus ferm. de Assump. B. V. respondet, solem cum cæteris non fuisse syderibus recensitum è Davida; quie solis claritas quid habet altius, sublimius, ec illustrius, quàm splendor luoæ, quæ licèt cum pleno jubara emicat, nonnihil reliquas obscuret stellas, non tamen penitus occultat. Sol verò suo ad nostrum hemisphœrium appulsu sydera raliqua fugat, vel extinguit, ne suos eudeant præsente iola in terram nitores dalegare; peres in splendore amittendo non patitor: Symbolum propterea invidi alium ægrè ferentis sua dignitata insignitum; ait D. Augustinus invidet par pari, quia ei coæquatur; invidet inferior superiori, quia illi non coæquatur: invidet superior inferiori, ne illi coæquetur. Ideo David reliqua commendans sydera solis non meminit; quia is laudam meretur, qui non solis, sed Lunæ imitator eliernum non occulit splendorem. Lucifer ideo sedera solus concupivit; quia propriam dignitatem alijs invidit; quos tamen secum traxit ad ignominiam; quos anim invidus rapudiavit ad consortium, damnatus secum traxit ed supplicia. Christus quia elienæ non invidit prosperitati, consortium non recusavir eltarius: David loquens de Christo Domino ait Psalm. 18. 6. *In sole posuit Tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus.* Cur non dixerit, præcessisse ut regem regum, ut Dominum dominantium; vel saltam ut principem universæ terræ? ea fuit ratio ait Sylveire in act. 2. v. 21. quia Rex in suo regno non admittit consortem; nec imperator in suo imperio: secus sponsus in sua domo cupit sponsam consortem.

Is à livore iovidiæ censetur immunis, qui suo functus officio æquo, lætóque enimo alteri locum cadit, & Deo faciliùs adhæret. Symbolum hujus asserti aquis innatat. Genes. 1. v. 2. *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Si Daus est immensus non tantùm super eques, verùm & per reliqua omnia locorum spatia ferebatur. Cur igitur præ alijs rebus, aquæ Dei condecorantor splandore? Cur Daus speciatim eqnis fafat, quas & fovet? qoia equæ ed Dei nutum libenter suom cesserunt terræ locum: dieuntur aquæ totam occupesse terram, ut hæc noo appareret. Sed Deos *dixit* Genes. 1. 2. *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, & appareat arida, & factum est ita:* obsequutæ equæ divino mandato illicò locum cesserunt terræ, ut ipsa quoque appareret, amineret in montibus, humiliaretur in vallibus, extenderetur in planitie; suásque ubique exhiberat divitias in slorum varietete, segetom ubertate, herbarum virtuta, arborum proceritate, Quid ni? quia cessit aqua locum terræ. *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Quia multum haber de spiritu Dei, qui libenter cedit alijs, quibus, & locum relinquit, ut fiant & ipsi conspicui appareántque illustres. 19.

Daus ipse in orbis molitiona fortiùs suo exemplo hanc nos edocuit assertionam; cum opera creationis veluti bipartito, Adamum accersivit tanti moliminis consortem, Genes. 2. 19. *Adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret* 20.

ret ea: seu veluti ad creaturarum imperatorem adduxit, à quo proprijs insignirentur nominibus. Quasi dimidium orbis creans Deus propria nomenclatione tantùm condecoraverit, vocans ipse firmamentum cœlum, lucem diem, tenebras noctem, orbem terram, congregationem aquarum mare; & alteram medietatem complectentem animalia, & volucres homini reservaverit proprijs ornandam nominibus: ut nimirum omnibus innotesceret Numinis sollicitudo in hominis quærendo honore, quò divinæ fieret sapientiæ particeps. Hinc D. Athanasius Alexandrinus lib. contra Gentiles ait: Deus quia summè bonus nullius rei invidia tangitur, nemini esse invidet, sed omnes esse vult, ut habeat erga quos uti possit benignitate: causam adfert S. Gregorius Nazianzenus orat. 42. Bonitati minimè satis erat, sua ipsius solùm contemplatione moveri: sed bonum diffundi, ac propagari oportuit; quò plura essent, quæ beneficio afficerentur.

21, Invidiæ livore, qui non inficitur non veretur socios habere prosperitatis; & propensa voluntate propriæ claritatis alios efficit participes: & ex hoc dignoscitur quis ab invidiæ immunis livore: proficiscentibus Eois regibus ad nati Servatoris præsepe stella insueto corusca splendore eos præcessit, iter præsignans Matth. 2. 2. *Vidimus Stellam ejus in oriente, & venimus adorare eum.* Quid? quod vocent stellam Dei, quasi eam à reliquis distinguentes; an non reliqua sydera condita à Deo fuerunt? an non Sol, Luna, & Stellæ quotquot in cœlis splendent opera sunt Dei conditoris? cur speciali hanc præviam Stellam condecorarunt nomenclatione? An quia etiam interdiu sole fulgente suos emitteret radios; nec soli cederet; cui reliqua sydera cedunt, subducúntque se ab oculis hominum? sed unde habuit tantam vim, quâ solis æmula irradiaret fulgente sole; diceretúrque Stella Dei? *vidimus Stellam ejus*: non putes supervacaneam Stellæ nomenclationem; aliæ stellæ splendente sole, quasi erubescentes ad clarissimum solis jubar suos occultant nitores: hæc verò stella prævia, quia *Stella ejus*, seu Domini erat, speciali prosequitur favore, quô præsente sole nitet: quia Divinus Sol quâ fulget ipse claritate largitione benefica vult alios etiam clarescere; ad omnem invidiæ umbram excutiendam. Hinc Apocal. 1. 16. de Christo dixerat Joannes *Habebat in dextera sua stellas septem.* Deinde subdit. *Et facies sicut Sol in virtute sua*, seu in summa claritate. Fulgebant igitur in manu stellæ septem, quæ à facie suos hauriebant nitores. Per has Stellas septem tu sacramenta Ecclesiæ intellige, quæ totam suam virtutem à Deo suscipiunt. Quia Joan. 8. 12. dixit Christus *ego sum lux mundi*, hanc eandem lucem sine invidia suis voluit discipulis communicatam Matth. 5. 14. *Vos estis lux mundi* scilicet per gratiam.

22. Quæritur quomodo Rachel invidere potuerit sorori suæ Liæ, si non doluerit de illius fœcunditate Genes. 30. 1. *Cernens Rachel, quòd infœcunda esset, invidit sorori suæ.* Respondet Abulensis; duplex esse invidiæ genus, unum laude, aliud vituperio dignum. Vitiosa est est invidia, quâ invidus de alieno bono dolet; & lætatur de alieno malo: secus laudabilis est si doleat de defectu proprio in comparatione ad aliquem habentem id, quo alius caret; & ait hoc pacto Rachelem invidisse sorori suæ, & hanc invidiam dignam fuisse laude ex eo conjicitur; quia Deus fuerit eam remuneratus Gen. 30. v. 22. *Recordatus quoque Dominus Rachelis exaudivit eam; & aperuit vulvam ejus*; seu impertitus ei fuit fœcunditatem. Hinc Apostolus hac voluit invidia Corinthios pulsari 1. Corinth. 12. *Æmulamini Charismata meliora.* Jussit Apostolus Corinthios æmulari charismata meliora; seu non dolere de aliena prosperitate, sed de proprio defectu.

Cæterum invidus de aliena felicitate dolet, mœret de alieno bono, de profectu deficit, de pinguedine macrescit, de sanitate infirmatur, de vita moritur, de claritate obscuratur Ezech. 17. 3. *Aquila grandis magnarum alarum venit ad Libanum* symbolum fuit hæc aquila invidentis, ac dolentis de aliena prosperitate. Si quæras, cur præ cæteris montibus ad Libanum evolaverit? Respondet Nixera in Judic. 16. §. 7. quia Libanus ornatur cedris speciosissimis, niviúmque candore. Huc aquila suum direxit volatum; quò alienum obscuraret candorem, cedrósque præcelsas emedullaret, 23.

EXPENSIO V.

Vitium Gulæ, & temulentiæ pluribus carpitur Symbolis petitis à comparatione cum rebus varijs.

GUlæ, & temulentiæ Symbolum rectè ponitur Piscina Evangelica, in qua jacebat multitudo magna languentium, Joann. 5. 3. quia ubi vitium gulæ, & temulentiæ, ibi 1.
morborum omnium fœda caterva; quapropter monet Eccles. 37. 32. *Noli avidus esse in omni epulatione; & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas.* Vocatur hæc piscina *Bethsaida*, seu domus venationis, piscationis, domus pecudum juxta Simeonem: quia ubi varietas, & copia ciborum; ubi plura fercula, ibi nosocomium, ibi plures varijs laborantes ægritudinibus. In piscina Joan. 5. 3. *Jacebat multitudo magna languentium.* Hinc orta parœmia, plures occidit gula, quam gladius. Et Antiphanes Delius insignis medicus apud Clement. Alexandr. Pædag. l. 2. c. 1. Morborum omnium putidos, ac corruptos rivulos ab uno gulæ fonte oriri edixit.

Non solùm gulæ indulgentes morbis laborant varijs; verùm & à summo Bono se avertunt, cujus gratia excidunt: & Symbolum exhibet Esau Genes. 25. 34. *Comedit, & bibit, & abijt, parvipendens quòd primogenita vendidisset.* Qui gulæ indulgent, temulentiâ madent, præmia vendunt æterna pro vili jentaculo Thren. 1. 11. *Dederunt pretiosa quæque pro cibo.* Divinam gratiam quâ adoptamur in Dei filios adeo parvi faciunt, ut congestis epulis eam insepeliant; vinique haustu perinde ac charybdi naufragam perdant, sed quia est gratia vita quâ 2.

super.

ſupernaturaliter, & Deo anima vivit; hæcum primum excidimus Deo morimur. Idque cauſæ cur Oppianus gulæ vitio aſſuetum parem afferat piſci, qui Tob. 6. 1. adeo vorax fuit, ut ciborum copia ventre nimium diſtento disrumperetur, ac moreretur, quo triſti exitu homines à luxu, & crapula deterreret.

3. Quòd ſi gulæ vitium divinam devorat gratiam; credas virtutes quoque omnes in perniciem trahere, ac ad internecionem deglutire. Hujus aſſerti Symbolum eſt Princeps ille coquorum, qui Jerem. 52. 12. deſtruxit muros Jeruſalem; per muros Jeruſalem S. Gregor. Moral. lib 30. cap. 13. intelligit virtutes, quæ veluti muri muniunt, corroborant animam noſtram: has igitur virtutes, quarum beneficio anim. ad pacis viſionem tendit; princeps coquorum, ſeu voraciſſima gula deſtruit, deglutit. perdit. Si quæras quale ſit hujus cocorum principis cor. Reſpondet Petrus Damianus lib. de dignit. Sacerdot. c. 3. eſſe lebetes, in quibus edacitas ut in proprio Throno ſedet, & regnat; & per concupiſcentiæ æſtum excoquuntur edulia; ſeu prava deſideria perficiuntur.

4. Gulæ Symbolum D. Bonav. diær. ſal. c. 8. de gula, ponit porcum in cœno, & ſterquilinio voluptatum ſe volutantem; & quem Diabolus gulæ illecebris, & ferculorum varietate nutrit ad pinguedinem; ut poſtea ad fumum inferni exſiccandos, ſeu torquendos ponat, & tandem in æternum devoret, ac paſcatur. Idque cauſæ cur gulæ aſſueti dicant. Matth. 8. 31. Si eiicis nos hinc, mitte nos in greges porcorum, ſeu gulæ indulgentes.

5. Alij gulæ vitium conferunt plenilunio, in quo quæ cæduntur, vel plantantur ligna: ob humorem immodicum, quo id temporis res ſublunares ſcatent, faciliùs corrumpuntur; vel generant vermes, à quibus corroduntur, & corrumpuntur. Humor iſte in plenilunio vitium dixeris gulæ, quod carnis repletione humores in corpore viriat, & corrumpit; & vermes ingenerat pravorum affectuũ virtutes, ac animi ornamenta corrodentes, ac erradenter. Alijs placet Symbolum gulæ aſellum exhibere marinum, qui dicitur habere cor in ventriculo juxta Ælianum lib. 5. de animal. c. 21. Alij aſſumunt ſtellam illam, cui nomen eſt Acephalus, eò quia ante ſtellam errantem ab Aſtrologis enumeretur; videatúrque caput in pectore comprimere; ac propterea exhibere helluones, quibus ratio non in capite, ſed pectore videtur ineſſe; cum omnia juxta ventris metiantur exigentiam; videantúrque cor habere in ventre. Imò & Numen ipſum præſeferre in ventre; de quibus dixit ille; quorum Deus venter eſt; ſed dum ventrem volunt habere pro Numine, ferviunt ipſi libidini, gloriantúrque in carne, & confuſione ſua: & ut ſcribit S. Hieronym. Epiſt. 48. ad Sabinianum Diaconum; *quaſi pingues hoſtiæ in mortem propriam ſaginantur.*

6. Vincendum, ac proſternendum eſt hoc vitium gulæ, ne nos expugnet; repletio enim ventris, evacuatio eſt mentis, & corporis pinguedo animi obtundit aciem. Quia verò hoc vitium luxu delectatur in epulis; optimo vincitur obſonio; quod omni corona præſtantius datur triumphatori Apocal. 2. 17. *Vincenti dabo manna abſconditum* in reprehenſione Epiſcopi duo Nicolaitarum vitia innuit Deus, gulæ, & luxuriæ, vincenti utrúmque promittitur in præmium manna abſconditum Euchariſtiæ, ut ſentiunt Rupertus Abbas, Beda Venerabilis, & Albertus magnus: quia vincenti gulæ concupiſcentiam refectio datur ſpiritualis in compenſationem ſubtractionis corporalis eſcæ; ſeu ſuppeditatur Euchareſtia: in qua ſunt omnes ſpirituales deliciæ. Eſt Euchareſtia quæ mentem reficit; & ad ſtudia virtutum viam ſternit; ſicut oneratus venter ad vitia cor diſponit.

Joannes Climacus grado 26. Symbolum hujus vitij, quo caro pingueſcit, venter impletur, & animus excultis evacuatur virtutibus, ponit aves illas, quæ nimio carnium pondere prægravatæ, cujuſmodi ſunt ſtrutio camelus, gallus gallinaceus; quia hujuſmodi aves vix alarum remigio aërem diverberantes in cœlum elevantur, terris jugiter adhærentes: perinde nutrientes, ac foventes ſuam carnem in cœlum non avolant. Idque cauſæ cur nos moneat Eccleſ. 37. *Noli avidus eſſe in omni epulatione & non te effundas ſuper omnem eſcam.* v. 34. *Qui autem abſtinens eſt adjiciet vitam.* 7.

Neque prætereundi ſunt in Aula Pharaonis duo illi Eunuchi, qui cum eſculentis præeſſent, & poculentis, in crimen deprehenſi, detruſi fuerunt in carcerem Genes. 40. 1. *Accidit ut peccarent.* Hi Symbolum exhibent indulgentium vitio gulæ: quia facile in turpia proruunt ſcelera; qui enim ferculis ventrem implet; ægrè à vitijs, & ſceleribus mentem circumfert vacuam; luxus in epulis corpori eblanditur; ſed ſpiritui advertatur; corpus fovet, ſed vitijs favet: caſtitatem cum ferculorum luxu non cohærere explicat S. Nilus orat. 1. ubi loquens ſpecialiter de luxuria ait: *Qui ventrem implens ſe caſtè victurum profitetur; ei ſimilis eſt, qui dicit, in ſtipula ſe flammæ impetum fæno cohibiturum.* Avaritia, iracundia, luxuria ex gulæ oriuntur; nam qui luxui aſſueſcit in ferculis, pecunijs indiger ad explendum deſiderium lautè comedendi; ad propriæ ſatisfaciendum concupiſcentiæ, ac libidini, quæ ferculorum copiâ nutritur. Nemo igitur voluptatem ſequatur, nemo gulæ mancipijs hæreat; utinam omnibus eadem Catonis mens inſideret, de quo refert Plutarchus in vita Catonis, *quòd cum voluptuarius quidam cum eo contrahere cuperet conſuetudinem, abnuens negabat, ſe poſſe vivere cum homine, qui palatum, quàm cor haberet acriore ſenſu præditum.* Ita eſt; qui ferculis ventrem implet, ægrè à vitijs mentem vacuam circumfert; quæ alimentorum copia eſt domus referta, plures in eadem ſolent mures, ac feles enutriri; perinde in obeſis corporibus, plurimóque cibo plenis vitia pleraque ſtabulantur: qui enim intemperans eſt, is & incontinens, & à quovis alio vitio ſuperatur. Neque poteſt quis reliquis dominari vitijs, niſi prius ingluviem ventris reſtrinxerit, ut ait S. Iſidorus. Quàm ſi utile 8.

gulam

gulam coërcere, edifferit S. Nilus orat. 1. de gula inquiens: *Devictâ gulâ fons aquæ gignitur, & ingluvie oppressâ contemplationis usus acquiritur:* quia ut loquitur Seneca: *copiâ ciborum animi subtilitas impeditur.*

9. Hugo Cardinalis expendens illud 2. Reg. 4. 6. *Ingressi sunt domum latenter:* ait, hos duos latrones, qui domum latenter ingrediuntur; & dominum domûs interficiunt, esse nimium potum, & cibum; seu potiùs superfluitatem, & cibi saturitatem: quia hæc duo se multoties latenter ingerunt sub specie necessitatis; & dominum Domûs; seu spiritum in inguine percutiunt, & occidunt, seu in luxuriam dejiciunt: quia castitas cum ciborum luxu non cohæret; & ut ait S. Theophilus Alexandrinus Episcopus Paschal. 3. crapula, & ebrietas, & cæteræ hujus vitæ illecebræ opulentissimum animarum thesaurum exhauriunt, *& sementem scientiæ, doctrinæque uberrimam sua admixtione suffocant.*

10. Balac itidem assumi solet in heluonis Symbolum Apocal. 2. 14. *Docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel edere, & fornicari.* Duo unà nectuntur, edere, & fornicari; præcedit gula, quia ingluies fœcunda est luxuriæ mater. Suo id nos edocuit exemplo David 2. Reg. 11. 2. ubi post cibum, & somnum *surrexit de strato suo post meridiem* id est; somno, & cibo pastus, ideóque in venerem proclivis: quia cibo, & potu lubricus est ad libidinem transitus; cujus stimuli sunt deliciæ regales, desidis, & somnus. In somno fit cibi concoctio, quæ fomitem luxuriæ suppeditat; præsertim si animus curis vacet; quia libido juxta Diogenem negotium est otiosorum. Quot enim scintillas ejaculatur fornax ardens, tot peava, ac venerea desideria suscitat mens otio detenta, & caro immodico vini haustu luxuriâ æstuat. Mollities Davidis ex molli culcitra post luxum in epulis ortum suum traxit: somnus ei diurnus Dæmon fuit meridianus, de quo conqueritur, & liberari cupit Psalm. 90. Licèt Tartareus hostis Davidem metuerit vigilantem, post pastum ventrem oppressit semisomnem: *sagitta volabat in die:* seu in meridie cum David solarium perambularet domûs regiæ, & mortiferum tunc inflixit vulnus, cum vidit mulierem ex adverso lavantem se 2. Reg. 11. *Viditque mulierem se lavantem ex adverso.* Uriæ domus aspiciebat ex adverso regium pallatium, in cujus horto fons saliebat, latices emittens pellucidos, qui Bethsabæam allexerunt ad corporis ablutionem, simúlque solis temperandos ardores; sed quia mulier incautiùs aliquantum renudata, quàm castam decuisset; formæ captus David pulchritudine, flammas ex illis frigidis fluctibus hausit, quibus libidine exarsit, & ejus pudicitia naufraga perijt in fonte, qui perinde ac tersum speculum, etiam procul aspicientem ussit: scitè D. Augustinus in Psalm. 50. de longe vidit David illam, in qua captus est: mulier longè, libido prope. Alibi erat quod videret; in ipso unde caderet. Ita est, subdit D. Gregorius, Lascivus aspectus scintilla fuit, quæ dum in paleam fœmineæ venustatis incidit momento rapuit flammam, & incendium fœdi amoris, vel in ipso frigido fonte excitavit. Intueri non licet, quod concupiscere prohibemur.

Diogenes apud Laertium Symbolum gulæ 11. accersivit Charybdim ob insatiabilitatem: sicut Charybdis naves dicitur absorbere; ita gula non solùm divitias; sed etiam animi virtutes, & mentis rationem deglutit: huc accersendus Richardus à S. Laurentio lib. 11. de Laudibus Virginis ubi ait: *Charybdis est vorago circumvoluens naves, & absorbent, & hoc periculum signat gulam, quæ absorbet rationem: unde Isaiæ 28. absorpti sunt à vino.* Charybdis est gula, quæ nunquam expletur, licèt bona omnia semper deglutiat. S. Laurentio Justiniano placet pro gulæ symbolo procellam, marisque tempestatem sumere: recensens enim mala gulæ ait: *est tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis;* ex gulæ indulgentia, haustúque immodico vini fluctuat lingua dum in turpia verba Venerem olentia erumpit; ut castitatis naufragium jure timeri possit. Quanto maritinis fluctibus navis, quæ si male instructa sit; naucleros careat, vel clavo destituatur, exitium facilè subit: non censeas minori discrimini subjacere mentis navim si gulæ indulgeatur; si vino quis madeat immodico; tunc mentis navis veluti fluctibus acta, facilè in libidinis voraginem mergitur, & luxuriæ charybdi absorbetur. Sicut pisces in aquis ludunt, qui in arido moriuntur: perinde luxuria in gulæ delicijs, luxu in epulis, ferculorum copia nutritur, insolescit; & in abstinentiæ litore deferuescit, viribus destituitur, & emoritur: pulchrè B. Albertus Magnus in Domin. 1. quadrag. *Sicut pisces in arido cibo moriuntur; sic etiam luxuria in austeritate vitæ, & jejunio moritur Isai. 1. Putrescunt pisces sine aqua, & moriuntur in sicco.* Consonat illud Terentij: *sine Cerere, & Baccho friget Venus.* Arescit luxuria si aquæ subtrahantur deliciarum; si vini parcatur haustui; alioquin in luxu epularum non solùm enutritur, sed etiam exultat nervosior; insolescit robustior, debacchatur fœdior. Hinc S. Ambros. lib. de Pœnit. c. 14. *Pascitur libido conviviis, nutritur delitijs, vino accenditur, ebrietate inflammatur.* Cui consonat S. Nilus orat. 1. de Luxuria inquiens. *Libido gulam sibi sociam assumit in bello, ut ejus auxilio atque insidijs tandem expugnet adversarios.*

Rotæ currûs symbolicè gula pariatur. 12. Thomas Cisterciensis expendens illud cant. *Equitatui meo assimilavi te,* asserit luxuriæ currum quatuor construi rotis, quarum prima est gulæ intemperantia; ait ipse: *Luxuriæ currus quatuor habet rotas* ventris ingluviem, coitus libidinem, vestium mollitiem, otij, soporisque *resolutionem: trahitur duobus equis, prosperitate vitæ, & abundantia rerum. His duobus præsident aurigæ; ignaviæ torpor; infida securitas.* Corporis delicijs, luxu ferculorum, gulæ ingluvie nutritur luxuria, quæ adolescit, simúlque insolescit. B. Alvinus interrog. 137. expendens illud Genes. 9. v. 21. *Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo;* quatenus cur Noëmus postquam immodico madu-

rit vino nudus, & detectus filiorum oculis manserit, respondet: *ideo nudatio femorum post ebrietatem sequuta est; quia sæpius satietatem libido subsequitur.* Proclivis à potu illecebrarum, à gulæ delicijs ad libidinem est transitus. Gulæ illecebras vitet, à ferculorum luxu se subducat; ab immodico vini haustu abstineat, qui carnis impudentiam coërcere adnititur. Is lilium excolit castitatis, qui non mero, sed frigida illud irrigat, & culturæ sociam temperantiam sibi adsciscit. Abraham domo ejecturus Ismaelem ob lusus cum Isaaco, Agari ejus matri nullum aliud dedit viaticum, nec concessit itineris obsonium, quàm panem, & aquam, seu gulæ coërcitionem per subtractionem cujusvis luxûs in epulis Genes. 21. v. 14. *Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem, & utrem aquæ imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum, & dimisit eam.* Cur tam parcus Abraham fuit in ancillam, ex qua Ismaelem genuit, qui tam munificè, ac prolixè obvios quosque excipere hospites consueverat? cur tam rigida parcitate correptus fuerit, ut Agarem ancillam, & Ismaelem filium, cum solo pane, & aqua dimiserit? Non credas avaritiâ Abrahamum inlorduisse; nec vitio parcitatis lautiora subtraxisse obsonia; sed ut mulieris consuleret castitati: si delicatiora Agari concessisset obsonia, & poculenta pretiosiora; si ferculorum copia, & epularúmque luxu eam onerâsset faciliè luxus esculentorum, carnis excitasset luxuriam, & Agaris castitas in gulæ delicijs fuisset periclitata: modico igitur pane carnis lasciviam compressit; & frigida libidinis æstum extinxit. Abraham in paupere illo viatico prudentiæ suæ divitias prodidit; idque causæ, cur in deserto fuerit postea Agar ab Angelo visitata, placuit Agaris puritas Angelo, cui displicuisset lautè pasta venustas.

13. Navi onerariæ procellosum trajicienti pelagum, quæque præ nimio pondere mergitur comparatur itidem gulæ vitium, quia fluctuante hoc in mare sæpius naufraga castitas visa est periisse. Est siquidem gulæ vitium castitatis naufragium; ut eruditè, ac eleganter edisserit S. Laurentius Justinianus tract. de sobrietate cap. 1. ubi hæc habet. *Resecanda est voluptas; concupiscentiarum sunt amovenda fomenta: in omne malum ruiturus est, quisquis impetum voluptatis, & voracitatis non cohibuerit. Hæc Loth in horrendum filiarum pertraxit concubitum: Hac verenda Noë detexit: Per hanc primogenituræ honore se privavit Esau: ipsa multorum filiorum Israel stragem exercuit. Quid namque mali ex gulæ inordinatione; atque ventris repletione non oritur? Est enim fomes libidinis, flagitiorum mater, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, stomachi lassitudo, subversio sensûs, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, insania voluntaria, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela.*

14. Gulæ vitium quamdam cum Venere cognationem contrahere ex eo conjicitur, quia & ipsa Venus ebrietati dicitur obnoxia, ut cecinit ille *Sævior armis. Luxuria, incumbit, victûmque ulciscitur orbem, quid enim Venus ebria curat?* Quid? quod ebria Venus dicatur, an quia & ipsa dementes, ebriósque faciat, quoa afficit? inficit enim quos suo corripit æstu. Quamvis aquis innata Venus, vino tamen fovetur, adeout per vitis metaphoram honestè res inhonesta significari soleat, recidátque in idem vite, & muliere potiri. Eustachius de Ismeni, & Ismenes amoribus lib. 8. ait: *Rhodopem amabo, totáque vite potiri licebit.* Non igitur mirum si ebrietas, quam vitium gulæ invehit Venerem solear accersere, & hæc iterum à mente dejicere, quos suo afficit æstu. Sitiendi, ac bibendi metaphora passim ad Veneris transfertur voluptates; quin etiam ad malitiam, & iniquitatem: hinc Seneca lib. 1. de Ira cap. 16. *Perbibisti nequitiam, & ita visceribus immiscuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit.* Luculentius Job. cap. 15. 16. *Qui bibit quasi aquam iniquitatem:* quia nisi nequam, & nebulones ad malitiam propensi in luxoriam ardenti quadam siti feruntur, ac cupiditate feruntur: bibit iniquitatem impius; quia pronitate facili absque mora in noxam labitur, quam declinare debuisset: facilius in stomachum demittitur quod bibitur, quàm quod comeditur, cum prius dentibus teratur, maceretur saliva, ut deglutiatur; idque fortassis causæ fuit Apocalypticæ meretrici exhibendi suis amasiis poculum, non pateram, haustum ad sitim extinguendam, non fercula ad famem sedandam Apocal. 17. 4. *Et habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus.* Poculum est istud amatorium, quod impudica Venus sibi adhærentibus temperat in interitum, & offert in exitium. Estque poculum non mero despumans, sed plenum abominatione, seu veneficijs, quibus carnis addicti illecebris trahuntur ad fœdam luxuriam, quæ à Diogene *lethiferum mulsum* dicitur: venenum siquidem hoc latet in poculo, quod ementitâ dulcedine suis improba mulier propinat amasiis. Venenum ad exitium bibit; qui propinatum sibi à molliori sexu poculum ebibit. Rejicit qui sapit hujusmodi haustum, ne suum bibat exitium, ne proprium deglutiat interitum. Scitè Philo lib. de Gigantibus monet, rejiciendum amatorium hocce poculum, ut virtutis culturæ manum admoveamus: ait ipse loquens de muliere improba illiciente ad turpia: *Nocent ejus munera, quæ mox ablata prosunt. Proinde ò anima, si quod voluptatis amatorium te invitat poculum, declina ab eo; & aversis oculis in genuinam, naturámque virtutis pulchritudinem, perge illam intueri, donec amore hujus correpta traharis, tanquam à magnete.* Is felix, qui virtutis magnetem amplectitur, eique indissolubili unitur nexu, noxium rejiciens fœdæ voluptatis poculum, quod necem exhibet, & infert illud exsiccantibus. Mellis dulcedinem videtur improba mulier hoc in poculo sitientibus mundi voluptates propinare, sed latet venenum quod vitæ, seu divinæ gratiæ insidiatur. Has mundi fallaces illecebras detegit S. Paulinus Epist. 2. ad Severum: *Excipit nos mundus iste varijs voluptatibus florens, & fallentibus venenatus illecebris.*

Mente

15. Mente capto, & à sana mente dejecto pariatur multo vino madidus, ac ebrius, qui propterea est alijs ludibrio. Refert Nicephorus *serm. in cap. 4. Judic.* Præfectum quemdam Turcici exercitus Constantinopolim plures duxisse captos in bello Germanos, quibus vinum exhibuit generosum, ut quantum vellent, biberent. Hi autem haustui assueti ad temulentiam vino illo maduerunt, cumque non amplius sui compotes essent, eos ad Sultani sui aspectum introduxit, ut publicè per plateas ab omnibus aspicerentur, & cachinnis, irrisionibus, ludibrijs exciperentur, & sicut spumantia manibus vitra gestabant, ita opprobrio erat vinum Turcis, qui ab ejus solent haustu abstinere; ne ab usu dejiciantur rationis, & in nequitias, quas ebrietas gignit, incidant: quod etiam Romanis suasit Apostolus cap. 13 *Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs*: rectus planè ordo, nec mysterio vacuus: post ebrietatem impudicitia sequitur; ut credas, hanc ab illa gigni, & nasci, ut notavit Primasius expendens verba Apostoli inquiens: *sequitur ebrietatem impudicitia: ebrietas enim materia* est luxuriæ. Quamvis à mari ortam Venerem fabulentur Poëtæ; non tamen malè censuit, qui à mero credidit natam, cecinitque

Orta mero, non orta mari Venus improba spuma es,
Absque mere friget, Languida nempe Venus

Ebrietas menti, ac usui rationis bellum indicit, procúlque abigit, ut scripsit Petrus Blesensis Epist. 7. *Ubi regnat ebrietas, ratio exulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur.* Hac amentia laborârunt plures etiam temporibus D. Augustini, qui eos perstringit, qui nolentes ad bibendum adigebant; cum ad januam sitientibus pauperibus, ac petentibus unum frigidæ calicem denegarent: hæc sunt ejus verba serm. 231. de tempore. *Ad extremum tu noli eum adjurare, noli cogere; sed in potestate illius dimitte, ut quantum sibi placuerit, bibat: & si se inebriare voluerit, vel solus pereat, non ambo pereatis.* Insolitum hunc usum, veriùs dicam abusū amicos invitandi ad imodicū vini haustū redarguit Petrus Blesensis Epist. 7. ad amicum, quem perstringens ait; *Et quæ tibi amice gloria est, ita potu afficere hominem, ut hominem dedificat, & in desipientiam omnino transeat bestialem.*

16. Symbolicè D. Augustinus *serm. 231. de temp.* ebriosos vocat paludes aquis putrescentibus oppletas: ait ipse: *Quid in paludibus nascatur non ignorat charitas vestra; serpentes, sanguisuga, ranæ, vermes.* Quid ni ebriosorum mentes pluribus vitiorum monstris scatent; nullus scelerum vermis, nulla temulentiæ sanguisuga, nullæ detrahentium ranæ; nullus alterius vitij serpens exulat è satanicis hisce paludibus, quæ longè sunt pestilentiores, quàm palus camerina, cujus meminit Lucianus in Apophrade: *Vides quanto melius tibi fuerit immotam sinere camerinam*: etenim mota camerina adeo corruptos exhalabat humores, tetrúmque odorem, ut aërem inficeret; sic præstabat camerinam non movere, ne exitij causa esset, ne pestilentiam adveheret. Sed temulentorum paludes noxiores continent humores, quàm palus camerina.

Solet etiam ebrietatis Symbolum cataclysmus accersiri, vel diuturna pluvia, quæ si exuberet tellurem constituit culturæ plantarum, ac segetum ineptam: & ebriosus immodico vino madidus fit culturæ virtutum inidoneus. Terra si mediocriter perpluta sit, paratur ad messem: aquis nimis affusa in stagnum degenerat absque fructuum ubertate. Non putes aliter obtingere corporis, animique nostri telluri; corpus nimio perplutum vino; fœdas in caput emittit evaporationes, quibus mens offuscatur, usus extinguitur rationis, & totus homo fluctuat, impingit, cadit, quia à cultura cecidit temperantiæ: terra corporum nostrorum immodico vino perpluta, & irrigata ad bonorum operum fructus ferendos efficitur inidonea, ut innuit D. Augustinus serm. 31. de temp. ubi recensens ebrietatis damna ait *Quia corpora nostra terrena sunt; quomodo pluvia nimium grandis, & diuturna si fuerit terra infunditur, & in lutum resolvitur; ut nulla possit in ea cultura fieri. Sic caro nostra quando abundantiori potu fuerit inebriata; nec spiritualem culturam accipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhibere.* Terra humani cordis si immodico fuerit vino rigata difficulter culturam sustinet; quin imò si copiosa ebrietatis pluvia madeat obruitur; & virtus in temulentiæ illisa scopulum naufraga perit. Sicut exorta tempestate navis fluctibus jactata ab undis absorbetur, aut scopulis illisa naufragium subit: perinde cymba corporis nostri invectâ temulentiâ fluctuat, variè agitatur, & subinde demergitur, ac in profundum rapitur, naufraga perit. 17.

Placuit S. Petro Chrysologo Symbolum ebrietatis navim accersere marinis fluctibus agitatam, ait ipse serm. 41. de jejunio, & eleemosyna, ubi damnat intemperata convivia, & ebrietatis pericula, ac detrimenta describit. *Ut navem fluctus, corpus ebrietas sic demergit, hominémque dat in profundum, lucra vitæ aufert, mortis facit subire naufragium.* Magis cavenda temulentia, quàm scyllæa ipsa vorago; hæc corpus deglutit; illa animam absorbet; perniciosius est temulentiæ naufragium, quàm maris procella perciit, fluctibus agitati, ventis exasperati. Quia ut scitè S. Chrysostomus *homil. quod nemo læditur nisi à se ipso* scribit; *Naufragij cujusdam fluctibus obruta anima necatur, ubi neque oculus, neque lingua, neque pes proprio deservit officijs, sed omnia membra corporis vini vinculis jacent vincta graviùs, quàm catenis.* Navis in medio mari ingens subit discrimen, dum qualibet ex parte fluctibus quatitur, ventorum impetu in scopulos pellitur; & nauclerus somno sopitus jacet; vel neglecto clavo indormit. Idque noverunt Apostoli, qui cum navicula operiretur fluctibus, & Christus dormiret, quavis disrupta mora eum suscitârunt dicentes: Matth. 8. 24. *Domine salva nos perimus,* 18.

mus. Quid ni temulentia procellam excitat, qua fluctibus decumanis deterioribus cymbula mentis nostræ quatitur, in discrimen trahitur; & ratio, quæ munere fungitur supremi naucleri, vaporibus è vino in caput emissis, obruta sopitur, usu dirigente destituta. In hoc multo madidi mero Jonam æmulantur, quia ut ille in tempestate altè dormiebat: ita isti in temulentiæ fluctibus alto negligentiæ somno corripiuntur, stertúntque. Neque absre prisci Græci maximos quosdam scyphos Theriicles vocatos voluerunt, seu maria teste Athenæo lib. 5. Gymnosoph. quia perinde in scyphis, ac mari cientur procellæ, fluctuant tempestates, quibus usus saltem rationis, perinde ac navis scopulis illisa naufragatur. Rationem fluctibus ebrietatis immergi asserit etiam D. Chrysostomus utens navis similitudine, quæ Symbolum hic assumitur temulentiæ: ait ipse homil. 10. in Genes. *Sicut navis, quæ aquis ita impletur, ut exhauriri nequeat statim submergitur: ita homo quando crapulæ, & ebrietati se ipsum exponit, in præceps vadit, & rationem suam submergit.*

19. Lernea Hydra Symbolum exhibet temulentiæ ex SS. Patrum consensione. Fabulantur Poëtatum commenta, tale fuisse Hydram monstrum, ut ex septem capitibus, quibus constabat, uno reciso plura renascerentur, & ansam dederit parœmiæ, quâ per Hydram secare, indicamus uno superato labore plures alios ad nos trahere; quo pacto de fortuna Alexandri scribit Plutarchus *Hydram secans uno confecto bello, aliud incohabat;* quasi à bello præcedente subsequens oriretur, & Alexander bella serere videretur, dum humanum in conflictu sanguinem funderet. Hydræ naturam temulentiam induere jurares; ab hac una tot oriuntur vitia, quot à fabuloso illo monstro capita pullularunt, dum secarentur: scitè D. Chrysostomus homil 57. ad populum Antiochanum: *Sicut in Scylla fabulis decantata, & Hydra indem, & in ebrietate multa possunt capita reperiri:* quibus secandis vix Herculeam fortitudinem parem esse dixeris: & recensens aliquot capita ex hac temulentiæ hydra pullulantia subdit: *Hinc fornicatio* (scilicet oritur ex temulentia) *illinc ira, aliunde molities, aliunde nefarij amores nascentes* Qui sapit hujus hydræ capita temperantiæ igne, ac face sobrietatis extinguit, ne pullulent. Sunt & alia capita, quæ ex hac Hydra ebrietatis, & ingluviei suboriuntur; & illa refert S. Basilius *orat. de Ebriet.* inquiens: *Confundit, ac perturbat risu indecoro, voce horrenda, irâ præcipiti, libidine effrænata, æstro, & furore in omnem inhonestam voluptatem:* Ecce quot horrenda haber hæc Hydra capita. Quod si adhuc plura desideras, audi S. Petrum Chrysologum.serm. 26. de fideli dispensatore, ubi ait. *Ebrietas cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter est magistra; hanc qui habet se non habet: nec homo est.* Fugienda est hæc temulentiæ Hydra, ne sua in nos capita intorqueat: extinguenda est flamma abstinentiæ, ne ipsa nos interimat.

S. Basilius serm. de ebriet. Symbolum temulentiæ asserit idola gentium esse; eò quia ebrij perinde ac idola gentium oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, ait ipse. *Quid aliud sunt ebriosi, quàm idola gentium, oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt, manus resolutæ sunt, pedes mortificati:* revera mortui præseferunt imaginem; vel si vivunt, non nisi luridè ad cachinnos excitandos. Observa temulentum immodico vino diffluentem, titubantem, labentem, usu destitutum rationis, ac propterea ab hominis dejectum statu. Nil ebrio belluis similius; imò nil infra belluas abjectius, lubrica est illi incessus, diffluunt genæ, languet pectus, titubant pedea; incerta verba sui impos eructat unà cum teterrima crapula. Ratio fumosis vini insepulta vaporibus nullum retinet usum; vigilans somniat, sine ortu fluctuat, sine hoste terrores patitur, sine febri, & frigore tremit, ut stipes jacet, vel ut idolum gentium stat. Ne similes simus idolis gentium: *In convivijs*, ait Philo Hebræorum disertissimus lib. 2. Allegor. *atque parata rerum copia, quæ ad usum simul, & luxum satis sit, rationem adhibeamus; quæ nos tanquam scutum protegat, ut neque ultra modum cibos lari more ingurgitemus, neque nimio mero expleti per ebrietatem in delirationem prolabamur.* 20

Imò non solum idolum gentium Symbolum est ebrij, verùm & ipse Dæmon asseritur à D. Ruperto, qui explicans illud 1. Reg 1. *Ne reputes ancillam tuam, quasi unam de filiabus Belial,* docet *Belial* interpretari *absque jugo*, & quotquot immodico madentes vino ab usu dejiciuntur rationis filios vocari Belial. Hinc S. Chrysostomus vocat ebrietatem blandum Dæmonem manifestum, ait lib. de salutaribus documentis cap. 37. *Nec est aliud ebrietas, quàm manifestus Dæmon* hic autem suam in eum quem possidet tyrannidem exercet, ut edocet S. Chrysostomus homil. 29. in Genes. ad illud de Noë post ebrietatem, inquiens. *Quid est, sui autem compos factus; id quod nos dicere solemus de mente captis, vel si quis sibi restituatur, qui à Dæmone vexatus, & ab illius tyrannide liberatur; verè enim ebrietas voluntarius est Dæmon, & graviùs quàm Dæmon mentem obtenebrat, & captum omnium benevolentia destituit: sæpe cum Dæmoniacum videmus, misericordia movemur.* Hæc mente revolvant quotquot ebrietatis Dæmone sinunt se cottipi. 21

Longius abigatur hic Dæmon blandus ebrietatis, ne ad gehennam nos trahat.

EXEMP-

EXPENSIO VI.

Iræ furentes flammmæ coërcentur variis symbolis petitis à comparatione ex doctrinis SS. Patrum.

1. MAre procellis percitum, fluctibúsque fervidum Symbolum præleferre irati animi edisserit S. Chrysostomus, qui homil. 15. in act. Apostolorum procelloso mari æquiparat iram inquiens: *In se ipsum eum qui trajicitur non est possibile manere purum: quemadmodum neque pelagus, quod fluctibus movetur.* Suis & iræ affectus fluctibus intumescit, animúmque percellit; qui ne fluctibus agatur necesse est, ira defervescat; & ne in scopulos scelerum illisus frangatur, subeátque naufragium, sunt æstuantis iræ intumescentes fluctus coërcendi. Quò enim tumidiores sunt, ac nocentiores, eò diligentiùs sopiri debent. Animum nostrum iracundiæ fluctibus agi asservit etiam Virgilius 4. Æneidum. *Magnóque irarum fluctuat æstu.* Tametsi malaciâ sopitus quiescat, dormiátque animus; ventis tamen diverberatus turbatur; & animus iracundus imprudentibus inflatus cogitationibus commovetur, ut censuit B. Nilus orat. 4. de ira; inquiens *Aqua ventorum impetu commovetur, & iracundus imprudentibus cogitationibus perturbatur.* Neque intus sistit, clauditúrque cogitationum limitibus; sed plerunque exterius etiam erumpit in verba imprudentiæ sordibus infecta; perinde ac solet procellosum mare littora quatere, & variis marinis inficere quisquiliis.

2. Non solum aquæ marinæ decumanis fluctibus æstuantes, verum etiam fluviatiles Symbolum exhibent animi irâ commoti: quò enim commotior est aqua sive fluvii, sive torrentis, eò delabitur lutulentior, ac impurior; ut notavit S. Chrysostomus homil. 15. in acta Apost. *Non est possibile eum manere purum, qui irascitur; nec fontem luto alicubi in illum dilapso.* Turbato, lutulentoque fonte, qui ab eo rivuli scaturiunt, sordes & ipsi contrahunt: mentem si dixeris in homine fonti persimilem, tibi succinet S. Nilus orat. de ira, ubi ait. *Iracundi mens fons est turbidus, sordidus, & inutilis.* Si irâ commotus fuerit in homine hic fons; quidquid tunc egerit impurum crede; quia ut loquitur Philo lib. quòd Deus sit immortalis *Ira est peccatorum fons.* Neque à mente iracundiæ æstu commota possunt verba à quavis defœcata iniquitate prodire; idque edisserit S. Anselmus *lib. simil. cap. 93.* ubi hæc habet: *Ut aqua commota radium commotum; ita mens turbata verbum reddit turbatum, & quicquid exterius fit.*

3. Opportunius mens iræ æstu commota pariatur symbolicè torrenti, in cujus alveum aquæ pluviæ ex finitimis delabuntur montibus, deferúntque avulsas plantas, surreptas glebas, & quidquid in deflexu iisdem obviat. Mens itidem, si iræ fuerit æstu percita, nullóque coërcita disciplinæ frœno; quidquid iniquitas suggerit foras emittit. Pariatur igitur iræ impetus torrenti, quia obvia quæque vel rapit, vel obruit; scitè S. Basilius homil. de ira: *Quemadmodum torrentes ad curva loca decurrentes, secum obvia quæque trahunt; sic, & iratorum impetus, violenti, & instabiles omnia similiter percurrunt, atque obruunt* D. Basilio adhæsit S. Nilus, qui & ipse iracundiam torrenti pariavit inquiens orat. de ira *Ut torrens exundans quidquid obvium habuerit devolvit: sic iracundia infervescens mentem secum trahit:* quia ira perciti quasi sana mente exciderint cæco ducuntur impetu æquè sui impotentes, decoris obliti, necessitudinis immemores, insanis similiores; spumas in ore agentes; stillant oculi lacrymis, ardet vultus, labia quatiuntur dentes comprimuntur, subriguntur capilli; si loquantur, eorum sermo parum explanatus est præruptus, & totius corporis habitus incompositus.

Non aqua tantum, sed expressius etiam ignis Symbolum præfert hominis ira perciti, 4.
ad quod videtur allusisse illud Levit. 10. 1. *Offerentes coram Domino ignem alienum.* Erat in atrio tabernaculi, seu in altari holocaustorum ignis sacer è cœlo lapsus, quem Deus jusserat foveri, ut eo solo uterentur mystæ in sacrificiis Deo oblatis. Erat in eodem atrio ignis profanus, & communis, qui ad coquendas carnes adhiberi consueverat, seu hostias pacificas pro peccato, & quibus vescebantur partim sacerdotes, & partim laici offerentes. Quid ni ignis alienus quævis dicitur cupiditas, ac immoderatus affectus, qui igni sacro, seu charitati adversatur. Charitas enim sacer est ignis è summo cœlo perplutus, animæque à Deo inditus; ignis verò alienus est ira, quæ acriùs accenditur, si in iracundum efferbuerit, ut innuit S. Chrysostomus in c. 5. Matth. hom. 16. ubi ait. *Quemadmodum si ignem cum igne conjungas major flamma succenditur: Ita iracundia per iracundiam non compescitur, sed ampliùs irritatur.* Adeo vehemens est iræ affectus, ut omni sit flamma vehementior; proinde quavis disrupta mora satagendum, ut suis sub initiis hic perniciosus ignis extinguatur, ne in incendium excrescat, & omnia sus deque evertat; ira enim nisi statim sedetur plures secum trahit calamitates, imò & crudelitas cædes, ac funestas neces. Intuere hominem iratum, non secus ac insanum huc, illucque incerto gressu errantem, quomodo incomposita moveat brachia, explosis sæpius manibus inconcinnè gestiat; pedibus terram pulset; oculis obliquè aspiciat. Huic igni extinguendo nulla aptior aqua, quàm silentium. Xenocrates ingratitudinis vitio à Platone Philosopho insimulatus, nunquam iracundia, & indignatione se vinci passus est, sed animo immoto fronte serena, vultúque pacato, respondit; quod nunc audio, mihi bonum, & commodum est; & innuit, se non minus propriam curare salutem; dum iræ frœnum injiceret, ut refert Ælianus lib. 4. de var. hist. Imò Plato ipse ex Stobæo serm. 20. cum irasceretur famulo, jussit eum Deo gratias agere, quia ei succenseret: alioquin non evasurum esse sine flagris si non succensuisset. Est ignis iracundiæ, vel silentio, vel placidis verbis extinguendus: quemadmodum si insufles in scintillam ignis

delapsam in paleis incendium excitas; extinguis verò si inspuas. Aristoteles teste Æliano lib. 12. de var. hist. Alexandrum irâ excandescentem sedaturus, hæc illi scripsit: *Excandescentia, & ira non in pares, sed in meliores existere solet. Tibi verò nemo par est:* & placidis hisce verbis, quibus Alexandrum cæteris edixit superiorem, ejus conceptam iram sedavit. Et Socrates apud Laertium; cum filio aliquid delinquenti irasceretur dixit: te ipsum coërce, & tibi impera. Et servo delinquenti dixit cæderem te, nisi irascerer; & admonitionem servi in aliud distulit tempus Seneca lib. de ira. Quia obsequi iræ, perinde est ac pravis suis inservire affectibus. Hinc Democritus in quendam flagris sævientem in servum: Desine inquit, te servo tuo similem ostendere, servis accensetur, qui suis nescit affectibus imperare. Non irasci debemus hominibus delinquentibus; sed corrigendus est error, quò emendetur; exemplo medicorum, qui non indignantur ægrotis, sed morbum sanant.

5. Febris æstum iracundiæ Symbolum exhibet S. Ambrosius, explicans enim illud Luc. 4. 38. *socrus tenebatur magnis febribus*, ait febrim nostram iracundiam esse, quæ nisi statim coërceatur, eò fit curatu difficilior; quò servatu est diuturnior; quia ut ait D. Augustinus in Psalm. Ira inveterata odium est; & si ira festuca est, odium trabs; proinde ne festuca excrescat in trabem, evellenda statim est, ne radices agat, sunt quidam animorum motus, quibus si quis male utatur in vitia degenerant; sin aliter, virtutum fiunt exercitia. Qui peccanti irascitur, ut vitium corrigat, nil inhumani facit quia injuriam damnat, vel illatam ulciscitur, & fortis est, ac justus: sed qui iram non frœnat, sed præceps sinit ab ipsa abripi, bruto est similior, quàm homini; quia ut scitè Antiphon: nil quicquam homo iratus rectè potest cognoscere: ulciscendi enim aviditas judicium ejus corrumpit.

6. Aptè iræ Symbolum sumitur etiam ebrietas, utraque hominem ab usu deturbat rationis dixeritque propterea Seneca, iram brevem esse insaniam. Ebrietatis, & iræ nexum ex Apostoli verbis intulit S. Joan. Chrysostomus in *Epist. ad Rom. homil. 24.* ubi ait: *Nihil adeo & concupiscentiam, & iram inflammat, atque ebrietas, & vinolentia, atque adeo cùm primùm dixisset, non in comessationibus, & ebrietatibus: tunc subjunxit, non in cubiculis, ac lascivijs, non contentione, ac æmulatione.* Noxium est iracundiæ poculum, ebrios efficit, qui eam ebibunt; non solum vinum; sed & ira temulentiam inducit; irascentem enim si spectes, temulentiam credis contraxisse, cum sui minimè sit compos. Huc accersendus S. Basilius homil. 1. de Jejun inquiens: *Considera mihi hominem iratum, quomodo affectione ebrius est, & non est sui dominus, ignorat se ipsum ignorat præsentes.*

7. Viperæ pariatur symbolicè ira, suum enim fovet venenum, quod interdum evomit in exitium alterius. Vipeream naturam serpentium, ac ferarum in ira agnoverunt SS. Patres S. Nilus orat. 4. de ira ait: *Iracundæ cogitationes, tanquam fœtus viperarum; cor, unde istæ sunt, exedunt,* cui consonat S. Chrysostomus, qui iram immaniorem leone, ac serpente truculentiorem edicit homil. 4. in Matth. inquiens: *Nullus leo, nulla sic vipera viscera queunt laniare, ut hominis iracundia ferreis quibusdam unguibus universa confodiens. Neque enim solummodo corpori nocet, sed ipsius etiam corrumpit animæ sanitatem.* Hinc homil. 30 ad populum subdit. *Satius est anguem vel viperam in corde tuo latere, quàm iram & tumorem: Vipera namque nos statim deserit; ira autem semper remanet dentes infigens, & venenum infundens.*

8. S. Augustino placuit iram symbolicè scorpioni pariare, cui cauda in ictu, & de postico venenum spargit; quòd si domi lateat nullo momento, minitari cessat, ubique insidias nectit; sed scorpius vermiculos ovorum specie parit, simúlque perit, & Philos. nat. lib. 21. c. 25. Ira itidem si domesticos inter parietes excandescat, charitati, & paci est noxia sibique simul obest. Ait D. Augustinus lib. Homiliar. homil. 32 *Si in domibus vestris scorpiones essent, aut aspides, quantum laboraretis, ut domus vestras purgaretis, & securi habitare possetis? Irascimini, inveterantur iræ in cordibus vestris, fiunt tot odia, tot trabes, tot scorpij, tot serpentes, & domum Dei, cor vestrum purgare non vultis?*

9. Euthymius parem serpenti iram fecit; exponens illud Psalm. 57. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis* ita scribit. *Aiunt serpentem ubi in aliquem cœperit furere, nunquam iram, aut furorem deponere, donec venenum intulerit, aut rabiem mors ademerit. Furor æquè his implacabilis est:* perseverant enim irati.

10. S. Chrysostomus ira similem belluæ dixit frœno cohibendæ, ait ipse homil. 3. in Joan. *Quamobrem huic indomitæ belluæ nolimus habenas remittere, sed præ duro frœno metu, scilicet futuri judicij, eam cohibeamus,* scilicet iram, de qua loquitur; cui adhærens S. Isidorus Pelusiota lib. 5. Epist. 154. ait: *Oculum, & iracundiam velut injecto frœno coërce; ne ille ad adulterium, hæc ad cædem, te velut porrecta manu ducat;* imò ad immania quæque scelera præcipitat ira, quæ veluti cæcutiens irrumpit in obvia quæque nisi frœno coërceatur rationis. Et Hugo Cardinalis exponens illud Nahum 2. 3. *Igneæ habenæ currus* ait currum esse iram; cujus equi rixa, & contumelia, & nisi frœno coërceantur in præceps ruunt.

11. Igni solet etiam ira pariari, quia si ignis omnia absumit; ira obvia quæque perdit. S. Chrysostomus homil. 25. in Joan. Est homo ira percitus perinde ac domus ligneæ incola, qui mane licèt divitijs affluat, vespere ad incitas redactus est miser; quia ignis iræ combussit tibi domum, seu conscientiam. S. Bonaventura Diæt. sal. c. 5. de ira, hanc similem asserit vasi terreo, sed vacuo ad ignem posito, qui suscepto calore obstrepit, ac frangitur, vel rimulis dehiscit; sin verò plenum fuerit aqua ignem non timet, suámque indemnem servat integritatem: ita homo quia nativa conditione terreus, juxta ignem adversitatis, vel tribulationis si vacuus sit Dei gratia illicò per impatien-

tientiam frangitur: sin verò sit plenum sancto spiritu non læditur, nihilque patitur detrimenti, quin magis obdurescit, ac perficitur; quia ut ait Eccles. 27. 6. *Vasa figuli probat fornax; & homines justos tribulatio.* S Bernardinus *serm. de exercitu spirit. malign.* censet, Iram dici ab *Ur* quòd est ignis, quasi ura, quia urit, & inflammat.

12. S.Bernardus serm. 13. in Psalm. *qui habitat* Iram Draconi symbolicè comparat, ut perinde ab ira caveamus, sicut Draconem cædes anhelantem, & humanum sanguinem sitientem, eurò citiùs lugeremus: ait ipse. *Væ nobis à Dracone! immanis est bestia, flatu igneo quidquid attigerit enecat: non modò bestias terræ; sed & volucres cæli. Haud aliud ego Draconem hunc, quàm spiritum iracundiæ reor.* Etenim ex irati oculis scintillæ emicant, ex pectore flammas emittit, ex ore verba neces cruentas minitantia: neque est aliud irasci, quàm furere, quàm in ultionis libidinem ferri, & in alterius doloris crucem efferati pectoris alienatione debacchari; in quo iratus Draconem æmulatur. Cæterum iracundiæ affectus non tam sanguinis, quàm ætatis est fervor, non perperam homini inditus: qui enim juxta regulas rectæ rationis hoc affectu utuntur, plurimum ex eodem hauriunt emolumenti; secus ærumnas, calamitates, adversitates ijs adfert, qui illo abutuntur: si rectè quis eo utatur, fortitudinis est tessera; sin verò extra exigentiam rectitudinis, non multum differt ab insania.

13. Iracundus si vel leviter lædatur nesciens hoc uti affectu ad proprium emolumentum, statim flagrat, æstuat, ardet, & in humano pectore perinde ac in Æthnæ montis visceribus incendia excitat Æthneis æqualia: & symbola hujus irascentis sunt montes ignivomi, qui flante intus vento incendia, vel fumi volumina foras eructant: unde David *Tange montes, & fumigabunt.* Non solum montes, sed etiam fontes, lacus, specus symbola exhibent ira irascentium. Ut fons in Cyrenaica provincia, quem solis vocant, rupes enim quædam in eo surgit, quæ si manibus tangatur, fons statim commovetur, æstuat fluctuat, & aquarum incrementis assurgit, arenas attollit, & procellam excitat, ut notat Nierimberghius de Miracul. naturæ in Europa, *lib.* 2. *c.* 27. Specus in Dalmatia, in quem si aliquid dejiciatur ponderis, quamvis aër sit serenus, maris malacia arrideat; inde turbini similis, emicat procella, Plinius *lib.* 2. *c.* 47. Mons prope Lucernam apud Heluetos, in cujus summo vertice lacus protenditur, in quem ex industria injecta maximas cient procellas; quæ verò casu incidunt locum non irritant, nec aërem turbant Nieremberg, lib. 2. c. 28. David quasi prævidisset hunc locum dixit Psalm. 45 4 *Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ.* Hugo à S Victore, explicat, Deum pacis amantem non inhabitare cor conturbatum. Solet etiam in Symbolum irati assumi sclopetum oneratum pulvere tormentario, & glande plumbea, addito lemmate. *Tangam si tangar*: hoc est vulnus infligam, si quis me läserit.

Brucho itidem symbolicè comparatur ira. 14
Est bruchus vermis è locustarum genere alis destitutus, herbas, & arborum frondes erodens, exiguum hocce insectum ab olere vastitatem inchoat, & hortorum expilationem; ideo cavendum; ne qui vermis comedit fœnum mox saginatus comedat omnem fructum; non solùm horti, sed etiam campi Psalm. 104. 35. *Et comedit omne fœnum in terra eorum, & comedit omnem fructum terræ eorum.* Ira quæ sub initio accenditur, & ardet, bruchus est, satis illi si fœno vescatur, si hosti non eblandiatur, si nullam cum ipso ineat societatem; nec ullum negotium instituat; sed qui bruchus hactenus fuit, & fœnum comedit, mox corrodit frondes arborum, & fructus devorabit campi: quia ira nisi statim coërceatur ab eadem dissensiones, odia, & cædes nascuntur. Quin imò nescius iræ impetus compescere à proborum contubernio excludendus est, solitudini aptior, quam frequentiæ.

Solet itidem ira caniculæ pariari, quia 15.
cum oritur canicula æstus fervent vehementiores; & cum ira accenditur totus homo incalescit, & æstuat. Est ira juxta Philosophum accensio sanguinis circa cor; propterea qui alios ad iram provocant, dicuntur incendiarij diaboli. In ortu Caniculæ magna solet in aëre turbatio fieri; & ira cum primum incenditur totum hominem commovet, cujus rationem perturbat. Diebus canicularibus venam secare, sanguinem emittere, pharmacum bibere, vel deglutire periculosum: perinde in ipso iræ fervore adhibenda non est correctio disciplinæ; sed dandum est furori tempus, donec ex se defervescat: quia ut docet Aristoteles lib. 1. Rhetor. *Ab iratis si perspicuè pax, & benevolentia petitur, non modo ea non invenitur, sed augetur, atque inflammatur odium.*

Ollæ ferventi pariatur ira à S. Vincentio 16.
Ferrerio serm. 7. c. 4. super orat. Domin. quia sicut olla ebulliens emittit fæces: iracundus dum æstu iræ fervet plerunque diras, blasphemias, convicia, contumelias eructat Proverb. 15. 2. *os fatuorum ebullit stultitiam.* Quid enim est irasci, quam insanire, quàm furere, quàm in ultionis libidinem ferri, & in alterius perniciem efferari? imò & inebriari. Iracundus dum iram bibit inebriatur furore. quo percitus si non vinum eructat, plerunque alienum sanguinem fundit. Ebrio parem dixeris ira commotum, ait D. Basilius homil. 1. de jejun. *Considera mihi hominem iratum, quomodo affectione ebrius est, & non est sui Dominus, ignorat se ipsum ignorat præsentes.* Adeo ira mentem perturbat, ut temulentam constituat; imò vino nocentior est, si utrumque ultra mensuram bibatur, ut notavit S. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 479 ubi scribit. *Quemadmodum vinum cum ultra satietatem infunditur, omnes sensuum meatus, ac cerebri membranas implet, mentemque in dementiam convertit: ad eundem modum iracundia extra metas suas prosiliens, mentem temulentam reddit.* Sed si olla juxta ignem ebullit quia aquis oppleta; non credas aquis destitutam iram, non ut aquis ejus flamma

extin-

extinguatur; sed ut ejus furor magis fluctuet, & effervescat. Fluctuat enim iracundia, suisque mens irata agitur fluctibus Virgilius 4. Æneid. *Magnóque irarum fluctuat æstu*: quòd si aqua turbatur ventis; mens furore percita cogitationibus à prudentia alienis perturbatur. Nec intra limites tantùm cogitationum detinetur; sed in verba etiam erumpit contumeliosa; & convicia alijs noxia; perinde ac olla, quò ebullit ferventior, eò plures eructat exteriùs fœces! quo commotior est mens irati, eò lutulentior, & impurior; imò ira percitus perinde ac olla spumam ex ore plerunque emittit.

17. Iræ prudentiæ frœno coërcitæ Symbolum assumitur *Rationale* Aaronis. *Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in rationali judicij super pectus suum*. Exod. 28. 29. quò nimirum moneremur iracundiæ motus judicio rationis cohibere. *Rationale* est judicij regula, qua recta ratio cohibet iracundiæ vitium; perinde ac litorales arenæ decumanos irascentis maris compescit fluctus Job. 38. 11. *usque huc venies* Procelloso mari similis est irâ percitus; in humilem litoris arenam sævit mare; tumentibus suis fluctibus mare arenam invadit, sed frustrato conatu; quia ibi fluctus injectum sibi frœnum experiuntur, ubi suos impetus direxerant, quos frangunt, & retrocedere coguntur; & mare quas in litore evomuerat spumas resorbere adigitur. Seneca virum ira percitum sibique nocentem nobis exhibet spectandum lib. 1. de Ira cap. 16. inquiens. *Quid opus est mensam evertere? quid pocula affligere? quid se in columnas impingere? quid capillos evellere? femur, pectúsque percutere? quantam iram putas, quæ quia non tam citò in aliam, quàm vult erumpit, in se revertitur?* Is irascens fines non præterit, qui ita commovetur iræ æstu, ut à summo Bono per noxam non avertatur, quapropter monet David Psalm. 4. 5. ut citra peccatum irascamur. *Irascimini, & nolite peccare.*

18. Utendum est ira, cum affectus sit nobis à natura inditus, non tamen ut duce; sed ut milite ut monet Seneca lib. 4. de ira c. 4. quia ut explicat Tostatus, quamdiu manet Consilium, & deliberatio, quæ pertinet ad Ducem, nunquam debet inesse ira; postquam autem deliberatum est; ira conveniens est, sicut miles ad executionem belli. Cæterum irasci non prohibemur, dummodo à culpa nos abstineamus; & à culpa irascendo abstinemus cum irascimur culpæ S. Ambrosius lib. offic. cap. 21. *Irascamur & nobis, si quando peccamus; irascamur & alijs*. Fas est præteritis peccatis irascamur, quò præsentem valeamus nequitiam extinguere: sciitè D. Hieronymus in Eccles. 7. *Quid aliud est pœnitere nisi irasci sibi; ut horreat quod fecit, & cruciatu à se exigat, ne Judex potius iratus affligat*. Hinc Eccles. 7. 4. *Melior est ira risu*: quia ut notat S. Hieronymus: risus dissolvit sapientem; & ira corrigit, & emendat; hæc est ira, quâ nobis irascimur ob patrata delicta; ad præsentem malitiam abigendam: in quo sensu intelligitur illud Psalm 98. 1. *Dominus regnavit irascantur populi*. Non præcipit David populos irasci Numini regnanti: sed eò quia Dominus regnaverit; vult populos sibi ipsis irasci, seu proprijs sceleribus, quæ corrigant, & citiùs ad conversionis salutem veniant, cum propria sua voluntate cœperint malè anteactam vitam damnare, ut expendit Cassiodorus hic. Vel ut censet Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 439. ob eam causam nobis ira insita est, non ut nos etiam peccemus, sed ut eos prohibeamus, qui Deum offendunt.

Demum à S. Chrysostomo *homil. 30.* ad populum Antioch. Symbolum iræ accersitur canis, qui si fuerit in grege cam ferus, ut non obsequatur jubenti pastori, nec ejus vocem cognoscat plus obest, quàm prosit gregi; & procul abigendus est. Sin verò pastori obediat, ejúsque vocem audiat, cum gregis emolumento alitur, & gregi est utilis, quem à luporum defendit voracitate. 19.

Perinde ira si didicerit cectæ obtemperare rationi, & nonnisi delinquentibus irasci, ut resipiscant, utilis est, & plurimum adfert irascenti emolumenti; noxia verò si proprio sinat se impetu abripi; & tunc hostis est sui ira; nocétque sibi magis iracundus, quàm illi in quem sævit, ac debacchatur; ut de ira canit Prudentius in Psychomachia 20.

Ipsa sibi hostis Vesania, séque furendo,
Interimit, moriturque suis ira ignea telis.

Ira Dei appositè fulguri pariatur ob repentinum splendorem igneum, quo terrorem incutit, & subitam fugam quâ extinguitur, simúlque oritur, & moritur. Quòd si quæras, cur Ira Dei transitus dicatur? respondet Oleaster in cap. 9. Isaiæ Iram Dei vocari hebraicè transitum; *quia in hac vita citò transire solet juxta Psal. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*. Transit nunc ira Dei, ut fulgur, quia tempus est miserendi; diu autem durabit, cum judicij dies advenerit, qui iræ dies dicitur, & furoris, ut notat Ugo in Psalm. 78. ubi de Deo loquens ait: *Ira ejus in præsenti quasi momentanea est, & quasi ros: sed ira tua in futuro erit in finem, id est in æternum durabit; & erit velut ignis propter acerbitatem*. Quis igitur non læto animo sereno vultu, laxato excipiat in sinu rorem hunc divinæ iræ in hac vita; antequam in ignem ros ille convertatur in alia? Nunc quoties Numen irascitur nobis, sua impertitur hominibus beneficia Psalm. 134. 7. *fulgura in pluviam fecit*, quatenus Divinæ iræ comminationes in beneficia desinunt. Irasci visus est Josephus in Ægypto suis fratribus Genes. 44. 17. *Qui furatus est Scyphum ipse sit servus meus*. Procellam credidisses in sacco latuisse Benjamin, cùm Joseph dixit *qui furatus est*, sed tunc pingebatur Iris in turbine; & unde servitutem timuerunt, libertatem, & divitias receperunt: fulgura planè in pluviam fecit Joseph. Videbatur Tyrannis in tritico latere; & charitas in sævitie efflorebat. 21.

EXPEN-

EXPENSIO VII.

Acedia varijs stimulatur, pungitúrque Symbolis depromptis ex SS. Patribus, ut segnitiem excutiat, manúsque virtutum admoveat exercitio.

1. Acediæ Historicum Symbolum accersitur Hethæus, qui interpretatur formidans, meticulosus, seu piger, qui non audeat, vel metuat agere, ac ab exercitio abhorreat virtutis Deuter. 7. 1. *Cumque introduxerit Te Dominus in terram fluentem lac, & mel, & deleverit Gentes multas coram te Hethæum.* Spoponderat Deus Populo Israelis septem aliarum gentium eversionem antequam terram fluentem lac & mel eidem promissam ingrederetur. Per hos populos subversos, & devictos Lyranus intelligit septem peccata capitalia, de quibus hactenus in præcedentibus expensionibus diximus, & ijsdē in septem sequentibus opponemus dona Spiritus S. Per Hethæum igitur, qui omnium primus recensetur ultimum intelligitur peccatum capitale, seu Acedia in abstracto; & piger in concreto; quatenus hic timore laboris subeundi, se abstinens ab exercitio virtutum, & à labore dimicandi, ac expugnandi peccata septem capitalia, & quæ ab ijsdem oriuntur, cœlestem patriam, cujus Symbolum fuit terra populo Israelis promissa, quæque flueret lac, & mel, non ingreditur. Cum excludat omne coinquinatum, cives suos recenset à quavis vitij turpitudine desœcatos.

2. Paralyticus cui Christus Matth. 9. 24. dixit *Surge tolle lectum tuum* Symbolum exhibet acediæ; quia si Paralysis motum eripit membris hac laborantibus ægritudine; acedia vires animæ facultatibus adimit, ne operentur, quæ ad æternæ salutis attinent assecutionem. Propriè paralysis est resolutio nervorum, à Græcis *hemiplexia* nuncupata, seu semiapoplexia, quum in alteram tantùm corporis partem id mali incumbit; cum totum afficit corpus apoplexia dicitur; gignitórque ab humore frigido, & crasso, nervos plus æquo humectante, & laxante, sensúmque pariter, & motum alteri ferè eripiente lateri. Quòd si videatur captu difficile, quod mollificatio, & dissolutio nervorum in parte affecta motum impediat; non ita ut plurimum sensum tactus. Respondent plures in arte medica viri doctissimi, nervorum structuram triplici constare substantia; seu duplici membrana tenui, & solidiuscula quadam medulla, duabus prædictis membranis munita, & contecta, ut præ cæteris Anatomicis ostendit Andreas Vesalius de Humani corporis fabrica lib. 4. cap. 1. Sicut igitur Spiritus animalis per internam, seu medullarem nervi substantiam in organa movenda transfertur; ita potest nervorum robur ad motum necessarium, in exterioribus ac membranosis partibus consistere: propterea membranosis nervorum partibus in paralysi mollificatis, aut quocunque modo enervatis motus pereat; fitque propterea paralyticus ita motu destitutus Symbolum Acediosi. Est enim acedia vitium languentis animi, bonorum spiritualium tædio laborantis, quatenus obvijs difficultatibus in superando labore deterritus nil homine dignum aggreditur, dicatúrque de acedioso, quod velit, & nolit. *Vult, & non vult piger* semper varius, & inconstans, sibi gravis, alijs molestus, cujus vita sicut nullius est meriti; nullius quoque est pretij: quia tempus otiosè impendere est temporis pretium perdere, & quidem maius quovis pretio; proinde pretium omne perdit, qui tempus otiosè impendit.

3. Throcus etiam acediosos symbolicè repræsentat; sunt enim plerique otiosi, qui instar trochi in orbem quidem aguntur, sed non progrediuntur, & ita per flagri vim moventur, ut tamen semper insistant: nihil non agunt; ut operosè nihil agant; quatenus eorumdem opus quotidianum inanis est curiositas, vanitatis negotiatio; jugiter instar trochi moventur, sed nihil proficiunt. Circumeunt fora, plateas, trivia, tonstrinas, aliásque artificum officinas vulgi aucupaturi rumusculos, sicque moventur, & non proficiunt, quin potius deficiunt desides, & otio marcescunt. Hi non auribus, sed pedibus malè prurientes circumeunt in orbem trochi æmulatores agitantur, sed non progrediuntur, quia nil boni, & laude dignum operantur. Toti vagi, & inquieti plus foris, quàm apud se hærent; quin eorum jactatio perpetua est animi fluctuatio; tempus in reculis prodigunt inanibus; & nec unam impendunt horulam propriæ saluti, quibus aptè retorqueres quod Domitius Afer dixit de Manilio Sura oratore turbulento, æstuoso, incomposito, qui cum oraret, exiliebat, manus jactabat, togam dejiciebat, & reponebat, ut *non agere, sed satagere videretur*: perinde otiosi plures huc, illucque volvuntur, ut plurimum videantur occupati, cum tamen nihil pro salute, Deo, & æternitate agant.

4. Adonibezecus 1. Judic. v. 6. *Fugit autem Adonibezec, quem persecuti comprehenderunt cæsis summitatibus manuum, & pedum* ne scilicet ambularet, nec manibus quidquam operaretur Symbolum exhibet acediosi, qui veluti obtruncatis manibus, & pedibus nil boni operatur; vel si aliquid operatur, sicut manuum extremitates amputatæ sunt, ac mutilæ, ita omnis ejus operatio insipida, & instar tepentis aquæ Stomachum movet, & vomitum provocat, non hominibus tantùm; sed & ipsi Deo. Adonibezecus Bezecam urbem Palestinæ possidebat, erátque vir alijs terrori, quippe in bello quoscunque libuisset, aggressus, nullo juris, & iniqui discrimine, semper jus totum in armis habuerit. Reges, quales tunc extiterant septuaginta alium ex alio lacessivit, quoties pugnavit hostes expugnavit, nunquam victus cecidit, sed semper victor resurrexit; victósque non ut Rex, sed ut Tyrannus habuit; bellóque subactos amputatis manuum summitatibus, & pedum articulis inhabiles pugnæ effecit: & cum hæc tyrannidi minimè suffecissent, miserè deartuatos veluti canes sub mensam retrusit

solisque epularum reliquijs enutrivit ad diuturniorem miseriam. Sed Vindex Deus eadem lege talionis eum punivit. Othoniel Josue successor, & Calebus frater ejus Hebraicarum copiarum præsertim, Judæ, & Simonis in bello Duces, inito conflictu Adonibezecum fugarunt, & Bezecam obsidione vallârunt. Hebræi fugientem insecuti Adonibezecum captum perduxerunt ad castra. Ibi toto aspiciente exercitu supinus humi religatur, cultrisque ad id paratis, manuum, pedúmque extremis digitis minuitur, mutilatúrque, sitque pugnæ inhabilis. Idque factum æquissima vindice Nemesis lege, ut quod nefande quis in alios effecit, id ipsum in se experiretur.

5. S. Bonaventura Diæt. sal. cap. 7. tit. 1. de Acedia Symbolum Acediosi exhibet Sisaram de quo Judic. 4. 21. dicitur *Soporem morti socians defecit, & mortuus est.* Fractus a Baraco campestri conflictu Sisara turpi se fugæ dedit, & fugiendi festinatione ad tentorium defessus, ac sudore madidus venit Haberi natione Cinæi, qui sub pellibus degere consueverat in campis, cujus uxor Jahel, quæ cum sola tunc esset, & currentium pedum excitata sonitu Sisaram conspexit ad se venientem, & suspicata eum è malè pugnata pugna illuc confugisse; hilari, serenaque facie salutem defatigato ex festinato itinere dixit, jussitque omnem deponere metum, exuere diffidentiam, & intra tentorium blandissimis verbis invitat, demulsus suavitate sermonis Tabernaculum ingreditur, & ut tutius etiam lateret in abstrusiorem à muliere seducitur locum, operitur stragulo, promittitque se ante fores tentorij excubias acturam; prius tamen quàm corpori quietem daret siti exardens modicum frigidæ à Jahele petijt æstus temperaturus: sed mulier indulgentior, quàm petitum fuerat, ex utre coriaceo lac recenter expressum in phiala exhibet, quo haustu refectus somno sopitur; sed mulier conspicata Sisaram profundo jam captum somno, ultura communem Hebrææ gentis hostem, arreptum clavum ferreum prælongum fabrili malleo in sopitum Sisaræ caput figit, caput terræ affigit, & somnus acediæ tessera mortem intulit Sisaræ inopinam. De profundè dormiente vulgò dicitur quod sinat sibi culcitram furari; imò & vitam, ut contigit Sisaræ. Sed acediosus non tantum culcitram, sed & vitam, seu divinam gratiam, quâ Deo vivimus miserè perdit: frustra salutem sperat, nisi excusso torpore generosos assumat spiritus, & acrioribus stimulis ad exercitia virtutum se promoveat. Perinde ac avis ad volatum, nascitur homo ad laborem: quod si multum impendit homo laboris, ut dignitatem, quam ambit volatilem ac diurnam, non diuturnam consequatur; si plura adit vitæ discrimina, sudores fundit ut divitias congerat; cur non parem adhibet diligentiam ad æternam sibi beatitatem comparandam: pudeat hominem segnem esse in re tanti momenti. somnum excutiat, & non dicat cum acedioso Psalm. 118. 28. *Dormitavit anima mea præ tædio*, seu præ acedia. ne somni sororem mortem cum Sisara incurrat.

S. Vincentius Ferrerius Symbolum Ace- 6.
diæ exhibet salicem infrugiferam, quæque solum Diabolo umbram facit, nullúmque parit ad corporis refectionem fructum. Acediosus quia nil boni operatur; nullum promit fructum animæ alendæ idoneum, solas producit inanes umbras obscurandis, quam illustrandis actionibus aptiores. Huc accersendus S. Augustinus Epist. ad Ver. *Nullus fructus otij; imò magis dispendium. Otiosus Esau amisit primatûs benedictionem, quia maluit cibum accipere, quàm quærere.* Ager culturæ beneficio optatos ac messe dat fructus; otiu vero torpescens oratione destitutus sterilescit: & *natura humana* ait Cassianus *sicut duris laboribus instruitur; ita per otia torpentia fatuatur.*

Lethargico etiam acediosus pariatur, eò 7.
quia si lethargo laborans nil agit, ac veluti vita functus jacet: etiam acedia marcescens veluti lethargicus mortuo est similior, nec quicquam ei prodest, sensibus pollere, quibus non utitur; nec virtutibus effloruisse, quarum acedia est Noverca; scitè S. Laurentius Justinianus de continentia cap. 5. *Otiositas mater est concupiscentiarum, noverca virtutum. Ipsa est, quæ virum pudicum fortissimè præcipitat in omnem reatum lasciviæ, facitque suffocare virtutem, nutrire libidinem, construere gehennam.* Noverca est desidia virtutum, quas vel abigit; vel suffocat.

Carthusianus expendens illud Matth. 8. 6. 8.
Domine puer meus jacet in domo paralyticus, ait, hunc puerum Symbolum præferre acediosi, & desidis, qui veluti paralysi correptus manus nescit ad virtutum movere exercitia. Per servum Centurionis paralyticum quilibet spiritualiter languidus figuratur, & præsertim acediosus, qui instar Paralytici ad divina exercenda est veluti immobilis.

S. Ephræmus serm. de vite & exercit. Mo- 9.
nach. Acediosum symbolicè parem asserit ebrio inquiens: *Quid acedia inebriaris ut vino?* quia eadem infert nocumenta, quæ recenset S. Joan. Chrysostomus homil. 10 in Epist. ad Romanos inquiens. *Socordiæ dediti, ne ab ijs quidem, qui nobis præsidio fuerint, meliores evademus. Quid enim obsecro Christi consuetudo Judæ profuit? quid autem Judæis lex? quid autem Adamo Paradisus? quid autem ijs, qui in eremo erant, Moyses?* una omnes prostravit acedia. Alij affectus, aut iracundiam in anima accendunt; aut concupiscentiam carnis contra honestamenta spiritus excitant: sed acedia omnes animæ vires depopulatur, omnes tum irascentis, tum concupiscentis animi commovet affectus; totúmque perturbat hominem, quem minus sui compotem efficit, ac veluti ebrium. Idque fuerunt experti Romani, qui deleta Carthagine æmula cœperunt desides, & acediosi lascivire in gynecæo; & qui agere, & pati fortia assueverant in bello, telis texendis cum Venere aptiores, quàm telis jaciendis cum Marte evaserunt. Tanta ex enutrita acedia fuerunt mala secuta, ut corruptâ inter cives concordiâ, priùs seditionibus, deinde bellis civilibus tantus sanguis effusus est, ut crudeliora Romani paterentur à civibus, quàm ab hostibus.

Simon

Simon à Caſſia Symbolum Acediæ manum exhibet aridam, eo quia ariditas operationem impediat. Quid ni? acediâ perinde ac ariditate manus torpoſcit, fitque operationi inidonea. Manum aridam in Paralytico ſanat Chriſtus Sabbatho; ut ſanitati reſtituta pro cœleſti, non temporali gloria operetur.

11. Caſſianus lib. 10. c. 14. de cœnob. Inſtit. Acediæ Symbolum ſumit Saturnum inter ſeptem planetas ſupremum; eò quia ſublunaria refrigeret, inferiora retardet; ac fœtus mortificet, ne in lucem prodeant. Perinde Acedia corda infrigidat, hominem ſegnem, tardúmque ad operationem conſtituit, & ad exercitia virtutum. Hinc S. Hieronymus ad Demetriadem. *Nihil in S. Propoſito deterius eſt otio, quod non ſolùm non acquirit nova, ſed etiam peracta conſumit. Sanctæ vitæ ratio proceſſu gaudet, & creſcit; ceſſatione torpeſcit, ac deficit. Quotidianis, ac recentibus virtutum incrementis inſtaurandamens eſt.*

12. Tertullianus de Reſurect. carnis cap. 28. acediam parem aſſerit manui Moyſis Exod. 4. 6. *Quam cum miſiſſet in ſinum protulit leproſam inſtar nivis.* Quid? quòd Moyſes manum vivam, callisque obductam ob plurimos exantlatos labores, ex eo quòd in ſinum condiderit, veluti emortuam, ac leprâ inquinatam protulerit? quid lepræ cum morte? ſed eatenus manus licèt laboribus aſſueta putatur mortua; quia in ſinum reconditur, ut ibi quieſcat, ceſſet à labore, otietur. Otioſè vivere, non eſt vivere, quod exercitium debet eſſe vitæ, & exercitio nil magis adverſatur, quàm otium, quod actum negat potentiæ, idque fortaſſis cauſæ, cur Sabbathum ſervante populo inter ſentes, tribulóſque deſerti cœlum manna non pluerit: quia Sabbatho à quovis conſueverat populus ceſſare opere; & otio quaſi non ſaviſſet cœlum, manna denegavit terræ.

13. Aqua ſtagnans vitium contrahens vermes, buffonéſque generans Symbolum habetur acediæ; quia ſi aqua motu deſtituta corrumpitur, fœtet, eſt bibentibus noxia: acedia vitia acceſſit, quibus inficitur acedioſus, maléque olet. Hinc Symbolum acedioſi exhibetur etiam aratrum abjectum in ſtabulo, ubi rubiginem contrahit, quia ſicut ex terræ cultura, motúque otium excutiente ſplendorem enanciſcitur, quo nitorem videtur imitari argenti; ita ex otio quavis deſtituitur claritate, & per contractam rubiginem obſcuratur.

14. Helix exſicata Symbolum acediæ ſumitur à Philone *lib. de confuſione linguarum*, quia niſi Helix aquam ſuderit rimulas contrahit, quibus hiat, ac deſtruitur. Et homo ſi non operetur, nec ſe in profectu virtutum exerceat, ſed otio marceſcat, vitia contrahit, quæ fovet, ac diſſipatur. Eſt helix aquaria machina, in cujus medio ſunt gradus quos ruſticus quoties agros vult rigare ſcandit, & mox neceſſariò deſcendit; & ne continuè dilabatur proximum fulcrum utraque manu retinet, quo totum corpus ſuſtentat. Interim pedes manuum; manus verò pedum funguntur officio. Inſiſtit enim manibus, quarum eſt agere; operatur pedibus, quorum eſt ſtare. Tota autem hæc machina ſi fuerit aquis deſtituta, nec latices ſuderit, vitium contrahit, & deſtruitur.

Veſtis depoſita uſui non adhibita, quam 15.
tineæ corrodunt, deſtruúntque haud ignobile habetur acediæ Symbolum: quia acedioſum tinea corrodit, libido corrumpit, vitium diſſipat; quia purum otium à quavis ſeria actione ſemotum animos effœminat, qui facilè emolleſcunt, & pigritia emolliti, nil boni, honeſtique moliuntur: in riſu, nugis, fabellis tempus prodigunt, & quaſi jumenta in ſtercore ſuo computreſcunt. Hi propterea deſides potum dirigunt ad ebrietatem, cibum ad crapulam, otium ad ſomnolentiam, quietem ad marcorem, valetudinem ad voluptatem, & formam corporis ad culpam libidinis; & nil inutilius homine, qui omne tempus in delicijs, carniſque illecebris abſumit: tinea corrodit ſeu peccatum inficit hanc deſidem animam.

Horologium rotatum addito lemmate 16.
Vitium ex quiete explicat ſymbolicè damna acediæ, cujus quies noxia eſt, totúmque inficit harmonicum hominis machinamentum, cujus membra ſingula ob ſuas conſtituuntur operationes, quibus ſi deſtituatur homo, perinde ac horologium quieſcens, ſuo non amplius munere fungitur: ſcitè Caſſianus lib. 10. *Natura humana ſicut duris laboribus inſtruitur; ita per otia torpentia ſatnatur.* Hinc Chriſtus oſtenſurus laborem hominibus neceſſarium ait Matth. 6. 28. *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent.* Non ſeminant, nec nent ait S. Chryſoſtomus; quia in agro ſeminare viros conſortat, & nere mulieres; quia labore & ſeminatione vivit homo; & lanificiò fœmina.

Ficulnea Evangelica fructibus deſtituta, 17.
ſoliſque ſolijs luxurians acediæ itidem ponitur Symbolum; quia vir acedioſus in Eccleſiæ vinea à patre familias, ſeu Chriſto plantata, ſuoque irrigata ſanguine nullum depromit fructum vitæ reficiendæ, vel promovendæ aptum; tales fuerunt, qui Matth. 20. 6. à Chriſto reprehenduntur; *quid hic ſtatis tota die otioſi*; eſt vitium acediæ contra terrenalem habitationem; ut ſi hortulanus in fœcundo, & exculto horto arborem deprehenderet ſterilitate laborantem, omnique deſtitutam fructu, meritò ei diceret, ut quid terram occupas? quid ni in Eccleſia perinde ac in feraciſſimo horto plantantur homines, velut arbores in baptiſmo, quos Deus proprio rigat ſanguine.

Spiritus perambulans loca arida, & ejus 18.
domus vacans ponitur itidem à SS. Patribus Symbolum acedioſi Matth. 12. 43. & 44. *Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida. Tunc dicit revertar in domum meam, & invenit eam vacantem*, per domum vacantem, & loca arida Rabanus intelligit homines acedioſos, qui per negligentiam, & otioſitatem nil boni operis habent. Hujuſmodi deſides S. Joan. Chryſoſtomus vocat inutiles; quis nil inutilius homine, qui omne tempus inſumit in mundi delicijs, carnis illecebris, quæ ſunt loca arida, inaquoſa abſque ullo

ullo germine boni opa is: hic cum in propriam domum revertitur, seu se ipsum considerat, vacuum quovis bono opere se deprehendit. S. Thom. de Villanona in Domin. septuages. *Homo otiosus* inutilis nasci non debuerat. Frustra natus est: lapis marmoreus est; troncus arboris; ficus fine flore, & fine fructu; solùm aptus ad ignem. Avis quamdiu volat secura est; si sedet & quiescit, sclopeto, vel sagitta confunditur. Neque obstat, si dicas, Christum Luc. 12. 22. non approbare laborem. *Nolite soliciti esse quid manducetis*, quia ut norat Theophylactus, Christus non dixit, nolite laborare; sed tantùm nolite solliciti esse; qui sollicitudinem, curam immodicam improbat; laborem, & fugam otij approbat. Neque poterat laborem interdicere; cum neque in paradiso hominem fuerat desidem passus. Quin imò vel in Paralytico Evangelico noluit paralysim abigere, quin simul otio in quo marcuerat jacens in grabato excuteret Joan. 5. 8. *Tolle grabatum tuum, & ambula* jussit sanitati restitutum grabatum tollere & ambulare; ne ulterius jaceret otiosus in lecto; sed ambularet pondere grabati pressus. Acediæ amuletum labor, corporisque afflictio, & defatigatio est.

19. Mirum tamen quòd Proverb. 31. 19. laudetur mulieris fortitudo, eò quia ejus digiti fusum apprehenderint. *Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum.* Quæ cohærentia fortitudinis cum fuso, & colo? cum sit fortitudo, quâ homo impavidus licèt pericula non appetat ut temerarius, non tamen formidat ut pavidus: est enim fortitudo, quam adversa non deprimunt, nec prospera extollunt, nec tormenta terrent; imò nec mors ipsa quamvis dolorum stipata exercitu frangit. Fusus verò instrumentum est, quod mulieres nendo digitis voluunt; & ita imbecillitati congruit mulieris, ut nere, fusúmque voluere homini dedecori probro, ac dedecori, ut Narsethi Justiniani Imperatoris cubiculario, qui in locum Belisarij ducis in Italiam missus, decem annos vario eventu pugnavit, tandem Gothos insigni conflictu fudit ad Anienem fluvium; is quia ab uxore Imperatoris revocatus ad aulam acceptu- rus loco gladij fusum, & colum; adeo fuit exasperatus ut bellum contra proprios principes moverit. Quid igitur fortitudini cum fuso, & colo: & tamen nonnisi aptè Spiritus S. fœmineam fortitudinem, cum fuso copulavit, & colo; quia id, in quo plerunque se fœminæ solent exercere est nere, texere, acu pingere; quærebatur quænam esset fœmina contra Dæmonis insidias fortissima? & cujus dextra victricibus palmis apta foret; & responderur non quæ deses, & acediosa; *sed cujus digiti apprehenderunt fusum*; seu excusso otio suo fungitur munere, & in sanctis exercitijs, bonisque operibus occupatur.

EXPENSIO VIII.

Donantur explicatu per Symbola dona Spiritûs sancti pro ut septem peccatis capitalibus opponuntur, Et primò Sapientia,

1. HYdræ non Lerneæ, sed septem capitalium vitiorum septena opponimus Spiritus sancti dona; ut hoc igne penitus extinguantur, absumantur, ac cinefiant; in id præsertim incumbunt studij capitalia vitia, ut hisce S. Spiritus donis insidias nectant, & expugnent; quapropter ait S. Bonaventura in Luc. 11. Sapientiæ opponitur luxuria, intellectui gula, consilio avaritia, fortitudini acedia, scientiæ ira, pietati invidia, timori superbia. Suis sunt igitur munienda symbolis hæc charismatum dona, ut non solùm capitalibus obsistant vitijs; verùm & ipsa prosternant, vel abigant.

2. Symbolum Sapientiæ, cui opponitur luxuria S. Prosper exhibet solem, diei parentem, mundique diurnam lampadem: expendens Psalm. 135. v. 8. *Solem in potestatem diei* ait Sapientiam ab hominum cordibus ignorantiæ tenebras dispellere, vitiorum caligines dissipare; lumen infundere. Est enim Sapientia præcipuum fidelium cordium lumen promanans, & ad nos profectum ab ipso supremo justitiæ sole. Imò nobis etiam impertitur lumen scientiæ, quæ inter sæculi hujus obscura dat quodammodo lunare solatium. Salomon tantæ asserit excellentiæ Sapientiam, ut sole ipso speciosiorem edicat Sap. 7. 29. *Est hæc speciosior sole; & super omnem dispositionem Stellarum, luci comparata invenitur prior*; id est dignior, ut explicat Hugo Cardinalis hic.

3. S. Laurentius Justinianus in Psalm. 71. symbolicè Sapientiam pariat tuto portui, quem appellentes naves post superatas procellas in maris trajectione tranquilla fruuntur malacia; ait S. Laurentius. *Sciendum quòd sicut vicina sanitate magis æstuant ægri; sic anima quanto impetuosius cujusdam quæstionis fluctuat tempestate, citius ad Sapientiam, seu intelligendum veritatis pervenit portum.* Naufragia Sapiens non timet, portûs malaciam secum defert; quia Sapientiam possidet; quæ culturam secum trahit reliquarum virtutum. Quamobrem qui superbiæ fluctibus jactatur portum quærat humilitatis: nam Christus alloquens B. Gertrudem, vocavit virtutem humilitatis tutum portum; in quem jactatus superbiæ fluctibus debet se recipere, ut naufragium declinet, & propriæ consulat saluti, ut habetur in ejus vita lib. 2. cap. 12. Qui procellosæ concupiscentiæ æstu commotus naufragium timet portum appellat castitatis, hæc est sapientiæ, & honestatis portus; & ut ait S. Cyprianus *de singul.* prope finem *est castitas libidinis carcer, honestatis portus, lorica pudoris.* Quòd si faces splendentes nocte præsertim illuni portum navibus mare trajicientibus,

bus, fluctúsque procellosos enavigantibus præsignant, & quà sit eundum ostendunt, ad declinanda naufragij discrimina; credas, hujusmodi accensas faces viros esse sapientiâ insignitos: hi exemplo suut cæteris, viamque præmonstrant salutis: huc flectitur illud Epicteti apud Stobæum serm. 45. *Quemadmodum faces in portu sublatæ, magna flamma in paucis cremijs excitatæ navibus per mare errabundis multum auxilij ferunt: sic & vir splendidus in urbe periclitante; paucis ipse rebus contentus, magnis beneficijs cives afficit.* Plures proculdubio cymbæ in luxuriæ mari infelix naufragium sobijssent; nisi ad hunc Sapientiæ portum Spiritus S. aura pervenissent.

4. Sali à SS. Patribus symbolicè confertur Sapientia; eò qoia Sal corroptionem impedit, quæqua sunt corruptioni obnoxia couservat, ne putredinis vitium contrahant; in caruis terra sæculi luxum, vitiorúmque fœcunditatem compescit: scitè B. Rabanus in Prat. lib. 2. c. 5. ait: *Notandum autem, quòd salis natura infœcunditatem terræ facit: Unde & in Psalmo scriptum est. Posuit terram frugiferam in salsuginem: & quasdam urbes irâ victorum sale seminatas, ut nullum in eis germen oriretur. Allegoricè autem hoc bene convenit Sapientiæ, ac doctrinæ Apostolicæ, ut destructis adversariorum muntionibus, & peccati regno dejecto, sale Sapientiæ, compescat ultra in carnis humanæ terra sæculi luxum, atque fœcunditatem geminare vitiorum.* Idque interest discriminis veram iuter, & adulterinam sapientiam, quia illa vitia insequitur, & virtutum assequitur exercitia; hæc verò in nudis dumtaxat verbis sita; veluti quibusdam præstigijs animos ludificat, sensúmque extima fallit venustate, de qua S.Gregorius Nazianzenus in laudem Heronis: *Adesdum adulterinæ illius sapientiæ confutator, quæ in verbis sita est, atque orationis suavitate, ac velut præstigijs animos hominum ludificat, altiúsque assurgere nec vult, nec potest.* S. Augostinus serm. 73. de verbis Domini, ait sapientiam adulterinam inflare; veram ædificare; illam obesse; hanc prodesse: ait ipse: *Scientia inflat si levis est: ædificat si solida,* à vera sapientia longiùs exulare verborum aucupes, ac dialecticos edocet S. Isidorus Pelosiota lib. 2. Epist. 208. inquiens. *Nec dictionum aucupes, nec oratores, nec Dialectici, nec qui ob dicendi facultatem gloriantur, sapientes appellandi sunt. Verùm ij, qui eo Philosophiæ genere, quod in actione versatur; elucent.*

5. Qui fucata sapientia gaudent verbis tantùm ludere assuescunt, & extimis fucis, phalerisque exultare; sed vera qui potiuntur sapientia non foliorum luxu, sed fructuum aluntur medulla. Verborum ornatum, fucúmque non amat, qui verè sapiens est, cum prima sapientia in hujus contemptu sita esse videatur; & inutilium disputationum neglectu. Huc accersendus S. Gregorius Nazianzenus orat. de plaga grandinis, ubi ait: *Prima sapientia est, sapientiam in verbis, & dictionum argutijs, & fucatis, ac supervacaneis disputationibus sitam pro nihilo ducere.*

6. Angelo Apocaliptico, cujus facies splenduit ut Sol, similis dicitur sapiens Apocal. 10. 1. *Et vidi alterum Angelum, & facies ejus sicut Sol.* Quinque fuerunt Angeli, qui oculis objiciebantur Joannis; & tamen illius tantùm meminit, cujus facies splenduit instar solis: cur hunc dumtaxat deprædicavit? causam innuit ipse Joannes v. 2. *Habebat in manu sua libellum apertum.* Non libellum tantùm manu tenuit; sed etiam apertum, quem oculis legeret in studij testimonium, ac sapientiæ tesseram; quod Sol oculis, id sapientiæ lumen præstat cordi, seu spiritui, cujus caligines excutit ignorantiæ. Sed si solus liber non sufficit ad scientiam invehendam; nec sola rerum cognitio, seu nuda scientia satis est ad meritum sapientiæ. Is bonus est doctor, qui vitam doctrinæ præmittit, quod præstitit ad nostrum documentum magister Christus; de quo Philippus Abbas Bonæ spei lib. 1. in cant. c. 5. ait: *cœpit, ut legistis, JESUS facere, & docere: ut factorum tanquam illecebrosa specie, nos attentos, & benevolos advocet, & adducat, & illectos suaviter in suum adjutorium introducat.* Nuda rerum cognitio operibus non suffulta à vera deficit sapientia; & qui de sola notitia intumescit, sola oppletur inanitate: rectè David Psalm. 35. *Prætende misericordiam tuam scientibus te: & justitiam tuam his qui recto sunt corde:* Quam pulcher ordo: misericordiam scientibus postulat; & rectis corde justitiam; quia pura scientia utpote vacua bonis operibus misericordiæ est indiga: Cordis verò rectitudo mercedem exigit ex justitia, cum promissa fuerit rectis corde. Huc accersendus Ugo Carensis: *Notandum, quòd competenter jungit misericordiam scientibus; & justitiam rectis corde: quia scientia nil meremur; sed bona voluntate cordis meremur: quod ergo datur scientibus, misericordia est; quod rectis corde, justitia, quia merito datur.*

7. Solet symbolicè sapientia patiari collyrio, cujus beneficio vitia excutiuntur oculorum, absterguntur invectæ caligines, & pristinæ restituuntur oculi luci: quia sapientia vitia animam denigrantia abigit; tenebras ignorantiæ excutit, ut lux diem gratiæ advehat. Genes. 1. 3. *Fiat lux.* Ubi Augustinus *lib. 1. de Genes. ad lit. c. 17. primò creata est lux,* seu sapientia, quia hæc diem promovet divinæ gratiæ. Eccles. 2. 13. *Vidi quod tantùm præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.* Confert sapientiam, seu sanctitatem luci, quæ velutì collyrium vitij caligines ab oculis mentis dispellit. ea est lucis & tenebrarum antipathia, ut nullam patiantur loci societatem Genes. 1. 4. *Divisit lucem à tenebris:* & Apostolus Corinth. 6. 14. *Quæ societas luci ad tenebras.*

8. Hinc appositè Symbolum sapientiæ ponitur etiam lux: quia sapientia lucis fungitur officio; mentem illuminat, viam salutis ostendit, quà sit eundum præsignat. Unde Salomon Sapient. 7. 10. *Proposui pro luce habere illam* scilicet Sapientiam: innuit Salomon loco lucis diei parentis non alio usurum lumine, quàm ipsa sapientia; quia hæc ab intellectu ignorantiæ tenebras abigit, mentem illustrat;

& quæ rectè agenda sunt ostendit. Subdit Salomon ibid. 12. *Lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista Sapientia.* Hæc enim veluti præambula fax in hujus vitæ nocte dirigit hominis gressus, & actiones. Et D. Basilius in Exam. homil. 8. non veræ sed adulterinæ, ac vanæ sapientiæ sectatores noctuas referre edisserit, inquiens. *Quomodo noctuæ oculis similes sunt vanæ sapientiæ vacantes. Nam illius visus nocte quidem validus est; sole autem splendente obscuratur: & horum mens acutissima quidem est ad vanitatis speculationem; verùm ad veræ lucis intelligentiam obfuscata est. In die autem valde facile est tibi undequaque miraculum conditoris apprehendere.*

9. Arbor vitæ à cœlesti colono terreno implantata paradiso nobile habetur sapientiæ Symbolum: quia si homines in statu perseverassent innocentiæ, in quo fuerunt conditi postquam decurrissent plura sæcula; cæptam sensim ætatem senescere pomo vitali hujus arboris aliquoties integrassent; in cœlum postea sine funere translati. Quid ni? sapientia apposité huic pariatur arbori; sunt ejus fructus, qui non solùm vitam alunt, quam & corroborant, ac instaurant; verùm etiam à funere præservant æternæ mortis. Summam Sapientiam in crucis arbore efflorescere ostendit Agellius in Psalm. 77. inquiens. *Itaque præclarè ad hoc mysterium indicandum cum benediceret Jacob nepotibus, Joseph liberis, in crucis formam conformavit manus, seu ut legunt 70. Interpretes; intelligere fecit manus suas: nimirum quia summa sapientia in crucis mysterio est abscondita.* Crux arbor est vitæ, quam per merita patientia Christi acquirimus. Proverb. 3, 18. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam.*

10. D. Hieronymus in cap. 14. Oseæ Sapientiæ Symbolum Cedrum asserit Libani: quia quantum arbores Libani in auras consurgunt vertice, crescúntque celsiores, eò profundiùs in imo radices demergunt, sepeliúntque, ut nulla quatiantur insolescenta procella; sed stabili mole consistant. Cedro congruit immortalitas; eò quia nulli sit corruptioni obnoxia; & parœmialiter digna cedro vulgò dicuntur, quæ promerentur immortalitatem; cupresso autem convenit restitudo; palmæ victoria; lauro triumphus; platano jucunditas umbræ; olivæ pretiũ olei, rosæ odoris gratia: sed sapientia, quæ singulis sunt disperta, unà simul complectitur; quia cum sit celsissima illi congruit cedri incorruptibilitas, cupressi rectitudo, palmæ victoria, lauri triumphus, platani iucunditas, favor, & protectio; rosæ suavitas; & oleæ pretium; seu misericordia, cujus oleum est Symbolum.

11. Mirum tamen quòd teste Aldrovando Hebræi Symbolum sapientiæ asinum asseverint, cum potius ignaviæ, ac desidiæ habeatur nota. Verùm licèt asinus præ cæteris jumentis habeatur humilis, abjectus, ac rudis; est tamen ruditas, & humilitas hæc perquam fortis, quia assuescit laboribus tolerandis, oneribus ferendis, & verberibus excipiendis. Idque causæ, cur Genes. 49. 14. dicatur *Issachar asinus fortis:* quia vir fortis instar asini multa sapienter, seu exercitio virtutum patienter, & fortiter tolerat. Proverb. 24. 5. *Vir sapiens fortis est:* quia Sapientia facit viros humiles, & fortes ad ardua quæque sustinenda; & licèt humilitas apud homines viribus carere videatur, censeatúrque propterea imbecillis, ac fortitudinis expers, cum facilè cuilibet cedat: apud Deum tamen aliud accidit: quia sola humilitas Deo fortis videtur; & hæc sola tenet omnipotentem, seu percussuri brachium; ut Moysis exemplo probat Rupertus expendens verba illa: *Dimitte me, ut irascatur furor meus,* ait lib. 4. in Exod. cap. 25. *Quid ageret Moyses, breviter hic ipse innuit, Deum dixisse referens, dimitte me. Psalmista verò vehementius exprimit; dixit inquiens, ut disperderet si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus. Per nimiam humilitatem significat, Moysem Deum tenuisse dicendo in confractione. Confractio autem nimia cordis humilitas est, quæ sola coram omnipotente Deo, & Domino universæ fortitudinis principe res fortis est, & valida; ita ut illa laborante, quasi brachium suum ad percutiendum Deus extendere non valeat, regina virtutum agente, ne resistetur ipsa; & vincente pro sua reverentia.* Ecce quàm bellè præsefert asinus Symbolum sapientiæ, cum præ cæteris jumentis sit humilis, & tolerandis laboribus assuetus, parcus in victu, & potu, palea contentus, & frigida; fortitudinem prodit, ac Sapientiam Proverb. 24. 5. *Vir sapiens fortis est.*

Philo lib. de somn. Symbolum sapientiæ exhibet arenam marini litoris; eò quia homo sapiens coërceat procellas pravorum affectuum insolescentium in appetitu sive concupiscenta sive irascenta contra rationem, & virtutes; perinde ac arena marini litoris tumentes pelagi fluctus repercutit ac compescit, ne suos transiliant fluctus; hoc pacto explicat illud 3. Reg. 4. 29. *Deus quoque dedit sapientiam Salomoni multam nimis; quasi arenam, quæ est in litore maris.* Vir sapiens pravos quosque coërcet affectus ne insolescant, & in id incumbit studij; ut homo interior, & exterior quadam veluti harmonia inter se moduleatur: nil enim prodest externa serenitas, si intus animus procellā perciтus fluctuet; nil confert ad tranquillitatem malacia in fronte, si procella fluctuet in corde; si manus teneat pacificæ oleæ ramum, & cor romphæam: qui igitur sapit homo, affectus omnea concupiscentis, & irascentis appetitus ad normam componit rationis dictantis rectitudinem in operationibus. Varijs sunt homines affectibus obnoxij; non secus ac planetæ qualitatibus; Saturnus habetur maleficus: Sol cane mordet: Mars siccus humanum sitit sanguinem: Luna humida est: Jupiter beneficus: Venus blanda: Mercurius fallax: perinde terræ regiones varijs sunt affectionibus obnoxiæ: Jonia terræ motu frequenter quatitur: Thessalia eluvione inundatur: Ætna perpetuis flammis ardet; Cimmerij caliginibus cæcutiunt; Nilus tellure sorbetur: Thracia nive candet: Delos in Ægeo fluctuat cum mari. Quid ni ex hominibus hic bila fervet; invidia ille tabescit; hunc exedit ægritudo: libido alium corrumpit: hunc me- 12.

tus

tus abjicit; alium audacia extollit: quot homines tot adversæ, & repugnantes animi perturbationes, quibus tamen vir sapiens dominatur, motúsque compescit tumultuantes.

13. Aqua non tamen turbida, sed pellucida Symbolum est Sapientiæ; unde Isa. 32. *Effundam super vos aquas*, seu Sapientiam, quæ Eccles. 24. ait: *Ego Sapientia effudi flumina*: aqua rigandis hortis perapta herbarum germina reficit, & discolores florum species promovet: & sapientia in homine flores virtutum fovet ad uberiora incrementa; sitim rerum terrenarum extinguit, totúmque reficit hominem. Meriæ est ut aquæ affusione corporis sordes extergantur, præsertim manuum, in cujus observantia Judæi præ cæteris excelluerunt; adeo enim religiosi fuerunt in manibus abluendis antequam manducarent, ut contemptores hujus ritûs dignos censuerint excommunicatione, & morte plectendos. Sed vir sapiens accessurus ad Eucharisticum epulum, maculas omnes etiam, aliàs ablutas, iterum resipiscentiæ lacrymis abstergit, quò purior reficiatur cœlesti epulo. Puras se habuisse manus asserit Propheta Regius Psalm. 17. sed statim addit *In conspectu oculorum ejus*: qoia puræ non essent; si oculis tantùm hominum apparerent puræ: impura est illa puritas, quæ hominibus ostentatur: scitè Agellius noster in Psalm. 17. Quæ puritas manuum mearum in conspectu oculorum ejus fuit: non enim inquit Eusebius; illam oculis hominum ostendebam, ut illis placerem; sed ante oculus summi judicis meam puritatem exhibere studebam. Pilatum lavisse manus in Christi nece notissimum est, ut disertè narrat S. Matthæus cap. 27. An verò Pilatus in hac manuum ablutione morem fuerit Romanorum sequutus, an Judæorum; Origenes hoc secundum adstruit inquiens *Judaico usu est more facta placare*. Agellius noster in Psalm. 22. loquens de Christi innocentia ait: *Erat moris in illo populo, ut qui à maleficio aberant, manus lavarent, ut hoc quasi testimonio suam innocentiam significarent ex lege Deuter. 21. quem morem Judæorum Pilatus hac in re sequutus est.* Hunc tamen morem gentibus etiam alijs fuisse in usu asserit Tertullianus lib. de Baptis. c. 5. ubi ait. *Item penes veteres quisquis se homicidio infecerat purgativa aqua se expiabat.*

14. Seneca Epist. 6. Symbolum sapientiæ ponit nubem divinæ providentiæ ministram, quæ pluviarum bajula ventorum impetu huc, illúcque rapitur, quò benefico stillicidio sitienti telluri haustum propinet, ac arescentes campos reficiat. Sapientia siquidem veluti nubes benefica omnibus prodesse studet: ait Seneca loc. cit. *Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec annuntiem, rejiciam.* Quia Sapientia benefica est, perinde ac nubes pluvijs fœta salubres imbres emittit moribus irrigandis idoneos. Hinc in sacris literis sapientes & Doctores dicuntur nubes, qui affluenter Auditorum mentes veluti arva irrigant, fœcundántque; dum enim sapientiæ imbrem effundunt auditorom mentes irrigant, & in ijsdem virtutum flores promovent. Prædicatores itidem nubes esse, qui Auditores suos probæ doctrinæ imbre perpluunt, ut fructum ferant; edocet S. Thomas de Villanova conc. in Domin. 4. Adventus inquiens: *Prædicatores nubes sunt, qui totam terram animarum fidelium irrigant imbre, & pluvia doctrinæ Evangelicæ, ut fructificent fructus bonorum operum.* An e[illegible] m S. Gregorius homil. 18. in Ezechielem. *Rectè prædicatores sancti nubes appellati sunt; quia verbis pluunt, miraculis coruscant. Qui volare quoque ut nubes dicuntur; quia in terra viventes, extra terram fuit omne quod egerant.* Non vacuæ, nec vanidæ sunt hæ nubes, sed plenæ, imbribus fœtæ, quibus alios irrigent diffuso in omnes verbo ad spiritualium fructuum ubertatem. Scitè D. Ambrosius conferens nubi virum sapientem ait lib. 7. Epist. 4. *Qui multa legit, & intelligit impletur; qui fuerit impletus, alios rigat. Ideoque scriptura dicit: si impletæ fuerint nubes, pluviam in terram effundent. Sint ergo sermones tui profluii, sint puri, & dilucidi, ut morali disputatione suavitatem infundas populorum auribus.* Nubes, quæ amaram maris aquam dulcificat memoriam passionis Christi refert, quæ omnes amaritudines dulces efficit: [illegible] Ugo Carensis in cap. 9. Ezechielis: *Sicut nubes aquas marinas in dulcorem convertit; sic memoria passionis Christi, quam in suo corpore sustinuit; omnes passiones, & amaritudines, quas fideles pro eo sustinent in dulcedinem vertit.* Sapientia perinde ac nubes roscida alijs se communicat, quos reficit Proverb. 9. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum*, non tamen sibi soli; sed etiam in aliorum commodum: unde subdit: *Misit ancillas suas: si quis est parvulus veniat ad me v. 3. 4.* quia sapiens lætatur in benefaciendo egentibus, quia censet sibi proprium, suúmque bonum, quod alijs communicat. Hinc Christus Luc. 21. 15. *Dabo vobis os & sapientiam.* Si quæras cur non disjunctim os sine sapientia, vel sapientiam sine ore; sed utrumque simul os, & sapientiam: quia nimirum sapientia per os alijs est communicanda, quibus profit. Unde Apostolus 1. Corinth. 12. 8. *Alij datur sermo sapientiæ* quia sapientia ita à Deo nobis donatur, ut in alios derivetur. S. Bernardus serm. 13. Spiritus S. Charismata nobis dantur ad aliorum utilitatem: unde Apostolus non dicit, alij datur *Sapientia*; sed *sermo sapientiæ*, ut beneficio sermonis alijs communicetur.

Per dexteram manum symbolicè etiam significatur sapientia Eccles. 10. 2 Cor sapientis in dextera ejus; & cor stulti in sinistra ejus; quia per dexteram bona opera, & per sinistram mala præsignantur: & sapiens nonnisi bonis studet operibus; quia qui verè sapiunt bona cogitant æterna, quæ cupiunt; & stultitia laborantes temporalia, ut explicat S. Bonaventura. Unde qui temporalia expetens negligit æterna demens est: quia gemmas projicit, & lutum, festucas, quisquilias coacervat: estque stulta sapientia procul abigenda: hinc Salomon enixim Deum rogavit, ut veram ei sapientiam daret Sapient. 9. 4. *Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam* hoc est non qualemcunque Sapientiam; sed illam assistricem 15.

sedium

sedium Dei, seu Cherubinorum, ut notat Lorinus expendens Psalm. 79. 2. *Qui sedes super Cherubin.* Hæ autem Cherubinorum Sapientia in gubernatore solùm attendit Deum, & Cœlum, non terram: unde Salomon Sap. 9. 9. nit d. Sapientiam; *quæ novit opera tua, & quæ affuit tecum cum orbem terrarum faceres*: non quamvis Sapientiam petijt; sed specialiter illam; quæ affuit in prima creatione; quâ primò cœlum creatum est, qua cœlestia præferuntur terrenis.

EXPENSIO IX.

Donantur explicatu aliquot Symbola exhibentia figuras intellectus, ut est donum Spiritus S. oppositam vitio gulæ.

1. INest homini intellectus, qui & mens dicitur, eidem impertitus à Patre luminum, mundi conditore Deo; non solùm ut reliquas in homine animi facultates arbitratu suo moderetur; verùm etiam rebus, quæ lunæ complexu coërcentur, veluti proprijs utatur; easque quamvis abditas investiget; investigates comprehendat; comprehensas digerat; componat, vel dividat; recordetur præteritorum, præsentia teneat, futura conjectet: quinimo in ipsa Cœlorum penetralia pervadit, mentésque ebomni conjunctione materiæ sinceras perlustrat & usque ad primum universorum satorem contendit. Verùm quia hæc omnia veluti quibusdam obruta tenebris latent nostris inclusa pectoribus, animisque; per lumen divinitùs nobis impertitum, non solùm illustriùs, ut sunt, ea nobis innotescunt; sed etiam fidei mysteria absque errore cognoscimus. Vocatur lumen hoc, seu donum, intellectus, quia correspondet habitui principiorum, cum quibus habet proportionem: proprium enim officium hujus luminis, vel doni est acuere intellectum ad penetranda fidei mysteria non tantùm simplici apprehensione; sed etiam quodam judicio discursivo, sine errorum mixtura; in quo differt à dono sapientiæ, & scientiæ, quæ judicant de rebus supernaturalibus modo resolutivo per causas, vel effectus: nimirum Sapientia per causas supremas, ex intimam unionem ad Deum: & scientia per causas inferiores.

2. Septem esse hæc Charismatum dona communis est SS. Patrum consensus, intertúrque ex illo Isaiæ 11. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus Sapientiæ, & intellectus: Spiritus Consilij, & fortitudinis: Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Ex eo autem quod Spiritus Domini dicatur requiescere per hæc dona sequitur inhærere animæ per modum habitus permanentis; non actus fluentis, requiescere permanentiam indicat. Cum sit anima nostra mobilis à triplici motore; seu à ratione; lumine gratiæ, & fidei; & à speciali impulsu, ac instinctu Spiritûs S. præter communes regulas naturæ, & gratiæ; & disponatur, ut facilè, & connaturaliter moveatur à ratione per virtutes morales acquisitas; & à lumine fidei, & gratiæ per virtutes morales infusas; debuit connaturaliter à Spiritu sancto disponi, ut connaturaliter moveretur per dona, quæ se haberent per modum habitus inhærentis animæ; ut inhærent virtutes morales acquisitæ, & infusæ. Dupliciter potest aliquid dici donum Spiritus sancti; quatenus gratis nobis impertitur à Spiritu sancto; quo pacto omnes gratiæ, & virtutes infusæ dicuntur dona Spiritus sancti: & quatenus speciali quadam ratione donum importat specialem dispositionem à spiritu sancto animæ impressam, quâ disponitur ut bene, & facilè ab ipso ad opera extraordinaria moveatur. Qui ita moventur à spiritu sancto ab Apostolo dicuntur spiritu Dei agi ad Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.* ubi Glossa; *Aguntur dicit, non reguntur: plus est enim agi, quàm regi: agi enim dicimus aliquem vix agentem, regi autem quasi jam aliquid agentem; qui ideo regitur, ut rectè agat: sed aguntur non quòd per se nihil agant; sed quòd ut aliquid agant impetu gratiæ impelluntur.*

D. Thomas 1. 2. quæst. 68, art. 4. ostendit, hunc septenarium numerum donorum; quia quot sunt operationes potentiarum, quæ sunt principia humanorum actuum; tot sunt dona Spiritus sancti: quia hæc dona sunt habitus perficientes hominem ut facilè; & promptè sequatur instinctum Spiritus sancti: hæ verò operationes potentiarum, quæ sunt principia humanorum actuum septem recensentur. Quin vis, quæ est principium humanorum actuum est duplex, ratio, & appetitus; illa est duplex speculativa, & practica; & jam triplex est principium humanorum actuum: rursus operatio utriusque intellectus practici, & speculativi duplex est; apprehensio veritatis, & de eadem judicium: pari pacto appetitui duplex essignatur operatio: una per quam se habet ad ea quæ sunt ad alterum; alia per quam se habet ad ea, quæ sunt ad se: & hæc sunt duo scilicet pericula, & delectabilia: ex quibus liquet, septem esse operationes harum potentiarum. Intellectus enim speculativus apprehendit veritatem, & hæc operatio perficitur per donum intellectus: secundò judicat de veritate apprehensa, & hæc operatio perficitur per donum sapientiæ. Intellectus practicus primò apprehendit veritatem; & hæc apprehensio fit per donum scientiæ: rursus judicat de veritate apprehensa; & hæc perficitur per donum consilij. Appetitus verò in his, quæ sunt ad alterum perficitur per donum pietatis; & in his quæ sunt ad se, in timore periculorũ perficitur per donum fortitudinis: & demum in concupiscentia delectabilium perficitur per donum timoris, de quo Proverb. 6. *In timore Domini declinat omnis à malo* symbola donorum Spiritus sancti ex D. Hieronymo apud D. Thomam in cat. in c. 8 Marci sunt septem panes: quia sit pane dispellitur fames, viresque corporis reficiuntur: donis Spiritus S. fames, sitisque rerum temporaliũ extinguitur; & anima corroboratur. 3.

Sym-

4. Symbolum igitur intellectûs, quo præstantiam cognoscimus vicrutis, quidque agendum, & quid fugiendum Panis exhibet, non tamen butiro adiparus; nec saccaro ad gulæ delicias compactus, sed siccus; quia opimitas intellectum impedit, quem gracilitas juvat ad expeditè propria obeunda munia. Non panis pinguis, sed siccus intellectui prodest; quia extra delitiacum aquas luxuria, & gulæ vitium perit, perinde ac piscis in litore si aquis non innatet. Libido carnis intellectui opposita in abstinentiæ sicco, siccique panis usu flaccescit, viribúsque destituitur, & extinguitur ejus æstus. Joseph cum in aula Pharaonis ad turpia illiceretur ab impura fœmina libidinis æstus non sensit, ut mortoa in adolescente videretuc luxuriâ: vivebat enim in casto corpore pudicitia; florebat in corporis humo virtutibus animi exculta lilium castitatis; nec mirum quia Joseph abstinentiæ amans, donóque præditus intellectûs, quò expeditiùs eo uteretuc; sicco pane vires corporis fulciebat, ne prorsus deficerent Genes. 39. *Nec aliud novit nisi panem*; ubi Lippomanus expendens textum; ait, Josephum nihil ex cibis Domini sui cognovisse præter siccum panem, quo vescebatur: Obsonij paccitas, corporisque gracilitas intellectum expedit, quem opimitas impedit, ne quid fugiendum sit cognoscat. Intellectu ut rectè, & expeditè utaris; obsonio ne abutaris corporis, à terrenis voluptatibus necesse est te abdices; castitatem indemnem servabis, si temperantiam ei sociam ascisces. Abraham domo Ismaelem ejecturus, ejus matrem accersivit Agarem, cui ob lusus Ismaelis discessum præcepit; nullo eidem viatico suppeditato præter panem Symbolum intellectûs, & aquam Genes. 21. v. 14. *Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem, & utrem aquæ imposuit scapulæ ejus, cradiditque puerum, & dimisit eam.* Adeòne tam parcus Abraham in propriam ancillam extitit; qui tam munificus exteros, & hospites propria excepit domo? undénam tanta nunc parcitare corripitur, ut ancillam eum solo pane, & aqua dimittat? Quò Patciarchæ abijt liberalitas; quò munificentia Abrahami disparnit? Non putes id casu obtigisse; neque sordescentis avaritiæ vitio; sed ut mulieris consuleret intellectui, & castitati, ferculorum opulentiâ voluit destitutam: si eam decliciacum copia onerâsset; si dulcia esculenta tradidisset, facilè libidinis incentiva luxus excitâsset, & intellectui fuisset obstaculo, ne de vitio fugiendo cogitâsset; quò igitur intellectus juvaretur ad rectè judicandum de pcosecutione virtutis, & fuga vitij non aliud viaticum ancillæ dedit, quàm panem, & utrem aquæ: pauperem, & jejunam ciborum dimisit Agarem, ne discrimini subesset castitatis, sed carnis impudentiam cibi tempecantia coërceret; unde Abraham in paupere viatico exhibito Agari prudentiæ suæ divitias prodidit. Non igitur mirum si postea Agar ab Angelo in deserto cefecatur visitata; placuit puritas Angelo, quæ paupere victu nutritur pinguior, fovetúrque uberior.

Fax accensa in præaltæ turris vertice, præmonstrans nocte illuni portum navibus mare trajicientibus præsertim si decumanis procellæ fluctibus quatiantur, illustre exhibet hujus doni intellectus Symbolum; quia hoc dono illustratus homo, quà sit eundum inter hujus fluctuantis vitæ caligines videt, & ad æternæ salutis portum dirigitur. Est homo beneficio hujus doni fax accensa splendens per cognitionem, ardens per dilectionem, quâ in Deum fertur; & eminens per intentionem, quâ nonnisi cœlestia cogitat; non nisi æterna mente voluit; nonnisi quæ Deo placent cogitatione molitur. Si veritas tutus est portus, ad quem tota aviditate anima fertur; hujus intellectûs fax sine naufragij discrimine ad ejus perducit malaciam pulchrè S. Laurentius Justinianus in Psalm. 72. *Sicut vicina sanitate magis æstuant ægri; sic anima quanta impetuosiùs cujusdam quæstionis fluctuat tempestate, citius ad intelligendum veritatis pervenit portum.* Plures sunt portus ad quorum malaciam fax ista perducit: qui superbiæ fluctibus, undisque tumentibus jactantur hac face portum quærunt humilitatis. Christus alloquens B. Gertrudem dixit in humilitatis portũ debere se cecipere, quotquot volunt propriæ consultom saluti; enavigans ne patiatur naufragium timet, concupiscentiæ æstu agitatus ad hujus prælucentis facis splendorem portum appellit honestatis: tutus siquidem est portus castitas, ad quam naufragium timentes pudicitiæ, mentis & corporis ratem debent appellere: innumeræ cymbæ in luxoriæ mare, in fluctuantis concupiscentiæ pelago infelix naufragium subijssent, nisi ad hunc portum Spiritus sancti efflante aura, & hujus facis splendore, seu beneficio doni intellectus pervenissent. Flectenda est in æstu fluctuantis concupiscentiæ corporis catis ad castitatis pharum; ad hujus facis splendorem, quò ejus beneficio portum appellat honestatis, & à luxuriæ fluctibus tuta fiat: hoc accersendus D. Ambrosius in Psalm. 118. octon. 5. ubi de corporis nostri navigio ait: *In hoc navigio tui corporis movetur æstus cupiditatum, & non avertis oculos tuos, ne videant sentinam libidinum, ne aspiciant mundi hujus stercora.* Ne mergaris ad hujus splendentis facis nitores oculos dirige tuos, hoc intellectûs dono bene utere. 5.

Oculum corporis Symbolum esse intellectûs mentis edisserere videtur S. Joannes Damascenus de fide Orthodoxa *lib. 1. c. 14.* quia perinde dono intellectûs cœlestia suspicimus; & quà sit eundum per exercitia virtutum videmus; sicut per oculum corporeum terrena aspicimus, & per quas vias pergere debeamus edocemur. Si æquora trajicientes ne naves nocte illuni in scopulos impingant, & ut per fluxa itinera rectè procedant oculos dirigunt in cynosuram, cujus splendore quà sit eundum vident: ita in hujus fluctuantis vitæ pelago is bene enavigat, qui in navi animæ pro gubernaculo donum habet intellectûs, quo veluti mentis oculo cœlestia tantùm suspicit, itérque suum ad portum dirigit æternæ salutis. Hoc dunum Spiritus sancti est justi gubernaculum 6.

per quod in hoc pelago non deviat, sed ad perfectionis portum adducitur. Moris est apud Hebræos, quo manè surgentes Deum benedicunt, tanquam si tunc oculos eis aperuisset, cum dormientes cæcis pares fuerint: aperire autem in sacris literis de illuminatione dicitur: & eum per donum intellectus mentem nostram Spiritus sanctus illuminet, tenemur eum benedicere, nostrásque cogitationes in Deum solum dirigere. Oculis excubias agimus, ne hostes in nos irruant: quapropter invigilavit David Psalm. 76. *Anticipaverunt vigilias oculi mei*, seu ut expendit Euthimius *prævenerunt inimicitias oculi mei, ne suis me insidijs comprehenderent.* Sed si oculus mentis laxandus est, quò cœlestia contempletur, divina suspiciat: oculus corporis coërcendus est, ne in terræ vana, in sequioris sexus venustatem figatur; quia ab oculis incustoditis nascitur libido. Acroama est Salviani, oculos naturales quosdam esse animi cunicolos, per quos flamma libidinis irrepit in animum, & arcem virtutis, propugnaculum castitatis everrit. Idque expertus fuit David licèt sanctitate, quàm purpura clarior. Post epulas, somnúmque pomeridianum perambulans regij Palatij solarium, oculis paulò liberius laxavit habenas 2. Reg. 11. 2. *Viditque mulierem se lavantem ex adverso*, sed ut notavit D. Augustinus in Psalm. 50. *Si mulier longè, libido propè.* Vidit mulierem laxiùs denudatam, quam pudicitia exegisset; & in frigido illo fonte impudicum ebibit libidinis ignem; iisdem laticibus, quibus Betsabea sordes absterfit corporis, David maculas contraxit animæ; ubi fœmina membra corporis lavit, David maculas contraxit cordis; ubi fœmina membra corporis repurgavit, rex pudicitiæ ornatum impuro æstu devenustavit. Custodiendi sunt oculi corporis cum ab illis non custoditis oriatur libido. Interrogata à quodam Monacho Beata Catharina de Montefalcone, *cur dimissis semper in terram oculis loqueretur; respondisse fertur: cum tantùm linguâ loquamur; quid prodest intueri vultum, & oculos.* Castus, & colombinus fit oculus, qui in rebus usui humano concessis nulla libidine figitur; sed in transitorijs contemplatur æternum: iste est oculus, qui non clauditur, quia carnalitatis palpebra caret. Est intellectus oculus rectus, & verè dexter, quem nulla deorsum vertit sinistra intentio. D. Bernardus de Charit. cap. 4. ait; duos oculos animam habere; unum qui intelligit; alterum qui inquirit Cant. 4. *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.*

7. Labium itidem Symbolum habetur intellectus Luc. 7. 38. *Osculabatur pedes ejus.* Labijs osculum figitur: sunt autem duo labia, quibus Christi pedes premuntur; affectus bonus, & intellectus verus, de quibus dixit Job. 8. 21 *donec impleatur risu os tuum, & labia tua jubilo.* Jubilus est interna mentis lætitia, quam lingua explicare non novit; quô repletur affectus bonus cum per gratiam, & gloriam, ineffabilem recipit bonitatem: intellectus verò fulgentissimam suscipit, & ineclipsabilem claritatem: duo hæc labia David exposcebat sibi aperiri Psalm. 50. 17. *Domine labia mea aperies* nimirum ut affectus sit apertus ad bonum, & amorem Dei; & intellectus apertus, & illuminatus ad verum, & Dei contemplationem. Labium tamen hocce nulli esse debet nocumento, neque detrahere ulli debet honorem; sed prodesse: non secus ac labia sponsæ, quæ in amoris cantico vittæ comparantur coccineæ Cant. cap. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua:* referuntur hæc verba ex mente interpretum ad funiculum coccineum, qui ad domum Raab appensus fuit ab Exploratoribus; ne quid damni ipsa pateretur in propria domo, in qua exploratores servaverat, & custodierat, commendari merentur hæc labia, quæ nemini obsunt, omnibus prosunt. Neminem produnt, omnes pallio charitatis tegunt; nullius prostituunt famam; & omnium famæ famulantur. Cæterum labia si impura fuerint in interitum conspirant castitatis, cui lethalia vulnera infligunt, cum oscula impudica figunt. Cavendum ab hisce osculis, quæ dum eblandiuntur interimunt. Fuit qui impudici osculi contactum non abs re morsum dixerit Diaboli, Eusebius Emissenus homil. 1. de symbolo ait; *Impudici contactu osculi quid aliud est, quàm morsu Diaboli, & arma peccati.* Nemo tanta tangatur insania, ut hisce osculis sinat se tangi; si morderi a Diabolo nolit.

Imò non labium tantùm; sed etiam pes ponitur Symbolum intellectus. S. Bonaventura de septem itineribus æternitatis dist. 1. dist. 4 ait pedes nostri Spiritus esse intellectum, & affectum; quibus frequenter anima devota carpit itinera æternitatis. Non tamen ullo debent hujusmodi pedes pulvere mundani affectus ad illicita sordescere; sed abluti, & à quavis detersi macula apparere. Quòd si moris fuit, quò ante mensam pedes abluerentur prandentium, ut hujus consuetudinis meminit Plautus in Persa Act. 1. scen. 3. &. 5. & huc etiam videtur respexisse Christus cum dixit sibi à Pharisæo, à quo fuerat ad convivium invitatus, lotos non fuisse pedes, quanto magis accessuri ad convivium Eucharisticum decet lotos habere pedes, à quavis detersos noxæ macula. Idque suo nos voluit magister Christus exemplo edocere, cum discipulorum suorum pedes lavit antequam Eucharisticam mensam institueret, *ut venena serpentis lavaret*, ait D. Ambrosius in Psalm. 48. Hac autem pedum ablutione non humi est incedendum, nec per lutosa terrenarum cupiditatum itinera; sed per exercitia virtutum ad cœlestem patriam; huc accedendus Philo lib de victimis: *Pedum lotio significat non humi posthac incedendum, sed per æthera.* Ut nihil terreni sapiant ad Eucharisticum accessuri epulum. Hominis superbiam Christi humilitas perstrinxit, cum etiam pedes Judæ proditoris laverit; ut innuit S. Chrysostomus homil. 70. in Joannem inquiens: *Qui sedet super Cherubim proditoris pedes lavit: tu homo terra, & pulvis intumescis superbiens.* Baptismum pedum curando capitis tumori præsentissimum applicat alexipharmacum; quo suos edoceret discipulos per exercitia humilitatis 8.

ad

ad sublimiora inscendi; eosdem initiaturus sui sacrificij mystas, quò nihil redolerent terreni etiam pulveres detersit è pedibus, quos ab omni ignobilioris elementi contagio expiavit; ut inde discerent sacerdotio initiati nil sapere nisi cælestia. Nobiles dedignantes pedes abluere peregrinorum perstringit S. Augustinus serm. 127. de tempore: *Erubescant forsitan nobiles delicatis moribus viri, vel mulieres Christianæ in hoc mundo sanctorum contrectare vestigia, quia hoc natalium prærogativa non patitur: sed veriùs erubescant Christum aspicientes ad pedes devolutum discipulorum. Mala nobilitas, quæ semper superbiam apud Deum reddit ignobilem. Erubescant ergo nobiles, & potentes sanctis, & peregrinis abluere pedes in hoc sæculo.* Non ita erubuit Robertus Rex; qui Ecclesiasticorum pedes abluens, & præsertim eorum, quibus cura erat animarum concredita, eos suis capillis tergebat indutus ipse cilicio; ait de ipso rege Heldegaldus in eius vita: *Post mensam præparans se ad Dei servitutem, Rex humilis ponebat vestimenta sua indutus ad carnem cilicio, adjunctoque clericorum collegio centum, & sexaginta, & eo ampliùs numero ad exemplum Domini eorum pedes lavans capillis capitis sui tergebat, & ad mandatum domini singulos eorum duobus solidis remunerans clero præsente, & Diacono instante, qui lectionem legeret secundùm Joannem in cæna Domini, dictam, & factam.* Quàm sanctiùs regerentur homines, si tam sanctis obsequerentur regibus. Feliciora essent imperia, si plures hujus notæ, hujus mentis, hujus humilitatis Reges ævum nostrum enumeraret?

9. Solet itidem donum intellectus symbolicè pariari soli diurnæ mundi lampadi Eccles. 27. 12. *Homo sanctus in sapientia* (scilicet intellectus) *manet sicut Sol.* Est Sol qui astrorum tenet principatum, quibus suos nitores suppeditat; adeout quicquid splendoris, decoris, & elegantiæ cæteris insit sideribus id à sole dimanet, perinde ac pellucidi rivuli suo effluunt è fonte: nec tantùm lucem reliquis ministrat astris, verùm & eorumdem est rector; & rerum sublunarium director, cujus beneficio promoventur, cujus splendore illustrantur, cujus calore foventur. Neque in hoc spectabili mundo potest quidquam dari ad speciem pulchrius, atque ad rerum gignendarum commoditatem fœcundius; nil ad vices temporum distinguendas aptius: modica enim solis obliquitas, quâ singulis diebus ferè uno gradu sub zodiaco motu proprio ex occidente in orientem retrocedit, tantas ubique terrarum inducit mutationes, ut quatuor anni constituat tempestates. Cum primùm Sol moveri incipit versus signa borealia tempus vernum in singulis septemtrionis regionibus inducitur, & verna temperies, & omnia, quæ hieme jacebant veluti emortua, vel alta nive sepulta, vel frigido gelu concreta incipiunt excitari, reviviscere, ac veluti hilarescere: & quò Sol adrepit ulterius versus Tropicum Borealem, eò uberius omnia gliscunt, perficiuntur; rident in pratis vireta, ludunt in areolis flores; se vestiunt frondibus arbores, ornant floribus, mox ditescunt fructibus; maturiunt in campis segetes; & quò solarium radiorum directius est reflexum, eò calor geminatur intensior, quo fructus omnes maturiunt. Rursus cum è signis borealibus incipit recedere, & radijs obliquioribus tractus nostros terrarum spectare; sensim minuitur calor, virorem suum amittunt prata, languescunt plantæ; & quò magis Sol à nobis recedit, eò plus decrescit vegetabilium vigor. Quid ni? quod est Sol in mundo magno, id præstat intellectus in microcosmo, seu homine, qui parvus mundus dicitur; beneficio hujus doni intellectûs suos homo actus regit, ac dirigit, in summum bonum, flores virtutum fovet; fructus bonorum operum perficit; ardorem divini amoris excitat, ac incrementat, idque expertus David dixit Psalm. 84. *concaluit cor meum intra me.*

EXPENSIO X.

Producuntur Symbola exhibentia donum Consilij oppositi avaritia.

Consilium, ut est donum Spiritus S. hominem dirigit ad ea, quæ agenda sunt, in ordine ad assecutionem salutis æternæ, quapropter non dirigit rationibus purè naturalibus; sed ex affectu, & experientia intima divinorum; ex qua homo justus eruditur, & inspiratur à Deo de medijs necessarijs ad assecutionem æternæ salutis; etiam cum discursu, & plerumque collatione aliorum: hæc omnia suggeruntur, inspirantur à Deo. Quamobrem proprium munus Consilij, ut est donum Spiritus S. est præcipere agenda, suggerere media necessaria ad consecutionem finis ultimi, ex vi affectus experimentalis ex suggestione, seu inspiratione divina. Edisserit munia hujus doni D. Gregorius 1. Moral. cap. 11. inquiens *Unusquisque electorum adhuc in mundo positus, mente tamen extra Deum surgit, & ærumnam exilij, quam tolerat deplorat, & ad sublimem patriam inaccessibilibus se amoris stimulis excitat: unde invenit salubre consilium, temporale hoc despicere, quod percurrit; & quò magis crescit consilij scientia, ut peritura deserat, eò augetur dolor, quia necdum ad mansura sive æterna contingat. Et ideo solerti consilio insignit mentem, & cautè se in omni actione circumspiciendo considerat. Et ne ex re, quæ agitur repentinus finis adversus surripiat, hanc priùs molliter posito pede cogitationis palpat, & pensat, ne in his, quæ agenda sunt præcipitatio impellat; ne prava per concupiscentiam aperto bello superent; ne recta per inanem gloriam insidiando supplantent. Et mens electi cujuslibet, quò magis per Consilium vivere nititur, ex angusti itineris dolore fatigatur.* 1.

Symbolum hujus doni quod Consilium 2.
nuncupatur, est manus sertum tenens florum in specie, qui Hyacinthi dicuntur: & desumitur ex Cant. 5. 14. *Manus illius plenæ hyacinthis.*

this. Ad manum pertinet operari, & ea exequi, quæ per proba consilia suggeruntur; hujusmodi opera quia rectè, ac sanctè fiunt virtutem redolent ac cœlitibus gratè olent, pariantúrque propterea hyacinthis, quia sunt opera divinis plena consilijs. Talis est manus in pauperes benefica, quibus eleemosynas elargitur, ad eorumdem levandas miserias, ad eorum opitulandum indigentijs; has manu delectatur Deus, quasi floribus, ac hyacinthis referta, quia in diarijs cœlestibus præcipuè largitatis habetur ratio; in cœli tribunali eleemosynæ negotijs locus primus, præcipuùsque datur; ut eleganter rem versat S. Petrus Chrysologus *serm.* 14. inquiens. *Quòd Abel passus sit, quod servavit mundum Noë; quod Abraham fidem suscepit, quòd Moyses legem tulit; quòd Petrus resupinus crucem ascendit, Deus tacet; & hoc clamat solum, quod comedit pauper. In cœlo prima est esurientis annona; prima stipendia pauperis tractantur in cœlo; erogatio pauperis prima divinis scribitur in diurnis.* In cœlis illa manus præcedit, quæ in terris primum locum dedit beneficentiæ. Sunt beneficia pauperibus impertita hyacinthi flores, quibus cœlestis sponsus delectatur; sunt & vernantes rosæ, quales etiam rigente broma S. Elisabeth Lusitaniæ regina plena manu collegit: pecunias enim pauperibus distribuendas, ut regem maritum laterent, hyberno tempore charitas in rosas convertit; ut & S. Chassilda panis frustula pauperibus impertienda in flores mutavit; quin & ipsam manum in pauperes beneficam incorruptibilitatem post mortem induisse exploratum habemus in Ugis Omvaldi manu, quæ quia in pauperes benefica ob misericordiam in miseros erogatam post obitum non computruit; quò discamus ita pauperibus opitulari, ut proprijs manibus eleemosynam ijsdem elargiamur: quàm id utile sit edisserit S. Augustinus serm. 19. ex 40. recèns editis, inquiens: *Illud etiam moneo sanctitatem vestram, ut sciatis eum duplam misericordiam facere, qui pauperibus sic dat aliquid, ut ipse eroget; non enim debet esse sola benignitas largientis; sed & humilitas ministrantis. Nescio quomodo fratres mei animus ejus, qui porrigit pauperi, velut communi humanitati, atque infirmitati compatitur, quando ponitur manus habentis in manum indigentis.* Non tremore corripitur, si qua manus ita indigentibus opitulatur; neque avari par est manui, quæ cum aliquid largitur tota tremit, non secus ac æger exsiccaturus prehensum manu poculum amaræ medicinæ, ut innuit S. Petrus Damianus opuscul. 9. c. 1. ubi ait: *Tremit manus avari cum tribuit: & cum æger exhorrescens amarescentis antidoti differt poculum; sic avarus daturus aliquid differt in posterum: ille siquidem exasperantis potus nauseat amaritudinem; iste si dederit aliquid metuit egestatem: ideoque licet vel bibendo, vel in præbendo necessitatis tempus immineat, uterque tamen in posterum quod abhorret interjecta dilatione reservat.* Læta fronte non manu tremula distribuenda sunt charitatis subsidia: unde David Psalm. 111. *Jucundus homo, qui miseretur, & commodat* ubi D. Augustinus legit *suavis vir qui miseretur, & commodat:* suavis in pauperes est liberalis, & munificus.

3. Semina quæ sinui occatæ telluris concreduntur symbola exhibent hujus doni, quod Consilium dicitur, & opponuntur avaritiæ; multiplicant semina, & aucto fœnore divitias incrementant satoris. Suscipit granum tritici putris gleba ait S. Ambrosius lib. 3. hexaem. cap. 8. & sparsum cohibet occatio, ac velut materno terra gremio fovet, ac comprimit, inde cum se granum illud resolverit, herbam germinat; grata ipsa jam species herbescentis viriditatis, quæ statim genus satum similitudine sui prodit, ut in ipso suæ stirpis exordio, cujus generis herba sit, cognoscas, atque in herbis fructus appareat; paulatim adolescit in fœnum, culmóque pubescens erigitur, & assurgit. Ast ubi jam se spica geniculata sustulerit, vaginæ quædam futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interius; ne tenera ejus primordia aut frigus lædat, aut solis æstus exurat; aut ventorum inclementia, vel imbrium vis sæva discutiat; succedunt quidam ordines spicæ mirabili arte formati, vel ad speciem grati, vel ad tutamen nexu quodam inter se naturalis colligationis adstricti, quam providentia divina formavit. Et ne frugis numerosioris pondere, veluti quædam cedat fultura culmorū, vaginis quibusdam ipse culmus includitur, ut geminatis viribus frugem possit multiplicem sustinere, nec impar arbos onere curvetur in terram. Tum supra ipsam spicam vallum struitur aristarum, ut quasi quadam in arce prætendat, & ne avium minorum morsibus suis exvatur fructibus, aut vestigijs proteratur. Hactenus S. Ambrosius in tritici grano occatæ telluris sinui demandato symbolicè probum Consilium à Deo satore nostro concreditum cordi exhibens expensum, quod ad incrementum nostræ utilitatis germinat, gliscit, & ad optatam maturæ ubertatis messem pervenit, cum executioni demandatur. Hoc incrementum ubertatis videtur Christus innuisse Luc. 12. 33. *Date eleemosynam; & facite vobis sacculos,* si quæras, cur Christus injungens omnia divendi, ac distribui pauperibus, simul præcipiat sacculos fieri: sit responsio statim obvia; quia elargitio eleemosynæ executio est divini consilij, quæ veluti granum tritici aucto fœnore multiplicat, augétque divitias dantis, cui propterea præcipitur sacculos parari. Ut igitur plura ad incrementum possideas divitiarum, pauperibus dona quæ habes, ipsi quæ à te accipiunt, veluti semina in sinu occatæ telluris fovent, ut tibi germinent, crescant, maturiántque multiplicata: *Perde ne perdas* ait D. Augustinus de verbis Domini serm. 31. *Dona ut acquiras, semina ut metas.* Divinum Consilium tibi concreditum fove, & exequere: *Date eleemosynam, facite vobis sacculos.*

4. Aquæ fluentes Symbolicè donum exhibent Consilij, quo Spiritus sanctus nobis suggerit exercitia virtutum, ut æternam consequa-

mur

mur salutem: Eccles. 11. 1. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas* aquæ fluentes vitia non contrahunt, sicut stagnantes; sed pluribus prosunt; & divina consilia si moveantur, seu executioni demandentur plurimum adferunt utilitatis, ac opum, si istæ indigentibus distribuantur. Is verè divitiarum fluenta possidet, qui quas habet divitias alijs communicat Prov. 5. 16. *Deriventur fontes tui foras in plateis, aquas tuas divide, habeto eas solus, nec sint alieni participes tui*: opposita, & inter se pugnantia videntur verba hæc simul nectere; quæ tamen quia vix videntur posse veritatis vinculo simul copulari; nemo siquidem potest solus possidere aquas; si iubeatur in alios eas derivare. Quomodo is dicitur fluenta possidere solus, si hæc fluant aliorum agros rigatura; & per alienos campos decurrentia aliorum commodis inserviunt? Id præstat divini consilij executio, quæ propria est solius exequentis; & in beneficium aliorum derivatur foras. Divinum Consilium nobis suggerit eleemosynas indigentibus impertiri; executio consilij propria est largientis, cui soli competit, nec alij sunt illius participes; beneficia, ex largitione eleemosynæ in alios derivantur, quorum miseriæ sublevantur; simulque revertuntur ad augendas elargientis divitias. Is verè divitias possidet, qui eas pauperibus ex divino consilio elargitur; aquas retinet, qui ... dit; tunc bene retinet opes cum in alios eas effundit; ex eo quòd foras prodeant retinentur; & tutè servantur, quia longè latè distribuuntur. Divitiæ tunc nostræ sunt, quando nostræ non sunt, sed alterius fiunt juris, seu pauperis; scitè S. Petrus Chrysologus serm. 8. *Da Pauperi, ut des tibi.* Dat sibi dives cum pauperi dat; sibi consulit cum alienæ opitulatur miseriæ; horrea implet, quando ea evacuat depellendæ alienæ famis causâ. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas.* Eccles. 11. 1. censent plerique, textum hunc sensum continere metaphoricum sumpta metaphora ab ijs mercatoribus, qui frumentum, & panes transvehunt in exteras regiones majoris lucri causâ: sed pari pacto dixerim divitias transmissas à divitibus in manus pauperum plurimum transmittentibus adferre lucri. Quòd si pauperes navibus pariaveris, Salomoni non dissenties Proverb. 31. 14. ubi pauper dicitur: *navis institoris de longe portans panem.* Sunt etenim pauperes naves deferentes eleemosynas largientis in Cœlum. Hinc D. Gregorius lib. 35. moral. c. 7. expendens anagogicè illud Eccles. *Da partem septem, nec non & octo.* ait per septenarium numerum significari tempus præsens, quod septem diebus hebdomadæ, vel septem hominis ætatibus agitur: per octonarium verò numerum vitam æternam; ac si apertè dicat, distribue pauperibus temporalia, & accipies æterna. Idque fortassis causæ, cur quindecim gradibus ad templum ascenderetur Ezechiel. 40. 26. 31. quò vel ab ipsa ascensione, quæ per septem, & octo perficitur, disceremus temporalia priùs dispensare, quæ ad æterna nobis viam sternerent.

Non solùm consilij donum symbolicè per fluentes aquas exprimitur, verùm & per fontem ipsum è rupe exilientem excelsa; vel è præcelsi montis fastigio deorsum per ejusdem declivitates delabentem; sunt ejus latices saluberrimi siti extinguendæ peridonei; & ab ipso plures scaturiunt rivuli rigandæ telluri peropportuni. Quid ni? donum consilij si non è rupe excelsa, vel montis vertice, è summo tamen cœlo in nos derivatur, quò alijs possimus prodesse, si non frigidis laticibus, eleemosynis saltem charitate ferventibus: divitias indigentibus erogandas sub fontis metaphora eleganter suadet Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 466. inquiens *quemadmodum fontium gurgites cum hauriuntur uberius scaturiunt, altiusque quam prius exiliunt, ac manum ... fugiuntur, non ante deficiunt, quàm infans ad solidiorem cibum admittendum adoleverit: eodem modo divitiæ, cum hauriuntur, decrementum non patiuntur.* Saluberrimus est fons consilium suggerens elargitionem eleemosynæ, ut edisserit Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 1. inquiens: *Largitio est bonus fons benignitatis, & potum sitientibus communicans rursus augetur, & repletur: quemadmodum ad ubera, quæ suguntur, vel mulgentur solet lac copiosius accedere.* S. Joannes Chrysostomus hunc fontem præfert alijs etiam illi, qui in terrestri paradiso in quatuor dividebatur flumina rigandis variis mundi tractibus peropportuna; ait ipse homil. 22. in acta Apost. *Eleemosyna est per quam charitatis planta nutritur. Nihil enim ita charitatem fovere solet, ac dum quis se misericordem exhibet. Hic ramos in sublime erigi facit. Hic melior fons eo, qui est in paradiso, non in quatuor divisus initia; sed in Cœlum ipsum surgit.* Per eleemosynam quasi per flumen indulgentiam ad nos trahimus, ut festivè innuit S. Laurentius Novariensis homil. de Pœnit. inquiens: *Sufficit tibi exemplum Publicani istius, qui miserabiles actus transacti temporis per eleemosynam quasi per flumen indulgentiam traxit; & seque avaritiæ laqueo per erogationem eripuit.* Sordescit qui aqua eleemosynæ quotidiè manus non lavat: id innuit S. Joan. Chrysostomus homil. 9. de Pœnitentia ubi ait *eleemosyna animæ manus sæpe lava, quò mundus sis.* Sordes animæ absterguntur divitiarum aquis, si communicentur, alioquin maculas conservant, si serventur, augentque, si multiplicentur, & coacerventur. 5.

Consilia proba justificationes sunt sanctorum aiebat David Psalm. 118. *Testimonia tua meditatio mea est, & Consilium meum justificationes tuæ*: seu ut alij legunt *justificationes tuæ consiliarij mei sunt.* Suos habet mundus Consiliarios, qui nonnisi perniciosa suggerunt per sensuum oblectamenta, per illicita fucatæ voluptatis, ac larvatæ lætitiæ; ideóque claudendæ sunt aures, ne quid mundi Consiliarij suadent, audiant; quid cordis intemperantia flagitat non admittat. Vir prudens quod caro concupiscit damnat; quod serpens tartareus suggerit respuit; quod pravus affectus vellet, rejicit; nec audit quid sæculi voces auribus 6.

insonant; nec quid subdolè adulatorum lingua contulit, nec quid falsi amici suggerunt; sed tantùm audit, & exequitur Dei Consilium; & cum Davide Psalm. 84. 9. dicit: *Audiam quid loquatur in me Dominus*, quia ab ipso illuminatio vera ostendens semitas salutis. Dei autem consilia à divina nobis lege suggeruntur; in hac enim continetur quid agendum, quidque respuendum sit ad æternæ salutis assecutionem. In consilio autem operatio virtutis electivæ attenditur; Consilium enim inquirit quid sit melius; & melius non dicitur, nisi per accessum ad optimum; & accessus fit per majorem assimilationem, ut docet D. Bonaventura. *Itiner. mentis ad Deum cap. 3.*

7. Hinc si cupis sanctificari, non sufficit si præcepta serves, nisi etiam consilia custodias; est enim sanctificari abstinere ab illicitis, & licitis, quæ alioquin citra legis violationem fiunt: nam abstinens tantùm ab illicitis pœnam quidem declinat peccati; sed gloriam nondum assecutus est sanctitatis; ad quam executioni præceptorum adjicienda est adimpletio Consiliorum, quapropter Hugo Cardinal. explicans illud Proverb. 2. 8. *Servans semitas justitiæ* ait, semitas justitiæ esse consilia Evangelica, & altiora mandata. Cæterum si anceps in eligendo hæreas, non erubescas ab alio licèt juniore, vel minus docto Consilium petere. Zachæus quia statura pusillus, & præ turba videre Christum non poterat *arborem ascendit, ut videret*: fuit hæc arbor sycomorus, seu ficus fatua, à qua tamen Zachæus beneficium mutuavit proceritatis, qua è loco eminentiori Christum videret pertranseuntem; ut inde discamus nullius monita, & consilia habere contemptui, cum possit nobis prodesse. Hinc etiam Christus cum esset æterna Sapientia ad nostram eruditionem Consilium petiit à Philippo pro turbis in deserto pascendis. Joan. 6. 5. *Unde ememus panes, ut manducent hi.* Licèt non indiguerit Christus Consilio, illud tamen petiit ab inferiore, magister à discipulo; doctissimus ab indocto; ut & nos non dedignemur Consilium ab inferioribus petere pro veritate inquirenda. Moyses quamvis cum Deo fuerit loquutus, & à Deo selectus ad suum regendum populum, adhuc Consilium in regiminis administratione petiit à socero homine alienigena: nimirum voluit Deus Moysem aliàs virum Sapientissimum, ut à Iethro Ethnico instrueretur, quò nos edoceret, nemini datum esse ita sapere, ut alieno non indigeat consilio. Exod 18. 24. *Quibus auditis Moyses fecit omnia, quæ ei suggesserat*: non solum Consilium audivit, sed etiam executioni demandavit. Hinc D. Basilius in cap. 1. Isai. *Consiliariis omnes opus habent, etiam si Moysi conferri possint, de quo D. Ambrosius Epist. 5. Moyses quo nemo præsentius Deum coluit, neque surrexit amplius in Israel Propheta, qui Deum facie ad faciem sicut Moyses videret: ille qui quadraginta diebus cum Deo jugiter, & noctibus fuit, cum legem acciperet in monte: ille inquam, cui Deus dabat, quos loqueretur sermones; invenitur magis Aaron fratris sui Consilium, quàm suum probasse.*

8. S. Ambrosius *enarr. 2. in Genes.* quærens, cur Deus in mundi fabrica sex impenderit dies, cum sexcentos potuisset unico momento mundos extrahere è nihilo, condere, ac perficere. Respondet, ut nos edoceret, nil temerè, & absque delectu esse agendum, nec unquam properandum in rebus magni momenti peragendis; quod enim inconsultò, & cito fit, cito perit. Quamvis potuisset Deus simul creaturas omnes condere, servato nihilominus ordine rerum, & temporis, sex voluit in mundo condendo dies impendere, quò discamus non præproperè, sed maturè, & prævia consideratione rem agere. Hinc Psalm. 135. 5. *Qui fecit cælos in intellectu*, ut nos doceat in rebus agendis, & præsertim perplexis nil matura deliberatione, & alieno consilio; cum vel ipsa divina Sapientia Consilio adhæret at Prov. 8. 12. *Ego Sapientia habito in Consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* Deus quamvis omniscius Thronum sibi eligit Consilium: parum enim prodest Sapientia si probo fuerit Consilio destituta: qui prudens, & providus est ait Cassiodorus lib. 6. variar. Epist. 29. alienum Consilium non respuit, sed quærit. Sponsa in sacris epithalamijs tunc discrimen fuit passa cum alienum non petijt Consilium; bis legitur quæsivisse sponsum: prima vice custodes civitatis nil damni illi intulerunt, quinimò fuerunt potiùs eidem eblanditi Cant. 3. 3. sed non ita secunda vice Cant. 5. 7. tunc enim vestibus eam spoliârunt, & vulnera eidem inflixerunt: S. Ambrosius in Psalm. 118. discriminis causam refundit in ipsam, quæ prima vice ideo bene processit inquirendo, quia in disquirendo alieno consilio sedula fuit: Num quem diligit anima mea vidistis? custodes interrogat, quos & consulit, quò debeat pergere sponso obviatura. Secunda vice quia nihil quæsivit, ac custodum neglexit Consilium, non solùm pallio spoliatur; verùm etiam graviter vapulat. Custodes viros produnt sapientes, quos consulamus; pallium tessera habetur Philosophiæ, & sapientiæ; hanc perdit qui alieno non utitur Consilio; qui sapit, sibi non fidit, alios consulit; cum dicat Salomon. Proverb. 3. 7. *ne sis sapiens apud temetipsum* homo qui à se ipso tantùm petit Consilium ait D. Basilius hexam. 8. imprudenti utitur Consilio.

9. Consilia tamen divina præferenda sunt semper humanis. Abraham cum primum Dei audivit Consilium de Isaco filio immolando, statim neglecto quovis alio humano Consilio surrexit Deo suggerenti immolationem obtemperaturus: Abraham de nocte consurgens Genes. 22. Origenes homil. 7. in Genes. loquens de Abrahamo ait, non deliberat, non detrectat, non communicat cum ullo homine Consilium; sed statim opere complet, quod divinum Consilium suggerit. Reges itidem Magi divino obsequuti Consilio ad Herodem non fuerunt reversi. Matth. 2. 12. *Responso*

acce-

accepto in somnis, ne redirent ad Herodem per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Ubi monstrante cœli stella viam natum JESUM videtunt, cum de reditu cogitarent in patriam, non jam stellas consulunt, nec Angelum quærunt præmonstrantem viam; sed in accepto responso divinum exequuntur Consilium, quo fuerunt à Deo imbuti. Bonum est sequi Dei Consilium ait S. Ambrosius expendens Psalm. 118. v. 24. *Consilium meum justificationes tuæ* quia Dei Consilia hominum sunt justificationes. Consilia hominum plerunque incerta, & ex rerum probantur eventu; Consilia verò Dei certissima, & non fallunt, nec falluntor. Differunt Consilia Dei, & hominis, quia illa quæ utilia sunt ad assecutionem æternæ salutis edocent hominem: hæc verò quæ ad corporis commoda suggerunt; suadent bibere vinum propter stomachum; somnum manè protrahere propter cerebrum; corpus nutrire, ne vires deficiant; carnem fovere, ne tabescat; sicqua solius corporis commoda suggerunt.

7. Qui verò sint probi consiliarij Joannes nobis ostendit in illis 24. senioribus, quos in sua Apocalypsi eidem objiciebantur stantes ante Thronum Dei Apocal. 4. 4. *Viginti quatuor seniores,* dicuntur seniores, quasi senatores, & Consiliarij divinæ sapientiæ; Ut autem proba suggerant Consilia, non solùm debent senio esse confecti, ut multo polleant experimento, & prudentia; verùm etiam necesse est, sint circumamicti vestimentis albis, seu sinceritate cordis, & candore mentis; ne in ijsdem ulla divitiarum cumulandarum cupiditas; nec ullus alius pravus affectus judicij corrumpat rectitudinem: debent itidem diademate redimiri, quò libertate sint præditi, nec obsequantur principis cupiditati, sed populorum utilitati, religionis indemnitati, rerúmque veritati.

EXPENSIO XI.

Producuntur aliquot Symbola explicantia donum fortitudinis, ut opponitur vitio Acediæ.

1. DOnum fortitudinis contra imminentia præsertim mortis pericula animum munit, & corroborat, inclinátque ad ea sobeunda præter regulas humanæ prudentiæ, & modo quodam superhumano: modus agendi hominis elevati per virtutem infusam est terribilia aggredi, ac subire cum aliqua adhuc imbecillitate, ac trepidatione juxta dictamen prudentiæ sive naturalis, sive infusæ. Sed fortitudo ut est speciale donum Spiritus sancti firmat omnino hominem, à quo omnem depellit trepidationem, abigitque imbecillitatem, & supra communes prudentiæ regulas inclinat ad subeunda terribilia. Hoc dono corroboratus Apostolus corde intrepido dicebat; *Omnia possum in eo, qui me confortat*; & David Psalm. 17. *In Deo meo transgrediar murum:* hac corroboratus dono per supranaturalem, & infusam virtutem fortitudinis pericula adire, & terribilia subire non dubitavit. Jonathas tidem hoc munitus dono cum uno armigero totum hostilem exercitum aggressus est: & Samson ejusdem doni beneficio eas fuit vires enactus, ut Philisthæorum exercitum solus fregerit, fugaverit; vincula perinde ac telas araneorum dissolvit Judic. 15. *Irruit super eum Spiritus Domini: & sicut solent ad odorem ignis ligna consumi; ita vincula, quibus ligatus erat dissipata sunt, & soluta.* Christus etiam, qui imminente passione sua ad ostensionem infirmitatis naturæ humanæ, quam assumpserat trepidavit, ac timuit: ex dono fortitudinis pericula adivit, terribilia subivit, ac obvia quæque difficillima superavit: dixeritque D. Leo Papa ferm. 8. de Passione: *Depulsa trepidatione infirmitatis & confirmata magnanimitate virtutis, redijt in sententiam suæ dispositionis æternæ.*

Symbolum fortitudinis etiam ut est do num Spiritus sancti sunt capilli, in quibus hominis figuratur fortitudo: & Christus virtutes animi capillis pariavit capitis; idque adstruit Goffridus Abbas serm. 9 de S. Magdalena. Idque luculentius nos edocet Samson natus ad profligandos Philisthæos, ad palmas in campo Martio metendas. Is anno ætatis vigesimo specimina daturus fortitudinis, licèt inermis, sed hoc dono corroboratus leonem rugientem, necémque minantem discerpsit; jumenti demortui maxilla, quasi Herculea armatus clava, mille Philisthæos occidit, hostes fugavit: beneficio hujus doni Gazæ obsessus portas urbis non solùm repagulis emovit; verùm etiam humeris quasi victoriæ monumentum aliò translolit. Samson igitur virorum fortissimus, Hercules Hebræorum captus amore Dalilæ, quam deperibat invictam fortitudinem in capillis sitam edixit; aperuit fœminæ enixim roganti, se ab incunabulis Nazareum esse, Numini æterno consecratum conceptis verbis; ideóque religione voti, quod parentes nuncupârunt, & Angelus dictavit, adhuc primigeniam novaculæ nesciam à se comam nutriri; cui vis tanta roboris, ac invictæ fortitudinis divinitus innexa fuit. S. Ambrosius in Apologia 2. Davidis c. 3. ait. *Samson validus, & fortis leonem suffocavit; sed amorem suum suffocare non valuit. Vincula solvit hostium; sed suarum non solvit vincula cupiditatum. Messes incendit alienas: & unius ipse mulieris incensus igniculo messem suæ virtutis amisit.* Quamdiu intonsam enutrivit comam, virgineos servavit capillos, tamdiu invictam sovit fortitudinem, qua corroborabatur: *Dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens.* Ascalone maritima Philisthinorum urbe provocatus ab hostibus per contemptum servitutis triginta Philisthæos interfecit; móxque iterum ab ijsdem irritatus eorum segetes, vineas, oliveta incendit, illigaris ad caudas vulpium trecentarum facibus, quas ille captas in speläeis montium Modinæorum, & binas inter se colligatas sparsim in agros, hortósque cum accensis faculis misit, incendia per campos, montes, valles, planitiésque sparturus.

Speci-

3. Specimina invictissimæ fortitudinis dederunt Horatius Cocles, qui contra Porsennam in ponte Sublicio toti exercitui se opposuit; seu unus contra omnes, & singulos Etruscos ingenti sua gloria, ac suorum bono. Mutius Scævola, qui primus è trecentis conjuratis Hetruscum regem à Romano capitolio avertit. Camillus, qui Romam fere captam de manu Brenni, & Gallorum armis liberavit. Hercules qui horrendis monstris mundum repurgavit: sed huic supparem ne dicas Samsonem: quia si Hercules in ipsis cunis ungues aptavit ad angues discerpendos, quos arctato gutture elisit; Samson a puero repletus Spiritu sancto, donoque fortitudinis corroboratus pravos omnes debellavit affectus. Si Hercules in famulitium Eurytheo datus, ut in libertatem se vindicaret ingentes debuit labores exantlare: Samson pro asserenda populi sui libertate difficillima cum Philistæis certamina suscepit. Heroes dicas, non sibi, sed Patriæ nasci. Si Hercules leonem Nemæum prostravit: Samson Thamnathæum leonem præsocavit. Si Hercules de prostrato leone pellem extraxit præmium virtutis: Samson è profligato leone favum mellis traxit, honoris nobilem tesseram; & gloriæ innutriendæ dulce ferculum; quia ut fert parœmia; dulcia non meruit, qui non gustavit amara; seu labor amarus est, sed fructus dulcis; ad quod alludens Seneca Hercul. fur. ait: *Quod fuit durum pati meminisse dulce est.* Si Hercules non gladio, non basta, sed clava armatus domuit, quos habuit hostes: Samson pro telo maxilla usus demortui jumenti, hanc in hostes vibravit, quos & cruenta clade prostravit. Tanti refert quale sit brachium ad pugnam instructum: non clava sed Hercules, non maxilla sed Samson monstra, & hostes fregerunt, victrices palmas detulere. Si Hercules Hydram, Harpyas, & pleraque alia monstra interfecit; Samson ferocientium Philisthinorum impetus coërcuit, audaciam fregit, & eorum phalanges superavit. An non Hydram dixisses Philisthinorum exercitum sæpius ab Hebræis cæsum; & iterum irruens armis in Samsonem? quòd si Hercules ferro, & igne Hydram edomuit; Samson jumenti maxillâ, & igne caudis vulpium illigato Philisthæos compescuit.

4. Cæterum quia capilli Symbolum habentur fortitudinis, ut in Samsone; si qua olim mulier apud Mutinenses fidem conjugalem adulterio corrupisset, Thorum maritalem fœdâsset; ad judicandum, fœminam fuisse destitutam fortitudine in propugnanda, ac servanda maritali castitate præter alias pœnas, quibus subjacebat, attondebatur, ut habetur in statutis Mutinensibus lib. 3. Rubric 57. ubi legitur. *Si quis de cætero in civitate Mutinæ, vel districtu adulterium commiserit cum nupta muliere, condemnetur in centum libris: mulier verò nupta quæ commiserit adulterium tondeatur, & verberetur per civitatem.* Secus Bisantinæ mulieres impertituræ navibus fortitudinem, qua persistent citra discrimen naufragii, attonsos capillos proprios suppeditarunt, ut in funes contorquerentur, qui navibus inservirent, ut habetur in Topologræco Constantinopolis. Apud tamen Sauromatas referente Herodoto lib. 4. moris fuit, quo puella nubere non posset viro, quin priùs aliquod fortitudinis specimen dedisset, aliquem ex patriæ inimicis interemisset; idque causæ, cur plures earumdem decedant vetulæ, & innuptæ, eò quia patriæ legi satisfacere non valuerint; volebant Sauromatæ puellas viris nupturas, fœmineam exuere imbecillitatem, & virilem induere fortitudinem, Christianæ verò puellæ Christo ut nubant, necesse est hostem satanicum prosternant, mundum itidem, & carnem vincant.

Non solum capilli capitis Symbolum habentur fortitudinis, verùm etiam ipsi capilli Barbæ. Mortuo Naasene Ammonitarum rege cum David intellexisset Regnum translatum jure hereditario ad Hannonem Naasis filium adhuc adolescentem, legatos misit, qui consolationem lugenti filio adferrent, simulque antiquam firmiùs amicitiam stabilirent; cumque legati honorificè fuissent excepti, ac prolixius suo functi officio; suspiciosa temeritas satraparum regi adhuc juveni aula fuit suggesta, ut insigni ignominia illud commiserationis officium compensaret; eò quia legati à populo pro exploratoribus haberentur. Quid ni? jussit statim Hannon inauditis legatis, & denegata propria defensione radi legatis viris honestissimis partem dimidiam barbæ, & capillitii in publicum ludibrium 2. Reg. 10. 4. *Rasitque dimidiam partem barbæ.* Cornelius expendens hunc textum ait, Hannonem figuram, ac Symbolum esse cacodæmonis; qui bene operari satagentibus barbam radit; seu fortitudinem adimit; Barba sicut virilitatis, ita & fortitudinis est Symbolum. 5.

Alredus Abbas Symbolum fortitudinis exhibet firmamentum Genes. 1. 6. *Fiat firmamentum* & ait firmamentum esse firmitatem animæ in Deo, & cœlis defixæ; quæ constanter sustinet aquas superas, & inferas prosperitatum, & adversitatum. Proinde debet nobis fortitudo esse veluti dies quinta, per quam hujus fluctuantis vitæ, quasi maris procellas toleramus. Aqua tribulationis nota est, quæ utilis hominibus pietatis studio addictis est, imò, & plerunque necessaria; quia sicut aqua vino mista vini efficaciam infringit impeditque ebrietatem, capitisque læsionem; perinde aquis adversitatum vinum gloriæ attemperatur, ad avertendum capitis tumorem, mentis ebrietatem; ut festivè edisserit S. Bernardinus Senensis serm. 8. inquiens: *Magna, & mirabilis, & omni acceptione digna est misericordia Dei, quæ per malos quandoque contra justos duras, & graves infamias suscitari permittit; ut per aquam infamiæ vinum nimis gloriosi nominis temperetur, ne justi mens inquinat spiritualem ebrietatem, unde deviare habeat à vero lumine veritatis.* Lidius lapis aurum probat quod ignis purgat: sed durities adversitatum; & ærumnarum combustio fortitudinem perficiunt; conducunt 6.

adver-

adversa animo firmando, desumpta similitudine ab ipsa aqua à firmamento divisa, quâ ferrum candens obdurescit: idque innuit S. Gregorius Nazianzenus orat. 23. *Generosior redditur animus Philosophi ipsa laborum tolerantia; firmatúrque periculis uti ferrum candens frigidæ aspersione.*

7. Perinde adversa fortitudinem corroborant, virtutem stabiliunt, si æquo animo tolerentur; sicut aqua frigida injecta in fertum candens duritiem videtur eidem impertiri. Pisces si aquia innatent incolumes vivunt; qui in litore extra aquas moriuntur: viri fortes aquis obruti adversitatum non deficiunt; sed virtutem incrementaot, cui per exercitium plurimum additur nitoris. Idque cum innotuisset Beatæ Idæ de Nivella Belgæ, ut habetur in ejus vita cap. 32. dicere consueverat: *Sicut nec pisces* vivere possunt sine aqua, nec aves absque aëre; sic nec ipsa absque aliqua persecutione: & cum die quodam nullam sibi videretur adversitatem experiri querula ita Deum alloquebatur: *Quare mi dulcissime tam diuturno somno dormis, & me ancillam tuam vexationibus tribulationum carere permittis.*

8. Aliena est à mundanorum mente mens hæc B. Idæ, cum ipsi si adversa sentiant, non nisi in amaras erumpant querelas. Aqua si subsideat motu destituta, quamvis non moveatur ipsa, movetur tamen in ipsa, quin discedat ab ipsa bonitas, & salubritas alterius, quæ fluit: vitium enim contrahit, & marcescit quæ non movetur aqua: quid ni? vir pius quamvis fortis, nisi veluti aqua afflictionibus, & adversitatibus agitetur, torpet, & noxia quiete flaccet. Fortitudo aratrum imitatur, io quo vomeris, seu ferri durities exercitio, & labore ita splendescit, ut videatur ferrum naturam induisse argenti; sin verò absque exercitio neglectum quiescat in campo, vel stabulo rubiginem contrahit. Amat Fortitudo adversitatibus agitari, perinde ac aqua moveri, ac fluere: huc accersendus S. Chrysostomus in Psalm. 14. *Aqua quæ consistit, & non meat est noxia, sed quæ movetur exhauritur, & per tubos, & aquæ ductus transmittitur; non solùm ea est salubris, sed & visu & tactu, & potu est jucundior: sæpe etiam vincit naturam afflictio.* Sicut firmamentum subsistit medium inter aquas Genes. 1. 6. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis:* ita fortitudo cujus firmamentum dicitur. Symbolum tribulationum quassata fluctibus, aquisque adversitatum circumvallata stat firmior, vigetque perfectior. Magnos faciunt adversa, quia homines vitijs evacuant, & Dei gratia, cæterisque virtutibus implent: scitè Augustinus in Psalm. 55. *Ad hoc exagitat tribulatio, ut exinaniat vas, quod plenum est nequitia, & impleatur gratia.* Plerosque pares dixeris corallio quod aquis obrutum flexile est, ac mollescit, & si ab aquis extrahatur obdurescit, ruborémque induit, quasi ipsum pudeat nativam amisisse sedem: talis fuit Pharao, qui adversitatum obrutus aquis adeo flexilis, mollisque fuit, ut rogari pro se petierit Exod. 8. sed vix ab hisce emersus aquis induruit. *induratum est cor Pharaonis.* At vir fortis ærumnarum, & adversitatum obrutus aquis ad excellentiorem gloriam perficitur, firmiúsque persistit in cultura virtutis. Interrogat Joannes unde gloria donandi venerint Apocal. cap. 7. *Qui sunt, & unde venerunt?* quæ interrogatio duo complectitur membra: sed cur non indicatur, quinam fuerint; cur nobis eorum dignitas, nobilitas, & studia non aperiuntur; an ad hæc omnia dignoscenda satis erat innuere illos ex magna tribulatione venire? siquidem vir magnus & fortis habetur, qui aquas trajicit adversitatum; ex aquis igitur adversitatum faciè conjici potest qualis sit virtus, & dignitas illas enavigantis.

9. Hisce obrutus desolationum, & adversitatum aquis, sed in nives, gelúque concretis fuit Banaias, & ideo fortia egit, laudatúrque cæteris fortior; cui magnæ datur gloriæ leonem occidisse in campo alta sepulto nive 2. Reg. 23. v. 20. *Qui interfecit leonem in diebus nivis.* Ingens est gloria ab homine leonem interimi; sed longè major est eum in diebus nivis, seu desolationis ingruente adversitatum tempestate, rigeote ærumnarum glacie occidisse; seu irascibilem appetitum exercuisse; concupiscibilem compescuisse; id enim fortitudini datur; virisque robustis, accinctis, & succinctis, paratisque semper ad bellum, ad fortia quæque agendum, vel patiendum Psalm. 92. 1. *Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Job. 38. 3. *Accinge sicut vir lumbos tuos* non dicit ut fœmina ob imbecillitatem sequioris sexus; quia cingulum veluti Symbolum fortitudinis Marti sacrari consuevit, ut canit Homerus Iliad. 13. Hinc lex fuit apud Romanos sancita, ut milites semper cincti essent; & milites discincti malè audiebant referente Alexandro lib. 1. Geoes. c. 20. idque causæ, cur Octavius Augustus referente Tranquillo in ejus vita cum militem pusillanimum, ignavum, vel desidem acerrimè pugnare vellet discinctum per medias acies ire jusserit.

10. Non solùm aquæ pluviæ, sed & marinæ in Symbolum accersuntur fortitudinis; quia sicut mare licet flumina omnia, torrentes rivulósque suo excipiat in sinu, non tamen ullum inde detrimentum proprio subit in amarore; neque incrementum in fluctibus ita fortitudo quamvis adversitatibus obruta nil patitor detrimenti; sed magis perficitur. Æstus fluctuantis hujus vitæ, & inconstantiam ridet, cui fortitudinis virtus arridet; quia dum inter fluctus pericula adit ad portum appellit; quò assuescamos exemplo D. Petri per fluctus adversitatum, per pericula mortis ad Christum, qui tranquillus est portus accedere. scitè S. Ambrosius serm. 2. de sanctis. *S. Petrus dum fluctuat, dum mergitur, sic pervenit ad Dominum ostendens nobis, quod nonnisi per pericula properatur ad Christum.*

11. Præ cæteris Symbolum fortitudinis ponitur adamas gemmarum nobilissima, quæ duritie, fortitudine, ac nitore reliquis antecellit

pellucidis lapillis. Fortitudo animi constantia, & pectoris firmitate alias antecedit virtutes, quarum firmissimum, ac inconcussum est fundamentum, ne nutent: si quæras quomodo, & à quo fuerit hoc fundamentum positum respondet Amos, à Spiritu sancto, cujus fortitudo est donum; si petas quo instrumento sit Propheta trulla cæmentarij, quasi domus esset construenda, quam virtutes incolerent, Amos 7. 7. *In manu ejus trulla cæmentarij*, ubi sacri interpretes præsertim Symmachus, & Syrus pro *trulla* vertunt *adamantem* Symbolum fortitudinis; de Adamente ait S. Hieronymus expendens textum Prophetæ: Adamas est sui nominis lapis, quem indomitum possumus appellare, eò quia nulli cedat materiæ, nec ipsi ferro: nam si ponatur super incudem, & gravi ictu feriatur mallei, antea incus, & malleus vulnus accipiunt, quàm adamas conteratur. Præterea igne perficitur; quamvis ignis omnia domat, ac universa metalla consumat, reddit tamen adamentem duriorem, qui propterea nulla mordente lima imminui potest, imò & ipsam limam terit.

12. Hinc viri fortes hoc fortitudinis dono adversarios, vel fregerunt, vel fugârunt, ut Gedeon Judic. 6. 34. *Spiritus Domini induit* Gedeon. Ubi textus Chaldæus habet: *Spiritus fortitudinis: qui à Domino proficiscitur induit Gedeonem.* Fuit hoc donum Gedeoni instar vestis, quia eum texit, & à frigore metûs protexit. Et quia viri fortes victrici palma insigniuntur dicuntur post delatas victorias exultate, ut gigantes Psalm. 18 7. *Exultavit ut gigas*, quæ verba expendens Isaias ait familiare esse divinis in scripturis eos vocare gigantes, qui cæteris habentur fortiores: gigantis nomine is significatur, qui summum spiritualis fortitudinis fastigium est adeptus: tales fuerunt, qui lectulum fulciebant Salomonis Cant. 3. 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel:* ubi textus Syrus legit sexaginta gigantes, & Vatablus saxaginta heroes, ex heroibus Israel. Et hi gigantes terribiles sunt in bello gerendo Cant. 6. 3. *Terribilis ut castrorum acies ordinata:* ideo acies terribilis, quia ejus etiam gregales militea fortissimi contra tirannos persecutores, quorum sævitiem prostrârunt cum mortem oppetierunt; & victrices sibi palmas ad triumphum irrigârunt, cum sanguinem fuderunt. Christianorum virtus vera est fortitudo; quæ splenduit in Apostolis, & martyribus, alijsque Christi fidelibus. Calix enim quem Christus in sua ebibit passione nobis propinatur, ut ad sui non solùm nos vocet amorem, sed etiam trahat, inflammet; ut unicuique liceat inclamare cum S. Laurentio Justiniano tract. de charitate cap. 7. *Super omnia reddit te amabilem mihi ò bone Jesu, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ. Hic omnino nostrum facile totum sibi vendicat amorem: hoc inquam est, quod nostram devotionem, & blandiùs allicit, & justiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs.* Est igitur adamas Symbolum fortitudinis; & adamanti pariantur viri fortes, ut Ezechiel, cui Deus Ezech. 3. *Ut adamantem dedi faciem tuam, ne timeas eos* Adamas fuit Stephanus lapidibus obrutus non fractus; Laurentius flammis ustus, sed nil læsus; Bartholomeus pele exutus, sed purpurâ indutus; & omnes martirio cruciati, vel vulneribus saucij, vel capite imminuti, vel alijs corporis artubus secti, ac cruciatibus torti, animi integritate semper illæsi.

13. Prodit symbolicè fortitudinem etiam lorica, vel chalibe cusa, vel ferro compacta, quâ pectus pugnantis in bello obtegitur, vestitur Proverb. 31. *Fortitudo indumentum ejus*, hac lorica muniti, hac induti SS. Martyres ictus retuderunt sævientium Tyrannorum, concidebant Tyranni Martyrum membra, sed inconcussam in eis fortitudinem nolla valuerunt ratione conscindere; quam firma, & fortis hæc lorica, quæ nec scindi potuit, nec ullo eruciatuum instrumento disrumpi. Concidebantur frustatim membra, sed hæc lorica inconcussa, & illæsa semper mansit, ac infracta. Ardebant membra subjecto ulla igne; sed non liquefiebat hæc lorica, quin obdurvit impenetrabilis. Submergebantur corpora sanctorum; sed hæc nullum unquam poruit naufragium pati. Hac indutus lorica Apostolus Paulus ingeminavit ad Philip. 4. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat*, seu qui me fortitudine munivit; non solùm hostium assultus coërceo, adversariorum impetus compesco; verùm & in cultura reliquarum virtutum persisto constans, & proficio gaudens, quia *omnia possum in eo, qui me confortat.* Quid ni ad perfectionis Christianæ fastigium enitenti non objicitur poëtica olla Megæra ab orco emersa agitatis facibus furens, nec Hydra è lacu Lernæo egressa, nec è fabulis Cacus illus latrocinio, & barbarie infamis: sed alia longè terribilior bellua multorum capitum, formisque pluribus informis, quam veluti pedissequa cohors sequuntur ægritudines corporis, jacturæ diviriarum, detrimenta famæ, læsiones honoris, solitudines exilij, acerbitates dolorum, territationes minarum, & cruciatuum omnium acervationes; imò & terribilium omnium Colophon mors; neque putes hæc omnia te posse superare, nisi ijsdem loricam objiciat fortitudinis divinæ gratiæ præsidio adjutæ. Sed fortitudo virtus est animi, quem in pugna vitiorum, & virtutum propugnatione corroborat. Is est animus fortis, qui Deum timet, & peccatum cavet. Viro forti, infixus semper ait timor, se à summo bono avertendi per inordinatam adhæsionem ad creaturam: execratur enim quidquid natura damnat, & recta Ratio aversatur. Quamobrem viri fortis est timere omne peccatum; & pavere umbras singulas Numini displicendi; vir fortis animo cadit timore peccandi; & amore justitiæ audax insurgit; ne mala faciat, est pavidus; ut mala perferat, impavidus; ut bona agat, cupidus, & ardens; ut exequatur audax; in laboribus, durisque patiens, adversus mollia durus; in adversis constans, in secundis temperatus, in utrisque semper idem.

Quæ

14. Quadratus lapis symbolicè fortitudinem exhibet Isa. 9. v. 10. *Lateres ceciderunt*, seu reges Juda, quia nullo fortitudinis præsidio roborati non steterunt, ideóque imbecilles corruerunt inglorii: *sed quadris lapidibus:* seu ex fortibus regibus nobis *ædificamus* regnum, ut expendit D. Thomas in cap. 9. Isa. cui adhærens D. Bonaventura lib. diæt. sal. cap. 9. ait supremum artificem Deum consuevisse electos quadrare quadratura virtutum, scilicet prudentia, temperantia, fortitudine, & justitia: suntque hæ quatuor virtutes totidem rotæ currûs, quo ad supremum vehimur perfectionis fastigium, & ovantes ad cœlestis patriæ capitolium. Moris olim fuisse, quò parvuli olim petræ alliderentur, quò necarentur refert Paulus Diaconus lib. 5. hist. post initium: *Ducenta millium armatorum Gallorum in eo bello interfecta sunt, & Dux quoque eorum Beutobodus occisus est. Mulieres eorum constantiori animo, quàm si vicissent consulvere, ut si inviolata castitate virginibus sacris Dijs serviendum esset, vitam sibi reservarent. Itaque cum petita non impetravissent: parvulis suis ad saxa collisis cunctæ se se ferro ac suspendio interemerunt.* Hujus moris parvulos saxo allidendi meminit etiam Osorius lib. 5. de rebus Emanuel. inquiens: *Pueros infantes ad saxa allidebant, & rupes.* Imò alij eò feritatis abripiebantur, ut pueros arcubus appositos ad saxa allidèrent teste Oleastro in Isa. cap. 13. n. 17. ubi hæc habet: *Advertit Medes, & Persas (ut dicit David Rabbi in commentarijs) pueros arcubus suis apposuisse, eòque sagittarum loco ad saxa jecisse, & allisisse.* Et ad hanc parvulorum ad petram allisionem videtur Propheta Regius allusisse Psalm. 136. *Et allidet parvulos suos ad Petram.* Verùm si verba Prophetæ Davidis velimus ad mores flectere: scitè per parvulos pravos quosque affectus, & impudicas intelligimus cogitationes, quas petræ allidimus, seu excutimus, enecamus, si fortiter ijsdem obsistimus. Est enim fortitudo hæc petra, cui parvuli allisi, seu pravi omnes affectus suis interimuntur in initijs. Cupiditatum fœtus ad petram allidendos docet S. Nilus in libro Ascetico: *Alius Propheta Beatos appellat, qui Cupiditatum fœtus non excipiunt: Beatus inquiens, qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram.* Cogitationes Venerem redolentes veluti parvulos Babylonis allidendos esse ad petram idem Beatus Nilus edisserit orat. de fornicatione: *Operæ pretium est itaque Babylonis parvulos, hoc est turpes cogitationes, quæ nos primùm adoriuntur ad petram, seu Christum allidere, atque obterere. Adultæ enim plurimum nobis turbarum, ac molestiarum exhibebant.*

EXPENSIO XII.

Varijs Symbolis petitis à rerum comparationibus commendatur donum scientiæ, ut opponitur Iræ.

DOnum scientiæ differt à dono Sapientiæ, quia licèt utrumque donum judicet de rebus supernaturalibus modo quodam resolutivo per suas causas, & effectus; Sapientia tamen per causas supremas, seu per intimam unionem ad Deum: scientia verò per causas inferiores. Rursus Sapientia judicat de supernaturalibus per causas altissimas, ut cognitas experientia, & gustu divinorum: scientia autem per causas inferiores, & humanas, ut eadem etiam ratione manifestatas: & per hoc differunt hæc duo dona etiam à fide, quæ non fertur in res divinas, ut cognitas tali experientia, & gustu divinorum, sed lumine revelationis obscuræ. 1.

Posse scientiæ donum symbolicè pariari 2.
currui, qui nos non vehit, nisi trahatur duobus saltem equis videtur edisserere David Psalm. 118. 66. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me:* tria petijt, quorum ultimum fuit scientia, quæ veluti onustus currus exigit equis trahi ut moveatur; sunt hi equi bonitas, & disciplina; quia scientia non habetur nisi antecedat disciplina; & hæc nisi bonitas præcesserit, deficit viribus destituta: inde discimus, per bonitatem, & disciplinam scientiam nobis inesse. Ea sola probatur scientia, quæ bonitate, & disciplina innititur, & in solum Deum tendit, ejúsque præcepta, quæ servet intemerata. Neque censeas casu obtigisse, quòd Moyses Deum priùs mundi conditorem ostenderit; & postea datorem legis, ac legislatorem edixerit; id præstitisse studiò putârim, quò homines paratiores, ac promptiores essent in servandis præceptis cum scirent se è nihilo fuisse traductos ad hujus lucis usuram, & singula, quæ possident à Deo in ipsos derivari. Severianus in Catena Græca veterum Patrum videtur hunc ordinem exponere inquiens cap. 1. Genes. *Duo sibi præcipuè Moyses proposuit, & fabricam mundi exponere, & legem promulgare, ac primum quidem voluit ostendere totius naturæ conditorem, & dominum, ut suis legem ferre, non alienis jure videretur. Si enim prius illis de artifice mundi non constitisset, fide minus dignum legislatorem renunciasset.*

Non nobis scientia datur, ut curiositas 3.
nutriatur; sed ut sanctitas nobis inhaletur. Non ad hoc nobis traditur scientia, ut syllogismorum calleamus tendiculas struere; ut verborum lenocinijs discamus aures demulcere: non ut rhetoricis coloribus discamus dicendi facundiam venustare: non ut elegantiarum flosculis orationem ornemus: non ut astrorum Mathematicorum signa noscamus radio designare: sed ut per donum scientiæ quomodo servanda sint Dei præcepta nobis innotescat; & per ex-

ercitia virtutum ad Christianæ perfectionis pertingamus fastigium. Divinorum præsertim præceptorum thesaurus nobis concreditur, quò à nobis fideliter custodiatur; & tanquam rei pretiosissimæ ejusdem custodiæ à nobis ratio exigetur; si quid exciderit, vel nostra negligentia omissum fuerit, vel deperierit, luendum à nobis erit supplicium. Non sufficit divina nosse præcepta ad salutis semitas percurrendas, nisi eorumdem scientia operatione perficiatur, & observantia diligenter custodiatur. Dei præcepta callebat David, cum diceret Psalm. 24 *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*, ut innueret, sibi non sufficere nudam, & simplicem divinæ legis notitiam; sed eam cupere, quam opus, & exercitium perficis, ut notat Euthymius inquiens: *Tametsi omnia mandata in divinis literis antea didicisset, optat tamen re ipsa, atque operationibus melius addiscere.*

4. Scientiæ Symbolum exhibent oculi, qui quædam sunt in homine sydera ostendentia quà sit eundum, ne trajicientes mare hujus fluctuantis vitæ rates animæ nostræ scopulis illisa naufragij subeat detrimenta. Donum scientiæ instar vigilis oculi nobis ostendit salutis æternæ tuta itinera, quæ percurramus, & æternæ malaciæ, ac quietis portum appellamus. Quòd si oculi syderibus pariantur: est donum scientiæ splendens illa cynosura inter caligines, & tenebras sæculi præsignans quomodo pelagum hujus fluctuantis vitæ debeamus trajicere, ne in scopulos impingamus, vel syrtes incurramus, vel voraces Charybdes, aut infames scyllas naufragijs cum æterno animæ detrimento. Sunt oculi rerum externarum exploratores, nuntij, & interpretes in capite veluti supra hominis arcem collocati, ut ex loco eminentiore tanquam vigiles excubiæ eminus advenientia conspiciant, quò homo maturiùs sibi consulat. Accuratè oculorum structuram nobis delineatam exhibet Laurentius inquiens. Naturæ speculum est oculus, microcosmi lumen, pars ætherea, solis janua, fenestra animi, magnæ mentis imago. Figura est illis sphærica aliquantulum oblonga, quò ad capacitatem, robur, agilitatem promptior sit, atque expeditior. Gemini sunt ocelli in loco editissimo capitis locati, ut noctu, & interdiu non secus ac custodes vigiles excubent, & notitura quæque facili motione, atque flexu declinent: nec satis est, in antrum quoddam, ac veluti sinuosam vallem retrusi cernuntur, quò & eorum securitati provideatur; & minori naturæ dispendio Spiritus dispensentur; quin et extrinsecus irruentibus injurijs minus sint obnoxij; ossibus undequaque, & palpebris, quasi proprijs sepimentis sunt obvallati. Magnitudo eorum tanta est, quanta ad rerum imagines sufficiat: natura tota est aquea, mollis, lubrica, splendens, pellucida, ut celeriùs rerum omnium spectra, colores, imagines excipiant. Totum præterea oculorum corpus sex musculis, totidem tunicis, tribus humoribus, duobus nervis, venis, & arteriolis quamplurimis, adipéque copioso constituitur. Musculi undique mira volubilitate pernices versant; tunicæ fluentem naturam, veluti solidiori vallo muniunt; quarum una est venulis, & arteriolis quamplurimis distincta, fundæ similitudinem reddit; altera cornea duritie, & pelluciditate cornu prætenue, & accuratè politum refert. Tertia uvæ acinum, & folliculum à quo pedunculus avullus est, figura, colore, tenuitate, lævitate externa spectantibus exhibet. Quarta tenuitate telas æmulatur aranearum. Quintam reticularem à retis similitudine medici dixerunt. Postrema veteribus incognita vitrea, & ipsa vitreum humorem omni ex parte ambit. Detectis tunicis statim effluunt, & in apertum prodeunt partes oculorum nobilissimæ humores quippe aqueus, Crystallinus, & vitreus; sed crystallino summus debetur honor, qui anima oculi, speculum interni, & centrum dici solet. Quid de nervis dicam, quorum unus visioni, alter motioni deservit; quid adipem loquar? quid venas? quid arteriolas? quid musculos? portento perfecto simile est, quòd uno corpusculo tam varij generis particulas natura providè occluserit. Quid de oculorum effectis dicam? vident, mirantur, amant, concupiscunt; suntque indices amoris, iræ, furoris, misericordiæ, ultionis: in audacia prosiliunt; in reverentia subsident; in amore blandiuntur; in odio efferuntur; gaudente animo lubrident; eodem mœrente languescunt, in ira exasperantur; in cogitatione, & cura quiescunt, cum mente semper intenti: unde tot usus, tot nomina, torvi, truces, flagrantes, graves, transversi, limi, submissi, blandi: & ad animi motum ita sunt accommodati, ut alter animus esse videantur.

Quòd si donum scientiæ, vel maximè in Ecclesiæ dignitatibus constitutis, quique alijs præsunt, dicitur congruere, ut concreditos sibi popolos doceant: ijdem in Ecclesia præsules oculi dicuntur Symbolum præseferentes scientiæ; sed Præsulum oculi eos æmulantur columbarum Cant. 5. v. 12. *Oculi ejus sicut columbæ super rivos aquarum*: sed cur Præsules in Ecclesia columbis pariantur fluvio insidentibus? An quia licèt quilibet licet magnus sit, ac perfectus in Ecclesia, adhuc aquis indiget, ut quotidianas abluat sordes, quas delinquendo contrahit? quia ut ait Guilhelmus expendens præcitata verba Cant. *Etiam magnis Ecclesiæ Prælatis de consuetudine vitæ hujus, quædam veniales sordes quotidie quasi furtim solent irrepere, quæ negligendæ non sunt, cum dicat, sapiens, qui modica spernit paulatim decidet: quapropter quantalibet quis sinceritate hic vivat, opus habet quotidianæ compunctionis lachrymis expiari: ideo additur super rivulos aquarum.* Cavendum tamen ne oculi columbæ in illos degenerent accipitris, quod facilè contingeret, si nullo coërciti modestiæ fræno in objecta quæque divagantes mentem quoque vagam secum traherent, quæ suis itidem cogitationibus excurreret in nocitura; sunt oculi incustoditi patentes binæ fenestræ, per quas noxia

noxia quæque animam ingrediuntur nostram, quam ornamentis expilant virtutum, id nos edocet suo damno, & nocumento; utinam, & nostro emolumento David, licèt dubites an purpura, vel virtutum cultura, & sanctimonia sit clarior. Hic post regium in epulis luxum cum somno meridiano corporis membra recreâsset, surrexit è lecto, & auram capturus liberiorem per solarium domûs regiæ aperto sub dio ambulavit; cúmque habenas oculis laxâsset 2. Reg. 11. 2. *vidit mulierem se lavantem ex adverso* sed si mulier procul frigidæ indulsit: libido prope Davidem ussit: ait Augustinus in Psalm. 50. *Mulier longè, libido prope.* Contigit ut Betsabeam viderit contra solit ardorem corpus in horto domestico abluentem pellucidam ad salientem fontanam incautiùs renudatam, quàm castam decuisset mulierem: quid ni? oculos injecit in sequiorem sexum se lavantem; & è fonte illo non latices hausit frigidos, quibus concupiscentiam extingueret; sed flammas ebibit, quibus pudicitia cinefieret: nec mirum, post epulas, & somnum, quæ sunt fomenta libidinis, aliud expectari non poterat, quàm interitus castitatis: à somno, & cibo proclivis semper ad Venerem transitus: *Accidit, ut surgeret David de grabato suo post meridiem.* Mollities Veneris, è molli culcitra sua traxit natalia, quia pulvillo Dormientis Davidis Cupido pharetratus incubuit; & somnus diurnus Dæmon fuit ille meridianus, à quo liberari postea petijt Psalm. 90. *ab incursu, & dæmonio meridiano à sagitta volante.* Volavit sagitta lethale vulnus inflictura castitati. *Viditque mulierem se lavantem ex adverso*: oculos fixisse in mulierem, & Cupidinem mortale vulnus castitati inflixisse, idem fuit; quo discamus oculos nunquam in sexum figere sequiorem. Muliebris venustas insidiosum est speculum etiam procul aspicientes urit. Vir igitur sapiens sicut impertitum sibi scientiæ donum custodit, perinde & oculos servat custoditos, cum ab ijsdem non custoditis oriatur libido: scitè monitos nos voluit D. Augustinus cum scripsit Epist. 109. *Oculi vestri etiamsi jaciantur in aliquem; figantur in neminem:* adderem prætertim in puellam venustam, sexúmque sequiorem, quia tunc periculum imminet proximius interimendæ castitatis.

6. Scientiam Puteo symbolicè pariari scio, eo quia in profundo scientia lateat, ne passim fiat singulis obvia: huc accersendus Philo è cujus puteo Symbolum hocce hauritur: ait ipse lib. de somnijs: *Mihi videtur hic puteus significare scientiam, quæ suapte natura in profundo sita est, non in superficie, nec in propatulo solet esse, sed in abdito, nec facilè, sed vix multo labore invenitur.* Hinc etiam divinas literas video puteo comparatas: sed hunc puteum parem ei dixerim Samaritanæ, de quo ipsamet dixit *Puteus altus est:* fassa fuit putei altitudinem, quia profunditatem scientiæ, quam Magister Christus eam edocebat, haud penetravit: pulchrè Petrus Blesensis serm 30. in festo S. Augustini: *Melior est canis vivus leone mortuo: Litteræ superficies arida quidem, & exanguis videtur: sed puteus altus est. Eruderemus ipsum, & fortasse inveniemus aquam vivam, & suavem ad bibendum.* Fuit Puteus iste etiam ipsi Ecclesiæ lumini S. Augustino profundus cum se imparem ei exhauriendo scripserit ad Volusianum Epist. 2 inquiens: *Tanta est Christianæ scientiæ profunditas, & adeo altus sacrarum literarum puteus, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia, usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore* ingenio *conarer addiscere.* Non tamen putemus, Puteum hunc siccitate laborare, quia suis oppletur laticibus; aquisque vivis ditescit; ut haurientes divitiis affluant; cum in canticis *Fons hortorum dicatur puteus aquæ vivæ:* qui fons hortorum est, per hortorum areolas sedatè fluit vernantes flores irrigaturus; totámque vegetabilium familiam refecturus: sed fons iste, qui suas alijs impertitur divitias, plantisque est solario, est etiam puteus aquæ vivæ descendens non sine impetu à Libani vertice; quia si mysterij altitudinem velimus præscrutari, qui fons erat in horto rigandis areolis accommodatus, puteus fit profundissimus; eo quia in abdito, ac profundo sita sit mystica Sapientia: sed si velis haurire affluentiâ charitatis, quæ uberior est fide, & spe; fit tibi fons qui puteus erat; quia charitas exuberat, & haurire eam potes, & ejus affluentia tuum irrigare hortum, quò fructibus redundet spiritualibus. Salutaris est hujus putei aqua; salubres hujus fontis latices rigandis, alendisque virtutum floribus peridonei: sed probs esse debet terra, quæ suo hanc aquam in sinu accipit: non sit arenosa, nec glareosa, sed fertilitate gloriosa; ut non sentes, & vepreta nutriat, sed fructus bonorum operum producat; scitè D. Augustinus in Psalm. 95. *Quando pluvia venit super terram, si bona terra est, fructus bonos parit: nam si mala terra est, spinas parit; pluvia tamen dulcis est, & super fructus, & super spinas.* Quòd si donum scientiæ putei patiatur pellucidis laticibus; doctores Ecclesiæ flumina referunt; quia ita à divinæ sapientiæ exeunt mare intermino nullis clauso litoribus, ut reverti ad ipsum, suámque repetere originem debeant; de hisce fluminibus loquens Salomon: *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant:* æquum est, ut unde exierunt flumina, revertantur, ac reciproco undarum flexu ad caput pleno alveo, cursúque rapidissimo ferantur, primæque suæ origini quicquid acceptum habent referant: idque ad mentem nostram expendens S. Gregorius Magnus homil 5. in Ezechielem ait: *sive in virtute, sive in doctrina, quid aliud sunt sancti viri, quàm flumina, quæ terram cordis carnalium aridam rigant? sed sive in operatione, quam faciunt, seu in doctrinæ verbis, citius siccarentur, nisi per intentionem cordis semper sollicitè ad locum, de quo exeunt, redirent.*

Non solùm puteus profunditate sua Sym- 7
bolum exhibet doni scientiæ; verùm & ipsa putei aqua symbolicè divinam præfigurat legem, quæ divinæ scientiæ nobilissimus est fœtus: estque saluberrima hæc aqua cordibus eluendis perapta; ad quod nos vocat Isaias 1. vers. 16. *Lavamini, mundi estote,* quæ verba textus Chaldæus ad divinam legem transfert; cum

habeat: *Convertimini ad legem meam, mundabimini à peccatis vestris*: ad quod videtur Salvator ipse alluisse cum suos alloquens discipulos dixit Joan. 15. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*: verba Christi, ejusque præcepta, & consilia abluunt, mundant, abstergunt, & purificant si rité serventur, si eorum observantia sit nobis cordi: huc accersendus Richardus in Apocal. cap. 4. ubi ad rem nostram ait: *Sicut aquæ à sordibus lavant; ita verba scripturarum à vitijs purgant; unde Dominus in Evangelio discipulis suis dicit; jam vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis*. Quòd si elementariæ aquæ sordes abstergunt corporis; istæ mentem eluunt, corda purificant. Extinguendæ siti pares sunt pellucidi hi latices; mentem reficiunt, cui sunt solatio: si laboramus siti rerum humanarum hæc aqua æstus nostros depravatos extinguit. Si aqua necessaria est piscibus ut vivant; pet, inde hi latices hominibus necessarij, ne moriantur, ne pereant: quia sine legis observantia non vivit homo. Verùm aqua doctrinæ, ut salubris sit, ac suavis, rigandísque florum virtutibus apta, non in labris tantùm, vel lingua habenda est; sed in corde; unde David Psalm. 36. *Lex Dei in corde ipsius*. quæ verba expendens noster Agellius ait. *Neque enim legem Dei in lingua tantùm, & labijs habet, tanquam in arescentibus, ac deficientibus rivis aquam, sed de cordis perpetuo fonte aquam illam vivam, ac verba vivential perfundit; itaque cor solet Salomon fonti comparare. Aqua usque, profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons Sapientiæ.*

8. Speculo solet etiam pariari symbolicè scientia; quia si in pellucido, tersoque speculo faciei præsertim maculas videmus, quas abstergamus; errores fiunt nobis conspicui, quos corrigamus: periode beneficio scientiæ, quæ rectè agenda sunt novimus, ut eadem operemur; quæ verò mala, & fugienda, declinemus. Res nulla sive à natura facta, sive ab arte ficta reperitur, in qua magis ad vivum cuiusque personæ repræsentetur imago, quàm in speculo; quod si tersum politúmque fuerit non modò partes, lineamenta, magnitudo, notæ, colores, ut in statuis è ligno vel lapide fictis, & tabellis colorum varietate pictis in eodem repræsentantur: verùm etiam quod mirum videtur dictu, mores, affectus, gestus, motus, & ipsa ætas in eodem exprimuntur. Duo in speculo sunt, quæ miremur, repræsentandi facilitas; & rei objectæ perfecta similitudo; quæ in alijs artefactis minimè ita ad vivum nobis exhibetur, sive lutea, sive lapidea, sive coloribus sit imago depicta; deest enim luto vigor, saxo color, picturæ motus; in speculo verò imago non solùm nativos suos servat colores, qualitates, quantitatem; sed etiam objectæ speculo personæ motus, gestus, & nutus omnes; sitque ita mobilis, licèt vitro clausa, & ad omnem nutum domini sui morigera, ut hoc currente curratilla; hoc lugente, vel ridente, lugeat, rideátque illa; & omnes vultus lætantis, dolentis imitetur; neque unum dumtaxat vultum, quem primùm induit, eúmque immobilem, ac rigentem jugiter servat; sed tot mutat, variátque facies, ut ad omnem hominis se speculantis nutum, gestum, actum, risum, luctum, motum, quietem se accommodet, eique diligentissimè obsequatur. Quid ni? scientia, quæ nobis præsertim in sacris scripturis exhibetur, & à Divino Spiritu nobis impertitur, veluti speculum est, in quo nos ipsos, nostrásque actiones singulas aspicimus, quas ad normam virtutis componamus: scitè S. Laurentius Justinianus tract. de perseverantia cap. 4. *Est sacræ scripturæ scientia nobis à Domino exhibita, ut in ipsa intellectus nostri curiositas solidetur; & veluti in quodam speculo interna nostra facies videatur, & corrigatur. Ibi quid verum, quid falsum sit conspicitur. Ibi fœda, ibi pulchra cognoscuntur; ibi quantum intellectus proficiat, quantum capias sine offuscatione aperitur*. Speculo hujus scientiæ esse fœda corrigenda, & venusta plus ornanda, monet D. Augustinus Epist. 143. *Optimè uteris lectione divina (seu scientia Dei) si eam tibi adhibeas speculi vice, ut ibi veluti ad imaginem suam anima respiciat; & fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet*. Ita in sacræ scientiæ speculo nos spectemus, ut in nobis corrigamus, quæ emendanda nobis ostenduntur: alioquin sicut nil prodest escas præparare, & non reficii; ignem accendere, & non calefieri; ad fontem accedere, & sitim non extinguere; ita supervacaneum est nobis divinæ scientiæ speculum; nisi errores in nobis corrigamus, qui nobis in hoc speculo ostenduntur. Ita divinæ scientiæ speculum nostram nobis deformitatem objicit, ut in meliorem formam eam immutemus: opportunè rem hanc versat S. Isidorus Pelusiota cap. 135. *Quidnam igitur faciendum est? illud respondeam spirituale speculum; hoc est sacræ scripturæ scientiam, in qua, & proborum virorum historia, & salutares leges à Deo positæ continentur, perpetuo in manibus habendum esse: hoc enim speculum non modò deformitatem ostendit: sed etiam si velimus in incredibilem quandam pulchritudinem mutat.*

Scientiæ symbola plura ab alijs exhibentur. Blesensis Epist. ad Octavianum Ecclesiæ Cardinalem ait scientia gladius spiritualis est in manu potentis. Est pera, in qua David tres limpidissimos lapides posuit, quibus Goliathum prostravit 1. Reg. 17. Est alinæ mandibula, quæ Samson mille hostium stragem fecit Judic. 15. 15. Est vomer ille aratorius, quo Samgar sexcentus Philisthæos occidit Judic. 3. 13. 9.

Rabanus in Præth. lib. 2. c. 5. scientiam probam, & probatam sali symbolicè pariat; eo quia in carnis tellure sæculi luxum, vitiorum, fœcunditatem compescit; ait ipse *Salis natura in fœcunditatem terræ facit: Unde & in Psalmo scriptum est. Posuit terram fructiferam in salsuginem. Et quandam urbes ira victorum sale seminatas, ut nullum in eis germen oriretur. Allegoricè autem hæc bene conveniunt doctrinæ Apostolicæ, ut destructis adversariorum munitionibus, & peccati regno dejecto, sale Sapientiæ compescat ultra incarnis* 10.

carnis humanæ terra sæculi luxum, & fœcunditatem vitiorum.

21. Philippus Abbas Bonæ spei Epist. 4. ad Engelbertum Symbolum doni scientiæ ponit collyrium; quia si hoc oculi corporei maculas abstergit; scientia oculum mentis purgat, ae illuminat: ait ipse. *Utinam omnes qui mancipantur studio litterario sic studerent, eo fine multiplices Scholarum angustias sustinerent: ut scilicet oculus eorum interior infuso scientiæ collyrio mundaretur, & ad videndum Deum promptior, & defæcatior videretur.* Sunt qui scientiam in Scholis emancipantur;non tamen, ut virtute perficiantur; sed ut vanitate inflentur: etenim de scientia, quæ inflat, & quæ ædificat hæc habet S. Augustinus ferm.73. de verbis Domini: *scientia inflat si levis est: ædificat si solida:* hoc est scientiâ mundi intumescit homo, qui Dei scientiâ excrescit in virum perfectum. Neque dictionum aucupes, neque verborum lenocinijs demulcentes, neque Dialecticæ argumentis persuadentes, neque perorandi facultate se gloirentes, sapientes appellandi sunt; sed ij qui rectè operantur; nec eliam sciunt Philosophiam, quàm Christum crucifixum: vocandus huc S. Petrus Damianus ferm 57. *Nos autem fratres Charissimi, qua Philosophia nostra Christus est, & hic crucifixus; ideo magistros habemus, non oratores, sed Piscatores, non versutos, & eloquentes, sed mutes, ac simplices.*

22. S. Ephrem scientiæ Symbolum ponit lucernam lumine splendidam, & quâ lit eundum ostendentem Psalm. 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, seu scientia tua mihi impertita, *est lumen semitis meis.* ubi S. Ephrem alloquens Prophetam ait: Quid dicis Propheta? lucerna nonne oculie lucet? nunquid oculi pedes habent? quo igitur pacto omissis oculis,visum pedibus attribuis? sed rectè ait lucerna pedibus meis, quia pedes animæ sunt oculi intellectuales: tunc anima feliciter procedit; cum lux oculorum ad pedes transit: parum enim prodest multa videre, & scite, nisi ad eadem pedibus contendatur: seu nisi id exequamur,quod noverimus nos ad salutem perducere. Hinc apud Ezechielem 18. Seraphini, seu viri perfecti, & amantes virtutis dicuntur manus habere sub pennis: *& manus hominis sub pennis eorum:* dicuntur manus sub pennie habere; quia voletui speculationum operationem, seu exercitium adnectunt virtutis: operatio manus est, quæ scientiam mentis fulcit; propterea pluris à Deo fit operatio, quàm scientiæ gloriatio: neque ex scientia, sed ex operibus Deus suos metitur; idque fortassis causæ,cur Moysem Pharaonis Deum dicere maluerit, quàm Aaronem, litet iste in ordine Ecclesiastico supremus esset Sacerdos, ac propiùs ad divina accederet: quia Moyses majora operabatur; & Aaron elegantiora loquebatur: major operum, quàm verborum habetur ratio apud Deum: Deo est similis, ejúsque omnipotentiam refert qui grandia operatur, non qui grandia loquitur. Ven. Beda expendens verba 2. D. Petri 1, 9. *Cui non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans* ait per scientiam oculum; & per manus operationem designari, Non sufficit sola scientia, neque stat, nisi operibus manuum fulciatur: etiam struthio suis ornatur plumis, per quas scientia præfiguratur; & tamen in veteri lege Levit. 11. 16 habebatur animal immundum; quia pennæ volatui, seu operationi sunt impares; non enim struthio in sublime elevatur, ut cum reliquis volucribus aëra pervolet. Vel licèt pulcherrimæ illi pennæ insint; hæ tantùm capitis inserviunt ornatui, non volatui; imò nec manui ad literas exarandas, ad scribendum, & operandum.

Per osculum etiam symbolicè innuitur 23. scientia non tamen desidiosa, sed officiosa, & affectiva Cant. 1. 1. *Osculetur me osculo oris sui* vult osculari osculo, seu operatione amoris, cujus osculum est tessera: scientiam expetit, sed quæ amorem comprehendat. Notant Expositores, Hebraicum verbum Nasak non tantùm osculari significare,quàm erudire. Interpres potiùs dixit osculetur me, quàm erudiat me; quia amans Deum non quærit solam scientiam, quia hæc si sola sit potius inflat, quam ædificet; neque cupit erudiri, nisi ut vehementius possit amare, quia charitas est quæ ædificat: hinc Apostolus 1. Corinth. 13. 2. ait: *Et si habuero omnem scientiam; charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.*

EXPENSIO XIII.

Exhibentur pleraque Symbola deprompta ex sacris literis,quibus donatur explicatu donum Pietatis, ut oppositum Ira.

Pietas ut est speciale donum Spiritus sancti 1. exhibet Deo cultum per instinctum Spiritus sancti in casibus extraordinarijs, in quibus hujusmodi cultus non regulatur à prudentia acquisita, nec simpliciter infusa: ut si quis ex speciali Dei instinctu perseveret in oratione per plures annos, vel usque ad mortem, Id enim prudentia acquisita,vel simpliciter infusa non dictat: talis fuit oratio Danielis Stilitæ, de quo fertur, stetisse supra columnam sub Dio frigido, & in fundendis Deo precibus perseverâsse donec mortalitatem corporis exueret. Tunc hujusmodi oratio non est actus religionis; sed doni Pietatis. Differt hoc donum etiam à virtute religionis; quia hæc respicit cultum Deo exhibendum, ut primo rerum omnium principio, & supremo Domino, cui competit jus, & dominium dispoticum in res omnes, quæ propterea quoad esse, & conservari ab ipso dependent. Donum verò Pietatie exhibet cultum Deo, pro ut præcisè est in se magnus, quomodocumque se gerat in nos, eum quadam quasi nuditate, & annihilatione omnium attendendo tantùm ad ipsum, ejúsque infinitam magnitudinem juxta illud David Psal. 33. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in id ipsum.* Id est non propter ea, quæ nobis tribuit, nec juxta mensuram beneficiorum, quæ ab eo recepimus nostra ipsi exhi-

exhibemus obsequia, eúmque colimus, sed propter suammet infinitam bonitatem, & magnitudinem. Hæ diversæ rationes colendi Deum differit Joannes Apocal. 4 *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia*; & hoc perinde est, ac cautè religionis debita obsequia Deo præstari, quia creavit nos, & est author naturæ. Præterea cap. 15. ait Joannes: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes*: ex quibus liquet, virtutem religionis ad Deum laudandum, & colendum excitari ex beneficio supernaturali redemptionis: & quia nos facti sumus regnum Dei per gratiam. Sed donum Pietatis hisce omnibus omissis, gratias agit Deo, quem colit, quia in se magnus est, & pius Apoc. cap. 11. *Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, qui eras, & qui venturus es, quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti.* Ubi cultus & gratiarum actio non redditur Deo propter hæc, vel illa beneficia nobis impertita: sed quia in se magnus, summè bonus, & pius; & propter gloriam suam: unde Ecclesia in hymno Angelico canit: *Gratias agimus tibi, propter magnam gloriam tuam.*

2. Symbolum Pietatis ponitur hortus ad omnem quidem amœnitatem consitus, sed qui initio veris exigat à sole foveri, cujus benefico calore areolæ suos è sinu enitantur fœtus, emittant flores; quibus ad omnem vestiantur elegantiam; addito lemmate, quo hortus solem alloquens emergens ab horizonte in signo Arietis, ait: *Aspice ut aspiciar*: quia tunc hortenses aspicimus areolas, cum florentes rident, nobisque arrident; cum exhilaratis auris, vernisque teporibus emicat sidereum telluris coronamentum, & festivè adolescunt, & gliscunt flores, alij in gemma nascentes, alij ex hyante jam calice promicantes, plures rupta vagina pubescentes, alij foliorum pompa superbientes. Genes. 2. 8. *Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis, in quo posuit hominem*, qui pietate Deum coleret, & omnia sua obsequia ei præstaret, & reliquarum virtutum flores excoleret. Est Pietas una, & multiplex, ut pote quæ se latè explicat ad reliquas omnes virtutes; si pietas laxè consideretur, quatenus cultum Deo debitum per actus fidei, spei, charitatis, ac reliquarum virtutum exhibet: est enim veluti excultus hortus in cujus irriguo sinu flores vernant cæterorum virtutum. Blesensis loquens de pietate, quæ vel maximè in claustris excolitur, fovetúrque Religiosorum ait Epist. 13. ad Monachum Novitium. Vidi paradisum quatuor Evangeliorum fluentis irriguum; imò totidem spiritualium rivis exuberare virtutum. Vidi hortum germinantem diversas delicias, rosarum, ac liliorum gratias; ut de illo valeat Deus omnipotens dicere Genes. 27. 27. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

3. Margaritæ, seu unioni solet Pietas symbolicè comparari Matth. 13. 45. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas*: neque putes, hanc pretiosam margaritam quid aliud esse, quam Pietatem, qua nostra omnia obsequia Deo exhibemus, & illi soli adhæremus: pro hac una margarita omnia damus, seu nos ipsos Deo, & omnia nostra obsequia. Est enim hæc pietas, qua Deo inhæremus, uti margarita gemmarum pretiosissima, candore insignis ob culturam castitatis, lævore pulcherrima, quia sine scabritie imperfectionum; sphœricitate singularis, quia cœlum, cui enixim inhiat, nititur æmolari: est hæc pietas sancta, pura, immaculata; quâ homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quiescit securius, moritur fiduciùs, & præmiatur copiosiùs. In his potissimum elucet Pietatis indoles; ut divinis submittat humana; terrenis præferat cœlestia; fluxis præponat æterna; ac hanc qui quærit, regnum cœlorum inveniat. *Simile est Regnum cælorum homini quærenti bonas margaritas*, seu studio pietatis innitenti.

Illustre habetur etiam pietatis Symbolum scala prope Luzam Jacobo Patriarchæ somno sopito objecta. Iras declinaturus Esaui fratris ob præreptum pio dolo natalium primatum iter ad Labanum socerum instituerat Jacob, cum prope Luzam orbem pervenisset, defatigatus ex itinere; idoneum sub dio locum seligit, quietem lassis corporis membris daturus; pulvilli loco lapidem capiti subjicit: mox somno sopito scala objicitur è terra in cœlum protensa, quot gradibus, tot arcanis plena mysterijs; commeabant per eam sursum, deorsum cœlites Genij inclinante Deo cacumini scalæ suam majestatem. Non me latet, plures esse mysticas hujus scalæ expositiones, quarum præcipua est ut hoc ostento præsignaretur Messias olim nasciturus, in cujus persona duæ naturæ Divina, & humana simul in unum hominem Jesum Christum copularentur; & cœlum terræ uniretur, quò homo terrenus cœlestis fieret exercitio virtutis, & præsertim studio pietatis, quâ homo singula sua obsequia, séque totum Deo offert; & per hanc piam oblationem cœlum veluti per Jacobæam scalam inscendat: neque aliud sunt gradus hujus scalæ quàm virtutes, quarum exercitia pietas promovet, ac Deo offert; per hanc scalam ascendunt Angeli Pietatis oblationes Numini exhibituri; & descendunt Genij cœlites delaturi ad homines pietatis, ac reliquarum virtutum cultores Dei beneficia. Est munus Pietatis per exercitia virtutum, veluti per totidem scalæ gradus sursum cœlum inscendere, & omnia sua Numini offerre; eò quia sit summè magnus, & bonus scitè S. Gregorius Nazianzenus: *Deo, qui omnia creavit, à quo omnia, & in quem omnia, nullum satis dignum munus offerri potest; non modò, si unius hominis opes in eam rem impendantur; sed neque, si omnibus omnium hominum opibus, & operibus in unum cumulatis, eum honorare quispiam vellet.* Gregorij assertum nervoso argumento evincit Salvianus ad Eccles. lib. 1. inquiens: *Quia etiam quod homo habet Dei, ac Domini sui munus est; ac per hoc in his, quæ offeruntur ab homine; homo non suum reddit, sed Dominus suum recipit. Itaque cum offert quispiam facultates suas; non offerat quasi*

præ-

præsumptione donantis; sed quasi humilitate solventis: nec absolvere peccata sua credat, sed allevare; nec offerat cum redemptionis fiducia; sed cum supplicantis officio: neque quasi totum debitum reddere, sed quasi vel parum de magno reddere cupiat. Quia & si tradat quod habet; pro modo rerum non reddit, quod debet pro magnitudine peccatorum. Sed dicet aliquis. Totum ergo est oblaturus Deo quod habet? Non offerat totum, quod habet; si non putat, se debere totum quod habet. Cæterum universum pietatis exercitium scalam exhibere Jacobæam, & hanc Symbolum haberi pietatis edisserit S. Basilius in catena aurea in Psal. 1. inquiens: *Pietatis exercitium (dixerim ego) scalæ persimilem esse: scalæ inquam illi, quam vidit Beatus Jacob, cujus pars humilis, & terræ contigua erat; pars ad Cœlum usque protendebatur. Quamobrem opus est, ut qui in virtutis viam inducendi sunt, in primis gradibus vestigia inferant; & inde semper altiùs scandant; donec ad accessibilem humanæ naturæ celsitudinem semper proficiendo conscendant.*

5\. Oleo symbolicè pariatur pietas. Deuter. 32.13. *Oleumque de saxo durissimo*, quod vitis adaptatur pietatis cultoribus, quos Deus constituit super excelsam petram, ut fructus carpant cœlestes, & divinæ consolationis melle pascantur, oleóque cœlesti, seu dono pietatis perungantur: est durities petræ, mundi tribulatio, quam vir pius à Deo constitutus super excelsam petram, seu magnam tribulationem pede premit, usque ad sui, & mundi victoriam. Est durities Petræ veluti scopulus marinis ex fluctibus emergens, cui innixa Pietas mundi fluctus, & adversitatum procellas frangit, vincitque; solet mundus pelago comparari, eò quia variis adversitatum fluctibus agitetur; & homines in hujus pelagi sinu piscibus, qui hisce innatant aquis; quia sicut pisces in aquis vivunt, extra aquas moriuntur; ita viri Pietatis culturæ addicti in aquis adversitatum, ac tribulationum, quò vitam consequantur æternam inveniunt, per meritorum incrementa; peritè S. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 1. *Ergo tibi seculum hoc mare est. Habet diversos fluctus, undas graves, sævas tempestates; & tu esto piscis, ut seculi te unda non mergat.* Aqua nisi moveatur, agitetur, aut excurrat vitium contrahit; & si subsidet ab ea deficit salubritate, quam suo hausferat è fonte; & ab ea discedit perfectione, quâ prædita est illa, quæ movetur, fluitque; marcescit enim, quæ subsidet aqua. Quid ni? etiam pietatis cultor nisi veluti aqua tribulationum, & afflictionum agitetur, sed torpeat noxia quiete corrumpitur; & ea destituitur perfectione, qua fluens aqua prædita est: idque edisserit S. Chrysostomus, cujus verba huc afferri non abs re possunt: ait ipse in Psalm. 14. *Aqua quæ consistit, & non meat, est noxia; sed quæ movetur, exhauritur, & per tubos, & aquæ ductus transmittitur, non solùm ea salubris est; sed & visu, & tactu, & potu est jucundior, sæpe enim vincit naturam afflictio.*

6\. Virtutis excellentia in aquis ærumnarum; fluctibusque adversitatum probatur; quia virtus hisce non mergitur fluctibus, quibus licèt videatur plerunque obrui, firmior emergit; p[...] siquidem adversitatum animo firmando p[...] præleterunt roboris; & pietatis cultor hisce pulsatus fluctibus perficitur, magisque firmatur in studio virtutis, perinde ac ferrum candens obdurescit firmiùs frigidæ aquæ aspersione: huc accersendus S. Gregorius Nazianzenus orat. 21 ubi ait: *Generosior redditur animus Philosophi* (dixerim viri pietatis studio addicti) *ipsa laborum tolerantia; firmatúrque periculis, uti ferrum candens frigidæ aspersione.* Aqua sive pluvia, sive fluvialis suis latibus arbores nutrit, reficitque ad vitam; sed myricam dicitur interficere. Victorinus in catena Græca cap. 17. expendens illud Jeremiæ: *& erit instar myricæ in deserto*; ait: *Myrica mori dicitur cum imber supervenerit*: Myricas dixeris æmulari quotquot ab aquis adversitatum non vitam hauriont, sed mortem ebibunt; quia nequiores fiunt, dum aquis perpluuntur adversitatum. Pietas verò quia symbolicè oleum à nobis asseritur, non mergitur hisce tribulationum aquis, nec obruitur; sed naturam induens olei iisdem innatat citra læsionem; imò eum emolumento auctæ virtutis; ait S. Augustinus in Psalm. 19. enarr. 1. *Si aquam mittas super oleum pondere suo in ima tendit: locum enim suum quærit; ordinari quærit, quia præter ordinem est aqua super oleum. Donec ergo veniat ad ordinem suum, inquietus motus est, donec teneat locum suum. Contra oleum fundes sub aqua, non se patitur oleum subter. Quomodo aqua super oleum missa, pondere suo ad ima locum suum quærit: sic oleum subter aquam fusum pondere suo ad summa locum suum quærit.* Perinde Pietas, quæ nobis symbolicè est oleum, non sinit aquis adversitatum obrui, nec fluctibus tribulationum mergi; sed iisdem innatans mergi nescia sursum enavigat, donec malaciam cœlestis portûs appellat.

Pietatis symbolum produci itidem solet 7.
ipsa aurora diei mater Cant. 6. 9. *Quasi aurora consurgens pulcra, ut luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Pariatur symbolicè Auroræ, quæ diei prodroma, solis nuntia emergit ex orientis horizonte pexis capillis, radiante vultu, argenteo vecta curru, quem bini albentes equi trahunt, ipsaque sedens utraque manu flores spargit, quibus rident horti, arrident prata. Est pietas incipientibus dare operam culturæ virtutum aurora, quæ excussis noxarum tenebris, ac ignorantiæ umbris lumen perfundit, quò surgentes è tenebris, & umbra mortis, seu peccato pericula vident labendi, quæ caveant; & virtutum semitas aspiciant, quas percurrant: sed pietas, quæ incipientibus est quasi aurora consurgens, provectioribus est *Pulchra ut Luna*, quæ suum à sole lumen mutuatur: in perfectis *Electa ut Sol*, quia radiis omnium virtutum corusca; & calore charitatis fervescens; sed contra vitia quæque: *terribilis est ut castrorum acies ordinata*; quia eorumdem umbras fugat, caligines dissipat, tenebras abigit.

Scio vitium nubi comparari à Jeremia 8.
Thren. 3. 44. *Opposuisti nubem tibi*, vocantur vitia, & peccata nubes, quia tunc veluti atri vapores ascendentes ex pravo corde, quasi ex terra palustri: quia si nubes solis aspectum nobis adi-

adimunt: peccata lucem divinæ gratiæ nobis impediunt: si è nubibus tonitrua, grandines, & fulmina prodeunt: ex acervatis peccatis prosilit ira Dei, & ex ira justa punitio, bella cruenta, clades sanguineæ, strages enormes, fames corrodens, & enecans; lues lethalis; ægritudines interficientes: est enim peccatum Pyxis illa Pandoræ, è qua tot scelerum portenta, & supplicia, fames, bella, pestis; mille calamitates, ærumnæ, cædes, morborum agmina, & mors ipsa proruperunt: In has igitur vitiorum phalanges insurgit Virtus pietatis *terribilis ut castrorum acies ordinata* ad vitia quæque, vel fuganda, vel prosternenda. Quòd si Aurora, quæ symbolum præsefert pietatis unà cum floribus roscidos spargit imbres: Pietas flores reliquarum virtutum non solùm excolit; sed & imbres elicit lacrymarum, quibus noxarum maculas abstergat; lacrymæ quas pietas elicit, non solùm æstum extinguunt insolescentis concupiscentiæ, verùm etiam maculas lavant, & abstergunt, quas per patratas noxas contraximus: appositè D. Chrysostomus homil. 5. de Pœnit. *Rogum peccatorum extinguimus non jam aquis multis, sed paucis cum lacrymis: multum enim peccati ignem modica extinguit exigua lacryma: nam lacryma rogum extinguit peccatorum:* & serm. 2. de mysteriis Cœnæ Domini ait: *Lavant lacrymæ congeriem peccatorum.*

9. Utiles tamen ut sint lacrymæ cœlom tantùm sapiant; quia si terram spectaverint, virtutem suam amittent, ut innuit Petrus Cellensis lib. 12. de Panibus, ubi ait: *sterilis est omnis effusio lacrymarum, quæ non effunditur propter regnum cœlorum: Inanes sunt lacrymæ, quas damnum, vel incommodum extorquet temporale. Non igitur aqua Jericho hujus mundi, sed de paradiso sit tibi panis, & refectio.* Lacrymarum pluvia tunc salubris est, & rigandia virtutum floribus in horto cordis nostri apta, cum ignis charitatis è pietatis cœlo eam effundit. Legimus in libro secundo Machab. cap. 1. ignem in aquam crassam mutatum; fuit aqua illa figura lacrymarom, quas pietas ex igne elicit charitatis; est aqua, quæ ex Divini amoris igne generatur: pulchrè S. Petrus Damianus loquens de lacrymis, quas amor divinus elicit, ait: *Hic ignis in aquam vertitur; quia ex aqua divini amoris lacrymarum compunctio generatur. Et notandum, quòd non pura dumtaxat aqua, sed crassa aqua narratur illic fuisse reperta; quid enim crassa est aqua nisi lacrymarum compunctio? divinæ proculdubio gratiæ pinguedine saginata.* Plurimum præseferunt utilitatis lacrymarom pluviæ, quæ è Pietatis cœlo ad nos derivantur; hisce pluvijs irrigata tellus cordis nostri flores germinat virtutum, ac fructibus ditescit bonorum operum: Hæ Juditham munierunt, ut vincere Holofernem valeret: dederunt fœminæ robur, & vires, ut in tam magno discrimine intemeratum custodiret castitatis lilium; illæsam servaret pudicitiam, quæ in principum cubiculis præsertim post plures exsiccatos calices solet vel naufraga perire, vel multum referre nocumenti: Audiendus S. Petrus Damianus opuscul. 13. cap. 12. *Lacrymæ contulere Judith, ut caput absciderit Holofernis; & intra cubiculum luxuriantis illecebræ florem non amitterat pudicissimæ castitatis, & castissimæ pudicitiæ.* Quàm utilis & salubris est roscidus imber, quem in cordis nostri tellurem Aurora, ut Symbolum præseferens pietatis effundit.

Velleri lanæ etiam symbolicè solet pietas 10. pariari Judic. 6. 37. *Ponam hoc vellus lanæ in area* lanæ vellera viros præfigurant pietati studio addictos, qui debent esse molles, ac flexiles ad parendum superioribus. Agnata pietati est obedientia: qui pius in Deum est; paratus est etiam ad obediendum: est enim obedientia hominis ad Deum affectio voluntatis Deo conjunctæ: obedientia verò hominis ad hominem est debita reverentia minoris ad majorem. Homo in Deum verè pius, verùsque obediens, inter caligines, quas offundunt animi affectiones inter errores, quos efficiunt depravatæ cupiditates; inter ignorantiæ tenebras, quas mundi illecebræ spargunt, inoffenso pede procedit, quia superioris nutui obtemperans, non hallucinatur, quia obedientia ducitur, quæ vicaria est divinæ sapientiæ: *Neque verus obediens* (ait D. Bernardus de præcept, & discipl.) *attendit quale sit, quod præcipitur; hoc solo contentus, quod præcipitur. Verus obediens,* ait D. Bernardus in cant. *dat suum velle, & suum nolle, ut dicere possit: paratum cor meum Deus, paratum cor meum; hoc est paratum quodcunque præceperis facere.* Rorsus lanæ vellus est quid humile, & pietatis cultor præ cæteris humilitati est addictus, quia ut scitè sanctus Dorothæus Doct. 14. *Sanctorum omnium profectus ad humilitatem est accessus.* Vir pius, & humilia objicit se omnium conspectui, ut omnibus sit despectui; & ut aliquid faciat, nihili se ipsum facit, & vacuum quod natura abhorret in se ambit, quo flocci ab alijs æstimetur. Tunc Deus hominem respicit, cum animus se despicit; inest Deus ei, qui sibi deest. Lanæ vellus in area rore maduit; & vir pius, & humilis rore divinæ gratiæ imbuitur.

Margarita, seu unio in sinu conchæ Symbo 11. lum itidem habetur pietatis; quia uniones quamvis in mari nascantur, plurimum tamen habent cognationis cum cœlo, cujus faciem reddunt; adeout si unio enitatur cœlo nubibus fœdo, quamdam & ipse contrahst obnubilationem, quâ non modicum de proprio perdit candore; quem absque macula induit si cœlo sereno nascatur. Quid ni vir pius magis à cœlo pendet, unde originem ducit, & à Deo unde venit, quàm à terra, in qua vivit. Est pietas pretiosa illa margarita quam empturus Evangelicus negotiator vendit omnia, quæ habet, pretium ut exhibeat emptionis. Sed quàm pretiosa sit hæc margarita ex eo conjice, quòd ejus pretio venale sit regnum ipsum Cœlorum. Est siquidem Pietas, quæ per exercitia reliquarum virtutum pretium solvit earumdem, quo cœleste regnum emimus, ejúsque donamur beatitate. Margarita, seu unio una cum matre concha in aquis oritur, adolescit, perficitur: & Pietas aquis innatans tribulationum irrigatur felicior, crescitque venustior: si vita nostra veluti mare varijs adversitatum fluctibus agitarur: viri pietaris cultores margaritas in eodem referunt; nihil mali, nilque

nilque detrimenti ab hisce aquis patiuntur; nil incommodi ab istis fluctibus sentiunt: Peritè S. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 1. *Ego tibi sæculum hoc mare est. Habet diversos fluctus, undas graves, sævas tempestates; & tu esto piscis; esto margaritum in sinu conchæ clausum; ne sæculi te unda mergat.* Magnos facit, & excellentiâ pretiosos hæc tribulationis aqua, quia homines vitijs evacuat, & Dei gratia, cæterisque virtutibus implet, ut innuit D. Augustinus in Psalm. 55. *Ad hoc exagitat tribulatio, ut exinaniat vas, quod plenum est nequitia; & impleatur gratia.*

12. Viri pietati studentes in hujus aquæ fluctibus margaritas, seu uniones æmulantur, quia molles, ac flexibiles sunt divinis monitis obsequentes: quin imò vel ipsi impij fluentis tribulationum obruti mites fiunt, qui extra has aquas duritiem contrahunt, ut vix frangi possint: talis fuit Pharao, qui aquarum fluctibus, seu tribulationibus agitatus, mollis, ac flexibilis evasit, ut rogari pro se peteret Exod. 8. sed vix ab hisce aquis emersus, iterum obduruit pervicacior, ut diceretur; induratum est cor Pharaonis. Non tamen uniones referont, qui ægritudine laborantes, & in lecto decumbentes, veluti aquis inuatantes flectuntur molles ad opera pietatis; qui pristinæ mox restituti sanitati, propriæ oblivisscuntur salutis; & in pristinis obdurescunt sceleribus: opportunè huc accersitur Petrus Berchorius lib. 19. Reductorij moralis, ubi ait, *Margarita in aqua mollis est, maximè dum est in viscere matris, duratur autem eviscerata: tales sunt mali, quia pro certo dum sunt in aqua tribulationum molles, & benigni sunt; si verò inde extracti fuerint, per obstinationem protinus indurescunt.* Heliotropium iisdem inter pietatis symbola recenletur: quia sicut pharmacopolijs notissima est herba ad omnem solis motum tam stricta religione caput suum circumferens, ut solem etiam nubibus obductum nunquam non aspiciat; sed jugiter solem sequatur cœli percurrentem itinera, sive occidat vespere, sive oriatur manè; ac propterea etiam sponsa solis dicatur: perinde anima pia convertitur perpetuò ad solum Deum, quem respicit ut suum solem. Neque longiùs necesse est procedamus, ut divinum solem intueamur, quia nobis semper adest; nostrisque interest, quin etiam inest: imò non tantùm nobis est proximus, sed etiam intimus Actor. 17. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus;* unde quocunque movemur, in ipso movemur, nec possumus ab ipso sejungi.

13. Voluntas humana si errare nolit, necesse est, ad omne momentum, omnes suos nutus, & actus ad hunc dirigat solem, ut quivis ejus motus sit illi conformis; nec quidquam velit nisi quod ipse vult: estque hæc sapientia inexpugnabile scutum contra omnia, & singula adversa, contra hostes omnes: si voluntas viri pij id tantùm velit, quod Deus vult: nil poterit ei obtingere quod eidem non sit profuturum. Scio, plerosque gradum ad Christianam moliturus perfectionē, exercitia vel maximè commendare patientiæ, eò quia præsentissimum sit alexipharmacum, imò probatam panaceam morbis omnibus curandis peridoneam; & illis non dissentior: alios commendare obedientiam, eò quia reliquarum virtutum ad se trahit cumulatum; & benè alios animi Demissionem, eò quia fundamentum sit vitæ sanctioris; & hoc non improbo alios veluti in solium evehere Justitiam, eò quia nec latum unguem abscedat unquam ab æquitate, déique cuique suum; & rectè alios unam reliquis virtutibus charitatem præferre; eò quia sit ipsa anima, & spiritus reliquarum; & id non inficior: sed compendiosiorem viam ad Christianam perfectionem, nobis aperit exhibitum pietatis Symbolum heliotropium, nos edocens sequi in omnibus Dei voluntatem, nec quid aliud velle nisi, quod vult Deus.

Id proprium pietatis; divinis submittere humana; terrenis præferre cœlestia; fluxis præponere æterna, ut Deo offerat non solùm omnia sua, sed etiam se totū, suásque omnes potentias, & actus; adeout voluntas viri verè pij alia non sit, quam ipsa Dei voluntas, cui propriam subjicit, & perfectè conformat: est enim hæc humanæ voluntatis ad divinam conformatio, quæ suaviter docet præstare se semper in utrumque facilem; omnia velle cum volente Deo; & cum eo nolente nolle; in quo uno omnis divinę humanique juris peritia consistit. Hac humanæ voluntatis ad Divinam consonantia totam secum trahit reliquarum virtutum cohortem; & vitæ atringit perfectionem, quam Plato in Phileto, definit, Dei assimilationem: ait ipse: *Mortalem hanc naturam, & hunc inferum locum, malum circumstat necessariò, & adhæret. Ideo conandum quàm celerrimè hinc illuc fugere. Fuga autem Dei assimilatio.* Is vero Deo assimilatur, qui propriam voluntatem in omnibus divinæ subjicit; huic unicè studet ad divinæ voluntatis perpendiculum omnia agere; id tantùm velle quod vult Deus, & id nolle quod non vult Deus: hæc est illa pædagogia, quâ discimus, quomodo debamus nos gerere æquè in adversis, ac lætis: in omnibus sive prosperis, sive adversis vir pius se totum, suáque omnia Deo reddit, à quo acceperat: neque facilè delinquit, qui sua omnia Deo derelinquit; nec quicquam perdit, qui totum quod habet, dat Deo, à quo acceptum habet. 14.

EXPENSIO XIV.

Symbolicis comparationibus explicatur Timor, ut est donum Spiritus sancti oppositum peccato superbiæ.

VLtimum Spiritus sancti donum dicitur donum Timoris, habétque duos actus, primarium unum, alterum secundarium ex doctrina Angelici Doctoris 3. part. quæst. 7. art. 6. Actus primarius est subjectio reverentialis ad Deum ob divinam, supremámque eminentiam non tamen simpliciter, sed cum addito, seu ut potentem infligere malum, saltem iptum non esse, quatenus potest in pristinum suum nihil creaturas redigere; cum non sit Deo difficiliùs in nihilum reducere creaturas omnes, ac illas è nihilo traducere ad illud esse possidendum, 1.

dum, quo à Divina Bonitate fuit ijsdem impertitum. Actus secundarius est refugere malum culpæ possibile, aut pœnæ propter culpam. Timor quoad actum primarium fuit in Christo, & remanet in Beatis; adeo ut dixerit Job 26. *Columnæ cœli pavent, & contremiscunt ad nutum ejus*: per columnas cœli sancti Angeli intelliguntur, & cœlesti beatitate donati ut edisserit S. Gregorius Magnus 17. Moral. cap. 1 inquiens: *Columnæ cœli contremiscunt ad nutum ejus: ipsæ enim virtutes cœlestium, quæ Deum sine cessatione conspiciunt, in ipsa contemplatione contremiscunt. Sed idem tremor, ut eis pœnalis sit, non timoris est, sed admirationis; quia scilicet admirantur Deum, ut supra se existentem, & in eis incomprehensibilem.* Quoad actum secundarium hujus doni; proprium ipsius est reddere hominem cautum, & castum sine nævo, absque macula: beneficio enim ipsius, delicta etiam minima, quæque ob facilitatem veniæ obtinendæ vocantur venialia maximi facimus, ut ea caveamus.

2. Timoris Domini Symbolum Fontem exhibet sanctus Bernardus serm. 1. Dom. 1. post Epipha. ubi vocat timorem Dei fontem aquæ vivæ, quæ tametsi minus sapida, plurimum tamen præsefert utilitatis ad animam refrigerandam noxijs æstuantem desiderijs. Subdit D. Bernardus divina virtute aquam mutari in vinum, *quando perfecta charitas foris mittit timorem*. Est fons iste fons vitæ, à quo sitientes sapientus hauriunt, quibus Deo vivunt, & æstu concupiscentiæ extincto pravis moriuntur desiderijs. Hinc aiebat David Psalm. 1. v. 1. *Beatus vir qui timet Dominum* vocat Beatum non qui divitijs in mundo affluit, dignitate in aulis principum eminet, honore in civitate insignitur; scientijs in schola eruditus floret; sed qui timet Dominum, qui in hoc pellucido timoris Dei fonte latices bibit, & terrenarum omnium deliciarum sitim extinguit. Quos mundus fontes exhibet, si de summo vertice prærupti montis in subjectam planitiem delabantur, plus habent murmuris, quo aures pulsant; quàm solatij, quo mentem reficiant; quia vel ipso obmurmurante lapsu deprædicant lapsui obnoxia esse, quæ mundus potest solatia exhibere. Si eorum scaturigo è demissæ rupis disrupto sinu modestis desultibus prorumpat, ejus frigidi latices in subjectũ scrobem conchæ simillimum effunduntur, cujus cespido flosculis variata, gramine vestiatur, herbisque tenellis luxurietur; adhuc laticum fluxus, nos edocet, nil stabilis nilque permanentia inesse mundi solatijs, larvatisque suis voluptatibus, quibus homines allicit, & decipit. Si salientes fontes relabantur in æneũ, vel marmoreum craterem; è cujus labro caduci latices velis instar tenuissimi expanduntur, ac demittuntur in subjectam piscinam; quam syphunculi ornant; adhuc liquoris illecebra siti extinguendæ habetur inidonea; quia soli latices è fonte timoris Dei scaturientes nostram extinguunt depravatam sitim, quâ mundi caduca sitimus. Est timor Dei fons vitæ, quia bibentes ejus latices sitim extinguunt rerum temporalium, quæ ad interitum ducunt; & desideria nutriunt æternorum, quæ ad vitam perducunt; quapropter David Psalm. 2. 11. nos monet, ut hujus fontis aquam vivam bibamus; *Servite Domino in lætitia*: Brevis, sed plena utilitatis commonitio, quâ Deo amabili timore servitur: quia ut ait Cassiodorus expendens verba Davidis: *sicut remissa securitas culpas admittit; ita timor desiderabilis delicta semper excludit.* Et ne Dei servitium durissimum, ac tristissimum fortè judicaretur subjunxit: *Et exultate ei cum tremore*, quia Dei timor non ad mortem ducit, sed ad vitam perducit; non tristitiam secum vehit, sed lætitiam invehit; quia beatos efficit; & sanctos perficit. Hunc timorem edocturus homines, non ut magister, nos suos vocat discipulos; sed ut Pater filios Psalm. 33. 12. *Venite filij audite me; timorem Domini docebo vos;* quia non est timor ille qui formideror, ne discipulus vapulet à magistro; sed qui diligatur ut à patre derivatus in filium. Timor humanus amaritudinem propinat, iste dulcedinem; ille ad famulitium adigit, iste ad libertatem trahit; ille claustra metuit, hic cœlorum regna patefacit.

Anima, quæ hujus fontis timoris Dei aquam ebibit non solùm æstus refrigerat, & extinguit depravatæ concupiscentiæ; sed fit & ipsa veluti fons jugiter fluens in Dei obsequia; in quibus sistere nescia ad sublimiora semper proficit; peritè Richardus Victorinus in Cant. cap. 30. expendens verba illa *Fons hortorum puteus aquarum viventium*, ait: *Fons est anima devota, quæ manet in timore Dei, & manat, ac fluit: semper in Deo renovatur. Meditatur enim, & operatur bonum; vel desiderio ad anteriora fertur. Fons iste non cessat ebullire, & erumpere ad Dei amorem, ad proprium excrescere, & dilatari ad proximi dilectionem.* Et quia in obsequijs Deo præstandis initijs suis affines debent esse fines; ideo in amoris cantico sponsa, quæ priùs dicitur *Fons signatus* postea vocatur *Fons hortorum*, quò intelligeremus fontem initio fuisse, nec temporis interstitio desiisse esse quod fuerat; quia anima timens Deum temporum damna non patitur; sed temporum decrementa virtutum prosequitur incrementis, neque arescit mora, neque exiccatur emanatione; sed jugiter fluit, déque uno perfectionis gradu ad alium procedit, quò finis initio respondeat, ut scitè adstruit Gillebertus Abbas serm. 37. in Cant. Cantic. ad illud: *Fons hortorum puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano* ait ipse. *In capituli principio istius fons dicta est sponsa; nunc in fine fontis eam impartit vocabulo dilectus suus. Ab ubertate inchoat, & in senecta ubere multiplicatur: origini finis respondet.* Paucis interjectis subdit *copiosi ex hoc fonte rivuli gratiarum emanant, & tamen semper fons manat. Ab eo in quo inchoat non se cohibet: ideo hic & ibi fons dicitur.* Suum Poëtæ Castalium fontem summis commendârunt laudibus, eò quia pellucidos suppeditaverit latices siti extinguendæ, & æstui poëtico accendendo peraptos: sed nobis pro Castalio non alius est fons quærendus, quàm Timor Domini, è quo pellucidi scaturiunt rivuli reliquarum virtutum: *Quàm magnus, qui invenit sapientiam, & scientiam* ait Syracides Eccles. 25. 13. *sed non est super timentem Dominum.* 3.

Novem

4. Novem speciebus virtutum superadditur timor Dei: quoniam sicut novenarius numerus imperfectus est, quousque denario suppleatur: ita omnis operatio virtutum mediocris est, sine timoris Dei perfectione, ut edisserit Rabanus: Est Timor Dei fons vitæ, sine quo exarescunt flores cæterarum virtutum; quarum culturâ si delectamur, necesse est ad eosdem deriventur hujus fontis aquæ, quæ & floribus rigandis, & nostræ siti extinguendæ habentur opportunæ. Fons vitæ beneficio timoris Dei est qui alijs præest; tanta enim virtutum ubertate debet præditus esse; ut ex illo veluti salubri, ac pellucido fonte possint qui subjiciuntur haurire: hoc spectabat Ugo Carentis in Psalm. 35. *Sicut qui hauriunt de fonte non unus totum fontem capit; sed quilibet quod et necessarium est; & omnes satis inveniunt: ita debet esse in prælatis.* Cervus necatis serpentinus ad toxicum excutiendum dicitur toto impetu ad fontem currere: sed nos ne vitiorum serpentes suum in nos venenum evomant, hujus timoris Dei necesse est hæreamus fonti, ex quo egrediuntur virtutum Cardinalium quatuor flumina, quæ universam mentis nostræ terram irrigant, & fœcundant; & S. Laurentius Jullinianus de Spe. cap. 5. ex hoc fonte considerationem haurit beneficiorum Dei, ait ipse. *Hæ quatuor beneficiorum Dei considerationes, quasi quatuor flumina sunt egredientia de paradiso voluptatis; idest ab ineffabili clementia Majestatis divinæ; & irrigantia totam terram, corda scilicet fidelium, ut per virtutem spei, quæ bonorum meditatione nutritur, & perficitur, proferre valeant opulentissimos virtutum fructus, nec deficere præ siccitate exuberantium passionum, quatenus circumquaque muniti, intrepidi possint ascendere ad civitatem sanctam Hierusalem, quæ est omnium electorum mater: in qua DEUM sicuti est, videbunt feliciter.*

5. S. Bernardus serm. 54. in Cantic. Symbolum timoris Dei asserit aquam esse ait ipse *Aqua timor est; quoniam ab æstu refrigerat desideriorum carnalium.* Salubris est hæc aqua moribus irrigandis perapta; dum tellurem rigat nostri cordis, virtutum flores veluti lacte nutrit, & germina proborum desideriorum fovet, totumque internum hominem reficit: imò est hæc aqua timoris Dei lavacrum, quo animæ sordes absterguntur; est adeo castus timor Dei, ut homo etiam à quovis nævo hoc lavacro purgetur: docet nos timor Dei maximi facere etiam minima, quæ animam inficiunt; eique non modicum afferunt nocumenti ob discrimina, in quæ ipsam trahunt delabendi ad majora: non enim facile est concipere, ac mente comprehendere damna, quæ infert animæ nævus, quamvis minimus. Flocci fit verbum otiosum ex negligentia prolatum; vel mendaciolum quod ex levitate excidit; & tamen malum est majus malis omnibus naturæ; adeout si alterutrum daretur eligendum, expediens foret, omnia potiùs subire corporis detrimenta; omnes omnium hominum morbos, febres æstuantes, dolores torquentes, pestes corrumpentes, Phthises absumentes, membrorum mutilationes, vultuum deformitates, & monstrorum omnium pati turpitudines, quàm unicum in anima nævum admittere quamvis minimum, & hoc Deum offendere.

Abluenda, & abstergenda frequenter est aquâ timoris Dei anima, ne in ipsa nævus ullus reperiatur, qui Deo displiceat. Quòd si ignis in aquam injectus statim extinguitur; hisce timoris aquis quilibet depravatæ concupiscentiæ æstus abigitur, & pia animæ Deo inhiantis desideria irrigata in flores germinant virtutum, & fructus maturiunt bonorum operum. Per aquam, quæ ex Christi latere fluxit devotionis gratiam significari autumat S. Bernardus sermone de sancto Clemente; sed notat, eam non fluxisse ex Christi latere nisi post mortem; quid ni oportet & nos mortuos esse mundo per Dei timorem, ut divinæ gratia potemur fluentis: ait S. Bernardus: *Per aquam, quæ ex latere Christi fluxit devotionem intelligimus, & Dei timorem. oportet autem mortuum esse mundo, qui in hac voluerit gratia delectari.* Id inter est discriminis inter mundi, ac humanarum voluptatum fluenta, & aquas timoris Dei; quia illa nil habent stabilis, nilque firmi: luderet enim operam, qui super aquas sola instabilitate stabiles fundamenta domus erigendæ locaret: hac autem laborat amentia, qui rerum temporalium labilitati fidit, spémque suam ijsdem fit citsscit S. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 1. *Quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere; est in rebus labentibus spei fiduciam velle solidere.* In sola Dei timoris aqua firma jaciuntur spiritualis structuræ fundamenta; non labitur, hoc, qui nititur fulcro quamvis aqueo, omni adamante stat firmiùs, neque ictu læditur adversantis fortunæ; ridet enim ærumnarum procellas, qui Deum timet; quia præter Deum nihil timet; hunc timoris aquam qui enavigant portum appellunt æternæ salutis; neque quid aliud hisce in aquis naufragium patitur, quàm ipsa nequitia; quæ hisce immergitur aquis, ut nunquam emergat. Quòd si desideria quæ piè fovemus rivulos dixeris ab uno timoris Dei fonte scaturientes, congruum est, ut omnes in suo fonte congregentur: aquarum congregatio sub mundi exordio vel tacitè clamat; non esse desideria nostra dividenda, nec in plura spargenda; sed in unum Dei timorem colligenda: si timor feratur in Deum, vocantur aquæ in unum locum, in quo solùm quiescunt. Appositè Richardus Victorinus part. 1. tract. 1. de exterm. mali & promotione boni cap. 19. ait: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum; noli fintre eas fluere deorsum. Quid per ima desideria desinist quid tibi cum bonis perituris, gaudijsque lugendis? an nescis; quia omnis aqua quæ deorsum currit in mare descendit? omnia siquidem flumina intrant in mare; & omnis infima delectatio desinit in dolore.* Vera lætitia Dei timorem generat; unde David Psalm. 85. 11. *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.*

Vera lætitia præcedit Dei timorem, quia hunc nulla imminentia pariunt pericula; nullum mortis incurrendæ periculum; sed sola lætitia, quæ in corde puro essorescit eum generat, ac parturit: hoc ordine utriusque timoris 7.

 Dei,

Dei,& mundani declaratur discrimen: quia in timore mundano priùs præcedit causa periculi, vel alicujus angustiæ; secus in timore Dei præmittitur cordis lætitia, quia omne excludit damni subeundi periculum: quin imò ipsa lætitia suum à Dei timore incrementum haurit, idque fatetur experimento David Psalm. 118. 161. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* Si causam quæris hujus exultationis eam præmiserat Propheta v. 161. *à verbis tuis formidavit cor meum.* S. Ambrosius hæc meditatus: ait *bona trepidatio exultationem generat*: qui trepidat à verbis Dei, exultat in verbis Dei: quia ut ait Ecclesiast. c. 12. *Timor Domini delectabit cor; & dabit lætitiam.*

8. Sanctus Ephrem Symbolum Timoris Dei exhibet murum, quasi clypeum, quo ictus retundimus adversariorum; nósque ab hostium armis defendimus, ait ipse Parænesi 46. ad Eulogium *Murus rerum timor Domini.* Est murus qui peccato veluti obex opponitur; idque causæ, cur Deus mundi conditor hunc voluerit protoparenti timorem incutere Genes. 2. 17. *Morte morieris.* Produxerat Deus è limo terræ primum hominem, quem Adamum vocavit; & ex Adami altè sopiti costa, Evam vitæ, thorique consortem, quibus regimen injunxit reliquorum viventium: in corporis alimenta fructus omnes plantarum, herbarúmque, ac olerum genera omnia per longè, latéque frugiferum orbem concessit. Quinimò ut proximiùs, intimiúsque Deo adhærerent protoplastos condidit ad imaginem, & similitudinem suam, quatenus ijsdem impertijt animum minimè morti obnoxium, eúmque amplâ scientiarum encyclopedia, earum etiam quæ supra naturam sunt ditavit, ornavitque: gratiam quoque addidit, quâ ab ipso ortu grati Deo essent, eique familiares, amici, imo & filij adoptivi: dedit corpus vividum robustum, vitali succo vegetum, membrorum omniũ compage, ac sensuum perfectione absolutissimum; eximia venustate præditum, nulli ægritudini, nec morti obnoxium: hisce dotibus corporis, & animæ, beneficium addidit primigeniæ innocentiæ, seu spiritum liberum, & sui arbitrij, cui appetitiones omnes portionis inferioris obtemperarent, quâ in felicitate plura dilapsa sæcula postquam decurrissent; & senescere sensim incipetent, pomo virali senectam restaurassent; & tandem absque funere translati in cœlum fuissent æterna donandi beatitate, hoc tamen pacto obtinenda, ut si in obsequio Dei persisterent primigeniam innocentiam essent posteris communicaturi: sin verò de vetito fructu arboris scientiæ boni, & mali comederent; fabri essent propriæ miseriæ, sibique proprium cuderent infortunium, amittere̅ntque quidquid bonorum, ac dotium acceperant; seque cum omnibus posteris, in moriendi necessitudinem injiceret Genes. 2. 17. *Morte morieris.*

9. Sed cur tam citò Deus conditor timorem Adamo incutit, quem innumeris cumulaverat beneficijs? quia nimirum metu pædagogo indigebat, ut disceret in Numinis obsequio persistere: oppoluerat Deus timorem, veluti murum, quo se ab assultibus defenderet serpentis; quia nullum est validius scutum ad retundendos peccandi stimulos, fucatasque suggestione Dei timore. Hinc Patriarcha Joseph. in Ægypto hoc munitus clypeo lascivientis mulieris ad turpia illicientis retudit assultus, & castitatem defendit Genes. 39. 9. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum.* Impotens quodammodo sibi videbatur, cum non dixerit, nolo, quod proprij est arbitrij; sed *non possum*; quasi destitutus potentia, & facultate malum illud perpetrandi. Quid ni Dei timore munitus, Joseph non potuit per sceleris patrationem se à summo Bono avertere; appositè S. Chrysostomus serm. de S. Joanne Baptista: *Solus Dei timor est, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat.*

Cum primùm populus Israëlis excussit timorem Dei in scelera proruit, & à cultu veri Dei, à quo fuerat libertate donatus, ac innumeris cumulatus beneficijs descivit Exod. 32. 1. *Fac nobis Deos, qui nos præcedant*: ait Rupertus Abbas lib. 4. in Exod. c. 24. *Quoties ab eo cessavit Pædagogi virga*, seu timor Dei, *stultus puer ad eadem, vel similia se convertit idololatriæ flagitia.* Solus timor Dei est ille pædagogus, qui mores corrigit; viámque rectè incedendi nos edocet; quia ut scitè Cassianus de Instit. Monac. lib. 4. Principium nostræ salutis, sapientiæque, secundùm scripturas timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutaris. De compunctione cordis procedit abrenunciatio, id est nuditas, & contemptus omnium facultatum. De nuditate humilitas procreatur. De humilitate mortificatio voluntatum generatur. De voluntatum mortificatione extirpantur atque arescunt universa vitia. Vitiorum expulsione virtutes fructificant, atque succrescunt. Virtutum pullulatione puritas cordis acquiritur. Per cordis puritatem Apostolicæ charitatis perfectio possidetur: hactenus Cassianus, qui ex unico Dei timore totam deducit Christianam perfectionem; adeout timore affectus totam contineat cæterarum virtutum plenitudinem; nec ullus superfit locus humano ampliùs timori Isa. 11. 3. Replebit eum Spiritus timoris Domini. Non enim quoscunque repleverit, ij capaces sunt alterius timoris. S. Paschasius lib. 3. in Matth. Si anima repleta est spiritu timoris Domini, non potest alium timorem de terrenis in se recipere, ut notat Sylveira in Act. Apostol. Hinc si reliqua Spiritus dona super hominem requiescunt: timor Domini ita cor hominis replet; ut nullus omnino locus humano timori superfit. 10.

Salomon Proverb. 30. 30. Symbolum Timoris Dei leonem exhibet. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum*: quia sicut leo feras omnes vel fugat, vel vincit, & interimit, & nullam pavet; ita Timor Domini reliquos omnes pellit timores. Illi quamvis audacissimi necesse est timeant, qui Deum non timent: David id adstruit Psalm. 13. 5. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*: si timor Domini adfuisset, timor hominis abfuisset: S. Basilius in scholijs hic ait; *illic trepidaverunt timore: quia licet* 11.

licet instar leonum audentes fuerint; more leporum timuerunt: cum Deum non timerent, hominem timuerunt. Serus qui Deum timet, omnem alium excludit timorem Jon. 1. 12. *Tollite me, & mittite in mare* Quid? quòd Jonas marinis pulsatus fluctibus, minitante procellâ naufragium contra se protulerit sententiam? cur fluctibus obruendus decumanis mortem non timet in procella imminentem? causam cur Jonas alium omnem à se timorem excludat etiam mortis jam jam imminentis, ipsemet producit Jon. 1. *Deum cæli ego timeo:* quia repletus timore Dei omnem alium exclusit timorem etiam mortis in fluctibus imminentis: huc accersendus Zeno Veronensis serm. de Timore: *Jonas timens Dominum, spontaneum non timet adire naufragium.* Etiam Elias humano timore perculsus Jezabelem expavit, quam trepidus fugit, & mortem peroptat, ne in manus sequioris sexus incidat: & mox ex Orebo monte redux non solùm fœminam non ampliùs timet; sed Achabo etiam Regi aperta fronte, intrepido animo occurrit, & contra ipsum tonat 3. Reg. 21. 19. *Occidisti, possedisti*, idest interfecisti innocentem Naborhum; ejúsque vineam injustè possedisti. Itane fulgurat contra Regem, qui à facie fœminæ euro citiùs fugit? Si Achabus Innocentem occidit; non erit ei arduum Vatem interimere quamvis innocentiæ clypeo munitum: cur igitur ex Orebo redux humanum omnem exutit timorem? Quia nimirum vidit in Orebo Divini furoris commotiones, & timorem Dei inde hausit, quo repletus omnem alium abegit timorem 3. Reg. 19. 11. *Post spiritum commotio, & post commotionem ignis;* timore Dei tunc repletus Elias, omnem alium excussit timorem. Hinc David ne timeret petijt configi Dei timore Psal. 118. 120. *Confige timore tuo carnes meas: à judicijs enim tuis timui*: sed si timor Davidi inerat, Dei timore perculso, cum dixit *à judicijs tuis timui*, cur adhuc petit timore configi, *confige timore carnes meas?* quia nimirū semel quòd Dei timor hominem percellit, non potest hic alio configi timore, quam Dei; quia timor Dei omnem alium expellit timorem. S. Augustinus expendens verba Davidis, respondet duplicem esse timorem, servilem, & filialem, & hunc illi succedere; quasi diceret: Da mihi castum timorem; ad quem petendum me tanquam Pædagogus timor ille legis perduxit, quo timore *à judicijs tuis timui.* Timor Dei vires non adimit, sed addit; fugam non suadet, sed constantiam persuadet; neque imbecillitatis est nota, sed fortitudinis, ait Salomon Proverb. 3. 7. 8. *Deum time; erit irrigatio ossium tuorum* juxta illud Job. 21. 24. *Medullis ossa illius irrigantur.* Per medullam ossium sacri Interpretes intelligunt fortitudinem, & constantiam intractam in rebus adversis tolerandis, ut docet S. Gregorius Nazianz. *orat. 20.* Vir constans, & fortis pariatur Achilli, quem fingunt Poëtæ educatum à Chirone centauro, & ab eodem enutritum medullis leonum, ac cervorum. Verùm fortitudo dos est potiùs animi, quàm corporis; & ille animus est fortis, qui Deum timet, & peccaudi pavidus omnia audet ne peccet; ille fortis, qui à timore Dei, veluti pædagogo educatus, sanctam leonum audaciam æmulatur ad ardua quæque obeunda, ut Deo inserviat; & pium cervorum timorem fugit, fugitque pericula quæque se à Deo avertendi: est timor execratio ejus rei, quam damnavit natura, & ratio aversatur; hæc autem nos edocet bona appetere, mala timere; & quia malorum omnium pessimum est peccatum, hoc fugiendum semper est à viro forti, qui ne mala faciat est pavidus; ut mala perferat, impavidus; ut bona agat, cupidus; ut quæ ad salutem faciunt exequatur, audax.

Cynosura, seu polare sydus in Symbolum 12.
timoris Dei etiam assumitur, quia trajicientibus hujus fluctuantis vitæ procellosum mare portum cœlestis salutis ostendit; & ne syrtes incurramus, nec in scopulos noxarum; sed pericula quæque declinemus nos edocet. Qui igitur mundi hujus mare enavigat; sydus, ne aberret, spectet timoris Dei, qui stellæ munus exercet. In hujus vitæ pelago navigantibus necessarius est timor Dei, ut peritus nauclerus, cujus regimine syllas naufragiorum infames, & Charybdes navium voratrices declinemus. Evidenti se discrimini committit, qui hoc destitutus Dei timore in hoc mare se mittit, fluctibúsque committit: huc accersendus S. Laurentius Justinianus de discipl. Monast. Convers. cap. 7. *Nemo sine gubernatore pelagus navigare præsumat, est hoc spirituale mare magnis scopulis plenum, procellis, & tempestatibus agitatum: in quo Draco ingens, & sævus ad illudendum positus est, confidet servus Dei vadare securus.* Naufragio, & morti propinquus est, qui timore Dei non ducitur, nec ad portum æternæ salutis perducitur: hinc David hunc nos Dei timorem edocens, ac commendans ait, Psalm. 2. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; ne quando pereatis de via justa.* Vult David, ut exultemus, sed cum tremore, ut semper humiles simus, ac teneamus quod accepimus à Deo, & timeamus, ne illud amittamus.

LIBER

LIBER IX.

Complectens Peristromata Ethico-Symbolica exhibentia corpora cœlestia, Sydera fixa, errantia; Aëris Phenomena, Nubes, Ventos, Imbres, Pluvias, Cometas, aliáque Meteora. Aves aucupes, canoras, voraces, carnivoras. Elementum aquæ, Flumina, Lacus, Fontes, Maria, Naves, Insulas, Conchas, ostrea, cancros, margarita, corallia, & alia scopulis adhærescentia, quibus præter Apodosim moribus componendis accommodatam, plerunque adduntur excursus morales.

PLacuit hunc librum, & sequentem inscribere Peristromata Ethico-Symbolica ob ornatum Symbolorum exhibentium elegantiam, venustatem, varietatem creaturarum corporearum, earúmque naturas, ac proprietates. Stroma enim grecè, quodvis straguli genus significat, & pro aulæis, sive simplicibus, sive acu phrygiæ pictis accipitur, quæ & Peristromata dicuntur plurima colorum varietate picturata: & Clemens Alexandrinus libros suos Miscellaneos vario ornamento constantes stromata inscripsit: & quia totum fermè ornatum creaturarum in hisce duobus postremis libris congessi, non simpliciter, sed per involucra Symbolorum ornatui itidem inservientium, factu optimum existimavi, si Peristromata Ethico-Symbolica inscriberem, eò quia ad Ethicem unicè alludant. Et ne hujus Symbolici Instituti Professores à conficiendis heroicis hisce Symbolis exterrerentur ob tot perfectiones, & regulas servandas in Phrenoschematis, seu Symboli heroici structura ut superiùs ex clarioribus Authoribus innuimus; non abs re fore duxi hic attexere plura heroica Symbola, quæ tametsi omnes, & singulas prærecensitas conditiones non includant, plurimum tamen merverunt commendationis & plausus, ut præ cæteris *Serula* pluribus compacta orbibus circumductilibus multiplici notatis literarum varietate; quæ tunc tantùm reseratur cum literæ una coëuntes certum constituunt verbum Additâ Epigraphe *Uni Patet Verbo:* & alludit ad B. V. Mariam quæ absque virginitatis detrimento *Verbum divinum* suscepit, quod nostra indutum humanitate peperit: Joan.

Joan. 1. *Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis:* estque Symbolum fundatum in simplici metaphora similitudinis: quia sicut ferula non aperitur nisi orbiculi, ita in unum coëant, ut speciale constituant verbum: ita uterus Virginis Matris ad alios liberos clausus, uni patuit *divino Verbo*. Nubes rorida instar speculi opaca excipiens in se imaginem solis splendentis in parte diametraliter opposita; cum verbis depromptis ex cantico Mariano *Quia respexit*, alludit etiam ad B. Virginem, quæ veluti nubes candida cœlesti rore imbuta; seu gratia divina plena, solem divinum, seu Verbum æternum in se suscepit. Nubes compacta ex terrenis exhalationibus est Symbolum Marianæ humilitatis Luc. 1. *Quia respexit Deus humilitatem ancillæ suæ*. Ovum exemptis vitello, & albumine, & antelucano rore oppletum sursum à sole trahitur; cum alia pleraque ova, quibus ponderi sunt cognata viscera humi hæreant cum lemmate: *Quia rore plena*. Alludit ad B. Virginem in cœlum unà cum corpore assumptam, quia rore, seu divina gratia fuit plena. Si igitur paria, & similia exhibeantur, quamvis ab una, vel altera deficiant conditionibus prærecensitis, timendus non est Zoilus, quamvis ut vulgò dicitur, emunctæ naris.

EXPENSIO I.

Exhibentur Symbola Corporum Cœlestium.

Ut commodo consulem lectoris plura subjicio Symbola, partim quæ sparsim legi, & ex probatis selegi Authoribus, & partim, quæ fuerunt à me excogitata, quæ omnia in unum congessi, quò sint inventu faciliora. Initium pono ab iis, quæ ad corpora attinent cœlestia, quæ sicut cæteris nobilitate præcellunt; ita ratio exigit, ut ordine præcedant. Cuilibet symbolo adjicitur apodosis respondens alicui subjecto, cui congruit; & interdum Excursus Moralis. Plura Symbola ex pluribus probatis Authoribus decerpta congessit Abbas Picinelli in suo opere Italicè scripto; cui Titulus. *Il mondo simbolico;* sed non nisi pauca ab ipso exhibita hic invenies; & si quæ fuerint, per apodosim immutatur allusio, ut facilè quisque deprehendet si conferat Symbola, quæ hic subjicio cum illis, quæ in mundo symbolico congeruntur.

1. *Primum mobile* Stellarum myriade coruscum addito lemmate *Capit omnia solum*, seu cœlestis illa prima sphæra reliquas omnes suo complectitur ambitu, motúque rapit. Quamvis Primum mobile, & reliqui inferiores orbes possint à Deo immediatè cieri absque alterius causæ secundæ consortio; cum insit Deo infinita virtus, quâ se solo immediatè præstare potest, quod in genere causæ efficientis possunt causæ secundæ; adhuc congruentiùs videtur, primum mobile cieri ab Intelligentijs creatis: generatim enim, quæ ad statum naturæ pertinent, nec illius vires excedunt solet Deus exequi per ministeria creaturarum superiorum, ut docet D. Thomas *Opuscul. 17. cap. 12. Apodosis.* Dei magnitudo continet eminenter, quidquid perfectionis inest creaturis.

EXCURSUS

Dei magnitudo incomprehensibilis comprehendit omnia.

Cum sit Deus Pelagus omnium perfectionum nullo clausum litore, nullóque coërcitum termino, debent in ipso comprehendi, quæ in creaturis relucent perfectiones; adeout quæ Deo tribuuntur perfectiones absque metaphora, dupliciter in ipso contineantur *formaliter* si spectentur secundùm proprium conceptum, quo à Deo, & Beatis concipiuntur: & eminenter si pensentur secundùm proprios conceptus, quos habent, ut à creaturis non illustratis lumine gloriæ appprehenduntur; quia licèt omnis perfectio sit propriè in Deo non tamen eo modo, & limitatione, sub qua à creaturis participatur, & concipitur. In rebus creatis, ut aliquid in alio dicatur eminenter contineri duo videntur requiri: ut continens sit præstantioris naturæ, quàm contentum: si non sit præstantius, non est ratio cur in illo dicatur esse eminenter: non enim plantæ

dicuntur contineri eminenter in semine; neque effectus in causa univoca. Et ut quòd minus est præstans aliquo modo in illo præstantiori reperiatur, præsertim ut effectus in sua causa efficiente: esse principium productivum alterius signum est, id quod producitur contineri in illo, quo pacto qualitates, & accidentariæ perfectiones dicuntur contineri in substantijs eminenter, ex quibus dimanant; & hæc eminentialis continentia eò est perfectior, quò causa perfectius est productiva rei in se contentæ; & quia Deus potest producere res omnes producibiles perfectissimo modo, seu ut causa integra, perfectissima, & omnino independens ab alterius auxilio, imò & solo suæ voluntatis nutu, & quidem secundùm proprias rationes etiam individuales, sequitur res omnes perfectissimè contineri in Deo. Hinc David Psalm. 144. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis* & Baruch. 3. 25. *Magnus, & non habet finem, excelsus, & immensus.* Quid? quòd Deus cum omnia comprehendat Jerem. 23. 24. *Nunquid non cœlum, & terram ego impleo? dicit Dominus* quod perpendens S. Isidorus lib. de summo Bono. cap. 2. ait immensitatem divinæ magnitudinis esse intra omnia, sed non inclusam; extra omnia, sed non exclusam, adhuc dicatur Deus non esse in homine peccatore Psalm. 10. 5. *Non est Deus in conspectu ejus.* Quia tametsi Dei immensitas sit ubique, adhuc ut loquitur S. Gregorius ab iniquorum cogitationibus longè abest: unde D. Augustinus Epist. 57. *Fatendum est Deum ubique esse per divinitatis præsentiam; sed non ubique per habitationis gratiam.*

2. Idem *primum mobile* suo pernicissimo motu rapiens, ac movens cæteras inferiores cœlorum sphœras adjecta Epigraphe *Hinc nascitur ordo.* Alludit ad Dei providentiam rerum omnium creatarum moderatricem, quas dirigit in suos fines.

EXCURSUS.

Evincitur Dei Providentia in regimine creaturarum.

EST Providentia ait Boëtius lib. 4. de Consol. Prosa 6. *Ratio ordinis rerum in finem* in Deo existens, quæ cuncta disponit, seu dirigit in suos fines, ut explicat D. Thomas *quæst.* 22. *art.* 1. Dari Numen aliquod, quod res humanas cognoscat, & gubernet, nostrique curam gerat, ad quod cum pericula imminent nostri detrimenti, vel exitij sit recurrendum; & à quo præmia pro rectè factis debeamus sperare, & supplicia pro sceleribus expectare noverunt solo naturæ spiritu lumine etiam Ethnici Ægyptij, Æthiopes, Assyrij, Chaldæi, Græci Romani, & ubique terrarum gentes omnes, quæ supremo Numini sacrificia instituebant, templa erigebant, Sacerdotes designabant, donaria offerebant, preces fundebant, ut Deum in sua vota flecterent: idque minimè præstitissent, nisi credidissent, omnia nostra ab eo cognosci, ac posse nobis opem ferre, nósque à periculis eripere: & quamvis non omnes convenerint; sit ne hoc Numen, unum, vel multiplex: omnes tamen senserunt adesse Numen aliquod, & hoc à creaturis ratione prædiris esse colendum: unde Cicero lib. 1. de Legibus ait; *De hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ etiam si ignoret, qualem Deum habere deceat, non censeat, sciátque habendum esse.* Et lib. de natura Deorum ait, hanc de Deo notionem esse omnibus innatam, & à natura ipsa insculptã, & cum natura mentiri non inferat assensum falsi, alioquin prava esset, mentémque hominis perverteret, quod homini malum esset; malum autem, ut & vitium non est ex inclinatione naturæ, sed contra ipsam: non enim natura intendit sui destructivum. Quòd si evidens est, dari Deum, necesse est dari in ipso creaturarum providentiam. Idque evincit Primum mobile in præsenti symbolo, cujus motus nequit originem trahere ab impetu aliquo naturæ eidem insito, quia quæ moventur ex inclinatione naturæ tendunt ad aliquem terminum, in quo quiescant, ac conserventur, ut experimur in sublunaribus. Neque motus primi Mobilis potest oriri à principijs intrinsecis ejusdem; Quia non potest quidquam habere inclinationem ad motum, ut perpetuò moveatur, & nunquam pertingat ad terminum; est enim motus aliquid imperfectum; seu via ad terminum; & quæ moventur appetunt pervenire ad terminum, in quo quiescant; seque conservent, cum extra ipsum tabescant, ac naturali destituantur statu: cum igitur motus Primi Mobilis non tendat ad aliquem terminum, nequit esse ex naturæ inclinatione: sed ab ipso Deo, vel immediatè, vel mediantibus Intelligentijs administris: & quia motus primi mobilis reliquas rapit, movétque inferiores sphœras, quarum motus, & influxus necessarij sunt ad promovenda sublunarium commoda, & utilitates præsertim in herbis, plantis, arboribus, ac reliquis animantibus, vel vita destitutis; & cœlorum orbes (utpote cognitione carentes non possint hanc utilitatem cognoscere, ut eam promoveant, ac intendant: debet hæc utilitas per motum primi mobilis derivanda in creaturas sublunares intendi à Deo, qui propterea mundum gubernat, regit, ac in suos fines dirigit motus orbium cœlestium, & creaturas inferiores ordinat ad proprios suos fines, & singulas, ad finem universi. Hinc Sap. 6. dicitur: *In vijs ostendit se illis hilariter, & in omni providentia occurrit illis:* quem textum attulit D. Augustinus l. de Genes. ad litter. cap. 21. ut probaret Divinam providentiam. Rursus Sapien. 8. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter* quod de conservatione, & gubernatione rerum esse intelligendum edisserit D. Augustinus lib. 4 de Gen. ad litter. cap. 12. Symbolum divinæ Providentiæ, ac gubernationis fuisse scalam Jacobæam asserit Theodoretus Genes. 28. 12. *Vidit scalam stantem*, cui Deus innititur veluti prima causa, primúmque movens. Angeli ot eius ministri ascendunt, & descendunt per gradus ejusdem, quæ

quæ à cœlo in terram pertingit: quia Deus inferiora per superiora, homines per Angelos, sublunaria per cœlestes sphœras gubernat. Duo scalæ latera sunt suavitas, & fortitudo, quibus Divina Providentia attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Gradus scalæ sunt varij modi divinæ providentiæ. Hæcque Jacobæa scala ansam fortassis Homero dedit describendi providentiam per catenam auream à Jove de cœlo in terras demissam, quâ Jupiter omnia comprehendit, & ad se trahit; & Theodoretus expendens illud Psalm 79. 13. *Ut quid destruxisti maceriam ejus* per Maceriam intelligit tutelam, quia quod est maceries vineæ, hoc est Dei cura his, qui illa digni effecti sunt. Adumbrator itidem Divina Providentia per umbram, in qua sponsa in sacris epitalamijs quievit Cant. 2. 3. *Sub umbra illius, quem desideraveram sedi.* Propriè umbram Christi ejus dixeris providentiam, & protectionem, quâ protegit Ecclesiam, & animas sanctas, quæ illius dicuntur sponsæ Isaiæ 51. 16. *Sub umbra manus meæ protexit me*, ut censet Cassindorus: hinc David Psalm. 56. 2. *In umbra alarum tuarum sperabo*, seu in Numinis providentia; quam expertus fuerat Noë in cataclysmo, Genes. 7. 7. *Et ingressus est Noë in arcam propter aquas diluvij.* Extinxissent aquæ illæ totum humanum genus; nisi clausa in arca superfuisset scintilla, quæ aquis innatans à communi naufragio octo servasset homines, qui eatenus non perierunt, quia Numinis Providentia, eos servavit: ait S. Chrysostomus loquens de Noë *tom. 6. tract. in terra motum*: Non enim asseres illum servârunt, sed robusta Dei manus.

3. *Cœlestes sphæræ* veluti tot rosis pictæ, quot stellis splendentes cum verbis depromptis ex Psalm. 18. *Enarrant gloriam Dei* Congruunt Apostolis, qui ubique terrarum, Evangelij promulgatione Dei gloriam gentibus manifestârunt.

EXCURSUS.

Concionatores in promulgatione Evangelij veluti corusca cœli sydera manifestant hominibus Dei gloriam.

Esse harmonicum creaturarum concentum, & præsertim quæ in cœlis splendent sydera quendam veluti naturæ clamorem Opificem suum promulgantis edisserunt eleganter sancti Patres, & præ cæteris D. Augustinus lib. 15. de civit, cap. 3. inquiens: *Non divinorum tantummodo auctoritas esse Deum prædicat; sed omnis, quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum conditorem.* Si enim intimius inspiciamus connexionem, & consensionem tam variarum naturarum in unam & eandem totius universi constitutionem conspiraurium, necesse est fateamur, opificem adesse aliquem summa præditum Sapientiâ, qui hæc omnia simul innexerit, ac in suos fines direxerit; & ex oppositis mundi universi invexerit harmoniam; non enim tam pulchra, & concinna rerum diversarum in unam constitutio potuit casu obringere: id enim opinari perinde foret, ac sibi persuadere, ut argumentatur Tullius lib. 2. de natura Deorum, Annales Ennij aliudve ipsum opus ex innumeris literarum formis casu. & sine ordine in terram excussis existere potuisse: vel peramplam tabellam repræsentantem multum consilium ex fortuito colorum in ipsam delapsu fuisse ita artificiosissimè depictam: hinc Trismegistus scitè ad rem nostram cap. 5. Pimandri ait *Et cum statuam absque fabro, & picture fieri nullus asserere audeat; mirum mundi hujus constitutionem sine conditore constitisse putabimus?* Cui consonat illud Epicteti apud Arrianum lib. 1, cap. 6. *Ex apparatu ipso operum solerti, & artificioso pronuntiare solemus efficitorem esse artificem aliquem, nec temerè, & casu evenisse ista. Ergo horum quidvis suum nobis declarat artificem: aspectabilia verò illa in mundo corpora, inspectiones etiam, & oculis undique lumen effusum opificem suum non testabuntur?* Quòd si micantia in cœlis sydera igneas dixeris linguas Sapientiam opificis Dei enarrantes; non verearis, sacros in terris concionatores, qui Evangelium promulgantes Dei gloriam enarrant, syderibus pariare. Sunt enim Concionatores tubæ Gedeonis, quæ clangentes si non Jericontem, Babilonism vitiorum evertunt, solóque æquant: hinc Deus per Isaiam cap. 58. 1. alloquens concionatorem ait: *quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum*, nimirum ot cognatcat, per indulgentiam carnis se avertisse à summo Bono; & inii viam deserverit iniquitatis, viam sibi sternere ad sempiternos cruciatus. Non enim tubæ sonitus semper aures demulcet, quibus est oblectamento; verum etiam percellit, estque terriculamento: ait D. Augustinus serm. 1. sab. post 4. Dominic. quadrag *Scitis, quòd tuba, non tam oblectationis esse solent, quàm terroris; non tam delectationem proferre, quàm inferre formidinem.* Tuba igitur est peccatoribus necessaria, quæ non solum aures eorum penetret, sed & cor concutiat, nec delectet canto, sed audito terreat, ut malos à vitijs retrahat, & probos ad culturam trahat virtutum, ad uberiora vocet pietatis incrementa. Tuba est concionator, cum terrorem incutit, vitiisque prosternit Josue 6, 5. *Cùmque insonuerit vox tubæ longior, conclamabit omnis populus vociferatione maxima.* Quid? quòd Deus Jerichuntem eversurus clangorem maluerit accersere tubarum, quam pulsatis citharis potuisset solo æquare, & pulsu cithæ ræ mœnia urbis quatere, arietare, dejicere? quò nimirum concionatores edoceret, non blandæ eloquentiæ lenocinijs, sed graviori sonitu terrores incutiente debere mœnia quatere peccantium, ut evertantur, & vitium prosternatur. Vociferatione exterre[ndo], non sono eblandiente Jerichu vitiorum corruit: Imò ut graviùs concionator terreat, datæ funt illi septem tubæ Apocal. 8. 2. *Datæ sunt illi septem tubæ*, quibus graviter terreat, non leniter leniat.

4. *Septem cælestes sphæræ* totidem distinctæ circulis cum planetarum Characteribus addito lemmate *septeno discrimine prosunt*. Apodosis. septem Ecclesiæ Sacramenta quamvis specie distincta, ad id fuerunt à Christo instituta, ut animam divina reficerent gratia, & in quovis statu hominibus prodessent.

EXCURSUS.

Veterum omnium doctrina fuit Aristotelis, Ptolemæi, & aliorum, circa mundum elementarem septem volui sphœras cœlestes solidas, & veluti crystallinas, alias alijs inclusas cum planetis infixis eo ordine, ut luna ponatur in orbe infimo, quam alij sex planetæ ad firmamentum usque, seu cœlum stellarum fixarum consequuntur, adjectis ijs characteribus, quibus designari, & distingui solent ab Astronomis septem Planetæ; licèt recentiores Astronomi cum Tychone Brahè cum antiquis conveniant, quòd terram, & alia elementa medio collocent in mundo, asserántque Saturnum, Jovem, & Martem ordine consequenti existere intra stellas fixas, lunámque omnium infimam esse velint, adhuc à veteribus discrepant, putantes spatium illud ingens à mundo elementari usque ad firmamentum, in quo decurrunt, ac voluuntur septem planetæ esse liquidum, non solidum, ut censuerunt veteres; & Venerem, ac Mercurium quasi satellites quosdam circa solem deferri, ac cieri, eo quia perspiciantur modò supra, modò infra, modò ad latera ipsius. Cæterum totum illud spatium à mundo elementari usque ad firmamentum, & in quo moventur septem planetæ esse fluidum, ac permeabile, non verò conflatum ex solidis sphæris evici in mea Philosophia tom. 3. disp. 8. sect. 3. & sequent. Quia ea sola cœli constitutio admittenda est, quâ sublatâ non possunt explicari phœnomena, seu res illæ variæ, quæ in cœlis apparent; & sublata fluiditate in hoc ingenti spatio à mundo elementari usque ad firmamentum, hæc phœnomena non explicantur sine corporum penetratione, quia Mars per eadem cum Sole spatia traducitur: rursus cometæ interdum supra lunam, & solem cursum tenuerunt: motus Mercurij, & Veneris circa solem non explicentur, nisi concessa hac fluiditate, quâ positâ non est necesse confugere ad orbes excentricos, vel epicyclos realea, ut motus salventur planetarum, qui in cœlo fluido, & meabili facilè explicantur per varium lationis motum, quem ab Intelligentijs motricibus suscipiunt. Quia verò septeni planetæ præsertim Sol plurimum adferunt sublunaribus commodi, & utilitatis, Symbolum præseferunt in Ecclesia Sacramentorum, quæ septeno etiam distincti numero plurimum fidelibus prosunt, ac afferunt emolumenti; quod si planetæ veluti cœli linguæ Divinam enarrant Sapientiam, & gloriam: Sacramenta sunt in Ecclesia veluti Dei voces, quibus ad Divinam suscipiendam gratiam vocamur Psalm. 28. 3. *Vox Domini super aquas*, seu in Baptismo, cuius beneficio regeneramur. *Vox Domini in virtute* per Confirmationem. *Vox Domini in magnificentia* seu in Eucharistia. *Vox Domini confringentis cedros* per Pœnitentiam. *Vox Domini intercidentis flammam ignis* per Matrimonium *Vox Domini præparantis cervos* per extremam Unctionem, *Vox Domini concutientis desertum Cades* per Sacramentum Ordinis, quo consecrantur Sacerdotes, & instituuntur ministri Ecclesiæ, ac segregantur à cœtu populi in sortem Domini, ut sancti sint. Demum *Vox Domini super aquas*, seu Spiritus sancti gratia, qua adoptamur in filios Dei nobis confertur beneficio aquæ lustralis in Baptismo, & lacrymarum in Sacramento Pœnitentiæ.

5. *Cœlum tenebris obductum* cum lemmate *Vertitur interea* fuit symbolum assumptum Bononiæ ab Academia, cui à nocte est denominatio, ad indicandum, quòd tametsi suis sub initijs non adeo clavesceret, neque illis foret luminibus exornata, quibus cæteræ splendent; sperabat nihilominus fore, ut mediante in litteris humanioribus jugi exercitatione incrementum subitura esset diectim, ac claritatem.

6. *Zodiacus* suis depictus notis, ac signis, quæ Sol percurrit hac epigraphe *Nec citra, nec ultra* fuit à me assumptus ad significandam virtutem & æquitatem Serenissimi Electoris Bavariæ Ferdinandi Mariæ. Adeo Pientissimus Princeps ad rectæ rationis amussim mores composuit, ut solem æmulatus, nec in excessu, nec in defectu visus sit peccasse, sed medium virtutis semper tenuisse.

7. *Sphæra cœlestis* ab Intelligentijs varijs circumacta cum hemistichio *Nec mora, nec requies* illis quadrat Principum Administris, qui die, noctúque pluribus occupantur negotijs, semperque agunt.

8. *Cœlum nocturnum* stellis nitidissimis coruscum additis verbis *Alieno splendore nitescit*; quadrat in opus ex alienis compositionibus ab Authore congestum. Vel ex aliorum sententijs, doctrinis, carminibus. Quia sicut stellæ, quæ splendida cœli sunt ornamenta, suos à sole mutuant nitores: ita quidquid pulchri, vel elegantis continetur in tali opere splendor est ab alijs mutuatus.

9. *Globi duo cœlestis, & terrestris* addito lemmate *Unus non sufficit* deprompto ex Juvenale *Unus Pellæo juveni non sufficit orbis*, ad quæ sequuntur alia verba *Sarcophago contentus erit* loquitur de Alexandro Macedone. Repræsentat hoc Symbolum eos, vel Reges, vel Imperatores, qui proprijs non contenti Provincijs, & ditionibus, bella movent quovis ex prætextu, ut armorum vi proprium dominium amplient, plurésque sibi comparent subditos.

10. *Cœlum* pluribus interstinctum, ac coruscum stellis cum verbis Jobi *Quis dormire faciet*, scilicet quis cœlorum harmoniæ, motuúmque concentui finem imponet; hunc enim sensum præseferunt hæc Jobi verba. *Cœli concentum dormire, quis faciet?* id est quiescere. Adaptari potest hoc Symbolum cuilibet præsuli vigilantissimo, exactámque sui gregis curam habenti, quique sit omnigena virtute, veluti micantibus stellulis exornatum.

Sphæra

11. *Sphæra primi mobilis* cæteras inferiores secum rapiens adjecto hemistichio *Semotos, vastisque siet,* Maximilianum Emanuelem Electorem Bavariæ per se ipsum tum proprium, tum Leopoldi I. Imperatoris ducentem per Hungariam contra Turcam exercitum repræsentabat. Tametsi in plures debuissent milites exercitue segregari, locisque distare. Omnes tamen erant suis nutibus dirigendi, ac movendi.

12. *Cœlum nocturnum* micantibus vermiculatum sydetibus adjectis verbis *Indicat Authorem* Dei Creatoris repræsentat Sapientiam in rebus condendis.

EXCURSUS.

Harmonicus Cœlorum concentus Dei promulgat Sapientiam in mundiopificio.

COelum absque ullo clamore aures pulsante clarè loquitur Dei Sapientiam in creaturis ab ipso conditis: *Tacet Cœlum* (ait Chrysostomus homil, 9. ad popul.) *sed ejus aspectus vocem tubâ clariorem emittit, per oculos non per aures nos docens:* quia si nocte cum micantia sydera suia ducunt choreas nutibus oculos defigant homines in cœlum, & non perfunctoriè cogitent: *quando,* ut verbis utar Ambrosij 4. Hexaem. cap. 1. *per Lunæ, ac Stellarum fulgorem, Cœlum veluti quibusdam floribus coronatum ita ignitis luminaribus micet, ut paradiso putes vernante depictum spirantium rosarum vivis monilibus renitere,* non possunt non edoceri, Deum esse, qui summa Sapientia hæc omnia condiderit: hac ratione Magnus Antonius apud Athanasium vocavit Cœlum *Librum Idiotarum;* quia solus ejus aspectus rudes erudit, Deique docet Sapientiam, quâ de causa etiam *qui non cognoscunt litteraturam introeunt* ait Psalmista *in potentias Domini,* seu in Sapientissimi Dei perspicuam notitiam. Et Psalm. 18. cum asseruisset, cœlos enarrare gloriam Dei, explicans idioma cœlestis enarrationis subdit. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Quia idioma, quo cœli Deum loquuntur, docéntque hominem ejus Sapientiam, ubique locorum ab omnibus gentibus percipitur; propterea subjungit David *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum,* ut ubique terrarum gentes erudiant.

13. *Polus Arcticus* stellis Ursæ minoris splendidè ornatus additis verbis *Vertitur non occidit.* Ad virum alludit studio pietatis, ac culturæ virtutum addictum, qui moriens non moritur, sed à flexibilitate præsentis vitæ, ad cœlestem gloriam, perennémque beatitatem volvitur, ac transit.

12. Cœlum atris obductum nubibus hac epigraphe *Post nubila Phœbus* hominem indicat varijs agitatum molestijs, pressum angustijs contumelijs denigratum, cui adversa per patientiæ exercitia, persecutionum tolerantiam malaciam spondent; & molestiarum veptes rosas cœlesti in horto jugiter vernantes.

EXCURSUS.

Amaros tribulationum fluctus trajicere debemus; si velimus ad cœlestis Patriæ portum appellere.

VIta hominis mari pariatur variis tribulationum fluctibus exagitato, ne mergamur necesse est piscium induamus naturam, qui nihil mali, nihil periculi, aut incommodi à fluctibus patiuntur, quia ita fluctibus innatant, ut malacia fruantur in ipsa marina procella: quamvis tumentes procellarum undæ videantur viros probos premere, non tamen possunt opprimere, quia patientiæ clipeo adversitatum impetus retundunt, procellas compescunt fluctusque procellosos illudunt. Scite S. Ambrosius lib. 4. de Sacrament. cap. 1. *Tibi sæculum hoc mare est. Habet diversos fluctus, undas graves, sævas tempestates; & tu esto piscis, ut sæculi te unda non mergat.* Necesse est moveatur, agitetúrque hujus vitæ mare, quia aqua, quæ subsidet, nec movetur, nec excurrit, eam exuit perfectionem, quâ insignitur si fluat, ac moveatur: marcescit enim quæ non movetur, putrescit si non agitetur; noxia est quies, quæ corruptionem inducit *Aqua, quæ consistit* ait Chrysostomus in Psalm. 14. *& non meat est noxia; sed quæ movetur salubris est, & per aquæ ductus transmittitur.* Viri justi per toleratas adversitatum agitationes perficiuntur, & veluti per aquæ ductus transmittuntur in cœlestem patriam, quæ non nisi ex lapidibus dolatis constructa est 3. Reg. 6. 7. *Domus de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est.* In Templi structura ita Salomon Numinis instinctu rea disposuerat, ut lapides parietibus erigendis adaptandi priùs malleis tunderentur; ne in parietibus construendis ullus audiretur mallei pulsus, ullus ferri obstrepentis rumor. Quid ni? viri probi virtutum addicti culturæ lapides sunt non modico pretio æstimabiles, & locandi in templo æternæ gloriæ in cœlesti Jerusalem; ideóque hîc debent tunsionibus, ac pressuris expoliri; ut in templo cœlestis gloriæ pacificè per manum supremi artificis suis proprijs aptentur locis, in quibus in pace quiescant: Scitè S. Rupert. lib. 3. c. 11. *Malleus, & securis non sunt audita: quia lapides vivi, lapides sancti, de quibus suprema civitas construitur, hîc dolantur; hîc tunsionibus, & pressuris expoliuntur.* Ærumnæ, tunsiones, quibus torquemur in hac vita templo nos adaptant æternæ gloriæ, idque cum Davidi innotuisset dixit Psalm. 15. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris,* id est pressuræ quæ torquent; ærumnæ, quæ premunt; nubes afflictionum, quæ grandine percutiunt convertuntur in præclara, seu in æterna munera resurrectionis, ut explicat Cassiodorus. Neque Elias, qui lapis fuerat pretiosus locandus in templo cœlestis Jerusalem aliter fuit illac delatus nisi priùs hîc dedolatus persecutione Jezabellis, neque cœlum inscendit nisi per turbinem 4. Reg. 2. 11. *Ascendit Elias per turbinem*

ad cælum. Huic tunsioni obnoxius fuit Joseph antequam Regi sisteratur Genes. 41. 14. *Joseph totunderunt, ac veste mutata obtulerunt regi.* Viri culturæ præsertim castitatis, ac reliquarum virtutum addicti, ut fuit Joseph tunsioni necesse est subjiciantur, ac novaculæ; ut politi, & dedolati sistantur Regi sæculorum immortali; Addit Hugo Cardinal. in Eccles. 3. 1. *Sed postquam solemnitas illa advenerit, non erit ultra necessaria novacula: quia pili noxarum, & affectionum, non renascentur ulterius.* Tametsi Joannes in sua Apocalipsi viderit cœlestem sponsum, ex cujus ore nudatus gladius prodiret ad vulnera infligenda acutus, adhuc sponsa osculari expetijt Cant. 1. 1. *Osculetur me.* Quid? quòd ab ore gladio armato, & ad vulnera potius infligenda, quàm oscula amoris figenda parato osculari poscat? Gladius tunsionem, tribulationem designat; noverat sponsa ad osculum æternæ pacis, cœlestis beatitudinis non perveniri nisi per medios gladios, per ærumnas, pressuras, & vulnera, quibus poliuntur, ac dedolantur hic, qui in templo cœlestia Jerusalem locantur lapides: & D Petrus quamvis sumentes procellosi maris pertransierit fluctus, licèt claviger fueric regni cœlestis constitutus, adhuc non fuit illud ingressus nisi priùs transiisset per ignem & aquam: ait D. Ambrosius in Psalm. 118. *Sive sit Petrus, qui accepit claves regni cælorum, qui supra mare ambulavit, oportet dicat: transivimus per ignem, & aquam.* Crux fuit illi scala ad cœlum dum corpore inverso pedes in cruce præmisit cœlum versus. Symbolum viri splendore virtutum corusci fuit rubus, quem Moyses vidit incombustum Exod. 3. 2. *Videbat quòd rubus ardebat, & non combureretur* quid splendor ignis in rubo clarius indicat, quàm tribulationem spinarum in splendore virtutum? Virum pium tribulationes non lædunt, sed ornant; non lacerant, sed illustrant; non cruentant, sed purpurâ vestiunt: ait S Chrysostomus: *Hæc est omnipotentis Dei vis, ut per contraria operetur contraria.* Electi ad cœlestem gloriam in terria filij sunt areæ, trituræ obnoxij Isai. 21. 10. *Tritura mea, & filij areæ meæ.* Quid per trituram, & filios areæ intalligitur, quàm frumentum, & grana trituratione in area excussa? & quid per frumentum quàm electi dessignantur: id cum novisset S. Ignacius Martyr dixit frumantum Dei sum, dentibus bestiarum molar, ut panis Christi mundus inveniar. Electi igitur frumentum Christi sunt, non tamen in cœli horreis collocantur, nisi priùs subjiciantur, tribulationes æquo animo tolerent. Dicitur tribulatio à tribula, quâ segetes tribulantur, ut grana excutiantur, separentúrque à paleis.

15. *Cælum* ab Intelligentijs circumactum additis verbis *Nusquam quies*, hominem indicat assiduis occupatum negotijs.

16. *Cælum* quod flantes Euri nubibus obducunt cum hemistichio *Alternat fortuna vices*, alludit ad virum aulicum è principis favora lapsum, & ab aula exulare coactum.

17. *Sphæra planetarum* proprijs distinctæ notis, seu Astronomicis characteribus cum lemmate *Rapimur ab uno* idest primo mobili, alludunt ad plures in castris legiones, quæ ab uno belli præfecto ducuntur plerunque, quò ire detrectarent.

Cælum multiplici Stellarum splendore co 18.
ruscum, ac veluti gemmis ornatum cum lemmate Hispanico *Ojos muchos, lingua ninguna,* *oculi plures lingua nulla* aulicum virum repræsentabat, qui cum plura à Principe minus honestè fiari videret, tacuit semper, nullique propalavit, ut famæ consuleret sui Principis.

Cælum serenum, & Aurora splendescens in 19.
horizonte additis verbis gallicis *Le mavais tems ne dure pas toûjours: non semper nubila durant;* in aum quadrat, qui post diuturnas afflictiones tandem aliquid experitur solatij.

Cælum aliquibus atris obductum nubibus, 20.
alijsque solari nitore rubicundis interstinctum cum verbis Italicis *Mentre è piu fosco, splende chiaro* clarius in obscuris: allodicad virum studijs addictum, & Melancoliæ obnoxium, qui cum hac laboraret ab alijs sejunctus hominibus vacabat Philosophiæ, quam eruditè explicuit.

Cælum nullis obductum nubibus cum lem- 21.
mata prompto ex Horatio *Non semper imbres* hominem indicat, cui post plures superatas adversitates melior tandem fortuna arrideat.

Sphæra cælestis additis verbis Italicis *Ne*
per mille rivolte ancor son mossa repræsentat vi- 22.
rum constantem, in proprio consilio, à quo nituntur alij eum dimovere.

Cælum stellis splendidè varmiculatum 23.
cum lemmate Virgiliano *Mens agitat molem* ingenium designavic Cardinalis de Richeliau, quo valebat ad singula totius Franciæ dirigenda negotia. Quadrat hoc Symbolum divinæ Providentiæ omnia gubernanti, inque proprios fines dirigenri.

Primum mobile suo motu trahens cæteras 24.
inferiores sphœras additis verbis *Movet omnia solum.* Ludovicum XIV. Galliarum Regem subindicavit, qui cæteros alios Principes ad arma movit quosque terrâ, marique habuit hostes.

Cælum stellis coruscum cum verbis *Im-*
motum in motu ad quemlibet alludit, qui animi 25.
constantia, & inconcussa pectoris firmitate omnes vincit novercantis Fortunæ ictus, illuditque impetus.

Stellæ plures sereno micantes cœlo addito 26.
hemistichio deprompto ex Ovid. l. 1. Metamor. *Terrenæ nil fæcis habentes* alludebat ad Religiosos Carthusianos, qui à mundi consortio, hominúmque societata sejuncti cœlestam in terris vitam ducunt.

Stellæ Firmamenti nocte lucentes intem- 27.
pesta cum verbis. *Volvuntur non mutantur* ad eos alludunt Regis subditos, qui tametsi exteras lustrent provincias, eásque incolant, patrios tamen servant mores, fidémque proprio naturali Principi.

Stellæ sub horizontem occidantes cum
verbis *lucebunt alibi*, eos significant viros virtute 28.
instructos, qui ab Aula alicujus Principis exclusi, in alias se conferunt regiones, ut alijs inserviant.

Stellæ

30. *Stellæ* atris obtectæ nubibus cum lemmate *Non cernuntur, & adsunt* eos indicant Religiosos, qui in cella perinde, ac in cœlo orationi, vel sacris vacantes studijs, rarò monasterium circumeunt, & rarissimè extra vagantur. Hoc Symbolum Religiosis adaptavi Carthusianis, quorum Monasterium cum lustrarem in agro Bononiensi, nulli obviavi Religioso Sacerdoti, præter Priorem, qui me hospitem excepit, alium non vidi extra cellam.

31. *Stellæ* Firmamenti nocte, quos à sole mutuant splendores ostendentes hac epigraphe *Servant ordine motum.* Hoc symbolo allusi olim ad Cæsareas, & Bavaricas legiones, quæ in agro Strigoniensi in Hungaria nocte intempesta jussu Maximilliani Emanuelis Electoris Bavarici militari Stratagemate fugam simulantes, Turcas trans palludem castra metatos ad trajiciendum exiguum fluvium, pugnámque ineundam in ampliori planitie allexêre, quos die postera inita pugna fregerunt.

32. *Eadem Firmamenti stellæ* cum lemmate *Prosunt vertigine terris* repræsentant Apostolos, qui prædicandi Evangelij causa in omnes profecti mundi regiones, gentes viam docuerunt salutis, ac Christo per baptismi lavacrum regenerârunt.

33. *Stellæ fixæ* in firmamento cum epigraphe *Splendent, non errant* eos exhibent in Ecclesia Præsules, qui pluribus exornati virtutibus ea prudentia subditos regunt, ut non deficiant.

34. *Stellæ* in summo micantes firmamento sibique eodem semper loco cohærentes hoc lemmate *Æterno fœdere junctæ* Beatos denotant in cœlesti Patria felicitate, mutuisque amoribus junctos.

35. *Stellæ fixæ* in suprema sphœra, quam plures Intelligentiæ circumagunt additis verbis *Regunt, & Reguntur* eos exhibent Reges, vel Principes, qui ita subditos gubernant ut ipsi sapientum, ac prudentum virorum dirigantur consilijs, ne quidquam temerè agant.

36. *Stellæ fixæ*, quæ licèt magnitudine cæteras excedant inferiores, appareot nihilominus ob nimiam distantiam alijs exiguiores cum lemmate *quæ majora minora*, ijs quadraot, qui cæteris vel sanguine nobiliores, vel virtutibus excellentiores, malunt nihilominus inter Religiosorum cœtus subesse, quàm præesse.

37. *Stellæ* post solis occasum in firmamento micantes cum lemmate *Merso hæc solatia sole*, superstites signant filios post necem parentis, sunt enim fulcra familiæ, cui proptetea sunt solatio, servántque majorum nobilitatem, quæ in posteros propagatur, ac viget.

38. *Stellæ* nocte intempesta in cœlo micantes adjecto hemistichio *Vigilant dum Magna quiescunt* eos in castris milites exhibent, qui nocturnas agunt excubias dum Duces, & Strategi somno sopiuntur. Sunt stellæ vigiles cœlestis Argi oculi, terræ student nocte commodo.

39. *Cœlum* multiplici corruscum sydere adjectis verbis *Clarius in tenebris* virum exhibet invicta loricatum fortitudine, qui flocci faciens adversantis fortunæ procellas; virtutis constantiâ splendet clarior, atros inter Adversitatũ turbines. Alludit etiã ad humilẽ Religiosũ.

Firmamentum multiplici stellarum nitore ad omnem splendescens elegantiam addito lemmate *Numine, & Lumine*; eò quia virtute conditoris Dei existat, & stellarum ornatu vigeat; eum indicat in Ecclesia Præsulem, qui pietate & doctrina excellit, sunt Pietas, & doctrina fulcra, quibus infulata Antistitum innititur dignitas. 40.

Stellæ plures in cœlis micantes, in quas Euri, Notique inflatis buccis nitantur efflare hac epigraphe *Non extinguimur unquam*, eos signant viros virtutum studijs addictos, ac patientiæ præsertim culturæ, qui fronte hilari, vultúque sereno persecutiones rident, cassos, vanósque efficiunt calumniantium conatus. Eos etiam pientissimos Religiosos, qui soli Deo adhærentes nihili faciunt quidquid commodi, vel molesti mundus adfert. 41.

Stellæ in Firmamento lucentes addito hemistichio *Igneus est illis vigor.* Eos repræsentans Prælatos, qui omnigenæ virtutis splendore micantes vero zelo cultum divinum promovent. 42.

Sydera in cœlis fulgentia, & suos in terras demitientia influxus cum lemmate. *Non nos otia tangunt.* Eos exhibent divini verbi Promulgatores, qui assiduis incumbentes laboribus plures circumeunt provincias, docéntque homines Christi doctrinam. 43.

Stellæ nocturnas inter cimmerias suos delegantes nitores cum lemmate *Sole absente micant* Eos mediocriter eruditos viros referunt, qui in illis clarent locis, ubi desunt cultores scientiarum, & perpaucos ornatus eruditionum polit. Sunt hi perinde ac stellæ, quæ eatenus nocte intempesta micant, quia solæ supra nostrum emisphærium suspiciuntur. Hinc ijsdem stellis addita ab alijs fuerunt hæc verba Gallica *Loin du soleil ils brillent.* 44.

Sydera per varias cœli partes micantia multáque spatiorum distincta intercapedine, quorum aliqua surgant, occidant alia cum verbis Horatij *ima summis* prudentis Principis optimum exhibent regimen quo quisque suo continetur ordine; neque à potentioribus sinuntur inferiores opprimi. 45.

Stellæ aliquot una cum luna occasum versus additis verbis *Vergimus ad occasum* fluxibilitatem exhibent hujus mortalis vitæ, omnésque homines, qui velint, nolint Libithinæ fato ad sepulcrum trahuntur. 46.

Astra pleraque cum Luna prope occasum; ita tamen ut media pars lunaris disci ab horizonte jam tegatur cum lemmate *Nullum immune*, mortis indicant necessitatem. à qua nemo sive Imperatoria ornatus chlamyde, sive regali ornatus sceptro, sive sacra indutus purpura immunis est. 47.

Sydera omnia in cœlis micantia eleganti- que ordine disposita addito lemmate *Omnis ab uno* significant, omnes homines, quidquid boni possident, hoc ab uno solo haurire Deo; perinde ac stellæ omnes, quos possident nitores à sole mutuant. 48.

Stellæ

49. *Stella* quæ phosphorus vocatur solis prodomus, de quo Martialis ait *Phosphore redde diem* eo quia proximam præsignet auroram, cum lemmate *Splendor hæret eunti*, eum refert Principis administrum, vel oratorem, qui fœlicitatem, & commodum aliquid Principis nomine, Populo auspicatur. Vel etiam Principem ipsum, qui post delatas victorias ex deletis hostibus è bello in patriam redux, quietem, & pacem spondet subditis.

50. *Stellæ* post solis occasum suos gradatim delegantes nitores cum lemmate *In prole superstite vivit*, ad illos alludunt filios, qui gesta præclara parentum imitantur; quia ut stellæ solis servant nitores; ita filij Patris exhibent honestas actiones.

51. *Firmamentum* pluribus stellis coruscum adjecta epigraphe *sine fulmine splendet* ad eum alludit Principem, qui omnigenæ virtutis ornatus nitore, clementiæ vel maximè studet, assuetus parcere.

52. *Sydera* plura nocturnum cœlum plerisque in locis dissitis veluti vernantes R. iæ exornantia cum verbis *Dissociata ligantur*, exhibēt eos, vel Religiosos, vel Christianos, qui conditione dispares, natione discreti vinculo simul colligantur charitatis, & Religionis

53. *Stella* primæ magnitudinis sola in firmamento atris obducto tenebris illucescens eum verbis *splendescit in umbris* eam exhibet fœminam Principem, quæ ob mariti obitum mœrore confecta, secúmque seriò cogitans quàm fluxa, quàm vacua sint mundana quæque, proponit soli Deo imposterum inservire, ac veræ niura lium virtutum incumbere culturæ.

54. *Stella polaris*, quam ursam minorem vocant, & Cynosuram, navisque mare trajiciens hac epigraphe *Lumine signat iter* alludit ad divinam gratiam, quâ misericors Deus intus peccatorem jacentem in tenebris lethalium noxarum illuminat, ut per resipiscentiam portum appellat salutis.

55. *Eadem polaris stella* adjectis verbis *Et regit & vigilat* optimum Imperatorem designat invigilantem suis subditis, quos bene regat.

56. *Eadem polaris stella* cum lemmate *Me duce*. Peritissimum Ducem refert, qui maritimam classem pluribus compactam navibus bellicis, alijsque onerarijs post varia rerum, tempestatúmque discrimina ex Americano littore in Patriam redux feliciter duxit. Hoc idem Symbolum eum verbis gallicis *Sous ma conduite* Ludovicum XIV. ex Belgio victurijs Lutetiam repetentem exhibuit.

57. *Eadem stella* cum hemistichio, *Tuta regit fixa polo* Ecclesiam militantem designat, quæ licet in fidei obscuritate elucescens nulli tamen est errori obnoxia, quia divini Spiritûs directa afflatu, Deique legibus fixa hæret.

58. *Eadem polaris stella*, & plures naves dissitos maris tractus trajicientes, quarum aliquæ portum appellere nitantur cum verbis *Rectores regit* summum refert Pontificem, qui perinde cæteros inferiorum Ecclesiarum Antistites regit, ac unum polare sydus singulos plurium navium naucleros, ac rectores,

Eadem stella adjectis verbis Hispanicis *Buena Guia* fuit Symbolum Marchionis de Mondeiar ex illustri Mendozarum gente. Hinc in gentilitio stemmate gerebat fulgentem stellam, cui præfata addidit verba, ut significaret; eum bene incedere, cui cœtum se ducem præbet. 59.

Eadem stella cum epigraphe *Fallere nescia*. summum exhibet Pontificem docentem ex cathedra, & declarantem fidei articulos, qui errori non est obnoxius ob sancti Spiritûs directionem. 60.

Eadem stella cum lemmate *Volvitur non occidit* eum exhibet virum sanctitate conspicuum, qui ex hac vita migratio non est mors, sed ad meliorem vitam transmigratio; & tantùm per decessum volvitur ex mortali ad immortalem vitam. 61.

Eadem polaris stella cum Epigraphe *In motu immobilis*, virum fortem, frangi nescium, ac loricatâ constantiâ ictus eludentem novercantis fortunæ refert. 62.

Eadem stella cum hemistichio *Nunquam spectata fefellit* significat, neminem unquam in cassum patrocinium invocâsse Virginis Matris. 63.

Cœlum nocte serena pluribus splendidum syderibus eum hemistichio *Nec noxia sydera turbant* alludit ad illam sacram Religiosorum familiam. Vel hominum insignium cœtum, ubi nullus est qui alteri sit molestiæ; sed singuli vinculo colligati charitatis ordinem tenent harmonicum, mutuisque honorantur obsequijs. 64.

Cœlum pluribus stellis majoribus, ac minoribus diversas exhibentibus figuras ornatum adjectis verbis *Varietate placet*, refert Ecclesiam, in qua plures florent Religiosorum familiæ, virtutum nitore, sanctitatis splendore stellas in cœlis imitantes, sunt enim decora militantis Ecclesiæ circumdatæ varietate, perinde ac sydera ornamentum sunt cœlorum. 65.

Cœlum nocte atris obductum nubibus, ita tamen, ut ex qua parte dehiscere, rimásque agere suspiciuntur nubes, aliquot appareant sydera in firmamento cum verbis Gallicis *Au de là ce ne sont que lumieres* alludit ad cœlestem patriam, in qua splendida nos manet fœlicitas post hujus mortalis vitæ superatas ærumnas, exantlatos labores. 66.

Stellæ in firmamento primæ magnitudinis cum Hispanicis verbis *Mas Luz aun, que resplendor;* seu plus habent lucis, quam exhibeant splendoris, ad eos alludunt viros virtutum culturæ addictos in solitudinis secessu, quorum merita sunt longè majora, quam ab hominibus habeantur in pretio. 67.

Cœlum omnibus syderibus splendidè consitum, & ad mirum ornatum elegantiam addito lemmate *Hæc solatia noctis* eos exhibet viros Religiosos cœlestium contemplationum studiosos, quibus in caliginosa hujus fluentis vitæ nocte sola cœlestia, & æterna, quibus inhiant sunt solamini, & gaudio. 68.

Firmamentum ex quavis parte stellis rutilantibus ornatum, & undique splendoribus 69.

coru-

corufcum cum lemmate *Innumeræ numera* exhibet Virginem Matrem, cujus virtutes nunquam fatis recenfere poffumus, de qua propterea cecinit pius cliens *Tot tibi funt dotes, quot fplendent fydera cœlis.*

69. *Via lactea* inter rutilantia fydera in medio fignata firmamenti addita infcriptione *Ex lumine candor*, eum exhibet virum caftitatis cultorem, qui divinæ refpondens gratiæ fuos componit mores juxta interna lumina, quibus à Deo illuftratur.

70. *Firmamentum* pluribus corufcum fyderibus cum lemmate *Et favet, & fovet*, eum refert Principem virtutum ornatu celebrem, qui pauperibus favet, & pecuniarum largitionibus eos fovet, feu fuftentat, at nutrit.

EXCURSUS.

Principum divitiæ fi in pauperum finum deriventur, veluti femina fœcundæ concredita telluri in uberem crefcunt meritorum meffem.

Effatum eft Philofophi de inceffu animal. c. 4 Fontem, & principium notionis effe à dextra; & ibi effe dextrum ubi ftellæ oriuntur. Quid ni motionis divinæ principium eft mifericordia, à qua infignium gratiarum benefica fydera, veluti à dextera parte oriuntur. Quòd fi Deus, Pater dicitur mifericordiarum; vifcera ejus filij non nifi mifericordiæ; imò non vifcera tantùm, fed fingulæ corporis partes mifericordiam fpirant; unde fponfa in facro Epithalamio, ejus oculos columbinos edixit cant. 1. 15. *Oculi tui columbarum*: funt oculi columbarum veluti terfa, ac polita fpecula, quæ imagines quafque obvias rerum externarum in fe fufcipiunt, ac repræfentant: & id etiam proprium miferationis, animum in alios præfertim inopes indigentes transformare, & alienam induere perfonam, quam beneficijs eumulet, cui impertitis eleemofynis favet; eámque foveat: oculi ejus funt columbarum, quia alienas miferias animo excipit, & ijsdem propè ærumnis affligitur; unde Apoftolus quia plenus charitate, & mifericordia fcribens 2. ad Corinth. 11 29. ait *Quis infirmatur, & ego non infirmor.* Is verò eft mifericors, qui alienas miferias ita in fe fufcipit, ut ab ijsdem alios fubtrahat. Dicuntur divites divitijs diffluere, & divitiæ flumini pariatæ fluere; quòd fi divitiæ fluunt derivandæ funt in pauperes, ut eorumdem irrigent ficcitatem, fructúsque promoveant meritorum. Tunc divitijs affluentes fuas poffident divitias, cum eas indigentibus communicant: unde Salomon. Proverb. 5. 16. *Deriventur fontes tui foras, in Plateis aquas tuas divide, habeto eas folus, nec fint alieni participes tui*: tametfi videantur non poffe nifi difficulter verba Salomonis cohærere; in eo quia non videatur, quomodo poffit quis folus poffidere aquas, qui jubetur eas in alios derivare: nihilominus is tunc verè divitias poffidet, qui eas pauperibus diftribuit; tunc eas coacervat, quando indigentibus elargitur, tunc auget, cum eas minuit, communicátque ærumnofis, quorum miferias excutit; idque caufæ, cur S. Petrus Chryfologus ferm. 8. moneat dandum effe pauperibus, ut demus nobis: *da pauperi, ut des tibi.* Dat fibi dives, cum dat pauperi; quia totum quod dat in totam refilit dantis utilitatem; & quidem eo incremento, ut fi det paucos nummos regnum accipiat æternùm duraturum: hinc Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 1. *Largitio bonus eft fons benignitatis, & potum fitientibus communicans, rurfus augetur, & repletur: quemadmodum ad ubera quæ fuguntur, vel mulgentur folet lac copiofius accedere.* Vult Deus, ut priùs pauperibus demus, quos foveamus, quàm fibi, quod videtur nos edocuiffe Magdalena in domo Pharifæi Luc. 7. 38. *unxit pedes JESU*, priùs pedes Chrifti unxit, quàm caput, quia fæpius præfert Deus, quæ pauperibus damus, ijs quæ ipfi offerimus; & Magdalena fuo opobalfamo fi pedes Chrifti unxit, proprium illinivit nomen, ne fieret corruptioni obnoxium, Matth. 26. 13. *Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo dicetur, & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Vult Deus ut prius pauperibus opitulemur; alienas miferias fublevemus, pauperum indigentijs fuccurramus, alienam fitim extinguamus, quàm ipfi demus. Sitiebat Elias, & fitis extinguendæ causâ non fontem adivit, cujus pellucidis, frigidisque laticibus æftus temperaret fitis; fed ad pauperem mulierem viduam venit, à qua aquam petijt temperando æftui concupitam 3. Reg. 17. 10. *Da mihi pauxillum aquæ in vafe.* Sed fi Elias veluti cœli claviger, pluvias in terram, ut ipfi magis placuit evocavit; cur cœleftium fontium aquas non fibi aperuit; cur maluerit à muliere pauxillum expofcere aquæ? quia Chriftus fitiens priùs in paupere vult refici, quàm cœleftem fuppeditet ubertatem. Eleemofyna rectè pariatur aquæ, quâ alienam fitim extinguimus, feu alienis fuccurrimus indigentijs, non tamen hæc aqua paluftris eft, vel in ftagno corrupta, fed quæ è fonte aquæ vivæ fcaturit; id innuit S. Petrus Damianus ferm. 71. *Interpretandum eft eleemofynæ vocabulum*: EL Hebraicè DEUS; Moys *Ægyptiaca lingua dicitur aqua, inde eleemofyna, id eft aqua Dei.* Eft hæc aqua, quam fi trajicimus portum appellimus cœleftis Patriæ: hinc David Pfalm. 40. 2. *Beatus qui intelligit fuper egenum, & pauperem.* Intelligere fuper egenum, eft inquirere indigentium miferias, quæ exteriùs non apparent, fed interius torquent erubefcentes mendicare, ut funt qui claro ftemmate nati in imum fors detrufit indigentiæ, ac inopiæ, eorum miferias levare indigentijs opitulari, eft intelligere fuper egenum, & pauperem; largiri petentibus in publico vitæ fubfidia, videre potiùs alienam indigentiam, dixeris, quàm intelligere; ea videmus, quæ apparent, quæ verò oculis non fubjiciuntur, mente intelliguntur; ait S. Chryfologus ferm. 14. *Vis eft intelligentiæ fi rimetur vifcera, fi deprehendat occulta, fi tecta nudet. Verùm*

ùm subjecta oculis, exposita in publico, ingesta rebus non est intelligere, sed videre.

71. *Stella* quam Græci Phosphorum vocant, eò quia solem præeat, proximámque præsigoet Auroram eum inscriptione *Disponit cum Sole vias.* Eum exhibet virum justum, qui regulam suarum actionum solum Deum deligit, qui est lux mundi, verúsque Sol justitiæ.

72. *Stella polaris* hac epigraphe *Invia pervia* in eum quadrat, qui navali classe plures, eósque dissitos oceani tractus trajicit novas detecturus Insulas quibus potiatur.

73. *Stella*, quæ omnium prima post solis occasum splendescit, dicitúrque Hesperus hac inscriptione *Mihi decus ab umbris* illam exhibet fœminam, quæ post mariti obitum mœrore confecta, cogitansque quàm fluxa, quàm vacua sint, quæ mundus exhibet, quæque in mundo possidentur soli Deo inservire statuit; & in statu viduitatis summis assuescit virtutibus, quas in agro Christianæ pietatis excolit.

74. *Stella polaris* cum hemistichio *Movetur non visa Moveri* Eum exhibet, qui plura agit ea taciturnitate, & quiete, ut nihil agere credatur.

75. *Stellæ* in Firmamento micantes, suósque influxus demittentes in subjectas terras plurium elegantiâ florum amœnas cum verbis *supra, infráque juvant* referunt Cœlites æterna donatos beatitate, qui in cœlesti patria fulgentes sicut stellæ prosunt hominibus, à quibus rogantur, quatenus pro ijsdem intercedunt apud Deum.

76. *Stella* polaris, ad quam vertitur acus Magnetica in nautica pixide cum lemmate *Vis arcana trahit* alludit ad lumen divinæ gratiæ, quo Deus allicit, trahitque ad se, quos peccatum ab eo avertit.

77. *Astronomicum Virginis signum* medium Leonem inter, & Libram in Zodiaco hac epigraphe *Cœlestes temperat iras* Mediatricem Virginem matrem exhibet piâ sua intercessione divinæ justitiæ sistentem gladium.

78. *Constellatio Orionis* cum lemmate *cœlesti militat ense* repræsentavit Poloniæ Regem Joannem Subiesckium cum obsessam à Turcis Viennam Austriæ fugato Turcico exercitu vindicavit.

79. *Stellæ Veneris, & Mercurij* vix in horizonte conspicuæ paulò post solis occasum hac epigraphe *Non licet, esse pares* alludunt ad illos prænobiles aulicos, qui lateribus Principis adhærentes, ob nimiam, quam contrahunt libertatem, videntur ei æquare, quod cum Principi displiceat, ab ejus cadunt favore, ac splendore.

80. *Stella Saturni*, quæ alijs grandior inferioribus planetis præsertim Luna, longè exiguor apparet, cum lemmate *Quo altior minor*, Ad Virginem Mariam alludit, quæ cum seligeretur in Matrem Dei, humilem se dixit ancillam. Quadrat etiam hoc symbolum in illos Religiosos, qui cum natalium nobilitate, & eruditionis ornatu cæteris antecellant; illis tamen malunt subesse, quàm præesse studentes humilitati.

EXCURSUS.

Virgo Maria quò humilitate infimior, eò maternitate excelsior.

Adeo est Deo humilitas grata, ut ancillam humilem delegerit sibi matrem, à qua secundùm humanitatem conciperetur, ac prodiret; ut quæ adumbrata erat humilitate, supra reliquas mulieres claresceret dignitate. Decuit ancillam humilem hac donari prærogativa, quà à matre humili, Christus mitis, & humilis nasceretur: hunc humilitatis nexum in matre, & filio indicavit S. Ambrosius in cap. 1. Lucæ: expendens enim verba illa: *Ecce ancilla Domini*, ait: *mitem humiléinque partura, humilitatem debuit, & ipsa præferre;* hanc humilitatem, quam semper prætulit, tunc vel maximè prodidit, cum salutata ab Angelo mater Dei fuit Luc. 1. *Ecce concipies, & paries filium*, tunc se ipsam exinanivit, & ad famulitium se dimisit ancillæ. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum;* hæc tamen humilitatis demissio, è summo cœlo Spiritum sanctum illexit, qui statim Virginem obumbravit, fœcundam reddidit, & filium Dei concepit: scitè Mellifluus Doctor homil. 1. *super Missus est*: ait in commendationem Marianæ humilitatis: *Et si placuit ex Virgine, de humilitate tamen tamen concepit.* Mariæ humilitas Spiritum S. allexit, ut eam obumbraret, & filium Dei in sinum attraxit, ut nostram assumeret humanitatem. Humilitate Deum allici, trahique ad cultores hujus virtutis; & divinam Majestatem cum humilibus conversari noverat Sponsa in sacris Epithalamijs cap. 1. v. 11. cum dixit *Nardus mea dedit odorem.* Olet hæc nardus humilitatem, quæ cœlestem sponsum illexit, & ad se traxit, ut edisserit S. Bernardus in Cant. s. 15. inquiens: *Quid est aliud nardus mea dedit odorem suum, quàm placuit mea humilitas? non mea inquit Sapientia; non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erat mihi; sed quæ sola inerat humilitas, dedit odorem suum:* Odor humilitatis, quò demissior olet in profundioribus terræ vallibus, eò ad sublimiora ascendit, & è sinu Patris in uterum humilis Virginis in hortum conclusum, ubi floruit hæc nardus humilitatis Filium unigenitum traxit. Fuit humilitas Mariæ veluti scala Jacobæa, per quam Divina Majestas, è summo cœlo in imum descendit terrarum, ut nos per eamdem in cœlum ascenderemus: huc accersendus S Augustinus serm. 35. de sanctis inquiens: *O verè gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta Paradisi efficitur, scala cœli constituitur! facta est certè humilitas Mariæ scala cœlestis, per quam descendit Deus ad terram: quia respexit inquit humilitatem ancillæ suæ: & quid est dicere respexit, nisi comprobavit, placuit ei humilitas mea.* Quòd igitur Verbum Divinum è sinu patris in imas terras descenderit, nostrámque induerit humanitatem, humilitati debemus Mariæ, quæ scalam exhibuit, per quam Divina Majestas ad nos

nos descendit, ut filius Dei fieret filius hominis, ut homines fierent filij Dei adoptati per gratiam; quâ sanctificamur: unde exclamat Bernardus: *O verè beata humilitas; quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberavit.* Humilitas Virginis felix fuit illa radix, è qua virga germinavit, & flos ille prodijt, qui frigescentis mundi luridam hyemem depulit; & Ver floridum divinæ gratiæ nobis aperuit, quod prædixerat Isaias *cap. 11. v. 1.* inquiens: *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet.* Quid radix esse designat quàm Virginem Mariam; ex hac felici radice prodijt Virga, germinavit flos: declaratur enim per Virgam Christi in terris tenuitas, seu paupertas; & per florem ejus virtus; cum de seipso dicat *Ego flos campi, & lilium convallium,* quid per valles significatur, quàm humilitas depressa ad montium pedes; fuit ergo Christus *Lilium Convallium*, seu flos, qui in valle, in humilitate Mariæ germinavit; non prodijt flos iste ex ramis, sed ex radice Iesse; quia ramus in sublime erigitur, radix verò in ima deprimitur, terra obtegitur, ac Symbolum præsefert humilitatis; quia si è radice rami totius arboris vitam unà cum humore hauriunt; ab una humilitatis virtute reliquæ omnes oriuntur; quæ si arescat, deficiunt, & reliquæ virtutes: perapté Guaricus Abbas serm. de Parobola filij prodigi commendans humilitatem ait: *Humilitas omnium virtutum est maxima, cum tamen virtutem se esse nesciat: ipsa ferè omnium radix, & seminarium, & fomes, & incentivum, & ipsa cumulus, & fastigium, custodia, & disciplina: ab ipsa incipiunt, per ipsam proficiunt, in ipsa consummantur, per ipsam conservantur.* Quàm utilis, quàm necessaria est humilitas, quæ reliquarum est fundamentum virtutum; quæ in Virgine Dei filium è sinu Patris in terram traxit, ut homines cœlum inscenderent. Humilitas Virginem si demisit in famulitium ancillæ, eam ad summum dignitatis evexit apicem, quâ Mater facta fuit Dei: id proprium humilitatis eos sublimiùs evehere, qui se ad infimiora demittunt; suos in Cœlum efferre cultores, quos in terris viliora exerceat officia: scitè Augustinus lib. 16. de civit. cap. 4. *Tutam verámque in cœlum viam molitur humilitas, sursum levans cor ad Dominum.* Humilitatē scalam esse dixeris, per cujus gradus descendimus ad infima officiorum exercitia; & ad sublimiora ascendimus dignitatum fastigia, quibus insigniuntur in cœlis, qui humiles fuerunt in terris; quò enim ad infimiora quis se demittit in terris, eò altius in cœlis evehitur: id humili obtingit ac lusoriæ pilæ, quæ si impetu vehementi deprimitur, projicitúrque in humum, eò sustollitur altiùs: *Humiles* ait Augustinus in Psalm. 93. *quasi in terram se deprimunt, & in cœlum ascendunt.* Moyses humilitatis cultor in humum se demisit, cum indignum se novit, ut cum Pharaone manum confereret, & populum Israelis ab ejus eriperet famulitio; sed tunc altiùs fuit evectus, & à Deo Pharaonis Deus constitutus Exod. 7. 1. hinc B. Rupertus *lib. 2. in Exod. cap. 26.* inducens Deum cum Moyse loquentem ait: *Quoniam tu nostissimus virorum pro tuo glorioso negotio cum Pharaone dimicare, & cum regibus congregare te indignum ducis; atque hoc modo te usque ad novissima terræ deprimis: ecce ego sustollam te super altitudinem nubium, faciamque Te Deum, non quem ille fideliter adoret; sed quem serviliter formidet, ut imperes aquis pro potestate Dei.*

Quos humilitas in pulverem deijcit, prosternitque, gratia inter sydera evehit; ut qui humiles jacuerunt obscurati in terris; splendeant syderibus irradiati in cœlis; idque semini obtigisse Abrahæ nos edocet sacer textus Genes. 13. 16. *Faciámque semen tuum sicut pulverem terræ:* humiliavit Deus semen Abrahæ usque ad terræ pulverem, quo filij Abrahæ sordescerent humiles; sed quos humiles, & pulverulentos depressit in terra, mox in Cœlum evexit stellarum consortio splendidos, Genes. c. 15. 5. *Suspice cœlum, & numera stellas si potes, sic erit semen tuum,* quos pulvere voluit priùs sordescere; stellis adsciscit: qualis enim pulvere nexus ad societatem cum syderibus ineundam? pulvis pede conteritur, est omnibus contemptui, nec permittitur vestibus, imo nec calceis adhærere, & statim excutitur; sydera verò supra caput coruscant nitidissima; cur igitur quos priùs pulveri in terra sordescenti comparaverat, mox pares stellis edicit? quia quos humilitas in terræ pulveres demittit, hos gratia syderibus adsciscit in cœlo: ut splendeas in cœlis syderibus coronatus, stude in terris humilitati, quâ sis pulvere sordidatus: scitè Hugo Cardinalis expendens citatos textus ait. *Ad stellas usque evehuntur, qui ita se abjiciunt ut pulvis.* Vult Deus homines humilitatis studiosos ut fiant divinitatis participes, vult priùs dejectos, ut habeat ad beatitatem provectos Psalm. 126. 2. *Vanum est vobis ante lucem surgere; surgite postquam sederitis.* Sessio per corporis demissionem Symbolum præsefert humilitatis; cujus studium vult Deus ut præcedat hominis exaltationem ad gloriam, cui surrectio à sessione præludit; huc accersendus S. Rupertus *lib. 6. in cap. 14. Oseæ* inquiens: *Priùs humiliationem sustinete; & post ascensum præmia quærite gaudiorum:* hic enim sessio humilitatem significat, non honorem, ut capitis nostri instruamur exemplis: sedit quando dixit *tristis est anima mea Matth. 26. 38.* surrexit cum dixit *data est mihi omnis potestas,* ut expendit Cassiodorus in Psalm. 126. Est humilitas, quæ per demissionem ad inferiora viam humilibus sternit ad sublimiora; id sacer sponsus visus est suam edocuisse sponsam, cum sinistram manum ejus admovit capiti priusquam ad amoris amplexum per dexteram admitteret Cant. 2. 6. *Levá ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me* lævam præmittit in capite antequam ad amplexum dexteræ mereatur pertingere, quia per lævam vult omnem à capite tumorem superbiæ abjicere; ubi enim sinistra contingunt, adversitates premunt, elatio cadit viribus destituta; præcedente humilitate surgit sponsa, &

& ad amplexum ascendit cœlestis sponsi: V. Beda lib. in Cant. *Neque enim dextera illius quemquam amplexabitur; nisi quem prius læva ejus sovendum susceperit: id est nemo claritatem illius in futuro videbit, qui non in præsenti ad suscipienda humilitatis ejus mysteria fideliter reclinavit.* Si delectat sponsi amplexus, non deterreat humilitatis demissio; hæc est, quæ ad amplexum perducit sponsi ad ascensum in cœlum, quod neque ipse Rex gloriæ ingredi voluit, nisi post humilitatis exempla, quæ veluti vestigia terræ impressit, ut nos ejus sequentes vestigia mereamur cum ipso conregnare in cœlo Psalm. 23. 17. *Attollite portas principes vestras, & introibit Rex gloriæ,* quia humiliatus fuit in terra, reclinatus in præsepio exaltatur Rex gloriæ in cœlo, ubi ob exinanitionem in terris sedet ad dexteram Patris; non quod sit major, vel dignior Patre, sed quia se exinanivit in terra, ei dextera Patris tribuitur in cœlo, ut explica S Clemens Alexandrinus *l. 5. in Joan. cap. 2.* Humilitas enim si pares tantùm adsint, qui minores nequeant fieri, eorum occupat dexteram, quæ propterea humilitati tribuitur, cui convenit exaltari; hinc Luc. 3. 5. ait Christus: *omnis vallis implebitur:* impletio vallium exaltatio est humilium; non possunt valles impleri nisi æquales fiant montibus.

81. *Stella, quæ Lucifer* dicitur hac epigraphe *Luce anteit omnes* in eum quadrat, qui sive eruditione in Academiis; sive scientiis in Scholas sive virtute bellica in castris; sive nobilitate in aula, sive dignitate in republica, sive honore in civitate; sive religiositate in claustris cæteris præcellit.

82. *Ursa minor,* polares complectens stellas hac inscriptione *Nescia mergi,* eum exhibet, qui aurea tectus patientia, & adamantina lorica tus fortitudine nunquam finit ab ærumnis, ac adversantis fortunæ superari conatibus, adeout licèt adversitatibus prematur, nunquam tamen opprimatur; neque mentis exuat tranquillitatem.

83. *Signum cœleste capricorni* cum verbis *Hoc itur Elysium* fuit Symbolum Marchionis Alphonsi della valle, quia ex Platonicorum sententia per signū illud ad Elysios campos via parabatur. Præterea quia Sol non lustrat signum capricorni nisi summa hyeme, quâ frigus magis riget, & omnia alto concreta gelu in mœrore jacent ac squalore; idem Symbolum indicat ad cœlestem non perveniri fœlicitatem nisi per exantlatos labores, rigidúmque vitæ curtum.

84. *Idem capricorni signum* cum hemistichio *Fidem Fati virtute sequimur.* Fuit Symbolum Magni Etruriæ Ducis Cosmi I. cui hoc signum fuit natale; sicut etiam Augusto Cæsari, cui totius orbis præsagivit imperium. Hoc Symbolum mutatâ duntaxat figurâ in aliam, quæ cuivis fuit horoscopus auspicatissimus, in eum etiam quadrat, qui cultura virtutum, præclarisque gestis nititur promissam ab horoscopo sortiri effectum

85. *Signum cœleste Leonis* cum verbis Gallicis *Il sçait se faire craindre, & sçait se faire aimer* exhibuit Serenissimum Electorem Bavariæ Maximilianum Emanuelem Belgij Gubernatorem; qui difficillimo Belli tempore; armis, & Martia virtute fuit alijs timori; & comitate, mellitisque moribus amori; ornant leones Bavaricum gentilitium stemma.

Arietis signum cum lemmate *Omnia florent* 86. fuit Symbolum expositum Florentiæ anno 1665. in nuptijs Francisci de Medicis Principis Florentiæ, & Senarum cum Joanna Austriaca. Fuit hoc sydus Principis horoscopus.

Tauri signum unà cum Sole adjecta epigraphe *Solo statione coruscat* fuit Symbolum, quod 87. Taurini Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem Cypri Regem exhibuit, cum in patriam redux Taurinum ingrederetur. Est Taurus gentilitium hujus urbis stemma. Per solem in signo Tauri splendentem significabatur appulsus Principis in suam metropolim, quæ coruscabat jubilo, communique plaudebat lætitia ob sui Principis adventum.

Taurus, Leo, Scorpio, Architenens in zodiaco 88. cum verbis *serviunt, non sæviunt;* eos significant animi cum irascentis, tum concupiscentis motus qui ad amussim rectæ rationis coërcentur; si motus ex se inordinati utriusque appetitus compescantur non obsunt, sed prosunt eos coërcenti ob meritum, quod ob delatam victoriam enanciscitur.

Stella Mercurii, quæ sphœram solis ingre- 89. diens non amplius fit nobis conspicua cum lemmate *sic latuisse juvat:* illum refert in urbe clarum Juvenem, qui abdicatis mundi divitijs, ac honoribus, quibus solent homines clarescere, onus subijt sacræ Religionis, ut soli Deo vero Justitiæ soli inserviat, & propiùs adhærescat.

Eadem Mercurij stella prope solem cum epigraphe *Nunquam procul à Sole* eum exhibet aulicum, qui ob gratiam, quâ fruitur sui Principis jugiter ejus adhærescit lateri.

Eadem stella Mercurij solem insequens oc- 90. ciduum adjecto hemistichio *sequitur deserta cadentem,* Virginem Matrem refert sequentem JESUM Filium suum in Calvariæ Montem, mortem subiturum.

Stella matutina, quæ à Latinis Lucifer, à Græ- 91. cis Phosphorus dicitur cum verbis Gallicis *Elle annunce la venuë du soleil* exhibet S. Joannem Baptistam Christi Prodromum, seu anteambulonem. Adventus Joannis Baptistæ proximum Christi nunciavit natale.

Eadem stella adjecto hoc alio lemmate *Eoi, occiduique comes* eum repræsentat Aulicum, qui 92. è nutu pendens sui Principis, eum sequitur quocunque se vertit etiam cum imminenti discrimine vitæ.

Eadem stella vespere omnium prior appa- 93. rens, & mane posterior disparens cum lemmate *Cito venit, sero recedit* alludit ad eum Antistitem, qui ut religiosæ observantiæ suis subditis se præbeat exemplar, prior cæteris sub media nocte chorum accedit recitaturus horas matutinas, & hisce absolutis recedit ultimus, diutius orationi mentali vacaturus.

Stella Hesperus statim post solis occasum 94. sola supra horizontem splendescens cum inscri-

ſcriptione *Sola cum Sole*, Virginem Matrem exhibet, quæ diſcipulis omnibus aufugientibus ſola Chriſtum in Calvariæ montem, ubi crucem ſubiturus, comitata fuit.

96. *Stella Phoſphorus* horis antelucanis emergens ab horizonte orientis ſolis, quem præit hac epigraphe *Nunciat orta diem*, alludit ad Nativitatem ſancti Joannis Baptiſtæ Prodromi JESU Chriſti, cujus proximum adventum præſagivit, ac nunciavit.

97. *Heſperus* unà cum ſole occiduo ad occaſum vergens addita inſcriptione *Non deſerit unquam*, alludit ad fidelem illum Aulicum, qui ſuum Principem nunquam ſinit ſolum adire pericula præſertim in caſtris.

98. *Phoſphorus* ante ſolis ortum claro ſplendore coruſcus adjecto hemiſtichio *Magno de lumine lumen* eum exhibet prædivitem Aulicum qui quidquid ſplendoris, dignitatis, ac divitiarum poſſidet totum ſuo accipit à Principe; perinde ac Phoſphorus omnes ſuos à ſole haurit nitores.

99. *Eadem ſtella* ſoli conſociata, quem tamen præit adjecta epigraphe *Adhærere bonum eſt* alludit ad eum virum juſtum, qui Dei præcepta religiosè cuſtodiens, nunquam à Deo avertitur, ſatus ſoli Deo adhærere bonum, ac illi ſoli ſervire.

100. *Heſperus* occiduum inſequens ſolem cum hemiſtichio *cum ſurgit, & occidit adſum* Principis deſignat Cubicularium, qui ſuo functurus munere, adeſt ſemper cum Princeps mane ſurgit, itque nocte cubitum.

101. *Eadem ſtella* occidens occidente ſole cum lemmate *Comitata cadentem* exhibuit obitum Principiſſæ Sereniſſimæ Franciſcæ Aurelianenſis, quæ eodem fermè deceſſit tempore, quo Regina Chriſtiana Galliarum ejus amita obijt.

EXCURSUS.

Explicatur cœli conſtitutio, & Stellarum diſtributio.

PRæter Cœlum planetarium, in quo ſeptem cientur planetæ, & nos ſtudium aſſervimus, alij duo dantur, firmamentum, cui ſtellæ ut flores areolæ, gemmæ annulis, vel ſi mavis, clavi tabulæ ſunt affixæ; & Empyreum Beatorum ſedes; utrumque ſolidum eſſe evincitur ex eo, quod Job cœlos dixerit *ſolidiſſimos, quaſi ære fuſos* quod non tribuitur cœlo planetarum, ſed Firmamento, & Empyreo: Hoc idem innuit D. Paulus cum aſſervit ſe raptum fuiſſe ad tertium cœlum; tres enim numeravit cœlos, ſeu Planetarium, Firmamentum, & Empyreum: aër enim, & nubes nonniſi impropriè dicuntur cœli, ut cum dicitur in Pſal. *volucres cœli*, dicitur aër cœlum, quia pertinet ad regionem terrâ ſuperiorem: & D. Paulus ſuit loquutus de cœlo Empyreo, quod Deus in principio creavit, ut diſtinctum à Firmamento, quod condidit in medio aquarum; dari ſupra Firmamentum aquas, non eſt dubium Pſalm. 148. *Aquæ, quæ ſupra cœlos ſunt laudent nomen Domini* ait D. Auguſtinus de Genes. ad lit. *Major eſt Scripturæ Authoritas, quàm omnis humani generis capacitas.* Eſt autem Firmamentum ſtellis fixis coruſcum figuræ ſphœricæ; id evincunt motus ſyderum, quæ feruntur circa terram motu circulari: ſive fixæ ſint ſtellæ fixæ in oriente, ſive in meridie, aut occidente apparent ſemper ſub eadem magnitudine, idque argumento eſt, ubique in ſuo motu à nobis æquidiſtare: alioquin juxta regulas opticæ, ſi quâ parte fierent à nobis remotiores, apparerent nobis minores.

Cœlum igitur quod Firmamentum dicimus ſolidum eſt, & duobus oppoſitis nititur polis, per quos ſimul, ac per centrum mundi, veluti axis trajicitur, circa quem perpetua movetur circulatione; ex hiſce polis alter Arcticus, ſeu Borealis; alter Antarcticus, ſeu auſtralis, vel Meridionalis dicitur. Totum Firmamentum triſariam partitur per tres imaginarios circulos; ſcilicet per Horizontem, ſeu Finitorem, qui in bina dividitur hemiſphæria, quorum alterum ſuperius eſt; alterum inferius: per Æquatorem, qui eſt circulus medius inter duos polos: & per hunc circulum dividitur, mundus in binas partes Borealem, & Auſtralem, diciturque circulus æquinoctialis; quia quando Sol annum ſuum perficiens curſum exiſtit ſub hac linea æquinoctiali, efficit æquales dies cum noctibus: & tertiò per circulum Meridianum, qui ducitur per utrumque polum, cujus beneficio mundus dividitur in binas partes orientalem, & occidentalem: vocatur hic circulus meridionalis, quia quoties Sol ſuum perficiens diurnum curſum ab oriente in occaſum hanc lineam ſingulis diebus attingit eſt meridies ijs omnibus, qui ſub eo circulo per totum hemiſphœrium exiſtunt; & ijs qui ex oppoſito habitant in hemiſphærio inferiore eſt media nox. Circulus tamen meridianus, non uni tantum parti mundi addicitur, ſed tot concipiuntur, quot puncta verticalia ab ortu in occaſum deſignantur; adeout nequeat eſſe idem meridianus duobus hominibus, quorum unus Conſtantinopoli, alter Ulyſipone in Luſitania degat; quia cum Sol oriatur priùs orientalibus, quàm occidentalibus, neceſſe eſt quòd meridies varietur, ut & ſolis occaſus. Rurſus circulus Horizontalis mundum ex æquo dividit in duo hemiſphæria, & differt ab horizonte ſenſibili, qui viſu noſtro definitur, eſtque ſpatium illud in ſuperficie terræ, vel maris quod poteſt attingere, ſeu in quod poteſt viſu ſe extendere oculus in ſuperficie terræ, vel maris, circumducta oculorum acie ſublatis impedimentis: & ſicut poli circuli æquatoris ſunt poli arcticus, & antarcticus; ita poli circuli horizontalis ſunt illa duo puncta in Firmamento, quorum unum noſtro imminet vertici, diciturque polus verticalis, & *Zenith*; alter eſt punctum diametraliter oppoſitum infra illud hemiſphærium; & dicitur *Nadir*. In diſtantia æquatoris per gradus viginti tres cum ſemiſſe ponuntur circuli duo paralleli æquatori, quorum alter eſt borealis, &

dicitur Tropicus cancri; alter Australis,& dicitur Tropicus Capricorni: hi duo tropici metæ sunt annui cursus solis: quia Sol vel accedendo æstate ad septemtrionem, vel hyeme recedendo ad austrum nunquam transilit hos terminos: quapropter cum Sol ad hos duos tropicos pervenit fiunt solstitia, æstatis cum attingit Tropicum cancri; & hyemis cum pervenit ad Tropicum Capricorni. Rursus per alios viginti tres gradus cum medio à tropicis ad polum utrumque designantur alij duo minores circuli, qui dicuntur polares, eò quia polis mundi sint proximi.

Præterea cœli facies & respectivè ad cœlum etiam terraqueus globus in quinque dividitur zonas, est zona idem ac regio magis, vel minus temperata ob solis propinquitatem vel distantiam. Zona torrida est, quæ intra duos tropicos continetur & dividitur in duas partes per lineam æquatoris; aliæ duæ quæ comprehenduntur inter tropicos, & circulos polares dicuntur temperatæ; & aliæ duæ à circulis polaribus ad polum vocantur frigidæ ob majorem distantiam à sole, & æquatore.

Zodiacus est, in sphæra circulus major cum certa latitudine, sub qua septem planetæ suos dirigunt cursus, & in duas oppositas partes obliquè intersecat æquatorem, à quo etiam dividitur in partes duas æquales, quarum altera ad tropicum australem, altera ad septemtrionalem vergit; & dividitur Zodiacus in duodecim partes, quarum quælibet unâ dempta sortitur nomen alicujus animalis: estque hic circulus obliquus,qui secundùm longitudinem varijs dividitur modis. Primò in duodecim partes æquales, quarum singulæ suum habent proprium signum,quod constellatio dicitur,suamque sortitur nomenclaturam à signo stellato sibi respondente, quò fit ut duodecim in zodiaco numerentur constellationes per longitudinem,quarum sex sunt in parte septemtrionali, aliæ sex in australi,& comprehenduntur his duobus versibus.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Initium Zodiaci, & signorum petitur à principio Arietis: quia creditur Sol ibi fuisse initio mundi à Deo conditus. Et signa zodiaci dici, eò quia nobis signent varias anni partes, ac tempestates; unde quadripartita fiebat anni divisio pro quatuor anni tempestatibus: etenim ab initio Arietis, seu Æquinoctio verno incipit Ver die 21. Martij. Tum sequitur Solstitium æstivum initio cancri die 22. Junij. Deinde fit Æquinoctium autumnale, & incipit Autumnus initio libræ 23. Septembris; denique habetur Solstitium Hybernum, & initium hyemis in tropico capricorni 22. Decembris. Hinc cum Sol dicitur esse in ariete vel alio signo, nil aliud significatur,nisi quòd Sol sit sub tali signo,seu illi respondeat per lineam imaginariam ductam à centro mundi per centrum solis ad tale signum. Cæterum si cæteri circuli in sphœra tantum secundum longitudinem instar lineæ sunt divisibiles, Zodiacus habet latitudinem 12. graduum, vel etiam ut placet alijs sexdecim, non tantùm eam ob causam, ut intra contineat figuras signorum cœlestium, quæ talem videntur in zodiaco latitudinem exigere; verùm etiam ob motum Planetarum, quem sub ipso servant. Luna enim ut notant recentiores Astronomi cum Clavio diversis temporibus in eodem zodiaci gradu existens, non tamen oritur in eodem puncto horizontis, ut neque occidit, neque umbram meridianam semper in eadem projicit longitudine, quod non præstat Sol, qui in eodem zodiaci gradu existens, in eodem horizontis puncto, oritur, & occidit, eandem servans distantiam ab æquatore; & umbram projicit meridianam ejusdem semper longitudinis.

Ex stellis igitur aliæ dicuntur fixæ, aliæ errantes: illæ sunt, quæ Firmamento infixæ easdem inter se distantias, situs, & positiones servant. Errantes sunt septem planetæ, qui easdem inter se, & cum stellis firmamenti habitudines non servant; Luna enim modò proximiùs accedit ad solem, nunc longissimo intervallo ab eo distat. Ex stellis fixis, quæ sereno cœlo possunt commodè à nobis numerari recensentur ab Astronomis 1022. quamvis revera sint plures, quæ beneficio tubi obtici, seu telescopij detectæ fuerunt à recentioribus,adeo ut verum sit Abrahami effatum *numera stellas si potes.*

Astronomi verò ad faciliorem captum stellas nobis conspicuas ad plures redegerunt asterismos, seu constellationes, quas ex pluribus constituerunt stellis, & à figura, quam aliquo rudi modo videntur repræsentare suam sortiuntur nomenclaturam; sunt hæ constellationes octo supra quadraginta, inter quas primas videntur sedes occupare duodecim signa zodiaci superiùs recensita: extra Zodiacum ad partes septemtrionales numerantur constellationes viginti,& una, reliquæ asseruntur in parte australi; utque faciliùs mandentur memoriæ hisce comprehenduntur versibus

Ad Boreæ partes Arcti junguntur,& anguis,
Post has Arctophylax, pariterque corona, genúque
Prolapsus, Lyra, avis, Cepheus, & Cassiopeia,
Auriga, & Perseus, Deltoton, & Andromeda astrum,
Pegasus, & Delphin, Telum, hinc Aquila, Anguitenensque
Austrum respiciunt Orion fulgidus ense.
Sub pedibusque lepus, canis hinc, procyonque Ratisque
Argo hydra,& Crater Corvus Centaurus,& Ara
Et Lupus, atque corona micans, & piscis in unda
Hydrochoi, cetusque immanior Eridanusque.

Ex constellationibus, quæ circa polum septemtrionalem clentur præcipua, quæ consideratur est Ursa minor septem stellis conspicua, quarum tres ad quatuor alias sequuntur per modum cujusdam caudæ: ultima dicitur polaris, quia polo proximior, à quo non distat nisi duobus gradibus. Vocatur etiam stella Maris, eò quia nautæ illam aspiciunt veluti

luti immobilem, ut rectum ad marinos tractus trajiciendos cursum teneant.

Circa Planetarum systema concedunt Astronomi Saturnum esse Planetarum omnium supremum à nobis remotiorem; & intra Saturnum volvi Jovem cæteris planetis uno excepto Saturno sublimiorem, & circa ipsum cieri quatuor exiguiora astra à Galilæo detecta, quæ appellavit Medicea in honorem Ducis Florentiæ, & vocantur etiam Jovis satellites. Infra Jovem sequitur Mars, qui nonnunquam movetur supra, interdum infra solem; qui propterea sequitur ad Martem apogeum; Mercurius, & Venus soli adsociantur; inferior & nobis proximior volvitur luna; & omnes planetæ suos à sole mutuantur nitores; suntque figuræ sphœricæ, quia hæc figura est cæterarum præstantissima; si enim Luna esset plana non sphœrica tota simul illuminaretur à sole, quod tamen non contingit, nisi successivè. Sphœricitas solis etiam deprehenditur, eò quia ejus radij etiam trajicientes rimas irregulares hanc figuram affectant. De cœlo, stellis, & mundi systemate fusè ago in mea Philosophia tom. 3.

EXPENSIO II.

Producuntur Symbola exhibentia figuras noctis, Lunæ, Auroræ, & luminis.

1. Nox cœlum, aërem, terrásque atra obscuritate obducens cum lemmate *Lux amissa lugetur*: in funebri pompa alicujus Principis, vel parentalibus præclari viri potest, ut Symbolum referens communem mœrorem adhiberi.

2. *Nox* terrica, sidera splendentia in Firmamento, per aëra deciduæ roscidæ guttulæ veluti lacrymulæ cum lemmate *Et lucent, & lugent* sunt Symbolum mœrentis populi suo illacrymantis mortuo Principi.

3. *Nox* atra, & in vallibus, campísque in luctu in squalore jacentia omnia hac epigraphe *Colores contegit omnes* alludit ad conceptum in aula mœrorem, a qua exulant gaudia, & pompæ; & teguntur parietes nigris aulæis, attrati incedunt Aulici, peplóque obductæ fœminæ ob Principis obitum.

4. *Nox* suis obducens tenebris longè, latéque difosam planitiem, in qua pleraque humi dormiant animantia, volucrésque Arborum innixi ramis adjecto hemistichio *Nocturna silentia servant* Fuit Symbolum assumptum à quodam Abbate, ut suos doceret monacos Religiosam nocturni silentij observantiam à signo dato salutationis Angelicæ.

5. *Nocturnæ tenebræ* terris incubantes, & Regiom flumen quod per inflexos sui alvei devolvitur meandros cum lemmate *diu, noctúque fluit* exhibent cursum nostræ mortalis vitæ, quo à primo nativitatis instanti miseriarum obvoluti caligine, orbatique lucis usura indesinenter velimus, nolimus curtimus ad sepulcrum, adeout rectè dixerit Seneca *quotidie morimur* & Poëta Italus eques Marini *dalla tomba alla culla un breve passo.*

Noctis primores tenebræ exeuntis diei pedissequæ; aliquot in cœlis nitentes stellæ cum inscriptione *Excubiásque tenebunt.* Ad ens alludunt in castris fideles milites, qui per totius noctis tenebras vigilias agunt, ut totius exercitûs consulant securitati; possintque militum præfecti tutò quiescere. 6.

Nox tetris obvoluta tenebris, mare contenebratum, navísque illud plenis trajiciens velis cum verbis *contra spem in spe*, scilicet inter spem, & metum, ut cum mercibus ad portũ redeat. Alludit hoc Symbolum ad eum, qui hæret anceps de felici exitu, vel litis incuria; vel negotij in foro; vel victoriæ in prælio. 7.

Nox concubia, & aliquot in campo sub dio frigido dormientes cervi, columba rato hærens olivæ cum lemmate *Quiescunt omnia circum;* tempus exhibet initæ pacis, quo singula tutò quiescunt. 8.

Nox intempesta, ac provecta, & gallus gallinaceus toto nixu erumpens in cantum hac epigraphe *Tandem vertetur in diem*: alludit ad eum, qui adversitatibus vexatus, pluribusque pressus molestijs, non propterea cadit animo, sed sperat meliora lapsis. 9.

Noctis conticinium id est post galli cantum cum verbis Jobi. *Post tenebras spero lucem* Virum refert mœrore compressum expectantem tamen suorum dolorum lenimentum, suæque mœstitudinis solatium. 10.

Nox antelucana, & in horizonte primum erumpens diluculum, seu exigua matutini crepusculi scintillatio cum inscriptione. *Afflictam non ultra tenebis:* fuit Symbolum quod nobilis fœmina reduci marito in patriam ex bello Hungarico miserat Viennam Austriæ. 11.

Luna pernox, cujus lumen longè latéque diffusam planitiem illustrat cum lemmate *Tutum pandit iter* fuit Symbolum à me excogitatum, ut indicarem, D. Thomam suam à Deo accepisse scientiam perinde ac Luna suos à sole haurit nitores; & quia in hoc statu viæ non nisi ænigmaticè Deum cognoscimus, & per fidei obscuritates ambulamus: Doctrina Angelici Doctoris in Theologico cursu est prævia illa fax, quæ rectum signat iter. 12.

Luna decrescens ex accessu ad solem addita epigraphe *Deficit una sibi* Symbolum est hæresis, quæ quas nacta est vires deperdit cum primum ab Ecclesia ejus deteguntur larvati errores. Sol Ecclesiam exhibet, quæ solis instar nunquam mutatur. Luna verò jugibus obnoxia vicissitudinibus hæresim refert novas semper induens formas, licèt in omnibus semper informis. Hinc quidam celebris scriptor controversiarum de rebus ad Religionem pertinentibus soli repræsentanti Ecclesiam adjecit hunc versum *Mille, & sexcentis est invariabilis annis* & Lunæ decrescenti exhibentique hæresim hoc aliud carmen *Mille, & sexcentis facies centum induit annis.* Hoc Symbolum eo plus habet acuminis, quò initio decimi septimi sæculi excogitatum fuerit, quo tempore Ec- 13

clesia

clesia mille & sexcentos annos floruerat. Latini tamen pro tempore indefinito habebant numerum millenarium, ut etiam numerum sexcentum. Hi ambo numeri unà conjuncti constituebant mille sexcentos.

14. *Luna redeunte lumine crescens* adjecto lemmate *Fœcundo lumine [illegible]* eum exhibet, qui post diuturnam, quâ laborabat ægritudinem dietim convalescit, deperditásque reasumit vires.

15. *Luna* ex diametro lumen à sole hauriens plenóque orbe illucescens cum epigraphe *Te radiante corusco* Eum designat Aulicum, qui ex Principis favore cumulatur divitijs, insignitur dignitatibus, ac perinde omne suum decus accipit à Principe, sicut Luna totum suum à sole nitorem, quo splendescit.

16. *Luna* ex plenilunio deficiens, luménque deperdens hac epigraphe. *In eodem sistere nescit* virum refert inconstantem, mutantémque facilè consilium.

17. *Luna* ex congressu cum sole suum amittens lumen cum lemmate prompto ex Boëtio *Phœbo propior lumina perdit* ad eos alludit Antistites, qui in proprijs diæcesibus magno sunt in honore habiti, eò quia in ijsdem soli sint, ac primam occupent sedem: cum verò Romam veniunt ubi Pontifex veluti Sol splendet, minuitur eorum nitor, & in hoc lunam dicuntur æmulari; siquidem Lunæ tenuissimum lumen facit proximus accessus ad solem; sicut digressus quò longior, eò plenior.

18. *Luna* redeunte lumine illustrior adjectis verbis *Crescit decrescit eundo*, Hominis Fortunam designat vices alternantem

19. *Luna* senescens, ac in defectum vergens hac epigraphe *Morior, ut oriar* refert Virum qui diu versatus in aula Principis, résque humanas ut fluxas, vacuásque fastidiens se ab honoribus, dignitatibúsque abdicat adhæsurus soli Deo, cui servire regnare est, moritur aulæ, dignitatibus, ut vivat Deo, qui vera est vita.

20. *Luna pernox* pluribus stipata micantibua stellis hac epigraphe. *Superæ comitantur, & imæ* alludit ad ingressum solemnem Serenissimæ Electricis Mariæ Antoniæ filiæ Leopoldi I. Imperatoris in urbem Monachij Bavariæ metropolim; cui venerunt obviam, & se illi junxerunt in famulitium, non solùm aulæ proceres; verùm etiam cæteri ferè omnes cives, cujusvis conditionis, & artis.

21. *Luna* splendidè radians licèt nondum plena cum epigraphe *Quid si compleat orbem?* exhibet juvenem virtutum culturâ insignem, & clarum, cui propterea plurimum laudis accedat, quia eum plurimi faciant cæteri. Si in prima juventa virtutum nitore tam mirè clarescit; quid in ætate provecta?

22. *Luna* orbe integro lucescens, & plures in litore maris ostreæ cum lemmate *Crescunt, & decrescunt* Eos signat Aulicos, qui ad exemplum Principis suos componunt mores, nituntúrque hac arte ejus aucupari benevolentiam; quâ de causa cecinit Martialis *Regis ad exemplum totus componitur orbis*. Crescunt ostreæ paritérque decrescunt cum Luna.

Luna pleno orbe suos in subjectam planitiem alta nive rigentem delegans nitores cum inscriptione Italica *se caldi li prende, freddi li rende*: cum exprimit, qui summo fervore amicum rogat pro beneficio, quod postea non nisi ægrè rependit, ut satisfaciat amico, à quo multa quæsierat solicitudine. Mutuatur Luna à sole lumen, quod in se fervescit, fervidumque in ipsam derivatur; hæc autem non nisi frigidè in terram demittit. 23.

Luna orbe integro terras, sylvásque illuminans cum verbis *Accipit non adimit*, Symbolum excogitatum ab Abbate Ferro, ut exhiberet Cardinalem Franciscum Barbarinum, qui quæ beneficia recipiebat ab Urbano VIII. cujus gratia, & favore afficiebatur, in alios munifica refundebat largitate. 24.

Luna in plenilunio, & per diametrum soli opposita, ac deficiens ex interjecta terra solem inter & Lunam cum verbis ex Claudiano depromptis *Radios intercipit orbis* ad eum alludit, cui mundi negotia, quibus implicatur sunt obici quominus serviat Deo, & à quo lumen recipiat divinæ gratiæ. 25.

Lunæ deliquium, seu defectio, quam Græci eclypsim vocant cum lemmate *Orbem destruit orbe* fuit Symbolum à me excogitatum, & cupro postea cusum unà cum Albæ græcæ oppugnatione, ut indicarem, Leopoldum I. significatum per solem, cui in Viennæ Austriæ obsidione se Othomanica Luna opposuerat, objecisse Turcicæ audaciæ, ac insolentiæ coërcendæ Maximilianum Emanuelem Electorem, ac Ducem Bavariæ indicatum per globum terraqueum, quem gentilitio defert domus Bavarica in stemmate. Tunc Lunæ defectio obtingit cum Luna pleno orbe, seu per diametrum soli opposita in conum umbræ terraquei globi incidens, privatur suo splendore, & obtenebratur. Ita Turcæ incidentes in Maximilianum Emanuelem non solùm pluribus fuerunt pugnis expugnati, effusóque deleti sanguine, verùm etiam ejus virtuti bellicæ plures in Hungaria cesserunt munitissimæ arces, ac illustres civitates; quo pacto Leopoldus Imperator opponens Maximilianum Emanuelem Electorem Turcis Othomanicæ Lunæ minuit in Hungaria orbem, ac dominium. 26.

Luna integro orbe corusca, cujus priores scintillationes ab horizonte emergant, priusquam ipsa oriatur cum lemmate *Nondum nata coruscat* exhibet Beatissimam Virginem adhuc in utero sanctæ Annæ hærentem, splenduit siquidem tunc antequam nasceretur gratiâ plena. 27.

Luna adhuc intrà solis congressum, seu in novilunio adjecta epigraphe *In ipsum cornua nunquam* illum refert, qui à suo Benefactore nunquam descîscit. Vel discipulum detrectantem recalcitrare contra Magistrum. Vel virum pium, qui mavult mortem subire, quàm Deum, à quo bona omnia accipit, offendere. Luna nunquam sua objicit soli cornua, quia cum suos ab ipso mutuetur splendores tunc cornua deperdit cum soli opponitur. Hinc de Luna procul à sole cecinit Poëta Italus. *Quanto discosta più, tanto più splende.* 28.

Luna

29. *Luna* discolor nondum pleno orbe nitens adjecta epigraphe *Variat cum luce colorem* Symbolum est illius, qui ad dignitatem promotus, priores exuit mores laudabiles, novósque induit: quia ut vulgarum fert adagium honores mutant mores, & rarò in melius.

30. *Luna* pleno orbe nocte intempesta splendens cum inscriptione *Omne à sole decus* indicat, omne bonum creaturæ esse à solo Deo, bonorum omnium benefico largitore.

31. *Luna* integro orbe corusca cum verbis Martialis *Pretium distando facit*, eum exhibet eruditione clarum virum, qui in majori habetur æstimatione ob scripta volumina in locis dissitis, quibus est ignotus, quàm ubi degit, & cum quibus familiariter agit; adeout minuat præsentia famam.

32. *Luna* toto orbe radians, noctémque illustrans cum epigraphe à Claudiano prompta *Mox dispare forma*, arguit levitatem illius, qui in eodem nequit hærere consilio, sed quavis data occasione in varias abit sententias.

33. *Luna* intermenstrua, seu destituta splendore cum verbis Virgilij *Mentiri didicit*, hypocritam signat, cujus sanctitas cum tantum umbratilis fuerit illico evanescit.

EXCURSUS.

Carpitur hypocrisis, cui larva detrahitur fucatæ sanctitatis.

SI Luna in cœlis omni splendore destituta Symbolum hominis exhibet fucata larvati sanctitate; ejusdem in terris Symbolum esse dixeris sterquilinium fœtidum, ac perversè olens, nive tamen contectum, quæ si solis radio liquescat, quale sit illico apparet, ut adnotavit S. Clemens Alexandrinus lib. 3. strom. inquiens: *Hypocrisis est instar nivis, & hypocrita quasi sterquilinium nive contectum;* quia vitiorum sordes candore obtegit simulatæ virtutis. Quòd si te pudet sterquilinij, cui pariatur hypocrita, hunc dixeris sepulcrum dealbatum; quid simulata virtus prodit quàm extimam sanctitatem? quæ non nisi superficiei extrinsecæ hæret ad oculos fallendos, quia si intimiùs sepulcrum penetres non nisi vermes, & putredo malè olens, vel ossa arida deprehendis ibi inesse: si extimum detrahis candorem simulatæ virtutis nil in hypocritia invenis nisi vitiorum vermes conscientiam corrodentes, vel fœtorem putredinis, seu peccati inveterati. Rupertus in Matth. lib 5. ait Hypocrysim interpretari deaurationem, quo nomine significatur res in extima tantùm superficie auro illita; cum intus omni sit auro destituta, & plerunque cariosa, & vermibus scatens. Hinc Magister Christus monitos voluit suos discipulos, ut sibi caverent à frumento Pharisæorum Luc. 12. 1. *Attendite à frumento Pharisæorum* solent Hypocritarum opera adulteratæ, ac falsæ pariari monetæ; quæ intus plumbea, & exteriùs auro est illita; ab hisce monetis cavendum est ne cum nostro decipiamur detrimento. Cornelius in Matth. 6. v. 2. Hypocritas similes dicit Monstrosis illis locustis, quas vidit Joann. Apocal. 9. v. 8. quarum caput muliebris vultûs exhibens venustatem, reliquum corpus deforme monstrum erat in caudam desinens scorpionum. Tota Hypocritæ virtus fucata est, & adscititia in sola facie cerusata, intus non nisi scorpionis est oppleta veneno. Septem illa candelabra, quæ suos in altare vidit Joannes splendores in Dei Templum effundere Apocal. 1. 12. non fuerunt tantùm inaurata, sed tota aurea, quia non hypocritas, sed veros sanctos culturæ virtutum addictos indicabant, qui exercitio pietatis splendent; hypocritæ sunt tantùm deaurati in extima superficie; qui verè sunt sancti toti sunt aurei æquè in extima superficie, ac in intimis præcordijs, seu modestia externa, & interna virtute.

Quod sub oculos tantùm cadit in extima solùm hæret superficie; ad fallendum, non instruendum, quapropter monemur, hanc declinare fucatam virtutem Eccl. 1. 37. *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum*, seu ut interpretatur Cornelius ex textu græco: *ne sis actor tragœdiæ, seu comœdiæ, nec sis tristis neque mimus, ad ora hominum.* Nomen hoc hypocrita histrionem significat, quia personam, quam agit mentitur: vides in theatro plebeum personam agere Regis, quem tamen Sycophantam esse deprehendis extra theatrum in foro; cum alia persona sit domi, aliam agit in theatro; unde Christus Matth. 6. v. 4. *Ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* seu ut legit textus Hebraicus *ut spectemini* quod verbum, ut notat Maldonatus, theatrale est, eo quia spectacula in theatris repræsententur: & sensus est, quòd virtus hypocritæ tota sit larvata, adscititia, & falsa: huc accersendus Zeno Veronensis serm. de jejunio; *In hoc mundo*, ait, *plurimi tanquam in theatro simulatis personis utuntur, & fictis; & cum sint intrinsecus aliud, aliud se esse hominibus ostendunt.* Non solùm personam mentiuntur; sed & exitiale intus venenum foveat, quos propterea Isaias *Ovis* æquiparat aspidum Isa. 59. 5. *Ova aspidum ruperunt*, & inde non nisi venenum foras erupit: pulchritudinem exteriùs affectant ova aspidum, candore oculos alliciunt; sed intus exitiali sunt fœta veneno; quid vitium, quod hypocrita intus fovet, esse dixeris, quàm venenum animæ? cui est exitiale; æquè lethalis noxa animam interimit, quam gratia sanctificante destituit, estque vita animæ, quam Deo vivificat; ac venenum corpus enecat, quod vitâ privat. Sunt hypocritæ, qui exteriùs ovinam induunt pellem, quâ lupinam tegunt voracitatem Matth. 7. 15. *Veniunt in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces* simulant ovinam naturam, cum eam tantùm habeant luporum. Vestes ovium exterius inducre, & intus ovem non esse; perinde est ac speciem exhibere virtutis ad occultandum vitium, quod interius fovetur. Sed cum mentiantur oves, quæ non sunt, à dextra æterni Judicis excludentur; mentitas superficies longiùs à se projicit divina veritas: hinc tres pueri qui Daniel. 3. 58. invitârunt omnes

creaturas ad laudes Deo concinendas Iridem non acceſſiverunt, quam gratam Numini non eſſe noverunt; quia in arcu illo aëreo non verus adeſt ſplendor diſcolor, ſed tantùm apparens, fugax, & mentitus. Hypocrita fuit populus cum labijs Deum honoravit, cui corde injuriam intulit Matth. 15. 8. *Populus labijs hic me honorat*; hoc eſt labijs non mente, ore non corde.

34. *Luna* itidem intermeſtris cum verbis Jobi *Rurſus poſt tenebras* exhibet hominem ærumnis preſſum, mœrore confectum, ab amicis deſertum, qui tamen ſolatium ſperet aliquod.

35. *Luna* orbe integro micans cum lemmate *Accipit haud reddit* ingratum refert, qui pro ſuſceptis beneficijs nil boni rependit benefactori; æmulatúrque lunam, quæ cum omnes ſuos à ſole mutuetur ſplendores, nil tamen ſoli reddit nitoris; nec aliud præſtat eidem beneficium.

36. *Luna* concitato imminens mari cum lemmate *Motas excitat iras* prompto ex Ovidio Metamorph. lib. 5. ardentem ſignavit animum Joannis Auſtriaci, qui ad Inſulas Echinadas, ope Deiparæ Turcas expugnavit, fregitque eorum claſſem ſub auſpicijs Pij V. Pontificis maximi: & cæſa fuerunt Turcarum triginta millia. Liberati Chriſtianorum tria millia quadringenta octoginta ſex. Naves captæ centum nonaginta. Flammis, & aquis abſumptæ, & hauſtæ octoginta. Tormenta bellica hoſti erepta majora centum, & ſexdecim. Minora ducenta quinquaginta ſex.

37. *Luna* pleno orbe in cœli meditullio ſplendens innumeris veluti famulitio ſtipata ſyderibus hac epigraphe *Præſtat tot millibus una* Beatiſſimam Virginem ſignat in cœleſti Patria, ubi gloriæ lumine, & beatitatis incremento longè cæteris omnibus antecellit beatis, qui perinde ac ſtellæ dicuntur in æternitate lucere.

38. *Luna* toto ſplendore irradians nocte intempeſta cum lemmate *Fulget, & Alget* eum exhibet omnigenæ virtutis nitore ornatum concionatorem, qui adeo abjectè, frigidè ſine geſtu ſuas è ſuggeſtu conciones recitat, ut tametſi ſint iſtæ multa eruditione intextæ, multóque ingenio compoſitæ, nullam tamen vim exerunt, nullum in adſtantibus motum excitant.

39. *Luna* creſcens, orbémque exhibens dimidiatum adjectis verbis *Da plenum cernere lumen* in eum quadrat eruditione clarum virum, qui ſe jactat plura ſcire, quæ tamen in lucem non edit, nec de tali ejus ſcientia conſtat.

40. *Luna* ſoli oppoſita, à quo ſuos directè mutuatur nitores hac epigraphe *Obliquos non accipit ignes* alludit ad eum, cui ſola merita ſternunt ad dignitates iter.

41. *Luna* in defectum vergens, ſed adhuc quaſi pleno orbe micans, cum lemmate *At opaca supernè;* alludit ad virum multa eruditione illuſtrem, mundique ſapientiâ clarum, hæreſis tamen infectum labe, qui ex parte ſuperiori reſpiciente cœlum, ſeu ex parte animæ perinde ac Luna obtenebreſcit.

Luna toto orbe irradians adjecta epigra- 42.
phe *Terræ, cœlóque nitet* exhibet Beatum ſolemniori apotheoſi ſanctorum cathalogo adſcitum.

Luna conjuncta ſoli, vergénsque ad po-
ſtremum defectum addito hemiſtichio *celat, quos* 43.
accipit ignes latentem ſubindicat amantis affectum. Luna in ſolis congreſſu non niſi ex parte ſuperiori illuminatur, propterea ſuos terræ celat nitores; quos tunc à ſole mutuetur.

Luna ſeneſcens, ac deficiens cum verbis 44.
promptis ex Ovidio 5. Metamorph. *Nec quod fuimusve, ſumusve cras erimus* mortalis noſtræ vitæ prodit fluxibilitatem, & vacuitatem.

Luna in congreſſu ſolis viduata ſplendore 45.
addito hemiſtichio *Quò propior tenebroſior erro* Eos exhibet in Imperio Principes, qui in proprijs ditionibus, & ab Imperatore diſſiti procúlque remoti plurimum habent authoritatis, multúmque ſplendoris, quo ſupremos Principes ſuis ſe ſubditis oſtendunt. Cum primùm verò ad Aulã Cæſaream Viennæ accedunt, perdunt ſummam illam reverentiam, quæ eis in proprio diſtrictu exhibebatur.

Luna à ſole adſpecta, ſuóſque ab illo hau- 46.
riens ſplendores cum lemmate *Externo lumine creſcit*, eum exhibet Aulicum, qui dignitates, quibus inſignitur favori debet Principis, non proprijs meritis.

Luna ſuam percurrens periodum citius 47.
ſole adjectis verbis *Velocitate præſtat*, quadrat in eum, qui citius ſed minus perfectè, minúſque eleganter ſuum abſolvit opus. Luna novem, & viginti diebus ſuum abſolvit curſum. Sol verò trecentos, & ſexaginta quinque dies horáſque aliquot impendit.

Luna pleno orbe totam ſplendens noctem, 48.
irradiánſque ſerena adjecto lemmate *Toto emicat orbe*: hoc eſt, quia plena totum illuminat mundum, refert eum vel Principem, qui pluribus de hoſtibus deletis delatis victorijs toto eſt orbe celebris. Vel eruditum virum, qui ob ſcripta volumina in magna ubique locorum habetur æſtimatione.

Luna totam illuceſcens noctem hac epi- 49.
graphe *Fovet omnia nocte* lumen ſignat divinæ gratiæ, quo Deus miſericors illuminat omnes homines jacentes in nocte tùm peccati, tùm ethnicæ ſuperſtitionis, quos ad ſe allicit, ut vitam eis impertiatur gratiæ ſanctificantis.

Luna integro orbe luceſcens, ac plena, atris 50.
tamen obducta nubibus cum lemmate *Abſcondita prodeſt*, indicat omne opus bonum, ſive oratio ſit, qua quis ſolus ſoli Deo vacat; ſive eleemoſynæ elargitio ad levandam miſeriam inopis. Vel aliud id genus, quod in abſcondito inſcijs alijs exercetur ex puro Dei amore.

Luna creſcens nova dietim ſubiens lumi- 51.
nis incrementa cum lemmate *Creſcit eundo* Juvenem exhibet virtutum culturæ addictum, ac ſcientiarum ſtudijs, in quibus plurimum proficit.

Luna pleno orbe irradians nocte intem- 52.
peſta adjectis verbis *Clarior emicat umbris* virum exhibet aurea patientia, & adamantina forti-

tudine invictum, quique inter ærumnas, persecutiones, ac convivia, quibus ejus obscuratur nomen clarissimum dat insignis virtutis specimen.

53. *Luna* itidem orbe integro elucescens, atque illicò post solis occasum emergens ex adverso horizonte Eoo hac epigraphe *Adfert cum luce quietem;* Alludit ad connubium Principis, cujus sponsæ nomen erat Lucia, & cujus auspicijs fuit pax jam diù concupita, communi jubilio inita.

54. *Luna* pleno splendore corusca, & sedato malaciâ pelago cum verbis *Lumine non turbine* Ei congruit principi, qui tametsi suo jugiter affixus palatio singulas tamen suæ ditionis urbes, ac provincias sine ullo tumultu, & cum plausu subditorum gubernat.

55. *Luna* eclypsim patiens umbriferum terraquei globi conum ingrediens cum lemmate *Erepta sibi luce nocet*, Hæresis labe infectum, vel impium peccati denigratum caligine designat, qui destitutus lumine gratiæ sibi nocet, & alijs, peccata peccatis acervando, vel in perniciem reipublicæ errores edocendo populum.

56. *Luna* quæ pleno orbe corusca desinit hac epigraphe *Desinit orbe pleno*, eum exhibet Aulicum qui cum ex favore Principis summam attigerit in aula felicitatem, consecutúsque fuerit primos honores tandem emoritur; & quem splendor aulæ ornavit, mox Libitinæ umbra devenustat in sarrophago.

57. *Luna* orbe integro fulgens, pluribúsque stipata syderibus cum verbis *Major quia humilior* alludit ad humilitatis nunquam satis laudatam virtutem, quæ nobis apud Deum magnam conciliat gratiam, humiliésque vel maximè evehit. Congruit etiam Beatæ Virgini selectæ è millibus in Christi Matrem ob eximiam humilitatem: *quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Luna eatenus cæteris apparet grandior syderibus, quia cæteris est humilior, terrisque proximior.

EXCURSUS.

Humilitas quò demissior, eò pleniore gratiæ nitore splendidior.

Luna suos à sole nitores haurit, & quia cæteris planetis depressior, nobisque vicinior grandior splendet, quamvis corpore reliquis exiguior, idque humilitatis datur præstantiæ; si sublimior esset, parvior nobis illucesceret; humilitas enim oberius gratiæ, & nitoris ad se trahit incrementum: & Mariæ virginis humilitas totû ad se divinæ gratiæ traxit splendorem Luc. 1. *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ*, & ab Arcangelo Gabriele salutata fuit *gratia plena.* Scio, naturam abhorrere à vacuo, totóque nisu, viribúsque omnibus contradere, ut illud arceat, illúdque impediat dum omnia implet; idem præstitit gratia in Virgine Maria, cujus mentem totam implevit ne quidquam vacuum superesset, dicta propterea à cœlesti nuncio fuit gratia plena: seu tota corusca, & splendida, quia humilis; quòd si Luna quia cæteris planetis depressior, at inferior, eius splendor grandior nobis apparet; Maria Virgo supra reliquas alias creaturas omnes splendet illustrior, ac plenior: scitè S. Laurentius Justinianus tract. de Humilit. cap 3. *Sicut non patitur natura vacuum, quin illud repleat; sic neque gratia humilem, quin illi se infundat.* Respexit Deus humilitatem Mariæ, & totam replevit gratiâ: hinc tanto est quis sanctior, Deóque acceptior, quanto humilior; tunc maxima facit, cum nihili se facit; quantum natura vacuum horret, tantum gratia vacuitatem, atque inanitatem respicit, quam impleat; est sui exinanitio veluti magnes divinæ gratiæ, quam ad se trahit; illéxque divini splendoris, quô clarescit plenior. Tunc Deus hominem respicit, cum hic se despicit, eum tuetur, qui se non intuetur; erigit qui se deprimit: neque tantùm respicit, sed etiam divina replet gratia; idque nos edocuit in vellere quod antelucano imbutum rore Gedeon in peluim expressit. Jud 6. 38. *De nocte consurgens expresso vellere concham rore implevit;* ubi D. Augustinus per *concham* legit *peluim*, mentémque flectit ad pelvim illam, in qua Magister Christus discipulorum pedes lavit, exercuitque virtutem humilitatis, cujus exemplum quò altiùs nostris imprimeretur capitibus ad pedes ipse se dejecit, à quavis purgandos labe, quam lutosas mundi vias perambulantes contraxerant. Joan. 13. 5. *Mittit aquam in peluim, & cæpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* quod singulare fuit humilitatis exemplum ad omnem retundendum tumorem capitis, ad fastum reprimendum superbiæ. Ros igitur nocturnua è linteo à Gedeone exprimitur; ut edoceremur, eum suprema Numinis gratia implendum esse, qui Christi exemplo omnibus se submittit, & qualibet humilitatis exercet officia: huc accersendus D. Augustinus serm. 2. inquiens: *completum est vellus, area tota sicca erat, expressit mane vellus in peluim, quoniam humilibus datur gratia; & in pelui nostis quid fecerit Dominum discipulis suis:* non solùm humilitas gratiam influit, quâ pedes humanæ fragilitatis absterguntur, mundantur à maculis, quas contraxerant; sed etiam elevat ad plenitudinem superni splendoris; humilitas fuit, quæ Virginem Mariam evexit ad dignitatum omnium supremam, quatum potest creatura capax esse, simúlque salutata fuit à cœlesti caduceatore *gratia plena* nimirum Luc. 1. *quia respexit humilitatem Ancillæ suæ:* cæteris etiam nobis apparet Luna planetis oberiori luminis incremento clarior, quia reliquis est demissior, nobisque vicinior, & elementis contermina. Dei gratia promptiùs descendit in ima vallium, seu humilium, quàm ascendat in præcelsa montium cacumina; idque videtur innuisse Apostolus 1. Corinth. 2. 9. *nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus ijs qui diligunt illum:* studio videtur dixisse, *non ascendit*, ut terremus

divina charismata non superbis,& sublimia ambientibus dari; sed humilia sentientibus: id nos edisserit S. Bernardus serm. 4. in vigilia Nativ. Domini, ubi expendens verba Apostoli ait. *Quid est, quod dicimus in cor hominis non ascendit? Utique quia fons est, & ascensum nescit; scimus, quia fontium natura est, rivos consectari convallium, montium alta declinare; sicut scriptum est; qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ: hoc autem est unde admonere semper studeo charitatem vestram, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; sons enim ad altiorem non ascendit, quam sit locus ejus unde procedit.* Quò igitur altius hæc humilitatis doctrina nostris imprimeretur mentibus,hanc nos Christus edocuit toto, quo fuit cõversatus in terris tempore; añunciari ejus adventus voluit in exigua civitate Nazaret Luc. 1. 26. *Missus est Angelus Gabriel in civitatem Galileæ, cui nomen Nazaret.* ait Hugo Cardinal. in Nazaret civitate parvula concipitur, & nutritur; & in Hierusalem civitate magna, & sublimi patitur, & crucifigitur: quid hoc? nisi quia salus in humilitate custoditur, in sublimitate periclitatur. Maria, quem in Nazaret concepit JESUM, amisit in Jerusalem.

57. *Luna* pleno splendore nitens adjectis verbis *Niveum dat visa decorem*, congruit Beatæ Virgini,quæ illibatis suis moribus nivei dat nobis exempla decoris. Potest etiam convenire puellæ,quæ moribus innocens se Deo consecrat ut illi soli serviat.

58. *Luna* nocte intempesta toto orbe micans, subjectasque illuminans terras cum verbo italico *Alla notte comparte i rai del sole.* Virum exhibet Apostolicum,qui remotos adiseat terrarum tractus prædicaturus infidelibus Christi Evangelium, lucemque daturus veræ Religionis. Lucem enim quam à Deo acceperat infidelibus communicat.

59. *Luna* plena & deficiens, deliquium, seu eclypsim patiens majorem, adeout ferme totus lunaris discus obtenebretur adjecto lemmate *Morientis syderis umbra*, Virginem Matrem designat in monte Calvariæ deficientem ad aspectum Filij JESU affixi cruci à Judæis.

60. *Luna* orbe integro micans, & post solis occasum ab horizonte emergens cum epigraphe *Consors fraterni luminis esto*, congruit S. Scholasticæ S. Benedicti sororis, quæ fratrem studio virtutum, mundique contemptu imitata ejusdem fit in cœlis gloriæ particeps.

61. *Luna* solis congressum ingrediens eom verbis *Una sat est solis* connubium cetert, quia marito unica debet conjunx sufficere; sicut & uxori unicus maritus: non enim esset *Sol* nisi *solus*, neque *Luna* nisi *una*.

62. *Luna* percurrens cum sole eadem zodiaci signa eum epigraphe *sequitur vestigia Fratris*, Exhibet S. Scholasticam, quæ virtutes S. Benedicti ejus fratris, veluti regulas morum sibi selegerat, ut ad earumdem amussim proprios componeret mores.

63. *Luna* pleno orbe micans in solis oppositione, hac epigraphe *Clarior oppositu*; virum signat patientiæ studio addictum, quique sereno vultu obviat adversis.

Luna toto orbe corusca, terrásque subjectas illuminans plures in maris litore margaritiferæ conchæ cum lemmate *plena sibi & alijs* signat Virginem Matrem, cujus gratiarum plenitudo in nos derivatur, quatenus non solùm nobis Redemptorem peperit,sed etiam suæ super nos beneficentiæ effundit thesauros. Luna cum plena est juxta Plinium medullâ implet ossa, & conchas. 64.

Luna pleno micans splendore cum sola stella Jovis, quæ licèt magnitudine longè excedit lunam; hæc tamen ob propinquitatem nobis apparet grandior adjecta inscriptione *Propior non Major*, signat sanguine, vel amicitia junctos nobis, quos propterea cæteris præferimus, ac judicamus excellentiores alijs remotioribus. 65.

Luna post solis obitum pleno lumine emergens ex adverso emisphærio cum lemmate *secundæ gloria lucis* fuit Symbolum accommodatum Duci Aurelianensi unico Regis Galliæ featri, cum ex Belgio Parisios redux insignes de profligato hoste retulit triumphos. 66.

Luna in defectum vergens cum verbis Hispanicis *ya mas, ya menos:* seu jam major, jam minor eum exhibet Aulicum, qui ex gratia Principis ad primos promotus honores nunc à primævo delapsus favore à cæteris despicitur. 67.

Luna ad senium vergens cum verbis *Nunquam eadem, semper eadem* ad eum alludit, qui in proprijs consilijs semper inconstans in sola inconstantia constans est, unde est semper idem, seu inconstans, & nunquam idem,quia semper consilia mutat. 68.

Luna ecclypsim patiens eom verbis *Censuræ patet*, virum magnum signat,cui vivendi ratio publicæ est censuræ exposita; perinde ac lunæ eclypsis omnium oculis. Nunquam attentiùs defigunt homines oculos in lunam quàm cum hæc deficit, eclypsimque patitur. 69.

Luna mari imminens cum fluxu, ac refluxu addito lemmate *sedátque, ciétque*, cuique congruit prudenti viro coercenti, vel excitanti suos affectus, prout ratio, & occasio exigit. 70.

Luna pleno orbe totam noctem splendens eom verbis *Jam sola solem æquat*, exhibuit Reginam Hispaniarum,quæ post obitum Philippi IV. ejus mariti Monarchiæ suscepit administrationem. Sola eadem egit, ac Maritus cum viveret. 71.

Luna senescens,ac in defectum vergens, eò quia propior ad solem accedat cum lemmate *Lateo non minuor*, ei congruit, qui ab Aulæ honoribus, ac dignitatibus se abdicans,ut proximior Deo adhæreat, eique inserviat, dat nomen alicui sacræ Religiosorum familiæ; se ab aula tunc abdicat, non tamen quidquam amittit dignitatis, cum Deo servire regnare sit. 72.

Luna eclypsim patiens ex objecta terraquei globi interjectione, quæ eidem est impedimento ne splendores à sole mutuetur hac 73.

epigra-

epigraphe. *Inspecto erbatur ab orbe.* Illis congruit religiosis viris, qui negotiis sæcularium se immiscentes à divino distrahuntur cultu, plurimúmque patiuntur detrimenti in studijs virtutum, quibus splendebant.

74. *Luna* post suum impletum lumine orbem in defectum vergens cum verbis *decrescit in auge* illis accommodatur, qui favente fortuna ad supremos evecti honores, pulsante mox Libitina nobilium palatia vita defunguntur.

75. *Luna* se luminis incremento reficiens cum verbis *Cresce, ut prosim* eos signat generosos viros, qui ob propria merita ad summos evecti honores, primásque promoti dignitates propriæ non student ambitioni, neque commodo, sed uni bono publico. Et si sint Ecclesiastici ut prosint pauperibus.

76. *Luna* deficiens ob interjectum terraqueum globum solem inter, & Lunam; ita tamen ut Sol in zodiaco percurrat signum leonis æstuantis, torvisque oculis inspicientis in parte diametraliter opposita lunam adjecto hemistichio *Tibi se peritura reservat*: fuit Symbolum à me excogitatum ut victorias auspicarer Maximiliano Emanueli Electori, Ducique Bavariæ, cum per se in Hungariam Christianorum copias duceret contra Turcas. Signum Leonis est Domus Bavaricæ gentilitium stemma. Luna Turcas signat, globus terraqueus in eodem stemmate sedem occupat mediam.

77. *Luna* integro orbe lucida solem in adverso horizonte adspiciens hac epigraphe *Uno sole Minor* accommodatur Virgini Matri, quæ cæteris est cœlitibus Major uno excepto Christo ob divinitatem sibi hypostaticè junctam.

78. *Luna* pleno orbe coruscans cum verbis *At cito deficit.* Eam exhibet fœminam, quæ pulchritudinem affectans mundi addicta est vanitati; est veluti flos, qui cito decidit; mundana quæque utpote fluxa necesse est deficiant illico. Hoc Symbolum accommodari etiam potest arridenti fortunæ, cui minimè fidendum.

79. *Luna* supra horizontem una cum sole splendens adjectis verbis *Interdiu quoque* eum designat virtutum culturâ insignem virũ, cujus fama nullibi potest denigrari. Vel eum etiam eruditum virum, qui non solùm in patria ubi pauci sunt eruditi emicat, verùm & alibi, ubi eruditissimi florent.

80. *Luna* in meditullio solaris congressus absque ullo splendore cum inscriptione *Cœlo datur quod demitur orbi* exhibet obitum viri pietatis cultura, & cæterarum virtutum studio præclarum, qui per mortem demitur terræ, ut in cœlesti patria æterno donetur lumine gloriæ

81. *Luna* semiplena medio hærens cœlo impallescens tamen, suósque exuens splendores ad præsentiam solis ab Eoo emergentis horizonte cum lemmate *Languet ad exortum* alludit ad eum mediocriter eruditum virum, qui accessu alterius uberiori eruditione longè illustrioris, non ita claret sicut antea.

82. *Luna* integro orbe fulgida, quæ à sole in adversa parte suos mutuetur, hauriátque splendores hac epigraphe *Hoc afflata corusco* accommodatur Virgini Matri, quæ afflata spiritu sancto splenduit plena gratiâ.

Luna ex terræ interjectu eclypsim patiens 83.
cum lemmate *se se interjicit orbis*, exhibet virum Religiosum negotijs sæcularium se se immiscentem, cujus virtus ob distractionem a Dei cultu plurimum deperdit nitoris. Vel eum qui mundo adhærens divinam gratiam deperdit.

Luna sphæræ ignis proxima cum hemi- 84.
stichio *Nil lædit proximus ignis* eum exhibet qui malis associatus, candorem servat innocentiæ.

Aurora Eoo ex horizonte nitidis emer- 85.
gens splendoribus cum verbis *optatum fert ista diem* accommodatur nativitati Beatæ Virginis, quæ nobis paritura erat solem justitiæ Christum Dominum. Unde Ecclesia canit. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?*

Aurora purpureis clarescens nitoribus hac 86.
epigraphe *spes proxima Phœbi* exhibet B. Virginem ante partum properantem in Bethleem, ut pareret Christum JESUM.

Aurora, cui statim Sol succedit cum lem- 87.
mate *Dum pario pereo* Exhibuit Serenissimam Electricem Bavariæ Mariam Antoniam Leopoldi I. Imperatoris filiam, quæ Viennæ Austriæ in puerperio decessit, cum ediderit in lucem Serenissimum Principem Electoralem Josephum.

Auroræ primum diluculum cum lemmate 88.
Sensim Lucidior exhibuit puellam Principem, quæ dietim pulchrior corpore, & incremento virtutum animo fiebat splendidior.

Aurora emergens ex horizonte purpureis 89.
clarescens splendoribus, & subjectas in terris sylvas illustrans hac epigraphe *Prævia solis.* Nativitati S. Joannis Baptistæ præcursoris Christi adaptatur.

Aurora nocturnas fugans tenebras cum 90.
lemmate *Eliminat, & illuminat*: Divinæ gratiæ potest accomodari: & etiam Concionatori congruit, qui peccatores deterrendo eos a peccato avertit, & ad resipiscendum allicit. Convenit etiam sancto viro, qui & dæmones ab energumenis ejecit, & visum cæcis restituit.

Aurora adulto jam diluculo clarior micans 91.
& nocturnas tenebras dissipans hac epigraphe *Fulget, & fugat* congruit S. Augustino, qui Sapientiæ splendoribus tenebras hæresium profligavit, ac dissipavit.

Aurora ex rubicundo emergens horizonte 92.
cum lemmate *Absque rubore nunquam*: signat adolescentem bene morigeratum, prudentem, ac abhorrentem a flagitijs, & dedecore, quemque podeat sui non laudabiliter agentis.

Aurora primum nascentis diei exordium 93.
cum italico carmine *Del venturo splendor Reca la speme* natalitium signat Virginis matris mox in lucem edituræ Christum verum Justitiæ solem, qui auspicatissimum gratiæ diem erat mundo allaturus.

Aurora suo extinguens ortu proxima sy- 94.
dera cum lemmate *cuncta fugabit lumina noctis.* congruit eidem nativitati Beatæ Virginis, quæ datura erat Christum, quo destruenda erant

idola, quæ nocti Ethnicæ superstitionis aliquid videbantur adferre splendoris.

95. *Radius* è sole emissus, & in speculo repercussus cum verbis *Lumen de lumine*, Ad Christum Dominum alludit, qui est splendor æterni Patris,

96. *Radius* solaris præcelsa montium juga illustrans existente sole adhuc infra horizontem cum lemmate *Terris dissita lustrat*; exhibet divinam gratiam uberiùs, citiùsque afficientô mentes cœlestibus aufluctas contemplationibus, atque à terrenis dissitas negotijs.

97. *Radius* solaris, qui in tersum impingens speculum repercutitur adjectis verbis *Incidit in parvum*, signat hominem ingenuum, qui in se collata beneficia novit æstimare, eaque in alios refundit, gaudetque, quòd in vulgus exeant.

98. *Radius* luminis cum lemmate *Rectà diffunditur* exhibet virum rectum, qui ad rectæ rationis amussim suas componit operationes; & ad normam justitiæ omnia metitur.

99. *Venti* in folis radium sufflantes hac epigraphe *Immobilis hæret*, sanctæ Luciæ ab Aresio accommodatur, cujus nomen lucem ipsam sonat. Sicut venti nil possunt contra lucem, quam nec quidem latum unguem movere valent: ita Tyranni persecutiones nihil prævaluerunt in Luciam, quam Spiritus S. immobilem fixit.

100. *Lumen* in Christalina clausum laterna insufflantibus exposita ventis cum lemmate: *Tutum quia tectum.* Alludit ad negotium magni momenti, quod ut tutiùs suum sortiatur effectum clanculum promoveri debet, & nunquam propalari.

EXCURSUS.

Secretum negotiorum anima, si violetur totum corrumpitur.

Adeo lingua hominis ad loquendum prona est, silentijque impatiens, ut quod illi concreditur secretius, ut servetur sacratius, proruat studiosiùs effundere, ac avidiùs prodere, Proinde quæ Princeps magni ponderis negotia instituit, si ad suos cupit fines perducere, sibi tantùm; & paucioribus administris innotescant. Cæcilius Metellus cuidam tribunorum roganti quid in hostes moliretur, fertur respondisse apud Plutarchum in Apophteg. *De eo mea si tunica esset conscia detractam in ignem conjicerem.* Reipublicæ incolumitati, qui studet Princeps, necesse est secreti, à quo pendet fortuna multorum sit tenacissimus. Metellus noluit, quæ mente moliebatur ulli aperiri, veritus ne dum sacratiori fidei unius tribuni concrederet, desiderium in eodem accenderet illud evulgandi. Plures ceciderunt exercitus, quia lingua non stetit, quæ si stetisset, palmas non expressos milites colegissent. Plura itidem privatarum familiarum excidia uni debentur linguæ, quæ cum innatam non coërcuit lubricitatem, ad præcipitium totam domum adegit. Cum igitur majora damna sint interdum ab una lingua timenda, quàm à pluribus irruentibus inimicis: acriùs puniendi sunt, qui à consilijs principum sibi concredita secreta evulgant. Seleucus exercitu sui fractis, fugatisque copijs, fugæ & ipse se dans adactus, in rusticanam quamdam se villam recepit, panem & frigidam à rustico eam incolente postulavit: ille benignè hospitem excepit, cui non solum panem, sed & offam obtulit, unum itidem & alterum ferculum apposuit; faciémque regis agnoscens, qui ignorari cupiebat, tantisper dissimulavit; verùm quia linguæ lubricitatem compescere non didicerat, discendentem mox regem proprio salutavit nomine; quod perinde fuit, ac præmaturam sibi mortem accersere; cum de prodita principis notitia fore speraffet, ut aliquid esset præmij accepturus: hocce adfert exemplum Plutarchus de Garrulitate; ubi addit: *Si tacuisset tunc, & aliquantisper sibi temperâsset, rebus florentibus postea Regis, cujus magnæ opes fuerunt, præmia profectò silentij, quàm hospitalitatis, retulisset majora:* sed quia notitiam sibi fore utilem putavit, premere silentio linguam nequivit, & quia regem regi prodidit vitam perdidit, quam non amisisset, si silentium servâsset. Videntur homines quodam impelli æstro secreta prodendi; & ad sibi concredita effundendi consilia; linguam nonnisi difficulter coërcent, præsertim si sperent aliquod affuturum sibi emolumentum si tacenda alijs aperiant. Idque causæ, cur strenui duces, exercitûs præsertim præfecti, ac imperatores inviolabili silentio, ac dissimulatione tegant, quæ agenda erunt; ne spes præmij ad effundendum sibi commissa eos stimulet, qui habebantur fideles; scitè aiebat Onosander in Stratego, *Demens ac vanus ille est: qui priùsquam necesse sit, negotiorum arcana, cum multitudine communicat: nam tunc præcipuè temporis, scelerati quidam ad hostes malitiosè transeunt, quod ab illis proditionis gratia honores, & præmia se adepturos sperant.* Strategus in castris, princeps in aula, gubernator in republica, necesse est, firmissimus sit secretorum custos, si ritè velint sua obire munia: neque Princeps, quæ magni sunt momenti debet illis fidere, qui concredita sibi secreta facilè alijs aperiunt, ut monet S. Hieronymus: *Si quis volueris tuis misceri amicitijs, & hunc videris prioris amici pandentem secreta, hunc veluti perfidum cave;* non fidat Princeps secreta prodenti aliorum; prodet enim & illa principis, si qua levis nata fuerit occasio, alicujus offensæ, vel spes sit alicujus majoris lucri dignum ob hoc commendatione se exhibuit Petrus Aragonius, qui secreti tenacissimus dixisse fertur; *comburam intimam tunicam, si consiliorum meorum gnaram esse sciam.* Laudibus fuit itidem à posteris sæculis semper commendata Respublica Romana, quæ ideo floruit, & per uberiora jugiter incrementa crevit, quia vel ab incunabulis secreta inviolabiliter, ac sanctè semper servavit; dicatúrque: *Arcana consilia Patrum Conscriptorum multis sæculis nemo senator evulgavit.* Dignissimi propterea erant, omnes, ut singuli imperarent. Metello, Pompeio, Papirio alijsque Romanis Senatoribus, vel duci-

bus

fortissimis secretorum custodibus parem fecerim Aodum strenuum Hebræorum Ducem; qui grande facinus aggressurus, nemini ex suis fidelissimis aperuit; timens ne imbecillis fides foret ad os alterius silentio obsignandum; & ne spes lucri, præmijque ambitio fortior esset, & concreditum evulgaret secretum, quod fides occultare religioso debuisset silentio. Postquam Aod Aglonem adjvisset cum socijs, & muneribus, Galgala petijt, ubi dimissis socijs omnibus solus absque teste ad Regem Aglonem revertitur Judic. cap. 3. v. 18. *Reversus de Galgalis, ubi erant idola dixit ad Regem: verbum secretum habeo ad te ô Rex:* verè secretum, quia nulli concreditum, nemini apertum; quin imò socios omnes dimisit ut secretū sacratius foret; & quamvis Aod desiderio æstuaret occidendi Eglonem Tyrannum, maluit grande facinus differre, ne ulli ex suis quamvis fide probatis pateret; veritus ne si unus, vel alter fuisset suspicatus quod mente moliebatur, spe lucri ad Eglonem statim detulisset, ut notat Abulensis quæst. 59. in Judic. inquiens *timuit indicare hoc Aod alicui, quia fortè ut esset acceptus Regi Eglon nuntiaret ei, quisquam quid disposuisset agere contra eum Aod: ex quo sequebatur periculum omnium Israelitarum: ideo noluit cuiquam pandere, quod proposuerat.* Rem plenam difficultatibus, ac periculis moliebatur Aod, nimirum Eglonem Tyrannum interficere; ideo nemini voluit aperire, plus timens ambitiosæ garrulitatis periculum, quàm facinus aggredi inter hostes difficillimum. *Reversus de Galgala ubi erant idola dixit ad Regem* Judic. cap. 3. v. 19. *verbum secretum habeo ad Te ò Rex, & ille imperavit silentium: egressisque omnibus, qui circa eum erant ingressus est Aod ad eum; sedebat autem in æstivo cænaculo solus, dixitque verbum Dei habeo ad te, qui statim surrexit de Throno, extenditque Aod sinistram manum, & tulit sicam de dextro femore suo, infixitque eam in ventrem ejus.* Adeo difficulter commissum alicui secretum fideliter custoditur, ut uni, vel alteri non aperiatur, ut ejus fida custodia speciali divinæ tribuatur providentiæ. Pharao in Ægypto gentem deleturus Judaicam, injunxit obstetricibus, ut Hebræos mares omnes vix natos elisis faucibus suffocarent; & quia imperantis barbariem horrentes abstetrices pijs fraudibus principis mandatum eluserunt; ipsis parentibus præcepit, ut parvulos masculos inauditâ legis immanitate cum primum lucis essent usuræ editi extinguerent nili aquis, fœminas servârent Ægyptiorum famulitio; & quò sancita lex servaretur satellites Ægyptij tertio quoque mense Hebræorum domus scrutabantur: eo tempore natus fuerat Moyses, cujus mater satius censuit incertæ committere morti, quàm illum, & totam familiam Tyrannico objicere furori; propterea parvulum in fiscella ex scirpis contexta, rimis diligenter bitumine, & pice illitis, ne aqua penetraret intus clausit, aquisque exposuit; sed cum Thermutis Armenaphtæ regis filia ad fluvium descendisset, hærentem vidit ripæ fiscellam, quam jussit extrahi ab aquis, & invenit in ea vagientem puerum forma conspicuum, quem conjecit Hebræum esse ex abjecta pellicula, & quia pro filio adoptare statuit & secretum sororis fratris fidei concredidit Exod. 2. v. 8 *Perrexit puella, & vocavit matrem suam. Ad quam locuta filia Pharaonis; Accipe, ait, puerum & nutri mihi,* adeo rem totam secretò peregit, ut cum se gravidam antea simulasset, puerum illum peperisse voluerit ementiri, & mendacium colorare, quod veluti prodigium Numinis providentiæ adscribit Philo lib. 1. de vita Moysis inquiens *Facit filium suppostitium, quæ jam ante muliebri arte finxerat se gravidam, ut nativus putaretur non adscititius: tam facile succedit quod Deo placet, quantumvis arduum.* Adeo censetur arduum secretum alteri concreditum non evulgari, ut miraculo detur, ac prodigio divinæ Providentiæ: ait Philo: *facilè succedit, quod Deo placet, quantumvis arduum:* secretum non evulgari arduum in se est; & tantùm quando Numini placet, seu ex divinæ providentiæ institutione fit facile. Quod uni indicitur vix fieri potest, quin alteri evulgetur; sub primævum mundi exordium; cum Deus hominem condidisset, eique sui impressisset imaginem, seu animum inspirasset præditum facultate intelligendi, appetendi, ac reminiscendi, primævæ decoratum innocentiæ ornamentis, ac gratijs cum pleno in cuncta animantia dominatu, unum tantùm injunxit Adæ præceptum quò debitum suo conditori præstaret obsequium, & ex præcepti observantia innocentiæ statum, ac prærogativas transfunderet in posteros, veluti hæreditario jure, secus ex transgressione, quidquid bonorum, ac donium haberet amitteret, fierétque ipse cum suis posteris morti obnoxius Genes. 2 v. 16. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas* Mysterium hic latere edisserit D. Augustinus, legit enim: *in quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini:* quid? quòd cum Deus uni tantùm præceptum injunxit, pœnam duobus intentat violati præcepti *morte moriemini:* quia noverat Deus adeo difficile esse homini sibi commissum non evulgari alteri, ut certus quòd Adam sibi injunctum præceptum Evæ communicaturus esset, utrumq; volens ab ejus transgressione avertere pœnam fuit utrique comminatus, licèt præceptum uni tantùm Adæ injunctum, ait Augustinus apud Glossam: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas, non dixit, ne comedatis; postea pluraliter alloquitur: in quocunque die comederitis ex eo morte moriemini, fortè quia facturus erat mulierem, sic præcepit, ut per virum ad mulierem perveniret.* Adeo difficile, ac arduum erat, Adamum præceptum sibi impositum non evulgaturum, ut satis fuerit ipsi soli injunxisse, ut statim referaretur. Verum est quod edixit Curtius *Res magnæ sustineri ab eo non possunt, cui tacere grave est.*

EXPEN.

EXPENSIO III.

Congeruntur Symbola exhibentia figuras solis.

1\. SOl oriens supra horizontem pacati, ac tranquilli maris cum lemmate *Utriusque Arbiter orbis* Regem exhibet Hispaniarum, cujus Dominium ad utrumque extenditur orbem apud Indos, & Europeos.

2\. *Sol* signa percurrens zodiaci hac epigraphe *Nil obstat eunti*, signavit Ludovicum XIV. Regem Galliæ cum anno 1672. suum duxit per se exercitum in Bataviæ meditullium arcibus tormento bellico, & propugnaculo munitis occupatis, vel armorum vi, vel spontanea deditione supra quadraginta.

3\. *Sol* è medio cœlo suos in terras delegens splendores, quibus foventur arbores, plantæ, & genera omnia cum vegetabilium, tum sensibilium, animatorum, & carentium anima cum verbis Apostoli Pauli *Dives in omnes*, Deum exhibet qui gratiæ suæ solem oriri facit super bonos, & malos ut omnibus prosit.

4\. *Sol* oriens, & reliqua sydere deficientia cum inscriptione *Cedúntque minora* eum designat præpotentem Regem, qui de pluribus alijs principibus fœdere junctis triumphat.

5\. *Sol* percurrens in zodiaco signum Libræ hac epigraphe *Ut præsit, & prosit* accommodari potest cuilibet promoto ad regimen alicujus populi sive Imperator sit, sive Rex, aut alius inferior princeps, ideo præest ut proin concredito sibi populo per administrationem justitiæ, & promotionem boni communis.

6\. *Sol* in eclyptica adjectis verbis *Nusquam devius errat* Symbolum est Principis justi ad regulam æquitatis suas omnes componentis actiones.

7\. *Sol* in cœli meditollio universum orbem sua luce collustrans cum lemmate *Omnia solus* Deum exhibet radio divinæ gratiæ illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum. Vel Deum ut continentem omnia, operantem omnia, aspicientem omnia; quæ solis sunt etiam proprietates.

8\. *Sol* in signo Virginis adjectis verbis *Amore feror, quocunque feror*, cor exhibet S. Cajetani amore Dei, & Virginis Matris ita æstuans, ut aliquando visum sit in cœlum rapi, quò jugiter ferebatur affectu.

9\. *Sol* descriptas in pariete productis lineis horas gnomonis umbra signans, suòque cursu singulas dimetiens hac adjecta epigraphe *Cuique suum metitur* Judicem designat regulas æquitatis religiosè custodientem, atque impartientem unicuique suum.

10\. *Sol* in signo Tauri hoc hemistichio *Non ardor, non Algor inest* Principem signat ad amussim virtutis compositum: est virtus medium vitiorum in utrimque reductum; seu mediocritas ut explicat Aristoteles duorum vitiorum alterius secundum excessum, alterius secundùm defectum, ratione ad nos servata: ut enim ait Epictetus, si quis modum excesserit jucundissima quæque injucunda fient. Sicut Sol in signo Tauri tempestatem indicat non rigentem frigore, nec æstu fervescentem; ita est Symbolum Principis, qui neque in lenitatem, neque iram nimis est proclivis.

11\. *Sol*, quem Intelligentia movet cum lemmate *Regitúrque regitque*, eum exhibet Principem, vel Regem qui nonnisi consilijs prudentum, ac Sapientum virorum suos gubernat subditos, quos ideo bene regit, quia bene regitur.

12\. *Sol* vapores è terra eliciens, & in nubem cogens eum lemmate *Colligit ut spargat* hoc est in pluvias, Eum exhibet virum studijs literarum addictum, qui ex pluribus Anthoribus meliora seligit, & in unum congerit, editque in lucem, ut ejus labor omnibus prosit.

13\. *Sol* oriens, & offusas suis radijs excutiens, fugánsque nebulas subjectæ planitiei incubantes cum lemmate *Vincere discit ab ortu* fuit Symbolum à me excogitatum, exhibuitque Maximilianum Emanuelem Electorem Bavariæ, qui prior cæteris confœderatorum cum suo exercitu, quem per se duxit vindicaturus Viennam à Turcarum pertinaci obsidione in Austriam appulit, fugavítque Turcarum, & Tartarorum copias omnia pagatim ferro, & igne evertentes. Egit tunc Elector Bavaricus annum ætatis secundum supra vigesimum, eique Deus, ut cum Ovidio Loquar *Ingenium cæleste dedit velocius annis.*

14\. *Sol* vergens in meridiem & singulos terrarum tractus suis illustrans radijs cum epigraphe *Se totum diffundit in orbem* fuit aliud Symbolum, quo allusi ad eumdem Electorem Bavariæ, cujus præclare fama post fugatas è Viennensi obsidione Turcas, eosdémque fractos in egro Strigoniensi totum se se diffudit per orbem. Quòd si Scipio, cui subacta Africa cognomen dedit, Pœnos superavit, & novam Carthaginem expugnavit cum annum ageret ætatis primom supra vigesimom; & ut de ipso testatur Livius lib. 27. *Rumórque de eo apud hostes tunc increbuit venisse Dijs simillimum juvenem vincentem omnia*: hoc idem de Maximiliano Emanuele etiam apud Turcas spargebatur.

15\. *Sol* deliquium patiens ob interjectam lunam inter nos, & solem cum lemmate *Languet & urit* exhibuit olim S. Cajetanum cum Romæ in Basilica Liberiana à Deipara sibi donatum puerum JESUM, ferventissimo affectu dulcissimos prosequeretur inter amplexus; languebat tunc amore. Eodem symbolo elluditur etiam ad corporis infirmitatem, quâ ultimò laboravit, decessitque; exarsit enim divino amore licèt corporis premeretur molestijs.

16\. *Sol* occidens in mare ebdénsque se in fluctibus cum lemmate. *Me subjectis excipit undis* alludit ad dominium, ac imperium quod Reges Hispaniæ, & Galliæ acquisiverunt in novum Americæ orbem.

17\. *Sol* occidens, & plores in cœlis stellæ, quæ suos incipient explicare splendores hac epigraphe *Lux moriente venit* elludit ad Christum cruci à Judæis affixum, cujus mors lucem nobis aperuit divinæ gratiæ.

18. *Sol* occidens, & rubra in nubibus relinquens lucis vestigia his verbis *Rubris deserit orbem*, alludit ad necem Christi, qui plura reliquit effusi sui sanguinis rubra vestigia præsertim in sacra sindone. Quod si vespertina cœli rubedo crastinum spondet serenum; hæc rubea in sacra sindone Christi vestigia, divinæ gratiæ nobis impertitur auspicatissimum diem.

19. *Sol* occidens, & cœlum quatuor ex majoribus stellis splendidum hac epigraphe *Pulcra in prole superstes*, exhibui hoc Symbolo obitum Serenissimi Electoris Bavariæ Ferdinandi Mariæ superstitis in duobus Principibus maribus, & totidem fœminis; illi postea ambo sacri Romani Imperij Electores fuere unus Bavariæ, alter Coloniensis; & ex fœminis natu major Delphina Franciæ, altera Magna Etruriæ Principissa.

20. *Sol* occidens & cœlum nullis obductum nubibus cum verbis *Pulcrior ut surgat* allusi ad decessum ex hac vita ejusdem Serenissimi Electoris Ferdinandi Mariæ, qui sicut fuit Princeps omnigena virtute ornatus, & præsertim pietate, morumque candore insignis, ita mors præmatura hunc Principum solem eripuit, ut cœlesti donaretur in cœlis gloria.

21. *Sol* oriens, & nebulas longè lateque exporrectæ planitiei incubantes penitus dissipans cum lemmate *Hostes confregit in ortu* exhibui Maximilianum Emmanuelem Bavariæ Ducem cum in primævo ætatis flore in Agro Strigoniensi Odrysias confregit phalanges.

22. *Sol* ex horizonte Eoo emergens, & nubes mari imminentes dissipans hac epigraphe *In undas dejecit hostes* fuit hoc Symbolum, ut etiam superiora à me excogitatum ut alluderem ad eumdē Bavariæ Electorem, qui vix annū agens primum supra vigesimum post vindicatam Viennam Austriæ à pertinacissima Turcarum obsidione fregit ad Barcanum fugatos hostes, qui ob nimium Turcarum fugientium poodus disrupto ligneo ponte in supterfluentem ceciderē Danubium, qui ut cecinit Claudianus lib. 3. de consul. Honor. *cumuloque cadentum stasset, ni rapidus juvisset flumina sanguis.*

23. *Sol* percurrens signa zodiaci, & splendens in illo sagittarij cum hemistichio *Monstra mihi cessere domos* fuit aliud Symbolum, quo allusi ad eumdem Bavariæ Electorem, cui Turcæ Strigonium in Hungaria pactitia cesserunt deditione eo fere tempore, quo Sol signum erat ingressurus sagittarij exhibentis Strigonium, ubi præsidiarij Turcæ sagittis utebantur ad arcem propugnandam.

24. *Sol* percurrens in zodiaco signum Leonis, qui est stemma gentilitium domus Bavaricæ, & subjectas nebulas flumini incubantes dissipans his verbis *Obstantia solvere curat* aliud fuit Symbolum, quo exhibui insignem victoriam relatam ab eodem Maximiliano Emmanuele è deletis Turcarum copijs ad ripas Danubij prope Strigonium.

25. *Sol* in signo Libræ subjectas terras suis perfundens radijs cum lemmate *Cæloque, soloque* exhibuit S. Cajetanum, qui cœlesti beatitate donatus fulget in cœlesti patria, & tot Deus ad ejus intercessionem perpetrat in terris miracula, ut Taumaturgus audiat, ac clarescat ubique locorum.

26. *Sol* irradians, illustránsque horologium solare pictum in pariete, signánsque umbrâ stili quota sit hora cum lemmate *Aspicior si aspiciat*, congruit Aulico, quem omnes in honore habent, eo quia favore gaudeat Principis, quo si careret flocci fieret; quia perinde ac solare horologium sine solis splendore nulli esset alijs utilitati.

27. *Sol* in signo Tauri suos perfundens radios in peramplam planitiem herbarum virore, florum varietate, plantarúmque luxuriantibus folijs amœnissimam adjecto hemistichio *Viget quodcunque videt* alludit ad eum, qui cæteris præest, quique frequenter sibi subjectas, vel provincias si sit Princeps sæcularis vel Ecclesias si præsul, & Antistes invisere curat, ut qui subsunt sua ritè obeant munera: qua ratione superioris vigilantia, & præsentia cauta est, cur singula ritè vigeant.

28. *Sol* meridianus excussis, quæ priùs aderant, nubibus serenus irradians adjectis verbis *Quò validior, eò serenior* ad eum alludit Principem bellica virtute clarum, qui post relatas victorias clementiam exercet in captos, quos etiam beneficijs cumulat, vel honoribus prosequitur.

Sol atras nubes, fulgurúmque hiatus una excutiens radijs cum verbis *Terrori succedit amor* ad eumdem alludit Principem, ex egregie pugnata pugnâ victorem, ac benevolum in captos.

29. *Sol* occidens, & in subjectis terris pleraque animalia adeuntia sylvas, cum lemmate *Dat requiem Fessis* allusit ad Carolum Audacem postremum Burgundiæ Ducem, qui cum ad bellum lacessivisset Helvetos, apud Nancæum fuit ab istis cruenta clade fractus, & ipsemet occisus, qui obitus causa fuit concupitæ ac initæ pacis, & Helvetis occasio ad proprios revertendi pagos, pristinámque quietem.

30. *Sol* dissipans in aëre nubes; easque horizontem versùs rubedine afficiens, purpureóque appingens colore cum lemmate *Serenat, & ornat* allusi hoc symbolo ad Carolum Emanuelem II. qui post belli nubila, pacem invexit & Taurinum ampliavit, ac elegantibus exornavit ædificijs, multiplici foro, rectisque platęis.

31. *Sol* eclipsim patiens, pallentésque suos radios in hortum varijs consitum floribus flaccidis tamen, ac languentibus injiciens *Languent omnia circum* allusi hoc symbolo ad eumdem extremo morbo colluctantem; imminentis mortis periculum proprium sibi fecerant subditi, qui propterea dolore pressi languebant, cum Princeps langueret.

32. *Sol* irradians, & subtus planities non nisi spinis, urticis, ac vepribus obsita, & serpentibus pervia adjectis verbis *Utinam meliora viderer* exhibet Clementissimum Deum, qui post tot collata hominibus beneficia adhuc hos videt pluribus fœdos vitijs, in cœno peccati stabulantes, & cum expectaret, ut facerent uvas, nonnisi labruscas dederunt.

34. *Sol* meridianus cum lemmate *Uni cuncta patent* Dei exhibet intellectum, cui ſunt omnia not . Eſt Deus ſolus omniſcius, cui propte- rc omnia patent.

35. *Sol* cum lemmate *Pro cunctis ſufficit unus* alludit ad Deum.

36. *Sol* cum hemiſtichio *Nec pluribus impar* Eſt Ludovici XIV. Gallorum Regis Symbolum.

37. *Sol* cum epigraphe *Omnia omnibus* alludit ad virum Apoſtolicum.

38. *Sol* meridianus plenóque lumine coruſcns adjectis verbis *Nil lucis externæ indigus*, Deum ſignat omnium includentem plenitudinem perfectionum, quas creaturis communicat; ſicut Sol ſuoe cæteris aſtris ſplendores.

39. *Sol* nubibus denſis, ac obſcuris ex latere ſtipatus unde fulgura prodeunt, & fulmina obmurmurant cum lemmate *Habet & ſua fulmina*, Deum refert delictorum vindicem; qui ita beneficia impertitur hominibus, ut hos, ſi malè egerint, etiam puniat, pœnáſque juſtas de hominibus ſumat peccantibus: qua ratione vocatur Deus juſtitiæ Sol; quia ita claret clementia, ut non careat juſtitiæ fulmine.

40. *Sol* ſereno cœlo occidens ſemimerſus infra horizontem adjecta epigraphe *Me quoque Fata tenent*, explicat æquè Libitinæ obnoxios Reges, ac pauperes: cum mors æquo pulſet pede pauperum tabernas, Regúmque turres. Vel Fortunæ iniquitati æquè ſubjici Principes, ac ſubditos.

41. *Sol* meridianus, & terraqueus globus ſolaribus perfuſſus radijs cum lemmate *Patet omnibus unus* Dei indicat præſentiam, cujus veſtigia ubique cernuntur locorum.

42. *Sol* occidens, & horizon rubentibus obductus nubibus adjectis verbis *Condor, ut exoriar* Chriſti ſignat ſepulturam plurimo ex paſſione rubentem ſanguine.

43. *Sol* oriens & in horixonte Eoo plures roſcidi vapores, è quibus ſolaris diſcus longè major appareat, hac epigraphe *Major ab adverſis* eum exhibet inclytum virum, & virtutum cultura inſignem, cujus merita ex adverſa fortuna magis emicant.

44. *Sol* in eclyptica adjecto lemmate *Quò fata regunt* eum refert divinæ voluntati hærentem virum, qui paratum ſe exhibet ad utriusque fortunæ vices.

45. *Sol* meridianus pleno irradians lumine cum lemmate deprompto á Claudiano *Nil opis externæ* Deum indicat, qui ſolus eſt ſibi ſufficiens.

46. *Sol* itidem meridianus ſuos ſpargens radios in ſubjectam planitiem ſegete flaveſcente, & frugiferis refertam plantis adjectis verbis *Aſpicit & fovet*, Vigilantiam exhibet Antiſtitis, ut ſuæ benè conſulat diœceſi, cultúmque in ea promoveat divinum.

47. *Sol* in ſigno Tauri menſe Aprili in ſubjectum hortum varijs diſtinctum areolis, pluribúsque conſitum floribus ſuos diffundens radios hac epigraphe *Quos aſpicit ornat* alludit ad Deum, qui quos ſua gratia aſpicit, ac lumine illuſtrat, virtutibus exornat. Sicut ſolis aſpectus menſe Aprili totam inſtaurat, reficitque naturam, & tellurem varijs obludentibus ornat floribus; ita Deus illos reficit, ornátque, quibus ſuam impertitur gratiam.

Sol oriens & ob interjectas in horizonte 48.
nebulas gramdior apparens cum Ovidiana epigraphe *Ingens viſus ab Aurora*, Puerum JESUM exhibet, qui utpote verus Deus, & homo, gramdior homine etiam in nebula noſtræ humanitatie apparuit tribus Regibus Magis, qui propterea præmonſtrante viam novo ſydere venerunt, ut eum verum Deum colerent.

Sol in ſigno Virginis menſe Septembri o- 49.
mni ſuo decore, ac ſplendore conſpicuus paulò ſupra horizontem Eoum cum lemmate *Digna Deo facies* eumdem refert puerum JESUM in ulnis Virginis Matris adblandientem.

Sol percurrens zodiacum hac epigraphe 50.
Nusquam meta mihi refert virum ſtudijs addictum, qui labore improbo omnes volvit, ac luſtrat Authores, jugíque ſcriptione libros componit in publicam utilitatem.

Sol meridianus adjecta epigraphe *Unus* 51.
ſufficit orbi alludit ad Imperatorem, qui licèt unus tantùm, ea tamen eſt inſigni virtute præditus, ut totius imperij ſufficiat regimini.

Sol multiplici obductus denſa nebula, & 52.
ad occaſum vergens cum lemmate *Palleſco non extinguor* exhibuit Principem graviſſimo decumbentem morbo, qui tamen jam jam pulſantis Libithinæ evaſit fatum.

Sol in ſigno Tauri exoriens cum lemmate 53.
Aurea ſæcula condet fuit Symbolum, quo alluſi ad natalitium Victoris Amedei Ducis Sabaudiæ, qui natus Taurini poſt diuturnam ſterilitatem, & plures ad Deum fuſas preces, fuit ſubditis argumentum gramdia quæque inde ſperandi.

Sol eclipſim patiens ob interjectam lu 54.
nam cum verbis *Effugere nequit* fuit Symbolum à Capacio excogitatum, ut exhiberet quemdam Aulicū, qui juſſu principis fœminæ nupſit conditionis multo inferioris; adeo ut nobilitatis avitæ claritas nonnihil contraxerit obſcuritatis; perinde ac Sol quoties cum luna inferiore copulatur; & ſicut eclypſis ſolaris neceſſariò obtingit ob ordinem rerum, curſúmque cœleſtium luminarium; ita tale connubium initum fuit ex Principis diſpoſitione.

Sol occidens in ſigno libræ, ſeu comitan- 55.
te anteactæ vitæ rectitudine cum lemmate *Recedit, non decedit* obitum exhibuit S. Cajetani, cujus mors receſſus tantùm fuit ab hac mortali vita, ut aliâ longè præſtantiori donaretur.

Sol nebulis obductus cum lemmate *In-* 56.
ſtant non obſtant virum fortem refert, qui adverſis preſſus non tamen opprimitur, ſed erecto animo fortunæ injurias, ut vapores inferiores, à quibus ne tangatur, deſpicit.

Sol ſuam reddens in exiguo ſpeculo ima- 57.
ginem, vel in fonte cum lemmate *Maximus in minimo*: vel *Immenſus in parvo* exhibet puerum JEſum reclinatum in præſepio, vel Chriſtum latentem ſub Euchariſticis accidentibus.

Sol oriens & plures aviculæ turmatim è 58.
ſylvis egredientes, cum lemmate *Omnes lætan-*

tur

tur in ortu Nativitatem refert S. Joannis Baptistæ Christi Prodromi.

59. *Sol* occidens ita tamen ut sola media pars solaris disci lateat infra horizontem hac epigraphe Italica *Sol resta in parte oscuro* Christi Domini exhibet sepulturam, cujus tantum torpus latebat in sepulcro.

60. *Sol* in eclyptica adjectis verbis *Sine errore erlerrimus errat* alludit ad eos magnæ indolis, ac ingenij homines, qui licet celeres sint in negotijs expediendis, vel libris componendis, bene tamen sua perficiunt; quamvis alij præpropera festinatione non feliciter procedant, quibus propterea congruit illud Augusti Cæsaris *Festina lentè*.

61. *Sol* intrà duos Tropicos cum verbis *Nec ultra, nec citra*, Virum indicat, se, suásque operationes ad tectitudinis amussim componentem, nunquam terminus excedentem, ultra quos nequit consistere rectum.

62. *Sol* in eclyptica cum verbis *Contentus medio* Alludit ad Serenissimum Ferdinandum Mariam Bavariæ Electorem, qui unice adamavit medium virtutis, tui jugiter adhæsit, ac moderationi studuit.

63. *Sol* pleno splendoris decore coruscus cum verbis *Solus indeficiens* exhibet Deum, qui solus nunquam potest deficere. Cæterea omnia possunt à DEO annihilari, propterea etiam deficere.

64. *Sol* signa percurrens zodiaci eum lemmate *Ubique sibi similis* congruit viro ingenuo, quem neque blanditiæ arridentis fortunæ, neque injuriæ adversantis ab animi removent pacato moderamine.

65. *Sol* nebularum densa caligine obductus his verbis *Obstantia solvet*, et touvenit, qui in peragendis negotijs obviantia superat obstacula, eluditque Adversariorum conatus.

66. *Sol* sub zodiaco adjecta inscriptione *semper idem sub eodem*, accommodatur Administro Principis, qui tametsi ad servitia alterius Principis, & clariora obeunda munera invitetur, mavult intemerata fidelitate sub eodem, cui hactenus inservivit perseverare.

67. *Sol* oriens adjectis verbis *Nondum in auge* illi adaptatur Principi, cui defectu ætatis nondum est regimen commissum.

68. *Sol* in signo libræ cum lemmate *Omnibus æquè patet*, congruit supremo in Republica Judici æqualiter administranti cunctis justitiam tribuendo cuique suum.

69. *Sol* meridianus illuminans globum terraqueum hac epigraphe *Occultum nil esse sinit* Deum exhibet, cui omnia parent, quique secreta cordium penetrat.

70. *Sol* oriens adjectis verbis *In publica commoda*, Natalitio adaptatur Principis, quem Deus dat mundo ut regat populos, eorúmque promoveat commoda.

71. *Sol* in signo Tauri, & in subjecta planitie flores discolores, humiles violæ, proceræ arbores foliorum pompâ luxuriantes cum lemmate deprompto ex Horatio lib. 1. ode 10. *Superis gratus, & imis*, Eum exhibet ingenuum Principem qui æquè infimæ plebi, at nobilibus prodesse studet.

Sol meridianus adjectis verbis Italicis *Dal Nume riceve'l lume*, cuilibet adaptatur homini venienti in hunc mundum, qui à solo Deo illuminatur gratia supernaturali in ordine ad assecutionem æternæ salutis. 72.

Sol discussis nebulis splendescens cum verbis *Emergit clarior inde*, exhibet virum fortem aureâ patientiâ insignem, qui ex calumnijs, conviciisque, adversitatibus, ac injurijs sibi illatis, & fortiter toleratis plurimum ei accedit meriti apud Deum; & splendoris, ac existimationis apud homines. 73.

Sol oriens, cujus aspectum densæ nubes terræ abripiant adjectis Italicis verbis *S'asconde è pure ascende*, Aulicum exprimit, qui ab aulæ pompa mundi, ac dignitatibus se abdicat, ut soli Deo inserviat, ascendat in cœlum, proficiátque virturum culturâ. 74.

Sol eclypsim patiens cum lemmate *in-sunt tamen* exhibet morientem in cruce Filium Dei, qui tunc opus nostræ redemptionis, & salutis perficiebat. 75.

Sol imaginem sui in plurimis confracti speculi frustis imprimens cum lemmate *Dant singula totum* fuit Symbolum à me excogitatum, ut explicarem quomodo in singulis consecratæ hostiæ sensibilibus fragmentis includatur totum Christi Domini corpus. 77.

Sol oriens adjectis verbis *Malè operantibus horror* exhibet eos, qui furtis, rapinis, fornicationibus, alijsque assueti sceleribus nil magis aversantur habéntque odio, quàm lucem, quæ est ipsis horrori, & eam timent, ut scelerum testem. 78.

Sol in signo arietis, & flores erumpentes è sinu telluris, plantarúmque ramusculis cum verbis *Jam hyems transijt* ad eum alludit, qui post diuturnas ingravescentis persecutionis molestias, meliori sorti restituitur. 79.

Sol globo imminens terrestri cum verbis *Gravidat non aggravat*, Refert B. Virginem concipientem ex Spiritu sancto. 80.

Sol in nube roscida, quam suis radijs veluti penicillis eleganter colorat, ac pingit cum inscriptione *Ornat non onerat* exhibet conceptú Christum in utero Virginis matris. 81.

Sol oriens feræ plures è sylvis egredientes, aviúmque turmæ, quà volitantes, quà ramis hærentes arborum cantantes cum lemmate *Hoc ortu singula gaudent*. Nativitatem exhibet Præcursoris Joannis, de quo Ecclesia canit; multi in nativitate ejus gaudebunt. 82.

Sol oriens cum verbis Horatij *Aliusque & Idem* fuit Symbolum excogitatum ab Urbano VIII. quia cum plerumque obtingit, ut honores mutent mores, voluit hoc Symbolo innuere, alium quidem identidem factum honoribus, ac dignitatum accessione; nihilominus eumdem semper mansisse morum comitate, animique moderatione. 83.

Sol ingrediens signum Leonis cum lemmate *Dedit ille diem*: & Luna pleno orbe corusta hac Epigraphe *Dabit ista quietem* Fuerunt duo 84.

duo Symbola alludentia ad Ingressum Martionupi ialem in Bavariæ Metropolim Monachium Maximiliani Emanuelis, & Mariæ Antoniæ Archiducissæ Austriæ Leopoldi I. Imperatoris Filiæ recèns nuptæ post vindicatam ab obsidione Viennam Austriæ, deletas Turcarum copias, & occupatum in Hungaria Vivarinum.

84. *Sol* in signo Tauri, & infra longè, latéque exporrecta planities luxuriantibus vestita herbusculis, discoloribus ornata floribus, varijsque arboribus, plantisque ad omnem elegantiam consita hac epigraphe *Decor omnis ab uno*, Deum exhibet, à quo omne bonum, & decor gratiæ dimanat; siquidem omne donum est à Patre luminum.

85. *Sol* percurrens signa zodiaci cum verbis *Petit audax ire vias* fuit Symbolum à me excogitatum, ut exprimerem, Maximilianum Emanuelem Bavariæ Electorem obvias quasque in Hungaria feliciter superâsse difficultates, & bellico vaframento Savum fluvium nocte intempesta cum exercitu Christianorum trajecisse Albam Græcam obsidione vallatarum, quam & occupavit.

86. *Sol* meridianus cum verbis *Quieto similis*. Ad Principem alludit, qui licet suis videatur in ædibus quiescere, omnes tamen audit, omnia videt, & recte gubernat nulli parcendo labori, adeo ut ei congruat quod Poeta Gallus cecinit, inducitque per prosopopæiam solem ita loquentem.

> *Je fais le tour du Ciel, cent monstres furieux*
> *Ne peuvent retarder mes soins laborieux*
> *Je regle toute chose.*
> *Je rends le calme à l' air, aux vents je fais*
> *la Loy.*
> *Quiconque cependant leve les yeux sur moy*
> *S' image, que je repose.*

87. *Sol* suos in terras demittens radios hoc hemistichio *Ima replet, nec deserit alta* exhibet Principem divino cultui addictum, qui ita suos gubernat subditos, & eorum consulit commodo, ut simul Deo inserviat, ejúsque cultum enixim promoveat.

88. *Sol* occidens cum lemmate *Mihi non occido* allusit ad obitum Pientissimi Principis Ferdinandi Mariæ Electoris Bavarici, qui ob insignes quas excoluit virtutes ab hac mortali ad æternam fuit per obitum translatus vitam, ut piè credendum est.

89. *Sol* meridianus rotam illuminans terram cum verbis *super Bonos, & Malos*, & designat Deum, qui solem suum, seu gratiam oriri facit super bonos, & malos illuminans omnes homines, quos vult salvos fieri voluntate sincera, non fucata.

90. *Sol* oriens in signo Tauri hac epigraphe *Umbras dissipat omnes*, Christum JESUM infantem exhibet reclinatum in præsepio prope Taurum; novo siquidem fœdere sancito omnes veteris testamenti umbras, & figuras expulit.

91. *Sol* atris in nubibus abditus cum verbis *Premitur non opprimitur* fuit Symbolum Cardinalis Zachariæ Delphini, ut ostenderet, novercantis fortunæ injurijs posse quidem virum ingenuum exerceri, & procellosis fluctibus premi; nunquam tamen opprimi, nec mergi.

Sol ad occasum vergens adjecto lemmate 92. *Oritur & occidit* brevitatem refert labentis nostræ vitæ, oritur homo, & pauco intercedente fluentis temporis spatio occidit; & velut umbra pertransit.

Sol meridianus totum illuminans terræ 93. queum globum cum lemmate *Universaque lustrat*. Vigilantiam exhibet probi Antistitis, qui ut concredito sibi gregi bene consulat singulos suæ diœceseos tractus lustrat.

Sol meridianus, ex quavis suæ peripheriæ 94. parte foras emittens radios cum lemmate *Suâ se luce coronat*. Virum omnigena ornatum virtute refert, quem propria merita ad Regium Thronum evheunt; ut contigit Joanni Subjescho quem propria virtus bellica ad diadema Polonici regni extulerunt.

Sol in zodiaco hac epigraphe *Medium non* 95. *deserit unquam* alludit ad virum æquum justitiæ studiosum, quique non patitur à tramite recti deflecti.

Sol oriens, & sydera deficientia cum lem- 96. mate *Ut patet; ista latent*, allusit hoc Symbolo ad Maximilianum Emanuelem Bavariæ Electorem & ex Belgio Monachium reducem post aliquot annos, cujus ministri pristinum statim perdiderunt splendorem, ac authoritatem.

Sol suam in fonte imprimens imaginem 97. cum hemistichio *Majestas laudatur in imis*, Servatorem Christum refert Dei Majestatem humiliati nostræ humanitatis adnectentem; adeout Majestas Divinitatis in imo adoretur, ac laudetur humanitatis. Hæc duo mira concordia in Christo cohæserunt, ut in una, ac eadem sede bene convenirent Majestas, & amor.

Sol percurrens signa zodiaci cum lemmate 98. *Hinc nascitur ordo* alludit ad principem suas lustrantem provincias; vel in castris exercitum; est ejus præsentia, quâ singula sunt bene disposita, ac recte ordinata. Proprium siquidem est Principis leges dare, & ut observentur probè curare. Sicut Sol signa lustrans zodiaci cursum temporis moderatur, & ut cecinit Poëta Italus *L' ordine assegna al variar de tempi* Sol enim per accessum ad tropicum cancri dicitur ad nos accedere, eò quia per radios magis perpendiculares nostrum feriat hemisphærium; & per recessum ad tropicum capricorni dicitur recedere à nobis, quia fit nobis magis obliquus. Hæc autem obliquitas causat in sublunaribus rerum ordinitas vicissitudines. Si enim Sol ad signa accedat Borealia vernam in illis regionibus inducit tempestatem, & quò Sol magis progreditur versus signa borealia, eò ferventiores augentur calores, quibus maturescunt segetes, perficiuntur fructus. Rursus eum è signis borealibus incipit recedere, ac obliquioribus radijs terras nostras illustrare sensim incipiunt omnia languescere & in partibus australibus inducitur verna temperies. Sicut hunc ordinem causat Solis præsentia; ita præsentia Principis ordinem suis posuit provincijs, quibus plurimum prodest, si eas

eas visitet statis temporibus, est siquidem ratio, cur Ministri sua ritè obeant munera.

97. *Sol* oriens ad nostrum hemisphærium cum lemmate *Totus me indiget orbis* Divinam exhibet Providentiam, quâ indigent creaturæ omnes, & sine qua non possent mundus consistere. Convenit etiam summo Pontifici, quo indiget universalis Ecclesia; & Imperatori, ac Regi, quo indigent Imperium, & Regnum, ut administretur justitia, resque ritè procedant.

98. *Sol* ex lunæ interjectu eclypsim patiens cum hemistichio *Quisque suos patitur manes* ad obitum alludit Principis, indicátque esse omnes morti obnoxios; & Libithinam æquè Regum turres pulsare, ac pauperum tabernas.

99. *Sol* in signo Tauri mense Aprili, & amœna ridentis telluris planities vernantibus ac discoloribus veriè picta floribus; plantisque consita, quæ gemmas trudant, frondes explicent, florea emittant cum lemmate *Radijs melioribus usus* fuit Symbolum excogitatum ab Abbate Castillio in Pompis Taurinensibus anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto in honorem Regalis Celsitudinis Caroli Emanuelis Taurinum reducis mense Aprili post extincta in Pedemontio bella. Allusit etiam Symbolum ad illius metropolis stemma gentilitium Taurum gerens. Præ cæteris Inscriptionibus, quibus vocales licèt sine voce constituebantur Artus à triumphis nuncupati, hæc laudem promeruit; quæ allusit ad Machinam igneam referentem idem Tauri signum

Pallas Alpina

Subalpinum solem introducit in Taurum
Superbiens itaque Taurus, & syderenm Arietem eludens,
Stellis se ipso innumeris coronat,
Ignitisque consurgens in turcim
Lucidas, & umbratiles infert cœlo minas
Ac in Palladem
Æquè Pacis, & belli Divam esse testetur.
Mugit tonantes exardescens in flammas
Sed insontes

Pallas Christianam Regalem Sabaudiæ Ducissam, & Matrem Caroli Emanuelis indicat.

100 *Sol* signa præcurrens zodiaci, & ex borealibus ad Australia versus cum verbis ex Ovidio promptis *Nulla est nescia terra:* allusit ad Reginam Suetiæ, cum Catholicæ Religioni adhæsura ex Suecia in Pomeraniam, ex Pomerania in Germaniam, inde Hollandiam, Galliam Italiam, & demum Romam se contulit.

101 *Sol* in signo Libræ hac epigraphe *sub Justo temperat orbem* allusit ad Ludovici Justi Galliarum Regis supremum Cancellarium Dominum du Seguier, qui sub Rege Justo, justè, & sanctè res Galliæ administravit.

102 *Alia* pleraque habentur elegantissima phrenoschemata solis exhibentia figuram. Ut Sol cum maculis, & verbis *Egregio in corpore* ad indicandam creaturam quamque tametsi sanctitate pollentem obnoxiam alicui defectû, exceptis Christo Domino ob sibi junctam hypostaticè divinitatem, & Virginem ob gratiæ plenitudinem.

Sol imminens terraqueo globo cum lem 103 mate *Undarum, terræque potens* exhibet Regem Hispaniarum cujus potestas in plura etiam maritima regna, ac Insulas extenditur.

Sol è signo Leonis transiens in proximum 104 Virginis cum inscriptione *Fœcundis ignibus ardet* allusit hoc Symbolo ad connubium Maximiliani Emanuelis Bavariæ Electoris cum Maria Antonia Archiduce Austriæ Leopoldi I filia post deletas campestri conflictu Turcarum copias, & occupatum in Hungaria Vivarinum Monachium reducta cum sponsa.

Sol iridem in nube rorida pingens hac epi- 105 graphe *Terras jubet esse quietas.* Alludit ad Principem pacis promotorem inter alios dissidentes

Sol in signo capricorni cum verbis *Quid* 106 *gaudia nostra moraris?* in Maximilianum Emanuelem Electorem Bavariæ jam per plures annos in Belgio commorantem, & suum in patriam protrahentem reditum. Exhibuit hoc Symbolum solem adhuc infra horizontem Eoum; & Bavariam in opposito latere tenebris obsitam, cum turri, in cujus fastigio rotatum horologium signabat horam octavam matutinam, quo tempore Sol in signo capricorni oritur in Bavaria.

Sol suis perfundens terram radijs cum 107 versu Italico *Senza lasciar il ciel tocco la terra,* Christum exhibet in Eucharistia.

Sol meridianus hac epigraphe *Totum cir-* 108 *cumspicit orbem* Dei Providentiam refert.

Sol in meridie cum verbis *Æquè spectantes* 109 *à cunctis* Exhibet Innocentium Papam XII. omnibus aditum liberum permittentem, cunctósque audientem.

Sol in ariete hac epigraphe *Torpentia fri-* 110 *gora solvet* exhibuit principem in lucem editum mense Martio, quo sperabant subditi, fore ut dissidia & concepta odia inter alios ejusdem Domûs Principes inhiantes regimini extinguerentur.

Sol cum lucido circulo inter nebulas adje- 111 ctis verbis *Donant nubila victa coronam* eum exhibet, qui beneficio patientiæ vicit persecutiones, & adversa.

Sol oriens cum verbis *cunctis solatia fundit,* 112 Nativitatem signat Principis.

Sol meridianus hac epigraphe *Unus ubique* 113 *potens.* Deo congruit.

Sol meridianus illuminans terraqueum 114 globum cum verbis *Unicus uni,* Deo congruit.

Sol in zodiaco *Nulla est meta laboris,* Virum 115 signat continuis occupatum negotijs.

Sol cum lemmate *Nec pluribus impar* est 116 Symbolum Ludovici XIV regis Galliarum.

Sol cum lemmate *Orbis te nescit uterque,* 117 convenit S. Francisco Xaverio.

Sol cum verbis *Non habet ille parem,* Deo 118 congruit; & inter homines primo in quovis ordine ut Pontifici, Imperatori &c.

Sol emergens marino ab horizonte. Aves, 119 & feræ è sylvis, latebrisque cavernarum exilientes, plures garrulæ aviculæ, ac lusciniæ canoræ ramis insidentes plantarum, & aliæ circumvolitantes addito hemistichio sumpto à Poëta Italo *Al mio spuntar l' otio sen fuge,* congruit

gruit viro scientiarum studijs, imò & mechanicis opificijs addicto, qui cum primùm horis antelucanis è somno expergefactus surgit inchoaturus post fusas preces suum opus.

EXCURSUS.

Otium fugiendum.

Malorum omnium Patrem, si otium dixeris, idem senties cum Sapientibus. Mens occupationibus distenta, gravibúsque lassata negotijs; serijs, varijsque detenta exercitijs, vix locum Dei offensæ permittit; quia ut scitè D. Bernardus: *Ex otio atque ignavia cogitationes pravæ, & concupiscentiæ multiplicantur, donec navis cordis eis succumbens in peccato periclitetur.* Otium causa est ventorum, ac procellarum animam pulsantium: hinc fœdæ pectoris jactationes, & fluctus decumanis turbulentiores, & vix è tabula salus. Eripitur menti Deus Sol maximus, & succedunt tenebræ, pericula, & naufragia; quia ut ait Polybius: *Otium perniciosissimum est, fons, & origo malorum omnium.* Ab hoc fonte corrupto non speres nisi rivulos perversè olentes, quique pessimè sapiunt; idque confirmaturus Ecclesi. cap. 37. ait: *multam malitiam docuit otiositas*: est otium omnis improbitatis magister, scelerum Schola; officina ex qua perinde ac è Vulcani specu eruitur quidquid mali fornace, & incude procuditur. Vitia, ut discutias otium declina: Providi qui sunt in bello Duces, militum insoleo iam laboribus frangunt: & nos insolescentem carnem laboribus compescamus: nullus est sceleri locus, ubi serijs animus distringitur.

EXPENSIO IV.

Producuntur Symbola exhibentia Ignem Elementarem, Fulmina, Fulgura, Turbines, Cometas, Phænomena, Exhalationes accensas, aliaque ad genus ignita meteora.

1. Ignis in propria sphœra cum lemmate *Foret haud urit*, virum exhibet DEO unicè addictum, cui adversa sunt virtutis exercitio, & nulli damno.

2. *Ignis* sphœra Lunæ contermina hac epigraphe *Innoxius ardet*, allusi hoc Symbolo ad S. Cajetanum tenentem in ulnis donatum sibi à Deipara puerum JESUM, cujus amore totus flagravit.

3. *Ignis* in propria sphœra perennans hac inscriptione *Æternumque vigebit*, Fui hoc symbolo usus ut amorem significarem, quo Beati in cœlesti patria erunt jugiter Deum amaturi.

4. *Ignis* in sua sphœra cum verbis Italis *Eterno perche puro* sinceram refert amicitiam, ac puram, nullo concupiscentiæ fumo corruptam.

5. *Flamma* corusca sursum avolans in cœlum adjecta epigraphe *Feliciter audax*, Significavi hoc symbolo singularem S. Cajetani fiduciam in Deum, cujus providentiæ duntaxat innixus de alio noluit suos asseclas solicitos, quàm de solo cœlesti regno acquirendo.

6. *Flamma* è sylvis sursum ingenti impetu avolans cum lemmate *Cœlo nata despicit humum* allusi hoc alio symbolo ad S. Cajetanum, qui toto nisu soli Deo inhiavit, terrena quæque fastidiens.

7. *Flammæ* plures è terris sursum nitentes cum verbis *Nil ausibus obstat*, desideria hoc symbolo exhibui S. Cajetani, qui ab omni solutus humano negotio, ac terreno obice solum Deum toto corde adamavit, ipsúmque optavit, & in eundem aspiravit absque ullo obstaculo.

8. *Ignis* in sua sphœra plurimo splendore coruscus cum verbis *Æternúmque nitebit*, amorem exhibet Beatorum in cœlesti patria.

9. *Flamma* sursum nitens ad propriam sphœram adjectis verbis *Non aliunde quies* fuit symbolum à me excogitatum ut indicarem, nullibi cor hominis posse quiescere, quàm in solo Deo. Cum fuerit homo conditus propter Deum, nulla ei requies dari potest nisi in Deo; nisi totum rebus se mancipet divinis. Hinc Augustinus Deum alloquens aiebat. *Fecisti nos Domine ad Te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in Te.*

10. *Flamma* ingens cum hemistichio *splendet & ardet* hominem signat generosum clara ex stirpe natum, & magna molitorem.

11. *Ignis* fatuus nocte per aera discurrens, ac errans cum verbis *Prælucet in avia* Doctrinam exhibet hæreticorum, quæ lucet extra rectum tramitem ad perdendum.

12. *Ignis* nocte densam errans per sylvam cum lemmate *Terror, & error* Falsam exhibet imaginationem, quâ plerique terreri solent, & inde in errores conjiciuntur, ut in ijsdem verè imaginatio dicatur facere casum.

13. *Ignis* sylvam depascens contra pugnantes ventos cum lemmate deprompto ex Lucano *Crescit in adversis* eum exhibet virum clarissimum, qui summis assuetus virtutibus ex rerum adversarum conflictu incrementum subit meritorum.

14. *Ignis* alius ingens collis arbusta depascens eum versu Italico *Dalla sfera però natia lontano* ei congruit, qui longè distans à patria incremento virtutum præclarissimam sibi comparavit famam.

15. *Ignis* nocte in montis prærupto splendens jugo, ac illuminans propinquas valles, montésque alios cum verbis S. Matthæi *Non potest abscondi* zelum refert viri ornamento virtutum clarissimo, nitentisque divinum cultum promovere; ac peccatores ad meliorem frugem revocare.

16. *Flamma* è præalti montis fastigio sursum ad propriam sphœram avolans cum verbis *semper sursum* eum exhibet virum Religiosum, qui procul à rebus terrenis, & studijs addictus virtutum semper in ijsdem proficit, itque de virtute in virtutem.

17. *Flamma*, quæ è foramine erumpens clausæ fornacis sursum avolat cum epigraphe *Summa*

petit

perit virum exhibet, qui ab humili exiens patria militiæ se obstringit Sacramento, ut in castris emineat, & ad primos evehatur honores faventibus fortona, & virtute bellica.

18. *Flamma* lignorum struem depascens, ac in cineres redigens cum verbis *Alentem devorat*, Ingratum signat, qui pro sibi collatis beneficijs damna rependit, obestque ei, qui ipsi profuit.

19. *Sphæra* ignis cœlestis cum lemmate *Nec cominus uro*, ad eos alludit, qui sibi indulgentes in cæteros severitatem exercent, & strictiorem vivendi rationem exigunt, quam ipsi non exercent.

20. *Flamma* multo splendore corusca cum verbis *Prodest procul, obest propè* ad eos alludit amicos, qui si distent favent; & præsentes postea amicitiæ obliti adversantur.

21. *Ignis* sphœra cum lemmate *Non cernitur ulli*, ei religioso viro convenit, qui cum omnigena sit virtute ornatus latiùs ducit in cella latere, & Deo soli hærere, quàm exteriùs hominibus innotescere.

22. *Flamma* è clausæ fornacis exiens foramine cum hemistichio *De carcere clarior exit* alludit ad Religiosum virum Carthusianum, qui cum solitudinis custos exstiterit, silentijque studiosus in cella, quam jugiter incoluit, exiens cumulatior meritis è carcere corporis mortis hujus clariori donatur beatitate.

23. *Ignis* in sylva conceptus, quem insufflantes venti oppugnant cum lemmate *Magis invalescit* virtutem exhibet, quæ ex adversis plurimum suscipit incrementi, solent enim habitus per repetitos augeri actus.

24. *Ignis* in propria sphœra cum verbis *Extat, quia præstat* eum exhibet virtutum ornatu insignem, claróumque virum, quem propria merita ad dignitatem cæteris eminentiorem erexêre.

25. *Flamma* sursum nitens cum verbis *Redit unde venit* alludit ad emigrantem ex hac vita animam Justi. Revertitur enim ad Deum, à quo suam duxerat originem.

26. *Flamma* suam ingrediens sphœrã cum epigraphe ex Virgilio prompta *Huc cursus erat* ad eum alludit, qui plurimum impendit laboris, ut ad colophonem opus aliquod perducat, quo obtento perinde ac flamma quiescit. Exhibet etiam virum justum, & sanctum post plures exantlatos labores, & adversa pro Christo patienter tolerata cœlesti donatũ beatitate, ad quam tendebat, & quam intendebat.

27. *Ignis* qui in propria sphœra nunquam extinguitur cum versu Italico *Vive immortal chi per virtù si chiaro* ad Beatos alludit in cœlesti patria ubi æterna fruuntur fœlicitate, quia in vita degentes mortali virtutibus claruerunt.

28. *Exhalatio* ignita qualis æstivo tempore discurrens noctu per aëra suspicitur, quæque neque urit, neque damnum infert ullum cum verbis *Innoxius ardet*, Affectum refert honestate circum vestitum.

29. *Sphæra ignis* cum versu Italico Tassi *E nulla stringo, è tutto il mondo abbraccio*, ad eum alludit qui ferventioribus fœtus spiritibus plura incipit, & nihil absolvit: omnia movere nititur, & nihil valet promovere, omnium negotia suscipit, & nulli prodest.

30. *Ignis* a ventis oppugnatus cum verbis Virgilij *Exuperat magis* ad virum alludit fortem, cujus virtus urgentibus adversis magis enitescit.

31. *Flamma* in aëre medio adhuc sursum evolans hoc hemistichio *Totúmque supervolat orbem* virum exhibet Religiosum terrena quæque despicientem, & soli Deo inhærentem rerum cœlestium contemplationibus.

32. *Flammæ* binæ antennis insidentes navigiorum turbatum, commotúmque æquor trajicientium cum lemmate *Hæ spondent luce serenum* alludunt ad Spiritum S. cum die Pentecostes descendit super capita discipulorum, qui propterea gentium omnium loquentes linguis Evangelium evulgârunt, & post Ethnicæ superstitionis perniciosam, ac procellosam noctem novæ legis lucem, ac serenum diem divinæ gratiæ enunciârunt. Visuntur flammæ illæ post tempestatem hærere antennis navium; si duæ fuerint vocantur Castor, & Pollux; si una duntaxat visitur, Helena dicitur.

33. *Ignis* scintillulæ attritu chalybis ex silice excussæ cum lemmate *Ex vulnere splendet* alludunt ad S. Martyres, qui vulnerati, sectique, alijsque exquisitiorum tormentorum generibus afflicti, & fracti, clariores dederunt invictæ fortitudinis splendores, & illustriora inconcussæ constantiæ specimina. Per vulnerum spiramenta nitorem hautimus virtutis: nec mirum, cum marmorum crustas ferro videamus expolitas; elegantissima simulacra scalpro efformata; plurima tunsione lævigatam lapidum scabritiem; aurum metallorum principem incendijs purgatum; adamantem suo cruore flexilem, & exsultum. Quid ni? etiam alto gelu rigens hyems, ver parturit floribus coronatum: etiam Palmes ferro amputatus, gladio dissectus luxuriat fœcundior, spondétque uberiorem spumantis vindemiæ humorem. Nonne unio naturæ miracula, gemmarum castissimus inter procellas adolescit pretiosior? Nonne scabro obvolvitur tegumento cœli ros, ut in gemmam concrescat?

34. *Flamma* sursum avolans cum verbis *Vis innata rapit* Divinam refert gratiam, quæ intellectum illustrat, & voluntatem ita blandè inflammat, allicit, ut hæc sinat liberè se rapi.

35. *Flamma* quiescens in propria sphœra cum verbis *Quies in sublimi* exhibet humanum cor, quod non nisi in Deo potest quiescere; solus enim Deus propter infinitam, quam includit bonitatem totam explet humani appetitus capacitatem.

36. *Ignis fatuus*, ac volaticus ita vocatus eò quia fatuorum in morem salritet nocte intem pesta per aëra cum verbis *Lumen fatale sequenti* alludit ad falsam, ac perniciosam doctrinam inducentem corruptionem morum, & conscientiæ laxitatem, cui propterea si quis adhæreat venenum haurit sibi fatale.

Flamma

37. *Flamma* volucres, seu volaticæ, cujusmodi sunt halitus flammati noctu in aëre saltitantes, cum verbis *Splendor, & erret* librum exhibet elegantia styli, eruditionum varietate, sententiarum concinnitate splendidum; sed qui pluribus scateat falsis doctrinis.

38. *Fulgur* erumpens ab atra nube subjectamque tellurem extempore perfundens splendore terrifico cum lemmate *Vel absens ferit* ad eum alludit Prrincipem, cujus solum nomen est hostibus terrori, licèt ipse suis per se non præsit copiis.

39. *Fulgur* è sinu dehiscentis nubis insperatò deorsum ruens cum verbis *Inanes minæ* refert Patrem familias, minis filios tantùm exterrentem, quibus nullum infert damnum.

40. *Fulguris* inopina lux è nube in hominum delabens frequentiam cum verbis *Contenta minari* allusit ad quandam Principem tœminam subditos detrectantes suis patère decretis minitantem.

41. *Fulgur* è dissita nube erumpens cum lemmete *Tonitru parat* exhibuit Ludovicum XIV, Regem Galliæ cum omnia ad cruentum bellum disponeret, ac præpararet priusquam ulli bellum indiceret.

42. *Fulgur* cum Inscriptione Italica *All' apparir dispare* allusit ad Principis favorem in quemdam Aulicum, qui ob nimiam cum Principe licentiam, ac familiaritatem cecidit ab acquisitis honoribus.

43. *Fulgur* cum verbis *Terret non ferit* Principem exhibet, qui ut subditos à delictis averiat plures statuit pœnas, quibus postea non punit, & delinquentibus ignoscit.

44. *Fulgur* cum lemmate *Vix orior morior* fuit Symbolum quò præmaturam mortem primi Principis Electoralis in lucem editi à Serenissima Electrice Bavariæ Maria Antonia Archiduce Austriæ exhibui, Triduum tantùm vixit in terris, æternùm tamen regnaturus in cœlis.

45. *Fulgur* adjectis verbis *Illuminat, & minatur* Concionatorem exhibet terrentem pœnis ob scelera infligendis, & simul à vitijs avertentem medtante ope divinæ gratiæ.

46. *Fulgur* hac inscriptione *Terret unde fulget*, Majestatem, & Authoritatem exhibet Imperatoris, vel Regis.

47. *Fulgur* cum lemmate *celari nescius* splendorem exhibet virtutis, quæ nescia celari clarios emicat in tenebris.

48. *Fulgur* è nube alta erumpens cum verbis Hispanicis *Terror y Lumbre* seu terror, & lumen, eum exhibet Aulicum, qui pluribus à principe honoribus cumulatus metum injicis pluribus.

49. *Fulmen* postquam fragore gravidæ nubes largiter detonuerint discutiens præaltam turrim bicorni Luna in apice insignitam Albæ Græcæ obsidione vallatæ à Maximiliano Emanuele Bavariæ Electore cum epigraphe *Mihi militat Æther* Ejusdem exhibuit Bavariei Electoris virtutem bellicam, cui contra Turcas favis Cœlum, in expugnatione Albægræcæ.

50. *Fulmen*, quod postquam horrendo repetito tonitru diu Cœlū tumultuaverit turrim feriens nitrato, seu catapultario pulvere fœtam, ac in frusta cogens, solóque æquat, Et simul aliud fulmen in castra ruens Turcarum, ac Turcica comburens tentoria cum verbis *Aut cedere, aut cædi.* Allusi hoc symbolo ad eamdem virtutem bellicam Maximiliani Emanuelis, cui in Hungaria Arces munitissimæ ultronea deditione cesserunt; & in campestri conflictu fuerunt pluties cruenta clade cæsæ Turcarum copiæ.

Fulmen post ictam, solóque æquatam turrim se abdens in terram cum lemmate *Cessat non cedit*, alludit ad eumdem Maximilianum Emanuelem, qui post debellatos Turcas ingruente jam hyeme; maluit victor receptui canere, quàm injuriæ tempestatis permittere exercitum. 51.

Fulmen præalta montium icens juga cum lemmate *Conterit alta*, alludit ad constitutos in aulæ primis honoribus, qui cæteris sunt magis invidæ fortunæ obnoxij livori, ac insidijs; & non raró icti ruunt præcipites. 52.

Fulmen præaltam quatiens turrim, eo instanti, quo Æther circumfremit cum lemmate *Tonitru velocior ictus* ad eum alludit militum præfectum, qui bellico stratagemate vel imparatos ad pugnam hostes cruenta cæde prosternit; vel arces ex-tempore obsidione vallat, vel ad deditionem adigit, vel districto gladio occupat. 53.

Fulmen ruralem casam stramineo tecto, lignísque variè decussatis compactam feriens, ac in eineres, favillásque redigens cum Italico versu *Dove non miuacciò ferir si vede* refert exer, citûs stratagum ferro, & igne perdentem omnia, quæ illi obviant, cum crederent omnes exercitum alibi occupatum iri. Vel ad eum militum Imperatorem, qoi post angusti itinetis labores, teversionem jubet in eum locum unde facta digressio fuerat, vallatutus obsidione magni momenti arcem. 54.

Fulmen discumpens nubes, ec aërem ferenans cum lemmate *Tempestatésque serenat* Ad eum alludit in bello Principem, qui post delatas de profligatis hostibus victorias pacem promovet, nemine ei ampliùs obsistente. 55.

Fulmen Draconem leviter feriens cum lemmate, *Et damna juvant* alludit ad illa infortunia, ac vitæ dilcrimina, in quæ Dei permissu incidimus, ut resipiscamus, revertamúrque ad saniorem frugem. Ferunt Draconem ictum fulmine totum exuere venenum; Symbolum peccatoris resipiscentis. 56.

Fulmen è procellosis erumpens nubibus hac epigraphe *Par nulla Potestas* alludit ad Bellatorem vincentem omnia. 57.

Fulmen turrim icens pyrio fartam pulvere, quæ in plura disrupta frusta aërem ruinis impleat hac epigraphe *Quâ sævit parte ruendum* Victores exhibet milites, qui post pertinacem obsidionem moræ impatientes districto gladio occupatam ingrediuntur Arcem, quam expilant, ac ferro, & igne delent. 58.

Fulmen munitissimi propugnaculi contesens faciem, aditúmque aperiens hostibus arcem oppugnantibus cum Inscriptione *Ab obice* 59.

majus

majus exhibet eum bellatorem, cujus bellira virtus emicat illuſtrior adverſus hoſtes validiores, quos ineoncuſſa fortitudine fundit, delétque cruenta clade.

60. *Fulmina* tria è ſinu atræ nubis erumpentia cum hemiſtichio Virgiliano *Qua data porta ruunt*, fuit Symbolum Ducis de Nemours in umbratili, ac ludicra pugna ab eo inſtituta, ex occaſione, quâ Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ alteram filiam ſuam Duci Mantuano matrimonio daret, & alteram Duci Mutinenſi. Alludit ad eos etiam militiæ addictos Sacramento, qui ubi ſemel victoriæ ſpes elucet ex fuſa hoſtium acie toto impetu fugientes inſequuntur.

61. *Fulmen* cum verbis *Hoc Jupiter ultor* fuit Symbolum, quo Alexander Farneſius Nepos Pauli III. in bellica expeditione contra Acatholicos pingi euravit in vexillis. Alludebat ad Pontificem opponentem hæreticis ſuum exercitum non ad illos perdendos, ſed ut ad ſaniorem adigeret frugem.

62. *Fulmen* adjectis verbis *Circumfremit Æther* alludit ad juſtam Dei indignationem in plectendis peccatoribus.

63. *Fulmina* tria è nubibus erumpentia cum verbis *His Impij terrentur* exhibent æterna ſupplicia, quibus decedentes in lethali æternum torquentur; Utinam eum terreantur pœnis; allicerentur præmijs, ac reſipiſcerent.

64. *Aquila* volitans, gerénsque unguibus tria fulmina cum lemmate *Quò juſſa Jovis* fuit Symbolum Ducis de Sully tormentis bellicis eum præficeretur. Alludit etiam ad quemlibet Cæſarei exercitûs Præfectum, qui ad juſſa imperatoris fulmina Germanici Jovis evibrat, & ex qua parte magis placuerit.

65. *Fulmen*, quod coaleſcens pluribus exhalationibus in unum compactis, è nube media cum impetu prorumpentibus, murmóque colliſu ſuccenſis, & in fulmineum lapidem concretis deorſum fremente cœlo ruit, ac turrim ictam dirumpit eum verbis *Quis tendere contra?* ſeu quis obſiſtere poteſt? indicat divinam juſtitiam vindicem peccatorû: quis Deo ſuperborum vindici, ac impiorum ultori obſiſtet? Punit enim Divina Nemeſis, quos indulgentia vitiorum pertraxit ad transgreſſionem Præceptorum Dei.

66. *Fulmen* excelſæ turris ſubvertens faſtigium cum lemmate Pauli Jovij *Humiliora minus* alludit ad mundi Præpotentes, qui cæteris magis obnoxij ſunt adverſantis fortunæ telis; qui exiguam, humilémque habitant eaſam minus fortunam timent adverſantem, cum hæc parum poſſit eis ſurripere.

67. *Fulmen* armatam quatiens, everténsque turrim, ex qua plures pendeant clypei, eminéant ſpicula, & lances eum verbis *Præmiſit damna timori* alluſit ad Ludovicum XIV. eum inſtar fulminis mira celeritate totam propemodum Hollandiam anno 1672. ſubvertit, & occupavit arces munitiſſimas duas ſupra quadraginta; quas ineundæ pacis cauſa poſtea reſtituit.

68. *Fulmen* diverberans, ac evertens unicam tantùm domum è pluribus integri pagi cum Italico verſu *L' offeſa à pochi, ed il terror à molti* alludit ad plures milites, qui in locem p... apſi ſcelus ſortes ducunt quinam ex ipſis debeant promeritam mortis pœnam dare; cum ex quinquaginta, quinque tantum ad ſubeundam mortem juſſu Præfecti exercitûs damnentur. 69.

Fulmen e ſinu denſæ nubis ingenti eum fremitu erumpens, & annoſam quercum impetens, ac exſcinden hoc lemmate prompto ex Seneca *Non patiens moræ* ad eum alludit, qui ab iracundia ſinit ſe abripi, & ad vindicandam illatam ſibi injuriam celerrimus eſt.

Fulmen turrim quatiens, ac ſubvertens il- 70.
læſis laccis lanâ oppletis, qui ad vim eludendam tormenti bellici ab ea pendebant adjectis verbis Italis *ogni dur rompe, ogni molezza ſerba* Alludit ad Principem bellicorum vim vi impetentem; & Clementiam gratioſe exhibentem ſe ſe dedentibus.

Fulmen è diſrupto denſæ nubis erumpens 71.
ſinu. & obvia quæque quatiens, ac evertens cum lemmate *Quocunque ferit* ad eum alludit bellatorem, qui ferro, & igne omnia quatit, diverberat, ſubvertit, exſcindit, ac delet nemini parcens.

Fulmen præcelſa alpium juga icens, ac la- 72.
befactans, hac epigraphe *Frangit inacceſſa* Ad eum alludit bellatorem, qui arces muniſſimas in montium acceſſu difficilium locatas faſtigijs oppugnat, & expugnat.

Fulmen è denſæ nubis erumpens gremio, 73.
& rupem icens è medio mari emergentem hoc hemiſtichio *Huic uni potuit ſuccumbere* alludit ad Albam græcam occupatu perdifficilem ob Savi fluvij, & Danubij obſtacula; quæ tamen cum ſuperaſſet Maximilianus Emanuel Elector Bavaricus, poſt preſſam obſidionem diſtricto gladio urbem occupavit.

Fulmen è nube exiliens, & in aëre ſplendens 74.
cum inſcriptione *Micat extolle ſuperbis* ad eumdem Bavariæ Ducem alluſit, qui inſtar fulminis mira celeritate Turcarum ſuperbiam non uno contregit conflictu.

Fulmen deorſum è nubibus ruens cum e- 75.
pigraphe *Uni Jovi* fuit Symbolum Joannis de Medicis, qui anno nonageſimo quinto ſupra milleſimum quingenteſimum à rebus adminiſtrandis erat Imperatori, ut profiteretur, ſe nulli alij ſuam non conſecraturum operam, quàm Imperatori.

Fulmen ſtramineam in campis deturbans, 76.
as comburens caſam cum verbis *Nemo tutus ab ictu* alludit ad juſtitiam divinam in omnes peccantes, quovis in loco ſua contorquentem tela; adeout nemo valeat Deum vindicem declinare, ac eludere.

Fulmen obmormurante crebris tonitribus 77.
cœlo turrim cum bicorni ſona diverberans & labefactans eum verbis *obſtantia fortiùs icit* exhibet bellatorem, cujus bellica virtus laudabiliùs eminet, cum magis ab adverſarijs urgetur. Excogitavi hoc Symbolum ut delatam ex deleto Turcico exercitu ad radicem Montis Arſanii in Hungaria ab Electore Bavarico exhiberem victoriam. Fuit enim Maximilianus Emanuel plurieſ velitationibus à Turca laceſſi-

tus, quæ causa fuit ut pleno conflictu Turcarum copias impeteret, ac deleret.

78. *Fulmen* annosam icens quercum, quam eriam frustatim excindit cum Italico carmine *Amorch' il ciel mi stracci, in quello spero* exhibet virum pientissimum soli Deo addictum, & in quo unicè totam habet locatam suam fiduciam, licèt omnia videantur illi adversari, neque quidquam ad votum fluere.

79. *Fulmen* è sinu erumpens procellosæ nubis & ad maris commoti litus malum auream frustillatim exscindens, cujus ramos, & poma marini abripiant fluctus cum Italico versu *Che piu tor mi potè lo mare il cielo* exhibet mœrore confectam, ac extremo dolore compressam fœminam suo viduatam marito in classe maritima.

80. *Turbo igneus* navem marino æstu diverberans, ac labefactans excisso malo, ereptoque gubernaculo cum Italico versu *Trista è la nave, co' hà perso il nochiere* refert dolorem afflictæ fœminæ ob enecatum in classe maritima inter pugnandum maritum.

81. *Turbo igneus* plures arbores in exporrecta planitie quatiens, ac evertens cum epigraphe *Vim impetus auget* exhibet in Bellatore agendi celeritatem, quæ plurimum virtuti bellicæ adjicit virium, & plerunque ad victoriam viam aperit, dum hostes prævenit.

82. *Turbo* in ampla, eâque densa sylva excitatum incendium huc, illúcque spargens, & augescens adjectis verbis *Incendia nutrit* alludit ad amorem a fœmina conceptum, cui si accesserit excandescentis iræ truculentus turbo, quem ratio non coërceat; nulla ex gehennæ furijs est Megæra tristior, nulla Acherontis Alecto uxor nulla Averni Tisiphone turbulentior.

83. *Igneus turbo* sylvam quatiens, ac evertens cum verbis *Nil obstat eunti* Bellatorem exhibet in hostiles agros cum exercitu excurrentem, & absque obice ullo occupantem arces, vel ultroneà deditione oblatas, vel armorum vi expugnatas.

84. *Turbo procellosus* mare diverberans, ac quatiens cum lemmate *Turbat sed extollit* exhibet hominem corruptum moribus, qui molestiæ est viro sapienti, cujus tranquillitatem dum nititur evertere, ejus merita crescunt incremento virtutis.

85. *Stella cadens*, seu ignita exhalatio stellæ præfetereus similitudinem, quæ deorsum dum videtur ruere, sursum agitur *Cecidisse videtur*, alludit ad virum studio pietatis, ac culturæ moralium virtutum summè addictum, ac sanctioris vitæ famâ clarum, qui dum moriens videtur cecidisse, in cœlum emigrat, stellæ cadenti similis, quæ sursum agitur, dum agi videtur deorsum.

86. *Draco volans* adjecta epigraphe *Horrorem incutit error* hæresim exhibet tot crassissimis sceva erroribus, tot perniciosissimis dogmatibus difformis, ut cuique cordato viro sit horrori. Gignitur Draco volans ex halitu non admodum calido, neque multum coagulato, ac compresso, qui cum in sublime avolat frigescenti obvians nubi ab ea truditur, & ex concitato motu, vel antiperistesi accenditur; & quia impulsu frigidæ nubis obsistentis flectitur, curvatúrque veluti Draconis venter; & ex parte anteriori subtilioribus constat exhalationibus, dum hæ flammas concipiunt, videtur veluti ex ore scintillas evomere. Pars verò posterior, quia nubem attingit frigidam magis addensatur, adeour speciem exhibeat protensæ caudæ. Hinc desumpta denominatione à figura, quam hoc meteoron refert Draco volans vulgò nuncupatur.

Ignis lambens cum lemmate *Urit non comburit* eum exhibet, qui plus habet minarum in terrendo; quàm virium in nocendo. Est enim ignis lambens, exhalatio tenuis, rara, & subtilis accessione motûs flammam concipiens, sed adeo tenuem, ut citra nocumentum ambulantes noctu per campos insequatur. 87.

Trabs splendore nitens cum lemmate *Nulli damna feret*; eum exhibet, quem plures metuunt armatum, & nulli infert damnum. Fit hoc meteoron cum exhalationes calidæ, & siccæ sursum evectæ primùm in unum confluunt, & in eam, quam casus, ac dispositiones figuram invehunt, se se colligunt: licèt non ita in unum coactæ nobis conspicuæ appareant. Sunt enim exhalationes illæ diaphanæ, quæ nostros non feriunt sensus. Sin autem contigerit, has exhalationes accendi, flammámque diu foveri, trabs efficitur, quæ tandiu suspicitur donec exhalatio fuerit absumpta. 88.

Capra saltans cum verbis *Innoxius ardor* alludit ad eum bellatorem, qui cunctando exercitum ducit ad plura loca, è quibus iterum reversiones imperat ad priora, unde factæ fuerant digressiones; idque studiò, & ea arte, ut hostium eludat conatus. Ex continuo motu plurimum videtur ardoris præseferre, sed citra damnum. Fit capra saltans cum exhalatio ignita in longum protensa habet ad latera appendices, seu filamina hinc inde pendula instar villorum caprinorum, ac inter se distincta, quæ cum flammas concipiunt; tota illa congesta exhalatio ignita excursiones, ac veluti saltus efficit ad modum scintillarum emicantium. Vocantur hujusmodi concretiones capræ saltantes, quia ob illas excursiones instar caprarum desiliunt. 89.

Sydus discurrens cum lemmate *splendet, & ardet* virum exhibet generoso prædicum ingenio, quo plurimum valet, ac splendet. Fit hoc meteoron cum siccæ exhalationes sursū elatæ, & in longum protensæ flammam in una ex partibus extremis concipiunt, quæ successivè serpit ad successivè sequentes. Analogiam exhibet pulvis pyrius, quo si longa describatur linea sive in plano, sive in aprico loco, & ad moto igne altera extrema pars flammam concipiat, procul intuentibus videtur flamma illa ad plures passus rectè, vel obliquè juxta descriptæ lineæ figuram discurrere. Hanc eamdem analogiam nobis suppeditat tubus papyraceus tormentario fartus pulvere, qui si flammam conceperit per aëra discurrit. 90.

Cometes crinito jubare splendens cum Italico versu *Empie l'occhio di luce, è il cor di gelo* 91.

Alludit

Alludit ad Principem bellicosum maiestate decorum, & virtute bellica metuendum.

92. *Cometa* barbatus, à similitudine cadentis è mento hominis barbæ vocatus, ad ecto 'lemmate prompto ex Pontano *Dirum mortalibus omen* alludit ad opinionem, quæ vulgo invaluit, esse cometam Dei vindicis ignitum gladium, adeout infortunium semper in terris aliquod prænunciet: si enim cometes cruentus appareat, bella, & cædes comminatur; si plumbeus annonæ caritatem portendit, & populares, ac pestiferas evomit lues: unde cometa sive minaci crine superbiens, sive scintillanti barba gradiens, sive ferali cauda retrocedens infaustus vulgò ex inclita opinione habetur.

93. *Cometes* minaci crine superbiens cum epigraphe *Portendit funera Regum* alludit ad Philippi IV. Hispaniarum Regis obitum, cujus fuit cometa prodromus.

94. *Cometes* sanguinolentus, qui totâ propemodum Europâ perterritâ affulsit anno à reparata salute 1618. cum epigraphe *Feraque arma minatur.* Allusit ad bellum Suecicum, quod per annos triginta potiorem Imperij partem effuso fœdavit sanguine.

95. *Cometa,* qui affulsit anno 1450 aspectu terrificus, & protenso syrmate horrendus cum epigraphe à Claudiano deprompta *Nunciat urbibus hostes* alludit ad cruentum illud bellum, quo Mahometes Turcarum Imperator intra novem annos duo imperia, & duodecim regna eripuit Christianis.

96. *Cometa* feralis, qui affulsit anno 1400. ensis referens speciem hac epigraphe eruta ex lib. 4. Oracul. Sibyllæ *Gladij mortalibus index* alludit ad illas ingentes calamitates, quibus tota propemodum Europa pressa ingemuit: siquidem grassantes pestes, cruenta bella, incurabiles morbi hominum plura centena millia deleverunt, & enecârunt.

97. *Cometa* horribilis, qui affulsit anno 1411. cum verbis Claudiani *Non impunè vident populi* allusit ad annonæ defectum, quo fame plures perierunt.

98. *Cometa,* qui protensa radiorum appendice jaculi figuram exhibet cum epigraphe: *splendet, & intermit* alludit ad ferales principum neces, quarum dicuntur cometæ prodromi: etenim invaluit omni ævo opinio illa, quæ populi animis alte insedit, cometas esse ferales Principum tædas, ac minaces regalium funerum Prænuncios.

99. *Cometes* crinitus ex horizonte emergens cum lemmate *Occasum præsignat in ortu* Alludit ad natalitium Alexandri Macedonis. Refert Lampridius, ea nocte, qua Olympia enixa est Alexandrum, affulsisse in Macedonia cometem, qui neces prænunciavit eorum Regum, quos infans recens natus in provectiori ætate erat armis debellaturus.

100 *Cometes* minax ensiformis, qui affulsit anno 410. cum verbis *Multa, & metuenda minatur* allusit ad illas in Europa calamitates, quarum fuit cometa parens, siquidem paulò post, Italia tragœdiarum versa est in Theatrum, vastata enim tota fuit ab Alarico Gothorum Rege, & tales eo tempore hominum cædes patratæ fuerunt, quales retroactis sæculis ab orbe condito nulla ætas unquam viderit. Attrita his ce calamitatibus universa Europa fuit, in qua & concussa potior Asiæ pars.

Iris cum lemmate *Prodit mendacia splendor* 101
Alludit ad honores, & dignitates, quæ veram lætitiam non pariunt.

Iris cum lemmate *Ficta non facta.* Prodit 102
Ludicra mundi spectacula, quæ verum gaudium non dant.

Iris cum lemmate *Fallitque nitore* congruit 103
fucatæ fœminæ.

Iris, cum hemistichio *Pellit tristia risu,* Con- 104
gruit divinæ gratiæ exhilaranti, quos variæ presserunt tribulationes.

Iris cum lemmate *Splendidè mendax* produ- 105
mundi falsum gaudium.

Iris, cum verbis *Uda serenat* prodit veram 106
Pœnitentiam lacrymis elicitem maculas peccati, & serenum animum.

EXPENSIO V.

Producuntur Symbola exprimentia Montes ignivomos, Incendia, Prunas candentes, Ignes græcanicos, Naves incendiarias, ignes artificiales, & alia quæ vel igne vigent, vel persiciuntur.

Quæ retroactis temporibus è summis Vesuvij, Æthnæque fastigijs eruperunt flammarum volumina, Dei Vindicis à plerisque censentur instrumenta, non secus ac lues, carites, bellum, de quibus Tertullianus lib. de anima cap. 14. *Revera lues, & fames, & bella, & voragines civitatum deputanda tanquam tonsura insolentis generis humani.* Quia verò hujusmodi montes flammivomi pluries fuerunt in symbolis exhibiti non abs re fore duxi ab ijsdem initium ponere. 1

Vesuvius in agro Neapolitano è summo vertice fumi foras emittens densa, ac conglobata volumina cum lemmate *Ardentius intus.* Fuit Symbolum à me excogitatum ob exhiberem imensum amorem S. Caietani in puerum JESUM; & Redemptorem crucì affixum, ad cujus pedes per crebra suspiria ad octo passim horas protrahebat orationem. 2

Vesuvius supera parte sterilis, & conspectu cinereus, flammásque ex hiatu multiplici sursum ejiciens cum lemmate *Rudi sub cortice clarus* fuit alind Symbolum, quo allusi ad S. Cajetanum, qui Neapoli vitæ austeritate, & abstinentiis emaciatus summa claruit sanctitate. 3

Vesuvius flammarum volumina sursum è summo vertice ejiciens cum lemmate *Uruntur præcordia flammis* exhibuit divinum amorem, quo ita flagravit S. Caietani cor, ut instar flammæ ad cœlestia jugiter aspiraverit.

Vesuvius ardens, flammásque in cœlum ejiciens cum epigraphe *Igne supervolat orbem.* Allusit ad S. Cajetanum, qui divino, quo flagravit 4

vit amore mundana quæque despexit, & sola aspexit cœlestia.

5. *Vesuvius* ex multiplici hiatu flammas sursum emittens. hac epigraphe *Quò vota ferunt*, exhibuit desideria S. Cajetani, quibus ad sola cœlestia ferebatur.

6. *Vesuvius* flammas ex multiplici hiatu sursum emittens cum epigraphe *Quas corde fovet* exhibuit divinum amorem, quo S. Cajetani cor jugiter flagravit; & flammas, quibus cœlestia petijt.

7. *Vesuvius* fumum foras emittens cum hemistichio *Continuis flagrant viscera flammis* allusit ad jugiter ardentem amorem S. Cajetani in proximum, cujus salus semper ipsi fuit cordi, quam propterea omni studio promovit, ut venator vulgò diceretur animarum.

8. *Vesuvius* ingenti vibratu flammas utrinque ejiciens cum verbis *Hinc sparsus in orbem* allusit ad amorem divinum, & sanctitatem, quâ S. Cajetanus claruit per totum orbem, & miracula quibus voluit Deus servum suum ubique locorum illustescere.

9. *Vesuvius* ex summo cratere ignem multum sursum emittens cum verbis ex Virgilio promptis *Ferte citi ferrum*, allusit ad zelum S. Cajetani, ac desiderium emolliendi prædura peccantium corda igne divini amoris: suos rogabat asseclas, ut ad conciones invitarent, & adducerent viros perditos, ac in vitiorum cœno obduratos, ut divinus amor eorum duritiem emolliret.

10. *Vesuvius* ardens, atque disrupto sinu ex recenti hiatu flammas foras ejiciens cum Italico versu Tassi *Ne puo tutto capir dentro à se stesso* allusit ad cor S. Cajetani, quod, ut ferunt, ex æfferbuit divini amoris igne dum preces ad Deum funderet, ut disruptis pectoris angustijs subinde visum sit sursum avolâsse, ut nimirum ferventissimus ejus in Deum amor ostenderetur.

Placuit in hac prima Symbolorum decade figuras exhibere Vesuvij in agro Neapolitano incendijs, flammisque clarissimi, quia eumdem montem olim assumpsit, ut symbolicè aliquot S. Cajetani, qui Neapoli vixit, & nunc ejus ossa quiescunt, referrem eximias virtutes.

11. *Strongylus* una in ora Siciliæ ex Æolijs Insulis, quæ a Græcis Hephestiæ, à Latinis Vulcaniæ dicuntur, è maris sinu emergens, ac perpetua ejiciens incendia, quæ ob Insulæ exilitatem è mari potiùs quàm ab aliquo videantur monte exilire cum versu Italico *Un mar di pianto le mie fiamme avviva*. Fuit Symbolum quo allusi olim ad lacrymas S. Mariæ Magdalenæ in Massilienti specu divino æstuantis amore, adeout amoris ignis lacrymas eliceret, & lacrymæ amoris flammas foverent.

12. *Vulcanus* altera ex Æolijs Insulis flammas itidem è medio mari foras evomens hac epigraphe *Ardet, & Audet* virum exhibet bellica virtute strenuum, qui cum paucis copijs utrinque ab hostibus numero longè majoribus premitur, & martio calore æstuans audet se defendere, hostésque offendere, paratus potius mori, quàm abjectis armis se dedere; adeout perinde vallatus utriaque hostibus clareat virtute bellica, ac splendeat flammis, ut Vulcanus aquis undique cinctus.

13. *Mons Æthnæus* Siciliæ in agro Catanensi perpetuo clarus incendio; cum sit Trinacria admodum cavernosa, & fistulosa, ventorúmque flatibus pateat, & intrinsecùs mulco scateat bitumine, ac sulphure, ubi ventus per spiramenta cavernarum incubuerit, diu luctatus ex motu flammas concipit sulphur, quo fit ut perpetuo sit mons clarus incendio. Æthna igitur flammarum è multiplici hiatu ejiciens globos hac epigraphe *Absumunt viscera flammæ* affectum exhibet immoderatum, quem non ratio regit, sed concupiscentia fovet.

14. *Æthna* plurimum emittens atri fumi, & parum flammæ cum versu Italico *Tanto vorace più, quanto più chiuso* virum refert, quem invidia intus torquet, & eò acriùs, quò fotas simulationae usus aggratulatur alteri, cui invidet collatum honorem. Hæc invidiæ latens flamma aulicos præsertim torquet.

15. *Æthnæus Mons* multa foris consparsus nive, intus incendia fovens hac epigraphe *Nec cano parcit capiti* alludit ad virum senio quasi confectum, totúmque canum, qui tamen adhuc puellam deperibat, cui nubere voluit.

16. *Æthnæus Mons* nive, & igne celebris cum versu Italico *Innocenza, & Amor son mie divise*. Allusi hoc Symbolo ad S. Cajetanum cum ab honoribus, ac dignitatibus Aulæ Romanæ se abdicavit, ut liberiùs Deo vacaret, eique morum innocentiâ, quam exhibet candor nivis; & amoris sanctioris flammâ, quam refert Æthnæ ignis, arctius, at ferventiùs adhæreret.

17. *Æthna* insolenti fragore juga disrumpens, simúlque saxa, & ignes sursum extendens; pagósque ad ejus radices evertens cum lemmate *Undique terror* virum refert bellicosum ira, & indignatione flagrantem, & obvia quæque funditus evertentem.

18. *Æthna* blandimento nivium alliciens, & emisso igne æstuans cum lemmate *Sic servanda fides* alludit ad conjugatos, qui servata maritali castitate mutuum tenentur amorem fovere, ut servet uterque maritalem fidem.

19. *Æthnæus Mons*, qui delabentea suo in hiatu recipiens pluvias inde ampliores ejicit flammas hac epigraphe *Crescit in adversis*, Virum exhibet fortem, cujus virtus si novercantis Fortunæ pulsetur procellis clarior enitelcit.

20. *Æthnæus mons* nives in sinu complectens, & ignem intus fovens cum lemmate *Frigora nil obstant* virum refert Apostolicum, qui sancto æstuans zelo per nives, & frigora; per concretum gelu, & rigentia itinera animarum salutem promovet, & homines perditos Deo lucratur.

21. *Æthna* ex oppugnantibus ventis, & labentibus pluvijs flammas ejiciens ampliores cum lemmate *Dum premor amplior* alludit ad virum virtutis constantiâ insignem ex adversitatibus incrementa ponens meritorum.

22. *Æthnæus Mons* è summo fastigio flammarum volumina ejiciens cum verbis *Remotius conspicuus*

ſpicuus, Virum ſignat ob præclara,vel in bello geſta, vel ſcientijs congeſta opera; vel ſanctitate patrata miracula ubique famâ clarum.

23. *Carbones*, qui efflante vento accenduntur cum verbis *Hoc flante coruſcant* eos exhibet, qui non niſi pluries rogati poſſunt induci, ut propriæ virtutis dent ſpecimina.

24. *Incendium* in exporrecta planitie ſylvam depaſcens, quodq; ex oppugnantibus ventis,& cadentibus pluvijs incrementum ſubit cum hemiſtichio *Non ſi conjurent omnia*, Virum fortem, & bellica virtute inſignem exhibet,qui in obſidione munitiſſimæ arcis conſtantiſſimè perſeverat non obſtantibus injurijs aëris, rigore frigoris, aliiſque incommodis, quæ ſunt ipſi ratio,cur magis obſidionem urgeat. Alluſi hoc ſymbolo ad Maximilianum Emanuelem Electorem Bavaricum,qui non obſtantibus pluvijs, frigore, aëris inclementia aliiſque incommodis fortiter perſeveravit in obſidione Budæ, quam expugnavit.

25. *Aula* regia incendio flagrans cum lemmate *Non ſine clade micat* exhibet rerum humanarum nitorem; honorum, ac Titulorum ſplendores, & quidquid clari mundo ineſt vanitati ſubeſſe, & brevi mortis acceſſu interire.

26. *Ignis* in exigua domula conceptus, eámque depaſcens propè alias grandiores cum verbis, *Principijs obſta*, ſignificat vitium quodlibet, & præſertim concupiſcentiæ motus contra rectam rationem coërcendos eſſe ſuis ſub initijs, ne vires acquirant.

27. *Incendium* plures ſimul domus, & palatia abſumens, ac evertens fere totam civitatem cum verbis, *Neglectum furit*, quia ſub initium nemo flammas coërcuit, modò ob acquiſitas vires vix tota civitas ab ejus poteſt ſe violentia tueri. Motus concupiſcentiæ niſi ſub initio coerceantur totum hominem trahunt ad peccatum, ac perdunt.

28. *Accenſi* carbones cinere tecti cum verbis *Ut vivant* ad illos alludit,qui ſe abdicantes vel ab Aulæ honoribus, vel à dignitatibus in magiſtratu, vel à mundi pompis,dant nomen ſacræ Capucinorum Religioni; vel alteri Seraphici S. Franciſci, ut cinere illo contecti,quem conceperunt divini amoris ignem diu ſervent, & æternùm vivant.

29. *Ignis* intra fornacem omnino clauſus, ut hypocauſtum calefaciat cum lemmate *Expirat niſi reſpiret* illum exhibet Principis Adminiſtrum, qui ut excludat à miniſterio ſocium omnia ſibi negotia peragenda uſurpat, quibus obrutus tandem ſuccumbens occumbit.

30. *Fornax*, in qua lateres coquuntur denſiſſimum fumum ſurſum emittens cum verbis Italicis *Dove è gram fuoco, è gram fumo* ad aulicum prædivitem alludit ambitione tumidum, & vana gloria ſuperbum.

31. *Carbones* plures junctim ardentes cum lemmate *Ope lucent mutua*, Eos exhibent, qui laudabili æmulatione majora nituntur dare virtutum ſpecimina, ſe viciſſim incitantes ad earumdem ſtudia.

32. *Ignis* ſub cinere ardens cum verbis, *Ardet ſic tectus*, zelum exhiber Religioſi Franciſcani, Apoſtolici, qui ſub Seraphico cinere,quo veſte tegitur totus eſt igneus in ſalute proximi promovenda.

Prunæ ſimul in acervo ardentes cum decantatis verbis illis, *Extinguimur ſi diſtinguimur* exhibet quodlibet conſortium,præſertim in caſtris exercitum, qui ſi non dividatur poteſt facilè hoſtium conatus eludere, & diviſus facilè vincitur. 33.

Titio ad flantem ventum ardens cum verbis, *Ut magis ardeat*, alludit ad virum pium,cui tribulatio eſt majoris virtutis exercitio, & incremento. 34.

Campus longè, latéque porrectus, qui ob ſentes, vepréſque, in ipſo ſylveſcentes culturam omnem hactenus reſpuerit,omni deſtitutus fructu, ſoliſque ſpinis obſitus, moxque ut culturæ fiat aptus admoto veptibus igne totus exardeſcat, ut noxia quæque in ipſo cinereſcant cum lemmate *Arſiſſe juvabit*. Alludit ad peccatorem,qui beneficio ignis divinæ gratiæ inflammantis voluntatem reſipiſcit, omnéſque ſentes, vepréſque vitiorum è propriæ animæ campo eradicat, & pœnitentiæ vomere, lacrymarúmque imbre eumdem excolit, ut fructus det ſalutis æternæ: hoc arſiſſe igne juvabit. Excogitavi hoc Symbolum occaſione alicujus juvenis, qui cum per annos aliquot vitijs indulſiſſet vocatus eſt à Deo ad ſacrum Capucinorum ordinem. 35.

Flamma ſurſum avolans, quæque ventorum violentiâ ab extincta face fuerat avulſa cum verbis *Deſerviſſe juvat*, ad obitum alludit cujusvis viri juſti, qui ſoli Deo amore adhæſerit, & morborum vi fuerit è vivis ereptus; juvat enim deſerviſſe terram, deſerviſſe corpus, quia æterna beatitate donatur in cœleſti patria. 36.

Phlegræus campus in agro Puteolano per paſſim obvia foramina fumos exhalans cum verbis, *Latentem induat ignem* Alluſi hoc ſymbolo ad S. Cajetanum ad pedes Redemptoris cruci affixi inter crebra ſuſpiria preces fundentem: indices erant ſuſpiria illius amoris, quo ſanctè cor ejus ardebat. 37.

Sentes plures in neglecta planitie ardentes cum verbis Pſalm. 17. *Succenſi ſunt ab eo* fuit aliud Symbolum,quo alluſi ad eos plures homines,qui ope ſancti Cajetani à vitijs fuerunt erepti,& Deo dati. 38.

Navis incendiaria in flumine prope ligneum pontem flammas concipiens cum verbis *Urar dum uram* eum exhibet, qui proprium voluntariè incurrit damnum, ut ſibi illatam ulciſcatur injuriam; & alteri ſit nocumento. 39.

Ignis græcanicus ardens in aquis cum verbis *Nec extinguitur unda* alludit ad viri Apoſtolici zelum,quem nec maris trajectiones,nec oceani procellæ,neque naufragij pericula minuunt in promovenda Indorum ſalute.

Navis græcanico igne ad maris litus exardens, ac cinereſcens cum hemiſtichio, *Quas timuit,nunc optat aquas* virum exhibet ſuppetias petentem ab eo, quem ante ut inimicum timuit; à quo tamen nihil accipit,quod ei prodeſſe poſſit. 40.

 ſudarium

42. *Sudarium* vino cremato imbutum, quod conceptâ flammâ non comburitur cum verbis *citra noxam* Affectum refert innoxium, quem vulgò Platonicum dicunt.

43. *Ignis* græcanicus ardens in aquis cum lemmate, *Vi nunquam obruar*, alludit ad zelum viri Apostolici, qui nullo adversitatum, ac persecutionum genere sinit se dimoveri à proximi salute promovenda.

44. *Ignis* græcanicus ardens in lacu cum verbis *Lethalia fœderea nectis* alludit ad virum nobilem mulierculæ ex viliori plebis fæce fœdo amore adhærentem.

45. *Ignes* græcanici in aquis discurrentes cum verbis *Acriùs exiliunt* exhibuerunt olim Gallorum exercitum Rhenum fluvium trajicientem.

46. *Aqua* vivæ calci superfusa cum verbis Italicis *E fredda è pur m' accende* fuit Symbolum cujusdam Amantis, cui puella, quam petebat in uxorem, nullum dabat amoris signum.

47. *Vinum* adustum, quod vulgo aqua vitæ dicitur conceptâ flammâ exardens cum lemmate *Latet ignis in unda*, ad lacrymas cujusvis pœnitentis, seque ope divinæ gratiæ ad Deum convertentis alludit; talis enim lacrymæ internum testantur fervorem.

48. *Aqua* in vivam injecta calcem cum lemmate, *Excitat ardorem* alludit ad hostes in castris, vel æmulos in Scholis; excitant enim ardorem ad laudabiliùs agendum, ne isti ab alijs vincantur.

49. *Fornax*, in qua lapidum acervus ad calcem conficiendam adluritur cum epigraphe, *Perficitur igne*, ad duritiem alludit cordis peccatis assueti, quam emollire, ac frangere, & peccatorie conversionem perficere opus est divinæ gratiæ allicientis, ac inflammantis voluntatem ad resipiscendum.

50. *Aqua* in vivam decidens calcem, quæ propterea obullit cum lemmate, *Sopitos suscitat ignes*, Adversitates, & persecutiones refert, quæ plerumque sunt homini ratio ardentiori affectu Deo inserviendi.

51. *Aqua* in ardentem rogum injecta cum epigraphe, *Micat acriùs ardor*, alludit ad virum bellicosum, cujus Martia virtus ex hostium objectu clarior eutescit.

52. *Lapides* calcarij, qui si aqua persusi fuerint statim excitant ignem, & liquescunt cum hemistichio, *Igneus est illis vigor*, ad eos alludunt ad iram proclives homines, qui ad quodlibet verbum ijsdem minus consonum ignem concipiunt, ac irascuntur.

53. *Cacabus* ex ferventiori ebullitione aquam foras ejiciens in subjectum ignem, qui propterea extinguitur cum epigraphe Italica deprompta ex Petrarca, *Jo stesso del mio mal ministro sono*, viro convenit ex nimia iracundia, quâ sinit se abripi in morbum incidenti.

54. *Cacabus* ex subiecto ebulliens igne cum verbis *Exundat nec abundat*, fuit Symbolum excogitatum ab Engelgrave ut mundi referret consuetudinem; licet plura in nos videatur effundere, non tamen iisdem potest nobis plenè satisfacere. Inquietum enim est semper cor hominis donec quiescat in Deo.

Cacabus ad ignem cum murmure ebulliens adjecto versu Tassi, *Per troppo foco entro gorgoglia, è fuma*, alludit ad virum sinentem se iracundiâ abripi, ac facilè iras concipientem, ac prorumpentem in verba minus composita. 55.

Cacabus ad ignem plenus ebulliente aqua. unde muscæ abiguntur hac epigraphe, *A fervida procul*, ad virum alludit prudentem eorum declinantem consortium, qui nimia flagrantes ira facilè jurgia, & rixas excitant. 56.

Cacabus ad ignem contectus cum verbis. *Acrius, quia Artius*, animi sive irascentis, sive concupiscentis nimis pressum indicat affectum. 57.

Tormentum bellicum hac epigraphe, *Obsessas protegit urbes*, alludit ad vim vi propulsatam in propriam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Licitum est se defendere ab injusto aggressore.

Tormentum bellicum expositum contra munitissimæ arcis propugnaculum cum verbis, *Ratio ultima Regum*, Alludit ad Principes supremos, qui quoties obtinere non possunt quod ad se pertinere ex justitia putant, bellum movent ut ultimum medium obtinendi, quod ab alijs injustè negatur. 58.

Globus pyrio pulvere fartus in aëre dissiliens cum lemmate *Terret dum solvitur*, Allusi hoc symbolo ad Electorem Bavaricum Maximilianum Emanuelem, qui post obitum Serenissimi Ferdinandi Mariæ Patris, veluti è custodia solutus licèt in primo adhuc ætatis flore Turcas terruit, ac pluries in Hungaria profligavit. 59.

Pixis tormentario farta pulvere, & accensa in mortario adjectis verbis *Acriùs, quia arctiùs*, alludit ad hostes, qui si in bello ad extremum adigantur, ac premantur, acriùs collectis viribus pugnant, & plerunque ab injectis liberantur angustijs. 60.

Globi ferrei, qui à tormentis bellicis explosi per flumen Regium feruntur cum verbis *Nos sustinet impetus*, fuerunt delineati in Thesibus Principis de Turene; referebántque impetum, quo Gallorum exercitus Rhenum fluvium trajecit. 61.

Tormentum bellicum explosum cum verbis *Ardet ut feriat*, convenit concionatori increpanti, ac redarguenti, ardet enim zelo, ut ad pœnitentiam moveat. 62.

Globus ferreus incendiarius è mortario æneo impetu nitrati pulveris accensi explosus foras cum lemmate *Rumpar modo rumpam*, vindictam indicat. 63.

Tormentum bellicum in saccum lanâ oppletum exoneratum hac epigraphe *Cedendo resistit*, Typus animi patientis, ac sine murmure tolerantis adversa. 64.

Granatum bellicum pyrio pulvere fartum, ac succensum cum verbis *Cave ne tangaris*, ad impurum alludit amorem, quo qui tangitur lethaliter inficitur: neque enim est ulla pestis deterior. 65.

Mortarium, ex quo globus ære fusus ignis impetu exilit cum verbis *Hinc fragor, inde terror.* Præfecto convenit exercitûs canenti bellicum, & ad pugnam ducenti copias. Congruit 66.

for.

fortassis melius Turcis, qui pugnam contra Christianos inituri replent clamoribus aërem, terrorémque minus affuetis incutiunt.

67. *Globus* ex ære fuso conflatus & in aere diffiliens hoc hemistichio *Alter post fulmina terror.* Viro congruit bellicoso, quem hostes timeant.

68. *Tormenta duo bellica* contra se se explosa cum lemmate *Vi vim* alludit ad jus naturæ, quo quisque gaudet propulsandi vi vim sibi ab injusto aggressore illatam.

69. *Sclopetum* brevissimum intentum cum epigraphe *Si tangar*, virum ad iram, & vindictam pronum exhibet, qui si levi pulsetur convicio statim nocet.

70. *Tormentum bellicum* explosum, & procul globum ferreum ejaculans hac epigraphe *Dat flamma vires*, exhibet virom Apostolicum, qui zelo propagandæ religionis ad partes se confert Infidelium.

71. *Pila ignea* incensa, quæ vulgò *Carcassa* dicitur cum epigraphe *Ingentes parturit iras*, congruit viro facinoroso iracundo rixas molienti, & neces meditanti.

72. *Globus* è tormento bellico explosus, & sursum ejectus cum verbis *Impellor Flammis*, alludit ad divinum amorem, quo sursum rapiuntur, qui ejus flammas sentiunt; terrásque fastidiunt.

73. *Globus* è tormento bellico explosus, & faciem evertens propugnaculi hac epigraphe *Obstantia sternit* Allusi hoc symbolo ad Serenissimum Electorem Bavaricum Maximilianum Emanuelem cum superato Savi fluvij obice, fugatisque Turcarum copijs Albamgræcam obsidione vallavit, & districto gladio occupavit.

74. *Ignis* è fornace sursum avolans hac epigraphe *Nescit ille teneri*, virum exhibet summis addictum virtutibus, divinóque æstuans amore, qui sursum semper nititur ad majus perfectionis incrementum, arctioremque cum DEO affectivam unionem, cui soli adhærere est bonum.

75. *Ferri frustum candens* quodque tempereiur hac epigraphe *Firmius ad opus*, alludit ad temperantiam, cujus ope promior est homo ad cæterarum virtutum culturam; & promptior ad omnia exercitia.

76. *Ferri frustum candens* malleis super incudem contusum cum verbis *Non uno ictu* pertinaciam exhibet nonnullorum, qui non facilè suasionibus flectuntur, neque terrentur minis; adeout nonnisi iteratis pluries suasionibus, ac precibus emolliantur.

77. *Ferri frustum candens* rubénsque, ac scintillulas excutiens hac Epigraphe *Melioris consors naturæ*, resipiscentem exhibet peccatorem, qui profano exutus amore, divinum induit ope divinæ gratiæ, ac piè operatur.

78. *Ferrum igne rubens*, suámque ligno figuram imprimens cum verbis *Formas ignitum*, exhibuit S. Ignatium de Loiola, qui divino flagrans amore, hunc alijs, quos alloquebatur, communicavit.

79. *Tormentum bellicum* globulos procul ejaculans cum inscriptione *Igne procul mittente*, fuit Symbolum excogitatum à Bovio S. J. ut referret expeditiones Apostolicas S. Ignatij ablegantis propagandæ Religionis causâ ad Indos S. Franciscum Xaverium, & alios socios.

Ferri candentis frustum malleis super in 80. cude contusum cum lemmate *Rigor lentescit utroque*, alludit quòd ad pertinaces perduelles subigendos opus sit ferro, & igne.

Ferri frustum candens extra fornacem eum 81. lemmate *Solis non sufficit ignis*, Bellatorem exhibet, cui non sufficit igneus furor, sed etiam prudens directio.

Officina ferraria cum fornace accensa, va 82. rijsque baculis, gladijs, frœnis ferreis cum lemmate *Formas vertit in omnes*, fuit Symbolum Messanensis Academiæ, ut significaretur, ibi ingenia omnibus informari scientijs.

Ferri frustum super incude cum verbis Ita- 83. licis *Mentr' è caldo*, refert non esse occasionem negligendam in rebus agendis.

Alembicum destillans vi subjecti ignis hac 84. epigraphe *Lacrymas mihi parturit ignis*, congruit S. Mariæ Magdalenæ plorantis ad pedes Redemptoris cruci affixi. Cum hisce verbis *Secerno meliora*, viro congruit erudito, qui ex melioribus Authoribus optima quæque seligit. Cum hisce alijs verbis *Spiritus donec extrahat omnes*, profanum Mulierculæ prodit amorem in virum, à quo blandimentis omnia extorquet. Cum hoc lemmate, *Flammas indicat imber*, alludit ad lacrymas, vel conjugis plangentis obitum mariti. Vel pœnitentis ex divino amore liquescentis in lacrymas. Cum verbis Italicis *Dentro le fiamme, fuor il pianto*, amantem designat. Cum verbis *Secernendo perficit*, virum notat, qui præclaro valeat iudicio. Cum verbis Italicis, *Ne fa fede il pianto*, internum explicat affectum. Cum inscriptione, *stillat ardens*, ad lacrymas alludit S. Mariæ Magdalenæ.

Aurum in fornace cum verbis *Non læditur* 85. *sed probatur*, afflictionem signat, quâ Justus premitur. Cum verbis *Donec purum*, prodit virum adhuc affectu terrenis hærentem, quem Deus sinit adversitatibus angi, ut discat solis æternis inhiare.

Ignis artificiosus, seu pyra festiva publici gau 86. dij eum lemmate *Concremor ut specter*, Virum signat ambitiosum se ipsum absumentem, ac propria bona dantem venum, ut suæ satisfaciat ambitioni.

Ignes compitales publicæ lætitiæ, quibus 87. festis ignibus omnia collucent urbis compita cum verbis *Clarescunt in signa triumphi*, Fuit Symbolum, quod Monachij exposui cum in omnibus urbis regionibus excitari ignes collucerent, & extructæ festivæ pyræ publicam lætitiam explicarent in felicissimo Ingressu Maximiliani Emmanuelis Electoris Bavarici post deletas compestri conflictu Turcarum copias, & occupatum Vivarinum ex Hungaria Monachium reducis cum lectissima Sponsa Maria Antonia Archiduce Austriæ.

Tubus papyraceus pyrio pulvere fartus, qui 88. postquam arteric in aëre cum strepitu dissiliat, ac simul imbrem collucentium stellarum ejiciat cum lemmate *Te moriente micamus*, fuit Sym-

Symbolum, quo allusi ad mortem Servatoris Christi Cruci affixi, ex cujus latere fluxit sanguis, & aqua; ille quo redimimur, hæc quâ mundamur. Alio tubo papyraceo in aëre itidem dissiliente, & septem duntaxat splendentes stellulas in crepitu deorsum emittente cum eodem lemmate allusi ad septem Sacramenta, quæ post Christi necem in Ecclesia emicant.

89. *Tubulus* nitrato pulvere fœtus, & concepto igne in aëre dissiliens cum lemmate *Morte uitet clara*, alludit ad virum Christiana fortitudine invictum, qui inter infideles gloriosam pro Christo oppetit mortem.

90. *Tubus* sulphuratus, qui post perbrevem in aëre splendorem crepitans statim extinguitur cum verbis *Desinit in crepitum*, vitam exhibet humanam, quâ homo brevi vivens tempore decedit cum sonitu æris campani.

91. *Tubus* papyraceus Tormentario fartus pulvere in aëre dissiliens cum lemmate *Sic itur ad astra*, fuit Symbolum, quo allusi ad S. Cajetanum, qui terrena quæque fastidiens, divino exardens amore ad cœlestia jugiter aspiravit.

92. *Tubus* alius pyrio fœtus pulvere in aere dissiliens cum verbis *Quàm bene mittitur astris*, fuit aliud Symbolum, quo allusi ad S. Cajetanum ex hac vita post Summatum virtutum exercitia migrantem.

93. *Tubus* nitratus accensus, sursúmque avolans cum lemmate *Dum serpunt in viscera flammæ*, alludit ad virum ascetam, qui divino æstuans amore contemplationibus vacat rerum cœlestium: ad S. Ignatium de Loiola, qui nomine, & re igneus ad cœlestia jugiter nitebatur.

94. *Tubus* papyraceus tormentario fartus pulvere, qui postquam in aëre arsit, crepuítque in terram cadit hac epigraphe. *Ruit cum deficit ignis*, alludit ad divinam gratiam, qua deficiente homo cadit.

95. *Pyrites* percussus scintillas eiiciens adjecto lemmate *Percussus concipit ignes*, convenit S. Ignatio de Loiola, qui cum in Pampelonæ obsidione in terram dejiceretur ex ictu lapidis tormenti bellici impetu ex muro depulsi, ad suæ conversionis ponenda initia toto incubuit animi fervore.

96. *Ignis*, quo cuniculus impellitur cum verbis *Ex obice vires* alludit ad virum fortem non sinentem se coarctari, & toto nisu erumpentem ex imminentibus periculis.

97. *Pyrites* ignario contusus adjectis verbis *Vi excitus desilit* virum exhibet pacatum, qui nonnisi lacessitus concipit iras.

98. *Pyrites*, ex quo ignis exilit cum verbis *Exilit quod delituit* exhibet virum taciturnum, qui animi sui affectus tandem exerit.

99. *Igniarium* cum pyrite adjectis verbis *Ictu non uno*, Virum exhibet, qui non facilè precibus flectitur, qui propterea pluries rogandus est.

100 *Fax accensa* ventis oppugnata cum verbis *Iactata viget*, Virum refert fortem, & magnanimum, qui ex adversis incrementum subit excrecendæ virtutis.

101 *Ignis pharius* ad oram maris cum verbis *Per vada monstrat iter*, alludit ad prudentem directorem. Cum lemmate *In publica commoda fulget* convenit Principi gubernanti populum. Cum hemistichio *Monstrat iter, tutúmque facit*, alludit ad virum ascetam, qui librum scripserit tradentem regulas acquirendæ perfectionis. Cum hoc alio hemistichio *Non curas pono quietis* congruit superiori nocte invigilanti, & fatigari nescio.

Thus super prunarum acervo cum lemmate *Et sacro carpitur igne* ad virum ascetam alludit divino æstuantem amore. Cum verbis *dum flagrat* ad eumdem. 102

EXPENSIO VI.

Producuntur Symbola exhibentia figuras eorum, quæ ad elementum attinent aëris.

NUbes tota rubescens ob solares radios in ipsam ex adverso impingentes cum verbis *Ardet solari lumine picta* convenit divinæ gratiæ, cujus lumine anima perfusa fervescit, ignémque concipit divini amoris. Lux gratiam, nubes animam refert. 1.

Spectra hominum pugnas ineuntium non in alio Martio campo, quàm aëris, ac nubium cum hemistichio Virgiliano lib. 1. Æneid. *Tantæne animis cœlestibus iræ*, alludit ad omnia Religiosorum inter sese dissidia; vel etiam Ecclesiæ schismata; debent viri Religiosi, & Ecclesiastici sola cœlestia sapere; quod si alterentur pro terrenis id ipsis dedecori vertitur. 2.

Spectra eadem in nubibus hominum, equitúmque pugnantium, quæ visa fuisse ante excidium Hierosolimæ testatur sacer textus 2. Machab. 5. cum verbis *Lacessitus dimicat Æther*, alludit ad Deum criminum vindicem, & scelerum ultorem. Hujusmodi spectra videntur nobis apparere vergente præsertim ad occasum sole in congestis, ruptisque nubium vaporibus, & plerumque non parum rusticis, & idiotis incutiunt terroris. Exhibent autem subinde discurrentes quadrigas, præliantes utrinque homines, certantes exercitus eminus sagittis, cominus gladijs; quassatas procellâ naves, triremes æquora trajicientes diverberante remigio; præcelsas turres; montium inaccessa jugas; & alia id genus, quæ in addensatis illis vaporibus videntur effingi; quorum causa Deus est ministerio Intelligentiarum, ut nos erudiat ad impietatem declinandam: siquidem *Dat metuentibus se significationem, ut fugiant à facie arcûs, & liberentur electi.* 3.

Nubes soli opposita, à quo perfunditur lumine cum verbis *Aspicio, ut aspiciar* congruit aulico, qui nunquam à latere Principis discedit, ut favorem aucupetur ejusdem, ac in majori à cæteris habeatur honore. 4.

Nubes, quæ oppugnantibus oppositis ventis unà collisæ fulgurant, crebrasque emittunt coruscationes hac epigraphe *Veniunt ad classica læsæ*, eos exhibent Principes, qui illatas sibi injurias bello vindicant. 5.

Nubes

6. *Nubes* contrarijs concussa ventis, & noctu fulgura ex dehiscente sinu emitteas hoc lemmate *Clarior ex pugna*, alludit ad virum bellatorem martie virtute insignem, qui ex pluribus initis pugnis, relatisque victorijs nomen sibi comparavit ubique locorum clarum.

7. *Nubes* post fulgura, & tonitrua in pluviam soluta hisce verbis *Ditat quos terruit*, Deum exhibet, qui vitijs indulgentes, infirmitatibus, periculis, adversitatibus terret, & postea ut resipiscant divinam eis elargitur gratiam, quâ divinæ misericordiæ thesauris ditescunt.

8. *Nubecula* levis, quæ radijs perfusa solis sensim solvitur cum verbis *Ad modicum parens*, alludit ad humanam vitam, quæ ob fluxibilem brevitatem à S. Jacobo comparatur vapori.

9. *Nubes* vanida flante vento scissa in plures partes hac epigraphe *Nequeunt consistere vana*, Mundi honoribus, Titulis, ac dignitatibus congruit, quia vane citò evanescunt flante vel fortuna, vel morte superveniente.

10. *Nubes* simul collisæ, & fulgure emittentes cum verbis *Pugnando coruscant*, eos refert viros doctos, qui argumentis eruditè certant, ac lumina produnt profundi ingenij, quibus plurimum veritati adfertur lucis.

11. *Vapores* sursum elati, quique sunt terræ impedimento, ne solis perfundatur radijs hac epigraphe *Ipsa sibi nocet*, Ambitiosum signat hoc Symbolum, dum cogitationibus magnis, tumidisque mentem implet, quibus lumini divinæ gratiæ est plerumque obici, ac impedimento, ne in ipsum dilabatur.

12. *Nubes* cum Italicis verbis Petrarchæ *Al vento si dilegua*, humanæ vitæ congruit, quam infirmitates absumunt, & Libithina delet.

13. *Nubes* infra solem splendentem in signo Leonis hac epigraphe *Temperat æstus*, congruit divinæ misericordiæ solis justitiæ ardores mitiganti.

14. *Nubes* solis perfusa radijs, ac purpurascens cum verbis Statij *Additur umbranti decus*, virum refert multiplici ornatum eruditione, quem Princeps in suam suscipit tutelam.

15. *Nebula* ex fluminis alveo sursum elevata post solis ab horizonte emersionem hâc epigraphe *Quàm citò solvor*, Fuit symbolum, quo allusi ad præmaturam mortem patvuli Principis Bavariæ in lucem editi à Serenissima Electrice Maria Antonia Archiducissa Austriæ; vix triduum vixit in terris, & ad instar candidæ nebulæ statim in cœlum avolavit.

16. *Nubes* infra solem, è quo illustratur, simúlque eum obscurans cum verbis *Umbram pro luce rependit*, alludit ad virum ingretum, honorem suo detrahentem benefactori.

17. *Nubes* à sole splendores nacta, & solarium in terras radiorum impediens trajectionem hac epigraphe *Ornatur, & obstat*, ad eum alludit, qui divinæ gratiæ, à qua illuminatur obicem ponit, & vocanti Deo detrectat parere.

18. *Nebula* ab humo paludosa sursum à sole elevata cum verbis Psalm. 112. *Suscitans à terra inopem*, congruit divinæ gratiæ, cujus beneficio homo ex se insufficiens evehutur ad cœlestia æterna donandus beatitate.

19. *Nebula* ab aqua palustri, ac fœtida sursum à sole evecta cum verbis ejusdem Psalm. 112. *Et de stercore elevans pauperem*, Miserenti convenit Deo, qui divina sua gratia peccatores è cœno elevet peccatorum, & ad se alliciendo, ad meliorem vocat frugem.

20. *Nubes* obscuræ, multóque fœtæ humore, diem abripientes cum verbis *Excusso imbre nitebunt*, elludunt ad lacrymas maculas abstergentes peccatorum, ac conscientiam serena tranquillitate clarificantes.

21. *Nubes* densa, cinericia; quæ flante vento dissipatur, & aër clarificatur cum verbis Silij Italici *Nitido resoluta sereno*, virum exhibet pluribus vexatum molestijs, ac adversitatibus pressum, à quibus tamen ope divinæ gratiæ eruitur.

22. *Nebula* sursum à sole elevata cum lemmate *Evecta nitebo*, alludit ad aulicum nullius notæ, qui tamen favore Principis ad primas promotus dignitates incipit in aule clarescere, ac in honore haberi.

23. *Nebula*, quæ solis percussa radijs dissolvitur, ac evanescit cum hemistichio *Ad primos victa calores*, ad Turcarum hoc Symbolo allusi exercitum, qui instar nebulæ ad primas Bavarici solis Maximiliani Emanuelis velitationes ad radices montis Arsani in Hungaria dissipatus præcipiti se fugæ dedit, & evanuit.

24. *Nebula* candida, ac simul ob solis radios in ipsam impingentes purpurascens, sursúmque à sole elevata cum inscriptione *Elevor ut nitescam* alludit ad Beatam Virginem in cœlis assumptam.

25. *Vapores* in aëre, ac in nubem mutua acervatione coëuntes cum verbis *Fas est servire Tonanti*, eos referunt exteros homines, qui militiæ dant nomen, ut in bello contre Turcas Imperatori Romanorum serviant, causámque propugnent Christianæ Religionis.

26. *Nubes*, quæ solis perfusa radijs incipit in imbrem solvi cum verbis *Lacrymæ solatia pandant*, alludit ad lacrymas peccatoris resipiscensis, quæ conscientiam lavant, maculas delent, & animam fœcundant, ut discat fructus æternæ vitæ dare.

27. *Nubes* post solis occasum imbrem fundens in subjectam planitiem varijs ornatam floribus hoc hemistichio *Dat Cœlum gaudia terræ*, indicat, non inesse terræ vera gaudia, quàm quæ ei à Deo derivant.

28. *Vapores* è fluminis alveo sursum à sole elevati, & in nubem concrescentes cum verbo *Rapimur*, alludit ad homines vitiorum è cœno à sola divina gratia ereptos, sine que nequit homo se ad salutem promovere.

29. *Nubes* unà cum vaporibus è fluminis alveo prodeuntibus sursum à sole evecta cum hemistichio *Attollor, quò plura rigem*, ad quemlibet promotum ad summas dignitates alludit, si eo permittat animo promoveri, ut magis prodesse populo possit.

30. *Nubes*, cujus ex uno latere erumperent fulgure, & fulmina, ex altera prodiret eureus imber cum verbis *Utroque Jupiter*, fuit Symbolum excogitatum à Domino Charpentier, ut Regis

54. *Nix* solis percussa radijs liquescens in areola ubi plura incipiunt florum germina è terræ sinu erumpere cum lemmate *Mors mea vita tua*, reficit enim nivis liquescentis humor areolam. Alludit ad Christum, qui innocens ob nimiam tamen charitatem quâ dilexit nos, mortem subivit, ut vitam nobis impertiret.

55. *Nix* quâ plures excultæ tegebantur camporum planities, móxque fere tota liquescens cum hemistichio *Decrescit quò cætera crescant*, alludit ad Filium Dei, qui factus homo, se ipsum exinanivit, ut homines fierent consortes naturæ divinæ beneficio gratiæ sanctificantis.

56. *Nix* media æstate prærupta Alpium contegens juga cum verbis Psalm. 112. *In altis habitat*, alludit ad innocentiam, quæ non servatur tutior, quàm procul ab hominum frequentia, ac in solitudine montium. Sicut ille dixit exeat aula, qui cupit esse pius: ita exulet ab hominum consortio, qui vult innocentiam servare.

57. *Exculta planities*, & rigente bruma altis contecta nivibus cum lemmate *Latuisse juvabit*, alludit ad virum eruditum recipientem se in solitudine, ut sine curis, & procul à negotijs vacet studijs. Congruit etiam Religioso Carthusiano, qui perpetuâ eligit cellæ solitudinem ut enitaræ virtutum, rerumque æternarum incumbat contemplationibus.

58. *Globus niveus* è montis fastigio deorsum devolveos cum lemmate *Crescit eundo*, Famam signat præclari viri.

59. *Nix* plurima simul congesta, & compressa cum verbis *Compressa solidior*, fuit Symbolum Cardinalis Litta, ut indicaret adversa viro innocenti esse virtutis exercitio; non exitio.

60. *Nix* recens in terram dilapsa cum versu Italico *Al mio riscontro ogni biancbezza è vile*, ad innocentiam, & conceptionem Virginis matris alludit.

61. *Nix* toto anni tempore præalta contegens montium juga hac epigraphe *Celsa locata perennat*, convenit innocentiæ, quæ si ab hominum exulet frequentijs custoditur.

62. *Nix* in subjectam decidens planitiem camporum cum verbis. *His vegetior*, alludit ad divinam gratiam, quâ fit animi vegetior, fœcundiórque, ut culturâ virtutum uberiorem det fructuum messem.

63. *Nix* ad solis radios liquescens cum verbis *cœlesti lumine languet*, alludit ad terrena blandimenta, quæ si lux divina illuxerit, languescunt, & fastidium movent.

64. *Traha*, quâ per glaciem laxandi animi gratia trahuntur rigente brumâ homines cum verbis *Non nisi per gelidum*, fuit Symbolum Andreæ Mariani, ut signaret, virtutem viri fortis gaudentis rigore Fortunæ, quia inde ansa ei datur exercendæ virtutis.

65. *Traha* currente equo per glaciem raptata cum inscriptione *Nunc ire voluptas*, fuit aliud Symbolum Berlingerij Gessi, ut significaret fortunam sibi arridentem absque ullo obstaculo.

66. *Nubes* rorida, & instar speculi ad opacitatem vergens solis repræsentans imaginem cum verbis è cantico Virginis Mariæ promptis *Quia respexit*, fuit Symbolum exegiliarum ab Alcio & ab eodem accommodatum Virgini genitrici. Sol enim in ea generavit solem; *quia respexit Deus humilitatem ancillæ suæ*.

Nubes alia rorida eamdem solis referens 67. imaginem cum lemmate *Fertque, refertque*, alludit ad reciprocum amorem duorum. Cæterum hoc lemma fuit assumptum à Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce cum nupsit Catharinæ Austriacæ, ut significaret mutuum amorem: duo posuit specula cum mutuis reflexionibus, & præfato lemmate.

Nubes in qua Iris discolor apparet, mari 68. commoto imminens cum verbis Claudiani lib. 1. de Rapt. Proserp. *Redeunt in claustra procellæ*, indicat diu concupitam pacem post diuturnas bellorum procellas.

Iris soli opposita cum lemmate *Te radiante* 69. *mico*, fuit Symbolum à me excogitatum, ut repræsentarem Aulicum favore Principis ad primos evectum honores.

Iris eleganter picta à sole in nube rorida 70. cum verbis *Post nubila, & imbres*, alludit ad solatium quod post plures molestias, & afflictiones quis experitur.

Iris post procellas, & fulmina rorida in 71. nube corusca cum verbis *Inter nubila gratior*, alludit ad gaudium, quod adfert pax post diuturnum cruentum bellum.

Iris post diuturnam procellam à sole in 72. nube rorida coloribus rubro, viridi, cæruleo, & luteo depicta cum lemmate *Compescuit iras*, convenit cuilibet mediatori, ac promotori pacis, ac diffidentia principum capita post cruentas in bello clades componenti.

Iris ad Cœlum usque protensa quæque 73. altero pede terram, altero mare contingat cum lemmate *Cœlóque, solóque, saléque*, Dei refert immensitatem omnia cum lectentem, nulloque instar circuli clausam limite. Iris enim radijs figurata solaribus tum refractis, tum reflexis in nube, cùm in tenuem resolvitur imbrem, licèt ejus figura nobis semicircularis videatur apparere. Cerneretur tamen perfectus circulus, si quis in editissimi montis fastigio existeret, ita ut centrum solis, nubis, & oculi in eadem foret linea.

Iris in nube cærulea cum verbis deprom- 74. ptis ex Ovidio 2. Fast. *Nullus ab arte decor*, fuit Symbolum, quo P. Gambertus ingenitam Principi gratiam, ac à natura eidem inditam comitatem retulit.

Iris in nube pluviam destillantem elegan 75. ter à sole picta cum inscriptione *Lucet, & in luctu*, Principem fœminam exhibuit, quæ splendore hujus sæculi abdicato nomen dedit monialium cœnobio pœnitentiam actura; ac virtutum culturæ datura operam.

Iris cum opposito sole, versúque Italico 76. *Solo perche mi miri ogn'un m' ammira*, congruit Virgini Matri, cum ipsa in suo cantico dicat, Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

77. *Iris*, quæ Monachij in Bavaria apparuit formosissima, quæque altero pede Palatio Electorali hærebat; altero ex qua parte Princeps parvulus Electoralis Josephus Leopoldus Viennâ Austriæ Monachium post Matris obitum deferebatur cum lemmate *Inter nubila gratior*, Fuit Symbolum, quo allusi ad introitum ejusdem principis parvuli in Bavariæ Metropolim adhuc mœrore confectam, & dolore oppressam ob præmaturam mortem Mariæ Antoniæ Archiducis Austriæ, & Electricis Bavariæ.

78. *Iris* discolor in qua præ cæteris color viridis affulgeat cum hemistichio *Hæc spondet luce serenum*, Principem exhibet propo[illegible]entem propositiones æquitati contonas pro ineunda pace cum alijs.

79. *Iris* cum epigraphe *Terras devinxit olympo*, Fuit Symbolum excogitatum à Domino Perrault in commendationem Regis Galliæ, qui pace, quam terræ dedit, sedatam cœli ostendit indignationem. Fuit postea hoc Symbolum acu pictum in regijs Aulæis.

80. *Iris* cum verbis *In fœdera veni*, allusit ad Regis Galliæ Ludovici XIV. nuptias cum Regina Hispaniarum Principissa: causa siquidem hoc matrimonium fuit ineundæ pacis Pyrenæorum.

81. *Nubes* rorida, in cujus sinu Sol iridem pingit adjecta epigraphe *Trahit roscida lucem*, exhibet B. Virginem, quæ plena rore gratiarum traxit ad se lucem mundi, Verbum divinum, quod ope Spiritus sancti in ejus utero carnem assumpsit.

82. *Iris* discolor cum verbis *Nihil iste minatur*, seu Arcus cœlestis: allusi hoc lemmate ad comitem de Arco moribus mansuetissimum Ecclesiæ Augustanæ Canonicum, cum ejus fratres, & consanguinei totidem sint belli fulmina.

83. *Iris* cum verbis *Circumdata varietate*, alludit ad Ecclesiam tot diversis pictam coloribus, quot varijs ornatam Religiosorum Ordinibus.

84. *Iris* altero pede viridarium omnium florum ornatum genere, & altero Padum fluvium premens cum verbis *Qua cubat exhilarat*, allusit ad Regalem Celsitudinem Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis Taurinum reducis anno 1675.

85. *Iris* in nube rorida à sole picta, cum fulmine erumpente ab alia nube adjecto hemistichio *Medijs Pax fulget in armis*, alludit ad Innocentium XII. suadentem Principibus Christianis pacem, ad quam obtinendam à Deo supremo Duce exercituum Jubilæum indulsit fidelibus, ut hi tandem jubilent diu concupita pace.

86. *Iris* in rorida nube plurimum præseferens splendoris, & elegantiæ cum verbis *Ficta non falsa*, fucatum, ac umbratilem exhibet terrenæ dignitatis splendorem, qui nil habet subsistentiæ, & multum apparentiæ.

87. *Iris* in nube tenuem effundente imbrem cum lemmate *Risu Plorantis Olympi*, Divinam exhibet misericordiam in peccatorem, cujus Deus, licet pluries offensus, ac lacessitus, adhuc miseretur.

Roscidus imber nocte sereno aëre decidens 88.
cum lemmate *Semper nocte serena*, alludit ad divinam gratiam quæ nocte tribulationum ingruente veluti serotinus, ac roscidus imber jis impertitur, qui serena mente eas tolerant.

Roridus humor horis antelucanis dilabens, 89.
pluresque in areola flores perfundens, ac reficiens cum inscriptione *Toleratæ præmia noctis*, alludit ad illos viros ascetas, ac virtutum cultores, qui post toleratam noctem adversitatum, ac ærumnarum plurimum à Deo recipiunt consolationis, ac gratiæ, qua reficiuntur; perinde ac de Salvatore aiebat Tertullianus: *Favos post fella gustavit*.

Ovum quod exemptis vitello, & albumine, 90.
roréque toto in sursum à sole trahitur, relictis humi pluribus alijs ovis, quibus cognata viscera sunt ponderi cum verbis, *Quia rore plenum*, alludit ad Virginem Matrem solam post obitum in cœlum assumptam; quia præ cæteris sola fuit *gratia plena*.

Turbo, seu ventus turbulentior in longè, 91.
latéque exporrecta planitie turres dejiciens, segetes conterens, annosas quercus divellens cum verbis *Rumpit in quos erumpit*, alludere potest ad violentiam militum irruptionem, ac excursionem in hostium patentem provinciam, in qua ferro, & igne omnia perdunt, nulli parcunt.

Ventus præcelsam arborem foliorum pom 92.
pa luxuriantem, ac proceritate superbientem oppugnans, ac diverberans cum lemmate *Aut flecti, aut frangi*, Principem designat alterum armis aggredientem, ut ei cedat jus quod suum putat, ni cædi velit.

Venti plures simul oppugnantes, & pul- 93.
veres, festucas, lignorúmque frusta è publica via in proximos campos asportantes cum verbis *Verrunt dum vexant*, tribulationes signant, & adversitates, quæ ideo à Deo permittuntur, ut homo, quas peccatorum contraxit maculas purget, ac deleat.

Ventus Auster efflans, & diverberans flo 94.
res quorum propterea odores per alia diffunduntur loca cum verbis *Eminus, ut oleant*, alludit ad ærumnas, & adversitates, quibus vexantur viri justi, & præsertim Apostolici causâ propagandæ Religionis; eorum enim virtus longè, latéque diffunditur; & unà cum ipsa odor sanctitatis.

Ventus Auster nubes dispellens, ac serenam 95.
aëris inducens tranquillitatem hisce verbis *Summa vi* fuit Symbolum, quo allusi ad Serenissimum Electorem Bavaricum Maximilianum Emanuelem fugantem Turcarum copias ex pertinaci obsidione, quâ Viennam Austriæ per quasi integrum bimestre tormentis bellicis labefactârunt, totúmque imperium serenavit.

Ventus turbulentior annosam quercum 96.
quassans, ac dirumpens cum verbis *Vim vi*, alludit ad pertinaciam rebellantium nolentium se flectere ad suasiones; eorum durities vi est tunc frangenda, ne altiùs radices figat, & majora immisceant mala.

Venti oppugnantes malaciam maris, & 97
procellam excitantes, fluctúsque commoventes

tes cum lemmate *Turbant, sed extollunt*, referunt novercantis fortunæ adversitates, quæ si plerunque viros justos vexant, ac divexant, sunt ijsdem occasio exercendæ virtutis, ac uberiora inde subeundi incrementa virtutum.

98. *Ventus* turbulentior, qui Typhon dicitur plures arbores in exporrecta planitie subvertens, & alias radicitùs divellens cum verbis *Franguntur quia non flectuntur*, eos exhibet, qui nolentes quidquam cedere, vel inviti adiguntur ad majora subeunda mala.

99. *Zephyrus* ventus blandè efflans, agitánsque flores, ac plantas leniter excutiens cum verbis *Ubi vult spirat*, alludit ad Spiritum sanctum moventem corda hominum pro ut ipsi magis libet, & quando placet.

100. *Ventus* nubes dispellens, & plantas reficiens cum verbis *Fugat, & fovet*, Principem exhibet cogentem viros malos è suis exulare ditionibus; & faventem probis.

EXCURSUS.

Mundi gaudia lacrymis fœta.

IRis in nube rorida effundente tenuem imbrem hac epigraphe *Risus plorantis olympi*, mundi, ejúsque illecebrarum risum exhibet lacrymis gravidum, quique in lacrymarum solvitur imbres, definitque in amaritudinem. Larvatæ sunt, quæ à mundo exhibentur voluptates risum in externa facie simulant, sed sub fucati risûs larva lacrymæ latent; quia mundi voluptates sacharo unioratiis dulcedinis veneni obtegunt amarorem, ut quos alliciunt decipiant, & quos decipiunt perdant: qui hoc pacto à mundanis capti voluptatibus sunt læti, lethi funera incurrunt, & ad risum properantes non nisi lacrymæ ijsdem obviant; mundana siquidem lætitia amaroris gravida non nisi lacrymas parturit obstetricante pœnitudinis mœrore. Hinc non abs re mundi fucata voluptas iridi comparatur sub larva discoloris lætitiæ imbres occludenti lacrymarum, Extima iridis species figuram exhibet mundanæ voluptatis non lacrymarum imbrem solùm portendentis, sed etiam obtegentis: umbratilem risus imaginem suis offert mundus illecebris, ut hisce indulgentes ridere videantur; & gaudio perfundi; hoc est videantur tantùm in extima facie risum promere; quia intus lacrymis madent; hæcque ratio, cur Plutarchus contra sententiam Epicuri mundi lætitias vocet *ejulantes risus*, quia fucatæ risum larvâ ostendunt exterius, quem interius audiunt ejulantem; talis sunt mundi voluptates naturæ, ut si ex cortice censeantur, risum videantur præseferre, sin autem ex medulla luctum complectantur. Seducitur certè, qui se duci sinit, ac allici ab extima mundani risus specie; in mundi agro, qui gaudia serit, lacrymas metit, idque animadvertens Augustinus in Psalm. 125 omnes monet, omnibúsque inclamat, *Nolite seduci gaudio rerum humanarum, flenda in rebus humanis advertite*; siquidem rectè cecinit ille

Heu risus noster luctu miscetur amaro,
Diraque sub dulci melle venena latent

Natura ipsa hoc idem nos edocet; post enim effusam lætitiam, subortri ac pluere ab oculis vel injussæ solent lacrymæ; nimirum quod concipiunt humana paulò post parturiunt, ut rectè Prudentius *Gaudia concipiunt lacrymas, dant gaudia fletum*: neque alius à mundi gaudiis fœtus expectandus; & quò latior est mundani gaudij sinus; eò uberiores, ac amariores profundit lacrymas; extrema enim gaudia à luctu occupari non diffitetur sapiens, quia non tantùm lacrymas tegit adblandientis mundi risus, sed etiam fundit; hujus si quæris Symbolum lignum viride à luxuriante excisum planta ignique admotum intuere; fumi plura priùs emittit volumina mundi vanitatem haud obscurè indicantia; tum flammas concipit non sine stridore, ut melius mundani risus æmuletur cachinnos; demum ex cæteris partibus vi repentis caloris arescentibus inclusus exit humor guttatim, qui lachrymis lachrymas mundani risus exprimit: certè mundi illecebræ, ac voluptates, quibus indulgent homines viridi haud absimiles dixeris ligno; ægre in simulatæ lætitiæ erumpunt flammam; sed mox in lacrymas desinunt, & eò amariores, quo dulciores videbantur ipsæ deliciæ. Benè humanæ vitæ cursum patem faciunt flumini; licèt fontes, & flumina dulces aquas vehant, in maris tamen illabuntur amaritudinem; hæcque sors est hominis, quamvis dum vivit dulcedines prægustet mundani gaudij, hujus tamen extrema nonnisi luctus occupat, & plerunque sub larva dulcedinis ingratum contegit amaroris saporem; appositè ille

O' fallax syren? ò perfida lena voluptas?
Hei mihi quot flenda nubila fronte tegis?
Sub risu abscondis lachrymas, sub melle venenum,
Ut celent paphiæ spinea tela rosæ?

Natura ipsa nos edocet, dolorem risui admixtum esse, ac dulci amarū; etenim ex splene, quem amarum fel facilè inficit risus prodit, ut originis suæ si memor sit risus, memor sit & doloris, memor & amaroris, à quo veluti a fonte scaturit: verus ille

Lucifero splenem cum felle venenat amaror
Unde mihi risus vera benigna fluent?
Cuncta dolor violat, pro si gaudia vivo
Credis uura nigro fonte, dolores erunt

Fucata sunt mundi gaudia, umbratiles risus, quorum voluptas in extimo tantùm cortice, seu adscititia larva videtur efflorescere Non nisi felle infectum esse oportet risum, quem natura foras prodire voluit à fonte felleo, quem amarities inficit.

Flocci censendus foret arridentis voluptatis amaror, nauci faciendus fletus, quem risus mundanus parturit, si lacrymæ unà cum risu extinguerentur; sed emoritur ille; & æternum perpluunt illæ. Seriam id sanè meretur nunc perpensionem, ne cum moritur homo nulla ei evadendi æternum fletum pateat ampliùs semita, nulla occasio; spectanda res se-

 rio

riò est, ne tunc spectetur, cum nulla ampliùs spes affulserit æternum declinandi luctum. Est mundi risus, qui ad æternum luctum viam sternit, seriò monet S. Bernardus Epist. 44. *Videte ergo ne blandiens præsens prosperitas sui vobis finem abscondat, ne lætitia temporalis luctum vobis æternum & operiat, quem parit, & pariat, quem operit.* A fructu dignoscenda est arbor, pessimus nonnisi à mala, ac infecta quit prodire effectus natu. ram sequitur causæ, fœtus speciem sortitur parentum: ergo nil boni præsefert risus ille qui æternum generat fletum; mentitur risus, qui non nisi lacrymas parturit æternas: detrahatur mundano risui larva, & omni leena sævior deprehendetur; id testantur, quibus risus ad æternum fletum viam stravit, quique æternis sunt flammis addicti; eò enim graviùs dolent quò liberius mundano risui indulserunt. Nemo adeo desipiat, ut sinat se à larvato risu decipi, qui temporalem nobis lætitiam offert, ut æternam surripiat. Consultius sanè abstinere hic ab arridente voluptate, à fluxo gaudio, ut lætitia inveniatur nunquam peritura. Surripiat se quisque ab illo risu, qui æternam surripit lætitiam; illi potius adhærendum fletui, qui æternum gignit risum.

EXPENSIO VII.

Exhibentur Symbolicè Aves aucupes, prædatrices, oscines, nocturnæ, voraces, escariæ, & aliæ indole ab alijs diversæ.

1. AQuila alarum remigio sursum petens intra nubes, è quibus fulgura erumpunt, ac fulmina cum lemmate *Nec fulmina terrent*. Allusi hoc symbolo ad quemdam generosum virum antea hæresis infectum labe, mox ad Catholicam conversum Religionem, non obstantibus parentum minis, & amicorum dehortantium obstaculis.

2. *Aquila* ab humo sursum volans solem versus hac epigraphe *Cælos despecta tellure petit*, allusi etiam hoc symbolo ad quamdam prænobilem puellam, quæ abdicatis sæculi pompis, despectisque Aulæ honoribus, ut liberiùs Deo inserviret in Religionem Monialium excalceatarum à S. Theresia ascribi voluit.

3. *Aquilæ* pullus matrem insequens celeri volatu solem versus cum hemistichio *Fatis confisus avorum*, allusi iisdem hoc symbolo ad Serenissimum Electorem Bavaricum Maximilianum Emanuelem cum primum suum per se exercitum duxit in Austriâ vindicaturus Viennam à Turcarum pertinaci obsidione: imitari voluit Maximilianum Avum, qui Pragæ hæreticos cruenta clade fregit, & fugavit; aliósque majores, qui de infidelibus gloriosè semper triumpharunt.

4. *Aquila* suos in aliud solum pullos ducens cum verbis *Alias jam quærite terras*, S. Francisco Xaverio congruit, qui socios ad Indos perductos diversis dedit provincijs ut hæ ab ijsdem excolerentur Evangelij prædicatione.

Aquila defixo in solem intuitu hærens in aëre medio cum lemmate *Maternæ virtutis memor*, allusi hoc symbolo ad S. Augustinum ad imitationem S. Monicæ matris cœlestium rerum vacantem contemplationibus. 5.

Aquila pullum suum intuens, dum hic suos incipit obtutus in meridianum solem dirigere hac epigraphe *Lætatur genuisse parem*, allusi hoc symbolo ad gaudium, quo fuit S. Monica affecta ob conversionem S. Augustini. 6.

Aquila suos ad solem probans pullos cum verbis *Probatos fovet*, prudentem exhibet principem, qui quos probatos, fidelésque habet ministros protegit, fovétque honoribus. 7.

Aquila è præcelsi montis jugo aperto alarum remigio aërem incipiens diverberare ad solem proximiùs itura cum hemistichio *Vilescunt terrena mihi*, Fuit Symbolum, quo allusi ad S. Cajetanum cum abdicata in Aula Romana Prælaturæ dignitate, ad quam à Julio II. promotus fuerat, se totum Deo mancipavit. 8.

Aquila medio hærens in aëre defixis in solem oculis cum hemistichio *Hinc fortior ibit in hostem*. allusi etiam hoc symbolo ad S. Cajetanum, qui cum diceretur venator animarum, nunquam opus exorsus est conversionis ullius peccatoris, nisi fusis priùs ad Deum precibus, quem enixè rogabat ut suo præsto sibi esset auxilio, suámque peccatori gratiam impertiret. 9.

Aquila horis antelucanis cum primum incipit ab horizonte Aurora emergere è montis fastigio cœlum volatu celeri petens Auroram versus adiecto hemistichio *Quàm mihi sordet humus*, convenit S. Ignatio de Loiola, cui ad cœli noctè aspectum fastidio erat terra, & vilia terrena quæque videbantur. 10.

Aquila junior soli defixo hærens intuitu cum lemmate *Sic vivam*, congruit Juveni abdicanti se à mundi pompis, & honoribus, ut soli DEO serviat, nilque ampliùs cogitet nisi Deum. 11.

Aquila solem intuens cum Italico carmine deprompto ex Petrarca Triumph. de fama cap. 3. *E quanto il miro piu, tanto piu luce*, Virum Religiosum exhibet divinis assuetum contemplationibus; cui Deus incomprehensibilis totamque continens perfectionum plenitudinem pulchrior semper videtur. 12.

Aquila nubes volatu supergressa, & serenam intuens solis faciem cum lemmate *Frustra terrebere nimbis*, Virum refert soli Deo unicè addictum, nec terrena curantem, cui propterea obesse fortuna nequit. 13.

Aquila fulmen gerens ungue, solémque in signo Leonis intuens cum verbis *Utroque potens*, fuit Symbolum, quo allusi ad Maximilianum Emanuelem Electorem Bavaricum, cum in Hungaria exercitui præfuit Leopoldi I. Imperatoris, & proprijs Bavaricis copijs, utroque armatus fulmine terrori fuit Turcæ, quem plurics cruenta clade fregit, ac delevit. 14.

Aquila volatu supra nubes ad solem accedens cum lemmate *Negligit humum*, Virum refert solis cœlestibus inhiantem, & nihili terrena utpote fluxa, & vana facientem. 15.

Aquila

16. *Aquila* præcelso hærens scopulo in medio mari hac epigraphe *Est mihi una quies*, Fuit Symbolum, quo allusi ad S. Hospitium, qui abdicatis mundi honoribus solitudinem Insulæ Lirinensis incoluit, ut soli Deo inserviret; fuit illi sacra illa Insula, quæ veluti scopulus è maris fluctibus emergit, tutissima quies.

17. *Aquila* junior nondum plumis vestita, & nitens suo egredi è nido volantem sequutura matrem solem versus cum verbis *Quis mihi dabit pennas*, alludit ad votum animæ cupientis Deo uniri.

18. *Aquila* defixis oculis solem intuens meridianum cum lemmate *Non nubat acies*, refert S. Joannem Evangelistam, qui cæteris altius evolavit incohans suum Evangelium à generatione æterni Verbi ad intra, ac proximius fuit æternum Justitiæ solem intuitus.

19. *Aquila* intrà nubes, è quibus plura exiliunt fulmina cum hemistichio *Non jus habuere nocendi*, Virum exhibet Deo addictum, ac innocentem, cui calumniæ, convicia, persecutiones nihil attulerunt damni. Congruit etiam cuilibet vincenti graves tentationes, vel superanti persecutiones.

20. *Aquila* suos sub alas pullos fovens cum verbis *Donec adolevrrint*, pueros refert adhuc sub cura Tutoris. Vel discipulos sub disciplina Magistri.

21. *Aquila* directè solem intuens, ac proximiùs ad ipsum accedens cum inscriptione *Recto oculo, Rectóque volatu*, Virum justum refert, qui rectâ intentione rectè operatur; & fide immobili ita operatur, ut huic respondeant opera.

22. *Aquila* celerrimo volatu nubes ingrediens, ex qua fulmina excutiuntur adjectis verbis *Per tela per hostes*, Allusi ad Maximilianum Emanuelem Electorem Bavaricum, qui in campestri conflictu per tela, & ignes non semel Turcarum copias in Hungaria penetravit, quas proximiùs prosterneret.

23. *Aquila* alijs junioribus captam prædam distribuens cum hemistichio *Non sibi gravida soli*, fuit aliud Symbolum, quo allusi ad eundem Electorem, qui ad radicem Arsanij montis post fractas, fugatásque Turcarum copias, capta fugientium castra militum expilationi generosè indulsit, retento tantum supremi strategi, seu ut vulgo aiunt, Vezirij tentorio.

24. *Aquila* Jovis fulmen gerens, & solem intuens adjecta inscriptione *Hinc lumen fulmen*, Concionatorem æquè ingenio valentem, & zelo signat.

25. *Aquila* sine fulmine prope collem olivis sylvescentem volitans hac epigraphe *Nec sua fulmina curat*, Romanum Imperium retulit post initam pacem cum Gallo, & Turca. Est Imperium quod Imperatori arma ministrat; perinde ac Aquila Jovi tonanti fulmina.

26. *Aquila* junior media inter duas majores, omnésque solem intuentes cum hemistichio *Stimulos agit æmula virtus*, alludit ad Principem juvenem, qui ne a suis videatur majoribus degener præclara eorumdem gesta sibi proponit, ut exempla, quæ imitetur.

27. *Aquila* fulmen gerens in oppositione lunæ bicornis cum verbis Virgilij *Debellare superbos*, Fuit Symbolum, quo allusi ad Bavaricum Electorem Maximilianum Emanuelem cum vindicaturus Viennam à pertinaci Turcarum obsidione octodecim millia armatorum hominum primus per se in Austriam duxit.

Aquila fulmen gerens, solémque intuens adjectis verbis *Amica luminis, ministra Numinis*, exhibet Antistitem, qui ad divinum tuendum honorem anathemate ferit audentes eidem obesse. 28.

Aquila fulmen gerens, ac volans versus bicornem lunam hac epigraphe *Meruitque timeri*, fuit Symbolum, quo allusi ad Maximilianum Emanuelem Monachium ex Hungaria redeuntem post fugatas ad Savum fluvium Turcarum copias, & occupatam districto gladio Albam græcam. 29.

Aquilæ plures juniores matrem sequentes solem versus cum hemistichio *Patrum vigor igneus ollis*, alludit ad illos prænobiles Juvenes, qui virtutes suorum majorum sibi proponunt normam agendi. 30.

Aquila volatu sublimior pluribus alijs avibus adjectis verbis *supervolat omnes*, refert S. Joannem Evangelistam, qui cæteris altius scripsit de Deo. Potest etiam accommodari inter SS. Patres Augustino; inter scholasticos Divo Thomæ. 31.

Aquila renovata, ex aqua emergens cum verbis *Vetustate relictâ*, alludit ad Rabbinum Judæum recens Florentiæ ad Catholicam Religionem conversum: ob ingenium, quo pollet, eruditione præsertim sacra, qua ornatur Aquilæ æquiparatur. 32.

Aquila ex busto Apotheoseos sursum avolans adjectis verbis Horatij *Spernit humum fugiente penna*, Ferdinandum Mariam Electorem Bavaricum præmatura morte ex hac vita migrantem exhibuit. 33.

Aquila junior cum alia grandiori solem intuens cum hemistichio *Discit par esse parenti*, alludit ad S. Augustinum post suam conversionem exemplo S. Monicæ divinis assuescentem contemplationibus. 34.

Aquilæ pullus fulmen gerens, & solem intuens cum hemistichio Virgiliano *Magnorum haud indignus avorum*, alludit ad quemlibet nobilem juvenem nitentem præclara imitari gesta majorum. Posset etiam hoc aliud adjici lemma *Exempla trahunt*. 35.

Aquila ex busto Apotheoseos sursum in cœlum volatum dirigens hac epigraphe *Interponet sydera nidum*, allusi ad obitum Serenissimæ Electricis Bavariæ Henricæ Adelaidis natæ Regiæ Principissæ à Sabaudia, quæ eas quas in terris excoluit, in cœlum, utpie credimus, virtutes retulerunt. 36.

Aquila celeri volatu sursum nitens, quam plures aliæ sequuntur aves cum verbis *Sequuntur non assequuntur*, eos refert, qui ingenio non admodum valentes cupiunt præstantissimos in quavis facultate viros imitari. 37.

Aquila è sublimi aere deorsum in prædurum scopulum demittens testudinem, ut contrito putamine ejus vescatur carne cum verbis 38.

Elevat

Elevat, ut allidat, Fortunæ congruit, cujus favore in aulis præſertim Principum, aulici plerunque *Tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant*; hinc Seneca in Agamen. Act. 1. *Quidquid in altum Fortuna tulit, ruitura levat.*

39. *Aquila* fulmen ungue gerens adjecto lemmate *Quò juſſa Jovis*, alluſit ad Principem Ludovicum Badenſem juſſa Leopoldi I. Imperatoris in bellicis expeditionibus incorrupta fidelitate exequentem.

40. *Aquilæ* juniores ſolem intuentes cum lemmate *Degeneres lux arguit*, alludit ad eos, qui non ſinunt à luce exhibiti auri, quod metallorum dicitur Sol, ſe corrumpi, ac induci ad malè agendum.

41. *Phœnix* ex humo cœlum conſcendens perniciſſimo volatu, quémque plena cæterarum avium caterua ſequitur cum epigraphe prompta ex Virgilio *Comitantur ovantes*, fuit Symbolum excogitatum ab alijs, ut Virginem matrem aſſumptam in cœlum referret, Choros ſiquidem Angelorum comites habuit. Tametſi quæ de Phœnice narrantur, fabuloſa cenſenda ſint; quia tamen uſus invaluit ut in Symbolum à plerisque aſſumatur præſertim cum ſe ipſum comburit ſuo ſuper buſto; vel ſuo renaſcitur è cinerario; aliquot etiam de phœnice exhibebimus Symbola.

42. *Phœnix* cum lemmate *Unica ſemper avis*, fuit Symbolum Eleonoræ Auſtriacæ Franciſci I. viduæ poſt conjugem vita functum; ut indicaret ſe vitam elegiſſe ſolitariam, & in ea velle ad extremum usque diem conſtantiſſimè perſeverare.

43. *Phœnix* ſuo hærens buſto hac epigraphe *Ex funere fœnus*, ad eum alludit, qui ex crebra mortis cogitatione hanc haurit utilitatem, ut mores corrigat, & ad rectæ rationis normam proprias componat actiones, floccique faciat terrena utpote fluxa, & vacua.

44. *Phœnix*, qui abſumitur ijsdem flammis, quas alarum flabellis ſuccendit cum verbis *Quas excitavi patior*, Eos indicat principes, qui bello quod excitaverant evertuntur; & ijsdem flammis, quas accenderant abſumuntur irreparabili ſubditorum damno.

45. *Phœnix* accenſo inſidens rogo cum verbis *Inde vivam, unde crucior*, Congruit S. Laurentio cum pro Chriſto ureretur ſuper craticulam.

46. *Phœnix* junior cum inſcriptione *Redivivus è cinere*, juvenem exhibet, qui vitijs priùs indulſerat, mox divina gratia voluntatem inflammante ſacra Capucinorum veſte indutus mores corrigit, & illo in cinere Deo renaſcitur.

47. *Phœnix* alarum flabellis flammas excitans, quas in congeſtis accendit odoriferis lignis cum lemmate *Mori feſtinat in ortum*, Congruit S. Apolloniæ cum alacris in ignem ſibi paratum, majori Spiritûs ſancti flamma intus accenſa è manibus elapſa carnificum ſe injecit. Idem phœnix in flammis cum verbis *Mors mihi vita*, S. Martyrem indicat, è flammis ad æternam evolantem in cœlis vitam. Cum his alijs verbis *Sponte cremabor*, alludit ad eamdem S. Apolloniam. cum hoc alio lemmate *Moriar, ut oriar*, ad quemlibet S. Martyrem. Cum verbis *Parturiente rogo*, Ignem exhibet in purgatorio expiatorium, quo animæ defunctorum purificantur in vitam ingreſſuræ æternam. Cum verbis *Se parit cum perit*, mortem Juſti. *Sibi Præfica & Pronuba.* Tribulationem juſti.

Phœnix cum verbis *Virgo ſingularis* congruit Virgini matri. Cum lemmate *Viget unica terris*, ejus plenitudini gratiarum poſtquam fuit à Gabriele ſalutata. Cum epigraphe *Poſt fata ſuperſtes* ejus corpori in cœlum aſſumpto. 48.

Phœnix renaſcens hac epigraphe *Ex Virgine Virgo*, fuit Symbolum à Maſenio excogitatum ut alluderet ad Chriſti nativitatem. 49.

Phœnicis rogus cum verbis *Viget in cinere virtus*, convenit ſacris Sanctorum cineribus. 50.

Pelicanus roſtro pectus ſibi dilacerans, venásque aperiens cum verbis *Alijs non ſibi Clemens*, Fuit Symbolum Papæ Clementis IX. Roſpiglioſii, qui omnibus indulſit, non tamen ſibi. 51.

Pelicanus proprias pectoris venas roſtro diſcindens, fundénsque ſanguinem, quo nutriuntur pulli cum verſu Italico *E per altri ſalvar ſe ſteſſo ſuena*, alludit ad S. Cajetanum nocte ad plurimi ſanguinis effuſionem ſe flagellantem, Deúmque enixim rogantem pro peccatorum converſione, quatenus eos ſua illuminaret, ac alliceret gratia, ut reſipiſcerent; poſuit proprij ſanguinis pretium pro aliena ſalute. 52.

Pelicanus ſanguinem è diſcerpto pectore fundens, ſuóſque paſcens pullos cum lemmate *Quid non cogit amor?* Chriſtum exhibet, cruci affixum, ſanguinémque è vulneribus præſertim pectoris fundentem, quo vitam nobis impertiret. Ob amorem in nos Verbum carnem aſſumpſit, & mortem ſubivit. Ad hoc idem ſignificandum poni etiam ſolent verba Joannis *Ut vitam habeant*, ideſt Chriſtus ſanguinem fudit, ut inde homines vitam haurirent & mortui peccato viverent gratiæ. Solent etiam apponi hæc alia verba Joannis *Ut abundantius habeant*, quia copioſa fuit apud eum redemptio. Vel *Sic his, quos diligo*, ſcilicet do ſanguinem meum. 53.

Columba Noëtica cum ramo olivæ revertens ad Arcam poſt cathaclysmum cum hemiſtichio *Dedit Deus his quoque finem*, alludit ad initam pacem inter diſſidentes Chriſtianos Principes poſt cruenta bella. 54.

Columba eadem Noëtica gerens ramum olivæ cum lemmate *Poſt nubila, & imbres*, refert interna animi ſolatia, quæ ſolet Dei Bonitas ſervis ſuis poſt ſuperatas perſecutiones, vel adverſitates indulgere. 55.

Columba eadem cum olivæ ramuſculo rediens ad Arcam cum hemiſtichio *Redux fert omnia pacis*, alludit ad Principem ſæviente bello in aliena commoratum provincia; & inita pace ad proprias revertentem. 56.

Columba eadem cum lemmate *Venit omine fauſto*, exhibet hominem quemlibet miſſum, ut aliquid novi deferat juxta votum. 57.

EXCUR-

EXCURSUS.

Vires licèt imbecilles, si unian-tur validiores fiunt.

Columbæ plurimæ retia, in quæ inciderant ab aucupe illectæ per aera è terris avulsa sustollentes, ac in præcelsam quercum, in qua corvus nidificaverat deponentes libertati ipsæ donandæ cum lemmate *Junctis viribus audent.* Ad illos alludunt Principes, qui tametsi imbecilliores inito fœdere, junctisque viribus prævalent in præpotentem. Plurimum præsefert incunditatis fabula de corvo, & columbis, estque imbecillioribus documento. Viderat auceps industrius, corvum in patulæ, ac annosæ quercûs vertice nidum construxisse, in eòque ova peperisse, ac post incubitum exclusos fovisse pullos; & genitorem post captum cibùm proli collusisse; facturos sui juris corvum cum pullis, locum in vicinia seligit, in quo casses explicaret, omnisque generis alitibus simul insidias tenderet: opus igitur molitur, aream verrit, amites humi figit, retia pandit; alites pellices ponit, alijsque ad aucupium accuratè dispositis, milij, hordeique grana areæ inspergit, seu escam improvidis hospitibus lethalem, séque mox subducto postque arbores aliquot ex resectis frondibus, ramisque constructa casa in ea latitat emissitijs oculis exploraturos totam propinqui aëris regionem, ut si qua eminus vagabundas videat alites, vel fallaci fistula ad se trahat, vel pellice volucre alliciat, invitétque ad aream escis refertam exquisitis. Corvus è proxima quercu singula observans de suo corio lusum iri, & de prolis salute periclitari autumans nonnihil cœpit trepidare, simúlque de prole salvanda meditari; cúmque se novisset nobilium mensæ inhabilem, imò & rusticorum obsonijs insipidum, animum, quo ceciderat erigit, credens insidias illas pro alijs paratas avibus, quæ ab hominibus solent in delicijs haberi, sesqui-horam jam auceps frondibus subter viridibus insederat, cum palumbarum ecce frequens agmen in sublimi aëris regione eminùs conspicit alarum remigio proceram quercum petentium, cui vix cum insedissent subjectam aream granis inspicientes hordeaceis undique conspersam, escæ cupiditate jam captæ, invitante sui generis pellice, declinato priore cursu repentino impetu personante aura alarum remigijs in aream decidunt; sed vix insident, rostrúmque ad objecta porrigunt grana, cum latentia retia hospitum imminent cervicibus, validisque contrahentis lacertis subito coëunt, improvidas supprimunt implicántque columbas, quæ inopinato perculsæ terrore sub opere nexili circumstrepunt, conantúrque tenaces plagas rostro, alis dilacerare, ac ad pristinam libertatem sibi viam aperire, cúmque frustra singulæ laborarent, fœdáque mors immineret; omnes junctis viribus summum, quem poterant adhibent conatum in claudentia retia, sursúmque viribus coëuntes eo felici nisu sublevant, ut avulsis ex humo claviculis, quibus infixæ tenebantur plagæ, has aligeræ baiulæ per aëra deferunt, non absque ingenti aucupis b l:, qui singulis jugulatum è proxima frondosa casa accurrerat suspiciens haud absque admiratione agmen columbarum in sublimi unà cum retibus urgentium. Quid ni hocce cum onere humeris palumbarum non exiguo vagantur huc, illúcque per longè latéque exporrectam planitiem, moxque molestum deposituræ onus in sylvam revertuntur, ac in præcelsa, patuláque querca ubi corvus nidificaverat molestum deponunt onus, delata retia, quibus mox haud sine ingenti gaudio hilares se subducunt, suo quæque, quo laboraverat elabens loco, illaqueato depositis plagis corvo cum pullis. Auceps verò de sua solicitus casse, cum in quercus vertice expansum pendénsque suum conspexisset rete, præcelsam conscendit arborem dunque illud colligit, complicátque in corvi nidum incidit, matrémque cum pullis retium maculis occlusam reperit, omnésque actus in bil m trucidat, arborique ut avea exosas allidit. Fortunæ rota volubilis & inconstans, in cujus vertice, qui se constitutum credit, in infima mox decidit. Chilo ab Æsope interrogatos quid ageret Jupiter respondit excelsa deprimit, depressa extollit.

58. *Columbini* pulli ex ovis prodeuntes, quibus felis, & mustela insidiantur cum hemistichio *Vix nati cingimur hoste*, exhibent vitam humanam, quæ cum militia esse dicatur super terram non desunt hostes plures, qui eidem jugiter insidientur.

59. *Columba* in speculo sui imaginem veluti Columbam alteram aspiciens cum verbis *Fallit imago*, alludit ad mundi dignitates, & honores multum præseferentes apparentiæ, & nihil subsistentiæ.

60. *Columba* quæ procul viso Accipitre fugit, cum lemmate *Fuga tutior armis* innocentiam exhibet, quæ nec melius, neque tutiùs custoditur quàm fugâ à quavis peccandi occasione.

61. *Columba* media miluum inter, & canem hunc dentes, illum ungues intentantes cum verbis, *Concordia discors*, eos exhibet homines, qui licèt dissidentes confœderantur tamen in damnum innocentis, quia inde aliquid sperent emolumenti.

62. *Columbarum* pulli, quorum unus alteri porrectam à matre escam præripit cum lemmate *Fratrum quoque gratia rara*, alludunt ad lucrum, seu compendium, & quæstum, de quo ubi agitur, nulla valet consanguinitas, nulla amicitia, ut velit unus alteri cedere.

63. *Columbæ* plures cum alijs domesticis avibus unà pacificè cohabitantibus cum verbis *Bonorum bona societas*, bonos exhibent socios, à quibus nil mali timendum.

64. *Columbæ* binæ mas, & fœmina inter se pugnantes brevi reconciliantur cum verbis *Amantium ira brevis*, rixas, & jurgia referunt inter conjuges, brevi siquidem sopiuntur.

65. *Columba* odorifero perfusa odore, quam plures al ? sequuntur cum lemmate *Odore trahuntur*, virum refert morum innocentia insignem.

gnem, & bono sanctitatis odore laudatissimum, cujus vivendi normam plures alij imitaetur. Plurimis Religionum Institutoribus, qui seguaces habuerunt plures etiam congruit. Columba cum olivæ ramo revertens ad Arcam adjectis verbis *Cum pace revertar*, alludit ad Principem post initam pacem ad proprias revertentem provincias. Eadem Arcæ inhærens cum lemmate *Mundi melioris origo*, alludit ad eundem Principem realumentem regimen subditorum, variósque inolitos delentem abusus.

66. *Turtur* in aëre prope arborem detruncatam cum verbis *His quondam insedit ramis*, Virginem matrem indicat juxta crucem filij lacrymosam.

67. *Turtur* prope caudicem detruncatæ arboris hærens gemebunda cum verbis *Pro cantu gemitus*, exhibet Beatam Virginem dolore compressam, dum Filius cruci à Judæis figeretur.

63. *Hirundines* montes, flumina, & mare pernici volatu trajicientes cum lemmate *Cæli melioris ad auras*, ad eos alludunt, quibus cum res in una regione, vel aula non fluant ad votum, in alias se provincias transferunt meliorem acquisituri fortunam.

69. *Hirundines* plures in medio mari antennæ navis defatigatæ hærentes, ae quiescentes cum verbis *Ne fessæ mergamur*, alludunt ad crucem JESU Christi, cui necesse est adhæreamus, ut certi nostræ salutis simus, & ne in fluctuante hujus vitæ pelago mergamur.

70. *Hirundo* nidificans in tecto ædificij, sed à cavea abhorrens cum verbis *Amica non serva*, exhibet virum ingenuum, qui ita alteri amiciriam profitetur, ut propriæ nolit libertati quidquam detrahere.

71. *Hirundo* apertæ hærens caveæ cum versu Italico *Pria che la prigion voglio la morte*, alludit ad virum sibi indulgentem, & libertatis amantem.

72. *Gallina* ovis incubans cum hemistichio *Noctu incubando, diuque*, eum exhibet virum eruditione ornatum, qui fatigari nescius labore improbo opus aliquod magni momenti componit, quod postea in lucem edit.

73. *Pulli* plures Gallinam sequentes cum verbis *Vocem sequuntur*, eos exhibent, qui divinis obsequuntur inspirationibus.

74. *Gallina* inhorrescens suos circa pullos adjectis verbis *Cum infirmis infirmor*, alludit ad S. Franciscum Salesium factum omnia omnibus, ut omnes Christo lucrifaceret.

75. *Gallus gallinaceus* cantans horis antelucanis cum epigraphe *Provocat ore diem*, alludit ad virum Religiosum laudes divinas summo mane persolventem.

EXCURSUS.

An Bruta, & præsertim volucres utantur vocibus significativis, sibique invicem loquantur.

ASserit Melchior Porphyrius *lib. 3. de Abst.* naturam, omnibus animantibus, quibus sensus insunt, & memoria; sermonem tam internum, quàm externum contulisse; asseritque Apollonium Tyeneum, Thyresiam, Melampum, ac Thaletem, quos citat Delrius *lib. 2. quæst. 19. disq. Mag.* Brutorum voces significativas intellexisse, & ex earumdem flexione percepisse quid cuperent, quidque respuerent. Additque mirum non esse si omnes brutorum non intelligant voces, cum nec exterarum gentium omnia percipiant idiomata. Quòd si omnes gentea ubique locorum uno eodemque non utuntur idiomate; sed varias loquuntur homines linguas, prout variæ sunt populorum nationes; ita natura diversis brutorum speciebus diversas dedit voces, quibus distinguerentur: hinc Accipiter pipat, Acredula militat, anas tetrinit Anguis sibilat, Anser gratilat, Apis bombilat, Aquila clangit, Aries blaterat, Asellus oncat, Asinus rudit, Barrus barrit, Bos boat, Bubabubulat, Butio bubit, Capra musit, canis latrat, catulus glancitat, Cicada trinitit, Ciconia glotorat, Columbus plausilat, Columba gemit, Cuculus cuculat, corvus crocitat, Cygnus drensat, Coturnix grylissat. Equus hinnit, Gallina ante ovum glocidat, post ovum singultit. Gallus cuculat, Graculus frigulat, Grus gruit, Hirundo trinsat, Hircus musit, Leo rugit, Lepores vagiunt, Lupus ululat, Luscinia eantillat, Lynces orcant, Melcagrides eaccissat, Merula stridet, Miluus lipit, Mus mintrit, Mustella drinsat, Noctua cucubat, Cervus glocitat, ovis balat, Palumbus plausitat, Pardus felit, Passer pipit, Pavo pupillat, Perdix cacabat, Progne zinzillat, Pipiones minutiunt, Psittacus imitatur humanas voces, Rana coaxat, sorex destricat, Sturnus pisitat, Sus grumit, Taurus Mugit, Tigris raucat, Turdus trutilat, Turtur gemit. Vespersilio stridet, Verres quirritit, Ulula ululat, Upupa pipissat, Ursus oncat, Vulpes gannit, Vultur pulpat. Cum natura tot, & tam varias tum quadrupedibus, tum volucribus voces indiderit, necesse est vim etiam significativam ijsdem inserverit, quibus per varias soni inflexiones sibi invicem loquerentur, quæque appetunt, vel recusant fugiúntque ostenderent, alijsque significarent: alioquin frustra egisset natura, quæ varias indidit animantibus vocea, si hæ nullam haberent vim significandi, Porphyrio adhæret Rabbi Hebræus apud Tostatum *ad cap. 3. lib. 3. Reg. 9. 11.* & asserit Salomonem post susceptam à DEO Sapientiam à somno experrectum intellexisse cantus avium, & voces omnium quadrapedium.

Oppia-

76. Oppianus etiam apud Pinedam *Tom. 2. in Job. cap. 18. v. 3.* arbitratur Elephantis patrium inesse sermonem; & S. Augustinus *lib. de q.q. veteris testamenti*, refert non defuisse suo ævo, qui se jactaverint, intelligere cantum Gallorum, ululatum Luporum, & Elephantorum barritum. Si enim homines beneficio vocum, ac verborum sibi invicem loquuntur, amicitias, ac societates ineunt, animi sensa sibi invicem manifestant; cur bruta, & volucres unius speciei non debent invicem sensa, desideria, vota per voces proprias sibi à natura inditas communicare? & suas voces proprijs quibusdam notis distinguere, ut notat Lactantius *lib. 3. de Instit. cap. 20.* experimur aves sibi invicem occinere, ac vicissim respondere, visóque bubone, vel accipitre conclamare, alias monere, ac convocare ut sibi caveant; gallinam repertâ inter quisquilias pisa, vel semine convocare illicò suos pullos, & hos quamvis dissitos, nec Gallinam videant, vocem audiunt, ejúsque significatum intelligunt, & statim accurrunt, celeri cursu, ut unus alium nitatur prævenire, quò possit granum a Gallina per vocem indicatum deglutire: idque argumento cantum illum Gallinæ suam habere vim significativam, qua loquitur Gallina ad suos pullos, quos vocat, alioquin non venirent; quodque mirum, experimur, Gallinam alio uti clamore cum pullos evocat ad pastum; & aliô cum eos congregat sub alas; & alio cum volitante per aëra Milvo eos, ut fugiant monet; hæc omnia non contingerent nisi pulli idioma intelligerent maternum. Agnus etiam audito genitricis balatu inter milienas alias oves ad suã tantùm accurrit reliquis omissis; neque minus vocem, quàm matrem novit ab alijs distinguere; & mater vicissim balatum proprij fœtus a sexcentis alijs secernit, & ad proprium periclitantem accurrit omissis non suis: reliqua itidem bruta suas habent voces, quibus perinde ac homines hominibus; ita bruta intra suas species alijs brutis loquuntur, ac animi sui sensa manifestant. Idque ex eo firmari solet; quia si Elephas in cœnum ceciderit, & clamaverit socius statim accurrit opem præstiturus, quòd si solus non sufficiat cœno immersum extrahere, sylvas percurrit alios vocaturus, & rediens gregem secum adducit Elephantorum, qui mutuis auxilijs immersum è cœno extrahunt. De scorpio Lybico etiam legitur, quòd si solus hominem ferire non valeat, socios etiam evocet, & omnes simul hominem aggrediuntur, ad quod præstandam annulatim se uniunt.

77. Albertus Magnus *lib. 8. de Animal. cap. 2.* refert obtigisse Coloniæ Agrippinæ, ut passer nidum occupaverit hirundinis, quæ cum se imparem novisset passeri expellendo, ab alijs statim suppetias petijt, quæ opem allaturæ accurrentes; omnes ad lutum colligendum se accinxerunt, illúdque rostro, alijs, ac pedibus perferentes, simúlque facto impetu ad nidum detulerunt, ejúsque ostium eâ celeritate extrinsecus obstruxerunt, ut pervicax passer in occupato nido, velut in carcere undique clauso fame perire adactus fuerit. Narrat Porphyrius *lib. de Abstin.* Apollonium Tyanæum in colloquentem cum sodalibus hirundinem incidisse, & interrogatum a socijs ut gnarum sermonis brutorum, quidnam bestiola illa bipes pennata garrivisset? illis respondisse; hirundinem illam ingenti perfusam gaudio alijs retulisse, asellum frumento onustum non procul ab urbis janua cecidisse, & frumentum ex lapsu humi effusum, ac opportunum avibus esse pabulum; & illac statim turmatim avolâsse, ac propriæ abundè consulvisse fami. Aristoteles *lib. 4. histor. animal. cap. 9.* & Plinius *lib. 10. cap. 29.* asserunt, Luscinias pullos suos edocere vocem ad numeros modulari, & ad omnem concentûs varietatem, & artificiosas inflectere argutias: ait Plinius: *Meditantur juniores, & versus, quos imitentur accipiunt;* audit discipula attentione magna, & secum tacita prius repetit audita, quæ postea altiori voce palam depromit; quòd si erratum in aliquo fuerit, corrigitur à magistra, donec error emendetur: hæcque ratio, cur lusciniæ pulli adhuc rudes è nido rapti, & in caveis educati minus suaviter, & concinnè canant, quam in sylvis enutriti, & a parentibus cantum edocti, vocisque varias inflexiones: in sylvis enim, veluti in schola docentibus parentibus addiscunt: quæ in caveis veluti ad perpetuum damnati carcerem audire nequeunt. Præterea ait Philosophus in eod. lib. 4. histor. Animal. Bruta non semel etiam articulatè tam sibi, quàm hominibus fuisse loquuta: & constat etiam *Num. 22. v. 28.* Asinam fuisse Balaamum allocutam, & conquestam, quod tam dirè verberibus exciperetur, ac baculo pulsaretur. Christophorus à Costa, *in histor. Indiar.* narrat, à se auditum Elephantem indice loquentem, & adeo exactè Indorum calluisse idioma, ut animi sui sensa valuerit alijs indicare. Exploratum itidem est sæviente bellô Annio heiô fuisse bovem locutum & vocibus articulatis dixisse: *Roma cave tibi*, ut refert Ludovicus Vives *in comment. in lib. 4. S. Augustini de civit. cap. 31.* Livius itidem *lib. 24. histor Rom.* narrat Bello civili Antoniano Bovem urgenti se stimulis aculeatis dixisse non defuturũ tum nisi fed homines, qui illud ederent: indicavit bello illo civili plures esse proprij cruoris fusu extinguendos. Mirabilius adhuc est quod Conradus Gesnerus *in sua Ornithologia tit. Luscinia num. 60.* refert de colloquio trium Lusciniarum ad invicem: ait ipse. Dicam tibi de lusciniis sermonem hominum imitantibus, mirandum quiddam, ac propemodum incredibile, quod tamen verissimum est, & ipse his meis auribus audivi, atque expertus sum proximis comitijs Ratisbonensibus anno 1546. cum isthic in publico diversorio ad auream coronam agerem. Habebat hospes tres luscinias separatim in caveis; ita ut singulæ seorsim nutrirentur in caveis opacis: per id verò tempus vernum, quo alioquin lusciniæ die, noctuque non interrupta voce cantillant, adversa valetudine ex calculo ita laborabam, ut quam minimum mihi somno indulgere liceret: cum circa, & post

mediam noctem, cum nihil usquam turbarum esset, miras altercationes, & æmulationes duas luscinias germanico idiomate inter se colloquentes audivi, & planè hominum imitantes sermonem; & quiquid interdiu ab hospitibus colloquentibus inaudierant, invicem repetebant; & præ cæteris duas potissimum Historias prolixè à media nocte, ad auroram usque retulerunt, & ea quidem modulatione sua nativa, & vario inflexu vocis, ut nisi intentus nemo hominum facilè ab illis bestiolis expectasset, vel animadvertisset: & quærenti mihi ex Hospite num linguæ earum novacula fortasse solutæ essent, aut alioquin eloqui edoctæ? respondit nil de hisce scire. Hactenus Gesnerus.

78. Verùm licèt concesserim Bruta animalia habere voces, & alia æquivalentia signa significativa naturaliter; non tamen dixerim, inesse illis sermonem propriè dictum. Neque hactenus relata quid aliud evincunt, quàm bruta voces suas habere, & signa significativa molesti, & jucundi: natura enim illis contulit quæ necessaria sunt ad eorumdem commodum statum, & ad id sufficiunt signa naturaliter significantia molestum, & jucundum. Totum enim commodum in brutis est esse, & uti sensibus: unde omnes affectiones brutorum ordinantur ad vitæ conservationem per fugam molesti, & prosecutionem jucundi; adeout voces brutorum significent hæc duo, ut lætentur de objecto jucundo, & tristentur de molesto. Quòd verò hæ voces non sint propriè sermo ex eo evincitur, quia sermo propriè supponit intellectum, quo bruta carent. Prærequiritur enim ad sermonem cognitio distinctiva, & comparativa signi cum re significata, debet enim sermo procedere ex intentione loquentis: & in brutis non datur cognitio hæc distinctiva, & comparativa: ergo nec sermo, propriè dictus.

79. *Gallus* cantans cum Virgiliana epigraphe, *Cantu ciere viros*, concionatorem refert consopitos in vitiis excitantem ad pœnitentiam, & diurnum veræ conversionis opus.

80. *Gallus* indicus cum hemistichio ab Ovidio deprompto *Ora tument irâ*, alludit ad virum admodum pronum ad iram. Gallus indicus adeo tumidus, & facilis ad iram est, ut vix inter aves parem habeat.

81. *Avis paradisiaca* seu Manucodiata in aëre medio adjectis verbis *Ima despicit, Summa tenet*, Virum Religiosum soli Deo hærentem, divinisque assiduum contemplationibus refert.

82. *Manucodiata* sursum nitens hiante ore cum lemmate *Cælesti vescitur aura*, Virum Deo innixum, ac cœlestibus contemplationibus prodit addictum.

83. *Manucodiata* in medio aëre cum verbis, *Terrenæ nil fæcis habens*, Virginem matrem ab omni immunem macula peccati originalis signat.

84. *Manucodiata* pullos suos super dorso jacentes sursum deferens cum verbis *Meos ad sydera porto*, alludit ad directorem spiritualem viam docentem perfectionis.

Pavo caudam explicans, rotánsque cum lemmate *Proprios ostentat honores* alludit ad virum vanum propriarum laudum ebucinatorem. 85.

Pavo depictos in explicata cauda ostentans oculos cum verbis *Quàm multi, quàm cæci omnes*, homines refert mundi pompis, ac sæculi addictos vanitati, præferentes terrena cœlestibus, fluxa æternis, quod cæcutire est, & fucata bona sequi, veris neglectis. Si Pavoni rotanti caudam adjiciatur hoc lemmate *Vanum posthabet orbem*, convenit viro prænobili, qui abdicata mundi vanitate flocci facit omnẽ sæculi splendorem, & soli Deo servire est illi cordi. 86

Psittacus Brasiliensis eleganter discolor cum hemistichio *Dat sine mente sonos*, virum exhibet lucupletem, multóque auro fulgentem garrulum, ac multiloquum, sed sine judicio, absque prudentia.

Psittacus sonos hianti ore edens loquentem hominem imitatur cum verbis *Parem scit reddere vocem*, alludit ad eum qui loquitur ex alterius sententia. Vel repetit ab alio jam dicta. Vel quæ ipse non composuit, recitat tanquam propria. 87.

Struthio-camelus clavos ferreos, annulósque itidem ferreos deglutiens cum verbis *Mihi durissima prosunt*, Virum exhibet patientiæ exercitio clarum pro Christo adversa omnia æquo animo tolerantem. Cum hoc versu Italico *Al mio calor ogni durezza cede*, alludit ad Religiosum divino æstuantem amore, & zelo; & cui in procuranda proximi salute plura obviant obstacula, quæ tamen superat. 88.

Struthio-camelus nitens expansis alis sursum volare cum Italico versu, *In vano scuote i vanni*, illum exhibet aulicum, qui omnem adhibet industriam, omne studium, ut dignitatem aliquam assequatur, sed propria frustratur spe. 89.

Anser rostro plantam nitens evellere hac inscriptione *Deficiam, aut efficiam*, allusi ad Electorem Bavaricum Maximilianum Emmanuelem pertinaci obsidione munitissimam arcem Namurci vallantem, sibique proponentem antea mortem oppetere, quàm arcem non occupare, aut præsidiarios milites ad deditionem non adigere. 90.

Anseres ad Capitolium Romanum sonos edentes nocte intempesta cum verbis *Bene si opportunè*, homines exhibet prudentes opportunè loquentes. Vel etiam exploratores opportune monentes hostis accessum. 91.

Olor aquis innatans cum lemmate *Abluor haud obruor*, Virum prodit asceram summis assuetum virtutibus exercendis, quem afflictiones, adversitates, ærumnæ exercent non obruunt. Olor sub lauro cum verbis *Nil fulmina terrent*, illum refert, qui cum pericula imminent plenam in Beatam Virginem fiduciam habet, sub cujus vivit protectione. Cum epigraphe *Sibi funera cantat*, ad S. Senem Simeonem alludit, qui morti proximus suum edidit cantum. Cum verbis *Candor illæsus*, refert virũ sæcularẽ, qui inter pericula plura peccandi, malósque socios suam integritatem incorruptam 92.

ptam tuetur. Olor Favonio flante cum verbis *Subter nigerrima cutis*, Vitum exhibet hypocritam, cujus virtus fucata, & umbratilis in extimo tantùm fiftit cortice.

93. *Avis* rete capta, eidémque alligata ad alias alliciendas cum hemistichio deprompto ex Metamorph. Ovidij *Deceptaque decipit omnes*, ad juvenem alludit moribus corruptum, ac vita perditum, quique eſt alijs occaſio in caſſes tartarei aucupis incidendi.

94. *Carduelis* diſcolor eleganter depictus in viſcato bacillo, cui fingit hærere, ad quam propterea plures aliæ ejusdem ſpeciei aviculæ advolant cum verbis *Nimium ne crede colori*, alludit ad virum fraudulentum, vel adulatorem, aut fucatum amicum ſub ſpecioſo amicitiæ titulo tentantem alteri aliquod inferre nocumentum.

95. *Avis canora* in cavea cum fele infra caveam, quam non valet attingere cum verbis *Captiva ſed ſecuris*, Monacum præſertim Carthuſianum exhibet in propria cella, perinde ac in cœlo contentum, ac ſecurum, utpote procul à periculis, quæ inter hominum frequentias paſſim imminent. Cum hac epigraphe *Aliunde paſcitur*, virum etiam prodit Religioſum, qui neglectis ſuis negotijs, omnes ſuas ad Deum convertit cogitationes. Avis in cavea cantans cum verbis *Amiſſa libertate lætior*, Religioſum prodit lætum, & alacriter negotium agentem propriæ ſalutis, occupatúmque in divinis laudibus perſolvendis.

EXCURSUS.

De Amore cellæ, & ſolitudinis.

Avis fovendæ ſuboli nido incubans cum lemmate *Hæc mihi ſola quies*, virum prodit Religioſum cellæ immorantē, ubi imperturbata fruitur quiete, & è cella ad cœlum tutum ſibi parat iter. Avicularum nidi, inque his conſtruendis labores, ac ingenium multiplicem ſuppeditant admirationis ciendæ materiem; adeo docente natura, ejusque ductu concinnè, ac affabrè nidos aves compingunt ſuos, ut ex hominibus vix unum reperias, qui tanto opificio conſtruendo pari ſedulitate manum amoveat; quippe in ſuis volucres fingendis nidis: non una, ſed varia progrediuntur ratione. Quædam ex aviculis ſuos humi nidos figunt, quos vel gramini, vel inter vepreta muſco, vel in agro glebis committunt, ut alauda, corruca, philomela, perdix, coturnix, Phaſianus, ficedula, pygargus, gavea. Aliæ ſuos in dumetis nidos conſtruunt, & arbuſtis nidificant, locisque magis editis, ac in arboribus, ut merula, turdella, carduelis, lingulaca, turtur, otis, epops, ſturnus. Aliæ editiſſimarum arborum vertici ſuos concredunt nidos, vel denſioribus earumdem frondibus, furcisque ramorum, ut cornix, pica, garrulus, ardea, accipiter nilus, palumbus, miluus, fringilla. Plures cavernoſis etiam ſe abdunt arboribus, earúmque latibulis, ut parix in arundineto oberrans, bubo, monedula, & omne picarum, ſittarúmque genus. Aliæ rimas quærunt parietum, quibus geniali ſe indont ſtimulo, ut veſpertilio, motacilla. Aliæ hominum delectatæ conſortio domuum fornicibus nidos ſuos cœno conflatos agglutinant, ut hirundines. Aliæ non tecta ingrediuntur larium, ſed domorum culminibus ſuos appingunt nidos, vel fumiferis caminis, ut ciconia. Aliæ litorum cuniculis ova ſua concredunt, pullúsque producunt, ut Iſpida, ſive alcedo, motacilla, regulus. Ex avibus carnivoris aliquæ editioribus montium delectantur jugis, rupiúmque diſruptis faſtigijs, quò minus hominum pertimeſcant rapinas, ut falco Æſalon, corvus. Quædam ſunt paluſtres in carecto pariendorum, excludendorúmque ovorum hoſpitium ſibi aſſumentes; quamvis hæ ipſæ latices nidulationibus haud faventes averientur, ut mergus, querquedula, capellon, anas ſylveſtris. Quod verò longè majorem ingerit admirationem ingenium eſt manucodiatæ in nidulando, prolèque procreanda, hanc tenet à nullis alijs avibus uſurpatam rationem. Supra nubes in media aeris regiona à terreſtri defœcata infectione ut plurimum verſantur manucodiatæ à ventorum, imbrium, ac procellarum incommodis prorſus immunes. Cum igitur nullum cum hiſce inferioribus commercium nectant puriſſimo fruuntur aëre, gaudéntque ſolis jubare; quippe natura nec alas eis conceſſit, neque pedes permiſit, quos figerent in loco; inque ſolo æthere defœcatiore quietem capiunt extenſa, & in orbem diducta purpurea cauda pectore ſui parte ſublimi aëre ſe ſe librantes, pendulæque immorantes, noctúque ſomno ſopiuntur libratæ. Formâ hirundinem, corporis mole coturnicem videntur manucodiatæ referre, plumis undique veſtitæ ſubtiliſſimis ac denſiſſimis diſcoloribus ad ſingularem venuſtatem, ac elegantiam pictis naturæ ingenio. Caudam explicat manucodiata muricinam, igneóque coruſcam colore, duas longitudine ſpitamas excedit, quam vel compreſſu contrahit, vel in ſublimi æthere ſtans, aut aſſurgens in orbem conformat, circulúmque deſcribit, officis exercente cauda alarum, ac pedum. Nidulationi ac fœturæ datura operam parturiens fœmella, maſculi cavo ad id à provida natura deſtinato ac propterea, in ſinus modum effecto ſcapilio in ipſo æthere ova ſua parturit, quibus mox inſidet, ac ſocij tergo ſinuoſo calcaneo utero agglutinatur, utque ibidem fixa, ac immota hæret in incubatu; quippe ambo conjuges duobus filis alterius corpori adnatis ſibi invicem tandiu devinciuntur, quamdiu fœtuum operam mater præſtet completam, ac fœtum enititur, perducitque ad maturitatem ſufficientibus inſtructum plumis, ac libero ætheri emittit.

In domicilij ſtructura commendandæ ſunt ingenioſæ ac induſtriæ apes, hæ ſibi domunculas conſtruunt ordine quincunciali, opus verè abſolutiſſimū homini vix ulli imitandum; quibus non tam roſcida mella, quam ſobolem collocant, ſeque ipſas in ijſdem à brumali vindicant frigore.

96. *Corvi* plures cadaver rostris, & unguibus discerpentes, ac lancinantes cum verbis *Procul si viveret*, ad eos alludunt, qui mortuos, quos ampliùs non timent convicijs, ac satyris lacessunt; ac contumelijs, aliisque maledictis detrahunt ijsdem honorem. Corvus serpentem ore tenus capiens cum inscriptione *Ne retorqueat ora*, Doctorem Theologum signat, contra hæreticum disputantem, quem ex suis ipsius principijs ita refutat, ut nec os ampliùs audeat aperire. Corvus lapides injiciens in valde angustum vas media tantùm sui parte oppletum aqua, ut hæc occupato vasis fundo ab injectis lapidibus ad partes assurgat superiores donec hauriri possit à Corvo ad extinguendam sitim cum lemmate *Labore*, *& industria*, alludit ad virum industrium necessaria sibi comparans tolerato labore, ac industria. Corvus cum verbis *Carnivorus usu caustus*, rudem prodic Poëtam, qui non nisi satyras rusticano scribit stylo.

97. *Avis* cassibus irretita, séque vehementer agitans, ut locum inveniat evadendi cum verbis *Serò sapit*, eum designat bellatorem, qui incautè permisit, se ab hostibus claudi in locorum angustijs, à quibus nititur liberari. Convenit etiam cuilibet minùs cautè agenti, quem pœnitere facti nil postea prodest.

98. *Aves* plures in aëre pugnantes cum lemmate *Certamine gaudent*, fuit Symbolum Academiæ Al orphinæ, ut innueret disputandi ardorem, qui inter illos Academicos viget; ut mutuis exercitijs magis proficiant. Avis rapax piscibus insidians cum verbis *Et in latentes*, alludit ad Præfectum bellicum arcem in medio flumine sitam expugnantem. Aves plures in aviario cum verbis Virgilij *Nec spes ulla fugæ*, alludit ad præsidiarios milites obsessæ arcis; vel navis à pluribus alijs bellicis oppugnatæ; non enim evadere possunt mortem, aut captivitatem. Aves à Noctua captæ cum verbis *Ludendo capimur*, Libithinam signat, in cujus casses omnes homines incidunt, etiam cum minus cogitant de morte inter lusus, & choreas. L scinia in opaca sylva modulans cum verbis *Desertum facit esse disertum*, convenit S. Joanni Baptistæ Christi præcursori, ac prædicanti in deserto. Avicula in cavea minutas urnulas rostro ad se trahens ad vitam sustentandam necessarias hac epigraphe *Hoc opus hic labor*, alludit ad Adamum post peccatum vescentem pane in sudore vultûs sui.

99. *Alauda* ex humo sursum avolans, simùlque modulans cum inscriptione *Concino dum elevor*, alludit ad virum pium, qui si promoveatur ad altiores honores debitas Deo rependit laudes, & grates. Cum hoc alio lemmate *Quò altius, eo suaviùs*, viro congruit contemplativo.

100. Accipitres prædam intuentes, & illi inhiantes cum verbis *Bella parant*, alludunt ad piraticas in mari naves, quæ si onerariam viderint toto nisu eam insequuntur, ut expugnent, adigántque ad deditionem. Accipiter perdicem pedibus tenens, aliámque persequens cum hemistichio *Parta tenens non pacta sequor*; congruit avaro referentem omnia ad propriam utilitatem; solis inhians lucris. Accipiter è manu aucupis dilapsus, & per aëra pernicissimo volatu discurrens cum verbis. *Quo me vocat insita virtus*, alludit ad virum generosum cupientem specimina propriæ virtutis exhibere. Falco pugno hærens aucupis cum verbis *Ad nutum*, signat obedientiam Religiosi.

Bubo avis nocturna cum hemistichio *Habitat meus cauta recessus*, viro congruit sapienti recessus quærenti, ut sibi vacet. Noctua cum verbis *Nox illuminatio mea*, convenit S. Dionysio, qui in eclypsi, quæ contra rerum ordinem contigit in nece Christi suam incohavit conversionem. Convenit etiam cuilibet qui ex gravi adversitate, ac imminenti periculo ansam sumit cautiùs procedendi. Vespertilio post solis occasum è suo exiliens foramine volánsque per creperum aëra cum verbis *Seras nuntiat horas*, Convenit senectuti prænuntiæ proximæ mortis. 101

Grus stans uno pede cum lemmate *Semper in excubijs*, viro convenit invigilanti, ne quid mali sibi contingat. Præfecto bellico etiam accommodatur præsertim adjecto hoc alio lemmate *Vigilat nec fatiscit*. Ciconia serpentem interficiens cum verbis *Sæva sævis*, congruit Justitiæ punienti delinquentes. 102

EXCURSUS.

An Bruta animalia sint disciplinæ Capacia.

Plerique in ea fuerunt sententia, ut autumaverint esse bruta disciplinæ capacia, eo quia plura ab hominibus instructoribus addiscant, suisque obediant heris, intelligant, quæ ab ijsdem præcipiuntur, & ea exequantur; solentque ad id evincendum innumera propemodum adduci experimenta. Albertus Magnus apud Toletum *lib. 3. de An. q. 8.* ait visum à se murem, qui ad imperium heri candelam convivis præferret, quo exemplo redarguit falsitatis C. Plinij placitum qui contendebat, *lib. 10. cap. 45.* Ex volucribus Hirundines & ex terrestribus mures indociles esse. De Sacerdote Helvetico narratur in oppido non procul Lucerna feliciter erudivisse aliquot animalia quæ mutuis antipathijs sibi insidiantur, necémque moliuntur, ad pacificè simul conviven dum, seu instituisse *Avem, felem, murem, & canem*, ut cymbalo ad cœnandum convocati illicò se sisterent, & simul in eodem vase appositum sibi obsonium familiariter sumerent, séque absque ullo timore reficerent; hujus rei se testem oculatum fatetur Claudius Frere in *Theor. Phisico-Metaphy. sect. 12. conclus. 3.* 103

Ælianus refert, fuisse apud Indos regem, 104 qui habuerit corporis sui custodes Elephantes 24. sibi per vices in statione succedentes; & ita vigiles pernoctasse, ut nec ad nictum quidem oculi dormitarent. Imò Plinius *lib. 8. cap. 2. & 3.* ait Elephantes adeo dociles esse, ut plures ex ipsis didicerint ab hominibus instructoribus an, bu-

ambulare in funibus; & ad numeros saltare, ac choreas ducere: & alij ad discendum tardiores, quia ea de causa à magistro vapulaverint deprehensi sunt noctu motus, flexúsque corporis quos edocti fuerant repetere ad lumen lunæ & per repetita exercitia perdiscere, ne ampliùs vapularent à magistro. Philostratus refert à se visos elephantes ad fistulæ numeros saltitantes, imò & scribere calamo, & literas efformare. Ælianus *lib. 2. cap. 11.* narrat vidisse se unum elephantem in prægrandi tabula literas, quas vocant Romanas promuscide scribere non contortè non hiulcè, sed rectè, ac eleganter. Elephantes itidem teste Plinio *lib. 8. cap. 1.* Regem cognoscunt, venerantur, coronas ei porrigunt, caput submittunt.

105 De Ursis testatur Olaus Magnus *lib. 16. cap. 27.* eos in Lithuania, & Russia Choreas ducere, & absoluta saltatione accepto pileo vacuo, aut vase, munuscula, vel pecuniolas petere ab spectatoribus. Coturnices, & columbas functas fuisse munere Tabellariorum asserit Alexander ab Alexandro *lib. 1. cap. 17.* Ælianus refert *lib. 17. cap. 26.* Leones Indos ita cicurari, ut frœno se duci sinant, & ad rapiendos hinnulos, cervos, apros, sylvestres tauros, & onagros instar canum agi, & *lib. 1. cap. 39.* de Hannone Carthaginense, ait, quòd primus omnium cæperit Leones, Tigrides, aliásque immansuetas feras cicurare. Mirum videtur, & difficile creditu, quod asserit Plinius *lib. 8. cap. 16.* Berenicem, Leonem nutrivisse, ac adeo familiariter cicurâsse, ut eo veluti ancilla heræ ornatrice uteretur; lingua reginæ vultum perpoliret, rugas complanaret, maculas detergeret, urbanè & modestè cum ipsa comederet. Veræ tamen narrant Historiæ, Marcum Antonium, primum jugo Leones subdidisse, & Romæ ad currum junxisse cicures. Quid tigride truculentiùs? sed nec ista disciplinam respuit ait Seneca *lib. 12. Epist. 86.* Certi sunt Domitores Ferarum, qui sævissima animalia ad occursum exterrentia hominem, docent jugum pati; nec asperitatem excusisse contenti, usque ad contubernium mitigant: Leonibus magister manum insertat, osculatur tigrim suus custos; Elephantum minimus Æthiops jubet subsidere in genua, & ambulare per funem.

106 Non solùm quadrupedia capacia sunt disciplinæ ob docibilitatem; sed etiam aves docíles in addiscendo, ac imitando humano Sermone hominis loquelam, præsertim Psittaci, Sturni, Picæ, Galaritæ, Perdices, Cornices; neque id nemo ibit inficias, cum exploratius sit, quàm ut in dubium revocari possit; idque testentur exempla pleraque tum antiqua, tum recentia: ait Ælianus *lib. 16. c. 2.* quemadmodum pueri erudiuntur; ita Psittaci humanæ vocis usum addiscunt, reddentes verba, quæ didicerunt, sermonisque humani imitatione loquaces evadunt. Punitur etiam in ipsis discendi tarditas, ut in pueris: ait Plinius *lib. 10. cap. 41. Dum enim loqui discunt ferreo verberantur radio: non sentit aliter ictum; nam capiti eadem durities, quæ rostro:* & de avium docilitate pudit. *Humanas voces reddunt Psittaci, & quidem sermocinantes. India avem hanc mittit, viridem toto corpore, torque tantum miniato in cervice distinctam. Imperatores salutat, & quæ accipit verba pronuntiat.* Ad quod videtur allusisse Statius cum de Psittaco dixit *Ille salutator Regum, nomenque loquutus Cæsareum.*

De Pica volucre Plinius *loc. cit.* sed expressior loquacitas certo generi picarum est, adamant verba, quæ loquuntur; nec discunt tantùm, sed diligunt, meditantésque intra semet; cura atque cogitatione intentionem non occultant: constat emori victas difficultate verbi, ac subinde nisi eadem audiant memoria falli, quærentésque mirum in modum hilarari, si interim audierint id verbum. Agrippina conjux Claudij Cæsaris Turdum habuit, imitantem sermone hominum, cum hæc proderem; habebant, & Cæsares juvenes sturnum, item & luscinias, græco, atque latino sermone dociles; præterea meditantes in diem, & assiduè nova loquentes longiore etiam contextu. Hactenus Plinius *lib. 10. cap. 42.* qui de corvis cap. 43. subdit de corvorum intelligentia. Corvus Romæ in Sutoris maturè sermoni assuefactus omnibus matutinis forum versus evolans in rostra, primo Tiberium, deinde Germanicum, & Drusum Cæsares nominatim; mox transeuntem populum salutabat, postea, ad tabernam remeans violento fato interimitur. Addit Plinius. Hunc corvum sive æmulatione irritatus manceps, seu curator publicorum operum, sive iracundia subita, ut videri voluit, exanimavit; tanta plebis consternatione, ut primò pulsus ex ea regione, mox & interemptus sit, funúsque alitis celebratum exequijs, constratum lectum super Æthiopum duorum humeros præcedente tibicine, & coronis omnium generum ad rogum usque: adeo satis justa causa Populo Romano visa est exequiarum ingenium avis, aut supplicij de cive Romano in ea urbe, in qua multorum principum nemo duxerat funus. 107

Mira sunt quæ de Pica imitatrice huma- 108
ni sermonis narrantur. Niphus testatur à se Picam auditam tam exactè vocem imitari venatoris, ac fingere heri loquelam, ut canes, & famulos deceperit. Pausania refert, Picam infantis vagitum tam dextrè expressisse, ut Herculi occasio fuerit inventi filij Æchmagoræ. Oppianus asserit, Picam adeo esse docilem, ut voces omnium fere animalium imitetur, modò instar vituli mugire, nunc instar ovis balare, & instar pastoris sibilare. Plutarchus *de solertia animal.* ait: Tonsor quidam Tonstrinam habebat ante Templum, quòd forum Græcum appellant: is mirifice vocalem, & garrulam alebat Picam, quæ & hominum verba, & voces brutorum redderet, instrumentorúmque sonos, non cogente quopiam, sed quòd ipsa studeret omnes voces prodere, nihilque non sonorum exprimere tacendo: fortè evenit, ut in ea vicinia Dives quidam efferretur multis tubis accinentibus; cumque pro more ibi locorum fieret cunctatio, Tubicines, quia placebant, jussi sunt diutius cantum producere: quid ab illa pica ita muta; ita omni voce de-

stituta fuit, ut ne ea quidem, quæ necessaria sibi solebat indicare ederet; silentium illud repentinum omnibus admirantibus, variisque varias ejusdem causas assignantibus: Verùm alia non fuit causa, nisi tacita in interno sensu exercitatio, ac vehemens meditandi studium, quo sonum illarum tubarum exprimeret; illicò enim rursus emicuit, nil ampliùs vocum usitatarum depromens, sed solum cantum tubarum, quas tanto imitabatur ingenio, ut omnes mutationes, ac numeros proportionum perfectè exprimeret non absque audientium admiratione. Kircherus in sua Musurgia *lib. 1. cap. 14. §. 3.* ut vitam a se Picam, quæ non loqui tantum, sed & cantare didicerat, & quidem tanta industriâ, ut eam non videntes, ex solo auditu arbitrarentur hominem esse, qui garriret, juxta illud Mart. in Xenijs

Pica loquax certa Dominum te voce saluto,
Si me non videas esse negabis avem.

109 Refert prætatus Kircherus à se itidem Romæ auditam aviculam in cavea ex illa alaudarum specie, quam Callandram vocant, quæ litanias sanctorum quasi humana voce pronunciaret. Et ipsemet testis oculatus, & de auditu fateor à me auditam Monachij in Bavaria aviculam, quam in cavea nutriebat musicus Serenissimi Electoris ex ijs, qui fistulâ ad musicas notas canere solent in camera Principis. Fuit hæc avicula ex illarum specie, quæ ab Insulis Canarijs passeres vocantur Canarij, qui in Germania servantur, & aluntur in hypocaustis ubi nidificant suis in caveis, ex quibus pullum unum marem emerat musicus, quem in cavea nutriebat, cùmque singulis diebus mane priusquam domo exiret musicus fistulâ ad musices sonos, notás ue luderet ad propriæ artis exercitium; Cantius passer, qui eadem nutriebatur in camera fermè per sex menses tacuit, & tantum aliquoties sub nisla voce, audiebatur aliquid non dissimile à sono fistulæ canere, cumque musicus æstate per mensem abfuisset, cœpit passer Canarius tam exactè ad notas musicas repetere quæ audierat, ut perfectè fistulam imitaretur; crederetúrque à non videntibus avem, sed ab audientibus, esse musicus ipse, qui fistulâ caneret juxta morem, non avicula, quæ musicum, & fistulam imitaretur. Et mihi, cui contigit ex proximo alio cubiculo audire aviculam quasi fistulâ canentem, nemo persuasisset, passerem Canarium esse, qui ita fistulaterut, & asservissem perfectum esse fistulatorem musicam callentem artem.

110 Narrat Engelgrave in suo Empyr. conc. 1. §. 4. Batavum quemdam nobilem Orthodoxum Magno sibi pretio ab Heterodoxo Psittacum emisse, qui non aliud consueverat clamare, nisi quod perversè ab hero heterodoxo fuerat edoctus. *foras Papa, foras Papistæ*: sed sensim à novo hero orthodoxo brevi aliter instructus clamavit imposterum *Vivat Papa vivant Papistæ*. Cœlius Rhodig. refert, *lib. 3. Antiq. Lect. cap. 32.* à Cardinale Ascanio emptum fuisse centum nummis aureis Psittacum, qui totum Symbolum Apostolorum articulatim, & clarà voce recitaret; & Nieremberg in lib. Histor. natur. cap. 44. asserit, alium Psittacum fuisse à pijs quibusdam nautis ita edoctum, ut conceptis verbis S. Thomam Apostolum Indiarum salutaret; *sancte Thoma ora pro nobis*: adfuit sanctus Apostolus, opémque tulit, nam cum Psittacus ab infesto & carnivoro miluo impetitus jam jam in aëre abriperetur, ac inter raptoris ungues quasi detineretur expressis verbis dixisset juxta morem *Sancte Thoma ora pro nobis*, miluus tanquam fulmine percitus inspectantibus, simúlque admirantibus, qui aderant, prædam illæsam reliquit.

Simile quid contigisse cuidam avi enutritæ diu in aviario refert S. Merlerus apud Engelgrave *part. 2. Panth. concione de Assumptione* V. Mariæ, ubi ait, ævo suo extitisse e magnatibus quendam singulari in Deiparam pietate conspicuum, qui domesticis suis non solùm in Virginem matrem, amorem, & venerationem summam commendavit; verùm præcepit, ut à quocunque vocarentur, statim responderent *Ave Maria*, quæ consuetudo adeo cordi fuit hero, ut domi nil frequentiùs audiretur, quàm *Ave Maria*; adeout volucris ipsa, quæ in aviario alebatur frequenter repeteret easdem voces *Ave Maria* & quidem adeo articulatè, & expressè, ut vix ab humana voce distinguerentur: contigit ex incuria, ut famulus, cui demandata erat volucris cura ostiolum apertum reliquerit; nacta avis occasionem repetendæ libertatis extra aviarium evolavit, sed vix liberum aërem circumvolavit in accipitrem incidit, qui pernici volatu in eam irruens unguibus jam cæperat dilaniare, cum volucris lacta jam præda accipitris consuetas deprompsit voces: *Ave Maria, Ave Maria* mirum dictu ad has ingeminatas voces quasi fulmine ictus accipiter exanimis in terram cecidit, toto quem confecerat aëris tractu teterrima mephiti infecto; & volucris periculum cum evasisset in consuetum aviarium sponte reversa pluries ingeminavit *Ave Maria, Ave Maria*. 111

Confisus hac avium docilitate Hanno Carthaginensium Princeps, divinos se posse consequi honores speravit, ut refert Engelgrave in suo Panth. conc. 1. ad hunc finem fere omnis generis vocalium volucrum, quæ voces humanas imitari addiscunt cujusmodi sunt Picæ, Monedulæ, Psittaci, aliæque similes, has non vili pretio emptas curavit in pluribus aviarijs enutriri, ac edoceri ut distinctè, ac articulatè hæc verba proferrent, *Hannon est Deus*, & alias aves ad similia verba proferenda edocerent; ut nomen Hannonis Dei obique personaret, posséque cum Ovidio *lib. 2. Fast.* canere ipse: *Jam cantitur toto nomen in orbe meum.* 112

Non solùm vocibus imitandis humanis, verùm etiam venatui assuescunt aves. Ælian. lib. 4. cap. 26. asserit captos aquilarum, Corvorum, ac Miluorum pullos ab Indis cicurari & venationem edoceri, ijsque uti ad capiendos lepores, vulpes, & alia id generis animalia. Testatur etiam Albertus, à se visum corvum, qui perdices caperet, quas hæro, seu instructori detulit. Idque confirmat Perottus apud Aldrovandum *lib. 12. cap. 1.* ubi refert se vidisse 113

disse Neapoli apud Regem Alphonsum quemdam corvum album, a rege Britanniæ, ei dono missum, quô Rex utebatur ut egregio venatore ad capiendos phasianos, & perdices. De perdicum docilitate refert Nicolaus de Nicolais *lib. 2. de navig. Orient. c. 8.* in Insula Chiu moris esse, ut rustici perdicum turmas nutriant, non secus ac si mansuetissimæ essent oves; adeo ut interdiu adhibitis custodibus, ad vicinos colles, & montes dimittant ad victum sibi quærendum; sub vesperam custodes adhibito sibilo, eas revocant, congregantque ut ovium greges, & omnes simul domum reducunt. Idque confirmat Odericus de Foro Julij inquiens in sua Historia. In regione circa Trapezuntem (quæ olim Pontus dicebatur) Vidi hominem ducentem secum supra 4000. Perdicum, cum is pedestre haberet iter, perdices per aëra volabant, quas ducebat ad quoddam castrum nomine *Thanrga* quod à Trapezunte distat itinere tribus diebus: quòd si Ductor quiesceret, perdices cum ipso quiescebant, comedebant quæ ab eodem exhibebantur grana. dormiebant nocte, & summo mane expergefactæ inchoatum iter prosequebantur.

114 Neque minorem censeas equorum docilitatem, & *ingenium* ut loquitur Plinius *inenarrabile.* Refert Plinius lib. 8. cap. 42. equos nonnullos adeo fuisse instructos, ut famoli munus, ac Armigeri obierint officium, & equiti insessori tela humi jacentia ore porrexisse. Hoc idem confirmat Augerius Busbequius *Epist. 3.* de equis Turcarum, qui & ipsi bacillum, sagittam, gladium vel dilapsum ab hero, vel humi jacentem ore arreptum porrigunt insessori. Diolassius refert, Traiano ingresso fines Parthorum oblatum fuisse à Primoribus equum edoctum homines venerari, in anteriora genua se dimittere, capite ad pedes antestantis submisso: & Justus Lipsius *ad Belg. cent. 3. Epist. 56.* asserit, non defuisse, qui equos edocuerint choreas ducere ad numeros, saltitare, gesticulari: & Scaligerus ait: *Equum pusillum circumducebat Agyrta quidam, cujus jussu, atque etiam solo interdum nutu mira faceret; successim propitare, currere, saltare; vel quadrupes, vel bipes, vinum bibere; in clunibus sedentem anteriores pedes ad pateram ferre; pelvim cruribus sustinere, quasi à tonsore lavaretur.* Præ cæteris equorum instructores fuisse Sybaritas refert Ælianus *lib. 16. cap. 22.* Fuerunt Sybaritæ adeo luxui, ac corporis delicijs dediti, ut artes omnes nisi luxui inservirent à propria proscripserint republica; cúmque equis uterentur; eos edocuerunt ad convivia venire, saltitare ad tibiam, pedes anteriores tollere, ijsque vice manuum gestus certos edere, *veluti peritos quosdam Chiromantas*, ut loquitur Lipsius *loc. cit.* huncque equorum Sybariticorum morem cum Crotoniatæ Sybaritarum hostes à tibicine transfuga rescivissent, ejus consilio bellum ijsdem indixerunt; in quos etiam pugnaturi irruerunt, non tubis adhibitis, quibus classicum caneretur; sed quibus Sybaritarum equi ad saltus, & choreas ducendas allicerentur ex insolita consuetudine. Cumque Sybaritæ fiducia, ac fastu pleni equitatu hosti prævalere arbitrarentur, eorum equi ad hostium inflatas tubas memores dou elt æ saltationis, tanquam in medijs versarentur conviviis cœperunt se se erigere, & excussis sessoribus saltare, ducere choreas, ac solemne tripudium exhibere in castris, non secus ac domi; unde confusis à Crotoniatis Sybaritarum ordinibus, eo impetu irruerunt in hostes, ut cruenta clade Sybaritas deleverint.

Non tamen canes docilitate videntur equis 115 cedere. Refert Justus Lipsius Epist. ad Belgas *Centur. 1. Epist. 44.* fuisse Bruxellis ipso adhuc puero canem Britannici generis ex illis grandioribus, quibus cerdones uti solent ad currum coriis honustum, in forum, vel è foro trahendum; ipsum vero præter hanc operam edoctum fuisse ad macellum ire, pecuniam lanio deferre, & carnem in corbe positam referre domum herus corbem, seu vas ex viminibus factum collo appendebat canis cum intus pecunia pro tot carnium libris; & canis recta, & nunquam resistens ferebat ad Macellum apud notum lanium, qui accepta, & numerata pecunia carnem in corbe quantum cupiebat herus pro missa pecunia ponebat, quam canis statim domum deferebat. Contigit tamen ut semel in via canes alij odore carnis illecti ad corbem venerint carnes erepturi. Sed ille deposita corbe carnes adeo egregie propugnavit, ut nullus ex alijs canibus ausus fuerit ad corbem accedere, omnésque fugarit, vel dente cruentaverit. Tunc Canis Britannicus victor ex conflictu resumpto corbe vimineo cum carnibus illæsis fideliter domum detulit non sine admiratione omnium, qui adfuerunt spectatores conflictûs. Narrat idem Lipsius de alio cane, qui ut citissimus nuntius ab hero Lovanio Bruxellas mittebatur: inserebat herus collo canis litteras intra numellam coriaceam quibusdam notis distinctam: Canis accepto signo literæ statim Bruxellas deferebat in notam sibi domum, ubi incolæ literas accipiebant, & interim canem pascebant, qui acceptum responsum in eadem coriacea numella eodem die Lovanium revertebatur cum responso.

Assuescere itidem bruta culturæ, & exer- 116 citio virtutum videtur ex pluribus experimentis posse evinci: specimina magnanimitatis & fortitudinis inesse leoni, qui fortissimus est ferarum, & de quo *Prov. 30. v. 30.* dicitur quod *ad nullius pavet occursum*, asserit S. Basilius *in hexam. homil. 9.* Imò non solum non pavet ipse; verùm etiam suo clamore omnes perterrefacit, ac percellit; imò alias bestias, quamvis feroces solo suo rugitu sistit in vestigio, ac exanimat, & ipse nunquam in aperto fugit, aut timet; quòd si venatorum insidijs cedere interdum cogatur, contemptim, nec instar fugitivi, aut timore correpti, sed sensim, & pedetentim inde discedit, crebrò subsistens, ac cum fremitu fugam dissimulat: sin verò opacatam fuerit sylvam ingressus, & arbitretur à venatoribus non posse ampliùs observari veloci fugâ se ab imminentibus subtrahit periculis, quasi non ampliùs reformidet notam incurrere ignaviæ. De Leone ait Cornelius à lapide *in cap. 28.*

Proverb. v. 1. Vidimus leonem, in quem irruentes canes venatici, & molossi, cum unus eum fronte apprehenderet, alij auribus, alij cauda, alij dorso, alij etiam pectore, immobilem persistere, nec ullum timoris, aut perturbationis signum prodere: cúmque jam molossis circumdatus esset, singulos pedibus unum post alterum arripuit, & ungue tam facile dilaceravit, ac puer folium papiri. Non solùm in leone, sed etiam in Buteone specimina relucent magnanimitatis, ac fortitudinis: refert Aldrovandus in Proleg. ad Ornit. Buteonem (avis est ex accipitrum genere) ad primum, & etiam secundum quo petitur telum, in motum manere; & vix tertio cedere, simúlque fugienti militi exprobrare timiditatem.

117 Hanc magnanimitatem, & fortitudinem inesse canibus ex eo probat Plinius *lib. 8. cap. 16.* quia petenti Alexandro Macedoni Indiam, Rex Albaniæ dono miserit canem inusitatæ magnitudinis, cujus specie delectatus Alexander, jussit Apros, Ursos, & Damas in eum emitti, jacente tamen cane has feras habuit contemptui: segnitie tanti corporis offensus Alexander jussit eum occidi. Nuntiavit id fama Regi Albaniæ; qui alterum dono misit Alexandro similem canem, rogavitque, ne in parvis illum experiretur, sed cum leone, vel elephanto; duos tantùm sibi fuisse hujus generis canes, hoc interempto nullum præterea fore: neque distulit Alexander canis experiri fortitudinem, leonem ei objecit excitavitque ad pugnam: sed canis illico irruit in leonem, quem dente dilaceravit, interemit. Jussit Alexander contra canem Elephantum induci; tunc canis ingenti latratu quasi classicum insonuisset cæpit toto corpore infervescere villis horrescentibus, mox ingruit assultans, & contra Elephantum, hinc & illinc artificiosa dimicatione, quâ maximè opus esset eum studuit defatigare, ac assidua rotatione vertigine affligere, donec in terram caderet, & victor canis staret. Vigilantiam in leone præ cæteris commendat Pineda in Job *cap. 38. v. 39. quòd nunquam neque dormiens connivceat, adeo apertis oculis dormit; & ut quidam observârunt inter dormiendum caudam movet, ne videatur omnino dormire:* idque causæ cur leo habeatur vigilantiæ Symbolum.

118 Quòd si præ cæteris vigilantia decet principem, ut & clementia; hæ duæ virtutes propriæ dicuntur Leonis, qui ferarum dicitur princeps. De Leonis clementia in subditos ait Plinius lib. 8 cap. 16. *Leoni tantum ex feris clementia inest in supplices. Prostratis parcit, & ubi sævit in viros prius, quàm in fœminas fremit, in infantes non nisi urgente magna fame: credit Libia intellectum precum ad Leones pervenire.* Clementia canibus etiam tribuitur. Refert Lipsius *Epist. ad Belgas cent. 1. Epist. 44.* de quodam Petro Cieca, qui cum apud Indos degeret exivit cum sociis ad Indos pervestigandos, duxitque secum canem, qui latebras pervestigaret, ad quod jam pridem edoctus, antrum penetravit, è quo fœmina vetula exivit, quæ in montes illicò aufugit, cúmque canis fuisset eam sequutus, & assequutus, eámque jam jam dente prehenderet: fœmina in genua se abjiciens, canem herum vocat, blandè orat, & veluti in adorationem prostrata rogat ne ullum velit ipsi damnum inferre; canis contentus mulieris prostratione nullum ei damnum intulit, & abivit.

Prudentiâ pollere pleraque bruta nulli est dubium cum Christus Matth. 10. v. 16. dicat: 119
Estote prudentes sicut serpentes. Tribuitur serpenti prudentia primò ait Cornelius *in cap. 1. Proverb.* quia ne incantatorum audiat voces ipsque inficiatur, ac incantetur aurem unam terræ affigit, & alteram occludit caudâ, quò videtur allusisse David cum de protervis peccatoribus dixit Psalm. 57. v. 4. & 5. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Prudentiæ specimina dant etiam grues, quæ ut ait Aldrovandus ad hunc videntur finem natæ, ut juxta prudentiæ regulas se dirigant, gubernéntque; de quibus ait Albertus Magnus lib. 3. de animal. trac. 2. cap. 6. Grues in periculis sunt cautæ, extra pericula fidentes; cum enim ab Ægypto in Europam evolant, Duces non adhibent (neque illhic habent quos formident, hostésque illis desse noverunt) at cum hinc in Ægyptum redeunt ubi hostes sibi adesse norunt, non solùm Duces, verùm & exploratores adhibent; neque quasque in ducem eligunt, sed eam, quam noverint reliquis esse robustiorem, ac itineris magis gnaram, ut facilius vim aëris alarum remigio infringat, ac per compendia viarum totum agmen ducat. Neque minora prudentiæ specimina ostendunt in sumendo cibo; ait Isidorus ubi Grues cibus sumpturæ in terras descenderint ad vires corporis restaurandas cibo, earum dux caput in sublime erigit; cæteræ vero securè pascuntur Duce ipso speculatore. Aliud prudentiæ specimen produnt cum eunt dormitum, unam tunc instituunt, quæ cæteris dormientibus capite super alas constituto invigilet, & erecto collo provideat, si homo, aut fera accedat, & tunc magno clangore insidias indicat, omnésque spergefiunt, sibique cavent. Imò Albertus Magnus ait, non unam tantum è toto grege excubare, sed decimam quamque, & Ælianus asserit pro certo plures semper munus obire excubiarum reliquis dormientibus.

Fidelitas canis erga suum herum satis est 120
omnibus explorata: de qua Lipsius *Epist. ad Belgas cent. 1. Epist. 44. & centur. 3. Epist. 36.* plura habet exempla Pyrrhus quidam nomine, non regia dignitate, canem enutrivit, qui à mortuo hero nulla vi, nulloque verbere abscedere voluit; cum efferretur voluit canis lectum ejus adsilire, imò & cum in rogum deponeretur in eumdem insilire, ibique passus est ultro se comburi unà cum heri sui cadavere; & ait Lipsius simile obrigisse cani Poli histrionis. Plures etiam fuerunt canes, qui heris demortuis ex mœrore noluerunt quidquam amplius cibi sumere, & mori cum Dominis malne-

runt

runt, quàm vivere cum superstitibus. Ob fidelitatem non modò privatim ad tutandam ædem fuerunt canes adhibiti; verùm etiam ad publicè custodienda templa, oppida, arces; adeout non immeritò Varro arbitretur, canem à canendo dici, eò quia suo fungens custodis officio ad quemlibet motum latratu det signum. Imò etiam ut custodes principum fuerunt canes adsciti; refert Valerius Maximus *lib.9. cap. 13.* Masanissam salutem suam custodia canum vallasse; & Appianus *fragment. 11.* ait *Bituiti Regis legatum ad Cn Domitium venisse in reliquo comitatu, ac pompa satellitio canum succinctum*, postea subdit loquens de antiqua Gallia *nam communiter ejus regionis Barbari à canibus stipari, ac custodiri solent.* In bello etiam, pugnisque fideles fuisse canes, & egregiè pugnâsse refert Valerius Flaccus

Caspiadæ, queis turba canum non segnius acres
Exilit ad lituos, pugnâsque capessit heriles

Plinius lib. 8. cap. 40. de canibus in bello adhibitis ait: *Propter bella Colophonij, & Castabalenses cohortes canum habuerunt, eæ primæ dimicabant in acie, nunquam detrectantes.* De antiquis Gallis ait Strabo *Adducuntur è Britannia canes ad venatum optimi. Galli autem ijsdem etiam ad bellum utuntur; sicut, & indigenis.*

121 Neque minorem esse dixeris fidelitatem, quam equi erga suos fulcent heros exercere. De equo Alexandri Magni, ait Agellius: *cum in eo insidens Alexander bello Indico, & facinora faciens fortia in hostium cuneum, non satis sibi providens immisisset, conjectisque undique in Alexandrum telis, vulneribus altis in cervice atque latere equus perfossus esset, moribundus tamen, ac prope jam exanguis, eum è medijs hostibus vivacissimo cursu retulit, atque ubi eum extra tela extulerat illico concidit, & Domini jam superstitis securus, quasi cum sensus humani solatio expiravit. Tum Rex Alexander partâ ejus belli victoriâ, oppidum in ijsdem locis condidit, atque ob equi honores Bucephalon appellavit.*

122 Gratitudo in Delphinis commendatur à Plinio lib. 9. cap. 8. ubi refert, Imperante Octaviano Augusto fuisse Baijs puerum quemdam Puteolos in ludum litterarium itare solitum, Is Delphinum in illo marino tractu degentem ad litus Simonis nomine evocare consueverat, & panis fragmentis etiam reficere; quo beneficio, ac blanditijs identidem repetitis, adeo sensim Delphinum demulsit, ut quocunque diei tempore vocari Simonis nomine audiret à puero statim quamvis occultus, ac abditus ex maris imo veniret ad puerum, cujus vox optimè erat illi nota, cui puer aliquot panis bucellas manu porrigebat ut reficeretur, cumque Delphini dorsum puer inscenderet, piscis recondens pinnas veluti gladios suis in vaginis, ne quicquam damni puer pateretur eum dorso receptum innatans maris superficie Puteolos vehebat, expectans sub undis donec puer è ludo literario egressus ad litus veniret, & Delphinum nomine Simonis vocaret, qui auditâ pueri voce statim veniebat susceptum dorso puerum, quem Baias revehebat; idque per plures annos contigit, donec puer morbo extinctus non amplius Delphinum Simonis nomine vocaret, qui tamen veniens ad litus diu puerum expectavit, qui cum non veniret juxta morem, piscis desiderio pueri expiravit.

Elephantes itidem gratitudinem miram exercent in suos benefactores, adeout referente Pierio *lib. 2.* deprehensi sint elephantes, qui suis curatoribus munera obtulerint, & pro ijsdem pugnaverint. Hinc venatores gnari hujus gratitudinis congenitæ Elephantibus astu miro eos capiunt, ac cicurant. Fossam venatores parant obtectam folijs, ramisque arborum, ubi consuevit elephas pertransire, in quam delapsus cum non possit surgere, ac evadere, Venatores veniunt, qui bacillis, ac dumis, ejus partes teneriores oculos, ac nares percutiunt, quod indignissimè fert elephas, qui propterea excandescit, suámque iram barritu prodit; ad quem accurrit alius venator, qui iram simulans contra percussores prohibet ne delapsum in foveam elephantem ulterius percutiant, cumque nolint desistere, extrahit è vagina gladium, quo nudato eos fugat, & Elephantum a verberibus liberat, eúmque manu, & voce poppyzans, cibúmque ei gratissimum hordei (cujus succo mirè delectantur Elephantes) humaniter porrigit, quo bestia vires reficit, mox e fovea extracta non ampliùs in efferam gratitudinis sejungitur à suo Liberatore, quem etiam sui insessorem, ac ductorem patitur. Non solùm gratitudinem exercent elephantes in suos benefactores, sed etiam pietatem in parentes, quibus senio confectis cibum afferunt, ut vires reficiant; inserviuntque, ne quidquam necessarij illis desit. Imò & temperantiam in se ipsos eum nunquam lautiùs, opulentiùsque comedant, neque ultra consuetam, & perparcam mensuram respectu corporeæ molis. 123

124 Dicendum tamen est, discere, & docere non formaliter convenire brutis, sed tantùm materialiter eo pacto, quo pueri nondum septennes, & amentes dicuntur capaces disciplinæ. Hæc enim formaliter supponit usum rationis, & judicium de eadem disciplina, seu arte, vel facultate, quam quis addiscit, & judicium hoc supponit intellectum, quo bruta, & volucres carent: proinde non nisi materialiter sunt capaces disciplinæ, quatenus retinent memoriam præmij, vel verberum. Canis enim non arripit frustum panis donec certa Alphabeti litera proferatur ab hero, non quia apprehendat, vel judicet abstinentiam illam tanquam medium conducere ad comestionem; sed quia in ipso perseverat memoria verberum, si hucellam arripiat ante prolatam talem literam. Eodem pacto aves non dirigunt cantum ad pullos suos erudiendos, sed tantùm materialiter, quatenus instinctu naturæ pulli imitantur cantum parentum; imò & fillularum musicalium, vocésque hominum, quatenus audientes hos sonos, & voces formant species complexas, per quas instinctu naturæ determinantur ad illas imitandas absque ullo judicio, quod tamen requiritur ad doctrinam formaliter. Capacitas itaque brutorum ad addiscendas artes, vel alienas cantilenas nullu-

in ijsdem ſupponit judicium, nec intellectum, neque electionem in operando; ſed hujusmodi artes acquiruntur præcisè vi memoriæ, per connexionem phantasmatum complexè repræſentantium actiones varias, vel connexas cum objecto jucundo, quo alliciuntur ad incitandum; vel cum moleſto quod propterea cavetur. Idque explicatur ex mulo Thaletis, qui ſale onuſtus in fluvium lapſus, & ſale liquefacto, ac per aquas transmiſſo; cum ſurrexiſſet ſenſit onus longè levius: poſtea quoties idem fluvium trajiceret, ad onus minuendum fingere didicerat lapſum in eundem; quod cum aliquoties contigiſſet; Thales referente Plutarcho non ampliùs ſale, ſed lana, & ſpongijs mulum oneravit, qui cum ſimulaſſet conſuetum lapſum ſurgendo poſtea ſenſit onus ſibi graviſſimum, ac pene intolerabile, ob aquam qua lana, & ſpongiæ erant imbutæ; quamobrem cautius impoſterum didicit per fluvium ambulare ne clitellæ aquas attingerent. Cæterum quod aliqua bruta ſint alijs ſagaciora id provenit ex meliori phantaſia, ac perfectioribus organis; non ex capacitate ad diſciplinam formalem.

125 Quod addebatur de virtutibus brutorum, Reſpondetur, bruta non eſſe capacia virtutū moralium, quia ad has ſequitur meritum, quod ſupponit libertatem radicatam in intellectu, quo bruta carent, ut & voluntate libera. Quamobrem virtutes brutorum ſunt autum quædam ſimilitudines à ſolo naturæ inſtinctu profectæ absque ullo judicio, & libero arbitrio, ſuntque tantum virtutes ſimilitudinariè, non formaliter. Cæterum non omnia, quæ narrantur à Plinio, Oppiano, Æliano, & alijs, credas ita vera, ut non poſſint falſo ſubeſſe.

EXPENSIO VIII.

Exhibentur Symbolicæ figuræ Fontium, Fluminum, Lacuum, Puteorum, & aquarum Stillatitiarum.

1. FOns Ægyptius, in quo ferunt, Virginem Matrem parvulum JEſum exulem aliquoties abluiſſe, quique tantæ dicitur eſſe virtutis, ut hortus balſami ei propinquus fertilis ſit, quia perennitate illius irrigatur adjecto lemmate *Creſcit quodcumque rigat*, fuit Symbolum excogitatum à Nicolao Cauſſino, ut ſignificaret fragrantiam, ac pietatem Sodalium Partheniorum à Deipara, ut à pellucido fonte manare.

2. *Fons Ægypti*, qui ſolis vulgò dicitur, latices emittens ſub lucis ortum tepeſcentes, ſub meridie cum calor magis urget frigidos, & ſole in veſperam inclinato ferventes; ac multo calore æſtuantes media nocte; & quo nox propius vergit ad lucem exuentes ſenſim calorem cum verſo Italico *Ardo in abſenza, è in ſua preſenza agghiaccio*, Avarum prodit in aurum, quod non poſſidet, amore flagrans, ac deſiderio æſtuat habendi; quod ſi poſſideat, timore amittendi quaſi frigore correptus contremiſcit.

Fons in foro palatij regalis latente impetu ſalientes aquas in ſublime ejaculans, quaſi ad faſtigium usque domûs, quam cryſtallina videatur corona cingere cum lemmate *Petit impiger ortus*, Juvenem exhibet prænobilem nitentem præclaris geſtis ſummas avorum imitari virtutes, ac incrementa ſplendoris domui, propriæque ſtirpi adjicere. 3.

Fontes plures in amœniſſimi horti ſaxeo ſpecu, ubi ſubſtructi viginti quatuor cernuntur loculi in hemicyclum excavati, aquaticorum totidem Numinum ſimulacra oſtentantes, ſcilicet Deorum fluvialium duodenorum, & duodenarum Naiadum habitu vario, & diſcrepante, aquarum vim ingentem è ſuis urnis effundentium in ſubjectos alueos per ſingula diſcurrentes horti partes ad uberrimam plantarum irrigationem cum inſcriptione *Proſunt omnibus omnes*, alludunt ad divina auxilia, quæ miſericors Deus omnibus affluenter ſuppeditat hominibus, quos vult ſalvos fieri, ſunt enim divinæ gratiæ inexhauſti fontes, è quibus noſtra in nos redundant refrigeria, & incrementa virtutum. 4.

Statua marmorea unum referens extimâ ſpecie ex Numinibus fluvialibus, divites, pellucidósque latices è ſua urna effundens in ſuppoſitam concham è candido marmore ebibentem per latentes meatus quidquid effunditor aquæ cum verbis Italicis *Nulla perde di cio, che dona*, ad eum alludit, qui ad levandas egenorum miſerias argenteas eleemoſynas profuſa ſuppeditat largitate, Deus enim aucto fœnore eas reſtituit, quia ut ſcitè Caſſiodorus *Oleum pietatis, & miſerationum unguentum, quanto copioſius in fraternas neceſſitates effunditur, tanto donis potioribus augmentatur.* 5.

Fons a Mandurio vulgò nuncupatus, qui ut fertur, nunquam imminuitur ex diuturno hauſtu, neque ullum ſubit incrementum ex nova laticum acceſſione cum verbis *Nec auctu, nec hauſtu*, virum deſignat ingenuum utramque ridentem fortunam, quæ ſive faveat oblatis honoribus, & divitijs; ſive adverſetur ſublatis, ac ſi ipſum non tangeret nil ei intereſt quo moveatur, vel mutetur; ſimilis Mandurio fonti, de quo Plinius lib 2. c. 103. *Neque exhauſtis aquis minuitur; neque infuſis augetur.* 6.

Fons elegantis ingenio artis conſtructus in perampla horti area, è cujus medio marmorea promineat cupa nunquam non plena, ut ad ſummum laorum emergant in orbem veluti natantes Tritones plures grandiores ſpecie eximia, eminenti omnium ore, ac reſupinato capite cœlum ſuſpicientes, quique caudis in piſcem deſinentibus, ac ſinuoſis; elatâ, quàm altè poſſunt, ſiniſtrâ manu cupam ſuperimpoſitam inferiore anguſtiorem ſulcire videantur, & conchas in tubam efficlas, ori admovere; adeo ut per eas aquas ſurſum ingenti flatu, inflatisque buccis ejaculentur cum lemmate *Natura, & arte*, alludit ad virum à natura rarioribus donatum qualitatibus, præſtanti formâ, ac in perorando egregia actione, quem accedentia omnia Rhetoricæ artis adminicula efficiunt oratorem omnibus abſolutū numeris. 7.

Fontes

8. *Fontes* plures ad fornicem describendum suos evibrantes latices; seu medio in nemore ambulacrum, cujus ab utroque continenti margine exilientes in sublime aquæ perpetuum toto spatio fornicem certatim construant crystallino translucidiorem, sub quo sine metu valeat quisque siccus inambulare cum lemmate *Ludunt non lædunt*, exhibent animi relaxationes, quibus viri Religiosi post diuturna sua exercitia indulgent, nil enim inde contrahunt mali, nilque hauriunt damni.

9. *Fons* apud Indos, unde hauritur aurum fictilibus, quod statim concrescit, neque possit quis eo potiri nisi frangat fictile, ut refert Phot. in Bibliotheca pag. 69. hac epigraphe *Hauris si fictile frangas*, alludit ad cœlestem beatitudinem, quam pœnitentiæ exercitijs addicti in fonte expiscantur lacrymarum; neque ejus fruuntur delicijs, donec ex luteis compagibus fictilis corporis excesserint.

10. *Fons* quadratus in India unius ulnæ altitudinis, & latitudinis sexdecim cubitorum, ex quo, ut refert Ctesias in Indicis, aurum primùm fictilibus hauritur; dein ferrum educitur, sed omni præstantius auro; in terram siquidem depactum, nebulas, & grandines, turbinésque coërcet, cum lemmate *Ferrum hic præstantius auro*, designat Bellicam virtutem, quæ non auri nitore sed ferrea fortitudine, ac armorum præstantia valet. Vel huic auro proludit etiam adolescentum eloquentia inter epidictici generis blandimenta, quòd si adolescere desinat, nervosior facta ferreis incipit armis pugnare, & commotos coërcere cum irascentis, tum concupiscentis animi affectus, ac mentem serenitate perfundere.

11. *Fons* Insulæ saxosæ non procul à Leodiceæ littoribus; in quem, ut refert Strabo lib. 16. immersa vasa hauriendæ aquæ causa, salsam primo haustu trahunt, eámque marinam; reliquo autem haustu dulcem, potabilem, ac gustui accommodatam cum verbis, *Principijs obstandum*, alludit ad virtutem, quæ initio acquisitu difficilis, dura, & austera: mox initijs superatis tanta jucunditate sensus perfundit, ut rosas videatur spirare, ac balsama fundere.

12. *Fons* pugnantes latices sursum ejaculans, seu in meditulio areæ, in qua omnis generis jocentur flores, petra eminens, innumeris concila, & exaspérata saxulis, è quibus singulis tenues exiliant filatim latices, qui mox alij super alios provoluti videantur inter se se pugnam inire, móxque saxulorum, per quæ incidunt asperitate veluti irritati, subsilientes infremant, ebullientésque defluant in præceps indignatione turbulenti, ac spumei cum lemmate *Volunt non valent*, eos exhibet, quibus animus inest magna quidem agrediendi, sed non suppetunt vires.

13. *Fons* ad omnem artis elegantiam constructus, in quo binæ sirenes marmoreæ pectentes defluentem capillum aquas è mammillis ejaculantur, quæ in suppositam effusæ concham, inde in plures dividuntur rivulos ad multiplices in area pubescentes flores irrigandos, ac veluti lacte reficiendos cum lemmate *Vires instillat, alitque*, exhibet virtutem charitatis, cui nil magis volupe, quam omnibus prodesse.

14. *Fons* è prærupto saxo intra cryptam statis tantùm horis scaturiens, & alijs deficiens, & iterum majori impetu erumpens, ac exiliens cum epigraphe *Major post otia virtus*, alludit ad quietem post plures susceptos labores interponendam, ut vires reficiantur.

15. *Fons* arcis industriâ eleganter constructus sex continens ex ære Delphines, qui ex inflexu corporis in arcum sinuati magno connisu aquam in altum evibrent translucidis mutuò decussatam fornicibus hac epigraphe *Naturæ fœdera, & artis*, alludit ad ipsa artis adminicula, quæ plurimum naturam juvant.

16. *Fons* lapidibus compactus pretiosis in arboris speciem assurgentibus, quique profluentes emittant aquas in folia diffusas lautissima, cum inscriptione, *Sic valet æmula virtus*, alludit ad eos, qui præclara exterorum nituntur gesta imitari.

17. *Fons* pellucidus iridem exhibens, seu arcum, ex aquis magno impetu promicantibus nitidissima crystallo pellucidiorem, ac circumpositarum rerum colores varios multiplici repercussu trahentem cum verbis *Ficta non facta*, felicitatem exhibet hujus fluentis vitæ, quæ fucata est, ac umbratilis, & extimam tantum præfefert apparentiam felicitatis.

18. *Fons* è cupidinis arcu loco teli exiliens, & exhibetur in cratere aqueo è cujus meditullio globus emergat æneus, inauratus, cui extremo duntaxat sinistro pede innixus appareat Cupido, contracto crure altero, elatóque toto se corpore intorquens, simúlque se excitans quasi aliò avolaturus: arcum dextra manu teneat adductum, ac si telum esset jaculaturus, cujus tamen loco salientem aquam emittat; sinistrâ accensam verset tedam cum verbis *Igne potens & unda*, exhibet amoris potentiam, utroque enim utitur elemento igne, & aqua ad homines expugnandos. Insanos castæ Susannæ senes aquâ, plures alios concepto intus igne devicit.

19. *Fontes* plurimi in amœnissimi horti ambulacris gemino utrinque cinctis malorum aureorum cultura, intermedijs totidem salientibus laticibus cum Italico carmine Tassi *L'arte, che tutto fà, nulla si scopre*, eos referunt primæ notæ oratores, qui ita ad artem perorant, ac si nil artis videantur adhibere, quod est artem occultare.

20. *Fontes* plures ad margines myrteti malis distincti puniceis, quique crebros effundantur in rivulos incursitantes per obvios lapillos lenissima obmurmuratione cum verbis, *Dat exultare libertas*, illos exhibent aulicus viros, qui abdicatis aulæ honoribus, aureáque solicitâ compede præferunt cuilibet Aulæ splendori propriam libertatem, quâ ruri in proprijs bonis fruumur.

21. *Fons* olei in Æsculapij gymnasio aureo fornice conspicuus, quem Heraclides constituit hac Epigraphe *Flammam poscit amoris*, alludit ad charitatem, quam tenentur Medici exercere

suos in patientes. Gymnasium Æsculapij Medicorum Academias significat, è quibus fontes olei, scilicet curationes ad ægrotantium salutem fluunt, quæ omnia tunc sunt splendidiora, si aureus accesserit fornix, seu Dei charitas, & amor in proximum.

22. *Fontes* bini ab Alexandro Macedone vulgò Alexandri nuncupati hac epigraphe *Amat victoria curas*, exhibent labores viam sternentes ad gloriam. Alexandro Macedone castra ad Oxum fluvium metante, ac in Sogdianos movente, prope Regis tentoria gemini erupcrunt fontes, quorum alter aqua, alter oleo fluxit: insolens prodigium ansam præbuit consulendi vates, ex quibus Aristarder ad rem respondit, fontem olei laborem simul, & victoriã spondere. Hoc idem contigisse Romæ nocte natalitia Servatoris Domini nostri refert Orosius via transtyberina, ubi fons recens exortus toto die oleo fluxit; & illi portendebantur labores, quos Christus toto vitæ suæ cursu pro nostra tulit salute.

23. *Fons* Asbamæus pleno alveo pellucidam exhibens peregrinantibus aquam eum verbis *Sana sanis*, voluptatem signat, quæ si honesta fuerit, utentibus fit suavis; secus si mala fruentibus perniciosa. Asbamæa aqua talis dicitur esse naturæ, ut fidem servantibus dulcis, & aspectu placida sit; perjurijs verò infestat epota siquidem oculos, pedes, ac manus pejerantium invadit, & pustulis, ac vomicis totum inficit corpus, ut refert Philost. in vita Apoll. lib. 1. c. 4. ita voluptas si inhonesta fuerit, ac mala, sordibus oppleta inquinat corpora, & animum vitijs inficit.

24. *Fontis* Brielij aqua pellucida hac epigraphe *Sola haud miscet amaritiem*, exhibet Virginem Matrem, quæ sola immunis fuit à peccato originali, Fons iste scaturit in Hollandia in urbe Brielio in Insula constructa, in qua nulla prorsus aqua dulcis in puteis, alijsque scaturiginibus hauriri potest, & quamvis omnis adhibeatur diligentia oleum semper perditur, & opera; ubique enim tam in urbe, quàm Insula amara hauritur aqua minimè potabilis. Ut tamen natura loci illius consuleret necessitati unicum constituit fontem dulcem, ad quem ponticulo patet aditus, per quem urbs tota usum sibi comparat aquæ. Quadrat certè Virgini Matri, quæ sola ex tota inquinati humani generis massa pura, & immaculata remansit omnem respuens peccati originalis amaritiem.

25. *Fons* Cizici, qui & Cupidinis dicitur, ex quo potantes ad deponendos impuros affectus dicuntur adigi eum lemmate. *Sordes abluit omnes*, congruit lavacro pœnitentiæ, vel etiam baptismi, utroque delentur peccata omnia, & cœlestis cupidinis facibus inflammatur plorantis Methaneæ affecla.

26. *Fons* Epiri, in quo faces extinctæ accenduntur, & accensæ extinguuntur. Pingatur fax extincta, quæ immergatur aquis, & lemma sit *Admota accenditur*, exprimit concupiscentiam, quæ cum primum objecta sentit flammas concipit; & virtutis extinguit ardorem, nisi coërceatur, ac ejus dissoni motus prorsus cohibeantur.

Fons Dodonæus in quinque pellucidos partitus rivulos, quibus extinctæ faces si maduerint flammas concipiunt hac epigraphe *Excitat unda rogos*, Christum Dominum exhibet cruci affixum, & è quinque vulneribus totidem rivulos emittentem sanguinis, flammas amoris in JESUM pro nobis passum excitantes. Qui hisce rivulis non emolliuntur, non inflammantur, non conteruntur, non amant, quovis sunt adamante obstinatiores, & quovis saxo pertinaciores. 27.

Fons, qui dicitur in Phrygia scaturire, cujus latices si modicè hibantur, dicuntur corporis mederi malis; sin verò immodicè, lymphatum animum agere teste Plinio cum lemmate *Nec citra, nec ultra*, Virtutem exhibet in medio sitam inter duo extrema, ut enim docet Philosophus Virtus est mediocritas duorum vitiorum, alterius secundùm excessum, alterius secundùm defectum ratione ad nos servata; hac enim sine mediocritate nil boni potest nobis obtingere; & ea servata nil ad bene, beatèque vivendum subtrahi. De modo agendi juxta normam virtutis loquens Horatius lib. 1. Satyr. 1. ait. 28.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.
Quos ultra citràque nequit consistere rectum.

Fons in Cappadocia apud oppidum Tyana qui mox frigidus dicitur scaturire; móxque ebullire, veluti aqua fervescens subjecto igne hac epigraphe *Inflammat, & alget*, refert eloquentiam, quæ teste Isidoro frigidos inflammat, accensos restinguit. Proprium est eloquentiæ languentem populum incitare ad virtutis studia; effrenes animi cum concupiscentis, tum irascentis motus compescere, ac restinguere. 29.

Fons in agro Novocomensi non procol à Lario laco, qui statis horis intumescit, postea residet, ac siccatur donec iterum scaturiat cum inscriptione *Quies miscenda labori*, alludit ad curas, vel studia subinde interrumpenda honestis animi relaxationibus, ut enim cecinit Ovidius *Quod caret alterna requie, durabile non est.* Hinc etiam Horatius lib. 2. ode 9. 30.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Usque, nec Armenijs in oris
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes.

Fontes Fortunatarum Insularum; tradit Pomponius Mela, in Insulis fortunatis duorum fontium singularem notari naturam, quatenus ex altero, qui gustaverit risu solvatur ad necem, quam tamen ne incurrat remedium sit ex altero bibere, cum lemmate *Vulnus, opemque ferunt*, errorem exhibent, & veritatem; ille siquidem necat lethali plane poculo, nisi se, suúmque liquorem limpidissimum veritas instillet, abjiciátque erroris haustum venenum, 31.

Fons Hypanis, qui referente Herodoto lib. 4. quinque dierum spatio modicos emittit latices, hos tamen dulces, ac gustui pergratos; sed 32.

ſed poſt quatuor alios dies amaros ad movendum ſtomachum hac epigraphe *Fucata dulcedine ſalit*, voluptatem exhibet, quæ initio mellea, poſtea fellea, quia ut rectè Cicero pro Cœlio, & 11. de orat. *Amores* & deliciæ maturè, & celeriter deflorescunt, & in omnibus rebus voluptatibus maximis faſtidium finitimum eſt; cui adhærens Boetius lib. 3. metr. 7. ait:

Habet hoc omnis voluptas
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum
Ubi grata mella fudit
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

33. *Fontes* oblivionis, & memoriæ refert Plinius lib. 31. cap. 2. in Bëotia ad Traphonium Deum juxta Orchomenon duos ſcaturire fontes, quorum alter memoriam juvat; alter oblivionem advehit, ſi Virgilianum adjiciatur lemma *Meminiſſe juvabit*, referri poſſunt ad Gratias, in quibus duo vel maximè ſpectabilia, oblivisci ſiquid dederis, meminiſſe ſi quid acceperis, ut rependas beneficia. Nil inter amicos odioſius beneficiorum exprobratione: hinc apud Senecam lib. 15. de Benef. exclamat ille proſcriptus. & ſervatus ab amico Cæſaris: *Redde me Cæſari, quouſque dices, ego te ſervavi, ego te eripui morti.*

34. *Fons* Salmacis in Caria, cujus bibentes latices effœminantur. Salmacis nomine Nympha cœli, & terræ filia donata fuit, à qua etiam fons Halicarnaſſi Salmacis vocatur, eò quia ejus aquas, qui bibiſſet vitio molleſceret impudicitiâ ob aditum ad ipſum parietibus arctum, qui propterea Veneri addictis juvenibus occaſio erat violandarum puellarum. Si huic fonti adjiciatur lemma *Probrum dabit ipſa voluptas*, alludit ad ipſa Veneris illicia fœdáſque voluptates; non enim luxuriæ cauſa in aërem, & aquam rejicienda eſt, ſed in effrænem concupiſcentiam, quâ qui inficiuntur perinde ac imbelles fœminæ cupidini cedunt.

35. *Fons* in Sardinia, qui teſte Solino cap. 9. venenum abigit ſolifugæ, cujus morſus cum ſit lethalis alio non ſinit ſe alexipharmaco ſanari, quàm hujus fontis abſterſione, ac repetita lotione, cum lemmate *Abluit, & ſanat*, exhibet Chriſti Domini ſanguinem, qui ſolus potis fuit peccati omne venenum delere, noſtráſque ſanare infirmitates.

36. *Fons* Siculus, de quo Ariſtoteles in Admirandis cap 28. ſcribit, formam præſeferre vorticis, & tantæ eſſe virtutis, ut ſi in ipſo mortua animantia mergantur illico reviviſcant cum inſcriptione *Spes altera vitæ*, Congruit veræ reſipiſcentiæ lacrymis, ac pœnitentiæ Sacramento, cujus beneficio mortui peccato reviviſcimus gratiæ: eſt pœnitentia, quæ nos miſeros lethalibus affectos vulneribus revocat ad ſanitatem; quia ut ſcitè Auguſtin. lib. de Pœnit. ait: *Pœnitentia languores ſanat, leproſos curat, mortuos ſuſcitat, ſanitatem auget, gratiam conſervat, claudis greſſum, aridis copiam, cæcis reſtituit viſum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem unit, ac roborat.*

Fons Maris, in cujus latices teſte Strab. lib. 5. planta injiciatur in ſaxum mutatur eodem ſuperſtite colore, ac manente forma adjecto lemmate *Informis ſub forma*, convenit improborum ſtupori, vitio ſiquidem obcæcati omnem exuunt humanitatis ſenſum; & cum pectore lapidei ſint, corde terrei, ſpiritu ferrei, ſpecie, & forma duntaxat homines ſunt; ut enim eleganter Bernard. lib 1. de Conſid. ad Eugen. hujuſmodi generis homines *Cor habent quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad Conſilia infidum, ad judicia ſævum, inverecundum ad turpia, imparidum ad pericula inhumanum ad humana.* 37.

Fons ſolis in Troglodytis teſte Plinio *lib.* 38.
11. circa meridiem dulcis, & maximè frigidus; mox paulatim vergente ad occaſum ſole tepeſcens, & media ſub nocte fervore æſtuans, & amarore infectus hac epigraphe *Alterna vice feſellit*, congruit D. Petro, qui ad prunas, & calorem retrixit, fefellit ancillam, & teſterantes, an diſcipulus eſſet JESU. ubi verò e noctu è Pontificis domo proripuit, incaluit, ac flevit amarè, quia nimium cœpit a ſole, quem negaverat diſtare.

Fons Canathus apud Argivos, cujus aquis 39.
lotam nova ſubinde quotannis Virginitatis gloria Junonem repubeſcere commenta fuerunt Poëtarum cum lemmate *Renovantur in undis*, fonti convenit Sacramenti baptiſmi, cujus lotione novâ juventâ renaſcuntur homines Deo.

Fons in Umbria non procul a Narnia, qui teſte Leandro nunquam viſus eſt ſcaturire niſi cum annonæ penuria propediem futura eſſet cum verbis *Ut ſuccurrat egenis*, illi congruit, qui eo eſt ingenio, ut nunquam rivulos benignitatis, ac largitatis aperiat, niſi rebus in ſummo diſcrimine conſtitutis.

Fons Dodonæus, cujus hæc dicitur eſſe pro- 40.
prietas, ut extinctas faces ſi abluat, accendat, cum lemmate *Hauritque ex fontibus ignes*, congruit D. Petro, quando poſt trinam negationem exiens è Pontificis palatio flevit amarè; cœpit tunc effuſis lacrymis magis ferveſcere, ac uberiori divini amoris igne æſtuare.

Fons in meditullio horti ad omnem con- 41
ſiti elegantiam, ac amœnitatem, in ſublime ſuos ejaculans latices, qui deorſum delapſi in plures dividuntur rivulos, ad irrigandos, reficiendóſque flores in areolis vernantes cum lemmate *Elevor, ut elevem*, congruit viro Religioſo ad epiſcopatum promoto, quique ea intentione ſibi oblatam acceptat dignitatem, ut pauperes iuvare commodius poſſit, atque eleemoſynarum largitionibus eorundem levare miſerias. Convenit etiam conſtituto in ſumma dignitate, quia ut ſcitè Caſſiodorus lib. 3. Epiſt. 11. *Quid enim tam regium, quàm feciſſe felicem?*

Fons è marmorea concha ſurſum aquam 42.
rectà evibrans, & ligneum, vel coriaceum globũ qui vi ſalientis aquæ in medio aëre detinetur cum verbis *Extulit, & ſuſtinet*, convenit Principi, qui quos ad primos aulæ honores promo-

vit

vit favore, ac protectione sustinet contra invidorum murmura, & detrahentium conatus.

44. *Fons* è csva ac præerupta erumpens rupe, ac in plures partitus rivulos ad latè exporrectam planitiem irrigandam cum verbis *Non sibi, sed alijs*, beneficæ congruit munificentiæ, ac liberalitati cujusvis Antistitis, qui proventus Ecclesiæ non in proprium commodum, sed ut pauperibus prosint, profundit ijsdem,

45. *Fons* jugi fluxione è montis fastigio deorsum per rupium declivitates ad radices decurrens, ubi aliorum accessione rivulorum pleniori alveo excrescit in fluvium cum lemmate *Jugiter emanans*, divinæ convenit beneficentiæ in nos, est enim fons ille indeficiens, à quo omnia scaturiunt nostra bona.

46. *Fons* in meditullio persmpli fori civitatis scaturiens, suósque latices in prægrandem marmoream concham demittens cum lemmate *Omnibus, ut prosim*, Principi convenit facilem ad se ipsum subditis concedenti accessum, ot singulis prodesse possit. Princeps siquidem in publicum præest subditorum commodum *Ut servus, & liber, dives, & pauper*, ait Hieronymus in Epist. ad Galat. cap. 6. *ex eo similiter bibant.*

47. *Fons* Castallius in sino Parnassi siccus veluti quiescens post diuturnos labores, ac motus cum lemmate *Amant alterna Camenæ*, convenit quieti, animique relaxationibus, quibus curæ, & studia interrumpenda sunt: ut enim Poëta Venusinus lib. 2. ode 10. cecinit: *neque semper arcum tendit Apollo.*

48. *Fons* eleganter extructus in amœnissimi horti area, ubi unus ex Marinis Tritonibus è marmorea concha emergens resupinato capite quasi cœlum suspiciens, quique efficiam in tuba in concham ori admoveat, inflatisque buccis toto nisu aquam in sublime rectà evibret cum lemma e *Rectà à recto*, virum exhibet ex recta intentione rectè operantem: perinde ac ex canali si rectus fuerit ad lineam rectam erumpit tutum aqua; ita hominis operatio si ex recta processerit intentione induit rectitudinem.

49. *Fontes* plures in regaliom ædium amœnissimo horto pensili columnis innixo, peribolo, seu lorica murorum vicena sustinente vasa rariorum florum paribus disposita intervallis, foliis Nenupharis, alijsque floribus aquatilium plantarum eleganter vestita, in spatio autem inter illa interjecto salientes totidem pellucidi latices ad ædium usque supremum evibrati fastigium, quod ubi attigerint, veluti in imbrem soluti lacrymarum in multiplices deorsum guttulas perpluant cum lemmate *Neque in sublime quiescunt*, alludunt ad Aulicos omne adhibentes studium, ut Principis aucupentur gratiam, ejúsque favore, ad primos promoveantor honores, ad quos cum pervenerint, jugibus necesse est torqueantur curis, vexantur molestijs; & plerunque tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.

50. *Fons* è prægrandis rupis gremio foras ingent: fragore erumpens cum lemmate *Fortior è latebris*, virtuti congruit quærenti, secessus in quibus gliscat vegetior. Scitè Petrus Damianus opusc. 2. cap. 20. *Tu igitur si vis animam tuam in sua virginitatis integritate persistere, secretum appete, recessum singularitatis inquire.*

Ob varia, quæ de fontibus scitu digna congesseram, quinquaginta hactenus expensa Symbola à me fuerunt excogitara, si unum excipias vel alterum, ijsdemque pluribus sui occasionibus usus.

Flumina illa quatuor è fonte paradisi terrestris prodeuntia, atque ad totam terram irrigandam, reficiendásque plantas, per diversos telluris tractus jugi fluxione discurrentia cum lemmate *Hæc ab origine robur*, Congruit hoc Symbolum quatuor virtutibus Cardinalibus à quibus oritur Moralis vigor totius humanæ vitæ; influunt hujusmodi virtutes in humanas actiones honestatis decota, perinde ac flumina in telluris tractus virorem. Juvat notatu dignum hic subjicere. Zoroastres, cum animom alatum esse diceret, interrogatus à discipolis qui fieri posset, ut volucres animos fortiterentur: respondit irrigate si placet alas aquis vitæ; sed iterum sciscitantibus discipulis, unde has aquas peterent, per parobolam, juxta morem, respondit: quatuor amnibus paradisus Dei alluitor, & irrigatur, vobis salutares áqnas inde haurietis. D. Ambrosio *lib. de Paradiso* hæc quatuor Zoroastris flumina totidem sunt virtutes Cardinales Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia. Ganges fluvius ramentis auri dives, prasino lapillo, & carbunculo ornatus virorum prudentium inventa, mentis vigorem, ac animæ facem significat. Nilus qui Ægyptum alluit temperantiam designat, quâ concupiscibilis, ac irascibilis ardor restinguitur, & cæterorum flores virtutum hac gliscunt irrigatione. Trigis fluviorum omnium velocissimus, fortitudinem refert, quæ mirabili pernicitate, ac cursu fertur in difficillima, & obstantia quæque evertit. Euphrates justitiam exhibet, quia huic amni fœcunditas tribuitur, & fructuum exuberantia; & in animæ bene exculto agro a justitia fructuum ubertas effluit. 51.

Amnis Gnides, quem Cyrus in pœnam patrati flagitij, quòd ausus fuerit unum ex suis absorbuisse equis in trecentos sexaginta mutilavit rivos, quibus celebris fluvij amplitudo concisa est cum verbis. *Faciunt majora minorem*, eum exhibet Patrem familias, qui licèt divitijs potens, quia tamen ejus bona superstites plures filij inter se se hæreditario jure dividunt; quæ fuerat hæreditas pinguis, minorescit in singulis, quia quo major est hæredum numerus, eò in singulis fit hæteditas minor. 52.

Ganges fluvius, qui in obvias impingens rupes; arbores & vicinum solum exorbet, camposque everrit cum lemmate *Diruit dum ruit*, hominem exhibet cœco percitum furore, & ad iram pronum, qui nil valeat adversi pati sed molestijs affectus, vel convicijs lacessitus, illatam sibi injuriam gladio vindicet, ac fluvium Gangem imitetur, de quo Curtius lib. 8. ait: Ganges omnium ab ortu fluvius eximius 53.

mius à meridiana regione decurrit, & magnorum montium juga recto alveo stringit. In eum objectæ rupes inclinant ad orientem. Utque rubro mari accipitur findens ripas multas arbores cum magna soli parte exorbet

54. *Tigris* fluvius pernicissimo cursu Arethusam lacum influens, nec quidquam contrahens extranei cum verbis *Mersus emergit*, congruit viro Religioso, vel culturæ virtutum addicto, qui tametsi mersus negotijs pluribus, inde tamen innocens, & citra labem, ac Dei offensam emergit. De fluvio Tigri ait Plinius lib. 6. cap. 27. De Tigri ipso dixisse conveniat. Oritur in regione Armeniæ majoris fonte conspicuo in planitie. Loco nomen Elongorine est. Ipse qua tardior fluit, Diglito: unde concitatur à celeritate, Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi sagittam. Influit lacum Arethusam omnia illata pondera sustinentem, & nitrum nebulis exhalantem. Unum genus ei piscium est, idque transcurrentis non miscetur alveo, sicut neque è Tigri pisces in latum transnatant.

55. *Fluvius* pleno alveo vadum negans trajicienti, quique ut vadosus fiat in plures diducitur rivos cum verbis *Sectus tranatur in partes*, congruit exercitui in castris, si enim in plures dividatur, decrescunt in singulis vires, qui propterea tantæ non sunt hostibus formidini. Generatim nimia propagatione, & concisione magnarum rerum, minuitur claritas: hac ratione cum sub Tiberio principe actum Romæ esset in senatu ab Aruntio, & Ateio, num ad coërcendas Tiberis exundationes, flumina, & lacus, à quibus incrementa subit aliò diverterentur; Conclusum fuit, non esse innovanda quæ natura instituit; refert hanc Senatûs sententiam Tacitus lib. 1. inquiens: *Optimè rebus mortalium consuluisse naturam, quæ sua ora fluminibus, suos cursus, atque originem ita, & fines dederit, ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluvijs orbatum minore gloria fluere.*

56. *Fluvius* aquarum pondere, ac vi disrumpens sibi objectum repagulum, quo detinebatur, ne ultra flueret adjecto lemmate *Compensant otia cursu*, scilicet quæ antea detinebantur aquæ, congruit viro, qui cum propria diu neglexerit exercitia sive pietatis, sive literarum, vel cujusvis alterius artis, eò ferventius ijsdem recèns incumbit, quò remissius se ab illis avertarat.

57. *Fluvius* Nilus, cujus primaria ex fonte origo dicitur ignorari cum inscriptione *Nulli se prodit origo*, alludit ad illa patrata facinora, quorum Authores nobis non innotescunt. Vel etiam ad bella quæ Reges ineunt, quorum tamen causæ ignorantur à militibus. De Nili origine ait Plinius lib. 6. cap. 27. Nilus incertis ortus fontibus it per deserta, & ardentia. Præterea observatum est, prout in Mauritania nives, imbresue satiaverint, ita Nilum increscere. Ex hoc lacu indignatur fluere per arenosa, & squalentia, conditque se aliquot dierum itinere.

58. *Nilus* pleno alveo fluens; ejus ad ripas Piramus, & Cocodrillus cum hemisphichio depromptо ex Lucano lib. 10. *Non licuit parvum Te Nile videre*, congruit S. Joanni Baptistæ Præcursori Christi, qui à nativitate claruit magnus virtutibus, neque inter natos mulierum surrexerit major Joanne Baptista. De Nilo fluvio cecinit Lucanus

Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum Te Nile videre.

59. *Nilus* ante ortum caniculæ nova aquarum accessione intumescens, suique ripas alvei fluctuum superans incremento in longè latéque porrectas Ægypti planities munifica diffunditur largitate, qua fœcunditate donari agrorum tractus uberem incolis spondeant fructuum messem, hac epigraphe *Fœcundans temperat æstus*, congruit viro exercenti charitatem in egenos, quorum miserias profuso levat argento, quorum periculis præsto sit opportunis consilijs. Eleganter de Nilo Seneca *nat. quæst. lib. 4. c. 2.* Nilus ante ortum caniculæ augetur medijs æstibus ultra æquinoctium. Hunc nobilissimum amnem natura extulit ante humani generis oculos, & ita disposuit, ut eo tempore inundaret Ægyptum, quo maximè usta fervoribus terra undam altius traheret tantum haustura, quantum siccitati annuæ sufficere possit. Nam in ea parte, quæ in Æthiopiam vergit, aut nulli imbres sunt, aut rari, & qui insuetam aquis cœlestibus terram non adjuvent. Proinde sterilis annus, aut fertilis est, pro ut ille magnus influxit, aut parcior.

60. *Nili* cataractæ, quibus è præruptis, ac editissimis rupium jugis deorsum fluvius pleno alveo ruit præceps ingenti fragore cum lemmate deprompto ex Seneca loc. cit. *Vincitur, aut vincit*, congruit viro Bellatori, & audaci flocci facienti, quæ in bello pericula imminent, quæ propterea adoritur sive vincat, sive vincatur. De Nili Cataractis pulchrè Seneca loc. cit. ait Excipiunt cataractæ nobilem insigni spectaculo locum: ibi per arduas, excisásque pluribus locis rupes Nilus insurgit, & vires suas concitat. Frangitur enim occurrentibus saxis, & per angustias eluctatur: ubicunque vincit, aut vincitur, fluctuat, & ibi illic excitatis primùm aquis, quas sine tumultu leni alveo duxerat, violentus, & torrens per malignos transitus prosilit dissimilis sibi; quippe ob id luctuosus, & turbidus fluit. At ubi in scopulos cautium intravit, spumat; & illi non ex natura sua, sed ex injuria loci color est. Tandem eluctatus obstantia in vastam altitudinem subito destitutus cadit, cum ingenti circumjacentium regionum strepitu.

61. *Nilus* exundans, ac totius Ægypti innatans campis cum verbis *In publica commoda*, congruit Regi, qui debet in publicam subditorum se se diffundere utilitatem. Vespasianus cum recèns ad imperium promotus Ægyptum lustraret, fertur Ægyptijs pro concione dixisse: Haurite à me, tanquam à Nilo, ita narrat Philostr. in vita Apollonij cap. 10. lib. 5. Quia verò Nilus Fluviorum salutatur Rex, estque totius orbis nobilissimus, rectè ipso Vespasiano interprete Reges significat; ut enim Nilus per amplos

amplos Ægypti campos restagnantibus exundat aquarum accessionibus, ut terræ, ac plantarum promoveat fructus, ac inde publicæ consulat utilitati. Ita Rex, ac Princeps, vel qui cæteris præest, ut proprio fungatur munere in publicam debet se totum effundere utilitatem. Talis referente Niceta fuit Manuel ille Comnenus, qui ob specimina, quæ dedit summæ liberalitatis dicitur mare magnificentiæ, abyssus misericordiæ, morum suavitate, ac congressu facilis; sed Regia virtute immutabilis.

63. *Nilus* pleno alveo gravis fluens, non violentus, dives fluctibus ad commercia instituenda; non pauper ad rapinas inquirendas cum lemmate deprompto ex Claudiano *Lene sed utilior*, canit Claudianus in Consul. Manlij *Lene fluit Nilus, sed cunctis amnibus extat utilior*, congruit Principi sedato, ac maturè procedenti in rebus deliberandis, qui propterea suis est commodo subditis. Convenit etiam Principis clementiæ omnem arcenti violentiam, & subditorum promoventi utilitatem.

64. *Nilus* fluvius septeno ore suos in mare exonerans fluctus cum lemmate prompto ex Virgilio lib. 4. Georg. *Septem discurrit in ora*, congruit spiritui sancto divinæ gratiæ influxus per eius septena dona impertienti hominibus. Christo etiam Domino convenit, è cuius vulnerati lateris sanguine, & aqua septem derivârunt in Ecclesiam Sacramenta, per quæ veluti per totidem ora fluentis Nili pellucidos hauriunt fideles divinæ gratiæ latices.

65. *Fluvius* exundans per longè, latèque exporrectam campestrem planitiem, & obvia quæque rapiens, vel evertens hac epigraphe *Si ruat in præceps*, Virum exhibet sinentem se ab ira possideri; se enim veluti extra se agit; spumas agit in ore; stillant flammantes oculi lacrymis, ardet vultus, æstuat pectus iracundia, jactat convicia, jurgia excitat, scommata imprudenter effutit, omnia perturbat, cœlo terram miscet, gladios acuit, vulnera infligit, sanguinem fundit, omnia perdit.

66. *Padus* fluvius exiguus è Vesuli montis exiliens fonte, qui tamen augeatur tum liquatis nivibus, tum aliorum accessione amnium cum lemmate *Junctis viribus auctus*, alludit ad Principem, qui tametsi se solo potis non sit alteri obsistere; inito tamen cum alijs fœdere, incrementum subit virium, ut timori non detur ampliùs locus. Rectè Polibius lib. 2. ait *Optimè sibi consulant tenuiores Respublicæ à potentioribus bello lacessitæ, quæ prudentes, & proposita periculi magnitudine, & vicinitate, pelliciunt alias respublicas in societatem*. Ideo Padus undarum copijs potens, quia plures alij mutuis fœderibus ei copulantur amnes, quos inter solemus recensere Tanarum, Trebiam Placentinum, Tarum, Niciam, Gabellum, Scultenam, Rhenum, & hos fluvios ex latere Apennini. Ex jugis vero Alpium Sturam, Morgum, ambos fluvios Durias, Sessitem, Ticinum, Lambrum, Adduam, Olium, Mincium.

67. *Marsias* fluvius purus, ac liquidus circumjectos rigans campos cum lemmate *Sic fluxisse juvat*, alludit ad virum, cui dum viveret nil fuit magis cordi, quàm charitatis exercendæ studium, ac omnibus prodesse, nulli obesse, hunc vixisse juvat. De Marsia fluvio ait Curtius lib. 3. Fons eius ex summo montis cacumine excurrens in subjectam petram magno strepitu aquarum cadit, inde diffusus circumjectos rigat campos liquidus, & suas duntaxat undas trahens. Itaque color eius placido mari similis, locum Poëtarum mendacio fecit.

Fluvius, qui junctis aquis vadosum non 68. trajicientibus exhibeat, partitus postea in plures rivulos sicco vestigio per interjecta saxa trajiciatur cum verbis *Disjunctis viribus*, dissidia refert, quibus respublicæ viribus destituuntur, & concidunt. Hinc Tacitus de motibus Germanorum ait: *Urgentibus imperij fatis, nihil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium discordiam*.

Rhidagus fluvius se se alicubi occultans, 69. & alicubi retegens auctis viribus cum lemmate *Fortior è Latebris*, illis convenit, qui per ostiduanum secessum exercitijs vacant spiritualibus, se se abdicant ab hominum frequentia, & publicis functionibus, conscientiam expiaturi, inde enim per exercitia virtutum plurimum proficiunt, & incrementa subeunt. Hoc de fluvio ait Curtius lib. 6. Ex ipsis radicibus montium Zioberis amnis effunditur, qui tria fere stadia in longitudinem universis fluit: deinde saxo quod alveolum interpolat, repercussus, duo itinera veluti dispensatis aquis aperit. Inde torrens, & saxorum per quæ incurrit, asperitate violentior, terram præceps subit, per trecenta stadia coaditus labitur: cursûsque veluti ex alio fonte conceptus editur, & novum alveum intendit priore sui parte spatiosior: quippe in latitudinem tredecim stadiorum diffunditur.

Himeræus fluvius obliquo fluens alveo mox 70. aquilonem versus, & tunc amarorem contrahit; modò ad meridiem, & exuta amaritudine dulces haurientibus exhibet latices ad sitim levandam opportunos cum lemmate. *Dant loca saporem*, congruit hominũ moribus, qui mutantur ex consuetudine, diversisque regionibus, quas homines incolunt. Talis plerumque hominis vita, qualis est conversatio, & consuetudo. Hinc Seneca de Ira lib. 2. cap. 8. ait: *Quantum consuetudo possit, intelliges si videris feras quoque convictu nostro mansuescere: nullique immani bestiæ vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est.*

Fluvius Sabbatius in Syria; qui licèt alijs 71. diebus haud intersistente undarum cursu fluat uberiùs; singulis tamen sabbatis quasi diei Religionem lentiret quiescit, ac prorsus arescit cum verbis *Religione quiescit*, eos refert, quos Religio divino addictos cultui tenet; eósque redarguit, qui minus exactè divina præcepta custodiunt. De Sabbatio hoc fluvio scribit Josephus de bello Judaico lib. 7. cap. 24. ubi Judaicus Historicus vult, hunc fluvium interpositis sex diebus à fontibus desistere, & siccum alveum spectantibus exhibere; postea quasi nulla mutatione facta septimo die sui similem ex-

exoriri, non impetu quidem languido; sed plenè fluente. Plinius verò expressè ait: *In Judæa rivus sabbatis omnibus exsiccatur.*

72. *Silæ fluvius*, cui teste Strab. *lib. 15.* nihil innatat, quatenus nec rates tolerat, neque ligna; sed omnia absorbet cum verbis *Nil supra se*, congruit ambitioso, qui non patitur sibi quemquam dari superiorem; adeo vecors est ambitionis impudentia, ut Caligula iratus cœlo, quòd obstreperet Pantomimis, quos imitabatur curiosius, quàm spectabat, ad pugnam vocaverit Jovem inclamans *Aut tolle me, aut ego Te.*

73. *Tigris* fluvius in montibus scaturiens Uxiorum, è quibus sylvestribus ripis præceps inter cautes, rupésque pernici fluxu devolvitur, dein per amœnam effunditur planitiem, quam clementiore alveo præterit; jámque aquarum incremento robustior, navium patiens leni tractu in Persicum se mare exonerat cum verbis *Fluit non refluit*, congruit humanæ vitæ cujus initium à lacrymis auspicatum pluribus est periculis obnoxium; & fluens per florescentem juventam, & ex inde per reliquas ætates ad lenium vergit; & tandem ineluctabili fato in amarum Libithinæ illabitur mare, è quo refluit nunquam.

74. *Amnis* qui leni tractu è fontibus labens, ac se in amœnam devolvens planitiem, perque virescentes declivitates, floridásque ripas incorruptus decurrens, se in proximum ejiciat mare cum lemmate *Nec sistit, nec retro fluit*, vitam exhibet hominis, qui licet divitijs affluat, commodis pinguescat, molestias nesciat, fortuna illi arrideat, ac omnia ad votum fluant; instar tamen delabentis fluminis die, noctúque, fluxûque nunquam interrupto ad mortem properat, quo sensu juxta Senecam quotidie morimur; quia ut scite Ovidius 10. Metam. *Serius aut citius sedem properamus ad unam* & lib. 3. de Arte

——— Eunt anni more fluentis aquæ
Nec quæ præterijt rursum revocabitur unda
Nec quæ præterijt hora, redire potest

Hinc Seneca in Hercul. Furent. Act. 1.

Dura peragunt pensa sorores
Nec sua retro fila revolvunt.

75. *Fluvius*, qui novis aquarum accessionibus objectos excedens aggeres, ac demissioribus ripis altè superfluens, ac proximis innatans campis cum lemmate *Evicit gurgite moles*, Viro congruit forti, qui superatis difficultatibus quibus premebatur, ac via occludebatur, ne quem intendebat finem assequeretur; victor tandem evasit, quæque in votis erant obtinuit.

76. *Amnis* proprij excedens alvei angustias, ac à demissioribus ripis, earumdémque ruptis superciliis foras erumpens, aquisque subjectos campos contegens, plantas, arbores frangens, & simul cum Mapalijs rapiens, secúmque deferens cum glebis, trabibus, cæmentis, saxis, ramisque tumultuariè congestis cum lemmate *Ex obice sævior*, viro congruit bellatori, qui hostibus cruenta clade debellatis irruit in victorum castra, quæ expilat, inde in Hostium decurrens agros obvia quæque evertit, rapit, sibique victoriæ trophæa tribuit.

Fluvij alveus siccus adjectis verbis Ovidij 77.
Suppressis fontibus aret, promptis ex lib. 15 Metamorph.

Nec non Siccanias volvens Amasenus arenas
Nunc fluit, interdum suppressis fontibus aret

Congruit cuilibet homini; cui desunt divinarum fontes gratiarum, arescit enim nec quidquam potest dignum vita æterna ferre.

Fluvij plures varijs è fontibus per diver- 78.
sos terræ tractus excurrentes planos, asperos, mox floribus vestitos, modò saxis, rupibúsque inaccessos, illos gliscentibus viretis luxuriantes, hos vepribus, ac dumetis hispidos, quorum tamen omnes in proximum illabuntur mare hac epigraphe Ovidiana *Sedem properamus ad unam*, referunt Mortales omnes cujusvis sint conditionis sive diademate reges, sive ligone rustici: sive sago Marti, sive toga Palladi addicti, fluimus omnes ad sepulchrum plebei, nobiles, principes, reges; & imperatoribus rustici, regibus subditi, locupletibus pauperes, heris famuli, senibus juvenes, majoribus parvuli aggregantur. Mors sua falce omnes demetit, auribus clausis neminem audit, oculis capta neminem agnoscit: æquat inæqualia præcelsas turres humilibus calis, splendida palatia obscuris mapalijs, purpuras centonibus, tiaras petasis, sceptra ligonibus. Oportet hominem aut naturam exuere hominis, aut fata mortis subire.

Fluvius, qui postquam disruptis riparum 79.
superciliis exundavit, & plures campos suis operuit fluctibus; in ijsdem suæ exundationis delata vestigia reliquit, gravem scilicet supellectilem; hic instrumenta ruris, ibi extincta animantia; illic aratra, & ligones, alibi avulsas arbores, eradicatas plantas, villarum trabes; atque culmina alicubi adhuc fluitantia, obrutas domus vel obtritas, & ubique aucta luctibus damna cum lemmate *Fluxisse sat est*, alludit ad militem, qui memor antacti conflictûs ac imminentis discriminis fundendi cum sanguine vitam, ait intra se, mihi sufficit evasisse tot pericula, sibique seriò proponit castra deserere.

Fluvius pleno alveo pernicique cursu ur- 80.
bis mœnia adlambens, suisque aquis proximam intersecans planitiem, ac varios post flexus se in mare exonerans cum epigraphe deprompta ex Lucretio, *Nec mora, nec requies*, ait enim Lucretius de jugi fluminis fluxu *Nec mora, nec requies interdatur ulla fluendi*, exprimit perbrevem vitæ humanæ cursum, cujus imaginem produnt fluvius, volucris volatus, flos sub vesperam decidens, ac marcescens, fugax umbra concreti pulveris. Omnis qui nascitur homo incertè vivit, certissimè moritur; in hæc verba legis antiquissimæ nullo unquam tempore antiquandæ humana jam dudum juravit necessitas; fluit humana vita, nec ulla ejus cursum mora interrumpit, neque requies sistit. Primus, & ultimus dies modico distant intervallo.

81. *Fluvius* pellucidis dives laticibus urbem interfluens, mediámque secans placido, lenique fluxu cum lemmate *Dat commoda plebi*, Principem signat clementia clarum, verbis placidum, accessu facilem, qui ut proprio fungatur munere necesse est utilitati consulat subditorum, ac in eorundem se diffundat commoda. Bonus ille Princeps, qui suis æquè prospicit, ac sibi.

82. *Fluvius* munitissimæ arcis alluens propugnacula cum verbis *Munit, & unit*, congruit Sacramento Eucharistiæ munienti arcem cordis nostri, & arctiùs unienti Deo divinæ gratiæ incremento; ad id videtur allusisse Hugo Cardinalis in Psalm. 22. expendens siquidem verba Proverb. 9. 3. *Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem*, subdit has ancillas esse Sacramentum corporis Christi, quod adversus hostium incursus est munimen.

83. *Fluvius* in plures diductus alveos ad hortorum olera, pratorúmque vireta suis reficienda laticibus hac epigraphe *Rigat, ut erigat*, hominem exhibet in alios beneficum, quique charitatis exercendæ gratiâ, auri, argentive subsidijs proximi levet miserias.

84. *Fluvius* riparum supercilia nunquam excedens; sed intra proprij alvei limites placidè fluens, licèt angustioribus subinde coërceatur ripis, cum lemmate *Fluit non effluit*, hominem signat virtutum culturâ præstantem, qui neque allicientis fortunæ blanditijs, neque ejusdem novercantis oppugnationibus à rectο deflectit; sed intra limites semper continetur debitæ moderationis; exerceatque pietatem in suos, comitatem in cives, humanitatem in hospites, clementiam in supplices, lenitatem in omnes; qui lafus convicijs illatæ sibi injuriæ memoriam oblivione conterat; qui elatus honoribus nullis superbiæ stimulis pulsari pectus sinat.

85. *Amnis* plures distractus in rivulos ad campos & hortos irrigandos cum lemmate *Sic fluxisse juvabit*, Virum exhibet in egenos misericordem, qui pauperes munifica complectitur benevolentia; cui nil magis cordi, quàm miseros ab angustijs, captos à vinculis, egenos ab inopia liberare; cujus domus est perfugium miseris, portus jactatis, solatium desperatis, horreum egentibus; sic enim fecisse olim meminisse juvabit, ob congesta inde merita; & gloriæ æternæ incrementum.

86. *Lacus* exiguus luto fœtidus, juncisque stabulantibus impervius cum lemmate *Quiescendo tabescunt*, hominibus quadrat otij tabe marcescentibus, sicut aquæ si in locum unum coëant, nec ullus eis pateat exitus ex diuturna mora vitium contrahunt; etiam homines ex assiduo otio contabescunt. Congestis itidem congruit divitijs; quia ut scitè S. Basilius hom. in ditescentes. *Putei, qui hauriuntur melius fluunt, quibus si suas aquas intactas relinquas, fætorem contrahunt: ita etiam divitiarum quies inutilis; motus, & transgressus publicè utilis est, & fructuosus.*

86. *Lacus*, cujus aqua plurimo luto crassa, ac turbida, quæque nullius rei objectæ suscipiat, aut reddat imaginem hac epigraphe *Recusat turbida, formas*, mentem prudit irascentis, vel concupiscentis animi turbatam motibus, quos cum non coërceat, sed sinat se ab ijsdem rapi, minus capax est veritatis intelligendæ; nec suasionibus flectitur, nec præceptis movetur, quia ut scribit Seneca Epistol. 94. *Ubi aliqua res obcæcat animum, & ad officiorum dispiciendum ordinem impedit, nihil agit qui præcipit. Nihil enim proficiunt præcepta, quamdiu menti error offusus est:*

Aqua stagnans rigente hyeme alto gelu concreta cum lemmate *Gelida non fluit*, viro congruit avaro omni destituto calore amoris in proximum; qui propterea congestas divitias non sinit in aliorum fluere utilitatem. 88.

Aqua calida Ciceroniana perquàm salubris oculis, quorum vitia dispellit, cum lemmate *Virtus non nuda medetur*, alludit ad lacrymas, quæ in Sacramento pœnitentiæ funduntur, non enim ipsæ contractas ab anima abstergunt maculas, excutiunt sordescentes pulveres, sed virtus divinæ gratiæ, quæ mentis illumeoat oculos, voluntatis pios affect⁹, excitat. Digna memoratu est villa, ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita litori. Fuit hæc olim celebris ob præcellam, ac spatiosam porticum prædivite inclusam tecto ad repentinos imbres arcendos, & umbras deambulationis gratia projiciendas, ac nemus, quod eum constaret aureis malis, lauro, pinu, subere, alijaque semper virentibus plantis, rigida non immutavit hyems. Hæcque ad omnem amœnitatem constructa villa ab exemplo Athenarum à Cicerone Academia vocabatur, in qua & monumentum sibi instauraverat. Quod verò narratu memorabilius, post ipsius obitum, Antistio vetere possidente fertur fontes calidos ibi erupisse curandis oculorum vitijs saluberrimos, ut refert Plinius lib. 31. c. 2. quos & Laureas Tullius suis commendavit carminibus, & tacta transitione à luce corporis, ad illam animi, asservit has salubres aquas Symbolum esse ingenij Ciceroniani, cujus libri tenebras dispellerent animi. 89.

Piscina probatica Evangelij, cujus motu discedebant omnium ægritudinum genera è madidis corporibus cum verbis *Dat turbata salutem*, alludit ad Beatam Virginem ab Archangelo Gabriele salutatam etenim Lucæ 1. 29. *Turbata est in sermone ejus:* sicut de probatica piscina habetur Joan. 5. *Movebatur aqua, & sanabatur unus;* ita B. Virgo veluti probatica piscina eum primùm fuit ad Angelicam salutationem turbata sanari cœpit totum humanum genus. Fuit enim commotio illa, seu turbatio initium nostræ Redemptionis. 90.

Piscina eadem fluctibus commota, undisque turbata cum verbis *Trahitur inde salus*, alludit ad sanctum Dei timorem, quo peccator incipit turbari, commoveri, ac resipiscere. Rectè Tertullianus lib. de cult. fœmin. cap. 2. *Timor fundamentum est salutis, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus: qui sollicitus est; is verè poterit esse securus.* 91.

Lacus

92. *Lacus* Polycriticus cum verbis *Prehendo non comprehendor*, congruit sacræ Theologiæ, quippe in ea, quò quis plus progreditur, eò semper illi latior patet campus. Polycritus rerum Sicularum scriptor haud ignobilis fatetur in loco mediterraneo stagnum esse ambitu suo scutum nihil excedens, aqua resplendente quidem, sed turbulentiore nonnihil, in quem si quis lavandi gratiâ ingrediatur, in latum extendi, quòd si iteret, ampliùs dilatari. Hujus stagni meminit etiam Aristoteles de morb. Ausc.

93. *Sides* lacus apud Indos, in quo teste Ctesia nihil innatar, sed omnia in ipsum projecta merguntur, ut refert Plinius lib. 31. cap. 2. cum lemmate *Raræ nantes in gurgite*, convenit avaritiæ, ambitioni, libidini, cæterisque vitijs, in quorum gurgite facili negotio merguntur homines. Est Sides lacus mundi corruptio potiorem absorbens hominum partem. Congruit etiam Ambitioso, qui non patitur sibi quemquam dari superiorem; adeo vecors est superbiæ impudentia.

94. *Aqua* stygis mortifera, omnia lædens uno excepto Asini scythici cornu, hac epigraphe *Hanc non timet inclyta virtus*, convenit Asini scythici cornu invictæ patientiæ, ad cujus clypeum omnia fortunæ spicula eliduntur, ac eluduntur; nullúmque est telum adeo mortiferum, quod ejus vim perfundere, ac enervare valeat. Refert Ælianus de animal. *lib. 10. cap. 40.* Aquam stygem omnia corrumpere, ac perforare præter vasa ex cornu Asini scythici confecta; idque causa fuit ut Alexander hanc miratus materiam Delphos miserit Apollini consecrandam. Hujus aquæ pestiferam vim describit etiam Pausanias *lib. 8.* ait enim mortiferam esse stygis aquam tum homini, tum cæteris animantium speciebus. Nam & capellæ sæpius ejus aquæ potu extinctæ perierunt. Vasa itidem, & pocula omnia sive vitrea, sive chrystallina, sive myrrhina, sive è lapide, aut testa sint efficta aquæ illius vi franguntur. Qui etiam ferrum, æs, plumbum, stannum, argentum, & electrum hac perfusa aqua solvuntur. Congruit stygis aqua voluptati, quæ dulce est venenum, & omnia corrumpit præter durum pœnitentiæ cornu.

95. *Lacus* Troglodytarum, quem Juba in Troglodytis vocat insanum; eò quia ter amarorem induat, & falsedinem singulis diebus, & totiès dulcedinem etiam noctu; scateátque albis serpentibus vicenorum cubitorum cum lemmate *Nunquam eadem*, scilicet aqua hujus lacus. Quadrat homini inconstantiam olenti, ac mali. tiam; qui modò lenis, modò acerbus, nunc comis, mox austerus videatur, temperque mutet formas in omnibus semper informis, quia nunquam recedat à malitia.

96. *Puteus* profundissimus, à quo pluribus si situlibus vasis limpidissimi hauriantur latices cum verbis *Haurior non exhaurior*, congruit Theologiæ speculativæ, quæ profundissima est investigatu; & quò plus quis sibi videtur attigisse de divinis perfectionibus, eò semper majores attingendæ supersunt.

97. *Puteus* à quo jugiter hauritur aqua cum lemmate *Fit purior haustu*, congruit cuilibet facultati, quæ perficitur exercitio. Scitè Clemens Alexandrinus lib. 1. stromat. *Putei, qui exhauriuntur, emittunt aquam magis perspicuam; corrumpuntur autem hi, quorum nullus est particeps. Sic exercitatio salubrem habitum ingenerat, & spiritibus, & corporibus.*

98. *Aquæ* stillatitiæ odorariæ ex clibano Mariano, aliisque parvis alembicis guttatim prodeuntes cum lemmate *Vis ab origine pendet*, indicant præclarum nomen non derivari in principes ex principatu, sed ab intrinsecis virtutibus quibus ornatur animus, & quarum cultura bene olet. Paulus Aresius usus fuit hoc symbolo ut significaret, homines plerumque se gerere juxta natalia, & propensiones, quas ex iisdem fuerunt sortiti, ut enim rectè Horatius lib. 4. ode 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam

Natura ad optima vergit, nisi vitio corrumpatur. In Principe ea est nobilitas laudanda, quæ sanctis vestita moribus, quæ præclaris ornata virtutibus. Nihil nobile quod vitiosum.

99. *Aqua* Rosacea ex alembico in subjectum vitreum vas clausum depluens cum lemmate *Per ignem, & quam*, convenit illi sancto Martyri, qui pluribus excruciatus Tormentorum generibus in igne, & aqua, consummatus tandem Martyrio optimum sanctitatis odorem Ecclesiæ dedit.

100. *Plures* florum species variis in alembicis, è quibus vi subjecti ignis foras per rubulum guttatim fluant cum lemmate *Pauca sed utilia*, ad eum alludit compilatorem, qui ex plurimis, varijsque Authoribus utiliora seligit; & ex iisdem, quæ meliora sunt usurpat. Alij eidem alembico adjiciunt hoc lemma *Utilior inde*, quia majorem plerumque utilitatem exhibent, quæ ingenio, & matura considera:ione perficiuntur. Alij per clibanum Marianum rotis opplerum, & elicitos è floribus odorarios humores exudantem cum Italico versu *Suda al cocente ardor, chi in lui sfavilla*, Christum in monte olivarum sudantem aqua, & sanguine subindicârunt. Ardebat Christus desiderio perficiendæ nostræ redemptionis, & quia erat verus flos campi in Alembico humani corporis, decuit hos sudorum roscidos imbres emittere. Alij per Alembicum ex varijs herbarum generibus elicitos humores foras emittens cum verbis Poëtæ Venusini de Arte *Sudavit, & alsit*, significant bellatorem comparantem sibi campestri conflictu victoriam, sudat enim Martio ardore, & alget timore ne ipse cum suis vincatur. Alij per aquam vinariam, seu vinum crematum, adustum, quod vulgò aqua vitæ dicitur adjecto lemmate *Latet ignis in unda*, lacrymas resipiscentis peccatoris indicant, eo quia ignem includant divini amoris.

101. *Situlæ* putei, quæ per rotulam voluuntur ad aquam hauriendam, quarum una dum deorsum voluitur; altera sursum agitur cum

 lem-

lemmate *Altera levatur*, Fuit Symbolum Ascanij Piccolomini, ut indicaret in obitu corpus vacuum deprimi, & spiritum erigi, quia plenum meritis. Sytulæ putei cum verbis *Hauritur non exhauritur*, Cadit in Christi meritum, quod ab Ecclesia semper hauritur per indulgentias, & nunquam exhauritur, quia infinitum.

EXPENSIO IX.

Exhibentur Symbolicæ figuræ maris, Insularum, & Navium.

EA est maris pulchritudo, ut cœlorum imitetur elegantiam, quorum species proprio in sinu veluti pellucido in speculo accipit, & reddit: ea est latitudo, ut suo ambitu omnes complectatur terrarum tractus, suóque in gremio foveat Insularum multitudinem: ea amœnitas orarum, singularitas litorum, varietas belluarum quà submersarum, quà fluitantium, ac innatantium, ut plurimum voluptatis injiciat consideranti; sicut etiam ipsa undarum congeries ad lunæ tumultuantium, ac excurrentium imperium. Mira etiam maris reciprocatio est, quâ pelago in se recedente nudantur littora, producuntur vada; & eodem mox evagante subruunt omnia fluctus; licèt timorem incutiant spumantibus fluctibus collisa ceraunia, discordiámque ventorum æterna prælia; quibus ita tupes, ac scopulos arietant lacessiti maris procellæ, ut tranicientibus sint naufragio navibus. Naturam igitur, & proprietates maris, cæterorúmque ad ipsum pertinentium pro stromatis ornatu donamus explicatu.

1. *Mare*, in quod plura ex varijs locis majora flumina illabuntur, seque exonerant cum hemistichio *Nec satiatur aquis*, deprompto ex Ovidio lib. 8. Metamorph.

Utque fretum recipit de tota flumina terra
Nec satiatur aquis, peregrinósque ebibit amnes,

Alludit ad avaritiam, cujus profilendi sitim nullæ valent congestæ divitiæ sedare, quia avarus semper indigus nullis satiatur auri, argentive cumulis, sed alijs jugiter inhiat, quibus magis ditescat, seu veriùs dicam augeatur sitis, quà eo miseriùs torqueatur, quò proximius ad fœlicitatem accedere arbitratur bonorum possessione; siquidem avarum si in alienis rebus ad se corrivandis ortum dixeris, vulturémque cadavera expectantem: & in rebus proprijs elargiendis omni pumice aridiorem, haud erraveris. Nullum est vitium homini magis noxium avaritia; hæc hominem ad syderа erectum incurvavit, defoditque ac in intimiora laceratæ telluris viscera mersit, ut aurum erueret non minori periculo quærendum, quàm possidendum; cujus nec possessione satiatur, nec usu lætatur; quia avarus maris instar nunquam epotis satiatur aquis, ut innuit S. Nilus orat. t. de avarit inquiens. *Nec multitudine fluminum mare, nec divitiarum copia avari animus expletur.*

2. *Mare* placida malacia tranquillum, in quo Sol meridianus perinde ac in pellucido speculo imprimat speciem sui cum verbis *Tranquillo firmius hæret*, convenit animo pacato, quem tumultus variarum cogitationum non turbant, nec æstus concupiscibilis commovet, nec agitat fervor irascibilis, in ipso divini solis participata imago, seu divina gratia splendidiùs emicat, ac diutius hæret. Ille autem sedatus est vir, qui æquè invictus est asperis, ac blandis, qui neutri se fortunæ submittit, sed super omnia, quæ contingunt, ac accidunt longè eminet, semper imperturbatus, intrepidus, quem nulla fortuna frangit, non attolunt prospera, nec deprimunt adversa.

Mare flante Euro procelloso ex atris, sordidisque nubibus unà ordine tumultuario congestis, ita commotum, & exagitatum, ut ingentes, ac validas naves irritatis fluctibus diverberet, laxatisque compagibus labefactet, ac dissolvat, cum lemmate *Cessante quiescam*, alludit ad Principem ab alio lacessitum ad bellum, ad cujus propterea vim propulsandam, séque ab injusto aggressore tuendum, plura in agro hostili inferr damna, paratus cessare, si adversarius arma deponat, & quæ pacis sunt instituat. 3.

Maris fluctus in scopulum impingentes magno impetu cum lemmate *Allisi non lædunt*, quadrat hoc Symbolum viro sapienti, cui tempestates hujus fluctuantis vitæ nil obsunt, nec damni inferunt. Tutus enim est sapiens, nec ullâ frangitur injuria; nec flectitur contumelia. Est verò sapientia, quæ irascentis, & concupiscentis animi fluctus à nostra depellit pernicie; quæ pectus virtutum moderatione tranquillat, tartareos Spiritus exterret, & novercantis fortunæ evincit imperus. 4.

Mare clausum littore, & ventorum vi intumescens, ac majores in momenta singula ciens fluctus, quibus littus impetit, adoritúrque cum versu Italico. *Minaccia si, ma non sommerge i campi.* Congruit viro zelotypo, ac promoventi cultum divinum, quique ad removenda obstacula irascitur quidem, sed intra limites rectæ rationis; ita irasci culpæ non vertitur irascenti, ut scitè notat S. Basilius expendens illud Psalm. 4. *Irascimini, & nolite peccare*, ait ipse. *Iram non tollit: est enim utilis. Neque animi commotionem excidit: nam usui est contra eos, qui iniustè agunt, sed injustam iram, & irrationalem animi commotionem amputat.* 5.

Mare mediterraneum à freto Gaditano littoris angustijs clausum hac epigraphe *Nusquam data littora transit*, hominem signat à rectitudine, nusquam deflectentem, seque intra limites virtutis continentem. Vir enim virtutis studiosus præscriptos sibi à recta ratione non excedit terminos, carnis reprimit indulgentiam; clari nominis flocci facit inanitatem, effrænes irascentis animi coërcet motus; divitiarum desideria compescit, & omnes degeneres cupiditates generoso conterit pede. 6.

Mare lactea, ut vulgò dicitur, malacia nullo ventorum exagitata flatu, nullo turbata motu cum verbis *Sub cortice patis pericula clandit*. Blanditis congruit, ac illecebris, quas fal- 7.

lax

fax mundus suis exhibet, quos alliciat. Hæc est voluptatis natura, pacis larvâ hostilem mentem tegere; itque explicans Minutius ait: *In nonnullis Italiæ partibus à parentibus infantes Saturno immolabantur, blanditijs, & osculo comprimente vagitus, ne flebilis hostia immolaretur.* Hac arte didicit mundus suos mactare asseclas, immolare sectatores, non tamen Saturno sed infelicissimæ æternitati, blanditijs, illecebris fictisque osculis, imminens mox naufragium contegit, ne cæteri se ob hac subducent immolatione.

8. *Fluctu* decumani in abruptam, excelsámque assisi oram exporrecti in mare muntis cum lemmate *Franguntur non frangunt*, homines produnt ira correptos, qui sibi magis obsunt, quam alijs, quibus irascuntur. Quid enim turpius homine irato? spumas agit in ore, stillant oculi lacrymis, exsudat frons, ardet vultus, æstuat irecundie pectus, convicia jactat decoris oblitus, rationis immemor, inconditos edit mugitus, pulsat pedibus humum, corpus inconcinnè exagitat, atque se totum circumstantibus prodit fœdum, et horrendum, ut credant hominem exuisse.

9. *Maritimus* portus colliculis undique clausus, ed quem per exporrecti, modiceque aperti littoris angustias pateat aditus adjectis verbis *Hic optata quies*, desumptis à Claudiano de laudibus Stilicon. ubi ait: *Hic cunctis optata quies*, convenit instituto Monastico, cujus professores procul à sæculi tumultu, mundique decumanis fluctibus, ac procellis vera fruuntur pace tranquilla jam positi in statione.

10. *Mare* Ægæum jugi fluxu, & refluxu inconstans cum lemmate prompto ex S. Gregorio Nazianzeno carm. de se ipso post reditum &c. *Meat, Remeátque*, congruit viro inconstanti. Is enim inconstantiæ nota redarguitur, cujus cogitationes jugiter fluctuant, cujus simulatio virtutum, & amor vitiorum continua jactatione mutatur, alternisque vicibus animum turbant sibi adversantia desideria. Ut enim æstum maris, aut lunæ detrimenta magis sentiunt imbecilliora corpore: ita rebus contrarijs vehementius commovetur animus minue sibi constans, & affectibus vitiatus; nunc enim vel libidine insanit, vel abdomini servit; modò invidia torquetur, vel ambitione pulsatur; & semper fluctuat mente, ac perpetuo tumultu egitatur pectore.

11. *Mare* ventorum vi agitatum, et tumentibus fluctibus ad littus allidens, ac fractum resiliens cum lemmate *Frangitque tumentia pulvis*, seu quæ in mundo tument superba elatione exiguo pulvere detumescunt, congruit morti, cui cedunt omnia, & cujus exiguus pulvis æquat sceptra ligonibus; est mors littus, in quod superborum fluctus impingentes franguntur, ac detumescunt.

12. *Mare* acriori vento agitatum cum lemmate *Dispellit sordida motu*, alludit ed peccatorem resipiscentem, et concitatum divine gratia, cujus ope actum elicit contritionis, & sacra exhomologesi peccata expiat, & conscientiam purgat. Scitè Bercorius lib. 8. cap. 11. num. 9. *Mare pœnitentiæ est sui ipsius Purgatorium per contritionem mortuorum, scilicet peccatorum ejectivam per confessionem, & est fluctus fontium causativum per lacrymarum redundationem.*

Mare nerid mo tole ti ostrarum cum lemmate *Nunquam siccabitur æstu*, congruit S. Francisco Xaverio amplianda Christiana Religionis studio innumeros exantlanti labores, plurimósque fundenti sudorum imbres sub zona torrida, ubi solares radij acrius urunt; quamvis enim longa macie detritus, laboribus fractus, adhuc per squallentes arenarum tractus, per tostas vehementissimo solis eppulsu regiones Evangelica semine felix colonus jacere, ac excolere studuit, nec unquam ullo potuit ab incœpto instituto deterreri periculo, nullo dimoveri labore. 13.

Pontus Euxinus, seu mare nigrum, in quod Danubius, & alia flumina decurrunt, seque exonerant cum lemmate *Nec incrementa subit*, Avarum exhibet divitijs inhiantem, quem congestæ non satiant, & acquirendæ torquent; non enim divitiæ valent verâ lætitia cor explere, licèt possint auri ponderibus arcam replere scite Ugo Carensis. *Non impletur avarus pecuniâ, & quid mirum, quia ipsa arca repletur: sed impossibile est eodem tempore duo loca diversa simul, & semel ijsdem repleri pecunijs;* impletur arca, non igitur repletur cor; vacuam mentem habet, qui vacuam mentem repleta auro credit. Illud cor non est auro vacuum, quod amore auri evacuetur; impletur cor auro, si non amet cor auro impleri. 14.

Mare quod acriori vento vehementiùs exasperatum, ac intumescens fluctus modò ad astra extollet, modò ad tartara penè ima deprimat, hic decumanis fluctibus scopulos diverberet; illic tumescentibus undis littora impetat cum lemmate *Tandemque quiescet*, hominem prodit iræ assuetum, qui tamen facilè mitescat. Sapientes siquidem definiverunt iram brevem esse insaniam. Vir irascens impotens sui, immemor necessitudinis, omnis obliviscitur decoris. Ut entem scias, insanos esse, quos ira possidet ipsum illorum habitum intuere ait Seneca *lib. 1. de ira cap. 1.* flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordijs sanguine. Labia quatiuntur; horrent, et subriguntur capilli, Spiritus coactus, ac stridens articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitúsque, & parum explanatis vocibus sermo præreptus, & complosæ sæpius manus, ac pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnásque minas agens, fœda visu, & horrenda facies depravantium se, atque intumescentium. 15.

Mare vehementiùs exasperatum, ingentésque volvens fluctus, ac ejiciens ad diverberarum littus pisces, nevium fragmente, & alia id genus, quæ in ipso continebantur cum lemmate *Suis nec parcit amicis*, congruit mundi voluptatibus, quæ quos fovent, enecent. Habet & voluptas carnis suas procellas in mundi pelago, quibus naufragium suis apparat alumnis; carnis enim lætitia ad lethum nos trahit, 16.

Fal-

Fallentes mundi illecebræ suos decipiunt alumnos, paucos haberent sectatores nisi multos deciperent; fucatas duntaxat spondent voluptates, quæ nihil habent veri præter ipsam deceptionem, quæ eò est verior, quò minus vera sunt bona, quibus suos illudunt sectatores, qui ideo nocentiùs decipiuntur, quia à fallentibus finunt se illudi, neque à tam noxijs deceptoribus se surripiunt.

17. *Mare* decumania fluctibus effervescens, ac intumescens, quódque sævientibus ventis vehementius concitatum suas mox ad sydera extollat undas, modò ad ima deprimat pro nodiora cum verbis *Deprimit, & extollit*, tribulationi congruit, quam vir pius patitur,& aurea patientia ferreas contundit adversitates. Quæ enim viruns patientiâ loricatum videntur deprimere, altiùs extollunt gloriæ incrementoq perinde ac effervescentis maris fluctus dejicitur. Non officiunt adversa gaudio, sed efficiunt veram lætitiam; afficiuntur gaudio afflicti adversitatibus si bene affectam circumferant mentem; non lethalia censenda sunt, sed amica vulnera, quæ salutem adferunt. Adversa quæ putantur persæpe secunda sunt, & quæ secunda verè adversa; illa siquidem animum regunt; & injectâ habenâ concupiscentiæ effrænes motus coërcent, ac compescunt: hæc verò præcipitem agunt; nec culpa hæc censenda rerum nos invadentium; sed nostra, si rectè uti nesciamus.

EXCURSUS.

Divitiæ congestæ curas non abigunt, sed adjiciunt.

18. MAre in quod plurima illabantur, devoluantúrque majora flumina se in ipsum exonerantia cum verbis Italicis *Ma non però men salso* congruit homini locupleti, cujus moriendi necessitudinem congestæ nun minuunt divitiæ; nec eò est minus mortalis, quò auro, argentóve potentior. Imò sicut flumina, quæ in mare effunduntur salsedinem non minuunt; ita neque divitiæ curas ac molestias prædivitum; tametsi ab ijsdem cum gaudio videantur possideri: sunt enim divitiæ sub lætitiæ larvâ curis plenæ; sub felicitatis persona hamant, à quibus amantur, ridenti facie se illis ingerunt, lacrymas ab ijsdem mox elicituræ. Multorum mentes error invasit, ut putent gaudium à divitijs fluere, ac auri possessionem lætitia abundare. Possunt quidem divitiæ quia nomine, perinde ac omine affines vitijs, veram lætitiam inficere, non verò efficere: personatam circumferunt faciem; lætæ videntur, exterius; & intus curas occultant, fletúmque abdunt. Itidi haud absimiles, spectantium siquidem oculos fallunt datutæ lacrymarum imbres; fallunt, ac decipiunt extimâ sui specie, risum spondent, & unà cum curis fletum exhibent; plenæ siquidem dolore lacrymas ab oculis, non risum ab ore extorquent; non pauciores divitum mentem curæ pungunt, quatiúntque, quàm maris undæ littus diverberent, unde festivè Chrysostomus homil. 38. in Epist. ad Corinth. *Divitiæ lætam habent personam, interna autem plenæ sunt fuligine*; idque animadvertens Poëta scitè cecinit

Non fœvi arbiter Hadriæ
Tot pulsat rabidis littora fluctibus
Quot luctus miseros premunt,
Et curæ laniant præcordia divitum.

EXCURSUS.

Persecutio Virtuti prodest non, obest.

INsula perampla è sinu emergens maris, leniore submissa fastigio, multis consita arboribus, pellucidisque fontibus irrigua cum verbis *Immobilis in mobili*, Ecclesiæ congruit sævientium persecutionum vallatæ fluctibus, nunquam tamen eversæ. Fundata enim sanctissimo Christi Domini cruore, veluti in medio mari plures passa est procellas sævientium Tyrannorum, insufflantium hæresum; sed armatis objecit inermes, principibus nullius notæ homunculos; divitibus, ac præpotentibus, pauperes, & infirmos; & tamen nudi, laceri, ac inermes ita pugnârunt contra Reges, Satrapas, Præsides, & Juris peritos, ut gloriosos retulerint triumphos, ac persuaserint impijs Religionem, avarissimis paupertatem, omni libidine inquinatissimis castimoniam, indulgentibus sensui carnis coërcitionem, quódque stuporis plenum est contritis dæmonum simulacris; excisisque falsorum Numinum templis crucis vexilla ubique tertarum fixerint, etiam medijs in procellis, ac sævientibus persecutionum fluctibus. Appositè S. Augustinus in Psalm. 96. aic. *Quomodo Insula, undique circumstrepentibus fluctibus tundi potest, frangi non potest; magisque ipsa frangit fluctus venientes, quàm frangatur ab eis; sic & Ecclesia Dei pullulantes per totum orbem terrarum passa sunt persecutiones undique frementium infidelium; & ecce stant Insulæ, & jam placatum est mare.* 19.

Insula Cutyliarum in lacu Stationensi aquis innatans, jugique fluxu fixam omnem respuens sedem cum lemmate *Fluxis inuixa movetur*, rebus congruit temporalibus, quæ pereuntis, fluxisque innixæ jugiter fluctuant, neque stabilem enanciscuntur sedem; mox ab uno, modò ab altero possidentur, & à neutro tenentur, quia utrumque mors tenet de Cutyliarum Insula ait Seneca lib. 3. natural. quæst. cap. 25. In lacu Stationensi Cutyliarum Insula, & arbores habet, & herbas nutrit, tamen aqua sustinetur, & in hanc, atque illam partem non tantum vento impellitur, sed & aura. Nec illi unquam per diem, & noctem in uno loco statio est, adeo movetur levi flatu. Vitam itidem signat hominis continuo motu fluentem ad sepulchrum; ac inconstantiam eorum, quæ nobis videntur arridere; id enim magistra mors nos edocet; sicut auri frustum, an legitimum sit, vel spurium ut probemus 20.

soles

solet Lydio lapidi affricari; ita ad conjiciendum num veræ sint, an fucatæ, ac umbratiles terrenæ voluptates, mortem, veluti lydium lapidem si adhibeamus; omnes inanes, ac plenas mendacijs deprehendemus: quicquid in mundo nobis videtur spectatu dignum, id vacuum est, ac futile si ad Lydium mortis lapidem fuerit exploratum.

21. *Insulæ* aliæ natantes in lacu Vadimone cum lemmate *Non mergimur undis*, exhibent primas Ecclesias nascentis Christianæ Religionis, quæ inter persecutionum fluctus nullum fuerunt naufragium passæ; quapropter S. Hieronymus in Psalm. 96. has confert cum Insulis Ecclesias inquiens; *Istæ Insulæ tunduntur quotidie, sed non subruuntur. In mari quidem sunt, sed habent fundamentum Christum, qui moveri non potest.* Insulas verò natantes lacûs Vadimonis describit Plinius Junior *lib. 8. cap. 20.* ubi ait; Lacus est in similitudinem jacentis rotæ circumscriptus, & undique æqualis, nullus sinus, obliquitas nulla, omnia dimensa, paria, & quasi Artificis manu cavata, & excisa. Color cæruleo albidior, viridior, ac pressior, sulphuris odor, sapórque medicatus. Spatium modicum, quod tamen sentiat ventos, & fluctibus intumescat. Nulla in hoc lacu navis, sed innatant Insulæ herbidæ, omnes arundine, ac junco cectæ, sua cuique figura, ut modus cunctis, margo densus: quia frequenter, vel littori, vel sibi illisæ teruntur. Par omnibus altitudo, par levitas; quippe in speciem carinæ humili radice descendunt. Hæc ab omni latere perspicitur, eadem aqua pariter suspensa, & mersa; interdum junctæ, & copulatæ, & continentis similes eunt: interdum discordantibus ventis digerunt; nonnunquam destitutæ tranquillitate singulæ fluitant. Sæpe minores majoribus veluti cymbolæ onerarijs adhærescunt. Sæpe inter se majores, minorésque quasi cursum, certaménque desumunt. Rursus omnes in eumdem locum appulsæ, qua steterunt promovent terram. Et modò hac, modò illac lacum reddunt, auferúntque.

EXCURSUS.

Fluctuat vita præsens lacrymarum undis obruta.

22. INsula è sinu emergens oceani acriori ventorum vi concitati, fluctibúsque inhorrescentis cum lemmate *Circumstant undique fluctus*, humanæ vitæ congruit, quæ lacrymulis suis sub initijs persula suorum est prodroma miseriarum, quas priòs experitur, quàm cognoscat; undique hanc premunt angustiæ, verberant fluctus, ut non abs re plorationis dicatur vallis, ut scitè S. Laurentius Iustinianus adnotavit de interiori conflictu cap. 1. cujus hic innecto plusula verba: *Plorationis, & lacrymarum vallis nuncupatur hic mundus, ut in suo degentes nullum verum norint invenire posse solatium. Instabilis est, & per momenta decurrens, casibus plenus, periculis sæpius, turbinibus agitatus, fluctuationibus anxius, cladibus refertus, dissentionibus inquietus, mutationibus deditus, Deo contrarius, cœlo dissimilis, virtutibus oppositus, sanctitati inimicus, & pijs mentibus onerosus.* Rectè vita hominis marinæ confertur Insulæ, cujus solum nullum veræ lætitiæ dat florem, nullum producit veri gaudij arridens viretum; eam sortitur hæc tellus conditionem, ut non alijs amet imbribus irrigari quam ludorum, & nonnisi spinis, urticisque scateat tribulationum, sitque discriminibus referta. Nullum exhibet mundos bonum, cui plura imminentia non adversentur mala. Quid virtute pulchrius? hanc tamen evertere conatur ejus infensissimus hostis vitium, quod plerumque plus adfert ad dehonestamentum turpitudinis; quàm virtus ad veram gloriam honestatis. Quid sanitate in hac rerum fluxibilitate optabilius? & tamen hanc ægritudo corrumpit, infirmitates enervant. Quid vitâ melius? quid ejus usura excellentius? & tamen huic Libitina insidiatur, mors adversatur. Demum tenebræ luci, honoribus æmulatio, dignitatibus invidia, malaciæ procellæ insidias struunt; adeout undique nos angustiæ premant, fluctus circumstent.

EXCURSUS.

Virtus paratu difficilis, ejus radix amara, sed fructus dulcis.

INsula Hispaniola in America accessu difficilis, 23. densis sylvis littorum tenus prætexta, ardoisque montium jugis, ac asperis rupibus prævallata cum lemmate *Pulchrior intus*, Virtuti congruit acquisitu difficili: est siquidem virtus in extimo cortice asperitatibus oblita, amarore perfusa, intus verò referta dulcedine; cujus propterea Hispaniola Insula haud abs re Symbolum ponitur; quia tametsi tenebrosæ, spissæque sylvæ, quibus cingitur, ac præruptæ montium juga littoribus imminentia videantur ad ipsam prohibere accessum; ac naucleros, aliósque littora illa trajicientes deterrere, eminúsque ad se tendentibus ab alto maris speciem potius eujusdam cimmerij præseferre, intus tamen præsertim in meditullio læsissima ridet regio, & arridet amœnitas, montes ibi probatissimi auri ditescunt venis; campi nunquam arescentibus luxuriant viretis; cœlum saluberrimum ut tellus frugum tam fronte sua, quam culturâ nascentium sit feracissima. Sacchari præsertim felicitas, & proventus copiosissimus, arundines sacchariferæ proceritate, & crassitie cum incolis certant; & subinde unius alicujus fistulæ liquor excoctus vicenas, & etiam tricenas explet phialas. Arbores ad pinguem proceritatem feliciter enutritæ alios dulcissimis enutriunt fructibus. Sylvulæ plerumque unà cum collibus assurgentes mastichem, succinum, atque omne genus aromatum abunde suppeditant. Paucissimis exemptis terrarum tractibus ad boream vergentibus; cæterorum ver, & autumnus est perpetuus;

petuut; æquéque tellus ornata floribus, ac arbores onustæ fructibus sunt incolis solatio. Dierum, noctiúmque spatia toto fermè anno æqualia. Nullus cum anno fluit mensis, qui sterilitate laboret, singuli suos adferunt fructus fecundis accommodatos mensis instruendis: trigesimo die à desixis in terræ gremio seminibus, cucurbitæ, pepones, & cucumeres ad perfectam perveniunt maturitatem: & dimidio celerius brassica, lactuca, beta, narsturtium. Tritici verò, siliginisque luxua humanam videtur fidem excedere; referunt, harum frugum spicas dodrante multo esse longiores, virilique brachio spissiores.

EXCURSUS.

Virtus labore excolenda, sudore irriganda.

25. INsula ex ijs, quas poëtarum commenta fortunatas dixerunt è sinu praealti oceani emergens, ad quam nonnisi per diuturnos labores, ac tempestatum discrimina pateat accessus subjectis verbis *Non absque labore*, cœlesti congruit gloriæ, quam non nisi per angustias itinerum, laborioſóque conatus sibi comparant homines. Potest etiam adaptari virtuti de qua cecinit ille

Virtutem voluere Dij sudore parari,
Arduus est ad eam longúsque per ardua tractus,
Asper, & est primum; sed ubi alta cacumina tanges,
Fit facilis, quæ dura priùs fuit inclyta virtus.

Finxerunt Poëtæ, quasdam esse in oceano Insulas, ad quas post obitum ij deferuntur, qui virtuti studio fuerunt addicti, ac pietatis officijs operam præstiterunt, & jucundissimam ducere vitam in quodam amœnissimo prato perpetuis luxuriante viretis, ac gemmea florum varietate ad omnem depicto elegantiam suavissimo sensuum blandimento, præsertim singularem ob odorum Arabiam, quam redolet grex ille vegetabilium. Finxerunt ibi perpetuò ridere cœlum, frondere arbores, pubescere herbas, florere plantas, vestiri purpura rosas, niveo ornari amictu lilia, Protheos in Theatrum adducere discolores tulipas, humi repere violas, ac reliquum florum populum suam explicare assiduè pompam, spirantes inter placidissimos zephiros, mollissimósque favonios, quorum flabellis arborum comæ leviter ventilatæ grato murmore auribus adblandiuntur. Hisce addiderim inermem, argutúmque aviculatum exercitum, quæ liquidissimos cantus tenui fundentes gutture intimos adstantium sensus suavi permulcent voluptate. Rivorum itidem pellucidis rivulis variè interfecari, quorum latices in versicolores impingentes lapillos franguntur, susurróque blandissimo aures demulcent. Sicut hasce ad Insulas appulsus non nisi post diuturnam, ac laboriosam enavigationem possibilis erat, ideo cœlestis gloriæ viderur nobis species exhiberi.

Isthmus, seu terræ coarctata lingula, quà duo maria invecto divortio sejonguntur, prohibentùrque unà coire, cum lemmate *Vetátque coire procellas*, convenit ministro concordiæ, mediatori pacis, Procuratori publicæ quietis, qui diffidentia principum capita amico fœdere reconciliat; séque interponit isthmi instar, prohibétque ne procellæ cruenti conflictût excitentur, simúlque pugnent. Est hujusmodi caduceator, pacisque promotor Angelus è summo cœlo in terras demissus, non ut ille olim terribilis, & minax, qui Davidi cœlestibus prodigijs attonito flagellorum metus incussit; neque ut ex illis unus, qui tot flagitijs immersam Pentapolim funditus everterunt, qui flammas vibrârunt, gladios undarunt, fulmina intorserunt, strages sparserunt; sed Angelus est pacis, qui miti, gratáque amœnitate vernantes desert olivas, & ex illis, qui nascente mundi Reparatore pacem hominibus bonæ voluntatis fuerunt feliciter auspicati. Est pax præcipuum divinæ indulgentiæ munus, quo discrepantes voluntates componuntur, dissidentes animi conciliantur, beata provinciarum otia promoventur, cujus beneficio accedit ruris fructuum copia, regnis opulentia, & hominibus bonorum omnium cumulus.

EXCURSUS.

Fortuna sive eblandiatur, sive adversetur in discrimina trahit.

ISthmus, quo duo sejunguntur Maria alterum 26. procellis infestum, alterum malacia adblandiens, sed vadosis oris stationem majoribus denegans navibus, & in meditullio scopulorum frequentia fermè impervium; adeo ut nequeat nauclerus se alto credere mari citra naufragij discrimina cum lemmate *Urgent utrinque pericla*, alludit ad utramque fortunam æque periculosam sive faveat prosperis, sive adversis sæviat, hinc scitè Periandrus Corinthus

Si fortuna juvat caveto tolli
Si fortuna tonat caveto mergi.

Gaudia, quæ arridens exhibet fortuna plerunque lacrymas concipiunt, ac mortem invehunt. Lethi, ac læti tanta nominis cognatio, ut si solum vocis expectes sonos, non elementa Literarum vix aliquo secernantur discrimine; & sicut vocis ita magna est rei cohærentia, quia quod lætum putatur in ijs, qui divitijs affluunt, voluptatibus perfruuntur lethum persæpe adfert; mortem enim secum trahit, quod lætitiæ existimabatur vehiculum; adeout speciosum fucatúmque læti nomen plures ad lethum rapuerit, quos mundanæ lætitiæ amor priùs corripuerat; quas mundus, seu arridens fortuna voluptates exhibet haud absimiles censeas hamis, quibus pisces delusi capiuntur, ut pereant. Qui supra pisces sapiant invigilent, ut hosce declinent hamos, in id incumbant studij, ut non sinant se allici ab adblandientis fortunæ illi-

illicijs, rebúsque lætis, quæ ad lethum ducunt, ut appoſitè S. Nilus in Parænesi. *Læta vitæ hujus fluxa non te oblectent, Hami enim ſunt, animam, perinde ac piſces irretientes.*

27. *Scopulus* emergens è concitati maris gremio, quem intumeſcentes fluctus diverberent cum lemmate *Undique firmus*, Virum ingenuum, ac fortem prodit, quem adverſa non movent, nec lædunt.

28. *Rupes* in medio ſævientis pelagi percuſſa concitatis fluctibus, ventis, ac pluvijs irruentibus preſſa cum epigraphe *Immota reſiſtit*, deſumpta ex Virgilio 7. Æneid, verſ. 586. ubi de Latio Rege, quem hoſtis aggreſſus fuerat ait:

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit.

Congruit patientiæ adverſa quæque ridentis, ac citra damnum vincentis.

29. *Rupes* è ſinu procelloſi maris exurgens, ac decumanis diverberata fluctibus, ac grandine delapſa nil læſa cum verbis Statij *Stat cunctis immota minis*, Virum in bello ſtrenuum, ac intrepidum prodit, quem hoſtium minæ non terrent: de Ippomedonte cecinit Statius lib. 9. Thebaid.

——— Ceu fluctibus obvia rupes,
Cui nec de cœlo metus, & fracta æquora cædunt:
Stat cunctis immota minis, timet ipſe rigentem
Pontus.

30. *Rupes* ingens, veluti exigua Inſula plantis, arboribúſque conſita in pelagi meditullio cui efferveſcentis maris procellæ; tumentéſque fluctus in ipſam impingentes nil inſerant damni, cum verbis depromptis ex Virgilio 7. Æneid. verſ. 587. *Se ſe mole tenet*, quadrat Eccleſiæ, quæ licèt Ethnicorum perſecutionibus exagitata, & hæreticorum turbinibus, ac procellis circomdara; quia tamen fundata ſupra firmam petram, quæ eſt Chriſtus, firmior ſemper ſtetit. Virgilij carmina ſunt

Ut pelagi rupes magno veniente fragore
Quæ ſe ſe multis circumlatrantibus undis
Mole tenet.

31. *Scopulus* inhorreſcentis oceani intumeſcentibus concuſſus fluctibus cum verbis Italicis *Soſtien Fermo in ſe ſteſſo*, promptis ex Taſſo in ſua recuperata Jeroſolima lib. 10. proſ. 30. ubi canit

Ma come alle procelle eſpoſto monte
Che percoſſo da flutti al mar ſouraſte
Soſtien Fermo in ſe ſteſſo li tuoni, e l' onte
Del ciel irato, e i venti, e l' onde vaſte.

32. Congruit S. Firmo Martyri, qui invicta conſtantia, & inconcuſſa fortitudine Furentium Tirannorum vicit rabiem, ſuperavit perſecutiones, ſuſtinuit omnia tormentorum genera. Quadrat etiam viro forti invicta conſtantia retundenti ſingulos novercantis fortunæ ictus: ſiquidem, *Ut ſaxum in mari*, (ait S. Nilus Abbas de Inſtit. Monach.) *Quamvis fluctibus urgeatur, non tamen frangitur, ſed firmum atque immobile manet: ſic animus virtutibus excultus, & confirmatus, licèt diaboli prematur inſidijs, non opprimitur, nec de conſtantiæ propoſito dimovetur.*

33. *Scopulus* è maris acriori ventorum vi concitati, & exaſperati ſurgens ſinu cum verbis Turni flocci facientis minas, viréſque Troianorum apud Virgil. lib 9. Æneid verſ. 133. *Nil me fatalia terrent*, virum audacem, ac temerarium ſibimet fidentem prodit.

Scopulus in meditullio eſferveſcentis con- 34.
citato æſtu pelagi cum verbis Ovidij *Undique pulſus aquis*, virum prodit adverſitatibus preſſum, ac tentationibus pulſatum, qui ſimilis videtur ſcopulo, cui accommodari poſſet carmen pentametrum Ovidianum *Ut lapis æquoreis undique pulſus aquis.*

Scopulus ingens, in ſedati, pacatique ma- 35.
ris tranquillo ſinu plantis, arboribus navem æquora trajicientem alliciens ad carpendos fructus, frigidóſque hauriendos latices, quæ tamen in ſcopulos alios proximos, aquiſque obductos ac contectos impingens naufragium patiatur cum lemmate Italico *Nelle calme d' amor ſi fa naufragio*, alludit ad voluptates, ac illecebras, quas mundus exhibet; allicientia videntur vireta, quæ dulces ſpondeant fructus, ſed plena ſunt periculis; refert ſiquidem mundus mare malacia quadam adblandiens, ut ſuis fluctibus ſuos inſepeliat, arridet ut irrideat, & in cautes incautos urget, factos æſtûs ludibrium; dum inanis, futiliſque voluptatis æſtuant amore, cujus flammam ipſa adblandientis voluptatis malacia accendit, ut eadem æſtuantem extinguat. Quàm malè ſupputat, qui putat ſe poſſe fluxarum voluptatum malaciam citra diſcrimina, naufragijſque pericula trajicere: quàm malè rationem ſubducunt, qui ſubducere ſe poſſe ratem rati, alto ſe credunt oceano; inſidiſque allicientis malaciæ ſe committunt undis; quæ dum ludunt illudunt, blandúque ſinu excipiunt, quos enecant; ſubſidunt enim ut abſorbeant; extolluntur, ut deprimant, intumeſcunt ut obruant. Eſt hæc voluptatis allicientis malacia eò plus timenda, quia minus timetur; eò eſt nocentior, quò ementito larvata riſu non creditur nocitura. Decepit perſonato vultu plures minus cautos, qui in cautes impingentes naufragium in malacia, & in arridente tranquillitate, riſuque voluptatis luctum, lacrymáſque invenerunt. Cavendum ne ex numero ſimus deceptorum, perſona arridenti voluptati amovenda eſt, ne ad illam moveamur.

Scopulus decumanis inhorreſcentis pelagi 36.
fluctibus acriter diverberatus cum verbis *Quò magis, eò minus*, virum prodit ridentem novercantia fortunæ adverſitates, ictúſque retundentem; adeout quò plus fortuna ſævit, eò minus lædatur, quia ut rectè S. Ambroſius lib. 1. de Jacob. cap. 8. *Perfecti eſt viri non ſuccumbere ijs, quæ pleriſque terribilia, & formidoloſa videntur, ſed quaſi fortem militem graviſſimum caſum ſuſtinere in curſu, & quaſi providum gubernatorem navem in tempeſtate regere, atque occurrendo inſurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium calcando undas, quàm declinando.*

Rupes ingens e mari gremio emergens, in 37.
quam acriores inſufflent venti & decumani urgent fluctus cum lemmate prompto ex Ovidio *Suóque eſt pondere tuta*, exhibet virum, qui ſolida, firmáque fiducia ſpem ſuam in ſolo

Deo fixit, ridétque mundi vices, & adversantis fortunæ impetus; ait Ovidius æquiparans hunc hominem rupi marinæ 9. Metamorph.

Haud secus, ac moles, quam magno murmure fluctus
Oppugnant, manet illa; suóque est pondere tuta.

38. *Scopulus* decumanis exasperati pelagi fluctibus diverberatus; ita tamen ut citra scopuli læsionem impingentes in ipsum intumescentes undæ ingenti fragore solvantur, ac disfractæ, non nisi vanidam dent spumam fugitivis innatantem aquis cum lemmate *Conantia frangere frangit*, inconcussam exhibet, aureámque patientiam, ad quam allisæ injuriæ, & adversitates vim omnem deperdunt. Viri vera loricati patientia, perinde ac scopuli sævientis fortunæ rident procellas, apposité Lipsius lib. de vera Religione *Ut scopulus insilientes undas sine motu ullo suo frangit: sic nos conviciatores, sine acerbitate ulla, aut ira.* Alludit etiam ad virum sibi illatas injurias ulciscentem: vel etiam ad Divinam misericordiam frangentem duritiem peccatoris nitentis illatis injurijs divinam offendere majestatem: hinc D. Paulus ex persecutose adhuc nascentis, ac vagientis Ecclesiæ fracta ejus pertinaciâ à divina virtute evasit vas electionis: scite Augustinus serm. 28. de sanctis. *Saulus dum grassatur, percutitur: dum Christi sanctos persequitur, violento radio cælestis luminis cæcatur; & qui adversus Deum erigebatur divina voce terribiliter prosternitur.*

39. *Concitati* maris tumescentes undæ ad scopulum allisæ, & disfractæ resilientes cum lemmate *Rupsæque recedunt*, exhibent eos in castris bellatures, qui audacia, & temeritate potius ducti, quàm viribus validiores, fortiorésque audent hostes aggredi.

40. *Decumani* exasperati pelagi fluctus ad assurgentem scopulum allisi, & fracti cum lemmate prompto ex Seneca in Agamen. Act. 3. *Ipse se frangit furor.* Ait Seneca loquens de furore non coërcito. *Jam pervagatus ipse se frangit furor*, alludit ad affectus irascentis animi non coërcitos, qui plus inferunt damni irascenti, quàm ei, in quem *quis irascitur.*

41. *Sævientis* pelagi fluctus toto impetu in præaltam rupem irruentes, quæ tamen illæsa manet cum verbis *Frustra nituntur.* Ecclesiam exhibet dum in ipsam concitatæ persecutiones sævierunt; frustra siquidem Tyranni gladios nudârunt, aculeos apparatunt, ac cætera crudelitatis instrumenta adhibuerunt; de hisce enim martyres triumphârunt.

42. *Scopulus* è maris emergens meditullio, & tumentibus ex quavis parte diverberatus fluctibus cum verbis *Undique tundor*, hominem prodit multiplici vexatum tribulatione *firmum* tamen, nec sinentem se opprimi, ac vinci. Congruit etiam S. Job, de quo S. Ambrosius serm. 64. *Job omnem Diaboli violentiam, velut torrentis cujusdam adversus se turbinem venientem, immobili corde, & inconcussa mentis vivacitate suscipiens, tanto clarior ex tentationibus factus est, quanto difficiliora, & periculosiora sunt ab inimico intentata certamina.*

Arca Noëtica innatans cathaclysmi aquis, 43.
in qua includuntur, ac pacificè unà degunt lupus, & agnus; accipiter, & columba, ac reliqua animantium genera nativis antipathijs, ac ingeniorum, geniorúmque diversitate contraria cum lemmate *Jungit concordia plures*, congruit Ecclesiæ, in qua congregantur ad pacis, & charitatis studia Gentes omnes, licèt natione diversæ, moribus contrariæ: hinc cecinit ille:

Quàm bene lætatur junctis Ecclesia natis
Dissidium procul hinc, sit procul inde furor
Ite canes rabidi, pastique cadavere corvi
His procul à socijs pax sua regna colit.

Arca Noëtica aquis diluvij innatans, ex qua 44.
dimittitur columba cum epigraphe *Spes excitat alas.* Alludit ad Innocentium X. summum Pontificem, cujus gentilitium stemma columbam defert; & ad Legatos missos pacis ineundæ causâ inter dissidentes Christianos Principes, festivè ille

Spes ruit æquoreas emissa columba per undas
Atque tuas ambit mitis oliva comas.
Spes quoque Legatos borealibus intulit oris:
Sunt quibus optatæ pacis oliva placet
Irrita spes sæpè est: semel est spes falsa columba
O utinam liceat dicere vera semel

Arca Noëtica innatans aquis diluvij ad 45.
quam revertitur columba deferens ramum virescentis olivæ; hac epigraphe *Pax intus, & extra*, signat perfectam felicitatem utramque pacem complecti, utraque foveri, utrique favere.

Arca Noëtica undique labentibus è cœlo 46.
pluvijs obruta, & aquis innatans cum epigraphe *Emergit non mergitur*, Ecclesiam prodit, quæ ex cathaclismo persecutionum sanguineas martyrium pluvias fundentium, emersit victrix.

Arca Noëtica dilapsis pluvijs terras ubique obruentibus innatans, jugibúsque concussa imbribus cum verbis *Premit & elevat*, persecutionibus congruit, quibus Ecclesia, cujus typus Arca fuit premitur; inde enim per martyres ad uberiora elevatur gloriæ incrementa.

Arca Noëtica sola ab aquis diluvij præ- 47.
servata cum lemmate *communis discriminis expers*, immaculatam signat Beatæ Virginis conceptionem; quamvis peccati originalis diluvium omnes obruat homines, ac inficiat, Beatam tamen Virginem non infecit, nec tetigit utpote divini solis illustrata radijs, cumulata gratijs. Unde S. Anselmus in offic. Nog. cap. 4. ait: *Vas electionis S. Paulus dixit, omnes in Adam peccâsse. Vera utique sententia, & cui contradicere nefas esse pronuntio: sed cum eminentiam gratiæ Dei in te, Maria Virgo, considero, sicut te non intra, sed supra omnia, quæ facta sunt ineffabili modo contueor: ita & te non lege naturæ aliorum in tua conceptione devectam fuisse opinor.*

Arca Noëtica aquis diluvij innatans, & à 48.
naufragio, ac morte præservans humanum genus cum lemmate *Una salus*, refert Christi crucem sanguine madidam Servatoris Christi. Fuit crux illa pretium redemptionis nostræ, & Arca per quam salvi sumus; pulchrè Basilius Seleuciensis orat. 6. Arcam alloquens ait. O

scapha

scapha admirabilis signi salutaris umbra, & imago! o quæ crucis usum navigantibus præstitisti! o quæ per tempus crucis gratiam præoccupasti, servans in aquis, & ex aquis eripiens.

50. *Cymbula* piscatoria nocte intempesta in undis marinis quiescens, multóque in puppi coruscа igne, quo illecti cephali è mari in cymbam salientes unico saltu transvecti capiuntur cum lemmate *Trahuntur lumine*, religioso, bonóque convenit exemplo, quo libertati laxiorique vitæ indulgentes in mundi pelago procellis obnoxio ad virtutum alliciuntur studia in sacria claustris Religionum.

51. *Cymba* maris littora ebradens non ausa alto se credere oceano cum verbis *Non altè, sed tutè*, iis congruit, qui mediocri contenti fortuna minoribus sunt periculis obnoxii perdendæ divinæ gratiæ; quia ut ad rem nostram Augustinus in Psalm. 99. *Qui elegerunt vitam quietam cemoti à strepitu popularí, à turbis inquietis, à magnis fluctibus sæculi, tanquam in portu sunt.*

52. *Cymba*, seu portitorum navicula, quâ amnes, & lacus trajiciuntur cum verbis *Traducit euntes*, divinæ convenit gratiæ, quâ homines ex hac vita ad beatam cœlestis patriæ regionem transvehuntur appositè S. Macarius Homil. 44. *Quemadmodum per se nemo potest trajicere, nec transire mare, nisi levem, ac tenuem naviculam è ligno constructam habeat: itidem nequit anima per se ipsam superare acerbum mare peccati, & difficilem abyssum improborum spirituum, nisi susceperit subtilem, cœlestem, & volatilem Christi spiritum, cuius beneficio recto, & brevi cursu ad cœlestem quietis portum perveniure poterit.*

53. *Cymba* in sicco torrentis alveo hac epigraphe *Extrahet imber*, peccatorem signat divina destitutum gratia, & in cœnoso vitiorum alveo marcescentem otio, à quo tamen imber lacrymarum extrahet, ac a peccatorem vepribus ad virtutum excultos flores, ac amœna vireta evehet; ut contigisse D. Petro, & S. Mariæ Magdalenæ nulli dubium. Rex Ezechias in sepulchri steriles impegerat arenas, à quibus ope lacrymarum distractus, alios quindecim vitæ annos Deus illi indulsit.

54. *Cymba* sicco litori alligata, solisque radio perfusa, & cujus calore pices, quibus oblinitur liquescant, ac vitium dehiscens carena contrahat cum lemmate *Corrumpunt otia vires*, alludit ad virum otio indulgentem, qui perinde enervatur in studiis, ac cultura virtutum, ac labefactetur in sicco littore cymba, de qua cecinit Ovid. lib. Trist. Elegia 13.

Vertitur in teneram cariem, rimisque dehiscit,
Si qua diù solitis cymba vacabit aquis.

55. *Cymbula* neglecta ad littus extra aquas cum lemmate *Per otia frangor*, congruit otio corrumpenti vires reipublicæ, quia ut scitè Cassiodorus lib. 1. variar. cap. 39. *Natura humana sicut duris laboribus instruitur, ita per otia torpentia infatuatur*, idque eum minimè latuisset Appiam Claudium asserebat, satiùs Reipublicæ beneficio conferre negotiorum occupationes, quàm otii torpor, ac tranquilla quies *Negotium populo Romano melius, quàm otium committi.* Non quòd ignoraret: ait Valerius Maximus lib. 7. cap. 1. num. 1. *Quàm iucundus tranquillitatis status esset, sed quòd animadverteret præpotentia imperia, agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari: nimia quiete in desidiam resolvi.*

56. *Navis* alto se credens oceano, & medijs tantùm velis efflantem excipiens ventum cum verbis Senecæ *In Oedip. Act. 4. Tuta me media vehat*, congruit viro moderato, ac temperantiæ studioso; rectè Seneca

Fata si liceat mihi
Fingere arbitrio meo:
Temperem Zephyro levi
Vela, ne pressa gravi
Spiritu antennæ tremant,
Lene, sed modicum fluens
Aura, nec vergens latus
Ducat intrepidam ratem
Tuta me media vehat
Vita, decurrente via.

57. *Cymba* plenis velis lacum trajiciens placido efflante Zephyro cum lemmate *Te flante vehor*, congruit divinæ gratiæ, cujus ope vehimur ad portum æternæ tranquillitatis.

58. *Cymba*, quàm equus longo fune trahit per flumen adversum contra fluentis aquæ cursum cum lemmate *Ni trahor distrahor*, humanam signat naturam, quam nisi divina gratia traheret per exercitia virtutum: concupiscentiæ, ac irascibilis impetus deorsum raperent ubi vitia vitijs viam emolliunt. Scitè S. Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos. *Quomodo qui adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis, quo non vult ducitur; sic humana conditio, si paululum se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit.*

59. *Cymba*, quæ nimio gravata pondere mercium submergatur in medio lacûs, quem plenis velis trajicit cum verbis *Nimio gravamine mergor*, congruit viro sympossiis, crapulæ, ac ebrietati assueto, quique ob nimiam gravedinem oppressa, ac labefactata natura trahitur ad præmaturam mortem; plures occidit gula, quàm gladius, pulchrè S Joan. Chrysostomus homil. 10. in Genes. *Sicut navis quæ aquis impletur, ut exhauriri nequeat statim submergitur. Ita homo cum crapulæ, & ebrietati se ipsum exponit, in præceps vadit* & Petrus Chrysologus serm. 41. *Ut navem fluctus, corpus ebrietas sic demergit; hominem dat in profundum; lucem vitæ aufert, mortis facit subire naufragium.*

60. *Cymba* mare euavigans, sed a litore non dissita cum verbis Virgilii 5 Æneid. *Altum alij teneant*, congruit illi, qui suæ contentus sortis ad majora non aspirat, ac præfert suam privatam conditionem, honoribus, quos alij in aula aucupantur; quia ut rectè S. Nilus Paræn. num. 6. *Satiùs est humi cubantem vivere, & bono esse animo, quàm perturbatum in aureo lecto.*

61. *Navigiolum* fune alligatum grandiori navi oneratæ, vel vectoriæ æquora trajicienti cum lemmate *Quò me ducet*, alludit ad homi-

nem finentem se trahi à divina gratia, cui obsequitur.

62. *Navicula* remis, ac gubernaculo destituta in medio mari fluctibus,ventisque agitata cum verbis *Quò me Fata trahent*, alludit ad hominem finentem se à fortuna duci.

63. *Navigiolum* prægrandi navi trajicienti æquora alligatum cum verbis *Sequar & obsequar*, congruit discipulo nitenti in omnibus sequi præcepta magistri, ac illi parere.

64. *Cymbula* longo fune prægrandi navi illigata cum verbis *Trahentem sequor*, signat hominem finentem se allici, ac duci à divina gratia, ut cœlestis illa sponsa in sacris canticis inquiens c. 1. *Trahe me, post te curremus.*

65. *Cymba* nullo gravata onere, lævientisque pelagi ludens cum fluctibus adjectis verbis *Levis sed tutior*, virum exhibet Religiosum voto addictum paupertatis, & nihil possidentem, quo gravetur, detineatúrque mundi fluxis; eò tutior inter mundi fluctus ad cœlestem patriam meat, quò pauperior est, adeout etiam Apuleius orat. Apologet. asseverit. *Cupio me ad pauciora coërcere, tanto futurus beatior, quanto pauperior.*

66. *Lembus* vectorius vulgò *tartana* velis decussatis æquora trajiciens cum verbis *Vento moveor omni*, viro congruit prudenti, qui pro tempore, & loco omnibus se accommodat,ut quem intendit finem fortiatur.

67. *Phaselus* remis actus, orámque adlambens cum verbis *Tutas docet ire vias*, alludit ad virum modestum non curantem supremos aulæ honores; ut tutius propriæ consulat saluti.

68. *Scapha* prægrandi alligata navi passis, plenisque velis æquora trajicienti cum verbis *Quo me cunque trahet*, exhibet plenam resignationem humanæ voluntatis ad divinam. Hinc Cleantes relatus à Seneca Epist. 107. aiebat apud Drexelium:

Duc me parens, celsique dominator poli
Quocunque placuit, nulla parendi mora est
Assum impiger

69. *Triremis* Melitensis cum insignibus, ac cruce S. Joannis Baptistæ Hierosolimitani coactis remis enavigans,ac insequens tres biremes Turcicas cum epigraphe prompta ex Virgilio 2. Æneid. vers. 358. *Per tela per hostes*, alludit ad invictam, ac adamantinam illius equestris ordinis fortitudinem; de equitibus hisce dici meritò potest quod Sofocles in Eutiphyle

Virorum fortium pectus non languescit:

70. *Triremis* assis remia equora trajiciens cum verbis *Arte,& labore*, congruit viro industrio, navóque ingenio,& labore assequenti,quem in suscepto negotio intendebat finem.

71. *Triremis* dejectis velis, assis remis enavigans, orámque legens, alto non ausa se mari credere cum lemmate *Tuta fuit nixa viribus*,illum exhibet hominem,qui aliena destitutus ope, ac principis favore, exúlque ab aula tutius in proprijs bonis superfluo parcens sumptui vitam gerit, neque alieno ære gravatur, neque invidiæ est Aulicorum amplius obnoxius; sed contentus proprijs bonis beata, ac cuta fruitur rurali solitudine.

Triremis assis duntaxat remis Matinum 72. sinum scopulis infestum trajiciens cum lemmate *Per vada per syrtes*, virum prodit audacem, proprijs fidentem viribus, séque periculis committentem.

Triremis passis velis enavigans absque ullo 73. in transtris Remige, & Favonio ad puppim blandè insufflante cum lemmate *Te spirante spero*, alludit ad hominem nitentem æternæ salutis appellere portum mediante afflatu divini auxilij supernaturalis, quô suffultus sperat felicem appulsum; & quo si destitueretur, nil posset ex se agere in ordine ad hujusmodi assecutionem supernaturalis finis.

Triremis plenis velis ventorum vi concita- 74. tum trajiciens fretum,fluctúsque obvios prorâ disrumpens cum verbis *Tumentes findit in æstu.* Virum exhibet adamantina loricatum fortitudine, quique inter adversantis fortunæ procellas æmulorum calumnias, & convicia,nec non hostium irruentium superat, infringitque conatus; quia ut apposite Seneca Epist. 59. *Sapiens ad omnem incursum, munitus, & intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem refert. Interritus,& contra illa ibit,& inter illa.*

Triremis,quæ passis velis levi zephiro semi- 75. plenis, remis mare diverberet, altúmque præscindat cum lemmate *Remo utor, & aura*, prompto ex Ovidio 2. de *Pont. Elegia 6.* congruit animæ cooperanti divinæ gratiæ, & facienti quantum in se est,dum divina afficitur gratia: neque enim humani conatus sine gratia quidquam obtinent roboris in ordine ad assecutionem finis supernaturalis;neque sola gratia absq; nostro certamine ad salutem perducit; quia ut eccè Augustinus, Deus qui hominem creavit sine homine non salvat hominem sine homine. Appositè Basilius de Constit. Monast. cap. 18. *Neque in rebus bonis*, conatus humanus, sublata ope divina perfectè unquam quod vult poterit adipisci. Neque item vicissim divinum præsidium ad nos nullo nostro studio venturum putandum est. Sed ad perfectum virtutis cumulum conjuncta simul esse utraque hæc oportet, & humanum studium, & auxilium cœleste.

Pinacea, seu Navigium maius ad bellum 76. centenis tormentis æneis instructum, fortiterque constructum cum verbis promptis ex libri noni epigrammate 47. Martialis *Pericula ludit*, alludit ad virum prudentem omnigena instructum virtute, quem neque pericula terrent, neque labores frangunt; cujusmodi fuit S.Franciscus Xaverius de quo Andreas Blancus lib. 4. Epigram. 58.

Cœli iras, pelagi rabiem, telluris hiatus
Risit & infracto pectore cuncta tulit.

Navis Melitensis piratica, cataphracta, seu 77. pluribus tormentis bellicis ad pugnam instructa, passis, plenisque velis portum appellens unà cum Turcica celoce captâ, seu navi subtili, quâ solent Turcæ uti ad petniciorem æquoris trajectionem cum gemino illo adverbio *Properè, & Prosperè*, congruit Serenissimo Maximiliano Emmanueli Bavariæ Electori, qui intra paucos annos

annos totam Hungariam inferiorem, Albam Græcam, & plerasque alias munitissimas arces in superiori expugnavit, vel ad deditionem adegit; ac è Turcita Tyrannide veluti postliminio Chrstianæ restituerit Religioni, & ut Augustus vix venit, vidit, & vicit.

78. *Navis* oneraria è portu solvens, passisque ac plenis velis altum tenens, oriente mox procella tumentes ciente fluctus, & acriore vento concitante marinos æstus cum hemistichio Virgiliano 9. Æneid. *Nec placida contenta quiete.* Virum prodit avarum, quem ardor acquirendarum divitiarum ad exteras peragrandas provincias excitat, & ad subeunda vitæ discrimina, laborésque exantlandos.

79. *Navis* plenis velis alto se credens oreano cum epigraphe Virgiliana 3. Æneidum *Vocat Auster in altum*, congruit homini respondenti divinæ vocationi, ac gratiæ Spiritus sancti sublimioribus exercendis virtutibus operam præstanti.

80. *Gaulus Hispanicus*, seu navis oneraria ex majoribus trajiciens Oceanum, inque Americam enavigans inter effervescentes concitati pelagi æstus, quibus variè exagitatur cum epigraphe deprompta ex Claudiano 3. Stilic. *Juvat ire per æstus*, alludit ad susceptos labores, arduámque vivendi rationem acquirendæ cœlestis gloriæ gratia, ad quam nonnisi per tribulationes, labores, ac obvias difficultates patet accessus.

81. *Navis prætoria* multo auro illita, sculptisque ornata figuris, singularíque luxu ad omnem instructa elegantiam, è cujus antennis pendentes laciniæ ex serico, argentóque intextæ rapientibus favonijs ludant in aëre, è cujus præcelsa, splendentique puppi fluitantia vexilla incumbentibus ventis obsequantur cum lemmate deprompto ex Virgilio 4. Æneid. vers. 110. *Fatis incerta feror*, Virum Principem pluribúsq; præpotentē divitijs exhibet, qui perinde ac reliqui hominum incerto obnoxius est fato, seu neci, è cujus falce nullus excipitur; in cujus casses omnes incidunt.

82. *Navis oneraria* Batavica ita decussatis enavigans velis, ut vel ipsi venti in oppositam impellentes partem ei non obsint, sed potius prosint, nec sint eidem impedimento, quo minus suo proficiat in itinere cum verbis *Adversa favent*, viro justo congruit, ac divinæ resignato voluntati, cui infirmitates, ac adversitates sunt lucro, quatenus singula alacri animo sustinet ob Christi amorem.

83. *Navis* passis velis è portu solvens, altoque se credens pelago cum hemistichio deprompto ex Ovdio Epist. 10. *Peregrinas ibit in auras*, alludit ad incertos rerum eventus, quibus est homo obnoxius eo ipso quòd vitæ humanæ pelagum enavigat.

84. *Navis* illa satis decantata Petri Magallanes, quæ Victoriæ nomen consecuta est, quia varios oceani sinus, omnésque trajecerit longè latéque diffusos tractus, ac post plures syrtes, scopulósque superstos orbem terrarum universum circumierit cum lemmate *Circuit æmula solis*, Sacrosanctæ cruci congruit, quæ splendidior cunctis astris per totum triumphavit universum.

Navis pelagum trajiciens acriori ventorum vi concitatum, ac decumanis diverberata fluctibus cum lemmate *Pergit contermina morti*, subindicat hominem in fluentis hujus vitæ procellis non multum à morte dissitum ob tot pericula, ac vitæ discrimina, ac ægritudines corrumpentes humores, vitam illi insidiantes Pulchrè Juvenalis Satyr. 12. 85.

I nunc & ventis animum committe dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda.

Ut enim vulgo dicitur: calculum si rectè ponas, homini ubique naufragium est.

Navis perampla jactis ancoris subsistens in portu, extra quem mare acriori vento concitatum fluctibus inhorrescat cum lemmate deprompto ex Horatio in Epod. ode 2. *Neque horret iratum*, congruit homini, qui abdicatis mundi honoribus, ac divitijs; declinatisque ejus periculis alicui sacro Religiosorum ordini nomen dedit. 86.

Navis altum tenens passis quidem velis, sed absque vento impellente cum lemmate *Indiget aurâ*, hominem signat trajicientem fluctuantis hujus vitæ pelagum, ut æternæ gloriæ portum teneat, ac indigum Spiritus sancti flante aurâ, seu gratia, qua destitutus moveri nequit, neque quidquam agere. 87.

Navis vela explicans ut è portu solvat expectansque duntaxat favorem flantis venti cum lemmate *Si flaverit aura*, exhibet aulicum paratum ad inserviendum Principi in legationibus subeundis, vel in bellicis expeditionibus; dummodo & suo faveat Princeps imperio 88.

Navis intumescentibus sævientis pelagi diverberata fluctibus, ac sursum, deorsúmque agitata cum verbis *Jactata quiescam*, Fiduciam signat, quam vir justus varijs pressus tribulationibus, ac agitatus adversitatibus in Deum habet euadendi hujus fluctuantis vitæ procellas, ac quiescendi in cœlesti patria. 89.

Navis nocte intempesta æquora trajiciens sub eynosuræ, seu stellæ polaris fixo lumine, ad quod acus magnetica in nautica pixide locata ad puppim vertitur cum verbis *Te Duce*, alludit ad hominem justum rectè incedentem juxta regulam rectæ rationis, ac lumen divinæ gratiæ. 90.

Navis parata ad solvendum è portu medio jam velo explicato adjecto lemmate *Flamina si faverint*, prodit virum dispositum, ac promptum ad magni momenti suscipienda negotia, quæ sperat fore, ut desideratum sortiantur finem, si Deus opem dederit, & principes terræ non erunt ipsi impedimento.

Navis passis, plenisque velis æquora trajiciens cum verbis *Vis non visa movet*, fuit Symbolum excogitatum à Gregorio Boleio, ut alluderet ad Lauretanæ domus trajectionem ope invisibilium Angelorum è Nazareth in Dalmatiam, ac demum in agrum Picenum. Alludit etiam ad divinam gratiam operantem interiùs, ac moventem cor hominis blandè, suaviterque ad opus bonum. Est divina gratia vis non visa movens, quia ut habatur [illegible] 91.

Spiri-

Spiritus ubi vult spirat, sed nescis unde veniat, aut quò vadat.

93. *Naves* plures onerariæ, cataphractæ, bellicæ nocte intempesta enavigantes mare ad Cynosuræ, seu polaris stellæ fixum lumen cum lemmate *Unum dirigit omnes*, alludit ad varios sacros Religiosorum ordines, qui omnes ab eadem Fide Christiana diriguntur in trajectione maris hujus fluctuantis vitæ.

94. *Navis* sæviente pelago jactata cum verbis *Irruit non obruit*, congruit viro justo ac patienti, quem adversitates premunt, sed non opprimunt, suntque virtutis exercitio, non exitio.

95. *Gaulus major*, seu primæ magnitudinis, qui vulgo Galeon dicitur pluribus tormentis bellicis ad maritimas instructus pugnas, passis tumidisque velis mare trajiciens acriori ventorum vi exasperatum cum lemmate *Hunc monstra timent*, alludit ad præpotentem classem alicujus Regis, vel Principis cæteris prævalentis. Convenit etiam viro forti omnibus instructo virtutibus, quique vel monstris, seu Tartareis est potestatibus timori. Est Gaulus navigij genus non planè rotundi, tantæ tamen molis, ut cùm enavigat, arx videatur munitissima pelago innatare; pluribus enim distinguitur contignationibus multiplici tormento bellico munitis: castella è prora, puppique eminent milite & armis instructa; ad rostrum, clavúmque infra, supérque tabulata, multiplici ordine tormentis in hostem minitantibus ita armatur, ut vix ulla sit hisirix suis hispidior sentibus, ut hic Gaulus munitus tormentis bellicis.

96. *Navis Hispanica* ultra promontorium quod vocant Bonæ spei nocte intempesta enavigans versus Indos Orientales ad lumen directionémque syderum poli antarctici, quæ crucis describunt figuram cum lemmate *Hoc sydere tuta*, Christianæ congruit Religioni, quæ crucis prælucente gloria, & gratia fidelibus data ob Christi merita tutè per difficillimas orbis regiones fuit profecta, & feliciter propagata. Convenit etiam jurisdictioni Regis Hispaniarum, quam Missionarij Apostolici mediante Religione Catholica, & crucis vexillo dilatarunt, ac firmârunt in America & Asia.

97. *Navis* longior quinque remis, quæ vulgò Galeazza dicitur remis, velisque Maria enavigans cum verbis *Ut ocyor æquora sulcet*, alludit ad virum justum cooperantem flanti auræ divini Spiritus, ac laboranti juxta vires omnes, quæ ipsi suppeditantur, ut citius cœlestis patriæ appellat portum etiam inter tormenta martyrij, quod si occasio daretur alacri subiret animo. Est quinqueremis navis tertia omnino parte triremibus longior, ac latior, remis agitur, & velis; præaita in ea prora eminet, & excelsior puppis, quas duo propugnacula plurimo tormento bellico, ac milite instructa obarmant: navis itidem latera singulos inter scalmos, remigúmque transtra tormentis ita in orbem muniuntur, ut quocunque se navis vertat, a què noxium fulmen jaciat; laxiora hinc transtra interjectis dant loca tormentis. Hac ratione sicuti veteres a communibus navigijs triremes distinxerunt eas longarum nomine nuncupantes; ita ab ipsis navibus longis hoc navigij genus quinqueremis longior appellatur, à Venetis tamen, & Italis Galeazza; adhibitæ primùm fuerunt hæ naves à Venetis in Naupactea pugna, eo felici exitu ut insignem victoriam Christianæ pepererint Religioni.

98. *Navis* subtilis, quæ Celox, vel Dromon dicitur passis velis in medio mari flantem expectans ventum, ut moveri possit, ac trajicere fluctus cum verbis *Quo me Fata trahent*, convenit virtuti obedientiæ, seu viro justo, ac pio parato cuilibet auræ Spiritus sancti obsequi, ac cooperarij; quo pacto D. Paulus Act. 9. 6. Deum alloquitur *Domine quid me vis facere*.

99. *Navis Brasilica* ex unica tantùm excavata trabe constructa remis, velisque oceani trajiciens sinus cum verbis *Simplicior, sed tutior*, alludit ad hominem rectum, sed simplicem, qui longè tutiùs enavigat hujus præsentis vitæ pelagum, nec tam multis est naufragandi obnoxius periculis, quamvis varijs molestiarum jactetur fluctibus, adversitatum pulsetur procellis: quia omnia patienter, æquoque animo sufert, simpliciqueco rde ac timore agit. Ferunt Canoæ in Brasilia actuarios confici lintres ex una continenti trabe excavatos, quibus ad piscatum æquè ac ad pugnam utuntur accolæ luxuriant ob telluris ubertatem ad miram proceritatem in ora illa arbores, quæ facilem hisce parandis navibus suppeditant materiem; laxiores lintres ad septem circiter ulnas dilatantur in aperto alveo, neque major ab uno ad aliud latus distantia intercedit, sunt aliæ naves alijs contractiores pro majori, vel minori excavatæ trabis latitudine. Longitudo ad octoginta plerumque protenditur ulnas; minores ad quadraginta extenduntur. Forma alvei prætefert speciem; leves sunt naves, ac facile mobiles, remis, velisque aguntur, ea celeritate, ut nostris sint velociores triremibus. Singulæ quadragenos, & subinde quinquagenos vehunt remiges, qui ad duplex obeundum munus instructi, ac selecti ita remis lintrem ducunt, ut milites armis etiam agant: suo enim quisque est arcu, ac telorum fasciculo præmunitus, quibus fortiter præliatur, eumque opus est remo utuntur pro clypeo ad retundendas Adversariorum sagittas, siquidem stantes remigant, & remi manubrio in palmulam dilatato se contegunt. Præter remiges plures alij in puppi, & prora adsunt, ut etiam in medio alveo ferreis obarmati fistulis, eminus ferientes, & cominus. Subinde in duplicem bipartiuntur naves classem, & producta longiùs acie aliæ alias insolenti adoriuntur clamore, ac prælium incohant effusâ priùs eminus sagittarum procellâ.

100. *Navis* nocte intempesta trajiciens oceanum Indicum trans lineam Æquinoctij suum dirigentibus iter stellis Poli Antarctici figuram crucis exhibentibus, quas unicè suspicit cum verbis *Hoc astro duce*, Verum exhibet justum aliam suarum operationum non adhibentem regulam quam solum Deum, cui soli placere studet; ut

David

David qui Deum alloquens aiebat Psal. 26. *Tibi dixit cor meum, exquisivit Te facies mea, faciem tuam Domine requiram*, quod expendens S. Augustinus in expos. ejusdem Psalmi ait. *Quæsivi non à te aliquod extra te præmium, sed vultum tuum. Hanc inquisitionem perseveranter instabo, non enim vile aliquid, sed vultum tuum Domine requiram.*

101 *Navis* passis, plenisque velis enavigans oceanum cum verbis Italicijs *Purche spiri, spero*, convenit viro justo favente aurâ divinæ gratiæ speranti portum appellere cœlestis patriæ, totámque suam ponenti fiduciam in solo Deo, cujus ope prosperè hujus fluctuantis vitæ trajicit pelagum.

102 *Navis* alia faventibus favonijs trajiciens varios maris tractus cum verbis *Ago quia agor*, homini congruit tendenti ad cœlestem patriam per exercitia summarum virtutum, & bona opera supernaturalia, quæ eatenus agit, quia ipse intus agitur à divina gratia, cujus ope tantùm potest rectè operari, quia ut rectè S. Augustinus sermon. 13. de verbis Apostol. *Tunc bene agis, si à bono agaris*, dixerat Apostolus ad Rom. 8. *Quicunque enim spiritu Dei aguntur ij sunt filij Dei.*

103 *Navis* jactata fluctibus sæviente procella cum verbis *Hic nulla quies*, alludit ad hominem viatorem, ac tendentem ad cœlestem patriam, qui quamdiu detinetur in hoc mortalis vitæ fluctuante pelago torquetur molestijs, jactatur adversitatibus, premitur angustijs, neque ullam invenit requiem, neque pace fruitur; unde Augustinus aiebat *inquietum est Domine cor meum donec requiescat in te.*

EXCURSUS.

Mundi voluptates malaciâ alliciunt, ut procellâ mergant.

104 *Gaulus major* decumanis fluctibus verberatus, spissis nubibus diem effusa caligine, ac cimmerijs umbris extinguentibus, Euróque acriori vi concitante oceanum, adeout inhorrescens mare exagitare, simúlque navis malum frangere, vela scindere, clavúmque ad imminens, certúmque naufragium incipiat cum verbis depromptis ex Virgilio 5. Æneid. vers. 850. *Deceptus fraude sereni*, quadrat fallentibus mundi illecebris, lactea siquidem alliciunt malacia, ut perdant. Suos enim mundus fallit, sub rosæ velamine spinas exhibet, quibus acriùs cruentat, blanditur melle, & felle occidit, allicit, & enecat, ludit & illudit, fallacijs suis decipit, nimisque credulis nimis est crudelis, nimis fraudulentus, ridet ut irrideat, amplectitur ut suffocet. Si sapit homo eius fallentia gaudia anteverrat, irrideat deceptorias mundi irrisiones ut monet S. Anselmus lib. 1. Epist. 8. cuius verba sunt *Si mundus vel aliquid eorum quæ sunt mundi ridet tibi, noli arridere illi; non ridet tibi, ut in fine risus tu rideas, sed simulat risum, ut te irrideat. Esto igitur dilectissime semper cautus, ut anticipes eum, & retorqueas fraudem ejus in eum, & cum ille tibi fallaciter ridet; tu veraciter irride eum.* Vir sapiens mundum irridet, ne à mundo irrideatur, lugebit qui cum mundo ridet. ille vere ridebit, qui nunc mundi risum lacrymis eluit, fugâ coërcet, scitè Tertullianus lib. de Idololatria c. 13. *Si cum sæculo gaudemus, verendum est, ne cum sæculo, & lugeamus; sæculo autem gaudente lugeamus, & sæculo postea lugente gaudebimus.* Quotquot ridenti mundo crediderunt decepti nonnisi lacrymas elicuerunt. lugentium deceptio nostra sit eruditio; ementitis illecebris nos mundus allicit; & veris lacrymis a se ablegat; mundus quos amat esca blanditiarum hamat, ut perdat, neque amaret nisi hamaret; mundus suis illecebris Judæ haud absimilis osculatur ut capiat, & pacis velamine hostilem tegit mentem. Æternis homo natus perituris detineri non debet sæculo lenocinante. Venenum fucatæ suæ mundus dulcedini immiscet, ut sui amatores perdat.

Navis oram adlambens, & acriori suborti 105 Euri impetu ad scopulum allisa cum verbis Horatij lib. 2. ode 13. *Vis rapuit*, Libithinæ congruit, cujus violentia omnes rapiuntur.

Navis plenis velis in contrarium vecta à 106 currentibus aquarum fluctibus scyllam inter & charybdim cum lemmate deprompto ex 1. Æneid. vers. 208. *Per varios casus*, Humanam exhibet vitam pluribus obnoxiam periculis, hinc Seneca lib. de vita beata cap. 28. *Turbo quidam animos vestros rotat, & involuit fugientes, potentesque eadem, & nunc in sublime allevatos, nunc in infima allisos rapit.* De Freto Messanensi, quo Calabria à Trinacria, seu Sicilia sejungitur ait Justinus lib. 4. Primum quod nunquam aliàs tam torrens fretum, nec solum citato impetu, verùm etiam sævo: neque experientibus modò terribile, verùm etiam procul visentibus. Undarum porrò inter se concurrentium tanta pugna est, ut alias veluti terga dantes vorticibus in imum desidere; alias quasi victrices sublime ferri videas. Nunc hic fremitum ferventis æstus; nunc illic gemitum in voragine decidentis exaudias. Accedunt vicini, & perpetui Ætnæ montis ignes, & Insularum Æolidum veluti ipsis undis alatur incendium. Neque enim in tam angustis terminis aliter durare tot sæculis tantus ignis potuisset, nisi & humoris nutrimentis aleretur. Hinc fabulæ scyllam, & charybdim pepererunt; hinc latratus auditus, hinc monstri credita simulacra, dum navigantes magnis vorticibus pelagi desidentis exterriti, latrare putant undas, quas sorbentis æstus vorago collidit. Hactenus Justinus.

Naves plures onerariæ æquora trajicien- 107 tes, euntes & redeuntes cum verbis *Hæc ars dissita jungit*, convenit Mediatoribus inter dissidentes Principes, ac pacis promotoribus, quorum proprium est arte sua obvias difficultates enervare, obstacula dimovere, & concordiam invehere, simúlque eos copulare amicitiis, qui prius mutuis diffidebant odijs.

Navis sæviente procella contractis velis, 108 jactisque anchoris subsistens ad oram scopulis

periculosam cum verbis Ecclesiast. 23. *Non illidetur*, congruit viro justo omnem suam spem in solo Deo collocanti, huic enim spei innixus procellas hujus fluctuantis vitæ ridet, & Deus ei arridet.

109 *Navis* spirante Favonio pacatum enavigans æquor passis, plenisque velis cum verbis *Obsequor efflanti*, congruit viro justo cooperanti divinæ gratiæ, ut rectè incedat.

110 *Navis* in portu contractis velis, anchorisque firmata, & mare extra portum ventorum acriori vi concitatum, æstúque efferuescens cum verbis *Ventis dabo vela secundis*, congruit viro prudenti propria instituenti negotia tempore, locóque opportuno.

111 *Navis* e portu solvens, ac passis velis altum tenens cum verbis *Quò vocor alta peto*, congruit viro, qui abdicatis mundi pompis, exulat a patria, vitámque Monasticam suscipit, ut soli Deo inserviat, ac rerum cœlestium contemplationibus vacet, ut contigit Carolo V. qui Bruxellis resignato Imperio Ferdinando Fratri, regnisque Hispaniarum Philippo II. filio secessit in solitudinem ut Deo, & sibi vacaret.

112 *Navis* nocte intempesta trajiciens æquora cum nautica pixide in puppi, & acu magnetica ad stellam polarem vergente cum verbis *Hac monstrante viam*, alludit ad hominem rectè incedentem in hujus fluctuantis vitæ pelago ei prælucente divinæ gratiæ lumine dirigente simúlque signante, quà sit eundum. Alludit etiam ad Magos, quos prævia stella perduxit ad Christum.

113 *Navis* flante vento ad puppim, & imbuente humiditate vela pluviâ, qua firmiora constituuntur ad sistendum ventum cum lemmate *Imber, & Aura juvant*, congruit resipiscenti peccatori aura divinæ gratiæ, & imbre lacrymarum nitenti salutis appellere portum.

114 *Navis* demissia velis turbatum trajiciens mare cum lemmate *Effugit demissa procellas*, alludit ad humilem, & mediocri contentum fortuna, minoribus enim est periculis obnoxius, quàm qui ad primos aspirat honores. Scitè Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 4.

Effugit hybernas demissa antenna procellas
Lataque plus parvis vela timoris habent.
Tu quoque formida nimium sublimia semper,
Propositique precor contrahe vela tui.

Idque indicavit S. Basilius de laudibus solitariæ vitæ, & attulit exemplum violæ inquiens. *Humilitatis violæ dum imis contentæ sunt, nullis flatibus impelluntur.*

115 *Navis* vento transversario enavigans cum lemmate *Adversis provecta notis*, congruit animo forti, ac constanti pergenti in suscepto instituto, negotio, aut officio, non obstantibus pluribus difficultatibus, quæ illi obviant, & impedimenta, quæ objiciuntur.

116 *Navis* passis, plenisque velis è porto solvens, altóque se credens oceano cum verbis *Incertum tentat iter*, alludit ad mundi felicitatem pluribus obnoxiam periculis. Summam enim in mundo felicitatem plerumque miseriæ, & luctus claudunt. Terrena felicitas verum gaudium non invehit, quamvis potior mortalium pars hac mente abripiatur, ut putet à terrena felicitate verum prodire gaudium; melius tamen sentiunt meliores, quamvis pauciores: & quia calculi hic non numerantur, sed expenduntur, sunt ultimi præferendi primis. Unius rectè judicantis sententia, totius vulgi fœdè sæpe labentis præponderat sensui. In hujus fluctuantis vitæ pelago, quæ adversa putantur plerumque sunt prospera; & quæ secunda perniciosa, ista agunt præcipitem, quia plerumque vitijs indulgent; illa verò cautos nos faciunt, ne labamur.

EXPENSIO X.

Exhibentur Symbola repræsentantia Conchas, Margaritas, Coralia, & alia id genus scopulis, saxisque marinis adhærescentia.

Concha aperta detracto unione marino innixa scupulo hac epigraphe *Suus exuvijs honor* fuit Symbolum excogitatum à Famiano Strada, ut ostenderet, etiam corpori post funus, seu emigrationem animæ ex hac vita suum deberi honorem. Concha viduata unione corpus exhibet sine anima; habetur enim ipsa concha in aliquo pretio, & similis est humano corpori: Hinc Plato aliquando dixit, *Omnes nos in modum ostreæ alligari.* 1.

Margarita, seu unio non in sinu conchæ, sed in theca gemmaria cum lemmate *Deservisse juvat*, hoc est mare, & etiam concham. Congruit animæ justæ, quæ ex hac vita fluxa & mortali, & ex corporis ergastulo ad cœlestem evolavit patriam. Idem Famianus Strada hoc Symbolum etiam excogitavit, ipse tamen lemmati addidit *mare* quod mihi non videtur necessarium, quia unio sejunctus à concha sufficienter signat separationem animæ sanctæ significatæ per margaritam à corpore, quod indicat concha. Fuitque hoc Symbolum expositum Romæ in Basilica Liberiana in funere Margaritæ Reginæ Hispaniarum uxoris Philippi III. Allusit etiam ad nomen defunctæ. Cæterum hoc Symbolum congruit cuilibet, qui abdicatis mundi pompis, divitijs, & honoribus in sanctam secedit solitudinem, ut Deo, & sibi vacet, ac Christi sequatur vestigia, quia Matth. 19. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. 2.

Concha adaperta, in cujus sinu candidus, & grandis promineat unio ad oram maritimam arridente matutino aere nullis fœdo nubibus, ac ridente Aurora Eoo emergente ab horizonte cum lemmate *Cælo fœcunda sereno*, alludit ad divinam gratiam, quâ afficimur, elevamur ad statum supernaturalem, ac fœcundamur, ut ejus ope rectè agamus, ac veluti pretiosos uniones, dignas vita æterna promamus operationes, quæ nostram in cœlesti patria construunt diadema. 3.

Marga-

4. *Margarita* singularis candoris, sphæricitatis, ac magnitudinis in gremio hiantis conchæ sub matutinis crepusculis, serenitate aëris arridente cum lemmate *Omnis ab Æthere decor*, congruit viro justo, & sancto summarum virtutum cultura insigni, præsertim innocentiæ studio; quidquid enim boni, & laude digni ipsi inest, id totum mediante divina gratia à Deo accipit; adeo ut verè asserere possit omnis meus decor ab Æthere, seu Deo est, sine quo nil possumus, nilque sumus: unde Apostolus 1. Corinth. 15. *Gratia Dei sum id quod sum*, & 1. ad Corinth. 4. *Quid autem habes, quod non accepisti.*

5. *Conchæ* plores hiantes ad maris littus, eadentémque matutinum rorem excipientes in sinu, margaritas mox concepturæ cum verbis *Rori maritantur olympi*, produnt animas justas, ac innocentiæ candore insignes cœlesti duntaxat adhærentes sponso, cujus influxu, & gratia honestas concipiunt operationes omni margaritâ pretiosiores. Describit Solinus cap. 56. margaritarum genesim inquiens. Conchæ certo anni tempore luxuriante conceptu sitiunt rorem, velut maritum, cujus desiderio hiant. Et cum lunares maximè liquantur aspergines, oscitatione quadam humorem hauriunt concupitum; sic concipiunt, gravidæque fiunt, & de saginæ qualitate reddunt habitus unionum. Nam si purum fuerit, quod acceperint, candicant orbiculi lapillorum; si turbidum, aut pallore languescunt, aut rufo innubilantur. Ita magis de cœlo, quàm de mari, partus habent. Denique quoties excipiunt matutini aëris semen, fit clarius margaritum; quoties vespere fit obscurius. Quantoque magis hauserit, tanto magis proficit lapidum magnitudo. Si repentè micaverit coruscatio, intempestivo metu comprimuntur, clausæque subita formidine vitia contrahunt abortivæ. Aut enim perparvuli fiunt scrupuli, aut inanes. Conchis ipsis inest sensus, partus suos maculari timent. Cumque flagrantioribus radijs excanduerint dies, ne fuscentur lapides solis calore, subsistunt, & se profundis ingurgitant, ut ab æstu vindicentur. Huic tamen providentiæ ætas opitulatur. Nam candor senectâ disperit, & gramdescentibus conchis flavescunt margaritæ. In qua mollis est unio duratur eviseeratus: namque duo simul reperiuntur: unde unionibus nomen datum; ultra semunciales inventos negat. Piscantium insidias conchæ timent: inde est ut aut inter scopulos, aut inter marinas cautes, ut plurimum delitescant. Gregatim natant. Certa examini dux est. Illa si capta sit, etiam quæ evaserint in plagas revertuntur.

6. *Concha* innixa scopulo oscitans matutinum, quem sitit suscepturа rorem cum lemmate *Cœlo favente Sereno*, divinam prodit gratiam, quâ adjuvante rectè operamur & omnia possumus in eo, qui nos confortat. Est divina gratia matutinus, & antelucanus ille ros, quo in peccatore adhuc in tenebris obvoluto vitiorum, concipitur unio ille pretiosus, seu bonum desiderium, quo exoptat Deo uniri per resipiscentiam, & amorem, à quo se per peccatum averterat.

Conchæ plures gregatim marinis fluctibus innatantes, ac primam quâ ducuntur sequentes cum lemmate *Quà Dux signat eundum*, viro congruit obsequenti lumini divinæ gratiæ, ac Deo vocanti respondenti, ac parato in omnibus ei parere. Quadrat etiam exercitui moventi se ad nutum supremi militiæ Præfecti, cui religiosè obediunt milites. 7.

Conchæ plures clausæ scopulis innixæ cum lemmate *Pulchra latent*, homines signant, qui licet exterius rudes videantur, floccique proinde fiant; morum tamen innocentia, ac cultura virtutum, animi student ornatui, quem propterea Deo gratum exhibent. 8.

Concha omni destituta sensu, illo excepto, quo cibum sumit, & periculum cavet cum verbis *Nec sensu, nec arte viget*, virum signat stupidum, carens ut concha visu, omnique sensu alio præter illum cibi & periculi, ut notat Plinius lib. 9. c. 30. Tantus est stupor nonnullorum abdomini tantùm indulgentium, ut nihil nisi de fuga austeritatis, ac lautioribus epulis cogitent; ad honesta quæque surdi, & cæci. 9.

Concha fulgurante cœlo Unionem enitens cum verbis *E fulgure vita*, alludit ad novercantis fortunæ adversitates, quæ plerumque sunt viro peccatori occasio resipiscendi, & ad meliorem frugem redeundi. Ælianus lib. 10. cap. 13. putat, Uniones in conchis fieri ex rore, & fulgure: Ros siquidem allambentis fulguris vi non modò concrescit in unionem, sed & Jove tonante celeriùs concha concipit. Alij oppositum sentiunt, præsertim relatus Solinus, & Plinius lib. 9. cap. 35. ubi disertè unionum pertractat genesim; loquens enim de conchis ait. *Has ubi genitalis anni stimulaverit hora, pandentes se se quadam oscitatione, impleri roscido conceptu tradunt, gravidásque postea eniti, partúmque concharum esse margaritas, pro qualitate roris accepti*, & sentit cum Solino, *Conchas* comprimi si fulguret. Gregorius Thaumaturgus adhærens Æliano, genesim margaritarum confert cum Incarnatione verbi divini. Fulgur ait esse virtutem Spiritus sancti; rorem purissimum sanguinem Deiparæ Virginis, & unionem Christi corpus ex Sedul *lib. 2.* 10.

Concha clausa, cui marinus Cancer chelis lapillum sustinens insidiatur, exspectans ut oscitet, hiátque, injiciendi causa lapillum in apertum ejus sinum, impediendúmque hoc obice ne iterum claudatur, quò ei introitus pateat ingressus ad partem molliorem vorandam cum lemmate *Tamdiu tuta, quamdiu tecta.* Cuilibet magni momenti congruit negotio, cui æmuli adversantur, ne suum sortiatur finem. Ne pateat adversariorum insidijs, omnino occultè dirigendum est in suum finem, quem eò tutius assequitur, quò occultiùs agitur. 11.

Conchæ plures sole signum percurrente leonis in fluctuum profundo ingurgitantes, ut ab æstu vindicentur, candoréque incolumem servent cum lemmate *Delituisse juvabit.* Viris congruit, qui abdicatis Aulæ honoribus, mun- 1.

mundique pompis, ac commodis vitam in solitudine profitentur monasticam sejunctam à quovis luxu, & Aulæ nitores ubi tamen tutiùs innocentiæ, morúmque servant candorem: talem duxisse vitam, sicque incorruptam servâsse innocentiam juvabit, cum ex hac mortalis vitæ fluctuanti pelago in cœlestem erunt patriam migraturi.

13. *Conchæ* abruptos inter scopulos, saxorúmque rimas, ac dulcissas Marinas cautes delitescentes, ut piscatorum manus, plagásque delinent eum versu Italico *Stretta priggion mia libertà conserva*, congruit ducentibus vitam religiosam in sacris præsertim Carthusianorum claustris; mundi siquidem retia, astusque evadunt in beata illa solitudine; seque liberas à peccandi obvijs occasionibus conservant.

14. *Conchæ* plures in plagas revertentes piscantium, in quibus earumdem ducissa irretita detinetur cum lemmate *Sic duris urget amor*, Principibus hoc Symbolum quadrat, quorum vitæ institutio cæteris est norma vivendi, ut enim scitè Martialis *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Non inter homines tantùm, sed & inter bruta fœtus trahuntur exemplo majorum.

15. *Conchæ* horis antelucanis aëre nullis fœdo nubibus arridente oscitantes suscepturæ matutinum rorem cum lemmate *Clarescent æthere puro*, alludunt ad subditos more æquè & amore imitantes Principes, à quibus reguntur. Conchæ si cum matutinum suscipiunt rorem, aër est purus, candidi, perspicui, ac singulari puritate insigniti generantur ex suscepto rore uniones; sin autem turbidus, fœdúsque nubibus, pallore languescunt, aut rufo innubilantur, aiebat S. Ambrosius; *Qualis forma fuerit Domini: talis totius domus est status.*

16. *Concha* aperta in cujus sinu nobilis candicat Margarita cum epigraphe *Decor omnis ab alto*, exprimit non aliter in nos derivari bona omnia, quàm ex inexhausto divinæ bonitatis fonte, quia Jacob. 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum.*

EXCURSUS.

Lingua coërcenda, & verba nihili facienda.

17. *Concha* sursum binis avecta ab avibus garriendo, sibi mortem apparat in humum decidens cum lemmate *Mole ruit sua*, virum prodit superbum, qui in sublime elatus cæteros despiciens se ipsum perdit. Pellucidi fontis virescentes margines necessitudinis quodam vinculo junctæ incolebant aves duæ, & concha, eámque per ferventiores æstatis dies nullæ terris pluviæ incidissent; fontis latices jugi defecerunt siccitate; idque conchæ non solùm molestissimum obtigit, sed & imminens videbatur exitium portendere, ut quæ aquæ usu non minus quovis pisce carere poterat. Quia verò alio se transferendi corpore inepto prohibebatur, socias rogat volucres, ut quibus fulciuntur ipsæ pennis, velint opem ferre, brevique temporis spatio in alium transferre locum aquis redundantem. Aves licèt loco, cui assueverant ægrè divellerentur, amicæ conchæ annuunt votis, suadéntque conchæ, ut ore suo teretem virgulam colurnam mordicus prehensam fortiter teneret, ut postea extremas partes sociæ rostris similiter si arripuissent, ab avibus volantibus ipsa in medio pendula eleuaretur, ac sursum veheretur, sicque æquilibrio in alienum solum transferretur laticibus redundantem. Id tamen aligeri remiges seriò dederunt conchæ consilij, ut ne inter proficiscendum verba faceret, nec cuiquam obvio interroganti responderet, sed quovis pisce se magis mutam, ac surdam præberet: sic namque fore ut tuto in alias transiliret sedes. Pollicetur concha à se consilia servatum iri. Profectio suscipitur à ternis amicis corylum mordentibus, pendet concha media utrinque succollantibus alitibus. Cumque novam hanc volandi rationem aliæ conchæ, totúmque ranarum genus, quæ proximis incumbebant palustribus, ac lacunis admirarentur, concham à volucribus vectam insolenti riserunt celeusmate. Concha scommatum impatiens; quid ad vos, inquit, hæc mea profectio? volito hic: rumpantur ut ilia conchis, & cochleis cunctis vobis. Vix ea fata, ore hiante, ac patulo præcepti immemor, auxiliatrice virga destituta deorsum fertur, lethalique ictu rupibus allisa garrula emoritur. Documento est fabula viris ad lautiorem promotis fortunam se coërcendi ea animi moderatione, qua cæteris non sint detrahendi occasio, & si quæ intorquentur in ipsos convicia, ea flocci faciant oris compressione. Non est viri prudentis cujusvis improbi contumelijs, atque in se jactis convicijs verborum strepitu contraire: equus generosus canum latratus nihili facit, sed stratam sonipes viam calcat, se ipsum potius, ac sessoris habenas observans, quàm ut tantillum ex metu à recto declinet gradu. Decet id etiam viros eruditos, qui vix Momorum effugiunt dentes; nullum est opus adeo perfectum in quod malignantes suas non acuant linguas: Aristophanes fuit Aristotelem insectatus, nec Homero defuere Zoili; sensit Virgilius mordentes invido dente Mævios, & Bavios. Cercox Hesiodi opera ut vitijs scatentia laceravit. Nec Cæstius Ciceronis pepercit eloquentiæ maculas deprendens in sole, umbras execratus in luce: sed quemadmodum scopulis illisi fluctus licèt supra decumanos tumidi, non eos frangunt, nec commovent; sed læduntur ipsi effracti, quasi despumantes ex indignatione frustrati ausus; ita aliorum convicia in opus egregium conjecta, licet obstrepent, temporis tamen progressu dilabuntur, evanescunt. Dandum est aliquid hominum libertati, neque effrænes possunt linguæ coërceri, esset id nubibus obsistere ne repetito tonitru obstrepent. Forti ac infracto animo susque deque ferenda sunt obversantia. Silentio convicia franguntur, & taciturnitate contumeliæ pereunt;

manet

Inenes sunt minæ si resistentia haud offendant; solis lusorius placido delapsus in lacu vim omnem exuit saliendi, edendique murmur, qui saxis impactus obstrepit. Adversus convicia præsentissimum est silentium pharmecum; garrulitas animum prodit pusillum. Vir ad pinguinrem evectus fortunam ab omni abstineat strepitu, non intumescat, os comprimat ad aliorum latratus; scitè ille

Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus, invidiæque.

18. *Unio* insignis crassitiei in theca gemmarie cum verbis *Candore, & lævore*, exhibet hominem morum candore, ac comitate ab omnibus commendabilem. Sicuti Margarita quo plus continet candoris, ac lævoris pluris æstimatur: ite vitæ innocentia si morum confœderetur comitati, ex affabilitate hominem constituit omnigene dignum laude.

19. *Concha* ad maris oram oscitans, sitiénsque deciduum sereni cœli rorem hac epigraphe *Cæloque salóque*, convenit viro pœnitenti, cui nil magis cordi quàm Deo placere, & amaroe castigatæ carnis vitie detergere, quibus indulserer. Perinde ac concha cœlo gaudet, cujus rore nutritur, & maris salsedine, cui adhærescit; ita resipiscens peccator soli edhæret Deo, & sola lacrymarum amaritudine gaudet, ac delectetur.

20. *Concha* unionis mater, procellosi, maris innatans fluctibus cum verbis *Non fugit ab æquore quidquam*: illis congruit, qui licèt in mundi, vel aulæ pelago immorentur nil tamen inde hauriunt mundi, nil aulæ, quod vitæ integritati, morum rectitudini, ac innocentiæ possit candori obesse.

21. *Margarita* candore, lævore, megnitudine cæteris antecellens in sinu pulchræ, ec candidæ conchæ cum verbis depromptis ex Horetio lib. 1. Ode 16. *Matre Pulchrá Filia Pulchrior*, fuit Symbolum excogitetum eb Henrico Engelgrave ut significaret Virginem Deiparam plenitudine gretierum, donisque alijs naturalibus, & supernaturalibus longè excedere S. Annam ejus matrem, quæ licet fuerit Mater pulchre, seu sencta, ejus temen filia fuit longè pulchrior, concha est pulchra meter, ac pretiosa pulchrioris, & pretiotioris filiæ, seu margaritæ. Quamvis conchæ habeantur in æstimarione ob virtutem, quá instruuntur, uniones temen longè pluris fiunt.

22. *Concha* percurrente sole Leonis signum, ne ejus radijs infuscetur unio, quem in sinu fovet, subsistens, seque profundo ingurgitans cum verbis Italicis *Fuggo 'l Sol per conservar mio candore*, convenit puellæ hominum fugienti frequentiam, seque Deo mancipanti in sacro Religiosarũ Virginum Clanstro ut liliatam à quavis defœcatam labe vitam Deo exhibeat. Tutior hæc in abditis, ec solitudinis servetur secessu, quàm si pateat.

23. *Concha* oscitans matutinum sitiens rorem defœcatum aëris arridente serenitate, ac ridente cœlo solis ortu, cum lemmate *Roscido ab imbre decorem*, alludit ad propensiones naturales majorum, quæ facilè refunduntur in eos, qui ab ijsdem suam trahunt originem. Nititur natura sui in posteros conservationem invehere, quibus propterea easdem imprimit, quas possidec qualitates; ac eam majorum quem potest sui similitudinem: hinc Horatius lib. 4. ode 4. *Fortes creantur fortibus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam*, & Euripides *Generis illustrat decus quisquis celebribus dignus est natalibus.* Educatio itidem, & magistri ad id plurimum conferunt, ut S Hieronymus Epistol. ad Læram monet inquiens. *Gracchorum eloquentiæ multum ab infantia sermo matris contulisse scribitur. Hortensij oratio inter paternos sinus coaluit. Græca narrat Historia Alexandrum potentissimum Regem, orbisque domitorem, & in moribus, & in incessu Leonidis pedagogi sui non potuisse carere vitijs, quibus adhuc parvulus fuit infectus.*

Conchæ plures innixæ præcelsis marinis 24.
scopulis, roscidósque bibentes imbres è cœlo delapsos sereno hec epigraphe *Cælo suppeditante vigorem*, alludit ad divinam gratiam, qua suffulti, & adiuti rectè agimus, ac operationes efficimus vita æterna dignas, quæque veluti pretiosæ margaritæ nostrum in cœlesti regno construunt diedema. Hinc Apostolus aiebat *omnia possum in eo, qui me confortat.*

Concha hians aëre nubibus fœdo, & mar- 25.
garitam concipiens subrusam, ac à perfecto candore degenerantem hac epigraphe *Pendet ab æthere forma*, explicat omnia nostra bona dependere à solo Deo, cujus si simus gratiâ destituti nil possumus boni efficere; adeout nostræ operationes cœlo arridente, seu Deo elargiente suam gratiem plurimum hauriant decoris, pulchritudinis, ac meriti; cœlo autem non arridente, seu Deo subtrahente suam gratiam, plurima contrahant vitia.

Margarita cæteris grandior, candidiór- 26.
que in sinu matris conchæ oscitantis, ac simul fulgurante cœlo cum lemmate *Patre edita cælo*, deprompto ex Ausonio lib. 1. carm. 32. ubi de Venere ex maris spume enata cecinit. *Nata salo, suscepta solo, patre edita cælo*, Christi prodit humanitatem in Virginis utero, fuit siquidem efformata ex purissimo Virginis sanguine ope Spiritus sancti, qui instar fulguris pervasit Virginis intima, efformavitque ex purissimo illo Virgineo sanguine humanitatem Christi, qui propterea dicitur conceptus de Spiritu sancto. Hinc S. Joan. Damascenus orat. 1 de nativitate Virginis vocat Deiparam Concham, *Quæ cælitus ex divinitatis fulgetro in utero concepit; ac peperit Christum ingentis pretij unionem.* Adhæret Damasceno S Ephrem *serm. de margarita pretiosa*, inquiens. Deipara fuit conche marina veri unionis, *ex cælesti fulgore, ac purpureo latice procreati.* Congruit Symbolum etiam animæ nostræ creatæ à solo Deo.

Margarita candore, sphœricitate, ac crassi- 27.
tie cæteris omnibus antecellens, ac in sinu candicans matris conchæ totam suam ab unione suscipientis venusterem, ac nobilitatem cum lemmate *Dat generata decus*, fuit Symbolum

excogitatum à Joanne Baptista Mazzoleno, ut significaret plerunque parentes à filijs suam haurire nobilitatem, ac splendorem, eo quia isti ob summas quas possident virtutes promoveantur ad primos in aula honores; vel in bello præfecturas, vel in Ecclesia dignitates. Hoc pacto Progenitores Christi summum à Christo susceperunt honorem. *Non enim*, ait D. Thomas Villanovanus *serm.* 2. de Nativ. Virginis, *In hac genealogia sicut in cæteris à parentibus gloria descendit, sed ascendit; progenitores illustrantur à Filio.*

28. *Unionum* crotalia, seu margaritæ ita in ornamentum locatæ, ut ex collisione sonum quemdam edant cum verbis *Ex fœdere rumor*, alludunt ad illos Principes confœderatos, qui plerunque ob non servata fœderis pacta diffidentes, acriora postea inter se se bella gerunt.

29. *Margarita* plura perfectè orbiculata in eamdem coeuntia lineam hac epigraphe *Dant sociata decus*, alludunt ad plures virtutes, quæ si omnes in unum coeant subjectum magis elucescunt, & una alteri est pretio, ac elegantiæ, & omnes plus subjecto addunt ornamenti.

30. *Uniones* gemini turbinati ejusdem prorsus magnitudinis, & candoris cum verbis *A forma pretium*, pluris enim æstimantur, quia eandem prorsus formam induunt, suntque omnino pares, ac similes, ac inauribus prorsus accommodatæ: referunt animam rationalem, quæ quia condita ad imaginem, & similitudinem Dei dat homini totum pretium; cui propterea omnis decor est à forma, seu anima.

31. *Unio* cylindraceus subrufus cum verbis *Formâ non virtute minor*, congruit puellæ, quæ licet omnigena sit virtute instructa, despicitur nihilominus, quia non venustam, & elegantem præseferat corporis formam.

32. *Concha* oscitans, in cujus sinu candidet Margarita cum lemmate *Sat vel una labori*, fuit Symbolum ab Arelio excogitatum, & congruit cœlesti gloriæ, quæ una sit acquitatur sufficit pro exantlatis omnibus laboribus.

33. *Concha hians* rorémque sulcipiens è cœlo deciduum cum verbis *Stillantem colligo rorem*, congruit Authori seligenti meliora à pluribus libris doctrinâ, & eruditione refertis.

34. *Concha oscitans* matutinum sitiens rorem, quem in sinu suscipit, quo plures gignuntur margaritæ cum verbis *Hinc nitor, inde vigor*, scilicet vigor à cœlesti rore, quo imbuta concha Margaritum generat, à qua illi nitor, nobilitas, & pretium; congruit divinæ gratiæ, quâ affecta anima actus elicit supernaturalium virtutum, qui sunt veluti pretiosissimi uniones quibus ornatur.

35. *Conchæ plures* oscitantes matutinúmque rorem sitientes aëre nubibus alicubi fœdo, & inde uniones generantes rufos, maculisque infectos cum verbis *Sic possunt exempla parentum*, hoc est exempla aëris turbati, à quo ut à patre decidit matutinus ros, quo generantur in sinu conchæ uniones; alludunt ad virtutes, vel vitia Parentum, quæ per exempla injusta transeunt in prolem.

36. *Margarita* singularis magnitudinis, & candoris sola extra techam gemmariam cum verbis *Nil indiga fuci*, congruit veritati, quæ gaudet simplicitate, & respuit fucos, & involucra verborum eo quia ipsa sit per se sibi sufficiens, totúmque habeat pretium.

Unio globosus, ac perfectè orbiculatus 37. singularis crassitiei, ac candoris cum lemmate deprompto ex Claudiano *Ipsa sibi pretium*, congruit virtuti, & præsertim puritati, quæ morum invehit candorem, pulchrè cecinit Claudianus in laudem virtutis

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solàque latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausúve petit clarescere vulgi.

Unio exaluminatus, seu rotunditate, ac 38. claritate cæteris præstantior in sinu conchæ matris cum lemmate *Nullus ab arte decor*, vicum exhibet oratorem qui à natura sortitus sit præclarum ingenium, facundiam, & in dicendo gratiam singularem, quâ adstantes vel maximè alliciat. Hic perinde ac unio omnes & singulas suas perfectiones habet à natura, nullam ab arte.

Margarita singularis crassitiei, candoris, 39. ac sphœricitatis extra concham matrem in techa gemmaria cum verbis *Pretium de Matre relicta*, fuit Symbolum excogitatum in honorem Christinæ Reginæ Sueciæ, quæ abdicato Regno, Catholicámque professa Religionem Romam venit, ubi ultimum suum elausit diem; explicuit hoc Symbolum Joan. Baptista Bargioccus lib. 3. Epigram. 98.

Est Margaritis pretium de matre relicta
Quas concha ignoto clauserat ante sinu.
Dat Christina tibi pretium, nomenque superbum,
Et Matrem, & patrios deseruisse lares.
Namque suum nativa decus, quod Regna tegebant
Scit modo quàm magnum, Regna relicta docent.

Margarita orbiculato in sinu oscitantis 40. conchæ cum verbis depromptis ex Claudiano *Plausúve petit clarescere vulgi*, congruit virtuti, quæ veluti solaris radios petit omnibus clarescere.

Margaritæ plures in sinu concharum, quæ 41. ad oram maris hærent elautæ cum lemmate *Non cernuntur & adsunt*, Virtutibus congruunt, quæ ita à viro modesto, ac solitario excoluntur, ut minimè videantur apparere.

Concha clausa intra angustum scopuli hiatum cum verbis *Tuta si tecta*, congruit castitati, quæ ut servetur domi custodienda est, ac inter cellæ angustias. 42.

Margarita in techa gemmaria cæteris aliis 43. longè crassior, rotundior, ac candidior adjectis verbis *Præstat pluribus una*, congruit Deiparæ Virgini, quæ ut pote gratia plena cæteris omnibus virtutum summarum plenitudine excelluit sanctis fœminis.

Margarita perfectè orbiculata, ac pellucida è filo pendula imminente techæ gemmaria 44.

riæ in qua plures alij sunt uniones cum verbis *Probatur ad auram*, hoc est explorantur eius perfectiones ex comparatione cum cæteris, & diligenti examine singularum partium; id enim quamdiu hæsit conchæ clausæ obtingere haud potuit, congruit virtuti, quæ si perfecta fuerit & patuerit commendationem meretur omnium, quia ut scite Seneca relatus à Lipsio manuduct. lib. 2. disert. 18. *Adeo gratiosa est virtus, ut insitum etiam malis sit probare meliora.*

45. *Margarita* in sinu conchæ omnibus suis jam perfectionibus absoluta adjectis verbis *Durat in pretium*, convenit viro forti, aut ea lorica patientia, qui novercantis fortunæ assuetus adversitatibus æquo animo tolerandis eximiæ fortitudinis insigne prodit specimen. Nil pretiosius, magisque dignum viro ad summas nato virtutes, quàm callum obducere dolori, omnique malo, seu ex diuturna assuetudine flocci facere iniquæ fortunæ molestias, juxta hic monitum oppangere Senecæ *de Tranquillit. animi. c. 10. Cogita compeditos primò ægrè ferre onera, & impedimenta crurum: deinde ubi nonindignari illa, sed pati propofuerunt, necessitas fortiter ferre docet, consuetudo facilè. Nullo melior nomine de nobis natura meruit, quàm quòd cum sciret, quibus ærumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem invenit, cito in familiaritatem gravissima inducens.*

46. *Concha hians* roremque matotinum è cœlo deciduum sereno læta suscipiens adjectis verbis *Divitijs ditata supernis*, fuit Symbolum excogitatum à Joan. Baptist. Ruscellio, & potest accommodari Deiparæ Virgini ab Archangelo Gabriele salutæ gratia plenæ; tunc enim repleta fuit Spiritu sancto, & concepit pulcherrimum illum unionem, cujus pretio redempti fuimus à Charontæis transtris, dæmonisque tyrannide.

47. *Concha aperta*, in cujus sinu orbiculata, ac insignis crassitiei candicat Margarita adjectis verbis *Quia rore plena*, convenit Deiparæ Virgini gestanti in sinu puerum JESUM, quem eatenus genuit, quia cœlesti rore, seu Spiritus S. Gratia fuit repleta, cujus ope ex purissimo ejus sanguine efformata fuit Christi humanitas, & fuit ille pretiosus unio, quo iterum copulamur Deo; ait Augustinus citatus à Bernardino de Busto serm. 4. de S. Virgine, *Qui lapideas scribebat tabulas sine stylo ferreo, ipse ingravidavit Mariam Spiritu sancto*; quatenus ut docet D. Thomas opuscul. 2. cap. 234. Licèt Christi materia sumpta fuerit ex natura hominis, ejus tamen formatio non fuit virtute humana, sed virtute Spiritus sancti.

48. *Margarita* perfectè orbiculata, ac pellucida in teca gemmaria adjectis verbis deprompris ex Claudiano *Nil opis externæ*, prodit veram nobilitatem, quæ non ab ijs, quæ præclarè Maiores gesserunt desumenda est, sed à propria virtute, quæ, ut cecini Claudianus

Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis
Divitijs animosa suis, immotaque cunctis
Cladibus ex alta mortalia despicit arce.

49. Non aliena, sed propria præclarè gesta virum constituunt nobilem, ut enim monuit Juvenalis Satyr. 8.

Tota licèt veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque unica virtus.

Concha clausa marino in nixa scopulo adjectis verbis *Gemmas adaperta recludit*, viro congruit omnigena eruditione instructo, modesto tamen, & qui propterea non nisi rarò loquitur; sed si occasio detur, quâ debeat loqui tot profert gemmas, quot verba; tot margarita, quot sententias. Pulchre Beda expendens illud Prov. 25. 12. *Margaritum fulgens, qui arguit Sapientiam*, eleganter ait: *Rectè Doctor eruditus margarito fulgenti assimilatur, quia dum emendationem morum, dum supernam scientiam desiderantibus, ac piè quærentibus animis ostendit, quasi aureo ornatui majorem insuper, gratioremque fulgorem gemmæ ardentis adnectit.* 50.

Conchæ plures clausæ in maris pellucidi fundo adjectis verbis *Clauduntur in imo*, alludunt ad mysteria nostræ fidei, quæ profunda sunt, & hominibus abscondita, ut scitè monuit S. Joan Chrysostomus homil. 17. in Matth. inquiens. *Mysteria nostra fidei, ac veritatis, margaritæ sunt, quia sicut margaritæ inclusæ cochleis, positæ sunt in profundo maris; sic mysteria divina verbis inclusa, posita sunt in altitudine sensus sacræ scripturæ.* 51.

Margarita crassior candore insignis in sinu conchæ matris cum lemmate *Dat pretium candor*, congruit viro eruditissimo, omnique scientiarum genere ornato; quique morum innocentia, ac vita sanctiori sit conspicuus; est enim veluti margarita, cui præ cæteris qualitatibus, quibus nobilitatur, candor, quem induit plurimum adjicit æstimationis, ac pretij: eruditio siquidem si vitæ innocentia, morúmque candor accesserit, longè pluris æstimatur; adeo ut vitæ innocentia pretium addat eruditioni. 52.

Plurium unionum crassiorum linea, seu plures margaritæ æqualis crassitiei eidem adnexæ filo cum lemmate *Origine ab una*, congruit hoc Symbolum virtutibus moralibus supernaturalibus, quæ omnes veluti margaritæ pretiosissimæ à cœlesti rore divinæ gratiæ originem trahunt, perinde ac uniones à materiali rore. 53.

Corallij germen è sinu maris avulsum. & in teca gemmaria rubens adjectis verbis *Ante virebam*, alludit ad Episcopum, cujus proprius est color viridis, promotum ad Cardinalitiam dignitatem, qua purpuram induit. Germinat corallium in maris imo, ubi quamdiu alitur, molle, ac tenerrimum virescit, dein adultius ad albū vergit; quod si à natali extrahatur solo aëri expositum indurescit in lapidem, & purpuram vestit. De corallio hæc habet Plinius *Histor. natural. lib. 32. cap. 2.* Gignitur quidem & in rubro mari, sed nigrius; item in Persico vocatur lacè: laudatissimum in gallico sinu circa Stæchadas Insulas, & in Siculo circa Heliam. & Drapanum: nascitur & apud Graviscas, & ante Neapolim Campaniæ: maximéque rubens, sed molle, & ideo utilissimum Erythris. Forma est ei fruticis, color viridis. Baccæ ejus candidæ sub aqua, & molles: exemptæ statim durantur, ac rubescunt, quasi 54.

corna

corna fatina ſpecie, ac magnitudine. Aiunt tactu protinus lapideſcere, ſi vivat, itaque occupari, evellique rebus; aut acri ferramento recidi. Hac de cauſa corallium vocitatum interpretantur. Probatiſſimum quàm maximè rubens, & quàm ramoſiſſimum, nec ſcabroſum, aut lapideum, vel rurſum inane, aut concavum: Autoritas baccarum ejus non minus Indorum viris quoque pretioſa eſt, quàm fœminis noſtris unionis indici.

55. *Coralli planta*, quam urinator, ſeu Piſcator mari innatans manu altera è fluctibus maris elevat, oſtenditque ſocijs cymbulam remis piſcatoriam urgentibus adjecto lemmate *Pretium non vile laboris*, alludit ad præmium, quo poſt exantelatos labores donantur, qui fluctuantis hujus vitæ premuntur ærumnis ob virtutum ſtudia.

56. *Coralli fruſtum* marino litori inter conchas implantatum cum verbis *Rubeſcit ad auram*. Virginem exhibet verecundam, erubeſcentem hominum conſortium. Nil in puellis laudabilius pudore, quem in animo caſtitas fovet, nilque pulchrius rubore, quem pudor in genis pingit. Nullum iuvenibus ornamentum obtingit elegantius verecundiâ.

57. *Coralli ramus* ſub dio frigido acervo lapidum innixus adjecto lemmate *Decor omnis ab alto*, divina prodit beneficia: perinde in homines à ſola Dei munificentia ornamenta deriuantur virtutum, ac ab æthere in Corallium durities, ac rubedo.

58. *Coralli* fruſtum è faſtigio marini ſcopuli emergens, ventóque perculſum, *Perficit aura decorem.* Congruit viro pluribus divexato adverſitatibus, quibus virtutem exercens perficitur.

59. *Corallium* in techa argentea cum lemmate *Me fallit origo*, eos prodit quos favor Principis obſcuris natalibus ad lautiorem, ac ſplendidiorem evehit fortunam.

60. *Corallium* cum lemmata *Molle ſub unda*, eos indicat, qui humili ſi detineantur ſtatu molles ſunt, & tractabiles; in meliorem, verò ac altiorem educti fortunam præſertim ſi purpuram induant perinde ac corallium lapideſcunt inceſſu graves, ſermone aſperi, ac moribus inflexiles.

61. *Fruſta pleraque coralliorum* è maris ſinu emergentia additis verbis *Conſpecta rubeſcunt*, puellas verecundas produnt, quæ ab hominibus inſpectæ ſtatim erubeſcunt.

62. *Corallium* ex maris imo avulſum, & marino innixum ſcopulo cum lemmate *Dureſcet ad auram*, eos prodit juvenes, qui mollibus domeſticos inter parietes educati auſterum Religioſorum inſtitutum deligunt, ut dura pati pro Chriſti amore aſſueſcant, afflante S. Spiritus gratia.

63. *Coralli* prægrande fruſtum maris litori implantatum cum lemmate *Frangar, non flectar*, eos prodit homines adeo propriæ adhærentes opinioni, ut potiùs amicitiam diſrumpant, quàm latum unguem abſcedere velint à propria ſententia.

64. *Corallium* è pelagi ſinu avulſum, & propria rubedine ornatui inſerviens ſacri altaris auro illiti cum verbis *Deſerviſſe juvat*, eos indicat homines, qui è fluctuante ſæculi pelago diſtracti, occaſiones ad malum incurrendum declinârunt Deo famulaturi.

65. *Fruſta pleraque coralliorum* in techa argentea adjectis verbis *Exempta nitent*, eos produnt religioſos viros, qui à mundi fluctibus ſejuncti virtutum culturâ plurimum emicant ſanctia moribus illuſtres Joan. Bargioccus lib. 3. epigr. 99. corallium æquiparat religioſo

Herba fuit mollis, pelagi nutrita ſub undis,
Qui modo purpureo ſplendet honore lapis,
Æquoreas mundi felix, qui deſerit undas
Gemma erit illuſtris, ſi prius herba fuit

66. *Coralli* ramus editiſſimi ſcopuli faſtigio implantatus ac flante vento perſuſus addito lemmate *Rubor, & Robur*, hominem prodit ad cœleſtia anhelantem, qui à S. Spiritu ornamenta virtutum, ac perſeverantiam, in earundem ſtudio unicè haurit, perinde ac corallium ab aura rubedinem, & duritiem.

67. *Corallium* è maris gremio avulſum, ac litori inhærens cum verbis *Fortius inde fio*, alludit ad homines, qui tametſi mollibus, ac delicijs innutriti; auſteriori vitæ inſtituto aſſueſcunt, ut firmiores fiant in excolendis virtutibus.

68. *Corallium* inverſum crateri vitreo ad explorandum liquorem. *Proditque venenum*, Sacramento congruit pœnitentiæ venena peccatorum manifeſtanti, ut abjiciat, ac ſanet.

69. *Corallium* è fluctuantis pelagi commoto ſinu emergens, ventiſque procelloſis diverberatum *Perficitur non inficitur*, viro congruit virtutum ſtudijs addicto, cui adverſa ſunt exercitio.

70. *Manus* è nube exporrecta emergens è pelago corallium obtruncans addito lemmate, *Gignent vulnera gemmam*, corallium ſiquidem avulſum fit pretioſius, & dureſcit in gammam Symbolum cujusvis martyris, qui ſaucius niteſcit ſanctiùs, & per vulnera ſibi viam ad beatitatem aperit.

71. *Coralli* ramuſculus è pelago divulſus, ventoque flanti expoſitus cum verbis *Vires roborat aura*, alludit ad illos nobiles juvenes, qui fortitudini ſtudentes aſſueſcunt à teneriori ætate laboribus ſubeundis, & adverſitatibus fortiter tolerandis, ut ijsdem innutriti viri fortes habeantur: ſcitè Ariſtoteles lib. 7. Polit. cap. 17. *Eſt enim utile ſtatim ab ineunte ætate frigoribus aſſueſcere, hoc enim tum ad valetudinem, tum ad munera militaria obeunda commodiſſimum eſt.* Conſultius ſemper optimum ſeligere vitæ inſtitutum, tametſi ſub initijs durum videatur, aſſuetudine dulce fiet.

72. *Corallium* manu contrectatum addito lemmate *Durius ex tactu*, alludit ad eos, qui ſi uno vel altero tangantur convicio, alijs reſpondent durioribus.

73. *Cancer* fluviatilis retro gradiens additis verbis *Nunquam terga dedit*, virum prodit in caſtris ſtrenuum, qui nunquam hoſtem timuit, nec ſe fugæ dedit.

74. *Cancer* fluviatilis gradiens inceſſu diſpari cum verbis *Ante, retróque*, inconſtantiam prodit

dit humanæ mentis, cujus vota in pugnantia persæpe distrahuntur.

75. *Cancer* fluviatilis retrogradiens additis verbis *Deteriora trahunt*, viro congruit, qui à recto Christianæ perfectionis deflectens, nunc se à fucatis mundi voluptatibus allici retroque incedit ab observantia divinæ legis.

76. *Cancer* fluviatilis remorato gressu parum proficiens cum lemmate *Nil acquirit eundo*, eum redarguit Juvenem segnem, deindémque, qui in suscepto instituto non proficit, negligenter se tergens.

77. *Cancer* fluviatilis retro gradiens *Orbis iter*, Hominum mores prodit, qui semper in deterius prolabuntur.

78. *Cancer* marinus, qui verna redeunte cœli temperie scabris se saxis urgendo dilacerat exosas vetustate depositurus crustas, ut novam induat cum lemmate *Innovabitur* peccatorem indicat resipiscentem; qui ab austeriori vivendi norma novum auspicatur vitæ institutum, exuitque veterem hominem.

79. *Cancer* marinus depositis antiquis exuvijs è rima dehiscentis scopuli exiens innovatus cum verbis Apostoli *Vivo ego jam non ego*, hominem prodit è peccato ad Deum conversum, ac virtutum cultura novum induentem habitum juxta Apostoli monitum ad Ephes. 4. 11. *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem.*

78. *Cancer* marinus retro gradiens cum lemmate ex Virgilio prompto *Vestigia retro*, Religiosum designat virum segnitie, & negligentiâ notatum, qui in virtutum studio non progreditur, & à perfectione deficit, cum hocce in studio non progredi perinde sit ac retrogredi. Congruit etiam homini in quovis suscepto instituto tepido, quia ut monet S. Cyprianus contra Demetrium. *Decrescit in arvis agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, justitia in judicio, in amicitijs concordia, in actibus peritia, in moribus disciplina.*

79. *Cancer* gradiens ad lunæ lumen pleno orbe corulcæ *Hac crescente viget*, divinæ gratiæ prodit lumen, quo proficimus de virtute in virtutem.

80. *Cancer* cum luna, crescens, ac decrescens addito lemmate sub luna semiplena *cresco si crescat*, congruit adulatori.

81. *Cancer* lapillum injiciens in hiantem concham cum verbis *Arte magis*, hominem prodit prudentem, cui si vires deficiant ac media ad finis assecutionem, industria, & consilio sibi consulit.

82. *Cancer* cum lapillo in chelis innitens conchæ clausæ donec aperiatur cum verbis *Expectâsse juvabit*, congruit homini perseveranti in suscepto instituto, donec quod eidem est in voto consequatur.

83. *Cancer* marinus chelas in ostreum hians extendens carnem intus hærentem capturus, sed qui ab ostreo scabræ testæ compressu capiatur ipse, cum verbis *Callidior errat*, conguit viris subdolis, qui malis suis artibus pereunt.

84. *Cancer* non rectè gradiens cum verbis *Obliquo tramite pergit*, virum prodit vitijs indulgentem.

85. *Cancer* ad quamlibet chelarum remigio se dimovens partem cum verbis *Incessu recedit*, eos indicat studiosos, qui scholas quidem frequentant, sed nil proficiunt; Eos itidem religiosos tepidos, qui virtutum negligentes culturam in vitia proruunt.

86. *Cancer* hianti ostreo in concha planè esurienti advigilans, quasi ostrei monitor, & custos, ut placet Æliano. quia si pisciculus aliquis irrepserit dum hiat ostreum; mordet cancer ungulâ ostreum, quod sentiens concham claudit, ac pisciculum hac arte venatur addito lemmate *Si moneat*, cadit in virum obsequentem monitis superioris, qui obedientiæ fructus inde percipit.

87. *Cancer* Niliacus in edito excelsæ rupis fastigio gradiens priusquam æstivis diebus Nilus suo redundet ab alveo, cum lemmate *Prævidisse juvabit*, viro congruit prudenti futura prævidenti, ut quæ imminent damna declinet. Ferunt in utraque Nili ripa, aspides, & canceros se latibulis contegere, cum verò per æstatem in proximè exporrectos agros est Nilus redundaturus, longiùs à fluvio in loca demigrant eminentiora tum aspides tum cancri, ut damna, quæ illis ex fluminis accessione imminent, declinent.

88. *Polypus* marino scopulo adhærescens, cum mare ventorum vi turbatum intumescit additis verbis Apostoli *Mihi adhærere bonum*, congruit viro pio qui urgentibus tentationibus, ac sævientibus adversitatibus a Christo, qui lapis est angularis, opem efflagitat.

89. *Polypus* marinæ innatans malaciæ, quem varij generis pisces sequuntur ob suavem quem olet oderem, quo alliciuntur cum lemmate Virgil. *Trahit sua quemque voluptas*, cadit in eos qui sinunt se allici à carnis fucatis blandimentis.

90. *Polypus* enectus bene olens. *Virtus post Fata superstes*, illis congruit virtutum cultoribus, qui post mortem laudantur à posteris ob res præclarè gestas.

91. *Polypus*, cui piscium turbæ in pellucidis laticibus sedati pelagi obludunt cum verbis *Virtus nos allicit*, alludit ad eos, qui studio addicti virtutum consortium amant proborum.

Polypus lato innatans gurgite, quem variorum piscium exultantes turmæ sequuntur addito lemmate *Virtute trahuntur*, cadit in eos virtuti addictos viros, qui sola delectantur virtute.

93. *Polypus* urgente fame proprias vorans chelas si alius ei cibus non suppetat, additis verbis *Exlex necessitas*, prodit virum ad extremum adactum necessitatis, cui plura licent, quæ aliàs prohiberentur.

94. *Polypus* proprias depascens carnes cum lemmate *Se destruit*, in virum cadit invidum, se ipsum torquentem, & absumentem. Invidiæ id proprium suum perimere authorem.

95. *Polypus* avidiùs gulam obsonantibus infarciens pilsibus cum verbis *Nemini parcit*, homi-

nem indicat severum, in castris,& expilandis pagis nemini parcentem.

96. *Polypus* voratos ex ingluvie pisces evomens,ne sint gravamini additis verbis *Ex ore salutem*, viro congruit resipiscenti, qui sacra exhomologesi delicta confitetur patrata conscientiam exoneraturus.

97. *Polypus* subnigro adhærescens scopulo eumdem contrahit colorem cum verbis *Sic mutor ad illum*, cadit in adulatorem moribus se accommodans cæterorum.

98. *Polypus* difficulter avellitur à scopulo, cui adhærescit *Discerpar quàm disiungar*, congruit amico fideli, quem nullus eventus ab amico sejungit.

99. *Polypus* chelas in ostreum hians effundens scabræ testæ compressu detinetur ab ostreo captivus cum verbis *Capior dum capio*, congruit homini subdolo.

LIBER X.

Exhibentur Peristromata Ethico-Symbolica repræsentantia Naturas, & Proprietates Piscium aquis quà marinis, quà dulcibus innatantium, quadrupedum, Insectorum, Draconum, Plantarum, Arborum, Florum, ac Gemmarum, quibus adjiciuntur excursus morales.

PROOEMIUM.

Quia Animalia tum terrestria, tum aquatilia symbolicè exhibita non absque animi illicio, & oculorum delicijs penicillo facilè possunt in telis delineari; vel etiam ad uberiora oblectamenta acu Phrygia in aulæis pingi; placuit quæ hoc ultimo libro comprehenduntur symbola Peristromatum donare nõmenclaturâ: sunt Peristromata aulæa plurima colorum varietate picturata: & D. Clemens Alexandrinus, quos Miscellaneos scripsit libros, quia plurimo vestitos ornatu Stromata inscripsit. Quia verò symbolis ut plurimum adjeci Ethicen, seu moralem doctrinam moribus ritè, ac rectè instituendis accommodatam, placuit Symbola in hoc comprehensa libro inscribere *Peristromata Ethico-Symbolica*. Est Symbolica Eruditio blanda, & conciliatrix, ac læna scientiæ illecebra, quæ animum blandè demulcet, allicitque ad curiosiùs indaganda, quæ sub Symbolorum comprehenduntur involucris, præsertim si fuerint Symbola eleganti penicillo, vel acu Phrygia picta: solent oculis objecta animos magis afficere, quàm quæ nudè dicta, aut scripta, ut monuit Venusinus

Segniùs irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Animalia igitur, quæ in hoc libro symbolicè exhibemus, sunt vel corpore magna, viribus robusta, sensibus perfecta, ut inter pisces cete, inter aves Gryphi, inter quadrupedia elephantes, inter Reptilia, Dracones, inter Amphibia Crocodili. Alia exigua, infirma, viribus

veluti destituta, & adeo parva, ut oculos ipsos videantur fugere ut culices, cinjphes, formicæ, quorum nomina si aures implent, corpora vix oculos afficiunt; utraque tamen digna admiratione; illa quia magna; hæc quia parva: etenim in utro spectabilius fit naturæ artificium, utrinque à SS. Patribus pulchra producuntur argumenta; quæ ansa fuerunt Hugoni à S. Victore proponendi problema, num Numinis Sapientia illuceat clarior in minutorum structura animalium, quàm in vasta gramdiorum mole: in minutis enim animalibus, quorum exilitas vix sensus ferit exteriores, oculósque fugit, subtilissima, & artificiosa Singulorum membrorum figuratio, ac cunctarum corporis partium tam apta digestio, atque omnium sensuum, tam exquisita distinctio, & perfectio, perinde ac in gramdioris molis animalibus, aliquid exhibet contemplantibus admirabilius; etenim in formicis, culicibus, alijsque id genus minutissimis animalculis; corporis, & membrorum omnium structura eò auget admirationem, quò opificium decrescit exilius: ait Augustinus lib. 22. de civit cap. 24. *Plus formicularum, & apicularum opera stupemus, quàm immensa corpora Balænarum*, cui suffragatur Plinius *lib. 11. Histor. Natur. c. 2.* inquiens. In magnis corporibus facilem officina materiam suppeditat membris efformandis peridoneam: sed in tam parvis, tamque nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio? Nam ut de uno *culice* dicam (sunt & alia dictu minora) uoi tot sensus in culice natura collocavit? ubi visum prætendit? ubi gustatum applicavit? ubi odoratum inservit? ubi truculentam illam, & portione corporis maximam vocem ingeneravit? qua subtilitate pennas innexuit? prælongavit pedum crura? disposuit jejunam caveam, uti aluum? avidam sanguinis præsertim humani sitim accendit? Telum verò perfodiendo tergori, quo spiculavit ingenio? atque ita reciproca geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, sorbendóque fistulosum esset? Quos *teredini* ad perforanda robora cum sono teste dentes affixit; potissimúmque è ligno cibatum fecit? sed turrigeros Elephantorum miramur humeros, Taurorúmque colla, & truces in sublime jactus; Tigrium rapinas, Leonum jubas; cum rerum Natura nusquam magis, quàm in Minimis tota sit: hactenus Plinius admiratus tam gramde naturæ artificium in tam minimis animarculorum corporibus: sed longè major excrevisset admiratio si tunc temporis usus viguisset illius instrumenti, quod *microscopium* vocamus, cujus ope maxima intuemur in minimis, quæ sub nudum non cadunt oculum; & ob exilitatem etiam lynceam fugiunt oculorum aciem. Deprehensum est beneficio microscopij æquè in majoribus, ac minutissimis animalibus totam reperiri partium oeconomiam; seu æquè in culicibus, ac in elephanto præcipuas vitæ officinas, Stomachum, Hepar, Cor, Cerebrum, Venulas, Arterias, Nervos subtilissimè per totum corpusculum citra omnem confusionem diffusos; cum hæ bestiolæ licèt minutissimæ Spiritibus indigeant naturalibus, quibus deperditæ particulæ restaurentur; & vires repa-

reparentur attritæ; & vitalibus, quibus calor nativus foveatur, ac animalibus, quibus moveantur, & sentiant, erant necessariæ officinæ, in quibus elaborarentur: propterea indigebant animalia quæque licet minutissima venulis, quibus Spiritus naturales veluti per internos aquæductus dispensarentur per singulas corporis partes, ut ijsdem irroratæ vigerent; arterijs, quibus Spiritus vitales veherentur; & nervis, quibus Spiritus animales æqué per totum diffunderentur corpusculum minimi culicis, ac vastissimi elephantis. Quòd si culicis, vel muscæ anathomia occurreret, non nisi beneficio, & ope microscopij liceret minutissimas corpusculi partes aciei subjicere oculorum, præsertim tenellas artuum juncturas, incredibilem linguæ subtilitatem; miram totius capitis structuram, interiores rotulas, quibus caput in partes flectitur varias, rotantur oculi, aperitur os; ac reliquas partes tum extimas, tum internas, earúmque proportiones, & simmetrias, quæ ob subtilissimam exiguitatem nudos nostros fugiunt oculos. Imò adeo corporis opificium in minutissimis bestiolis est mirabile, ut à veteribus Sophis plus meruerit laudis, quàm in animalibus vastæ molis: & Ægyptij in omni disciplinarum genere præstantissimi plura deduxerint hieroglyphica ex ranis, cancris, cicadis, vespis, muscis, araneis, apibus, culicibus, alijsque minutissimis bestiolis, quàm ex magnæ molis animalibus, ut liquet in Aldrovando, & Pierio: & licèt Cicero prudentiam in Elephante commendet supra reliqua animalia, Aristoteles tamen *lib. 9. Histor. cap 7.* cum videtur falsitatis redarguere, asserens, *magis in minori genere animalium, quàm in majori intelligentiæ rationes conspici* idque pluribus evincit exemplis: refellitur etiam Tullius à Tertulliano *lib. 1. contra Marcionem cap. 14.* ubi ait: *Maximum artificium de industria minutiora animalia ingenijs, & virtutibus ampliâsse:* & revera quis satis commendet Apum industriam, formicarum prudentiam, Araneorum solertiam, Bombicum ingenium. Quis valeat imitari ait Tertullianus loc. cit Apum ædificia, Formicarum stabula, Araneorum retia, Bombycum, Stamina, serica? Quid vilius, quid despectius Scarabæo? & tamen si quis contemptum hoc animalculum diligenter contempletur, ait Aldrovandus de Insectis lib. 4 cap. 3. tam plures animi dotes inveniet, ut omnibus diligenter pensitatis propemodum esse malit Scarabeus, quàm aquila. Videtur natura in hisce minutis bestiolis suppleviste ingenio, industriâ, & solertiâ animi, corporis vires; ut in hominibus, qui enim exilioris sunt corporis, magis videntur animo pollere, ut notavit Poëta, *Ingenio pollet, cui vim natura negavit:* videmus vulpem gramdi elephanto astutiorem; exiguum canem Sagaciorem magno asino, parvam simiolam solertiorem esse gramdiori bove, exilem viverram gramdiores lepores ex antris suis abigere, ac in casses venatorum adigere. Quòd si mores animalium velimus explorare, ac Plinio præstare fidem, alijsque authoribus, parva animalia gramdioribus timorem incutiunt, ut mures elephantis, gallos gallinaceos

ceos Leonibus, Ichneumones Crocodilis, Acanthides Asinis, & Camelis; aranei bufonibus: quamvis grandis sit elephanti corporea machina, stetque elephas intrepidus ad armatas phalanges cruento conflictu decertantes; ad unius tamen exigui suis grunitum timore perculsus terga vertit, & fugit: magni est Leo animi, at hunc à minimo culice terreri, ac vinci in Mesopotamia ex Ammiano refert Aldrovandus *lib. 3 de Insectis c. 5.* Scarabæus apud Ægyptios strenui in bello Ducis erat Hieroglyphicum, eò quia congredi, ac pugnare cum aquila volucrum regina non detrectet: si petas unde tantum animi in parvulo Scarabæo, & audaciæ, ut cum avium pugnacissima confligere non reformidet; respondet Gazæus in pijs Hilarijs tit. 3. *Eam esse parvulorum indolem, ut in corpore exiguo sit animus grandior, & in Scarabæo pedes sint decem.* Quòd si è sylvis, & campis marinas ingrediamur aquas; ibi *Torpedo* exiguus piscis si arundine, vel filio ex illa pendulo, vel fuscina tangatur Piscatoris lacertos quamvis prævalidos obstupefacit teste Plinio *lib. 32. c. 1.* Pisciculus semipedalis est *Echeneis*, & tamen integras rostratas naves ventis, remisque incitatas remoratur, ac prorsus sistit: ait Plinius lib. 32. cap. 1. *Hæc tantilla est satis contra tot impetus, ut vetet ire navigia* quod etiam habet Aldrovandus: Exiguus pisciculus est *Musculus*, & tamen Cætorum Maximo Balenæ præit, cursúmque dirigit ne impingat. Cum igitur tam mira narrentur de Piscibus, animalibus, & Insectis, eorum naturas, ac proprietates symbolicè in hoc libro congeremus, quibus adjiciemus Plantas, Arbores, flores, & lapillos pretiosos.

EXPENSIO I.

Exhibentur Symbolicè genera Piscium aquis tum marinis tum dulcibus innatantium.

1. Pisciùm genera plura sunt quà marinis, quà dulcibus innatantium aquis, illi in singulis pelagi, marisque totius finibus; isti in fluminibus, fontibus alijsque stagnantibus aquis aluntur, ad quæstus dominorum augendos, mensásque delicatioribus obsonijs instruendas, ac animi è piscatu hauriendam captandamque voluptatem, ut cecinit ille

Et juvat, & licitum est piscando fallere tempus.

Solent etiam arte piscinæ construi, quæ vallo, aggere, sepibus, ac emissario, seu cataractis muniuntur, ut etiam aquis oppleantur idoneis quibus pisces innatent, ac alantur. Ductus aquæ derivandæ in piscinam, vel à proximo flumine, vel rivulo defluente, vel continuis scaturiginibus desumitur. Aqua tamen pluvia cæteris præfertur utpote alendis piscibus magis idonea: rivuli è quibus ad piscinam defluunt aquæ à dumetis, sentisetis, alijsque obstaculis purgandi sæpius sunt, ne intercipiant pabulum optimum, quod ex subjectis agris advehitur. Aqua purè fontana Trutis, Auratis, Thymallis, & gobijs gratissima accidit; nocumento tamen est Carpionibus, ac Lucijs, alijsque piscibus ob cruditatem, ac alimenti carentiam; quò aqua est defæcatior, eò macriores ijsdem innatant pisces, qui aqua pluvia ob halituum copiam feliciùs aluntur. Hæc in piscinas verno tempore defertur fœtus, sive is bimulus, sive trimulus fuerit sub lunam tamen pleno orbe coruscam, siquidem omnes pisces sive squamosi sint, sive glabri luna silente, ac corniculata sunt macilentiores. Allaborandum tamen, ut in proprio, ac domestico fundo proles educetur genuina, quæ enim aliunde petitur, ut plurimum spuria piscinas infisit; hinc Cato monitos esse voluit oeconomos circa pisces hosce ut vendaces sint, non emaces sæpius etiam præstat non emisse, quàm emere miscellanea, & quodlibetica, in quibus sunt bona

mixta malis: ſpuria in piſcinis progenies ubi ad ſpithamam unam excreverit, intempeſtiva fœcunditate ſibi ſimilem notham progenerat ſobolem; idque neglectu ſeminarij in proprio fundo. Bonæ notæ piſces cenſentur, qui oculis ſunt nonnihil exſtantibus, ac emiſſitijs, ventre latiori, quàm longiore, ſquamis minimè pallidis, ſed ſubcandidis; corpore quadrato neque intempeſtivè inflato. De hiſce igitur piſcibus, & de marinis promiſcuè ordine ebecedario plura ſymbolicè exhibebimus.

2. *Adones* piſcis arido ſe ſe verſans in litore, donec è ſiccis ſaxis ſaltatorio quodam tripudio in ſubjectum deſiliet mare cum verbis: *Deſerviſſe nocet*, in virum cadit religioſum, qui à ſuſcepto deflectens inſtituto propriam deſerit cellam, ſeque negotijs immiſcet ſæcularium, in quibus nonniſi ſentes, moleſtias experitur cum non modico animæ detrimento. Adonis teſte Æliano lib. 9. cap. 36. aſpectu eſt flavus, è genere mugilum, ſaxa, rupéſque incolens, in quibus ad victum neceſſaria ſibi comparat; cute glabra obducitur, firmos habet dentes ut ſaxarilis ſcarus: totus piſcis ut anguilla lubricus facilè capientium manum fugit; magnitudine non excedit gobium, & craſſitie totum illud ſpatium quod pollex, & index amplecti poſſint. Vivax ſupra modum comperitur; biduum enim, triduùmque in ſiccis vivit ſaxis, quapropter Exocœtus etiam vocatur, eo quia extra mare in arido cubet.

3. *Acarnanis* piſcis mugilibus infeſtus, quos inſequitur, mordétque cum lemmate *Ab hoſte cavendum*, eos deſignat, quos extima mulieris forma allicit, à qua in peccatum trahuntur. Scribit Rondoletius Acarnanem formoſum eſſe piſcem colore album, ſquamis argenteis, ore mediocri, tenuibus dentibus, roſtro aquilino, oculis amplis pro corporis ratione, aureiſque pinnis candidis; ejus caudæ extrema rubeſcunt, linea recta à branchijs ad caudam protenſa: magnitudine, & forma Pagro, & Erythrino perſimilis, adeout omnes hi piſces Romæ pro eodem venum exhibeantur.

4. *Accipiter* piſcis aligerus è maris fluctibus ſurſum per aëra evolans addito lemmate: *Si vehar evehor*, ideſt cum mihi ſuppeditentur alæ, quæ aves evehunt per aëra; & ipſe harum beneficio evehor. Peccatorem deſignat, qui nonniſi ope divinæ gratiæ è peccato emergit. Piſcis accipiter pinnis, & cauda miluum refert, latis ſcilicet, & maculoſis; caput ei oſſeum, quadratum, aſperum, ac durum, cujus pars poſterior binis obarmatur aculeis. Branchiæ utrinque quaternæ ſectæ, quarum opercula oſſea, ac in duos deſinunt aculeos. Juxta branchias binæ ſurgunt pinnæ ad caudam fermè protenſæ nigreſcentes, varijſque diſtinctæ maculis; alæ haud diſſimiles, figurâ illis Papilionum. Corporis figura rotunda, ac prælunga.

5. *Acus* piſcis gracilis, & oblongus inſtar viperæ rete, quo iterum detinetur contendens dentibus lacerare, ut aperto ſibi aditu inde evadat. *Neglecta pericula perdunt*, cadit in nolentem pericula imminentia præcavere, ac declinare. Acus ſiquidem piſcis ubi ſemel in retie incidit, jamque elapſus iterùm adit periculum rete ingrediens, ſed inde non amplius evadens capitur. Roſtrum hic piſcis habet acutum, tenue, longum, caput ei triangulare, cujus inferiore maxilla eſt ſuperiore longior. Dentes utrinque parui, ac frequentes, oculi ampli rotundi, & lutei, Branchiæ ſunt ei quaternæ duplices cum pinnis duabus exiguis ad branchias: aliæ duæ ſunt ſub ventre, quas rurſus alia ſequitur à podice ad caudam protenſa. Cauda huic piſci brevis in duas diſtincta pinnulas.

6. *Acus* piſcis viperæ inſtar, ut pleriſque placet, diſrupto utero ſuos pariens fœtus cum lemmate *Sic pariendo perit*, fœminam prodit illegitimè prægnantem, nitentémque præmaturo fœtu lethali aborſu uterum exonerare: ita enim parientes iterum divinæ moriuntur gratiæ ob homicidium in voluntaria abortione.

7. *Ælurus* piſcis ſaxo innitens, lunam pleno orbe coruſcam amplis ſuſpiciens oculis cum verbis *Lumen de lumine*, denotat non aliunde incrementum divinæ gratiæ in nos derivari, quàm à Patre luminum illuminante omnem hominem venientem in pelagum hujus mundi. Ferunt Æluri oculos ad lunæ incrementum ampliores fieri, plùsque ſuſcipere virium.

8. *Alauda* quæ ob exiguitatem cum ſit piſcatoribus contemptui eorumdem pedes ad effuſum mordet cruorem cum verbis. *Contempſiſſe nocet*, eos redarguit qui flocci facientes peccata venialia, labuntur in lethalia, quibus vitã emoliunt. Eſt Alauda piſciculus in petrarum cavernis degens, & ſcopulis, in quorum abdititsſimis rimulis ſe occulit, ut piſcantium declinet inſidias, digitali eſt magnitudine, corpore tenui, lævi, ac lubrico ore exiguo, dentibus anterioribus ſerratis, poſterioribus exertis; nullæ eum ſquamæ veſtiunt, oculi ei parvuli, ac cærulei, pinnæ ad branchias latæ, ſed breves. Cauda brevis, ac rotunda: corpus fuſco eſt colore pluribus maculis rotundis, oblongis, obliquis pingitur. Peritonæum ex nigro in viride vergit.

9. *Attagenus* piſcis ſociæ veluti uxori ita adhærens, ut ab illo nunquam ſejungi patiatur, nec aliam attinget unquam cum verbis *Sic ſervanda fides*, Symbolum eſt caſtitatis conjugalis, ut ſimul erubeſcant, diſcántque vel à mutis animalibus exemplo fortiùs, quàm voce conjugalem caſtitatem & fidem ſervare, qui in alieno thoro flagitioſè volutati adulterijs, datam fidem corrumpunt.

10. *Alpheſtæ* piſces, quorum unus hamo captus alter arrepta dente cauda capti, ne ab illo ſejungatur capiuntur ambo arundine piſcatoria cum verbis *Mori potius, quàm ſejungi*, veros produnt amicos, quos nullum ſejungit periculum, nulla ſeperat fortuna. Piſcis eſt Alpheſte ait Athenæus cærulei coloris ad luteum vergentis, dorſo tamen eſt purpureo, corpore Auratam non æquet, ore mediocri, labre habet, ac dentes ſerratos; ſquamis veſtitur multâ horrentibus ſcabritie. A cervice

ad

ad caudam spinas habet tenui connexas membrana.

11. *Alphera* piscis primùm vermis, deinde piscia: si autem tabe aliqua absumatur in sicco se recipit, & deperdita omni carne ad caput usque, & oculos, aquæ iterum restitutus; corpus quod fuerat absumptum carne rursus vestitur; corpúsque enancíscitur longè vivacius. Pingi potest hic piscis sicco in litore languescens, emaciatus, cum verbis Apostoli *Cupio dissolui*, nimirum ut vegetior surgat. Symbolum est resurrectionis nostrorum corporum, quæ longè pulchriora resurgent.

12. *Amiæ* turmatim delphinum invadentes, pugnámque cum ipso ineuntes cum lemmate *Junctis viribus audent*, raferunt quamlibet virorum communitatem, in qua licèt quilibet seorsim parum valeat, omnes tamen unitim sunt formidini hostibus; quibus plerumque non modicas adferunt molestias.

EXCURSUS.

Hostis licèt viribus imbecillior nunquam contemnendus; præsertim, si possit aliis confœderari.

13. ASsarit Rondeletius apud Aldrovandum Amiam Palamydi persimilem, vel Thynno præsertim corporis specie, pinnis, & caudas Est enim rostro neuto, ventre crasso, cauda tenui in figuram lunæ in cornua curvatæ, dorso cæruleo, ventre ad argenteum vergente colorem. A dorso ad ventrem lineæ ductæ sunt obliquæ nigricantes certis à se se interstitijs sejunctæ. Sunt Amiæ oculi parvi aurei, cutie lævis dempta ea parta, quæ circa branchias nonnihil exhibet tactui asperitatis. Dentes in quibus tota vis, ac bellicus apparatus, habet acutissimos in os recurvos. Pugnam amiarum cum Delphino describit Oppianus inquiens Gillio interprete. Cum Delphinis hostile certamen ineunt solæ Amiæ corporis magnitudine Thynnis inferiores, quibus & si carnes infirmæ, & molles, dentes tamen sunt acutissimi; ijs maximè confidentes potentum piscium regem, tam præclarè contamnunt, ut cum solum quempiam ab alijs sejunctum obsarvatint, veluti signo dato Amiæ simul uniuntur, ut valentiùs in illum irruant. Delphinus proprijs confisus viribus primum hostium negligit impetum. Tum Amias invadit, quas dividit, lacerat, & plures conficit; hisce veró in suppetias occurrunt plures aliæ, quarum multitudine circumsessus Delphinus dolet se solum coactum contra tantam multitudinem certamen prosequi, revocatis tamen viribus in hostes irruit, sed Amiæ singulis Delphini membris pertinaciter inhærentes, ijsdem dentes defigunt, & præsertim ventrem cruentis morsibus dilacerant: aliæ etiam summam caudam dente comprehendunt, & aliæ dorsum exedunt, dum aliæ è vertice, aliæ è collo pendent, adeout multiplici Delphinus confossus vulnere, ac dolore correptus ingentibus se agiter, ac mare conciret, versé quin se ex omni parte, edatque etiam saltus immundos, ut ab hostibus se liberet, sed Amiæ pertinaciores acrius in ipsum incumbunt, cum ipso repetitis saltibus extra aquam emergunt, & in mare iterum merguntur, quod multo perfusum sanguine purpurascit. 14.

Hostis licet viribus imbecillior nunquam negligi debet, nec esse contemptui, ab armata manu etiam imbelli plura possunt inrentari, quæ sint exitio adversarijs, etiam à cuniculis, & formicis subversas legimus civitates: contempsisse, plerumque est animos exacuisse. & imbellibus martios suppeditasse spiritus, nunquam sunt hostes contemnendi quamvis imbecilles: nil enim stillicidio mollius; & tamen ejus repetito dilapsu saxa exeduntur, & rupes disrumpuntur. Hoc idem obtingit inter homines; parva siquidem neglecta scintilla inter dissidentes populos non saxas tantum sylvas, sed regna ipsa olim validissima ad extremam adegerunt perniciem; sæpe contempta scintilla flammas excitat, quæ ruinas pariunt, ac cineres Una tantùm vel altera eist exit hora inter domum magnam, & nullam; inter saxas contignationes & acervum dilapsorum lapidum. Deteriora ab hoste contempto evenerunt. Fallitur, qui proprijs viribus plus æquo fidens contemptum habet hostem; vires sunt prudentia dirigendæ, ne belluarum more in nocitura ruant: tacitus vir prudens secum cogitat, quid obtingere ei potest, & gravissima quæque sibi ac deteriora proponit, quibus consiliu occurrat; pluries prævidisse vicisse est. Quod si hostes se fugæ dederint non occludenda, sed laxanda est illis via, & juxta Scipionis monitum, aureus construendus pons, ne quidquam sit fugæ impedimento, qua ratione Tutor, & Sabinus laxandam viam fugientibus Vitellianis censuerunt, ne ad prælium reverterentur suppeditante validiores vires desperatione. In id consilij devenerunt etiam Cæsar contra Tencheros, & Germanos; Antigonus contra Ætolos, Agesilaus contra Thebanos, Themistocles contra Xerxem, qui etiam monet exercitus præfectos non esse fortiter instandum fugientibus, qui facilius aliàs fugerent: hinc Græci detrectârunt pontes evertere, par quos Xerxes reditum parabat in Persidem; acres sunt enim desperationi vires, & plerumque ad victoriam per calcata cadavera sibi viam fiernunt. Edocuit hoc idem L. Martius, qui perexigua desperabunda manu duos Carthaginensium fudit exercitus, quibus paulò ante duæ consulares Romanæ acies impares fuerunt.

15. *Alosa* mari æquè innatans, ac fluvijs ad cantum tinnulúmque fidium strepitum frequenti saltu è fluctibus emergit lætabunda, tamdiúque saltitat quasi choreas ad cantum duceret, donec in appensos incidat præda casses cum lemmate *Capit sua quemque voluptas*, cadit in viros mundi voluptatibus innentes se allici, hi siquidem in casses ab hoste tartareo substru-

stos,

ctos, ac apparatos incidunt, seque per peccatum à summo Bono miserè avertunt. Est Alosa piscis cubiti magnitudinem vix excedens, pressis lateribus, colore ad argenteum vergente, in acutum ac spinosum desinens ventrem; os cum maximè hiat admodum patulum, ac edentulum, apparet, omnisque expers asperitatis, caput est ei in latera valde compressum, rostrumque acutum. Branchiæ utrinque quaternæ, squamis vestitur laxis, ob tenuitatem tamen facilè deciduis. In capite oculi perinde ac gemmæ smaragdinæ micant. Dorsum è capitis vertice ex albo flavescit. Athenæus Alosam inter pisces Niliacos recenset. Verùm non solùm Nilum in Ægypto ascendunt, verum etiam Tyberim Romæ; Arnum, & Umbronem in Etruria; Lyrin, & Volturum in campania, Padum, & Adicem in Gallia Cisalpina; in Gallia Rhodanum, alios fluvios in Hollandia Mosam, & Rhenum. Aristoteles tamen negat reperiri in Euripo. Capiuntur verò teste Æliano cantu, & pulsibus testarum crepitantium; saltantes enim & emergentes è fluctibus ad pulsus cantusque harmonicum sonum in piscatorios incidunt casses. Symbolum sanè viri sensui, ac voluptatibus indulgenti, cum ijsdem delectatur in casses incidit Tartarei piscatoris se per peccatum avertendo à Deo summo bono.

16. *Alosa* piscis corusco ex procella cœlo, atque è sinu subcinereæ nubis erumpente fulmine ex solo pavore enectus, aquisque fluvij Rheni devectus, vel ripæ extinctus jacens cum verbis *Obruit & elidit*, vel *Evocat atque necat*, Iudicium refert finale; narrat Carolus Figulus Rhennanis, & Mosellanis Alosam veris adventum prænuntiare, & 10 mense Majo cum primum tonitrua audierint in mare se se recipere, adeòque tonitruis terreri, ut plerique ex ijsdem piscibus reperiantur in ripis Mosellæ, & Reni exanimati. Quali concutientur terrore, qui delicijs, ac voluptatibus indulserunt, cum filius hominis venerit die Judicij extremi?

17. *Anguilla* innatum ob cutis lævorem, ac lubricitates prementem difugiens imperiti Piscatoris manum cum lemmate *Transitque prementem*, bona designat temporalia, quæ ut pote fluxa, quò quis avidiùs ea satagit retinere eò citius dilabuntur, eo quia morte pulsante januam cogamur domo exire, & congestas deserere gazas. Anguillam piscem volunt ab angue dici ob consimilem, quam refert speciem unde Juvenalis *Anguillæ longæ cognata colubra.* Sunt adeo anguillæ læves, ac lubricæ, ut manu detineri, sistique vix possint, diversæ hujus piscis sunt species, quas describunt Aristoteles, Plinius, Ælianus, Oppianus, Majolus, Rovisius, & omnium accuratissimè Aldrovandus.

18. *Anguillæ* expiscatio per inflatum ovile intestinum, quo aura tumescit anguilla capta cum lemmate *Tanti venditur aura?* in ambitiosum cadit, qui eum honores ambit, ac dignitates, in scelera incidit, quibus æternam incurrit mortem. Refert Ælianus *lib. 14. de Animal. cap. 8.* In Eridano, seu Pado fluvio anguillas enutriri pinguissimas, capique hoc pacto. Piscator ad sinuosum locum ubi latius confluens Padus dilatatur, vel in saxo ex aqua eminente, vel in arbore radicitùs extirpata sedens, perpinguis interstini ex ove recentis tres aut quatuor cubitos longi, alterum caput in aquam dejicit, quod aquæ delabentis agitatum vorticibus otrinque volutatur; idemque illud alterum extremum manibus tenet, in quod frustum arundinis palmare inserrum est. Neque esca anguillam diu later, gaudet enim hoc intestino; & earum prima quæ fame stimulata hiante ore hamatos, ac uncinatos dentes in idem infigit intestinum præda fit piscatoris, qui monitus ex erebra insultatione qua dentes detrahere conatur, arundinem ad quam alligatur intestinum ori suo admovet, & quantum potest intestinum inflat donec penitus intumescat defluente piscatoris aspiratione; & ventus in anguillam per inflatum intestinum delapsus, illius fauces implet; & anhelitum ita obstruit, ut anguilla suffocari cogatur.

Anguilla è cœnosis dilapsa fluctibus, innatansque laticibus limpidissimis cum verbis *Jam mihi sordet humus;* Virum prodit, cui cum sint bona temporalia ac dignitates in aula molestiæ, onus subit religionis, ut soli Deo inserviat eique puro corde adhæreat. Censet Aristoteles inter anguillas mares non dari, neque fœminas, sed ex terræ petredine omnes generari. Mirùm tamen quod ex limo natæ limum non ferant. Id in homine resipiscente divinæ tribuitur gratiæ. 19.

Anguilla turbido capta in gurgite cum lemmate *Nunquam turbida prosunt*, eos desi gnat in Republica malos cives, qui turbidis rebus delectantur, in quibus expiscantur faciliùs, bonum proprium præferentes communi Reipublicæ, quam plerumque non tantùm ad extrema discrimina adigunt, verùm etiam perdunt. 20.

EXCURSUS.

Seditionum initijs totis viribus obstandum.

Sunt etiam qui in castris seditiones excitant, ut meliorem nancifeantur sortem, turbántque singula, ut pinguiorem expiscentur fortunam; hisce seditionibus fortiter occurrat militiæ Præfectus, idque felicirer præstabit si earundem causas præprovida cura averterit, si primas excitatas scintillas extinguere fategerit; si prima non permiserit semina; si quidquid natum fuerit blandè demessuerit, vel in herba suffocaverit. Hisce sub initijs pietas si exerceatur in crudelitatem degeneat; ut crudelitatis speciem induat pietas. Ex hisce siquidem primis radicibus omnia in respublicas derivârunt funesta excidia, ex hisce feminibus omnia 21.

omnia progerminarunt male in regnorum perniciem. Causæ harum in castris seditionum plures solent recenseri, nimirum improbitas militaris, ac insolentie, bellorum lassitudo, armorum tædium, sperata in turbido pinguior fortuna, retenta stipendia, Ducum avaritie, neglecta justitia, fides violate, ambitio, & alia id genus, quæ ansam seditionibus dederunt sub Tiberio, Claudio, Vespasiano, Nerva, Commodo, Pertinace, Caracalla, Macrino, & alijs, quos historiarum referunt monumenta, adeout dixerit Livius: *Æternas opes esse Romanas, nisi inter semet ipsos seditionibus sæviant. Id unum venenum, eam labem civitatibus opulentis repertam, ut magna imperia mortalia essent.*

22. Remedia delendæ seditioni opportuna sunt, mutare belli sedem, si seditio ob inhospitalitatem, aut locorum asperitatem orte fuerit; stipendia solvere, pingui commeatu inopiæ occurrere defessi exercitûs; munificentiam in milites exercere; plurimum enim liberalitas avertendæ seditioni prodest. Quod verò caput est, initijs occurratur, siquidem malum morà invalescit; & ubi invaluerit medicam respuit artem; adhibendum est ferrum & ignis ad semina seditionum delenda; extrema male omnino extremis curantur remedijs. Danda igitur sub initijs omnis opera, ne seditiosi homines convalescant; quòd si convaluerint, enitendum, ut per divisionem, distractionémque ijsdem minuantur vires, cadunt animis si solos se noverint, id felici exitu præstitit Dionysius. Quòd si absuerint, spe veniæ, ec impunitatis sunt alliciendi. Seditione deleta, nulla militaris muneris prærogativa seditionum authores donentur, ne præmia collata in audaciæ transeant perniciosa exempla, quinimo sejungendi sunt seditiosi, ne levi causa præteritorum spe illecti animis iterum jungantur, & armis.

23. *Anguillæ* plures nocte intempesta in Gange fluvio evidè vorantes quidquid ipsis occurrit escæ cum verbis *Nox tegit ingluviem*, prodit viros hypocritas simulantes cum alijs sobrietatem, & soli plus cæteris ventri indulgent. Ferunt in Gange fluvio anguillas reperiri triginte pedum, easque noctu voraces esse, & interdiu pigras, ac immotas jacere. Congruit certè simulatoribus sobrietatis, qui sursim heluantur. Ut etiam nocturnis Popinonibus, qui interdiu dormiunt, & noctu symposiis delectantur.

24. Manus è nube in aquam exporrecta, & fici folio premens *Anguillam*, cujus sistit lubricitatem cum verbis *Sistunt aspera lapsus*, cadit in Patrem familias corrigentem, ac duris excipientem filios, ne illabantur in scelera. Aristophanes lubricitatem anguillæ confert cum hominum propensione ad indulgendum voluptatibus, è quibus in scelera. Deinde offensas dilabuntur. Lubricitatis istius frœnum est ficulnum folium scabrum, cui nomen ab asperitate teste Plutarcho inditum est. Hine habetur adagium *Ficulno folio anguillam tenes*, idest opportuna correctione, ac punitione sistis lapsus proximi in scelera.

Anthias piscis ercens è loco, quem incolit 25. monstra quæque marina, ec noxios quosque pisces, edeout reliquæ squamigeræ turmæ tuta statione illi adhæreaut, gaudeántque ejus societate cum lemmate *Tutatur, & arcet*, congruit præsentiæ Christi in Eucharistia, obi nos totos reddit ab omni dæmonum assultu, viriorumque insultu; arcet enim tartareas potestates, abigitque Averni monstra, ne nobis sint nocumento. Ab Aristotele *lib. 9. cap. 37.* & Æliano *lib. 8. cap. 28.* Anthias vocatur piscis sacer, quia belluæ omnes marinæ ob antipathiam locum, in quo suam figit stationem, declinant, adeo ut Urinatores illuc tuti descendant; & cæteris piscibus tranquilla est habitatio, quod proprium est etiam Eucharistiæ, quæ hujus mortalis vitæ sedatis procellis fluctibus decumanis auream diffundit serenitatem. Frequens est Anthias piscis apud Insulas Chelidonias.

Anthias piscis intra nassam captus, caudam 26. que extra eamdem ejiciens, quam scari plures accurrentes morsu prehendunt, foràsque amicum de nassa proferunt adjecto lemmate *Probant discrimina amicos*, cadit in veram, probatámque amicitiam, qua homines unà devincti sibi vicissim sunt juvamini. Refert Ælianus *lib. 1. cap. 4.* Anthias, & scaros naturæ genio, ac indole esse amicitia ita devinctos, ut ex his quilibet eum noverit emicum socium captum esse, celerrimè adoatare festinet, ac dorsi sui oisu ad eum adhærescit: & incursu, impulsúque pro viribus prohibet captivum abduci. Seari enim suos optimè vindicant, & adeuntes conantur funes dentibus corrodere, ut ab hostibus captum serveut, & sæpe funem coucidunt, liberántque captum; neque ob id redemptionis exigunt præmie: sæpe verò non assequuntur socij liberationem, temerè totum quod suum erat præstiterint. Jam verò Nassam cum inciderit scarus, posteriorem partem sui de oassa captus eicit, quam reliqui nou capti circumnatantes morsu arripiunt, rotóque nisu foras secum trahunt; quod si in caput exierit, ipsorum quisquam qui foris liberrate gaudet ad ipsum innatans caudam ei porrigit, & à capto tenacissimo prehensa morsu foras trahitur.

Arotanus piscis, quem cum piscator manu 27. prehendit viribus deficit, febrique statim laborat cum lemmate *Rapta nocent*, furem subiudieat, qui ubi primum rem elienam invito domino sibi arrogat febrim contrahit lethalis culpæ, à qua minimè liberatur, nisi prius rem alienam, quam usurpavit, legitimo restituat possessori. Non enim dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum. Est Arotanus piscis modicæ crassitiei, gignitur in Arotane fluvio Zeilam, à quo propriam sortitur nomenclaturem. Piscis est ingenio acer, sinit enim se se astu capi, ut pœniteat piscatorem insidias eidem struxisse; siquidem piscator capiens statim febri arripitur, nec desinit morbus donec captus piscis dimittatur. Nil clarius furtum exprimit.

Araneus piscis solivagus minores, quibus 28. obviat, devorans pisces, cum verbis *A fortiore*

cavendum, congruit ijs, qui inimicitias foveat contra alios longè potentiores, a quibus indicto bello opprimuntur, Araneum piscem describit Rondeletius squamis destitutum: caput est illi amplum ad sphœricitatem vergens, os tamen obliquum, & curva scissura fissum; latera inferioris maxillæ convexa, hæcque inferior paulo longior est superiore: oculi sunt laxi, quibus pari magnitudine respondent supercilia; adeo splendidè virescunt ut gemmas referant smaragdinas. Branchias utrinque habet quaternas aculeis armatas, Venter est ei brevis, colore varius. Totum corpus vix unam, vel alteram ponderis libram attingit. Plures araneorum species exhibet Aldrovandus *lib. 2. de Pisci.*

29. *Aphyæ* pisculi minimæ molis, nullius roboris, sine squamis, absque aculeis coacervatim tamen, ac ita compressi marino litore innatant, ut alij grandiores pisces non audeant ijsdem esse nocumento cum lemmate *Dat concordia robur*, cives indicant reipublicæ, quibus licet seorsim non multum possint, si tamen concordia omnes in unum collegerit corpus, sunt hostibus formidini. Specimen hujus symboli dederunt retroactis annis Holandi contra Hispanos, & Gallos, adeout sit illis protessera adagium illud: *Concordia res parvæ crescunt, discordia dilabuntur*, Neque Spartani alijs voluerunt civitatem propugnaculis munitam, quam civium concordia, ut enim de ijsdem cecinit Homerus. *Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atque viro vir.*

30. *Aphyæ* imbre deciduo enascentes in maris sedati litore cum verbis *Fovet, atque favet*, Divinam explicant beneficentiam, à qua quidquid nobis boni inest accipimus. Dicuntur Aphyæ ex aquis pluvijs generari, ac ab imbre deciduo enasci, qua ratione à Liguribus, & Provincialibus, à quibus capiuntur, Nonnati pisces vocantur, quasi nullis nati parentibus. Adeo sunt tenues, ut facilè ad calorem diffluant, propterea farina conspersi coquuntur, & cum primum ignem senserunt excocti extrahuntur. Unde de re celerius expedita habetur adagium *Aphia ad ignem*.

31. *Asellus* pelagius hoc est alto in pelago degens, cui teste Æliano *lib. 5. de animal. cap. 20.* cor est in ventriculo; & hianti ore escas in vasto pelago quærit, quibus pascatur cum lemmate *Mihi non sufficit amnis*, designat Heluones, qui cum sint corpore, ac segnitie pingues, cor videntur non alibi habere, quàm in ventre, quatenus omnis eorum cogitatio est de ventre, & gula. Est Asellus forma corporis adeo deformis, ut Ovidius de ipso cecinerit. *Tam deformis non digno nomine pisce.* Oppianus censet, hunc piscem aselli sortiri nomenclaturam à corpore, & segnitie, qua famosus est asinus; est piscis piger vorax, qui in maris latebris abdi solet. Fuit hic piscis recens in delicijs præsertim Romanis, à quibus in lautioribus apponebatur convivijs, ut convivæ post aselli esum alia fastidirent consueta fercula, ortúmque inde duxerit vulgatum apud ipsos adagium *Post asellum diaria non sumo.* Est asellus ut plurimum pedali, vel cubitali longitudine, teres, ventricosus, capite amplo, ore excavato, ideóque hiante, ac patulo. Inferior maxilla parum prominet, oculi sunt laxi; branchiæ utrinque quaternæ, squamis obducitur minutis in lateribus, & dorso ad cineritium colorem vergentibus. In capite lapillos habet duos oblongos. Ventriculum habet magnum album, & crassum in superiore parte latum, in inferiore in acutum desinentem.

Asellus arefactus baculo, vel malleo contusus, ut in cibum aptetur, mensæque apponatur cum lemmate *Discit mollescere duris*, prodit hominem insolita consuetudine peccandi prorsus arescentem virtuti, quem propterea Deus ut resipiscat varijs corripit tribulationibus, quibus non nisi ad salutem divexatur. *Nemo ineruditus*, (ait Origenes Homil. 3. in Exodum) *Divinæ sit disciplinæ, ut flagella divina perniciem putet, & verbera Domini pœnalem credat interitum*, quia ut scitè Oleaster in Exod. 7. 5. *Idcirco à Deo flagellamur, ut Deum cognoscamus iratum, quem volumus cognoscere propitium.* Asellus exiccatus, ac penitus arefactus osseam quasi duritiem contrahit, unde robusto baculo, vel malleo ante contunditur, quàm mensis aptetur coctus, & rectè præparatus non est ingratos gustui; elixatus, ac butyro innatans plus sapit. Estque cibus per utramque Germaniam valde consuetus *Stockfisch* vocatus, quasi fustuaris piscis, à fuste, quo tunditur, nuncupetur. 32.

Asilus piscis exiguus arenei magnitudinem haud excedens, cæterorum piscium molestissimus vexator præsertim thynnorum, & Xiphiarum. Pro symbolo exhibetur Asilus thynni mordicus inhærens sub pinna, cutémque inflicto vulnere dilacerans cum lemmate *Sufficit ad necem*, congruit peccatis venialibus, quæ si negligantur viam emolliunt ad lethale. Asilus ait Aristoteles *lib. 8. Histor. animal. cap. 19.* vermiculus est effigie scorpionis, magnitudine arenei, tanto infestans dolore, ut thynnus subinde in naves exiliat, vel sicca litora petat, ubi œstro percitus emoritur. Describit hanc Thynni calamitatem Oppianus apud Aldrovandum *lib. 3. de Piscibus pagina mihi 320.* & quia descriptio est eleganti metro, hanc subjicio 33.

Dum canis ardenti turbatur sydere cœlum
Qui fixus madidis illos contundit in alis:
Incutio hæc celeres vires, stimulisque feroces,
Invitósque agitat pestis furibunda natantes,
Hi torti stimulis incursant navibus altis,
In tanto volnunt Inctantia membra dolore,
Et Thynni, & Gladij diro vexantur Asilo,
Non arcere queunt, non hanc propellere pestem;
Concitat, armantur rabie, furiuntque dolore,
Exhorret vulnus bacchantur in æquore lato,
Et sæpe in terram saliunt è gurgite vasto,
Et vitam in tanto mutant cum morte furore.

Quòd verò Asilus sub pinna magis, quàm alteri hæreat corporis parti, ea est causa; quia sub pinna thynni cuticula est tenuior, minusque obsistit morsui, corrosionique Asili. Symbolum Tartarei hostis, qui nos pugnat, & expugnat 34.

pugnat

pugnans eorum illiciis objectorum, ad quæ pravis sumus concupiscentijs proniores.

35. *Asilus* tranquillo in gurgite Xiphiæ hærens, quam divexat, dirisque afficit molestijs addito lemmate *Hæret ut interimat*, designat rerum humanarum felicitatem, quæ tametsi tranquilla statione videatur nobis arridere, suis tamen non caret aculeis, quibus ad necem nos pungit.

36. *Astoiz* piscis senio confectus è mari, in quo degebat ad avia se transferens sylvarum, ubi mutata forma, fit terrestre animal, terrámque incolit, ac terrestribus associatur cum verbis Italis *Cangio la vecchia, è nuova spoglia prendo.* In eos cadit homines ætate jam provectos, qui ex negotiosæ, ac turbulentæ vitæ fluctibus ad portum se conferunt solitudinis, ut propriæ consulant saluti, cultura virtutum, morúmque emendatione, idque cum sit bene vivere, est verè vivere, ut fassus est Similis vir de republica optimè meritus, cujus meminit Dion in Hadriano, qui cum ab honoribus officijsque se abdicasset Reipublicæ, proprioque in agro septem annos, qui eidem superfuerunt mortalis vitæ, in otio, & quiete sibi vacans egisset; moriens suo jussit sepulcro inscribi Epitaphium hocce. *Jacet hoc in tumulo Similis, cujus ætas multorum quidem annorum fuit, septem autem duntaxat annis vixit,* O beata solitudo, ô sola beatitudo! Astoiz piscis ut refert Albertus *lib. 24.* piscis est in mari degens ut cæteri pisces, quorum gaudet consuetudine. Cum autem senuerit, mutatâ formâ terrestrem induit, migrátque in perpetuum è mari, & terrestre factum animal sylvarum incolit invia, vescitúrque terrestribus solitudine gaudens procul à decumanis procellarum fluctibus. Nomen itidem mutat, cum enim piscis diceretur Abides; mox terrestre animal Astoiz nuncupatur.

37. *Attilus* in Eridano fluvio ingens, ac pinguissimus piscis, quem clupea pisciculus venam quadam in ejus faucibus mordicùs apprehensa interimit addito lemmate *Magnis parva nocent*, subindicat nunquam homines licet abjectos, vilisque conditionis esse contemnendos, cum plurimum possint plerunque damni adferre. Vires quamvis imbecilles in homine plebeio, vel exiguæ fortunæ, suum perinde, ac angues venenum produnt; ut enim vulgò dicitur *Habet, & pilus umbram suam.* Quæ parva initio putantur suis crescunt incrementis. De Attilo ait Plinius lib. 9 & 15. esse piscem in Pado fluvio inertia pinguescentem ad mille aliquando libras catenato captum hamo, & boum jugis è fluvio extractum. At immanem hanc aquatilem belliam pisciculus, cui nomen clupea venam quandam ejus in faucibus mira cupidine appetens morsu exanimat. Quot cum fœminis modicæ consuetudines, & sub initijs exigua colloquia viros perdiderunt virtutum cultura magnos? Est Attilus piscis cartilagineus sturioni respondens, ossa habet clypeata, quæ stato tempore abjicit, pinna dorsi ei est unica, cui parte supina subjacent duæ, quales sunt sturioni. Cauda est illi bipartita. Os si clausum fuerit ob lineam obliquam incisum est, hians verò, & apertum sphœricam refert figuram. Pendent è rostro appendices carnosæ, mollésque. Branchiæ sunt illi apertæ, pinnis munitæ duabus. Squamas hispidas habet in somma dorsi spina, & ex utroque latere parallelas. Plura de Attilo habet Aldrovandus *lib. 5. de piscibus fluviatilibus cap. 1.*

Auratæ pisces timidissimi in maris re- 38.
fluxu sub arborum litoralium radicibus latitantes, qui tamen solâ umbrâ concussorum ramorum, exterriti quiescunt, & capiuntur cum lemmate *Prodit formido nefandos.* Homines indicant ob patrata scelera timidissimos, quique ubique locorum scelerum conscij anguntur timore, quo vel nolentes se alijs produnt, id permittente Deo scelerum vindice. Describit Ælianus *lib. 13. cap. ult.* Auratarum capturam sub Arcturi tempus, cum maris accessus, & recessus fiunt majores, altiúsque exaggerata arena ad littus relinquitur. Tunc piscatores arborum ramos frondibus convestitos paxillorum modo in mucronem acutos in arenam defigunt, & discedunt; rursus autem accedens mare turbam secum advehit imbellium auratarum, quæ ubi marinus æstus recessit, in exigua aqua concavis locis retenta quiescunt ramorum concussorum metu. Adeo ramos vento agitatos exhorrent, ut ne loco quidem se commovere audeant, déntque tutum capturæ locum etiam piscationis rudibus; adeout eas pueri, & fœminæ capere valeant. Est Aurata piscis magnitudine inter mediocres, pondere enim vix sex libras superat, suam sortiuntur nomenclaturam à partibus oculorum superioribus, quæ splendore videntur aurum referre, & à nonnullis lineis quà aurei, quà argentei coloris, quibus totum exornatur corpus; variat enim hic piscis colore. Dorsum ex cæruleo nigrescit: latera colorem induunt argenteum aureis distinctum lineolis. Rostrum est illi breve, ac retusum; os mediocre, maxillæ laxæ, ac robustæ, labra crassa, dentes anteriores oblongi, & serrati. Oculi grandiusculi. Branchiæ utrinque quaternæ duplices, quarum opercula ossa, altera parte purpureo, altera nigro perfunduntur colore, ventriculum habent amplum, à capite ad caudam aliquot ducuntur aureæ lineolæ ad nigredinem potius vergentes: Cauda est ei lunata.

Balæna cetorum omnium maxima in tran- 39.
quillo Gaditani pelagi sinu angusto latitans suos paritura fœtus, & ab orca deprehensa mole corporea longè impar, sed ingenio major expugnatur cum lemmate *Major viribus astus*, illis congruit in bello ducibus, qui paucioribus copijs militari utuntur stratagemate, quo hostes viribus longè superiores sæpius adigunt ad angustias locorum, & expugnant.

EXCURSUS.

Consilio tutiùs vincitur hostis, quàm armis.

40. EX Historiarũ monumentis liquet, Cæsarem in Pharsalicis, consilio magis, quam viribus vicisse: & Hannibalem Punica vafritie, ac fraude non semel de hoste victo triumphâsse. Laudibus excipitur Camillus eo, quòd Senones Gallos imparatos circumvenerit, expugnaverit, & Romam ab angustijs, quibus detinebatur vindicaverit, pristinæque restituerit libertati. Ut etiam Nero cum mira celeritate Salinatori se noctè conjunxit, quo factum, ut non ante se cum duobus consularibus exercitibus Asdrubal pugnare resciret, quàm ab utrisque prosterneretur. Hannibal in Cannensi pugna bellica fraude providit priùs, ut solem, & pulverem adversos haberet, fugam dein simulavit, faciliùs minus cautos expugnaturus; transfugis enim emisit, qui improvidos in ardore pugnæ à tergo cæderent, & hac arte palmas in hostili campo sibi demessuit. Eadem arte coorta Sempronium apud Trebiam usus fuit, eum suos ignibus, cleóque priùs fovisset. Ut etiam apud Trasimenum cum nebula, & palustribus virgultis tectus eques pugnantium Romanorum terga invasit. Verùm Fabius Maximus saluberrimis usus cunctationibus Hannibalis ardorem non solùm tabefecit, sed protsus extinxit; ut solâ morâ citra cruorem docuerit posse in bello victorias comparari.

41. Non minori fuit dignus laude Posthumius contra Latinos, cum juvenes duos specie decoros, armis fulgentes immisit in equis candidis, ut inclamarent, Castorem, & Pollucem venisse suppetias allatutos; excitavit opinio mattios in dejectis antea Romanis spiritus, & inita pugna de cæso hoste triumpharunt. M. Curius itidem cum hostium multitudine obrueretur, ut facilè circumveniri à Pyrrho non posset, angustũ delegit pugnæ locũ, quo hostium deluit multitudinem, & Augustiùs triumphavit. E converso Pompeius in Albania, & Cappadocia eminentem delegit, à quo majori impetu in Mithridatem irrueret, Idque antea fecerat Lucullus in Tigranem. Ventidius pugnam contra Parthos initurus non priùs eduxit milites, quàm vicinus hosti esset, quò facultatem ei adimeret eminus jacula emittendi, quia hoc unico pugnæ genere Parthi cæteros superare consueverant. Africanus nocte intempesta densis obductus tenebris Asdrubalis, & Syphacis castra incendio delevit, & ingentem exercitum nulla fuorum clade fudit. Epaminondas itidem submisso equitatu pulveris è solo nubes excitat, ne observari à Lacedemonijs posset quid acturus esset, inde circumducto exercitu cum à fronte expectaretur à tergo est hostem aggressus, quem profligavit. Alij muliebri veste milites induerunt, qui cum reliquis mulieribus habitu ementito in urbem admitterentur, portam occupârent, aditúmque aperirent socijs, qui sine obstaculo ingressi urbem expilârunt. Cleomenes Lacedæmonius cum ab Atheniensibus equitatu superaretur præcisis arboribus locum instruit, quibus equorum cursui impedimenta injecit. Et Sertorius scrobibus ductis hostilem equitatum delusit.

Balæna ingentis molis marina bellua insequens minores pisces, quibus vescatur, etiam improvidè prope litus ubi aqua regendæ tantæ moli non sufficit, capitur ipsa arenis, in quas impingit semisepulta, è quibus nequit evadere cum lemmate *Irruit atque ruit*, iodicat eos in castris duces, qui fugientes hostes minus cautè insequentes, in hostiles incidunt ipsi insidias; dum nimis avidè irruunt in hostes impingunt ipsi inconsultò in eorumdem casses. 42.

EXCURSUS.

Hostes fugientes non irritandi; neque ad extrema adigendi.

QUantæ sit balæna molis prodit Rondeletius apud Aldrovandum. Triginta sex cubitos longitudine, & octo altitudine superat, oris scissura ad octodecim pedes exporrigitur, dentes in tam vasto hiatu nulli, sed eorem vices, ac munera supplent corneæ laminæ subnigræ utrique hæreotes maxillæ. Oculi quatuor ulnarum spatio inter se distant, exteriùs bovis oculos non videntur magnitudine excedere; interius verò humani capitis superant sphæricitatem. Pinnas geminas habet in lateribus, quibus vasto natat in gurgite, & fœtus si periculum immineat occultat, cauda est ampla bicornea, quâ mare agitat, & naviculas evertit, si attingat. Rostro est brevi, caret fistula. Corio duro nigro integitur sine pilis, cui lepades & ostrea visa sint adhæsisse. Hæc autem ingentis molis bellia dum fame stimulatur minores inconsultò insequitur pisces qui ut periculum evadant vadosa petunt litora exili obiecta fluctu, ubi insequens Balæna in arenas impingens hæret immobilis. 43.

Idque documento exercitûs Præfecto cautè procedendi, licèt viribus hoste fortior; loca omnia, insidias, stratagemata necesse est explorer; & ut consultò omnia agat, eos in primis audiat, quos longa militaris experientia edocuit, quosque ætas ad senium adduxit, & quos varij in castris eventus instruxerunt ad prudentèr potiùs metuendas hostium insidias quàm ad victoriam absque discrimine sperandam. Nunquam audeat supra vires, nunquam infra illas se abjiciat; illud temeritati, hoc timiditati datur vitio. Non fidat nimium audentibus, quosque non tam audacia, quàm fatua quædam sui opinio in nocitura impellit. Temeritas, & audacia persæpe authores suos ad extrema adegerunt; Testes sunt apud Livium Varro, & Flaminius, quos inconsulta audacia perdidit. In condemnandos non sit præceps, id datur vitio Alexandro Magno, cujus 44.

glo-

gloriam obscurârunt Lysimachus Leoni objectus, Clitus hastâ trajectus, Calisthenes mori jussus, Parmenio cæsus, Philotas securi subjectus. Damnatur etiam inconsulta, ac fatua Hannibalis exequutio, quâ navium suarum rectorem jussit interimi, quem postea maturiore deliberatione adhibita, reique veritate comperta absolvit. Lacrymæ sunt Cocodrilli, quas dolor post hominem cæsum elicit. Non credidit tam parvo spatio Tinacriam ab Italia sejunctam. Vidit, non credidit, insidias veritus, absolvit postea mortuum serâ pœnitentia, & non amplius profutura absolutione. Datur itidem vitio Athenienfibus, cum præproperè suos ab insigni victoria reduces Duces damnârunt, eò quia militum saucia cadavera inter sævientes procellosi pelagi fluctus sepulturæ non mandâssent, necessitatem improvidè punientes, cum honoribus debuissent virtutem prosequi.

45. *Balæna* adultior cæcutiens oculis, cui musculus piscis oblongus colore albo, prævius viam, & vada explorat, caudâ inter balænæ dirigens, eàmque securos ducens per tramites, cum lemmate *Tutum præmonstrat iter*, congruit humanæ cupiditati, quæ perinde ac immanis, & cæca bellua, prævio rationis lumine est dirigenda per hujus vitæ percitos ac procellosos fluctus, ne in scopulos ad æternum impingat interitum. Balæna cum ad senium pertingit plus æquo pinguescit, & non solùm corporis vastitate premitur, verùm etiam obrutis plerumque gravi superciliorum pondere oculis caligat, nec quo pergere debeat videt. Ne tamen divina Providentia ei videretur defuisse, musculum instituit piscem, qui & oculus dicitur senescentis Balænæ; is præire dicitur, & caudâ Balænæ gressus per marinos fluctus tutè dirigere. Idque hominis dessignat cupiditatem, quæ ut plurimum in causa propria cæcutiens oculo indiget alieno, quo dirigatur, seu prælucente ratione, cujus recta dictamina ut præambulum sequatur rectorem. Quod Balænæ est Musculus, id homini concupiscenti præstat recta ratio.

46. *Balæna* vasto in gurgite suis sub pinnis proprios excipiens fœtus, quos nititur ab insulto aliorum piscium gregatim irruentium in eosdem defendere cum lemmate *Quos perdere visa tuetur*. Principi congruit suos contra exteros hostes defendenti subditos; ne quid damni iisdem inferatur; vel tuenti juvenes, quos satagit benè instituí, ne vitiis corrumpantur.

EXCURSUS.

Pueri ritè educandi, ut optimo assuescant vitæ instituto.

47. NOn esse negligendam optimam juventutis institutionem, nemo est qui ambigat, cum ex illa recta Reipublicæ dependeat constitutio. Cum reliquum vitæ in homine à primæva dependeat consuetudine, quæ insolita sensim sine sensu in alteram vertitur naturam; in omnem providet ætatem, quicumque huic consulit. Plurimum igitur refert optimis magistris juvenes erudiendos tradere, quorum virtutem imitentur, & monitis instruantur. Eruditio si fuerit virtute destituta plerumque plus obest, quàm prosit, estque arrogantiæ mater; sin autem comitem habuerit virtutem nullum potest homini elegantius obtingere ornamentum. Cum præceptorum mores in adolescentium facile de.... ingenia, & ab instructoribus mutuentur, quod in omnem transmittunt ætatem, nonnisi probatissimi sunt juvenibus erudiendis præficiendi, ut ab iisdem lac sugant candidæ virtutis; non venenum hauriant vitiorum, quæ mores corrumpant. Juvenes si ad normam veræ virtutis fuerint instructi fulcimenta fiunt, quibus respublica nititur, possuntque cum laude munia omnia obire: perinde ac sine cultore sterilescit ager, qui nonnisi sentibus vestitur, ac vepreris; ita si desint instructores in squalore necesse est jaceant neglecta juvenum ingenia. Si hortum mihi ostenderis multiplici distinctum areola, discoloribus ornatum floribus, planisque consitum elegantioribus, dixero, solertis olitoris peritam manum hujusmodi invexisse ornatum; quod si hujus culturæ magistrum subtraxeris, necesse est sterilescant flores, sylvescant areolæ, & in ignobiles transeant myricas, in jejunantes cespites, glebásque macie sua exsangues. Id potest in animis cultura, quod in fœcunda tellure. Mitescunt instructione rudia licet ingenia; & cultura florescunt inter rupes hortis ridéntque inhospita inter saxa; hic mella sudant, ibi saccarum arundineo carcere dulcescit, & quidquid habetur in deliciis in scrupeo solo enascitur; emollito incultæ telluris gremio, dsrasisque ope cultorum rupibus, injectaque peregrina, & extera terra, quæ exoticos alat fructus, promoventur vernæ, ac æstivæ deliciæ; ubi non nisi sentes, & vepres, cespitésque congesti accessum antea prohibuerunt. Par cultura non supparem sed longè præstantiorem dabit proventum in homine utpote natura in omnem partem flexili; si tamen quod in scrupeo contingit solo, validioribus ligonibus, rastrisque ingenio accommodatis rudiori fœcunditas promoveatur; perinde ac terrarum dispares fructus, indigent hominum ingenia nunc levi, modò validiori Instructoris manu. Quæ verò sint ingenia feliciora, ac reipublicæ utiliora haud facilis est decisionis; quæ sunt cæteris sublimiora ple-

rumque animo moliuntur, quæ in discrimina rempublicam trahunt, & præconcepta semel consilia difficulter deponunt: secus mediocria ingenia sunt magis tuta, patiuntur enim se duci; alieno acquiescunt consilio, fræna ferunt, calcaria, & sessorem, quem priora excutiunt. Mediocria quo præses voluerit, ducet; nec dominatū ambiunt sua sorte contenti. Rursus qui sublimitatem jactant ingenij sibi plusquam par sit fidentes omnia præmaturè aggrediuntur; alij verò cum alieno potiùs, quàm proprio regantur consilio, nonnisi diu, ac serió cogitata exequuntur, ac tutius incedunt.

48. *Balæna* præeuntem sequens musculum gubernatorem, ac itineris directorem eum lemmate *Obsequor, & sequor*, viro congruit religioso præcipientibus præpositis obtemperanti; præsertim cum isti exemplo fortiùs, quàm voce indicant quò sit eundum.

EXCURSUS

Superioribus obediendum, ne à recto declinemus.

49. PLerunque viri religiosi nobilitate natalium, & doctrinarum ornatu licèt suis antecellant præsulibus, ijs tamen ad nutum obediunt, quos symbolicè Balæna exhibet, cum ad nutum præeuntis musculi moveatur. Pisciculus est musculus magnitudine, & formâ Gobio haud dissimilis, hic in vasto pelagi gurgite præit balænam, cujus dirigit cursum, ut paulò ante innuimus, ne in brevia, cœnúmque impingat, vel in angustias incidat ubi exitus non pateat. Unde Musculo Balæna lubens obsequitur, & licet cæteros devoret pisces, hunc tamen cognitum ore recipit intra ejus fauces tutè indormientem; adeo ut quiescente musculo, quiescat balæna, & illo progrediente, moveatur ista sequatúrque; idque nisi fecerit, eam errare, ac impingere certum est; cum enim balænæ prævio destituuntur musculo perinde ac naves sine gubernatore in brevia, vel litora delabuntur. Confirmat id Ælianus *lib. 1. Histor. cap. 13.* ipsum audi. Omne fere cetorum genus, aliquo duce indiget ad suum motum regendum, illiúsque oculis quasi ducibus ad videndum utitur: is tamen, Dux, ut periti harum rerum confirmant piscis est albo colore, prælongo capite, angusta cauda. Huncne Ducem Ceto natura dederit, an quadam amicitia ductus ipse ultra cetos antegradiatur, difficile est constituere. Certè nunquam piscis à Ceto separatus meare cernitur, sed ejus corpori antegrediens, quasi Temo, & Dux ejus existit: etenim cuncta illi & providet, & præsentit, caudæque extremo præmonstrat singula, cum declinanda, cum persequenda; sic cibum ei conciliat, insidiásque à Piscatoribus positas quodam signo suo ostendit, & ubi occurrunt brevia, ne propter molem corporis in illis hæreat tempestivè præsignificat. Hactenus Ælianus. Ita est obedientiæ qui cedit, tutò incedit. De hoc pisce Pineda *num. 17.* interpretatur illud Job *cap. 26. vers. 5. Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis. Conjectura mihi est* (ait Pineda) *Jobum respicere admirabilem illam Pisciculorum naturam, qui proximi cetis enavigant, & Balænarum duces sunt, mutua amicitiæ fœdera inter parvum Pisciculum, & maximum gigantem conciliante naturâ.*

50. *Balæna* per apertum in fronte os integros marinæ aquæ fundens, sursúmque ejaculans rivos cum lemmate *Plus pota grata minus*, homines prodit in voluptates hujus fluctuantis vitæ se ingurgitantes, quibus cum satiatè indulserint, nauseam perinde ac epota marina aqua procreant, & fastidium pariunt. Balæna sine branchijs aëre æquè, ac aquâ respirat, per latè patens in fronte os; post verò haustos ad satietatem marinos fluctus, eos quasi fastidiens, vel quia sint eidem gravamini, veluti integros rivos per eum dem hiatum in sublime ejaculans effundit in subjectum mare. Referunt epoti hi fluctus mundi voluptates, quas qui hauriunt, illicò fastidiunt, & plerunque conscientiam aggravantes, ne ad æternom noceant interitum sacra exhomologesi in amarissimum pœnitentiæ mare rejiciuntur.

51. *Ballerus* piscis vilissimus fluviatiles, vel lacustres incolens latices litora quærens, ijsque innatans in retia incidit piscatoria cum lemmate *Dat tellus amica necem*, hominem designat inhiantem fluxilibus terræ bonis, quibus ad tartara trahitur, divitijs enim perinde ac cognatis nomine vitijs cæcutiunt homines cœlo, cœno involuti, vilis est ac insipidus Ballerus qui hisce tantùm terrenis inhiat; id sapit, ut nonnisi cœnum sapiat. Est Ballerus teste Rondeletio capite brevi, ore parvo, absque dentibus, quorum tamen vices supplent ossa aspera, lingua itidem caret, sed palato est carnoso; pinnæ sunt illi duæ ad branchias, alæque geminæ in medio ventre, ab excrementi meatu unicam ad caudam usque, in dorso aliam: pinnæ posteriores cum cauda rubro perfunduntur colore; nigricat verò quæ dorso inhæret, Linea à branchijs ad caudam curva producta est; branchas habet quaternas, & os in medio palato.

52. *Barbi* pisces cœnosum fluvij alveum porcorum instar effodientes, ibique hærentes capti, ac percuntes cum lemmate *Quos perdere visus amor*, eos signant homines, qui solis adhærescentes terrenis cœlestium obliviscuntur; dum enim omnes mentis cogitationes in cœnosa defigunt terræ bona, ita amore in eadem capiuntur, ut & ipsi irretiti mundi laqueis, cœlo pereant. Refert Gesneros apud Aldrovandum *lib. 5. de Piscibus pag. mihi 599.* ex Piscatorum observatione sub collibus, ripisque prominentibus libenter Barbos degere, & porcorum instar cœnosum fluvij alveum fodere adeout plerumque ibi hæreant immobiles, pereántque. Est Barbus longitudine cubitalis ferme piscis, rotondus, in latera modicè compressus; pinnas habet in ventre flavescentes, rubescit tamen pinna caudæ; venter lacteo, latera argenteo videntur quasi colore illita, Dorsum ex albo flavescit, nigrisque exiguis maculis

maculis conspergitur. Branchias habet quaternas, quarum rima admodum parva est, & extra aquas fertur diu vivere, dentibus caret, oculos habet parvos, pupilla subnigra, quam aureus ambit circulus. Refert Albertus Magnus à Piscatore sibi relatum, observasse hunc in cavernis suæ domus ad ripas Danubij, quot annis post æquinoctium autumnale congregari Barbos, tantâque multitudine unà convenire, ut manibus etiam capiantur, & aliquando contigisse, ut incolæ loci illius decem plaustra capta manu piscibus oneraverint. Barbi frigus non sustinent, & hyeme semper langvescunt, æstate verò è cavernis exiliunt. Vescuntur algis, cochleis, & piscibus, ne suo quidem generi parcentes, si fames stimulaverit. Barborum caro non multum sapit gustui, cutacea est, sed mollis, lubrica, teres, ac subrubra; Quò tamen ætate plus proficit, & ad seniũ vergit, eò est barbua delicatior, ac sapidior; Hinc Camerarius in laudem probæ senectæ curavit Barbum delinesri senescentem cum verbis *Non illaudata senectus*. Vir prudens satagit culturâ virtutum laudabilius, quàm canitie senium illinire. Hinc sponsa in Psalm. 44. licet prodierit *In vestitu deaurato*, extrema tamen vestium non totum auro voluit illita, sed plenè aurea, *in fimbreis aureis* Sicut Paschasius id expendens ait: *Cum superius regina in vestitu deaurato stare dicatur; hic fimbriæ ejus aureæ dicuntur; ut sciamus, quia perfectior, ac pretiosior debet finis vitæ esse, quàm initium.*

53. *Callionymus* pedalis piscis solivagùs apophysim ex ore demittens, ut cæteros alliciat pisciculos tanquam ad lapidam vermis escam; & revera insidias iisdem nectit, quia cum alij adnatantes pisciculi demissam mordent apophysim, hanc vafer Callionymus ad se trahit intra os, & eidem adnexos devorat pisces addito lemmate. *Allicit, atque necat*, Eos refert ventri indulgentes homines, qui in sympositis gulæ delicias expiscantes fiunt ipsi Tartarei hostis infelix præda flagitijs, quibus se à summo Bono avertunt.

EXCURSUS.

Gulæ deliciæ non nutriunt, sed interimunt.

54. EST Callionymus piscis lævi, sed duriuscula indutus cute, quæ haud difficulter excoriatur. Corporis figura est fermè rotunda, os est illi (referente Oppiano) supra caput medios inter oculos, estque valde patulum, & inferiore maxilla sursum maximè atracta clauditur; dentes sunt illi, exigui, & lingua brevis, sed lata; inter lingnam, & inferiorem maxillam membrana quædam se prodit, initio latiuscula, & sensim in carnosam, ac rotundam apophysim desinens, & extra os propendet, ut circumnatantes alliciat pisciculos, & allectos devoret. Symbolum sanè vitij gulæ, allicit enim ut perdat, delicias ostendit, quæ minimè nutriunt; licat mundi sectatores se verâ enanciscì delicias potent, se vera gaudia nutrire autument, dum gulæ varijs famulantur illecebris. Non exhibet veras delicias, quod integritatem non patitur, cujusmodi est luxus in epulis; non enim potest cibus placere nisi utroque dente conteratur. Integer tantùm abest, quod placeat, ut potiùs abhorreatur; unde neque integrum ab ipso potest gaudium hauriri; quæ enim veras delicias invehunt fiunt usu pretiosiora; nec damnum adserunt ullum cum possidenrur. Aliana itaque sunt à vera bonitate, à veris aberrant delicijs fercula; quæ gulam mulcere nequeunt nisi terantur & attrita mentem potius, quàm ventrem aggravant. Quæ solum hominem donant beatitate convenire brutis nequaunt. Voluptas autem quæ à cibis hauritur, etiam bruta afficit, quinimo si nimia fuerit etiam in brutorum centum hominem refert; quò enim major à cibis voluptas percipitur, eò vehementiores in nobis, & contra nos insurgunt brutales motus. Non utitur homine, u u destitutus rationis, qui ferculorum illecebria abutitur; inopem ciborum copia hominem heluonem prodit in sympositis: calices, qui avidiùs in iisdem exsiccant, fontem siccant, à quo veluti rivuli rectæ dimanant cogitationes. Mentia acies obtunditur si in crapulam impingat, & ejus lumen quod frigidâ alitur, mero extinguitur: ubi crapula, ibi consilia deviant, judicia corrumpuntur; & nobilior hominis pars subvertitur: evertunt hominem symposia, nisi ab iisdem se avertat homo. Non ideo placent fercula, quia veras in se delicias contineant, sed quia fames, quæ nos stimulat ea præcessit; nobis enim jam saturis nauseam ingenerant, & ut insuaves nos fastidiunt. Aggravant totum hominem demissa satiatè in stomachum fercula, quæ cum occisorum sint animalium cadavera, non nisi mortuorum in heluonibus cæmeterium construunt, quo proximiùs destituti salute mortem incurrant. Corporis sanitati adversantur etiam, quæ corpus nutriont, si nimijs illecebris eidem adblandiantur; morti redditur magis obnoxius homo cum enectis artilium cadaveribus ventrem implet, quasi ciborum indigentia non satis mortis memoriam nobis refricaret; exquisitis qui ferculis inhiat mortem ipse citius init, fitque cibus prææmaturæ mortis, qui cibis adhærescit; modicè enim vivit, qui immodicè gulæ indulget.

Canadella seu potiùs Channadella piscis saxatilis eleganter discolor, forma venustus, sed cum vivus capitur spinosum quiddam è branchijs vibrat, quo manus ferit, cruentátque contrectantium addito lemmate Italo *Alletta l' occhio, è la mano offende*, congruit fucatæ mulieri allicienti venusta specie iuvenes, qui cum per oculos impuros hauriunt ignes, cruentantur pravis, quibus pulsantur, cogitationibus, varúmque sit; fœminæ elegantiam plua adferre tristitiæ, quàm gaudij; perinde ac piscia canadella, qui ut tradit Bellonius apud Aldrovandum *lib. 1. de piscib. cap. 11.* mari innatat liguistico venustate formæ, cæteris antecellit: est enim discolor, licèt ad purpureum magis ver- 55.

gat

gat rostrum est illi acutum, labia ampla, dentes compressi, & obrusi; branchiarum pinnæ utrinque luteæ, dorsi pinna productior squamis vestitur discoloribus, ac multiplici litura variegatis. Cum autem capitur vivus, ut elebatur manum spineo quodam telo è branchijs evibrato incauti piscatoris cruentat.

EXCURSUS.

Carpitur vestium luxus præsertim in mulieribus, quæ cum se ornant, alios devenustant, deturpant,

56. HAbet sua tela venusta in muliere species, quibus vulnera infligit pudicitiæ sauciandæ. Fucata est corporis elegantia, quæ inconditos excitat concupiscentiæ motus; extimo vestium ornatu fallit pulchritudo, quæ venereo igne alios devenustat; elegantia vestium fictitia est, cum æquè facilè deponi possit, ac vestes poni; quàm futilis ille ornatus, qui in vestium quæritur elegantia; quem unà cum veste homines exuunt. Sine vestibus à Deo opifice conditus primus homo totam induit venustatem, quam exuit cum primùm vestes quæsivit: deperdita per pomi vetiti esum ac detrita dentibus pulchritudine, quam à Deo hauserat conditore; quam contraxerat deformitatem vestibus obduxit; ne in vestibus quæreretur elegantia cum devenustatem prodant inconcinnam, quam tegunt. Exutus primus homo pulchritudine ob culpam, vestibus indiguit. Nudus omni ornatu compulsus est vestes quærere. Nullum vestium luxus exhibet ornamentum, cum homo tunc ornatum exuerit, cum vestes induit. Non est elegans, quod omnem infecit elegantiam; non adferunt vestes ornamentū, cum ornatum nobis abstulerint: scite vestium luxum corripit Chrysostomus *Homil. 13. in Genes.* inquiens *Quare corpus ita ornas, & gaudes ejuscemodi amictu? non cogitas, quod pro magno supplicio propter transgressionem signum hoc excogitatum est?* Vestium, qui delectantur ornatu de contracta per inobedientiam turpitudine gloriantur, & de patrata in primo homines culpa exultant. Qui lapsûs tesserâ incedit tumidus, è mente videtur excidisse, vel quòd exciderit, sit illi volupe.

57. *Canis* pisceis hiante ore natantem vasto in gurgite circumiens hominem cum verbis *Circuit quærens quem devoret*, figura est Tartarei hostis insidias nectentis hominibus in fluctuante mortalis vitæ pelago. Est canis ex genere cartilagineorum piscium, non solùm alijs vescitur piscibus; verùm etiam humana carne, quàm avidè appetit: cum dentes habeat acutissimos, & ipse viribus sit robustus non solum majores pisces, verùm etiam natantes adoritur, quibus inflicto priùs caudâ vulnere, calces, inguina, & poplites, cui præ cæteris corporis membris sunt in delicijs dente discerpit, voratque. Imò adeo humanæ est carnis appetens, ut asserat Rondeletius nonnunquam in terram è mare exilire, legentes in litore marinas quisquilias prædaturum pueros. Hinc piscatores, marinotúmque accolæ litorum hunc formidant, horrentque piscem, cui rostrum est acuminatum, os in supina parte acutis obarmatum dentibus; oculi mediocres. Branchiæ utrimque quinæ detectæ; juxta os duas habet pinnas, supraque duo patent foramina auditui deservientia. In dorso binæ eriguntur pinnæ, in meditullio productior prope cauda parvior; Cauda in duas inæquales partitur pinnas, quarum aliæ quatuor ventri hærent duæ grandiores parti superiori, aliæ exiguæ inferiori, corpus totum est oblongum, & rotundum, à podice in extremam usque caudam sensim gracilescit. Non squamis tegitur, sed corio vestitur.

58. *Canthari* plures nassam ingredientes viminеam, in quam alij priùs ingressi polypo ijsdem à Piscatore exhibito vescuntur cum verbis *Quàm incautè procedunt*, eos exhibet homines, qui sensui indulgentes illuc mente capti, feruntur, ubi voluptas illos allicit, & per patrata flagitia se avertentes à summo Bono in casses incidunt lethæi piscatoris. Cantharus cænosa incolit litora, in quæ maris sordes fluctibus pelluntur, cænúmque ex proximo fluvio dilabitur; placétque Rondeletio apud Aldrovandum *lib. 2. de Piscibus cap. 20.* ab hisce locis canthari sortiri nomenclaturam. Inescantur hi pisces polypo, aut carabo asso intra vimineam nassam, quam proprium veluti domicilium ingrediuntur, & capiuntur. Est cantharus forma corporis Auratæ similis, squamis tegitur exiguis, proinde nonnihil splendoris videntur emittere. Oculi, & quæ circa oculos sunt partes ex nigro rubescunt, supercilia nigricant; oculi sunt cæsii, quorum pupilla nigrescit in meditullio, pallescit verò per ambitum, os habet contractum, dentibus circumseptum exiguis, confuso dispositis ordine. A branchijs ad caudam lineæ ducuntur subobscuræ. Quia verò cœnosis, ac sordescentibus innatat Catharus litoribus adamussim videtur eos exhibere voluptati deditos homines, qui à cœlo aversi in cœno volutantur sordescentium vitiorum; & hinc perinde ac canthari insidijs irretiuntur tartarei Piscatoris.

59. *Caper* piscis marinus exiguo corpore medius alios inter pisces audacter pugnans licèt solus, & utrinque squamegeri hostes eum premant cum lemmate *Nil agmina terrent*, Virum prodit in bello fortem, & audacem contra plures pugnantem, séque defendentem. Est capro figura corporis molæ persimilis. Caput est illi utrinque valde compressum. Oculi in superiori parte locati. Os exiguum, sed multiplici munitum dente, prælertim utraque maxilla octonia armata dentibus validis, latis, non serratis, sed continuis humanis similes, Branchiæ utrioque quaternæ dura cute obtectæ, in medio dorso tres prumioent validissimi aculei, quorum prior est triplo cæteris productior. Hos ternos aculeos pinna sequitur ad caudam usque deducta, ejus venter acutissimis itidem, ac frequentioribus muni-

tur aculeis serratis. A podice ad caudam pinna deducitur. Cauda itidem in latam, ac sphæricam desinit pinnam; toto corpore squamis tegitur serpentis potiùs, quàm piscis, eo enim sunt ordine dispositæ, ut lineas cancellatim describant se se intersecantes, & adeo validè hærent, ut captus piscis difficulter disquametur; ejus corium est etiam ita durum, ut vix dissecari possit; videatúrque inter pisces loricatus miles, audax propriis confisus armis. Hunc piscem audacem, & bellatorem esse testatur Ælianus *lib. 11. cap. 51.* ubi loquens de capro ait, esse quidem corpore exiguum piscem, sed inexpugnabili septum robore, siquidem ad pugnandum duplici confidit armaturæ, præduræ pelli, ac dentium robori: cum valentibus enim piscibus, & rei piscatoriæ peritissimis hominibus pugnat. Oppianus Rondeletio interprete ait, caprum præ cæteris piscibus esse sævum, & etiam piscatoribus bella inferre, duro fidentem tergo, aculeis, ac dentibus, quibus ad bella munitur. Armatum in bello militem propriis fidentem viribus, nimiúmque audentem refert caper pugnas iniens cum alijs numero, ac viribus ipso fortioribus, nititur audax suis viribus, nullum timet periculum, & omnia adit.

EXCURSUS.

Audacia ni coërceatur audentes plerunque agit præcipites.

59. PRodit audacia animos in audente, sed plerunque efferates, ac in damnandam degenerandos temeritatem. Se ipsos perdunt, qui sibi ipsis plus æquo fidunt, flocci adversarios facientes. Documenta posteris dederunt Terentius Varro, & C. Flaminius, hic enim ad Thrasymenum, ille ad Cannas, dum Hannibalis artes despiciunt; licèt æquales utrinque extiterint exercitus, quia se ipsos parum noverunt, nimiúmque suis fidentes viribus rem Romanam pene funditus subverterunt. Serv. Cæpio contra Cimbros in Italiam irruentes plus æquo proprijs fidens viribus, temeréque pugnans octoginta millia ex suis una die perdidit. Inconsulta audacia in exitium ducit. Audentes Spiritus prudentiâ coërcendi in homine sunt. Proprium autem viri prudentis est nil aggredi nisi matura deliberatione præmissa, quod ita necessarium, ut persæpe etiam honestas rerum causas nisi comes præluxerit prudentia, perniciosi exitus sequantur. Victoria in castris tutius auspicijs, & consilijs, quàm telis, ac manibus geritur. Miles igitur animum in res omnes habeat, singula opportuna discutiat cunctatione. Unum referunt Cetealem monumenta Historiarum, cui subitis, ac prope nullis prævijs consilijs eventus ad votum obtigere; sed huic licèt eum defuerit consilium, adfuerit arridens fortuna, adhuc non semel Romanam gloriam ad extremum adegit.

Nec laudi vertitur fortunato unius ex- 60.
emplo insistere, cum plura adhuc quibus à suscipiendo molimine retreatur. Non me latet, pleraque imprudenter, audactérque inchoata felices subinde fuisse exitus sortita; siquidem Africanus duabus ex Hispania quinqueremibus ad Syphacem trajecit, in unius Numidæ fide suam, ac patriæ salutem depositurus; verùm, ut loquitur Valerius, *Exiguo momento maximæ rei casus fluctuavit, utrum captivus, an Victor Scipio Syphacis fieret.* Temeritatem eadem olevit illud Cæsaris, cum tarditatis impatiens, majestate sua, pannosa, servilique obtecta velle speculatorio navigio se, ac Romanum Imperium Adriatici maris sævienti decumanis fluctibus credidit procellæ. Mille tamen occurrunt memoriæ temerariorum conatuum documenta in Hostilio Mancino triginta millibus a tribus Numantinorum millibus superatis, fœda etiam castrorum deditione: in Calpurnio Pisone, exercitu ab ejusdem perexiguo præsidio cæso, fusóque. In Crasso contra Parthos septem legionibus cum equitum quatuor millibus, totidémque velitum cum ipso duce, ducisque filio cæsis, aut fugatis: ut etiam in temerarijs seditionibus. Titi C. Gracchi, Saturnini, Drusi, quorum exempla docere audaces, ac temerarios posteros meritò debeant, quia ut verè ille: *Corrigit præsentem lapsus prioris, de reprehensione antecedentis exempli nascitur emendatio.*

Capitones fluviatiles quini, vel seni piscem 62.
alium somno sopitum, protinúsque immobilem circumnatantes, quem vellent, sed non audent invadere, ne excitatus exardescat in iras cum lemmate *Vellent non valent*, timidos illos in castris produnt milites, qui se jactant innato fastu, vellentque de hoste prostrando aliquid haurire gloriæ; sed timiditas eos à pugna retrahit, suntque leones in prætorio, lepores in castris. Est capito fluviatilis piscis, figura mugilibus similis, ita timidus, ut si in quempiam alium inciderit jacentem piscem, si fames eum stimulet in suum quidem prandium destinet, non tamen priùs audet illum attingere, quàm caudâ modicè moverit, quòd si jacens immobilis adhuc sit, accitis in suppetias alijs, omnes agminatim adoriuntur jacentem in prædam dentibus discerpendam, ac vorandam; sin autem moveatur, illico capitones omnes præcipiti se dant fugæ, quietem permittentes sopito; ne quid damni ab ipso patiantur. Eos hi pisces exhibent in castris milites, qui thrasones agunt, in mortuos ad prædam quidem expediti, ut alieno ære ditescant, ac veste induantur. Sin autem quia vim vi tantisper repellat, perinde ac passeres ad primam sclopeti explosionem illicò diffugiunt; æquè timidi in periculis, si immineant, ac insolentes in extinctos hostes non valentes ampliùs illatas sibi injurias vindicare. Sunt plerique, quibus plus roboris ex ore nascitur, quàm ex dextera, & armis; qui in foro, vel domi elato supercilio pedes jactant, & brachia, latera torquent, vocem extollunt, minas inten-

intentant, fortiúsque loquuntur, quàm agant. Narrant inflatis buccis delatas de prostratis hostibus victorias, licèt nunquam in acie steterint, nunquam hostem districto gladio viderint, nunquam sanguinem fuderint; quàm splendidè se jactant, quâ martiâ virtute vellent flagrantes videri; & tamen si hostis adsit, non valent eum ad pugnam lacessere. Volunt non valent.

63. *Cephali* plures nocte illuni maris gremio in cymbulam piscatoriam igne coruscam exilientes, cum lemmate *Allicimur, & decipimur*. Eos etiam produnt amasios, qui sinentes insani amoris se allici igne, quo fœminas deperevunt, ad easdem rei venereæ causa accedunt, simúlque insidijs irretiuntur Tartarei Piscatoris, cùm per patrata flagitia se à summo bono avertant. Alludit ad eos, qui dignitatibus inhiantes ab earundem sinunt se splendoribus allici, & cum fuerint eas consequuti, nonnisi molestias experiuntur.

EXCURSUS.

Venerea voluptas quos allicit interficit.

64. EST venerea voluptas flammis blandè irrepens, suaviter alliciens, ut dulcius interimat; viam enim ad æternum præsignat interitum. Infelices Pyraustæ hoc igne miserè cinerescunt, imo flammis se æternis addicunt, qui perinde ac pyraustæ exiguo spatio hanc exiliunt, ludúntque circa flammam. Cephali nitore ignis blandè trahuntur; imò ita alliciuntur, ut nocte silente luna ad illas accurrant rates piscatorias, quæ flammis splendentes, noctis vincunt caligines & non secus ac pyraustæ, ut cominùs concupito fruantur lumine è mari in cymbulas exiliunt, fiuntque præda piscantium. Quàm appositè venerea voluptas huic pariatur piscantium igni; siquidem in hujus fluctuantis vitæ pelago concupiscentia tenebras offundit, quibus mens caligat humana, hacque circumfusi nocte, qui voluptatibus indulgent insani amoris non sano pereunt igne. Verè piscatoriæ flammæ nectitur hæc voluptas, quæ allicit ut perimat; stridet, ac ridet, ut lacrymas excitet; si enim Cœlio credimus flammæ crepitus Vestæ dicitur risus. Veriùs tamen rejectis fabulis ait Sapiens Ecclesiast. 7. vers. 7. *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stultorum*, seu venereis indulgentium voluptatibus. Spinis cremantibus æquiparatur hæc voluptas, quam ignis profani amoris ingenerat, quia ut spinæ citò exuruntur, ita hæc voluptas illicò evanescit, vix exilit, cum resilit; vix oritur, & moritur; scitè S. Ambrosius in *Exhort. ad Virgin. Sicut vox spinarum sub olla; ita risus stultorum. Nempe spinæ cum ardent sonant, & cito exuruntur, ut nullus caloris sit effectus*: hoc tamen discrimine, quòd si flagrans spina cum crepitu finit nullo superstite caloris effectu; æternum est damnum, quod voluptas infert venerea. Flamma moritura sibi parentans fumos emittit, quibus adstantes veluti lugubri obducti peplo caligant, simúlque lacrymas fundunt: idem igni obtingit cæci cupidinis: vix quidpiam ementiti, ac fallentis luminis emittit, cum in fumos desinit mœroris, lacrymásque elicit concepti doloris, pulchrè S Bernardus *De fallacijs præsentis vitæ* ait: *Lætitia læta rei in tristitiam commutatur: sicut flammæ illius novissima fumus occupat, & caligo.*

Quoties concupiscentia intus flammas 65 concipit, ejus cogitemus fumum, tetrùmque illius odorem, ne pyraustæ, ac Cephalorum illicia sequentes, eorumdem nos finis teneat. Coërcenda est concupiscentia, quæ flammas excitat, fumum difflatura contra rationem. Tale est à primi hominis lapsu rationem inter & sensum in unoquoque mortalium exortum dissidium, ut nonnisi difficulter valeat mentis consilium concupiscentiæ insurgenti frœna injicere, quin ab æquitate plerunque resiliat, & voluntatem ad delectabilia sectanda proclivem ad illicita trahat. Transmissæ enim per sensuum vehicula rerum allicientium species, ita hominem rapiunt, irretiúntque exhibitæ voluptatis illecebris, ita suis flammis flabello excitatis concupiscentiæ mentis aciem perstringunt, enervántque rationem; ut homines quamvis natura soluti, ac libertate donati, suavi tamen captivitate amoris laqueis irretiantur, ac cœci cupidinis adhærescant flammis; rarúsque sit, qui non sinat se hoc igne cremari. Unus delineatur Ulysses callidæ Circes deludens veneficia, cum socij omnes dolosas ingressi ædes, poculo exsiccato voluptatis, epotóque unico haustu lethæo latice rerum supernarum extinguente memoriam in belluas degenerârunt. Pauci omnino recensentur ex Poëtarum commentis, qui nullis omnino lenocinantis illecebræ non fuerint conatibus fracti: plures tamen, qui vitiorum capti præstigijs sensuum indulserunt oblectamentis, & infelices Cephali insano perierunt amoris igne.

Cepus in mari rubro elegantissimus piscis, 66 pulcherrimè discolor, variéque in extima cute depictus, sed prorsus inutilis hominum usui, quibus potius est damno; cum ejus capti elegantiâ nituntur esi prædari, illius aculeos, ac dentes sentiunt cum lemmate *Venustas extima fallit*. Typus est inanis, rudisque hominis nullo virtutum ornatu; nullo scientiarum nitore intus fulgentis; collucentis verò exteriùs vario gemmarum, vestiúmque cultu.

EXCURSUS

Ornatus hominis non in extimo corporis cultu splendeat; sed in cultura virtutum intus eniteat.

67. SI fidem Æliano præstemus *lib. 17. cap. 8.* Cephus amphibia inter animantia habetur, quia æquè terras, ac mare incolit. Cephum appositè censet nominari, scilicet hortum, eò quia tot in ipso videantur flores vernari, quot varijs distinguitur coloribus; ætatem cum attingit provectiorem corporis magnitudine Eretrienses æquat canes. Ejus caput, dorsum, ac spina ad caudam usque igneo perfusa colore quendam videntur nitorem emittere: tum aurei pili per cutem veluti radij spectantur effusi: facies est illi alba ad genas usque, inde ad collum aurea ornatus vitta. Collum, pectoris, que inferiores partes, & anteriores pedes nivem albedine æmulantur. Mammæ duæ manum implentes cæruleo colore vifuntur. Venter est candidus, & pedes posteriores nigri. Tametsi hoc animal inter tabulas fatiùs recenserem; verus tamen est culti, & inanis hominis typus, cujus tota elegantia, ornatus totus in solo splendet vestium luxu, neglectâ animi culturâ, qui non flores virtutum, sed sentes parturit vitiorum. Falluntur qui ex vestium ornatu extimo, ex gemmis, auro, argentóve quibus exteriùs in cortice splendent homines, internos animi inferunt nitores; etiam Sodomitica poma coloris elegantia, cutis nobilitate oculos allexerunt intuentium, cum intus nonnisi inanes foverent cineres; plerunque sub veste auro intexta, plumbeus latet animus. Sunt qui gaudium in vestium enacti pretio, felices se putent, si vestes induant cæteris elegantiores; sed ijs vera spoliatis lætitia argumentum non deest, quo propriam lugeant vanitatem, fusisque abstergant lacrymis, quas contrahunt intus labes. Latet fraus sub veste, si ex vestium nitore animos metiamur desertentium vestes; consuta dolis, consuta est fraudibus vestis si ex ejus elegantia, & nitore cordis conjicimus hilaritatem.

68. Non tangitur neque tegitur cor vestibus, quæ propterea nullum invehunt animo felicitatem. Neque illa est vera felicitas, quæ procul à corde exulat. Nitor vestium ludibrium est oculorum. Vera jucunditas non extimo hauritur è cortice, sed intimo resider in corde; hæcque ratio cur David Deum alloquens hanc adstruxerit: *Dedisti lætitiam in corde meo*, quia non vestium gaudet contubernio, sed cordis intimiorem occupat sedem; operam ludit, ac illuditur, qui vestium pretio felicitatem nundinatur, ut aureo fuoore nos docet S. Chrysostomus *homil. in Psalm. 4.* inquiens: *Non dixit simpliciter dedisti lætitiam, sed in corde meo; ostendens in rebus externis non esse lætitiam. Non in vestibus; non in lauta, & opipara mensa: hæc enim lætitia non est cordis, sed oculorum.*

69. Si obijcias, vestium cultu plurimum ab intuentibus pretiosè, elegantérque induentes elicere gaudij; id non diffiteor, sed inhonorus est hic honor, qui à nudis hauritur vestibus; ingloria est illa gloria, quam solæ inducunt vestes; pungit suo acumine mellifluus Doctor hanc gloriosam, ut expungatur *serm. 2. de verbis Isaiæ* inquiens. *Quid eis invides, qui de operibus vermium, ac murium pellibus ingloriam planè gloriam mendicare non erubescunt? vultu indigno viris, interdicto & mulieribus, semet ipsos dehonestantes potius, quàm ornantes?* Nil vestium elegantia coulert animo decoris; nulla ex vestium luxu oritur virtus, quâ plerunque spoliantur, qui vestes induunt elegantiores. Quid amabo potest virtutis, ac honoris conferre vestis, quam pecus deposuit, sericum quod vermis evomuit; purpura, quam piscis è concharum genere suis expuit è faucibus? adeo insanimus, ut de viliorum animantium gloriemur rejectamentis, superbiamus excrementis. Rationem exuit, qui tumido fastu vestes induit à ratione carentibus depositas gloriæ augendæ, superbiæ nutriendæ causâ; ornatus vestibus adhærescens nequit arctiùs quempiam afficere, quàm vestis; extima est, prorsúsque fictitia gloria; quæ à luxu, cultúque hauritur vestium, & æquè facile deponi potest, quàm vestis poni.

Non vestis elegantia, sed animi virtus est homini ornamento: perperam cura vestium mentem pungit, cum plerunque, qui multo auro intexco fericis exterius splendet, intus in mente caliget; ac sordescat animo, qui veste nitescit; non à vestium pretio æstimatur homo, sed à virtutum studio pretium habet. Integras plerique terunt vestes, qui fractam, pluribusque vitiorum scissuris laceratam circumferunt mentem. Ex vestium cultu nullum animo obtingere decus, argumento est insolens varietas, quâ ubique terrarum dissentiunt homines in vestium cultu; neque ullo unquam tempore consensere. Olim siquidem Gabini pallium, casiacam Græci, togam Romani, Mastruham Sardi, Strigium Hispani, Braccas Galli, peplum Troades, csunacem Babylonij, Candyn Persæ, Myoion Armeni, avium discolores plumas Indi, & demum aures etiam pictas, & fictas selegerunt in elegantiorem vestitum Fannesii, ne unum tantùm Poëtæ recenserent Mydam, sed plures haberet humanus fastus auribus asininis conspicuos homines. Imò in una, eadémque civitate quàm variè senserunt cives, ac principes de vestium cultu; si retroacta sæcula memoriam excitent, Romæ Mecœnas plateas perambulat molli veste à cæteris distinctus, Sextus Pompeius cæruleo pallio obductus; Cæsar cum latoclavo fimbriato pluries occurrit; Cato senior cum præcurta, niveaque toga: è converso Caligola insolentem affectans fastum talari gloriatur veste pluribus ditescente gemmulis, multóque fulgente auro, argentóve. 70.

Nero nullam vestem bis induit novitate delectatus. Augustus quatuor tunicas, nec restrictas, nec fusas assumpsit. Marcus Antonius ad coxam vestes præcinxit; Vespasianus 71.

vestitu

veſtitu neglecto vix à gregario milite diſtinguebatur; Antoninus Caracalla, Lentulus, Demetrius amictu fuerunt delectati aſtra, planetis, orbes cœleſtes multo fulgentes auro referente intextos; legimus itidem Sinarum reges dracones textili conflatos auro geſtaſſe regio in paludamento; alios alia animantia leones, urſos, pantheras, reptilia, aves, adeo induſtria, navaque acu opere Phrygio voluêre veſtibus adjecta, ut nunquam tam eleganter Arachne Lydijs telam delicijs illuſerit; nec ita graphice delibatæ furtum pudicitiæ Philomela diſtinxerit. Non tot gemmas floribus Pavo cum ver illud pennarum explicat, aut cœlum micantibus inoculatum ſtellis objicit ſpectantibus, quantam veſtium pompam ad totius choragium elegantiam oſtentabant olim venulti Parides pulchri ex arſula, nitidi ex cataclilta, quibus appoſitè dixiſſes, unde hi nobis pavones,non tam de cauda tumidi,quàm de pede ſuperbi? ſiquidem Auguſtus calceo delectabatur altiuſculo, ut procerior aſſurgeret; Caligula ut magis emineret ſocco utebatur muliebri. Carinus fibulis multiplici concluſis margarito; Empedocles caliga ductili ferro pedi accommodata; Heliogabalus gemmis ornata, Demetrius aurea, indignè tribuens pedibus quod capiti non debebatur; vel ut nos doceret, reges, & Principes ea gaudere libertate,quâ aureis vinciantur compedibus.

72. Quòd ſi ab antiquis ad noſtros deſcenderimus homines, non minorem iſti luxum nobis ſuis exhibent in veſtibus, licèt ſuccinctis & bello ineundo, quàm paci ſervandæ magis adaptatis. Depoſito enim pallio, gladio latus muniunt; & ne manus otio torpeſcant, arundinem ab Indis delatam agitant, aërem verberaturi; è collo ad pectus linteamina perpluunt ſtriata ſinuoſis canaliculis protuberantia; vel reticulato, ac denticulato opere minutis maculis ad omnem depicta elegantiam. Auro coronatos volunt pileos ad regiæ frontis imaginem. Caput verò nativo obraſo capillitio tumeſcit alieno; caliendro, ſeu adſcititia ornatum Cæſarie; mirum ſanè quàm varias in formas peregrini crines nativo veluti in ſolo ingenioſè ſoboleſcant; quàm vana plicatione in omnes flectantur formas; ut non Ægyptus tantùm ſuos juxta diverſa capitis inſignia Protheos multiplicet. Alios videmus qui aſcititios capillos circum ducunt in cincinnos, reflectunt in criſtas, reciprocant in annulos, obligant in corymbos, inflant in ondas, obducunt in cochleas, laxant in fimbrias. Sunt etiam qui crines è fronte utrinque demittunt ad imum pectus æqualiter defluentes, quaſi crinitum cometam in ventrem reflectentes. Sunt etiam qui ita eos diſtribuunt, ut molliter vel ad humeros depluant, vel ad oculos inumbrandos è fronte undulatim delabantur; vel ſtudioſo neglectu relinquunt adulantibus favonijs diventilandos, quorum capita ventoſa magis fatearis, quàm capillata. Quòd ſi Cyprio, uti vocant, inſperguntur pulvere capilli, Cyprogeniæ hoc cinere ignem non ſopiunt, ſed produnt, quem totum plerique intus fovent inſani amoris. Sunt etiam qui ordinem ipſum invertunt naturæ, ſiquidem jam ſenio confecti, vel retrogradam cogunt ætatem, vel inter homines monſtroſi phœnices ſenium florentem commutant in juventam cum canis è capite ſublatis flavo, molliqne crine ſenectam ſepeliunt, in quos appoſitè cadit ſcomma Magni Macedonis quemdam irridentis ſenem, qui cum albis cycnus eſſet capillis, in eorumdem emendicata nigredine in corvum non erubuit transmigrare; ſuaſit enim Alexander ſeni ne canos tingeret, ſed genua potius ſenio labentia, opportuno illiniret unguento. Vitio datur hominibus ficto capillitio ætatem occultare; hoc laboravit vitio Antipater, qui propterea è judicum fuit albo deraſus, quia capillos, barbámque fucato inficeret colore; ac ſi in rebus gerendis fidus eſſe non poſſit, qui ſuis ſunt crinibus infidi.

Hinc lepidè in Phœbum hædina pelle verticis tegentem calvitiem luſit Hiſpanus ille vates, qui ejus caput dixit calceatum, quaſi pedes in caput effluxerint: non enim ſanæ videtur mentis de capillis ſingulis ire in conſilium; & ſi alter alterum exceſſerit perinde iraſci, ac ſi honor periclitaretur. Sapiebat in hoc Commodus Imperator, qui cum nulli ſe crederet tonſori, nec fideret novaculæ, barbam candente urebat carbone iuglandium nucû putaminibus. Virilem exuit animû,qui luxum induit veſtium; ſubit memoriam recordatio molliſſimi virorum Artemonis, qui ut cæteros luxu veſtium, cultúque corporis ſuperaret, omnium in ſe tranſtulit elegantias, ut ſolus viſus fuerit mundum totum hauſiſſe muliebrem; ſiquidem indumenta non tulit niſi Arabiæ halantia odores, capillos non explicuit niſi calamiſtri veſtigio rotatos; faciem, genâſque tamdiu totſit,quamdiu ceruſa, ac purpuriſſo pinxiſſet, annuli multiplici adamante vermiculati radiârunt in digitis, ut pretioſior vanitatis ſervitus clarior ſplenderet in manibus; & ubi totum corpus maſcula ſpoliatum virtute in molliores transmeaſſet illecebras; ne pedes laxa pelle follicaret calceos inſidi gni ſubduxit labore,ne quidquam contraherent humiditatis; moroſa per plateas inceſſit corporis jactatione, & ne quiſquilias offenderet hàc, illácque ſtudioſa proſilivit ſaltatione; ne ſolum pedes premeret, vix ſumma calceorum pedum imprimebat veſtigia; & cui totum ſtudium erat in pedibus, ſtultitiæ vertebatur vacuitas capitis: rationem deponit, qui totam mentem ponit in cultu corporis. Fatuitatis Incuſatur, qui gloriam à comptis veſtibus nundinatur. Juſtè Seneca in eos calamum acuit, qui homines non ex illo quod ſunt; ſed ex eo,quod veſtium luxu cæteris oſtendunt obliquo æſtimant judicio ait ipſe *Epiſtol. 44. Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum empturus non inſpicit, ſed ſtratum ejus & frænos; ſic ſtultiſſimus eſt qui hominem ex veſte æſtimat.* Non ſunt æſtimandi,qui homines ex veſtibus æſtimant; hærent veſtes in extimo cortice, extrinſecæ ſunt, nil animo adjiciunt. Nobiles ſint veſtes, murice niteant, purpura ſplendeant,

deant, quid aliud funt in ciftis affervatæ, quàm cibus tineatum? Scitè Chryfoftomus *homil. 24. in Matth.* fupetbientes ex luxu veftium arguit, eò quia circumferant paftum vetmium, atque tinearum; veftibúsque tineas pafcant, ac pafcantur ipfi ut tineæ: fiquidem veftes quæ tineas pafcunt; illorum funt tineæ, qui noxio veftium laborant ftudio.

74. *Citharedus* pifcis litoralis, cui nomen eft à lineis à fummo capitis vertice ad extremam usque caudam ductis, quibus videtur quamdam exhibere harmonicæ citharæ fpeciem cum lemmate *Lufu non ufu*, quia per jocum tantum vocatur Citharedus à forma corporis: & in eos torquetur qui libros congerunt plurimos, bibliothecam conftruunt, ftipántque multiplici volumine inutili, & otiofo; ut videantur ipfi fcientijs inftructi, qui fatiùs dicuntur afini ad Lyram, cum finant coacervatos libros otio torpefcere, tradántque vorandos tineis.

EXCURSUS.

Libri non folùm congerendi, verum etiam volvendi: & quomodo legendi, ut profint.

75. REfert Gesnerus in Fabro, pifcem hunc Citharedum in mari rubro procreari, figura corporis latum effe, Rhombóque fimilem; fquamis veftiri lenibus potius, quam tangenti afperis; aureo effe colore, ac diftinctum lineis à fummo capitis vertice ad extremam caudam nigricantibus, ut Citharæ fidiculae imitari videantur, & ab iifdem Citharedum appellari. Cæterum juxta Ariftotelem lib. de animal. & pifcibus. Citharedus ferratis eft dentibus, folitarius algâ vefcitur, linguam folutam habet, cor album, latúmque. Os illi preffum, ac fubfidet, cingulo croceo, circumligatur, vertex difcolor fulgore aureo, & nigris quibusdam lineis variatur; pinnæ utrinque aureo perfufæ colore quandam invehunt elegantiam, fúntque intuentibus oblectamento, cauda eft nigra, ejus tamen extrema ad niveam vergunt albedinem. Ælianus *lib. 11. cap. 23.* vocat pifcem hunc fabrum, eo quia omnia inftrumenta fabrilia in fuo picta corpore contineat, quibus tamen nunquam utitur; qua ratione vanum fimulatorem artium defignat, virúmque indoctum, qui congeftis libris velit doctus exiftimari; non plectra citharedum, nec librorum poffeffio hominem efficit doctum, ut arguto Epigrammate cecinit Martialis

Emptis, quòd libris tibi Bibliotheca referta eft,
Doctum, & Grammaticum Te, Philomufe putas:
Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde
Omnia mercatus, cras citharedus eris.

76. Parum prodeft libris ftipatam poffidere bibliothecam, fi poffeffor nunquam in iifdem volvendis impallefcit; oneri funt potius, quam honori. *Libros non refert, quàm multos habeas, fed quàm tibi utiles,* fcripfit Seneca ad Lucilium. Sunt etiam qui non parcentes fumptui libros fibi comparant prorfus ineptos, ex quorum lectione nihil aliud hauriunt, quàm puram pœnitentiam, à quibus nil aliud difcunt præter infcitiam. Scio dictum à Plinio nullum effe librum tam malum, in quo boni aliquid non reperiatur; verùm adeo eft tenue, adeo exiguum, quod occurrit bonum, ut poft diuturnam lectionem, poft improbum in lectione impenfum laborem dicat quis *tanti non emo pœnitere;* nunquam repertum bonum eft tanti ut fit pretium diuturni laboris, ac in heluendo faftidij: præfertim cum non defint prædivites auri venæ, in quibus exiguo, vel prorfus nullo labore ingentes eruantur thefauri. Confultius plena manu in vineis fpumantes colligere uvas, quàm manum fibi inter dumeta, ac vepres dilacerare, & labrufcam, maléque coctum legere racemum. Ad quid in exilibus, macrisque faxetis excolendis infudare, in quibus quidquid tandem laboris quis impenderit femper ut cecinit Virgilius

Arida jejunis feges interlucet ariftis

Quamvis quidam libri volvantur, & evo- 77.
luantur nunquam tamen tantum inde referimus, unde impenfam reficiamus. Duo funt librorum genera, quæ à noftra arceantur confuetudine. Alij enim funt libri de rebus futilibus, quæ nullum fuppeditant legenti emolumentum, quos propterea inutiles vocamus. Alij argumenta continent magnarum rerum, fed quæ peffimè pertractentur, & ut inepti funt rejiciendi. Authores prioris generis impenfo labore nugas expendunt, quas ubi diligenter depromplerie, ac literarijs expofueris nundinis non doctior, fed multifcius videaris. Intemperans hoc ftudium reprehendit Gellius *lib. 13. cap. 14.* in quodam fuo familiari, qui non minimam fuæ ætatis partem contriverat in evolvendis cothurnatis ineptijs, quæ quibusdam Grammaticis, meliora nunquam expertis videntur miracula; has tibi exhibet nugas Seneca aliquot recenfens, ut fimiles caveas: ait ipfe de brevit. vitæ cap. 13. *Nemo dubitabit quin operosè nil agant, qui in literarum inutilium ftudijs detinentur, quæ jam apud Romanos quoque magna manus eft. Græcorum ifte morbus fuit, quærere quem numerum remigum Ulyffes habuiffet; priùs fcripta fuiffet Ilias, an Odyffea?*

Verùm licet non fuerit aufus Seneca 78.
Tiberium Cæfarem hujus infimulare nugacitatis; de illo tamen Suetonius in Tiber. c. 71. eo liberiùs quò ab ejus ætate fuit remotior dixit. *Tiberius Imperator maximè curavit notitiam Hiftoriæ fabularis usque ad ineptias, & derifum: nam & Grammaticos (quod genus hominum præcipuè appetabat) ejusmodi ferè quæftionibus experiebatur; quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter virgines fuiffet? Si Sirenes cantare fint folitæ.* Hiftoriam hanc fabularem ferunt nonnulli, Didymum Grammaticum quatuor librorum millibus tu ffe impenfo, improbóque labore complexum; & in iifdem principaliora argumenta effe de Homeri patria, de vera

matre invictissimi Æneæ. An Anacreon libidinosior, an vinosior vixerit; an Sappho pudica fuerit, & alia id genus, quæ scivisse minus adferunt utilitatis, quàm veritos retibus inclusisse; quid enim prodest scire quot fuerint Niobes liberi, an rectè Homerus pueros, puellásque ejus bis senos recensuerit; vel exactiùs Euripides bis septenos, vel Sappho bis novenos, aut veriùs Bachilides, & Pindarus, bis denos, nil aliud hoc scrutari est quàm nugari, futilique labore tempus terere; hinc Aulus Gellius autumavit, *Ridicularium istud* (ut ip'e loquitur) *ac nugatorium doctrinæ genus* minimè Atticis suis convenire noctibus.

79. Non tamen ea teneor austeritate, ut fabellas omnes, ac ludicra quæque semper ab oratione velim exulare, cum non me lateat, pictores rerum humilium sua non destitui laude in delineandis eleganti penicillo fabulis, quas ex libris Metamorphoseos erui consueverunt; habent ludicra hæc licèt vulgaria, omnibusque jam trita sua oblectamenta, ac illicia, quibus arrident. Quamobrem exercitij causa licebit subinde oratori miscella, ac commenta intexere orationi, dum modo inventio plena sit ingenij, textura elegantiæ, electio artificij, nilque exhibeatur bonis moribus dissonum; sed omnia suis sint acuminibus instructa, ut auditores alliciant, sua ùbique doceant; regulis hisce servatis non censuit Phavorinus apud Gellium *lib. 17. cap. 12.* levissimis etiam in argumentis se non fieri ineptum, vel frivolum; ratus res minimas maximè idoneas esse excitandis ingenijs, exercendis argutijs; hæcque ratio eur plerique nunquam majores visi sint, quàm in minimis, ut Phainas cum laudavit urticam, Chrysippus Brassicam, Synesius Calvitium, Ovidius Psittacum, Lucianus Muscam, Pittacus unus ex septem Græciæ Sapientibus molam, Homerus murium cum ranis pugnam; qui tamen ad ingenij ostentationem toti sunt in hisce rerum minimarum argumentis, totámque in ijsdem impendunt ætatem cum illo comparantur à Quintiliano homine *lib. 2. cap. 12.* qui grana ciceris ex aliquo dissito spatio in acum missa sine frustratione ejusdem inferebat acumini, quod cum spectasset Alexander Macedo, ferunt jussisse donari viro integrum ejusdem leguminis modium, dignum de arte frivola præmium. Sunt etiam qui occupantur in fabulatorijs scribendis historijs, quæ Romantij nomine donantur ab Italis, cujusmodi sunt libri de Melusina, Ganeleone, Arturo Rege, Rolando, Caroli Magni duodenis paribus, Rosalinda, & alij id genus, in quibus cum figmenta sint ingeniose excogitata, venustè digesta, eleganter scripta, nec quidquam bonis moribus contineant dissentaneum, non esse improbari cum dicendi elegantiam, phrasium nitorem, partitionis venustatem edoceant legentes: qui verò in hoc genere scribuntur libri absque verborum delectu, phrasium ornatu, dictionis elegantia, qui decori rationem non servant, pugnantia loquuntur, aliena à personis, ac temporibus fingunt, incondita, & absurda miscent, absoleta, & dissceptantia congerunt, rebúsque insulsis toto volumine scatent abjiciendi omnino sunt, siquidem contineant ea, de quibus D. Augustinus in Enchir. cap. 17. ait; *Esse quædam quæ nescire, quàm scire sit melius.*

80. Alij sunt libri rebus referti utilibus, sed tam perturbatè digestis, tam inconcinnè intextis, tam imperitè narratis, stylóque adeo rudi, ut non solùm aures verberent, si audiantur; verùm etiam lectori mediocriter erudito bilem moveant; cum videt res pulcherrimas pessimo deformari stylo, suaque maxima excidere venustate, perinde ac gemmas immixtas luto, aurum ferri confusum scoria. Plurimum refert, res sua vestire elegantia, ornare luminibus, disponere ordine, evehere stylos sicut non ex omni ligno fit Mercurij statua, ita nec omnis artifex eidem efficiendæ dicitur idoneus. Alexander edicto vetuerat, ne à quoquam in gemma scalperetur præterquam ab uno Pytgotele hac in arte omnium excellentissimo; neque ab alio in telis pingeretur quàm ab Apelle pictorum clarissimo; neque ab ullo fingeretur quàm Lysippo peritissimo statuario: non congesta authorem laudant, sed bene digesta; etiam quæ nativa sunt venustate formosa deturpantur si stylo, & oratione deterrimè vestiantur.

81. *Colondrinus* piscis aliger, è maris emergens fluctibus, sursúmque per aëra avolans declinaturus insequentis auratæ insidias, & ab hac dum revertitur dolosè captus, cum lemmate *Astus fallitur astu*, Eos in castris designat militiæ præfecto:, qui militari stratagemate à pugna ineunda se subtrahentes occultè pares incidunt in hostium insidias.

EXCURSUS.

Insidiæ ubique parantur, ac semper cavendæ.

82. Est Colondrinus teste Maiolo *coll. 9.* ulnaris longitudinis, alis utrinque munitus, aquis æquè innatans, ac aëra volatu permeans; huic in mari insidiatur piscis aurata, cujus perniciossimum per æquora cursum, simúlque periculum imminens, ut evadat summos petit fluctus, è quibus si aurata insequatur alis explicans sursum per aëra volat illudens hac arte hosti insequenti. Verùm aurata volantis Colondrini sectatur umbram, neque in cassum, quia dum revertitur facilè eum occupat ex volatu lassus, viribúsque dejectis. Ars semper fuit bellum multiplici implicata stratagemate, plenáque insidijs, quas neque centioculus prævideat Argus; imminens quod hic declinatur periculum, alteri viam sternit; & ubi securitas loci videtur esse munimini, plerunque extremi est causa excidij. Hinc exercitûs ductor, ac strategus necesse est omnia, & singula præcaveat; animos vicinorum habeat sibi obstrictos, ne ad hostem clanculo vel palam deflectant, ne pecuniâ, vel commeatu illum juvent;

vent: limitanea præsertim oppida proprio milite muniat; hæc enim securitatem pollicentur, maximè si longius sit abducendus exercitus.

83. Ad hostiles autem insidias declinandas adnitendum est stratego, ut hostium consilia & molitiones intelligat, pluta siquidem ab eorumdem pendent cognitione, unde studiosè incumbendum, neque hic pecuniæ parcendum, ut eorumdē veras enanciscatur notitias: clariores enim victoriæ ab hostilium Consiliorum fluxerunt cognitione; uti & damna ab eorundem ignorantia: si ex umbra iter non conjiceret Aurata Colondrini, eodem non potiretur. Ex Historiatum monumentis deprehendimus, præclariorum triumphos ducum ab Hostilium molitionum patefacta notitia frequentiùs prodiisse, quam ab armis, gladióque districto. Cæsar non tam bellica virtute, quam Hostilium Consiliorum accurata præscrutatione victor stetit, cum præveniret conatus, & paranda arma ante frangeret, quàm parari tutò possent, & antè singulos inaudita everteret celeritate, quàm coalescerent, aut in unum coirent corpus. Jugurtha hac eadem usus notitia plures demessuit palmas hostili sanguine insignes. Nec in hostilibus explorandis consilijs inferior fuit Hannibal: cujus partis victorijs non tam virtus bellica, quam notitia hostilis consilij obstetricavit.

84. Neque Sertorius alia arte Romanam lusit, fregitque potentiam, quam delatâ sibi hostilium molitionum notitiâ. Laudi vertitur etiam Scipioni cum consilia exploratus Syphacis nocte intempesta ejus præverit præcogitata stratagemata, ferro, flammâque delevit, quas apparavit bellicas machinas. Curius solers indagator consiliorum Pyrrhi, ejus evasit arma. Fabius cunctator plus impendens temporis in explorandis Hannibalis consilijs, quàm in pugnis ineundis labentem restituit Romanam rem, cum hostilem astum astu falleret.

Cochleæ aquatiles prodeuntes sub tectis
85. capturæ cibum, quia verò cæcæ, capiuntur ipsæ, incedentes corniculis prævijs iter explorantibus, additis verbis *Ventri non menti*, eos subindicant, quorum totum studium est de ventre implendo, non mente scientijs alenda; & quia soli student ventri, ventre cui vixerunt, brevi pereunt; quia ventris deliciæ verum gaudium non nutriunt; sed immissis in stomachum enectis volucrum, quadrupedúmque cadaveribus nonnisi præmaturam valent mortem parere.

EXCURSUS.

Ventri qui vivunt, menti moriuntur.

QUantum impendatur studij in ventre im- 86.
plendo ex eo conjicitur, quod citreæ construantur mensæ elephantinis suffultæ pedibus, eò quia æstimatum olim fuerit, hoc lignum Senatoris censu eò pretiosius, quò illud in plures nodos arboris infelicitas torsit. Hic eriguntur in pegmata pocula Chrystallina, aurea, argentea pluribus vermiculata gemmis pretium in haustum falernum resudantibus, visuntur anaglypta eminentioribus aspera cælaturis, vasa Sidonia utroque latere ansata, diatreti, seu tornatiles calices tessellati vel torno ducti, cotilæ conchas referentes, & alia id generis plura, ne vehicula desint ad ebrietatem per eos inducendam in mentem. Instruuntur mensæ exoticis non tam venustæ floribus, quàm onustæ ferculis, peregrinisque cupedijs, siquidem scimus camelorum calcanea, cristasque gallinaceis demptas olim amplum, opiperúmque apparasse convivium, & ab Heliogabalo ex solis pavonum ac lusciniarum linguis prandium suis datum amicis; à Claudio cænam è solis canorarum avium linguis; ex margaritis aceto maceratis, ac subactis à Caligula. Scimus anonymum Suem integram inclusis delicatioribus cum avibus, tum quadrupedibus gravidam suis exhibuisse convivis, & Cincium lepidè carpturum hocce convivium, illud dixisse porcum Troianum, ac allusisse ad equum Troianum armatis gravidum. Antoninum Getam prandia per literas singulas consuevisse instruere; & sub eadem litera P. pullos, perdices, pavones, pisces, pernámque apposuisse; & hoc parum si literarum dumtaxat elementa alimenta suppeditassent, nisi in suppetias accessissent elementa omnia mundi suas suppeditatura opes. Apicium plura sestertiorum millia coquinæ insumpsisse, ac plura principum congiaria, ingénsque Capitolij vectigal suis abliguriisse comessationibus, & alieno etiam ære gravatum extrema potione venenum hausisse; quasi insanæ mentis helluoni non hellebori sufficisset succus, sed medicatum poculum esset exsiccandum; nunquam lautius, ac gloriosius cœnavit, quàm cum mortem ultima cœna ebibit. Demum Caligulam præter portentissima eduliorum genera suis convivis ex auro panes exhibuisse, & obsonia aureo inspersa pulvere; ut veriùs de hisce in cænis nocturnis ad auroram usque productis diceretur adesse auri sacra fames, ad quam explendam fercula exhibebantur aurea; quòd si alij aurum eliquârunt, quod epotarent; immodicus in hisce epulis luxus contrivit, ut comestibile fieret.

Dignus sanè qui nonnisi aureos cibos 87.
avido dente morderet, qui aurum totius urbis esuriebat; & aurum fusum hauriret, qui auro inhiabat alieno. Quærunt homines in symposiis

posiis voluptatem, varijs gulæ famulantur illecebris, ut propriam inde prodant insaniam: nullus cum sit cibus, qui integer demissus in stomachum placeat, nullus aderit, qui integram valeat voluptatem parere, ac alere; dentę placet contritus, sed plus æquò ingestus pœnitentiam adhuc ingenerat: aliena sunt à vera bonitate illa fercula, quæ ex ipso usu non fiunt meliora, sed potius fastidium pariunt cum ventrem impleverint; veram non invehunt voluptatem illæ dapes, quæ mulcere gulam non valent nisi terantur, pereantque. A vera felicitate cum bruta exulent animantia, non valent eamdem nobis impertiri, quæ nobis sunt cum brutis communia, cujusmodi est voluptas, quam ex usu percipimus ciborum; quinimo quò major ex cibis sentitur à nobis voluptas, eò vehementius excitantur in nobis brutales motus, quibus in bruta degeneramus animantia; quia ut verè S. Laurentius Justinianus *serm. 2. de sobrietate* loquitur *Ubi est crapula ratio cespitat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur.* Evertunt symposia mentem, nisi mens ab ipsis avertatur. Imò non menti tantùm, sed etiam ventri sunt noxia; eum siquidem aggravant, premunt, morbòsque parturiunt, eo majores, quò meliores dapes ventrem plus æquo replent: scitè ille dixit; morbos vectigal esse voluptatis, quam gula ex ferculis percipit; nec alind esse ventris saginam, quàm miseriarum officinam.

88. *Conger* ex serpentina marina specie piscis cum murena & polypo pugnans eos vincit licèt corporea mole majores, superatur tamen conger à locusta longè minore cum lemmate *Anceps alea Martis*, in eos hoc symbolum cadit, exercitûs præfectos, qui post plures delatas è fractis hostibus insignes victorias; ipsi tandem vincuntur ab hoste subinde viribus, & militum numero inferiore: nil siquidem incertius eventu belli, neque victoria semper ad illam propendet partem, ubi validiores sunt vires, numerúsque militum major. Favet subinde fortuna bellica imbecillioribus.

EXCURSUS.

Militum multitudo, quæ palmas legere speraverat, plerunque funebres metit cupressos.

89. POssem hîc plures ex omni gente recensêre, qui exiguis copijs ingentes fregerunt exercitus: possem plura ætatis nostræ, & superioris exempla congerere, à quibus omnibus consultiùs censeo abstinere, ne immenso propemodum sanguine adigar hasce funestare paginas; aliqua tamen omnibus obvia attexere exempla non abs re fore duco. Sciunt omnes Abrahamum trecentis solis, & octodecim vernaculis quatuor fortissimos fudisse Reges; Gedeonem trecentis militibus campestri assuetis labori centum viginti millia prostrâsse Madianitarum. Machabæos parvulâ manu validissimos variarum gentium fregisse exercitus. Betuliam unam è minimis Palestinæ urbibus ingentes Assyriorum exercitus obtruncato fœminea manu Holoferno fugâsse, ac per unam Juditham præclaram detulisse victoriam. Ab Alexandro Macedone Darium Persarum Regem bellico apparatu superbientem, ducentisque militum millibus contemptui habentem hostem, ut pote cum solis triginta sex millibus audentem illum lacessere cæsum fuisse. Lucullum exiguo exercitu terrâ, marique fortissimos Mithridatis vicisse exercitus. Cum pauco itidem milite L. Martius in Hispania Carthaginenses, Bellisarius in Italia Wandalos, Narses Gothos, Catacalus Saracenos, Ladislaus Russos in Polonia fuderunt, ac insignes de numerosioribus, ac fortioribus hostibus retulerunt triumphos. Numantia itidem non mœnibus septa, non turribus munita, non propugnaculis cincta, quatuor non amplius pugnatorum millibus populum Romanum orbis terrarum viribus propemodum omnibus fultum annis quindecim invicta constantia, & bellica virtute sustinuit; nec opprimi potuit nisi à solo Carthaginis eversore. Theodosius parva, & imbelli manu Eugenium & Maximum aggressus ingentes eorumdem cæcidit exercitus. Heraclius etiam exiguo milite Cosroem cum validissimo suo exercitu stravit, ac vicit; ut discerent in castris Strategi plerunque fortiores ab imbecillioribus superari, ut contingit Congro pisci, qui licèt Polypum majorem superet, vincitur tamen ipse à locusta longè minore. Est conger anguillis haud multo dissimilior, carne tamen durior, sapore inferior, figura longus, cute lubricus; binas habet utrimque branchias, alteras juxta Aristotelem simplices, alteras duplices. Gula est illi exigua, dentes parvi pectinatim coëuntes, oculi majores illis Anguillarum: duo sunt eidem brevia cutacea corni-cula in extremo rostro. Sæpe ad quatuor, vel etiam quinque cubitorum excrescit longitudinem.

Crocodilus præsentiens Nilum redundaturum, longiùs ab imis fluvij ripis, quas incolere 90.
consuevit ad editissima montium fastigia, jugáque eminentiora Nili redundantiæ inaccessa unà cum suis se fœtibus transfert, ac tutus à decurrentibus fluctibus quiescit cum lemmate *Fato Prudentia major*. Virum prodit prudentem, qui futura prævidet, & mala futura priusquam obveniant præsagiens declinat, séque ab omni periculo ea incurrendi removet. Nilus ait Seneca *Lib. 4. natural. quæst. cap. 2.* ante exortum caniculæ augetur mediis æstibus, ultra æquinoctium. Hunc nobilissimum amnem natura extulit ante humani generis oculos, & ita disposuit, ut eo tempore invadaret Ægyptum, quo maximè usta fervoribus terra undam altiùs traheret, tantùm hausura, quantum siccitati annuæ sufficere possit. Nam in ea parte, quæ in Æthiopiam vergit, aut nulli imbres sunt, aut rari, & qui insuetam aquis cœlestibus terram non adjuvent. Unam in hoc spem suam Ægyptus habet; proinde aut

sterilis

ſterilis annus, aut fertilis eſt, prout ille magnus influxit, aut parcior. Cum igitur per æſtatem eſt Nilus redundaturus, Crocodilus ſuis cum fœtibus inundationem declinaturus relictis conſuetis latibulis in loca demigrat eminentiora, & ab imminenti cavet damno ex aquarum acceſſione derivando: vix poteſt expreſſiùs vir prudens indigitari. Id viro prudenti proprium, futura priusquam obtingant animo præſagire, ſéque ab omni ſubtrahere periculo, ac mala quæ poſſent eidem imminere antea cavere, quàm obveniant; quòd ſi nulla arte futurum valet malum effugere, non tamen totum ab eodem ſubit detrimentum, cum præcogitati mali levior ſit ſemper ictus; prævisa, & expectata tela dicuntur etiam vulgò minus ferire; neque pœnitudo graviter ejus animum pulſat, ſi præter cogitata fortuitum quid occurrerit, ſolatur enim conſcientia ſe ipſam, ſciens haud omiſiſſe, quæ prudentis erant viri; unde neque fortunam incuſat novercantem; neque in voces erumpit querulas, ſi prudenter cœptis non reſpondeat exitus: non ſemper aër arridet ſerenus; neque æquor malacia eblanditur; Id exigit rerum humanarum viciſſitudo; ut quem fortuna diu fovit; adverſitas ſubinde divexet. Vix ex hominibus unus aſſurget, quem perfidus aliquis non cruentaverit exitus. Cæterum ad præcavenda mala, non pudeat virum prudentem res etiam parvas in deliberationem vocare, quia ſicut in magnis, ita & in parvis poteſt error irrepere qui ſit prægrandium malorũ fons putidiſſimus; propterea amicos virósque ſapientes in conſilium vocat, & omnia ſerena mente, tranquillo animo maturè perpendit; Conſilia callida adverſatur perinde ac de torculari ſpumantia, aut de ſopito igne datura infelices arſuras. Conſilia omnia fronte hilari audit; ſed ad futura deliberanda eadem ſecum priùs examinat, metuenda diſcutit, nocitura rejicit, profutura deliberat; & ſi quid adverſi poſtea obtigerit hiſce prudenter in cœptis imperturbatus ſtabit ſciens & arbuſta frugifera, & ſegetem flavam, & vindemiam temulentam à fortuito imbre excidi, ac delabente grandine corrumpi.

9.1. *Cyprinus* piſcis fluviatilis carens lingua, carnoſóque palato omnia digerens cum verſu Italo *Lingua non muove, è digeriſſe il tutto,* Symbolum eſt viri patientis citra ullam querimoniam adverſa quæque hilari vultu, oréque tacito tolerantem. Eſt Cyprinus tincæ perſimilis, ſuperius enim labrum rotundum eſt, ac croceum (ut voluit Albertus apud Aldrovandum) ex quo utrinque gemina pendet barba, longior una, mollis flaveſcens in acutum deſinens; altera brevior nigricans, minúsque conſpicua. Capite pro totius corporis ratione eſt brevi. Lingua caret, palatúmque habet carnoſum quo omnia digerit, ut aſſervit Ariſtoles lib. 4. Hiſtor. animal. cap. 8. inquiens. *Aquatilium generi, quos piſces vocamus data eſt quidem lingua, ſed imperfecta, incertaque, oſſea enim, nec abſoluta, ſed palatum nonnullis carnoſum pro lingua eſt, veluti inter fluviatiles Cyprino.* Hinc Rondeletius ait hunc piſcem dentibus etiam carere, & horum vice palatum fixum. Pinnis natat latis, quarum quæ branchijs hærent ſunt reliquis latiores; in medio ventre alias duas habet, è medio dorſo unica erigitur ſerratis aculeis valida, producitúrque fermè uſque ad caudam, quæ huic piſci lata eſt ex nigro rubeſcens. Elinguem autem ſi ſpectemus piſcem, & dura quæque digerentem virum habemus patientem; elinguem, quia non querulum in ſubeundis adverſitatibus; & dura quæque digerentem; quia convicia, & contumelias æquo ferentem animo.

EXCURSUS.

Patientia duriſſima quæque concoquit.

Contumeliæ digeri dicuntur, cum æquo feruntur animo, patientérque coquuntur: 9.2. pulchrè S. Ambroſius lib. 2. de offic. cap. 7. Moyſem efferebat patientem inquiens, *Quantas à populo Moyſes illatas abſorbebat contumelias, quam miti ſermone poſt injurias appellabat, quomodo conſolabatur in laboribus oraculis delinibat, favebat operibus, meritò æſtimandus eſt ſuper homines, ut & vultui ejus non poſſent intendere.* Patiens elinguis duriſſima coquens fuit S. Job, cum ſilens, animóque inconcuſſus funera audivit liberorum, cum tranquillos bonorum ſpectavit jacturam; in cruciatus omnia obtulit membra, convicia ab uxore ſparſa, veluti amaſiæ excepit blandimenta, vulnera quibus totum corpus marcido ſcatebat ſanguine veluti gemmas ſummo habuit in pretio, nunquam in irruentes adverſitates conqueſtus. *In omnibus his non peccavit Job labiis ſuis.* Job. cap. 2. quàm patienter elinguis, quàm fervidè dura quæque excoquens. Sunt qui morborum genera quatuor enumerent ſupra viginti, quibus Acheronticus tortor in omne viri patientiſſimi corpus deſævijt; per intervalla tamen ut diutius ſe mori ſentiret; vitam enim ne tartareus laniator affligendo adimeret cœleſti interdicto cautum erat. Initio maligna phagedæna, tetra, verminibus ſcatens artus ſerpendo depaſcebat, carnéſque abſumebat; huic comes fuit eryſipelas, flammâ per poplites, tibiáſque maximè graſſans, cui adjunctus cancer totum corpus tumore infecit; hinc paſſim virium defectiones, angentiſque animi deliquia, ut animam agenti ſimilior videretur. Lepra ipſas penetravit oſſium intimiores medullas, plumbeum peperit ſanguinem, mœrores invexit, ac ſomnia excitavit terrifica. Podagra doloroſa compede excruciavit pedes, manúſque chiragra. Arthritis membra ſingula dirè torſit; tabe purulentâ ſcatebant nares, aures, genæ, os, & gingivæ, quæ dentium acriori torquebantur dolore. Hiſce addebantur putredo viſcerum, nephritis renum, halitus malè olens; pleuritis latus acutè transverberans; Et alia quibus S. Job ſpectrum potius quàm homo dirè excruciatus crederetur. Hinc Domeſticorum

veluti à corrupto, pessimeque olente cadavere fugit, præsertim cum integro septennio verminosis lacerarei ulceribus, adeout metu contagionis invehendæ suis ipse proscriptus ædibus, perinde ac vivum funus à Vespillonibus in publicum fimetum extra urbem regiam, cui nomen *Xenaba* efferretur omnibus exosus, ex eo pinguibus facultatibus, opibusque quibus supra cæteros eminuit ne vili quidem centunculo delato, quô pus abstergeret, usus pro strophio vili testula temere in fimum abjecta, qua tamen siccavit. Quid ni? tot afflictus morbis, totque acerbis diverberatus cruciatibus elinguis semper fuit, quia non peccavit Job labijs suis singula decoxit adversantia.

93. Fuit Jobus natione Idumæus Esaui pronepos ex patre Zara, princeps regionis Hus, seu Idumeæ inter pessimos optimus, licèt divitijs, vt ijs plerunque affinibus, opulentissimus. Felicitatis eversor invidia fuit non tam ab hominibus, quàm orco concitata, qui vivum invictæ virtutis specimen profligaturus, Jobum ad singulare certamen à Numine depoposcit. Urebat enim Acherontem Jobi sanctitas, cujus claritas cœlum impleverat, terras illustraverat. Voti compos stygius incola potestatem obtinet modis omnibus acerbioribus Jobum affligendi dummodo è vivis non abradatur Libithinæ falce. Alastor singulas intentans nocendi artes Sabæos primùm Hussææ conterminos regioni ad bellum armat, excitatque; qui in florentem Jobi ditionem facta irruptione mille quingenta majoris pecoris capita, boum scilicet & asinorum abegerunt, custodibus gladio peremptis, ono tantum superstite qui Jobum adcurreret infaustus insperatæ calamitatis nuncius. Mox alius subsequitur stupens sensu, vocéque torpente, nunciatque singultiens, ægróque anhelitu voracem flammam ovium sep em millia, id est totum gregem unà cum opilionibus fuisse depastam, nec una quidem relicta, cujus immolatione placati Deus posset; & ipsum solum à vorantibus ignibus incolumen evasisse nunciaturum totius gregis excidium; nondum lugubrem absolverat fecundus narrationem, & tristiora prosecuturus adest tertius, memoratque pavitans, Chaldæos rapto vivere assuetos, tres partitos in turmas tria Camelorum millia in prædam abstraxisse, cæsis famulis uno relicto tristissimi infortunij nuncio. Mox quartus accedit, lacrymisque madidus refert, septem Jobi filios, & tres filias eadem convivantes in domo vehementi turbine concussis ædium angulis ab imis fundamentis unà sepultos priùs fuisse ruinâ, quàm mortuos; verùm S. Jobus in nullam irrumpens querimoniam, ac veluti elinguis *In omnibus hu non peccavit labijs suis*, prædones fortunam, dæmones non accusavit, sed tantùm abraso more lugentium capite durissima quæque concoxit. Vir patiens querulas odit voces, & silentio victoriæ sequitur gloriam: scitè S. Gregorius lib. 30 Moral. *Gloriosius est injuriam tacendo vincere, quàm respondendo superare: si servus convicium dicat, justus taceat: si infirmus injuriam faciat, justus sufferat: si pauper criminetur, justus non respondeat.* Eadem Dei voluntas est, quæ mulcet, & pungit, divinæ acquiescamus voluntati.

Dactylus piscis nocte illuni mare innatans, proprioque fulgore tramites sibi explorans cum deprompto lemmate ex Claudiano *Nil opis externæ*, Symbolum est virtutis. Refert Plinius *lib. 9. cap. 61.* Dactylum piscem esse è genere Concharum ab humanorum unguium similitudine dictum, in tenebris suo clarere fulgore, atque in ore etiam edentium lucere, & in manibus, ac veste decidentibus guttis, ut & succo lucis natura cognata sit. Symbolum est hic piscis præstantis virtutis suo nitore sibimet ostendentis, quà sit eundum non enim inclyta virtus ope indiget externa, quia ut eleganter Claudianus 94.

Ipsa quidem Virtus pretium sibi, solaque latè
Fortunæ secura nitet, nec fastibus ullis
Erigitur, plausúve petit clarescere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nihil indiga laudis
Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
Cladibus, ex alta mortalia despicit arce.

EXCURSUS.

Virtus sibi pulcherrima merces.

Virtus nullius externæ opis indiga, sibimet prælucet, ostenditque quò sit eundum; neque à recto unquam deflectit tramite. Hæc 95. ubi emicuerit nobilitatem invehit; non enim hæc ob origine, sed à propria cujusque virtute est metienda: nam si primam repetimus originem à Deo omnes sumus; si quem ab homine ortum trahimus omnes ab aratro, ligonibus, coloque profluximus: licèt alterna postea serie jactent aliqui avos, & proavos virtutum culturâ præstantes; & alij virtutis neglectu sordidos habuerint majores, ac prorsus obscuros; si tamen paulo altiùs ambo comeputarent, non tanti se putarent; cum plerunque majores qui virture claruere ab avis proavisque prodierint nulla insignitis nobilitate, nulloque virtutis nitore claris; & è converso, majores obscuri proavos, atavósque habuerint virtutis præstantia claros: hæcque Platoni ratio fuit, cur neminem regum non aliquando à servis; & servorum neminem non aliquando à regibus asserat prognatum. Longâ ætatum varietate, rerúmque humanarum vicissitudinibus miscentur omnia; inque omnem partem singulos Fortuna versat. Si majorum series curiosiùs scrutaremur, qui sola avorum virtute clarescunt, forsan in aliquem è patibulo pendentem impingerent, coacti restitire. Parum refert scire, ex quibus sit quis majoribus progenitus, si eorundem fuerit destitutus virtutibus: scitè ille: *Nemo in gloriam nostram vixit, neque quod ante nos fuit, nostrum est.* Majorum virtus non illa est posterorum, qui sæ suis plerunque degenerantes progenitoribus turpia agunt, quæ à virture parentum minime delentur, non enim virtute parentum

tum dicuntur filij silvari: nil prodest filio parentis robur: neque bellica proavi virtus triumphos imbelli apparat nepoti. Virtus, ni & quod eidem adversatur vitium, non transit in filios, & nepotes, alinquin Patris eruditio hoc pacto transfunderetur in filios, qui absque labore, studióque in frequentandis scholis suscipiendo sapientes, ac eruditissimi nascerentur, quo nil potest absurdius excogitari; cum homines docti fiant, non nascantur. Idque dicendum de nobilitate, cui sola virtus obstetricatur. Nobilitas nonnisi à virtute prodit, non quidem aliena, sed propria; non enim nisi fatuè filium doctum diceremus eruditione Patris; aut fortem parentis robore, aut industrium, providúmque ex avi, vel proavi industria, & providentia.

96. Nemo est qui alienis dicatur oculis videre, vel pedibus progredi; si filius cæcus fuerit, parentis in videndo perspicacia nil ipsi prodest; bellè cecinit ille & verè. *Virtutem voluêre Dij sudore parari*, scilicet proprio, non alieno, ut quisque sibi consulat. Qui suis dederunt familijs illustre nomen, & à quibus in posteros dicitur nobilitas, ac claritas derivata, nonnisi culturâ virtutis proprios fuerunt splendores enacti, quibus claruerunt; non hi aliena, sed propria fuerunt illustres virtute. Hos posteri imitentur, ut eorumdem splendeant nobilitate, imò hos nitantur virtutis cultura superare, quia ut monet Antistes ille, cui nomen est ab aureo ore: *melius est, ut in te glorientur parentes, quàm ut tu in parentibus glorieris*, latius est propris gestis clarescere, quam majorum opinione niti; Non datur imbelli laudi è parente forti natum fuisse; neque ignavo ulla est gloria ex strenuo prodijsse patre; ut neque pauperi avos habuisse locupletes. Bene vertitur gloriæ Mario, eo quia nobilitatem rebus à se præclarè gestis pepererit, non verò ut alij à majoribus acceptam corruperit. Si optio daretur, nemo esset qui potiùs ab ovibus, & funda, delctis omnibus majorum imaginibus, non deligeret cum Davide ad sceptrum vocari, victorémque gentium proclamari; quàm cum Manasse post tot præclarissimos majores sceptro, ac diademate toto orbe clarissimos ab Assyrijs victum, vinctúmque duci compedibus. Quis Davidem Manasse non dicat nobiliorem? Quamvis iste innumeris illustrium majorum fuerit imaginibus turgidus; ille verò ovium vellere pannosus. Vera nobilitas non illustri hæreditate, sed propria virtute paratur. Patritius Socrates non fuit, sed marmorario genitus Patre. Cleanthes rigandis in horto areolis assueverat. Platonem Philosophia illustrem ac nobilem non accepit, sed fecit; Euripidis, & Demosthenis parentes adeo obscuri fuere, ut vel eorum nomina ignorarentur. Tullus Hostilius agresti è tugurio mortalis vitæ fuit datus usuræ. Tarquinius Priscus Patre gloriabatur viliori addicto mercaturæ. Servius Tullius à servo infimioris notæ genitus, virtutis ope imperij tenuit fastigia, Varro ex taberna Macellaria ad consulatum, Porcius Cato obscurus Tusculi in lucem editus, virtutis nitore ornatus clarissimus Romæ vixit. Marius septies ab aratro ad consulatum ascendit. Augustus licèt equestris se asserat ortum familia, Antonius tamen libertinum proavum illi exprobrat. Otto è matre plebæa natus, nactus imperium fuit. Vitellium plures e Patre sutorio volunt ad imperium promotum. Pertinax humili loco natus è Patre Libertino Romanum rexit imperium. Diocletianus obscuris ortus natalibus Romani jubare fulsit imperij. Macrini parentes imperium fertur ignorâsse. Maximinus, Maximianus, & Justinus ab ovium custodia ad gubernandum imperium fuere assumpti; & ne sim tædio plerosque reliquos omitto, quos ex infima plebe natos Roma Imperatores habuit. Non avorum claritas posteros illustres facit, sed propria virtus, quæ *Nil opis externæ*, cupiens, homines ad eminentiora evehit dignitatum fastigia. A robore unicuique suo, à propria exculta virtute, à præclare gestis vera oritur nobilitas, quæ non ab utero prodit, sed à virtute gignitur.

Delphinus ex cetorum genere piscis per quàm notus in commoto maris gremio alios minores haud infensè obludens inter pisces, quibus est oblectamento cum lemmate *Magni felle carent*, Principem prodit mansuetum. 97.

EXCURSUS.
Animum Regium Mansuetudo prodit.

Asserit Athenæus *Dipnosoph. lib 8.* ex Aristotele, ex universo piscium cœtu solos Delphinos carere felle; nec alijs nocere squamosis piscium inferiorum gregibus, sed illis potius veluti sibi subditos vario eblandiri lusu. Principis est Symbolum, cui propria est mansuetudo; ait enim Seneca lib. 1. de clementia; *Nullum clementia ex omnibus magis quàm regem, & principem decet*; cui assentitur Salustius eos commendans Principes, quorum clementia populos rexit inquiens: *Qui benignitate, & clementia imperium temperavere, his candida, & læta omnia obtigerunt.* Non probantur, nec approbantur morosi illi, difficilésque principes, quibus ingenium Brontes, Steropesque videntur Ætnea in incude duriori è chalybe malleâsse. Benignitatem induat Princeps, hilari vultu, benignis oculis, fronte serena omnibus obviet, verbisque fericis exterorum sibi devinciat corda; imò mœrentia etiam hostium demulceat pectora; nec inde ullum ipsi dedecus, eum inglorium nemo Deum dixerit, si in omnem peccatorem, seu juratum hostem non insurgit in vindictam? nil benignitate viro principe dignius, nullâ re aliâ propiùs videtur ad Deum accedere, quàm mansuetudine, cum ipse Servator in hujus specimen virtutis se ipsum exhibuerit, quem imitaremur inquiens *Discite à me, quia mitis sum*; hancque mansuetudinem exemplo fortiùs, quàm verbo nos edocuit cum Magdalenam, Publicanum, Zacchæum, latronem benigno excepit vultu, 98.

99. Specimen regiæ mansuetudinis exhibuit David. eámque Deo objiciens ait Psalm. 131. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus;* ejus namque Historia non nisi mansuetudinem olet, placétque strictim eam hic artexere. Vita functo Saule David consulto Deo ex urbe Siceliga ab Achis Rege Gethæorum ei dono data migravit in urbem Hebronem metropolim Tribus Iudæ, ac trium Patriarcharum sepulchro toto urbe claram; ibique Rex inunctus, ac promulgatus fuit; duo hic uni corpori monstroso capita præsuere; siquidem post Saulem violenta nece sublatum Abner militiæ præfectus Isbusethum Saulis filium circum castra duxit, regémque proclamavit, cujus in obsequium undecim gurrerunt Israëlis Tribus; sola Judæ Tribu Davidi obsequente, cujus jura districtis etiam gladibus tuebatur. Scissum hasce in duas partes Regnum toto septennio, integróque semestri dissidentes populi cruento bello funestârunt. Abner verò qui afflictum regnum moderabatur ex parte Isbosethi, qui solo regis nomine omine infausto potuit gloriari, ex urbe Manaim egressus exercitum movit versus Gabaonem, quæ ad Tribum tunc pertinuit Beniaminæam, erátque Judæ contermina. Joabus Davidicas ducens copias, cum novisset, Abnerem trajecisse Jordanem, se lectis nonnullis expeditioribus militum millibus obviam illi processit vim vi prohibiturus. Ambo exercitus sibi obviant juxta lacum non procul Gabaone, pugnas tamen non ineunt; sed Abner prudentiâ, & consilio pericula omnia declinavit, captâ siquidem Joabi amicitiâ suadet ei simul considere; annuit Joabus; sed Abner ostentaturus suorum militum virtutem bellicam, jussit duodenos ex suis fortioribus congredi ludicrum daturos spectaculum ostendendæ magis artis militaris gratia, quàm fundendi sanguinis ratione.

100 Quid verò causæ fuerit bellici hujus experimenti, non una est omnium opinio. Sunt qui autumant certamen illud non tam bellicæ gloriæ studio, quàm desiderio vires adversariorum explorandi fuisse institutum, in omen martiæ fortunæ. Censent alij, velitationem illam susceptam decretorijs armis, ut paucorum sive victoriâ, sive cæde, dissidia extinguerentur, simúlque cæterorum sanguini parceretur; sed quicquid fuerit de Abneri mente; annuit illi Joabus & illico ad datum signum concurrerunt animis ferventes, ferocésque juvenes, apprehensisque alter alterius crinibus districtis pugionibus se se cruentârunt, mutuisque vulneribus ciciderunt; nec ludicrum fuit certamen, sed acrioris pugnæ cruenta prolusio: irritatæ siquidem ex fuso suorum sanguine utrinque spectantes copiæ districtis gladijs certamen pleno agmine ineunt, vulnera infligunt, cædunt, mutilant, occidunt. Victoria pro Joabo stetit. Abner cum suis cæditur, ac fugatur interfectis trecentis sexaginta; cum ex Davidicis novemdecim tantùm desiderati fuerint. Abner postea pro ea, qua pollebat apud suos authoritate, & eloquentia persuasit primatibus ut juxta divini oraculi responsum uni obsequerentur regi, qui universo dominaretur Israëli, nimirum Davidi vindici Hebræi populi designato ex Samuelis interpretatione. Annuit totus populus: & Abner ea fuit à Davide benevolentia, ac mansuetudine exceptus, ut pluribus cumulatus beneficijs ad primas aulæ dignitates promotus etiam fuerit: idque Joabum acriter ussit, non aliter Abneris fortunam fuit miratus, quàm ut propium infortunium, cenlena illius incrementa, propria esse ex aula, & regis favore decrementa; cæpitque animo voluere insidias, quibus ab aula simul, & vita Abnerem eraderet; sceleris participem, & adjutorem voluit fratrem Abisaium, ne timida improbitas in ipso oriretur facinore. Reduci Abneri obviavit Joabus extra Hebronis mœnia, postque amicam salutationem, à cætero seducit comitatu & inflicto vulnere Abnerem interemit. Indoluit David, Abnerum contra jus gentium fuisse insidiosa nece sublatum; & ad ejus exequias, quas regali pompa jusserat apparari omnem convocavit populum; & ipsemet cum primoribus regni, scissis vestibus, habitu lugubri, effosis lacrymis est funus prosecutus, eique supremis parentavit honoribus. Interempti Abneris corpus juxta Hebronem delatum jussit splendidè sepeliri, ac repetito planctu, iteratóque epicedio voluit honestari, neque amicorum precibus adduci potuit ad cibum sumendum ante solis occasum, licèt ex fusis lacrymis, ac præconcepto dolore viribus pene deficeret: idque gratiam apud populum ei conciliavit, commendantibus singulis Davidis mansuetudinem, ac benevolentiam in Abnerem, cujus funeri talia pietatis officia exhibuit, qualia præstitisset, si patri parentasset, vel fratri.

Enituit hæc Davidis mansuetudo cum Jonatham sibi devinxit; licèt iste regio esset ortus sanguine; ille pastoritio, morum tamen similitudine, & amoris fervore in unum coaluerunt. Uterque generosus manu, & animo; liberalis, mansuetus, sincerus corde, alienus à simulatione, honestique appetens, neminem pupugit invidia; sed utrumque complexus est amor, ut in corde Davidis diceretur hærere Jonathas, & cor Jonathæ à Davide totum occupari; utrumque commendabat animi virtus, & forma corporis; ut enim vulgo dicitur: *Gratior est pulchro veniens de corpore virtus;* & quia amicitia vel paret facit, vel invenit; non satis fuit Jonathæ Davidem sibi arctissimè devinxisse; nisi extimo etiam habitu in amicum exteriùs migraret: vestibus quibus induebatur Jonathas se spoliat, ijsque Davidem induit, armorúmque munit bellico apparatu; ut ex pastore migraret in militem, quem etiam inter tribunos belli adlegit: rectè Salomon Proverb. 18. ait *Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit, quàm frater.* 101

Rapuerat Jonatham Davidis mansuetudo, neque quievit amor Jonathæ donec Davidem 102 sibi faceret simillimum, non tantùm virtute, sed etiam fortuna; vis fuit hæc amoris, qui virtute, ac mansuetudine Davidis nitebatur;

non

non extinguitur amor, quem virtus fovet; & familiaritas, quæ apud alios contemptum parit, veros inter amicos gratiam concilias, & ex vicinitate flammas auget amoris. Rectè David Deum alloquens, propriam memorat mansuetudinem. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Fuisse Deum recordatum mansuetudinis Davidis ex eo liquet, quòd è pastoritia ad sceptrum evocaverit, hinc Psalm. 149. *Exaltavit mansuetus in salutem*; dederitque gratiam, qua Jonathæ aucuparetur amorem, quia Proverb. 7. *Mansuetis Deus dabit, gratiam.* Non tamen credas Davidis mansuetudinem Justitiæ infensam, Joabum enim Abneris interfectorem promerita punivit pœna; cum diris imprecationibus non solùm authores necis, sed eorum etiam omnem posteritatem fuit execratus: mansuetudo quæ officit justitiæ, vitio potius Principi vertitur: hinc Chilon referente Laërtio *lib. 1. cap. 4.* asservit, potentiam adjungendam mansuetudini, ut à suis Princeps non tam metum extorqueat, quàm impetret reverentiam: & Archidamidas (ex Plutracho in Apophteg.) cuidam Charilaum regem commendanti, eo quia æquè mitis esset erga singulos: & qua fronte respondit, aliquis laudetur, qui erga sceleratos se mitem exhibeat? Perspexit vir ingenio acer, mansuetudinem cum justitia conjunctam esse oportere: quia Principis in facinorosos lenitas, nil aliud est, quàm in bonos crudelitas; quam mali in probos exercent spe veniæ ex indita principia mansuetudine.

103 Hinc Cleomenes apud Plutarchum in lacon. Apoph. cum è civibus nonnemo assereret: bonum regem omnino erga omnes mitem, & placidum esse oportere: respondit, ne tamen mansuetudo sit eidem contemptui: innuens erga improbos mansuetudinem Principis noxiam esse reipublicæ: & plures itidem quibus Principes mansueti deberent in delicijs esse; eorum clementiam contemptui habent. Non diffiteor, mansuetudinem, & comitatem plurimum in Principe promereri laudis: verùm ob malorum perversa ingenia temperanda est, ne sit justitiæ impedimento. Cæterum mititas Principis si prudentiam habuerit comitem plurimum prodest populo tumultuanti. Durus, ac immitis erat populus Hebræorum, facilis ad tumultus, sed mitis Moyses ejuscompressit insolentiam, inflexit duritiem, & instar lolia tumultuum tenebras discussit, ut scitè innuit S. Chrysostomus homil. de mansuetudine inquiens: *Quemadmodum solis iubar, ut primum apparet fugat tenebras, ita mansuetus, atque benignus res turbulentas componit.* Sæviebat populus in Moysem, convicia, & scommata in suum Ducem intorquebat; ipse tamen contumelijs impetitus, & injurijs lacessitus de suæ mititatis suggestu dejici nunquam potuit, majórque fuit Moysis mansuetudo, quàm oblatrantis populi pervicacia: húncque mansuetudinis spiritum à Deo hauriebat, cum quo die, noctúque mente versabatur. Scitè Oleaster in cap. 12. Numer. *Docet Moyses prælatos murmura dissimulare, injurias in faciem perpeti, neq; ipsa curare, ac si dicta non fuissent.* Hæc qui premit Moysis vestigia superbiâ non tangitur, neque sævitia fœdatur.

Delphinus naufragum hominem ex allisa ad scopulum navi deferens per decumanos fluctus ad proximum littus cum lemmate *Redditur*, homini congruit suscepta beneficia rependenti. 104

EXCURSUS

Merita metit, qui beneficia serit.

Refert Ælianus *lib. 8. cap. 3.* Cœronum quempiam Delphines ad Bizantium captivos pecuniâ redemisse, ac in mare liberos dimisisse; 105
non tamen suscepti beneficij memoria grati ssimis piscibus excidit: hominem siquidem in naufragio submersum exceperunt, placidéque in portu collocârunt; & quia fato jam functum deprehenderunt, & exequiarum pyra arderet in littore, alij plures exilierunt è mari Delphines nec nisi extincto rogo, quasi officiosissimi amici discesserunt. Si squammosa animantia, quæ ratione carent accepti beneficij minimè obliviscuntur; quanto magis debent homines, quos ratio regit, benefactorum memores esse? cum sit gratitudo virtutum omnium laudatissima, Deo grata, hominibus jucunda. Is verò gratus dicitur, qui pro suscepto beneficio aliquid reddit; debet tamen vir gratus in rependendis beneficijs feraces illos imitari agros, qui quæ acceperant olerum semina non nisi aucto fœnere reddunt; plus semper adferentes, quàm acceperint: si in eos, quos speramus nobis profuturos nitimur ea quæ possumus conferre officia; majora certè officia, & beneficia tenemur ijs impertiri, qui nobis jam profuere; id recta ratio suadet, id exigit humanitas; quâ homines mutuis vinciuntur officijs, pulchrum sanè Chilonis effatum, utinam altiùs memoriæ imprimeretur hominum; aiebat ille: *Beneficij dati oblivisci decet; accepti meminisse*, ut benefactori nos gratos exhibeamus; beneficium enim beneficium parit, sicut gratia gratiam adfert; si non re, & effectu; saltem desiderio, & affectu: hinc Diogenes acceptis paucis nummis à Diotimo Carystio (ut refert Ælianus *lib. 4. de var. Histor.*) homine sibi amicitiâ devinctissimo; & cum illi deesset unde munus tam amplum rependeret, ad Diotimum dixisse fertur: Dij tibi largiantur tantum, quantum animo tuo cogitas, & cupis; si defuit effectus, saltem adfuit affectus, quo homines nequeunt si velint sibi deesse in rependendis beneficijs, etiam Deo, cui nunquam effectu valemus æquale reddere; ut enim scitè S. Ambrosius *in Luc. serm. c. Nihil est quod dignum referre possemus pro suscepta carne in Maria. Quid pro verberibus? quid pro cruce obita, & sepultura reddemus? licet crucem pro cruce, funus pro funere? nunquid reddimus, quod ex ipso, & per ipsum, & in ipso habemus omnia? Reddamus igitur amorem pro debito, & charitatem*

pro

pro munere, gratiam pro sanguine, pro pretio pecuniam. Inolevit tamen proh dolor! inter homines prorsus damnanda consuetudo, qua injurias pro susceptis beneficijs Deo rependunt, à quo per illatas offensas avertuntur; uti nec defuerunt, qui pro benefactis malefacta reposuerint inter homines; imò fuerunt etiam filij qui crudeles, ac cruentas manus in proprios parentes horrescente natura ipsa injecerint, ut Tullia in Servium, Aristobulus in Hircanum, Selymus in Baiazetem, Sanchius in Jamem. Memini etiam discipulorum, qui in proprios sævierunt præceptores, ut Herculis in Linum, Anyti in Socratem, Angeli Constantinopolitani in Basilium, Neronis in Senecam, Juliani in Pigmenium, ut plures alios reticeam, qui crudeles, impiásque manus in proprios injecêre magistros. Si non referre gratiam pro beneficio turpe est, certè longè turpius noxium se præbere benefacienti; sicut regium est cum benefeceris malè audire: excelsi enim est animi ingratitudine non deterreri, neque à studio bene merendi de omnibus unquam desistere per collata beneficia, quæ tametsi vix cum adoleverint dicantur senescere; colligit tamen semper merita, qui beneficia serit; quòd si discipulorum plures in proprios sævierint magistros; alij tamen eos honoribus affecerunt, ut Alexander Macedo Aristotelem, Cato Sarpedonem, Antoninus Frontonem, Procolum, & Rusticum ad Consulatum provectos, Arcadius in Arsenium; alij recensentur plures, quos discipulorum gratitudo supra fortunam, in qua nati fuerant, laudabiliter sustulit.

106 *Delphini* plures, è medio mari sursum repetita salto exilientes cum lemmate: *Saltus prænuntiat æstum*, alludunt ad choreas, quas ducunt homines, ac saltationes æstum impudicum in saltatoribus excitantes, ac commotæ concupiscentiæ procellam, qua castitas naufragium subit.

EXCURSUS.

Choreæ, quibus pedes moventur, caput æstu agitant impudici amoris, quo castitas naufraga perit.

107 Dicuntur Delphini è mari sinu sursum per aëra multiplici saltu exilientes subsecuturæ tempestatis prodromi: & quamvis Bellonius visus sit id inficias iuisse, ratus per illas saltationes Delphinos tantùm ludere, ac lascivire, Rondeletius tamen, cui assentiuntur cæteri, ait inconditos illos saltus certissimum esse subsecuturæ tempestatis prognosticum, & Plinius *lib. 8. cap. 35.* ait: *Delphini tranquillo mari lascivientes, flatus ex qua veniunt parte præsagiunt: item spargentes aquam, item trahentes.* Idque comprobatum experimento habent, fatentur que Piscatores, & Nautæ: rationem ex D. Thoma assignat Aldrovandus *de Cetis lib. 1. cap. 7. pag. 711* quia hyemali procella ingruente, ab imo maris consurgunt exhalationes, quæ hyemi fomenta suggerunt; tunc calor excitatur in Delphinis, qui propterea è mari foras erumpunt frequenti saltu nonnihil ab aëre suscepturi refrigerij. Delphini igitur tumultuaria saltatione tempestatem præsagientes symbolicè eos exhibent homines, qui choreis ducendis assuescunt calore stimulantis concupiscentiæ perciti; cumque lasciviant inconditis cum mulierculis saltationibus, procellam intus præsagiunt in animo, & castitatis naufragium; in choreis qui pedes movent vix habent caput in virtutis cultura stabile; unde insaniunt quotquot ad choreas confugiunt quærendæ lætitiæ causâ, & tristitiæ excutiendæ: laxantur choreis membra, frangitúrque Spiritus, & è saltu unà cum corpore virtus cadit: ludicrum, & fucatum est illud solatium, quod virtutem interimit; à motu chorearum discit concupiscentia commoveri, procellósque ciere æstus aptos perdendæ infelici naufragio castitati. Non est mente liber, qui liberiori pede in ducendis choreis humum pulsat; non est sanus, qui incondita saltatione insanit; imò insano deterior, quia usu destitutus rationis sine crimine insanus saltationibus insanit; ille verò insaniam saltu prodit, quem culpa inficit, concupiscentia deturpat. Deformant corpus, qui membra in ducendis choreis variè inflectunt, simúlque à sua dejicitur animus venustate ob labes quas contrahit culpatum, ut aureus Præsul aureo ore monet Chrysostomus *homil. 49. in Matth.* inquiens: *Quòd si corpus deforme fit impudenter saliendo, quanto magis animam fœdari credendum est.* Dum corpus in sublime artificioso rotatu exilit; ad ima frequenter culpa pedissequa animam trahit.

Christo sunt injurij Christiani ducendis 108
choreis assuescentes: & mancipia se produnt Erebi, qui se choreis mancipant, brachia siquidem expandentes irridere Christum videntur, qui in cruce brachia extendit, plenis nos ulnis amplexurus, cruci etiam illudit, qui forma crucis in choreâ ludit: injuriam cruci irrogat, qui sibi arrogat ludicra saltatione crucis formam, neque illum expendit qui in cruce pependit: sed tartareo famulatur serpenti qui primus choreas invexit cum in varias se spiras retorsit; ludicras edocuit saltationes cum in varia incondita volumina se inflexit. Locustarum tumultuantia agmina visa sunt in Apocalypsi è putei caliginoso fumo prodiisse; ut scirent qui saltu locustas in choreis imitantur fumo infuscari accensæ concupiscentiæ, & illuc esse ituros ubi Tartarus sui putei hiante ore, quos devoret, expectat; quoties è saltu resilientes humum pede pulsant, tartarum excitant; & dum impudicitiæ imprimunt vestigia, premunt pedibus conculcatam castitatem, de cujus fœdato candore triumphat tartareus hostis, ut nervosè urget S. Chrysostomus homil. 49. in Matth. inquiens: *Ubi saltus lascivus, ibi Diabolus adest: non ad tripudia pedes nobis tribuit Deus; sed ut modestè incedamus*, pedibus abutitur qui ad choreas pedibus utitur, mentem dejicit, qui pedes sursum evehit, caditque spiritu dum corpore in sublime insilit; in luctu in

squa-

squalore jacet virtus, dum in ducendis choreis se in orbem uno flexu corpus torquet, téque in sublime tollit, pedes lubricat in fugam, gressúmque intercalat numerosum, aliósque seno quoque passu modulos inserit, vel pedes decussatim quamcitissimè secat in saltum; vel tremula agitatione vibrat alternatim: inhæret menti virus, quoties hisce adhærent viri motibus, blandò è corpore fluit voluptas in animum, quem inflicto culpæ vulnere lethaliter sauciat; in altum cum fertur corpus, altiùs vulnus animæ infligitur; cúmque lætitia illud perfunditur, hæc fœdè cruentatur.

109 Saltâsse novimus Herodiadis filiam, sed pedem extulit, & simul caput Joannis Baptistæ impiè secuit; diu stare nequit innocentiæ integritas ubi membra repetito franguntur saltu; ubi corpus diu in gyrum voluitur mens invecta vertigine à recto delabitur, & in ima dejicitur; solent enim impudicæ saltationes, quæ suam à dæmone trahunt originem ad suum authorem suos perducere cultores: hunc sortitur exitum nunquam è Tartareo specu exitura ludicra saltatio; per hunc liberiorem corporis motum compedes incurrunt pedes, quibus æternùm irretiuntur. In sublime erigitur inter choreas corpus, sed miserè cadit animus; saltat illud, labitur iste. Ille verè saltat, qui mente ab imo rerum fluxarum emersus, insilit per contemplationem ad cœlestia, quæ veram ingerunt lætitiam.

Delphini plures, qui musicis instrumentis, cantúque blando illecti expansum trahuntur in rete, quo in oceano capi solent cum verbis *Capti dulcedine cantus*, eos designat qui profano muliercularum cantu finunt se imputi amoris laqueo irretiri, & per vana ludibria aurium venenum hauriunt libidinosæ voluptatis, quo puritas inficitur, necatúrque. Asserunt plures, Delphinos musica arte, vel maximè delectari, & præsertim symphoniæ cantu, atque in primis hydrauli sono, quo in aliquibus oceani partibus allici solent, & capi. Licèt ab Italis ait Albertus apud Aldrovandum *de Cetis lib. 1. cap. 7. pag. 712.* Delphinus non comedatur, neque eum piscatores venentur; in nostro tamen mari Germaniæ adjacenti capitur, & comeditur; allicitúrque varijs musices instrumentis ad parata retia. Quid ni habet etiam humana voluptas suum cantum, quo homines allicit ut perdat; non enim lætitia è mundi cantu effluit, sed solus fluit luctus; quia cum allicit, lacrymas elicit. Turdi noctuæ objectu dicuntur obstrepere, ac canere, non tamen in lætitiæ tesseram; sed in præconcepti timoris signum: non falluntur neque fallunt, qui cantui mundanorum voluptatem assignant matrem ex patre timoris; idque evincit quod de Aristomene refert Apuleius inversâ lenticulâ operto: *Ut lacrymæ*, ait ipse, *sæpiusculè de gaudio prodeunt, ita ut in illo nimio pavore risum nequivi continere, de Aristomene testude factus*, suppar huic ritui lacrymas elicienti est cantus, quo blanda voluptas per ludibria aurium ab oculis eorum, quos allicit, lacrimas extorquet; quæ siquidem per alios sensus hauritur voluptas, nonnisi per oculos in fletum soluta egexitur.

Bellè mundi cantus gallinæ ovum pariturae æquiparatur planctui; obstrepit hæc, sed ejus cantus non nisi planctus, ac singultus est, siquidem ex partûs dolore correpta singultit, vocésque illas edit, quibus internum testatur dolorem; ita eblandientis voluptatis cantus planctus potius censendus est, cum pœnitudine illicò lancinet, torqueátque interiùs. Ita est mundanus cantus instar gallinarum perstrepit, gracillátque, non ullam exterius lætitiam proditurus, sed internum testaturus dolorem, ex hausto per aures veneno, quo ad necem anima inficitur. Rident plerique ad musices lenocinantis concentus, vocésque eblandientes; sed tota lætitia in extimo efflorescit ore; intus curarum vepribus vexati torquentur. Vana est illa voluptas, quam cantus parturit; quia una cum voce extinguitur, vix nata quasi tumulum nacta in thalamo emoritur. Scio plures delectari modulorum argutijs, eásque plurimi facere, si ad numerum cadant, ac blandimenta Charitum; si in cincinnulos fuerint concinnatæ; vocesque ad musices regulas editæ, ductum celerrimè spiritum libraverint, vel in sublime duxerint, aut depresserint ad imum; vel retrorsum a medio cursu reprehenderint: moxque visæ fuerint eumdem spiritum pellere, vel sistere, aut revocare, circum agere veluti in turbinem; ut non ore, sed torno vibratus censeatur. Scio plerosque delectari non concentu stabili, gravi, plenóque authoritatis, sed modulis, quibus concidatur minutim cantus, fractisque dissiliat, vel improvisa demissione introrsum reflectatur, aut fractis identidem numeris mœstitudine temperetur; ac de Prothei fabula triumphet nova semper indutus forma. Verùm quam vani sint, quàm inanes hi cantus, ex eo conjicimus, quia auras tantum & aures diverberent, stringantque, ac pereant cum voce: quis non dicat aëream illam delectationem, quam solus aër sono vocis commotus parturit? Imbecillitatem cantus produnt lusciniæ, & Alaudæ, quia exiguæ, ac enerves aviculæ die, noctúque audiuntur garrulæ, cantúmque edunt nunc continuato spiritu in longum productum, nunc variatum inflexo, mox distinctum concito, vel copulatum intorto, aut obfuscatum ex inopinato, certámque inter se animola contentione, vocibúsque blandè variatis totum implent aëra conterminum; cum aquilæ nec garrulæ audiantur, nec ullum edant cantum: è plaustri rotis illæ strident, quæ cæteris debiliores, quæ siccæ, ac exuccæ; non ita stridorem cantum referunt, quæ fortiores, ac unguento delibutæ: obmurmurant repentinuo defluxu torrentes, quia ob inopiam aquarum in saxa passim impingunt, quibus miserè dilacerantur: flumina verò quæ plenis alveis fluunt absque ullo strepitu sedatè dilabuntur.

Quòd si Cygnus morti proximus fertur 111 suaviùs canere, est tunc illi editus cantus mortis mox imminentis prodromus; ut natura vel in avibus nos doceret nil lætum, sed lethum

esse

esse à mundi cantu sperandum. Sibi caveat, timeátque, qui hoc cantu delectatur, ne mortis fata cum Cygno subeat; elum hujus avis quia immundæ lex Moysaica vetuit; ut discamus declinare mundi cantum, qui illum refert cygni; immundus est mundi cantus, quia profanus ac impuritatem redolens, qua per aures venenum instillat, lascivientes cantilenæ sunt lætitiæ pestis, diaboli venenum, quod intimum animum subiens ad lethum mortis nunquam moriturae perducit. Non iucundant hi cantus nostram tristitiam, non attenuant tumidos furores; non mitigant cruentam sævitiem; sed sæviunt ipsi venenum per aures instillantes, lethalia infligentes vulnera, & iniquam turpium cogitationum catervam excitantes, ac provocantes contra castitatem, quam pluribus sauciatam vulneribus interimunt: vulnerant hæ cantiones, virúsque per aures propinant, quo mentem inficiunt, turpibúsque devenustant cogitationibus. Declinandus est hic cantus, qui veneno animum perfundit, nullámque effundit jucunditatem ad ignaviam, soporantémque languorem depellendum, ad insurgentes contra rationem passionum tumultus sedandos, neque ad animum mœrore confectum invecto lenimento demulcendum. Vulnerant hi cantus, quia insani Cupidinis sunt tela, quibus vulnera ipsa jam inflicta recrudescunt ad necem: cavendum est in musico concentu, ne discorder lingua à vita; ut mores probam exhibeant harmoniam, & bene concordent dicta, & acta; ne dum spiritus Deo modulatur; caro sibi eblandiatur: audienda sunt verba Sanct. Valeriani homil. 6. quæ utinam altiùs menti imprimerentur, ut nunquam excident: *Refugiendus est* (ait ille) *error iste vocis uus, qui humanis pectoribus dulcedine sua amantiudinem fecit; & persuasione quadam mellifui cantûs frequenter mortifera ægris venena commiscuit; isti sunt laquei, quibus famulantibus inter cætera vulnera Diabolus hominum mortes operatur. Nemo insidiosis cantibus credat, nec ad illa libidinosa vocis oblectamenta respiciat, quæ cum oblectant sæviunt, cum blandiuntur occidunt.* Dilaniat cantionis hujus delinitio, vulneritque non sanat vulneratum, neque tristitiæ, dolorisque obducit cicatricem. Denegentur aures blandis hisce syrenulis, quæ cantu alliciunt, ut crudeliter interficiant; quæ vocum lenocinijs lethale per aures propinant venenum, quæ suaviter afficiunt, ut barbarè menti officiant, totúmque inficiant hominem. Qui castitati nupsit hos cantus execretur, qui ab incude prodeunt Tartarei Vulcani; quippe ut scitè S. Ephræm *Serm. 1. de pænitent. Ubi personant Diaboli cantica, illic ira & perpetuum væ: ubi Diaboli cantica; illic Dæmonum requies.* Huic cantilenæ dentium respondebit stridor.

112 *Delphinus* æquora trajiciens, puerúmque dorso advehens incolumen cum verbis *Servit non sævit*, Symbolum est viri pagani charitatem exercentis in Missionarium Apostolicum, cui prodest, non obest, ducitque tutum per invia apud Indos. Delphinum belluam esse hominum, atque in primis puerorum amantem fatentur generatim, qui de moribus scripsêre piscium: sub Augusto Cæsare aiunt, puerum ex Baiano Puteolos ad ludum literarium deferre consuevisse, atque ad Simonis vocem repente accessisse ac se vectorem exhibuisse, pane priùs ex pueri manibus pastum. Refert Plinius Delphinos omnes Simonis nomine vel maxime delectari, eóque audito statim accedere; idque Gillius è fabulis nititur expungere, fatetúrque se id fuisse expertum cùm Niciæ ad Antipolim oppidum Provinciæ enavigaret, Delphinum per mare illud repetito saltu lascivientem licèt dissitum altiori voce simonem appellâsse; & confestim accessisse, ut manibus potuerit illum attingere. 113

Delphinus alium Delphinum mortuum suis per æquora deferens humeris, ne à belluis laceretur cum lemmate *Mors non extinguit amorem*, in eos quadrat, qui in defunctos benefici eos suffragijs juvant, ne diu expiatorijs flammis torqueantur. Refert Ælianus *lib. 16. cap. 6.* Delphinos suorum mortuorum memoriam non abjicere; eósque cum quibus consuetudinem habuerant extinctos quoque non deserere; unde sui generis subeuntes cadavera ad summam aquam elevant: tum ad continentem velut funere eos efferentes, hominibus ipsos sepeliendos tradunt. Sequitur tamen ingens Delphinorum multitudo tanquam funeri operam dantium, atque in extinctos honorem conferentium: aut eos defendentium ab impetu aliarum belluarum, ne devorentur. Hinc discimus quàm naturale sit parentare parentibus, ac mortuos juvare.

Delphinus cursu pernicissimo cæteros om- 114
nes pisces præeuntem cum lemmate *Cursu prætervehor omnes*, virum prodit solertem, ac diligentissimum qui sua negotia citius cæteris absolvit, & ad colophonem feliciter perducit. Utinã tales essent Advocati, & Iudices in litibus decidendis, ne suis essent detrimento clientulis, ne in litibus protrahendis aurum exugerent. Plinius *lib. 12. cap. 12.* ait, velocissimum omnium animalium marinorum non solùm esse Delphinum, verùm & telo ocyorem: Nam cum fame concitatus fugientem in vada ima piscẽ sequutus diutiùs Spiritũ cõtinuit, veluti arcu emissus ad respirandum emicat, tantaque vi exilit, ut plerunque vela navium transvolet saltu. Idque asservit Aristoteles *lib. 9. Histor. cap. 48.* inquiens: *Omnium tum aquatilium, tum terrestrium animalium velocissimi mihi videntur esse Delphini: supersiliunt enim navigiorum grandiorum malos: quod maximè faciunt, cum piscem quempiam cibi causa persequuntur: tunc enim si is fugit, ad fundum usque fame urgente insequuntur: quòd si longior fuerit reversio Spiritum continent, quasi spatium apud se reputantes, & conversi sagittæ modo feruntur, celerrimè itineris longitudinem emetiri volentes respirandi causa, quo impetu navigiorum, quæ forte illic fuerint, malos superant. Hoc idem urinatores faciunt, cum se in profundum demerserunt: pro viribus enim conversi enixiùs efferuntur, ut respirent.*

Oppia-

115 Oppianus iisdem hanc miram Delphini velocitatem pernicissimis pariat animalibus, ait enim, equis liberis velocissimis solam fortè aquilam, aut circum in aëre volantem, aut in aquis natantem Delphinum posse contendere. Bellonius refert à se ipso hanc Delphini velocitatem observatam; navem scilicet plenis velis, ventisque secundis ocyssimè invectam Delphinos celeritate vicisse. Hujus causa pernicissimi natatus non in pinnas ab Oppiano refunditur, sed in proprias Delphini vires, & agilitatem, qua cæteris antecellit piscibus. Cæterum Delphinus piscis est maritimus ex cetorum genere; Gesnerus ait in oceano Delphinos longè proceriores esse, quàm in mediterraneo, ubi Delphinus est gracilior, faciliúsque è maris summis fluctibus sursum exilit; scissura oris protrahitur in Mediterraneo Delphino perinde ac in Thunno; rictus est illi latus, ut innuit etiam Ovidius

Corporeque & presso spinæ curvamine flecti
Incipit, & lati rictus sunt

Lingua est illi mobilis, brevis, ac lata in ambitu nonnihil ferrata, & suillæ similis. Dentes sunt parvi, acuti, & pectinatim coëuntes. Oculi ampli, sed cute adeo tecti, ut sola pupilla sit conspicua. Pinnis natat Delphinus duabus perquam validis. Aliæ duæ pinnæ sunt in cauda, quarum frequens, & continuus est usus, oriuntúrque non ex recto spinæ dorsi ductu, ut altera sursum, deorsum altera spectet, sed ex caudæ lateribus altera dextram, altera sinistram partem versus, adeo ut cauda sua latitudine aquam diverberet; lunata tamen est, ut eam describit Ovidius

——*Falcata novissima cauda est*
Qualia dimidiæ sinuantur cornua lunæ.

116 *Delphini* plures supplices in Cariæ portu apud quendam Piscatorem ut captum Delphinulum dimittat, ac pristinæ restituat libertati; addito lemmate *Flectuntur pectora voce*, vim & efficaciam designant orationis ad Deum fusæ, quâ orantes Deum flectunt in sua vota impetrántque quidquid petunt ad mala declinanda, vel præcavenda.

EXCURSUS.

Oratio pura Deum flectit in vota orantis.

117 Exploratum est, Delphinos miseratione tangi in socios, si quid ipsis adversi obtigerit; eósque à captivitate flebili redimere ululatu. Refert Aristoteles, Delphinos turmatim portum Cariæ ingressos tamdiu supplices adstitisse apud Piscatorem, donec liberum dimitteret, quem captum detinebat Delphinum; ait Philosophus lib. 9. Histor. cap. 47. *Fertur etiam Delphino apud Cariam capto, atque saucio, ingentem reliquorum multitudinem convenisse ad portum, immorantémque donec piscator eum dimiserit, quem ceperat; tum omnes simul recepto captivo redisse.* Rogant Delphini homines, vocémque edunt flebilem si quid ipsis obtigerit adversi, atque eorumdem enixius efflagitant opem. Hinc à piscatoribus mediterraneis non solet quidquam damni ipsis inferri; & si capiantur clamore lugubri aëra replent; ait Gillius apud Aldrovandum: Cum in navi ubi plures Delphini capti detinebantur pernoctarem, tales, tantique fuerunt captorum piscium fletus, ac gemitus, ut acerbissimum mihi intulerint dolorem; adeo eos animadverti humano gemitu, & lamentatione, ac magna lacrymarum vi suam deplorare conditionem, ut ego eorum miseratus cohibere lacrymas non valuerim; & proximum, quem magis gemere sentiebam, dormiente Piscatore in mare dejecerim: malui enim lædere piscatorem, quàm mihi ad pedes stratum, quasi supplicantem non sublevare; sed nihil promovi, hoc abjecto reliqui magis, magisque gemitum auxerunt, ut non obscuris signis mihi viderentur petere similem liberationem. Vis hæc est orationis ad Deum fusæ, libertati enim restituit quos angustiæ premunt; oprimúmque adversa. Hæc est, quæ Jonæ naufrago in ventre ceti portum aperuit; quæ Ezechiam ex pulsan e Libithina Regum turres subtraxit; quæ tribus adolescentibus in ventum rotantem flammam convertit. Daniel in leonum lacum conjicitur regis anulo locus munitur, ne quidquam fieret contra ipsum Daniel. 14. Nihil ipsi obtigit adversi, nihil fuit ab hominibus passus; nihilque à leonibus læsus; non tamen id regio tribuendum anulo; sed orationi, cujus ope ab omni se subduxit hominum calumnia; ab omni se subtraxit ferarum immanitate.

Quomodo vero, & qua ratione sint preces Deo fundendæ nos Delphini edocent, cum à clamore minimè cessent, donec quod supplices petunt, hilares allequantur; nos Piscatorea erudiunt, qui à labore non desistunt, licèt capiant nihil; solàque piscium capiendorum spe nutriantur. Ineptè tamen illi piscatoriam exercent artem, qui hamum aureum orationis in turbidam mittunt aquam; ut præstant qui non ob aliam rationem orant, Deum rogant, nisi ut terrena bona, quibus inhiant allequantur, ac ditescant non virtutum opibus; sed auri pondere, gemmarúmque nitoribus. Consultiùs illi piscantur, qui supplices imitantur Delphinos studentes captivos socios redimere profusis precibus; qui orationum fusu, veluti gemmeo hamo ex purgatorii lacu satagunt hac defunctos mortali vita extrahere donarique cœlesti beatitate Memini Episcopi cujusdam, qui fassus fuerat, à se in somnis visum adolescentem aureo hamo, lineàque argentea in puteum piscantem, indeque pertrahentem mulierem; & Præsulem è somno mox excitatum, eumdem adolescentem genu videsse flexum in proximo cœmeterio, fundentemque Deo preces pro sua matre, quæ paucos ante dies decesserat; intellexitque tunc vir sanctus, adolescentis precibus veluti aureo hamo ex purgatorio lacu mulieris illius animam fuisse extractam. Quàm utilis hæc piscatio? utinam hanc omnes piscatoriam exercerent, quæ superis cò placet magis; quò tartarei specus duplic-

118 (margin, beside "Quomodo vero")

displicet incolis. Fatetur S. Theresia *in lib. de vita sue gestis cap. 31.* hoc sibi accidisse, ut cum preces pro defunctis recitaret, dæmones libro insiderent, ne preces posset absolvere; adeout coacta fuerit lustrali aqua librum adspergere, dæmonésque abigere; quod ubi factum, vidit statim animas quasdam è flammis expiatorijs exilire; ex quo conjicere potuit, Dæmones huc spectâsse, ut ab orationum fuso illam avocarent, ne animæ à flammis evocarentur expiatorijs.

119 *Delphinus* è summis aquis indormiens, & in imum maris innato corporis pondere delabens eum lemmate *Immotus in motu*, hominem prodit vigilem, & præsertim in castris lustrantem omnia, seque jugiter moventem, ut ubi necessitas urserit, illico adsit.

EXCURSUS.

Vigilantia decet in bello militum Præfectum.

120 FErunt Delphinum perpetuò moveri, adeo ut neque inter dormiendum à motu conquiescat, neque se à motu sejungat, nec moveri unquam desinat, sit constans, firmus, ac stabilis in ipso motu, à quo cum non moveatur dicitur immotus in motu, hoc est semper constans, ac stabilis in se movendo. Etenim cum præsentit se somno sopiri ex alto ad summam aquam elatus, ut totus fiat conspicuus nautis, indormit, sed innato corporis pondere dormiens tandiu in profundum depellitur, donec imam maris sedem contingat; ad quam postquam funditus delapsus est terræ pulsu è somno statim excitatur; deinde ex alto emergit, ac repetito somno sicut priùs ad maris fundum appulsus expergiscitur, rursusque eminet extra aquam; hocque repetit ait Ælianus lib. 11. cap. 22. donec satis naturæ exigentiæ fiat; hac ratione inter quietem, & actionem jugiter agens, nunquam omnino à motu quiescit. Idque exercitus præfectos, Principes, cæterósque omnes præclarè erudit, ad die noctuque invigilandum; nec ita sinant ita se somno sopiri, ut sui obliviscantur; est somnus, quo dormiens sui oblivíscitur, sopor lethæus, qui mortem sapit. Ille somnus verè utilis fuit, in quo Jacob scalam vidit culmine cœlum pertingentem; ascendit dormiens non ut Delphinus in summas hujus fluctuantis vitæ amarulentas aquas, sed cœlum usque, viditque Deum innixum scalæ; quia non erat Jacobi somnus vacuus motu, non quiescebat à merito, siquidem humi cubabat, & caput dormientis præduro innixum saxo promervit Deum videre. Scite Clemens Alexandrinus 2. Pædag. cap. 9. expendens Jacobi visionem ait: *Jacob humi dormiebat, & lapsis erat ei pulvinus; atque visum videre dignus est habitus, quod captum hominis superabat.* Deum non vidit com domi molli culcitra indormiret, vidit tamen cum frigido sub dio humi cubaret; quia somnus, qui ratione incommodi non est merito vacuus Deo placet, eique se visibilem exhibet, quia plus habet vigiliæ, quàm somni, plusque motus, quàm quietis. Deus enim vigilantibus, non lethæo somno sopitis suam impertitur gratiam. Duplicem Eliæ Spiritum postulaverat Elisæus 4. *Reg. 2.* respondit magister discipulo petenti: *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi sicut petisti;* sed qualis nexus doni spiritus cum visu? an quia Spiritus intus splendens in mente excitavit corporis oculos, ut ex effectu causam conjiceret? Putârim, Eliam fuisse tunc hortatum discipulum Elisæum ad vigilantiam; proinde voluisse Elisæum videntem, hoc est oculis adapertis vigilantem, non lethæo sopore correptum; quia nonnisi vigilantes Spiritus informat; pulchrè S. Chrysostomus homil. 1. in Act. Apostol. *Si videris me, si vigilaveris; non enim datur gratia dormientibus, sed vigilantibus; qui supera Dei dona quærit, alto sopore se non sinat corripi.*

Reficiantur defessa corporis membra in- 121 vecto sopore, non tamen lethæo, sed quo indormit Delphinus, semper in motu, jugiter vigil. Hoc correptæ sopore producuntur *Matth. 25.* prudentes virgines, quæ *dormitaverunt omnes*, scilicet omnes quinque prudentes virgines dormitantes ita fuerunt somno semi-sopitæ, ut tamen fuerint etiam vigiles; & ideo prudentes quia vigiles. Fatuæ verò *dormierunt* hoc est pleno, ac lethæo somno sopitæ: *dormitaverunt omnes* prudentes, *& dormierunt* fatuæ; quia sui, & simul sponsi obitæ, quem expectaverant; fiverunt se alto somno sopiri; & ideo fatoitatis redarguuntur: secus prudentes venturi sponsi cum desiderio tenerentur, profundo, ac lethæo somno; quo sponsi obliviscerentur corripi non potuerunt, licèt dormitaverint omnes, non tamen dormierunt sicut fatuæ. *Verisimilius est*, (ait Abulensis cap. 25. in Matth. quæst. 16.) *quòd prudentes dormitabant; fatuæ verò dormiebant; hoc enim pertinet ad prudentes, nam cum tenerentur curâ expectationis sponsi venturi, non possent dormire profundè, quia cura eas excitabat, sed dormitabant, idest paululum, & leviter rapiebantur sopore, & statim evigilabant.* Quàm bellè Delphinos imitabantur è terræ pulsu statim excitatos, quia vigiles in somno, séque moventes in ipsa quiete. Prudentis est etiam Principis, vel per se, vel fidos per amicos excubare; sopita securitas plures perdidit, paucos solertia vigil. Lectus & lethum vicina nomina, eerum copulantur affinitate, fraterque mortis dicitur somnus; *quo plus dormio*, aiebat ille *viro minus;* quia juxta Chrysologum *plus vigilare, plus est vivere.* Principi somniculoso plura contingunt mala, idque expertus fuit Isbolethus, ad cujus exemplum 2. Reg. 4. in soporem etiam ministri procubuerunt; idcóque patuerunt statim omnia ad insidias, siquidem *percutientes interfecerunt eum* ut sacra narrat Historia: licèt exitiale sit flagitiorum portentum in vitam conspirare principis, regióque sanguine scelestas temerare manus, qua ratione ait Spiritus S. Psalm. 104. *Nolite tangere Christos meos* (scilicet unctos reges) Christus enim idem audit ac unctus, nihilo-

hilominus, somnus huic execrabili sceleri ansam dedit; nil timuerunt homicidæ, quia nil timuit Isbosethus: primus semper ad ruinam gradus fuit nil timere.

122 Res ita se habuit Rechab, & Baana gemini fratres sub Abneris signis militiam exercuerunt, bellica virtute commendati, Regiæque cohortis præfecti, è castris postea aulaque ob patratum scelus coacti exulare: cumque existimâssent posse sibi gratiam Davidis demereri, si aliquod insigne beneficium ei præstarent, exemplo Abneris decreverunt Isbosethum Davidis æmulum interimere: spes impunitatis animos ad facinus excitabat: sceleri perficiendo seligitur tempus meridianum, quo somnum suadebat ferventior æstus, & palatij ostio unica aderat muliercula, cui grana tritici in polentam, seligenti, labor, & calor oculos clauserant in somnum: regij quoque custodes corporis, cæterique aulici in proximum dilapsi pomarium mitiori sub umbra gravi sopore corripiebantur. Cum igitur Rex suo meridiaretur in lectulo siccarij ementitis mercatorum vestibus induti, spicásque manu præferentes veluti triticum empturi ex regijs horreis, penetrant in regiam inobservati, & in ipsum regium conclave; & dormientem principem inflictis vulneribus confodiunt. Scitè S. Gregorius ait Isbosethum interpretari virum confusionis; nomen enim viri nonnisi summo cum dedecore potuit ei congruere, qui non ostiarium domus suæ, sed ostiariam habuisse fertur; & quidem non vigilem sed lethæo somno correptam. Quàm malè Princeps suam mulierculæ concredit salutem! quàm perversè lenocinanti fœminæ fidit! Quot principes mulierum illicia perdiderunt! quot dementarunt? Allegoricè Domus janua est cor hominis, de quo Proverb. 4. *Omni custodia custodi cor tuum* hebraicè *custodia*, idem sonat ac *statio*, seu *specula*, è qua milites excubias agunt, solentque speculari ac lustrare finitima quæque loca, ne hostis occultè subrepat, vel violenter irrumpat; tradebantur principis fores custodiendæ non mulierculis, sed viris excubitoribus singula lustrantibus, ne mala ulla cogitatio se se in interiora insinuaret; sit custos cordis Timor Dei, qui perinde ac in Paradiso Cherubinus ab aditu arceat, absterreátque singula ad peccandum illicia. Invigilemus juges agentes excubias ne quid adversi nobis obtingat. Somniculosos solet hostis tartareus adoriri. Matth. 13. *cum dormirent homines venit inimicus*. Desidia magistratuum, lethæus Judicum sopor, corruptio est populi, ac reipublicæ excidium Nahum. 3. *dormitaverunt Pastores tui, Rex Assur: sepelientur principes tui: latitavit populus tuus in montibus, & non est qui congreget. Pessima est plaga tua*, Regem alloquebatur Ninive, & in desidiam lethæamque Ducum somnolentiam eversionem refundit Ninive à Chaldæis captæ. Isbosethus pomeridiano indulsit somno, sed capite soporem emit. Allegoricum sensum hinc elicit S. Hieronymus, quia Tartareus hostis nequit oves decipere, quin prius pastores ante consopierit. Imbecillitate redarguendus est cum solos vincat dormientes, neque audeat vigiles agredi S Chrysolog. serm. 17. pulchrè ad rem nostram. *Maximè infirmitatis est, dormientibus irruisse: imbellis Dalila Samsonem fortitudine spoliavit, sed dormientem. Jahel Sisaram vita privavit, sed dormientem. Juditha Holofernem obtruncavit, sed dormientem. Isboseth occisus est, sed dormiens, ac dormientibus domus ac regij corporis custodibus.*

123 Vir sapiens nunquam sinit se lethæo corripi sopore, jugiter invigilat contra extemporanea quæque, perinde ac in castris excubiæ; & si fessæ satisfacturus naturæ somno indulget; vigilant fidi Achates in ejus custodiam; quo pacto Philippus Macedo è somno in castris experrectus, tutò, inquit, dormivi: vigilavit enim Antipater; subindicans non esse regium somno indulgere præsertim in castris nisi habeant vigilem, fidúmque Præfectum: & Parmenio cum interdiu sopore corriperetur, & Græci ad fores convenientes eum criminarentur, retorsit Philippus, bene Parmenio nunc indormit, quia quando vos dormiebatis ille vigilavit. Vigilantia jugiter necessaria, sed tunc præsertim cum cæteri in castris somno indulgent. Hinc Paulus Æmilius cum in bello contra Persem inhibuisset consueta arma militibus vigilias acturis, sciscitanti, cur inermes destinâsset excubias, scitè respondit: ut metu hostium sublata resistendi fiducia adversus somnum pugnarent. Nocturnas itidem vigilias amant Musæ, quæ blandiùs canunt cum obstrepentium negotiorum silent tumultus; hæcque ratio cur Homerus adeo frequens fuerit in laudibus decantandis nocturnarum vigiliarum; & cur Cleanthis, & Aristophanis lucerna etiamnum splendeat toto orbe summis laudibus commendata. Non tamen in ea sum opinione, ut velim tota nocte chartis impallescente Musarum cultores, indiget enim natura somno, quò vires instaurentur; sed ut horas præsertim antelucanas studijs impendant; juxta pervulgatum effatum *Aurora Musis amica est*; Hinc aurora studiosis est aurea hora: congruum sanè, æquumque est honestissimas occupationes, cujusmodi sunt preces Deo fundere, & studia scientiarum matutinis dare horis, seu auroræ, quæ flos est diei. Idque ex eo etiam, quia tunc mens est serenior, & animus è somno recens alacrior, ut & ingenium expeditius. Musarum contubernio ij censentur indigni, qui non surgunt priusquam

——— Clarum mane fenestras
Intret & angustas extendat lumine rimas

124 Plerique adeo lethæo detinentur mane sopore, ut vix conspexerint, qualis sit in suo exortu solis color, nec ægrè ferunt antelucanis opificum operibus propriam redargui segnitiem; hoc vitio non laboravit Demosthenes, quem Cicero 4. Tuscul. affirmat serio doluisse, si quando antelucana opificum industria victus fuisset; feruntque omnes, Demosthenem plus olei consumpsisse, quàm vini, & omnes opifices antelucanis vigilijs prævenisse. Hæcque ratio, cur Gallus gallinaceus

Mercurio eruditionum Præsidi sit sacer, quia excitandis è somno hominibus per rupta silentia fuerit à natura genitus: gallo canente viri religiosi ac pietate insignes è lectulo exiliunt ad preces Deo fundendas tunc, cum princeps animi nostri pars improbis, vagisque simulachris non oppletur, nec vanarum tumultu cogitationum in varia distrahitur. Sedulis scientiarum cultoribus ea semper culcitra fuit in delicijs, quæ somno obsisteret, & in qua postquam surrexerint nullum apparet præcedentis soporis vestigium; ne si mollior fuisset ad somnum productiorem invitaret, ac fervorem infringeret studiorum: modicum somnum natura desiderat, ignavia immensum.

125 *Draco marinus* pelagius æquè ac litoralis piscis sinistram piscatoris manum, cui solo cedit, ac capitur aculeo vulnerans, venenóque inficiens cum verbis *Cedit, ut cædat*, eos designat subdoles homines, qui non sinentes recta duci ratione fraudibus, dolisque utuntur, quibus sint cæteris nocumento; simulántque obsequijs alios honore afficere, quorum tamen honori detrahunt: si quid ipsis obringat sinistri, ac adversi præconceptas dissimulaus iras, sed simul vindictam animo moliuntur.

EXCURSUS.

Vindicta cum blanditur gladium acuit, quò lethaliùs feriat.

126 Est Draco marinus in dorso, & ventre aculeatus, ictu suo venenum effundit; si dextera manu attrahatur, pertinaciter obnititur: sinistra verò si injiciatur cedit quidem ait Ælianus *lib. 5. cap. 37.* sed ictu suo manum plerunque vulnerat, venenóque inficit. Describit Rondeletius apud Aldrovandum *lib. 2. de Piscibus cap. 50.* & asserit, Piscem esse oblongum, formámque exhibere pugionis compressam tamen; squamis tenuissimis vestiri, osque habere non in longitudine, sed in obliquum, non recta, sed curva scissura fissum; dentibus ut in Dracone serpente muniri; oculos ei amplos esse, ijsque magnitudine respondere supercilia; pupillam pulcherrima viriditate smaragdum superare; branchias utrinque habere quaternas, & in ijs exteriora opercula aculeo obarmari, in cervice, & initio dorsi quinque habere tenues aculeos, nigricantes, ac peracutos, tenui obductos membrana, quibus venenatum infligit vulnus si manu sinistra cui dolosè cedit, capiatur. Colore esse varium dorso subnigro, ventre candido: cauda ex cæruleo vergit in amethistum. Symbolum est hic piscis viri vindictas meditantis, simulantisque sinistræ cedere fortunæ, ut graviùs feriat. Non sapit hæc ad vindictam propensio animi nobilitatem; sed ejus prodit imbecillitatem, dum sinit se, à quovis abripi impetu; in acceptis à paribus injurijs, in contumelijs, convicijsque in nos illatis: nobilissimum victoriæ genus est adversantia contemnere, floccique facere, ac indigna censere, ob quæ pacem exuamus interiorem. Quò generosior est equus, eo adlatrantium canum minas minus curat. Fœminarum est, ac vilissimarum è plebe abjectiore animarum convicia convicijs repellere; cómque censere victorem, qui plura fuerit convicia ejaculatus. Illatas injurias districto gladio ad internecionem insequi non hominis, sed furentis belluæ est, quæ laniatu sæviat, cum ratione, quâ caret propriæ nequeat indemnitati consulere.

Id proprium feræ dentibus, calcibus, ac unguibus in infestos sævire. Viri prudentes ob in se illatas contumelias perinde commoventur, ac si prætervolantium, avium delapsis sordibus inficerentur in pileo. Hujus ferendæ injuriæ specimen dedit David cum Sauli insultanti, insequentique ultro pepercit. Certamen inierunt inter se se Saules, & David ille odiorum, hic obsequiorum; hostilitatis ille, humanitatis iste; ille elationis, iste demissionis: fidei iste, ille perfidiæ; Saules artes omnes nocendi sæviendo adhibuit; David mansuetudinis lenimenta demulcendo exhibuit; ac propterea plus gloriæ hausit, quàm ex Philisthæo gigante fundâ prostrato. Nefario atræ bilis genio vexabatur Saules, huic leniendo David adolescens è caula vocatur ad aulam, peritiâ fidium, ac psalterij pulsu exagitatorem sopiturus spiritum; adfuit juvenis pastoritiæ assuetus, & precibus priùs Deo fusis, vocis, lyræque harmonico concentu tetros discutit humores, malúmque Genium fugat; iterátque carmina donec plenè victus Tartareus inquilinus à Saule recesserit. Excitaverat præstito hoc beneficio Regium in se amorem pastoritius Juvenis, & prætoriam adlectus cohortem omnium sibi aulicorum conciliaverat gratiam, quæ tamen causa fuit aversionis Saulis, atque Palatinorum; à Davide etenim oblitus Saules præstiti sibi beneficij, musici concentus, dæmonis fugati, Goliathi obtruncati, quærit ex Abnere belli duce, quis, & ex quali stirpe sit juvenis ille orundus; licèt paulò antea Citharedum habuerit: Saulis amor in Davidem in internecinum versus odium non nisi insidias struere didicit. David tamen mira animi lenitate furorem atrocissimi Saulis temperavit.

Latebat David cum suis sexcentis profugus in spelunca Engaddæa, cingebatúrque ibi à Saule tribus millibus bellatorum fortissimorum stipato. Naturæ forsan levandæ causa Saules ad os ejusdem spelæi secesserat; suaserunt Davidi commilitones, ut sibi oblatam occasionem interficiendi Saulem infensissimum persecutorem non dimitteret, quia omittere set se ab angustijs, ac imminentibus periculis subducere, cum datâ sibi divinitus occasione commodè posset. Hisce suasionibus concitatus David, tacitus adserpit ad Saulem necem multiplici vulnere illaturus; cum autem incederet suscepti consilij pœnitens, maluit partem regiæ chlamydis non sentienti abscindere, ratus nefarium esse in eum cruentas injicere manus, quem Deus ad regni fastigium sua electione provexerat. Ulciscendi, nocendique cupido non valuit quidquam in Davide

potue-

potuerunt alij cædem Saolis suadere, nunquam tamen ut in hostem licet infensissimum sæviret; maluitque parcere, quàm hostilem fundere sanguinem; & ideo victor, quia hostem non ferro, sed mansuetudine vicit, séque in hostem commotum compescuit, superavit, ut eleganter innuit S. Chrysostomus *homil. 2. de Davide, & Saule* inquiens: *Saul egressus est è spelunca; egressus est autem post illum & David liberis oculis cœlum intuens; ac tunc temporis magis exultans, quàm cum Goliath dejecisset, ac barbari caput amputasset, siquidem hæc illâ præstantior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum. Itaque redijt non barbari illius caput gestans, sed animi commotionem superatam; sed iram enervatam: neque hæc spolia reposuit Hierosolymæ, sed in cœlo, inque superna illa civitate: nunc haudquaquam in choris obviam veniebant fœminæ excipientes illum cum laudibus, sed Angelicus populus è sublimi applaudebat admirans ejus Philosophiam, & humanitatem:* quâ se ipsum, & hostem vicit. Abstinuit David à Saulis cæde, quia religioni noxium duxit, Regem suum à Deo constitutum & unctum interimere; ut discerent posteri Principes etiam improbos, nobisque adversantes debita prosequi reverentia; impium est in principem etiam impium sævire; cæde perit qui principem cædit, violentóque cedit fato; ita obtigit C. Julij Cæsaris percussoribus, de quibus ait Suetonius: *Percussorum autem fere, neque triennio quisquam amplius supervixit, neque sua morte defunctus est. Damnati omnes, alius alio casu perijt: pars naufragio, pars prælio, nonnulli semet eodem pugione, quo Cæsarem violaverant, interemerunt.*

129 Ferenda à malis mala sunt, ferenda convicia; ignoscendúmque injurias inferentibus; ex contumeliarum, quæ in nos jaciuntur, neglectu, & parentia quâ Deo auscultamus præcipienti, nobilis veluti è connubio honor ingignitur; æquè Abrahæ, & Davidi spoponderat Deus se filium daturum; Abrahæ quia in Dei obsequium filium Deo obtulerat; nec detrectavit Isaaci immolatione divino parêre jussui: sed cur Davidi? quia inimico Regi pepercit, ac si hoc tanti foret meriti, quanti illud; scitè B. Rupertus lib. 4. de victoria verbi Dei cap. 27. ait: *Ratio docet non multo minoris esse meriti pepercisse inimico propter Deum, quàm non pepercisse unigenito filio propter Deum.* Quid irascimur in proferentem convicia? verba hæc sunt, quæ aëra verberant, nósque minimè tangunt. Vellicat nos quispiam verbis? pungit convicijs? si ictum sentimus nostræ tribuamus censioni, non audaciæ inferentis: injuriâ ideo afficimur, quia putamus affici; imaginationem si exuamus; injuriæ in nos illatæ veluti scintillulæ in aquam delapsæ unà cum crepitu extinguuntur: sævit in se ipsum, qui in se sævientis convicia amplectitur, & corde insepelit, quibus jugiter torqueatur; perinde hoc est, ac alieno igne cremari: huc cadit illud S. Valeriani Homil. 12. ubi eleganter ait: *Scimus dilectissimi, quòd aliquoties in contentione verborum laceratis auribus corda suspirant: sed ipse sibi injuriam facit, qui litigiosi hominis verba custodit; ipse se maculat, qui alterius dicta quaeritur in se fuisse collata.* Sat us ei injurias inferenti, si nobis adversanti parcamus: non latrocinari hoc est; sed latrocinium molientis dexteram coërcere: pulchrè præcinatus S. Valerianus homil. 13. *Qui inimicum diligit, se diligit, sibi enim pepercit, qui latrocinantis dexteram magni muneris prædâ compescuit.*

Echineis, vulgò remora, exiguus piscicu- 130
lus bellicæ navis adhærescens alvo, eámque in medio mari immobilem sistens cum cæteræ ejusdem maritimæ classis jam longo tractu præiverint plenis velis, ventisque secundis cum lemmate *Obstant parva Carinis*, typus est peccati venialis, ac segnitiei profectum spiritualem impedientis.

EXCURSUS.

Obsistendum parvis, quia ad grandiora viam sternunt.

Licèt exiguum quid videatur, neglecta re-
gularis observantia; aut convicium in fra- 131
trem illatum; si tamen eidem diutius insistimus, nec curamus corrigere, quô moribus paulatim laxantur; quod parvi pendimus, maximo est nobis detrimento, impeditque studia virtutum, totúmque profectum spiritualis institutionis, perinde ac Echineis licèt exiguus pisciculus integras, rostratásque naves ut ut velis, remisque incitatas plenè sistit, ac retinet; ait Plinius *lib. 32. cap. 1.* ruant licèt venti, & sæviant procellæ, imperat furori, tantásque compescit vires, & cogit stare navigium, quod non vincula, non anchoræ ullæ, pondere irrevocabili jactæ: infrœnat impetus, & edomat mundi rabiem nullo suo labore, aut alio modo, quàm adhærendo. Hæc tantilla est satis contra tot impetus, ut vetet ire navigia: armatæ classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur, velut è muris: at heu vanitas humana! cum rostra illa ære, ferróque ad ictus armata semipedalis inhibere possit, ac tenere devincta pisciculus. Hactenus Plinius; subjungens in Naumachia illa Actiaca Antonij prætoriam navim ab hujusmodi pisciculo detentam, ac supervenienti Cæsari unà cum palma veluti in manus consignatum. Narrat etiam Caij Caligulæ navim ex maximis unam pariter ab Echineide in medio subinde mari detentam quadringentis remigibus contra hunc pisciculum nihil proficientibus. Mirum sanè quod Caij Cæsaris rostratam navim, mole ingentem ab Astura Antium reducem valuerit pisciculus contra irruentium ventorum impetus sistere, & quadringentos in illa remiges deluserit: mirum sanè, ab uno semipalmari pisciculo carinam subeunte concitatissimam sisti navim ex majoribus æquora trajicientibus. Quòd si ratio quæratur hujus tantæ virtutis in exiguo, ac semipedali pisciculo ferè omnes cum Scaligero ad sacrum illud occultæ proprietatis asyllum confugiunt; producúntque pleraque

alia, quorum causæ nobis non sunt obviæ, ut
quòd Torpedo exiguus inter marinos pisciculus
si virga, aut fuscina tangatur à piscatore, imò
etiam procul, & è longinquo, piscatoris quan-
tumvis prævalidos lacertos faciat torpescere,
adeout non tangenti Piscatori per hamum, fi-
lum, & arundinem torporem immittat, ac to-
tum deinde corpus occupet, pedésque quam-
vis ad cursum velocissimos, ac expeditos sta-
tim præpediat, ac alliget. Magnes obscu-
rus natura lapis, sed virtute clarissimus fer-
rum ad se trahat. Adamas coram toxico su-
dore madeat: Turchasia imminente periculo,
aut scindatur, aut in rimulas dehiscat, aut
maculas contrahat. Aries furentem inspi-
ciens elephantum eum compescat. Vipera si
fagi ramulo tangatur immobilis sistat. Tau-
rus furore correptus si ad ficum arborem alli-
getur statim mansuescat, & feritate exuta ci-
curem, ac tractabilem se præbeat: Succinum
levia omnia præter ocimum, & oleo madida
moveat, trahátque: Siderites lapis ferrum non
attrahat si allio liniatur. Verùm quidquid sit
de hactenus prærecensitis. Aristoteles in Me-
chanicis respondet, Echineidem tunc tantùm
concitato ventu currentem navem sistere, si
ejus clavo, aut extremæ puppi adhærescat,
quia tunc movens caudam, & corpus mox ad
dextram, nunc ad sinistram immoto ore
affixo clavo, vel puppi; movetur etiam na-
vis in ambiguas partes, & quidem crebreri-
mè ad motum Echineidis, quo fit, ut rectus
impediatur cursus, ac inconditè, motuque an-
cipiti navis fluctuet, ac ejus impetus inhi-
beatur.

132 Idque probat Philosophus exemplo clavi,
quo nauclerus totam navim moderatur. Quæ-
rens enim Philosophus, cur clavus cum res sit
adeo exigua si ab homine modicè nitente mo-
veatur ad dexteram, vel sinistram tota itidem
navis dimoveatur in partem diversam: re-
spondet id contingere, eo quia facillimum sit
moventi ab extremo movere aliud, quia pri-
ma pars fertur celerrimè, & quemadmodum
in his, quæ feruntur in fine cessat impetus; ita
in fine continui, quod movetur maximè imbe-
cillis motus est, qui verò valde imbecillis est
facilè dimovetur. Unde si rectà currat navis,
& Echineis ore clavo, vel puppi affixo reli-
quum corpus in dextram, vel sinistram mo-
veat, necesse est ut in prora hæc motio perci-
piatur, & ad Echineidis ambiguum motum,
ambiguè quoque moveatur tota navis, per-
inde ac ad clavi motum. Verùm si hæc ratio
placet, non solum Echineidis est proprium na-
ves sistere, sed etiam cujusvis alterius piscis,
si navis clavo, vel puppi ore affigatur, & re-
liquum corpus in varias dimoveat partes. No-
strum verò quod attinet institutum est, mi-
nima non esse spernenda, cum nostrum impe-
diant cursum in studijs virtutum, obsistántque
nostro profectui: quæ sub initijs flexilia sunt
virgulta si negligantur fiunt arbores, quæ
frangi postea malunt, quàm flecti, neglecta
vitia licèt initio exigua, paulatim tamen ado-
lescunt, & robur, viresque acquirunt; & nisi
maturè excidantur, prematuros excutiunt
nostri profectus fructus, corrumpúntque no-
stra virtutis studia: scitè Cassiodorus *lib. 5.
Variar. cap. 38.* ait: *Quæ nunc virgulta sunt, fiunt,
si negligantur arbusta, & quæ modo facili avul-
sione dirimuntur, postea vix securibus ista succum-
bunt* evellenda sunt vitia cum pubescunt in cu-
nis, ne postquam adoleverint ipsa nos evellant
à cultura virtutum.

Non minimi sunt minima facienda, sed
minimorum maxima habenda est ratio; præ- 133
sertim cum Dei judicantis sint verba Sopho-
niæ 1. *Scrutabor Hierusalem in lucernis*, idest
minima quæque intentiori lumine, lynceis ocu-
lis perspicua ad scrutinium revocabuntur ex-
pendenda: Judex enim verbulum quodvis
otiosum urgebit, jocosa, quæ exciderunt men-
daciola seria discussione damnabit; perfun-
ctorias cogitationes nonnihil Veneris redolen-
tes, scurrilia verba turpitudinem advehentias
blanda excitandæ concupiscentiæ illicia rigo-
roso discutiet examine, & quæ flocci nunc
fiunt risúque excipiuntur lacrymas elicient. A
minimorum neglectu nos avocat quod obtigit
Aichardo Abbati apud Surium. Is graviori-
bus distentus negotijs die Sabbati, sequentis
dominicæ immemor, vesperi tonsore accito,
capillos sibi exscindi, æquarique forfice jussit.
Ad fuit illico Tartareus inquilinus hominis per-
sonatus specie, quâ larvam subduceret Acha-
ronteam, & capillos legens præcisos omnes
exactè numeravit, inque libellum eorumdem
retulit numerum; sciscitatusque quid illic
ageret, meo, inquit, munere fungor, servo-
rum Dei cellulas lustrare; & singula errata
diligenter in libello notare ne vacuus ad meum
redux principem, acrioribus addicar suppli-
cijs; & subjunxit se palmam à Principe conse-
cuturum, quia nunciaturus erat, Aichardum
Abbatem, cum formam, ac speculum regu-
laris observantiæ debuisset se cæteris mona-
chis exhibere, dominicæ noctis festivum tempus
tam luridè impenderit in capillis æquandis.
Abbas statim inchoatam omisit tonsuram, re-
spondítque dæmoni, venialem esse culpam, quæ
simplici mente commissa fuerit; veniámq; seè Deo
impetraturum, speraret, cum curam proprij cor-
poris negotijs monasterij posthabuisset; Hisce
dictis baculo, & crucis signo Tartaream bel-
luam è cella abegit sœda vestigia post se relin-
quentem. Cúmque Aichardus rem totam fra-
tribus aperuisset, suámque fuisset culpam fas-
sus, orant mox reliqui Monachi pro Abbate,
postque fusas preces, mirum dictu! signum
inchoatæ tonsuræ prorsus evanuit, ut conji-
cere potuerint, culpam fuisse itidem deletam.
Non sunt minima contemnenda, cum singula
à cacodæmone diligentissimè adnotentur, nobis
objicienda.

Plerunque minuta quædam neglecta dam- 134
num invehunt non facilè reparandum; etiam
scintilla parva res est, & tamen subinde flam-
mam excitat, quæ incendium generat nullâ ex-
tinguendum aquâ; à minimis initijs via ad
grandia sternitur, & à levioribus labeculis ne-
glectis in cloacham delabimur, qua toti sor-
desci-

descimus. Hic est insidiantis hostis dolus, hæc calliditas à minimis incipere, ut ad immania nos trahat; concupiscentiam blandè excitat venereis quibusdam cogitationibus, in quibus excutiendis si desides fuerimus, urget nos alijs paullo acrioribus, quibus fortiùs allicit ad extorquendum assensum rectè S. Chrysostomus orat. adversus Gentes. *Quemadmodum in materiam aridam cadens scintilla statim accenditur, nec subsistit, donec, quod reliquum est, depascat, fortius se armante incendio; sic & natura peccati, procedens ulterius, peior semper fit, magisque indomita.*

135 Si sapis primas titillantis concupiscentiæ scintillas excute illicò, perinde ac in sericam vestem fuissent delapsæ ignitæ prunæ; ne damnum hæc patiatur ullum. Non contemnamus, quæ minima nobis videntur, si nolumus à dæmone contemni, ac irrideri; etiam apud Daniele exiguus lapillus ingentem dejecit statuam, ut statim disceremus magni facere parva. Sunt minuta quædam animalia, quæ cum mordent vix sentiuntur, inflictum mox vulnus intumescit, & plerunque sanguinem elicit; typum dixeris improborum, quorum consuetudo licèt non videatur quidquam inferre damni, nihilominus sentitur nocuisse; satagit dæmon nos in rerum exiguarum inducere neglectum, ut pedetentim ad majora nos adigat, eaque incurramus; à rebus exiguis, ac levioribus ad grandiores via emollitur, & à musca ut vulgo dicitur, itur in elephantum: tritum est quod S. Augustinus *tract. 1. in Joan.* narrat de quodam in Africa Catholico muscas fastidiente, eo quia fuerint ipsi infestissimæ: cum illum tædio affectum vidisset Manichæus, sciscitatus ex illo est; à quónam principio muscæ emanarint; non fuit ausus Catholicus utpote pluribus affectus molestijs asserere, eas à Deo conditas. Tunc Manichæus, si Deus eas non fecit, quis ergo fecit adeo importunas bestiolas? Diabolum, respondit Catholicus, crediderim eas fecisse; iterum Manichæus si Diabolus muscas fecit, quis apem paulò majorem, & aculeo acriora vulnera infligentem? ab ape duxit illum ad locustam, ab hac ad lacertam, à qua ad serpentem, pantheram, leonem, elephantum, & postremo ad hominem; sic ab exiguis initijs ad malorum extrema, & in hæresim Manichæorum perduxit; quia minima neglecta ad grandia viam emolliunt: dæmon utpote callidus auceps non statim retia ostendit, sed rebus parvis, cantu, fistula, choreis allicit, ut blandè irretiat: ex volucrum aucupio discimus, non sinere nos allici ab exiguis blandimentis, ne iisdem rapiamur ad æterna lamenta; non est censenda res minima, quæ damnum infert maximum: etiam veneni guttula parva est quantitate, & tamen lethalis est qualitate; etiam gutta aquæ contemptibilis est, ac nullius censetur efficaciæ; & nihilominus si ejus negligatur jugis defluxus parietes corrumpit, ac duriora excavat saxa, ut etiam durissima flectantur mollibus, ijsque cedant.

136 Virtutum cultor non repente fit nequissimus; sed primùm studia earumdem negligit, eum in ijsdem tepescit, frigescit postea, ac demum totus rigescit. Quæ a viro religioso imperfectiones negliguntur, guttularum decidentium naturam induunt, penetrant enim usque ad emolliendam, ac flectendam ad prava voluntatem; hoc idem præstant, quæ à concupiscentia excitantur cogitationes, nisi statim dispellantur virtutes exurunt. Mirum sanè quod in viro dignitate aliqua insignito notentur defectus, quibus inficitur, & à viro religioso ne corrigantur supina negligantur segnitie. Ad quodlibet Principis exasperatum verbum arriguntur aures subditorum; qui in superioribus consueverunt semper minima quæque diligenter notare, ut in Cimone vini haustus paulò liberalior; in Scipione nimia ad somnum propensio; in Pompeio quod unico digito scalperet caput; hæcque, & alia id genus non debent à cultore virtutum contemptui dari, si carpi à tartareia inquilinis nolunt: non bene sibi consulunt viri religiosi, qui abdicatis rebus omnibus humanis, votóque obstricti paupertatis, puerilibus ita reculis adhærent, ut si ijsdem destituantur, perinde turbentur, ac si mercatori rapta à Piratis foret navis. Viri aliàs pientissimi persæpe spiritualis cibi delicias non percipiunt, multaque bona amittunt, quia affectiunculas non dimittunt, nec eas è quibusdam puerilibus ineptijs avellere, & abstrahere conantur.

A minimis ad grandia itur, sive in pravis, sive honestis. Sibi persuaserat mulier Evangelica, se ad sanitatem obtinendam perventuram, si extremam duntaxat Servatoris tangeret fimbriam: *si tetigero*, inquit, *fimbriam vestimenti ejus salva ero*; ex levi fimbriæ tactu integram innati morbi ruinam prælusit: ut disceremus ex levissimis virtutum exercitijs ad illustres victorias instrui tyrones. Idque innuit Sapiens Proverb. 1. *Mulierem fortem quis inveniet? Procul, & de finibus pretium ejus:* scire cupis hujus inita fortitudinis? non tibi imagineris præclara facinora, nec pugnas fortiter obitas; sed ideo *manum suam misit ad fortia; quia digiti ejus apprehenderunt fusum:* hæc sunt illa fortia, ad quæ misit manum; scilicet digiti, qui apprehenderunt fusum: sed quid fusus cum fortitudine? quid arundo fractu facilis cum inconcussa, ac loricata virtute? ita est; quia fortissimi etiam viri in studijs virtutum per levissima rerum exercitia se se accingunt ad vitia fortiora prosternenda, æternúmque in cœlis triumphum sibi apparandum. Testis est Judith, quæ à puellarum calathis non dubitavit ad militum tentoria prodire, & in hostium castris palmas demetere, quibus angustijs pressus Israël, ac fere depressus è lapsu Holofernis surgeret victor: nacta Juditha dormientem Holofernem, accessit ad columnam cap. 17. *& pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat exsolvit:* ecce puella imbellis gladium arripit ea fortitudine, quâ exercitum integrum in suo Imperatore valuerit superare; scitè D. Augustinus serm. 219. *Bellatoris crines implicuit pulchritudine digitorum, post teneritudinem* 137

stadiam fusi, scapulam quærit, non post prostratos leones, post ursos strangulatos, ut David ad Gigantem; sed post susum, & per susum ad gladium accedit, & salutem totius Israël parit: licet quidem nobis in minimis virtutum exercitijs ad magna perpetranda parari: neque ægrè iuvenes, qui parvis excitati magni, & illustres fiant. Idque confirmat ex Samsone *Iudic.* 17. ubi ad uxorem ait: *si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea* ubi Augustinus: *Ecce quantam fortitudinem debiles capilli tenebant: tota cura, totum Samsonis studium in pilis parvis servandis de Nazaræorum lege erat.* Fortissimus fuit quamdiu minuta legis religiosè servavit; virtutem exuit cum primum legis minima in amputatis capillis neglexit.

138 *Echini* plures marini, qui futuræ præscij tempestatis, lapillis in tergum conjectis se operiunt, & arenâ saburrant, ne fluctuum agitatione ad littora allidantur cum lemmate. *Minus prævisa nocebunt*, eos designant viros prudentes, qui contra imminentes adversitates se præmuniunt, ne cum primum accesserint, acriùs sentiantur.

EXCURSUS.

Non nocent adversa, sed prosunt si in Numinis rejiciantur Providentiam.

139 Vulgò iacula prævisa dicuntur minus ferire, ac si ipsa prævisio eorum retunderet acumina, vimque infringeret: scitè S. Gregorius Magnus in homil. 35. in Evangel. *Iacula prævisa minus feriunt; & nos tolerabilius mundi mala suscipimus si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur.* Quod etiam expressit Jovinus in sua Ethica Poësi

Provida venturis vires mens casibus aufert:
Nam prævisa solent tela nocere minus.

Imò nil adtererer damni, nilque molestiæ novercantis fortunæ fulmina, si adversa quæque etiam non prævisa in divinum rejiciantur providentiam, in nostrarum pœnam culparum; aut in præclariora virtutum exercitia; meritorúmque uberius incrementum: sicut Echini se arenâ saburrant ne oborta procellâ agitentur, allidantúrque ad littus, ita vir prudens anchora fidei se roborat, confirmátque contra adversa quæque, nec unquam insurgentibus opinionum fluctibus se sinit exagitari, sciens inter fluctuantes rerum humanarum vicissitudines secunda ex adversis, & adversa ex secundis oriri; perinde ac in pelago malacia ad procellam sequitur; & procella ex malacia nascitur.

140 Occultat Deus malorum, bonorúmque semina; cumque Dei providentia ad suos dirigat proprios fines rerum humanarum eventus; meliora nobis semper promittamus; multa enim non expectata obtigerunt, & plura expectata nos fefellerunt! Lapidibus destinata Susanna ex invectâ ignominia illustriorem hausit gloriam detectâ divinitùs innocentia & à paratis erepta lapidibus. Sancto Petro carceribus detento ultrò aperiuntur januæ, solvuntur compedes, præviúsque adest Angelus, à quo ab omni eripitur periculo. Tres pueri fratres Babylonios ignes, blandos experiuntur esse favonios. Daniel in lacu cicures habet leones, & ad obsequia paratos; erigendus est animus in adversitatum fluctuante procella, & meliora speranda; & præmuniendus si fors deteriora evenerint. Plures è naufragio superfuere; alijè tortoribus erepti; nonnulli è carceribus ad supremum imperij fastigium evecti fuerunt; qui anno anteactò inopia laborârunt, nunc divitijs affluunt; ita rerum humanarum mutantur vices; post morbos reflorescit valetudo; post luctus rident gaudia; post dolores quiescunt solatia; post amaros haustus dulcia propinantur; si procellæ igitur sæviant, si persecutiones urgeant, si adversa nos premunt, spe meliorum pascamus animum; quòd si abscissa fuerit spes rerum omnium fluxarum, ac temporalium; vegetior germinabit spes æternorum, ad quæ janua singulis patet, atque strata cuique via est. Vir prudens tametsi obruatur adversis, insepeliatúrque tanquam montibus, spe tamen innixus æternorum hæret imperterritus, perinde ac emergens è procelloso pelago scopulus; si fatiscat corpus mens integra manet, nec unquam alternanti inservit fortunæ, cujus minis, fulminibúsque non subjacet. Vir siquidem fortis solo Deo minor fatuam ridet donorum fortunæ erogationem.

Fusu piscis, in cujus ore aqua marina dulcescit, ad quam cum cæteri pisces dulcedine allecti veniunt capiuntur cum lemmate *Veniunt dulcedine capti*, alludit ad hominem optimæ indolis mansuetique ingenij amara quæque dulcedine temperantem, ut vel duros homines emolliat, efferatos cicuret, aspros alliciat, flectátque ad vota. Est itidem Symbolum Christi, qui semel haustas vitæ nostræ acerbitates, nobis mitì quadam suavitate decoxit, ut imposterum omnia amara nobis dulcia viderentur. Potest etiam accommodari Præposito Religiosorum, qui dulci alloquio, ac blanda suadella faciliùs trahir ad se animos subditorum, qui libentiùs eidem obsequuntur. 141

EXCURSUS

Affabilitas prædura corda emollit, flectitque, ut libet.

Nulla ex virtutibus est, quæ tantum habeat roboris ad animos alliciendos, quàm comis erga omnes affabilitas. Versatur potissimum circa congressiones, & convictum, seu circa totum humanarum actionum ambitum. Est enim Affabilitas ex Aristotele *lib. 1. Magn. Moral. cap* 26. & *lib. 3. ad Eudemum cap. ult.* Virtus seu habitus inclinans ad conversandum cum proximo in rebus serijs latè, ac jucundè, ut nostra conversatio grata sit, & talis qualem esse decet spectata conditione nostra, & perfona- 142

sonarum circumstantijs, cum quibus agimus, ac negotia instituimus; adeo ut nec nimis blande, nec nimis rigidè in congressibus nos geramus. Hæc virtus Magnates præ cæteris decet, qui veluti magnetes terreos, ac præduros homines comitate, & affabilitate ad se trahunt, tractóque sibi conciliant, ut feliciter præstitit Augustus, de quo Suetonius: *Promiscuis salutationibus admittebat, & plebem, magna comitate adeuntium desideria excipiens.* Idem reperitur in Suetonio de Tito Imperatore. *Animas hominum obstinatissimè tenuit, ne quem sine spe dimitteret: quia & monentibus domesticis, quasi plura polliceretur, quàm præstare posset; non oportet, ait, quemquam à sermone Principis tristem discedere. Atque etiam recordatus quondam super cœnam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam, meritóque laudatam vocem edidit: Amici diem perdidi.* Diem perdidisse credidit, eo quia nulla se illi occasio obtulerit beneficia alijs impertiendi.

143 Alta dignitarum fastigia, qui occupant ea imitentur magna flumina, quæ sine murmure fluunt, absque ullo strepitu suos omnibus communicant latices; viri magni est omnibus prodesse, sine tono loqui, sed frontis serenitate, oris que affabilitate animos in sui allicere obsequia; in id præsertim incumbat studij, qui alijs præest, ut per collata beneficia, morúmque affabilitatē, eos sibi benevolos efficiat; nunquam auceps aviculas suas alliceret ad casses nisi ea in retium area apponeret semina, quibus scit præ cæteris delectari: & Piscator nisi eam imposuerit hamis escam, quam scit pisces appetere; tempus inutiliter tereret sedens cum arundine, filoque aquis immerso exesis in scopulis: perinde homines partim impertitis beneficijs, partim affabili locutione nobis conciliantur.

144 Ad ineundam cum alijs societatem, necessaria est affabilitas; ita tamen ut ubique honestas splendeat, & hominum congressiones, & convictum ad normam rectæ rationis instituat homo, & socialem vitam, ac conversationē, ita temperare studeat, ut colloquia sint proximo grata, & talia, quæ hominem in civili vita degentem non dedeceant: idque consequimur: si vultu lætitiam præseferamus: mœror enim, & tristitia, ac morosiora verba non amorem conciliant, sed diffidentiam pariunt: serena fronte, oréque læto, & affabili sermone semper excepit Pius secundus Pontifex maximus quotquot ad ipsum accedebant, à quo propterea nemo dicitur discessisse nisi hilaris; illud præ cæteris de hoc Pontifice refertur dignum memoratu: quòd cum ad eum senex venisset verbis supra modum profusus petendi aliquid gratiâ, jámque per multum temporis Pontificem detinuisset; & quidam de Adstantibus senem monuisset, quò breviùs se expediret. Pontifex admonentem reprehendit, eò quia patientiam, quam ipse haberet; non ille vellet exercere; & jussit Senem ab exordio omnia repetere, quæ singula patienter iterato audivit; postea vultu severiùs in alterum retorto, ait: *Et nescis ex quo Pontificatum inij, alijs vivere me oportere, non mihi.* Optandum esset, ut qui alijs præsunt Constantinum imitarentur, de quo Nazarius recensens ejus laudes ait: *Quid? faciles aditus: quid? aures patientissimas: quid? benigna responsa: quid? vultum ipsum Augusti decoris gravitate, hilaritate permixta, venerandum quiddam, & amabile renidentem, quis dignè exequi posset? quarum rerum miraculo, sic omnes devinciebantur, ut non tam omnes dolerent, quod illum Tyrannum tamdiu tulerant: quàm quòd tali principe tam serò fruerentur.*

Non solum viros principes, sed etiam 145 privatos affabilitas decet; cum teneamur omnes proximum amore prosequi, cum eodem est honesta conversatio instituenda; non tamen promiscuè cum omnibus prætextu colendæ affabilitatis habenda est consuetudo, sed sociorum habendus est delectus, adeo ut omnes cum viro probo conveniant: non enim familiariter versari, & colludere cum potentioribus præsertim principibus expedit personæ privatæ ob periculum eorumdem incurrendi indignationem, si tantillum offendantur: imò neque cum paribus est semper societas instituenda, quamvis delectetur natura consortio similium, parésque faciliùs cum paribus associentur: quia si ambo sint superbi iracundi, vicissim ad talia vitia excitantur: quamobrem societas statuenda est cum probis, addictisque virtutum culturæ Num. 16. monebat Moyses populos: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad illos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum,* societas igitur cum ijs instituatur, qui virtutibus sunt instructi, probitate splendent; tunc spes affulget fore, ut ex hac inita societate honestas promoveatur conversationis, amórque foveatur sincerus absque verbis fictis, officijsque fucatis; qualis enim est amor in corde, talia sunt verba in ore.

Cæterum si affabilitas, vel maximè virum 146 principem convenit, eamdem sævities, & tetricitas dedecent: neque Principes ex crudelitate, quam exercuerunt quid aliud hauserunt, quàm dedecus, & ignominiam; quia quem multi timent, necesse est, ut vicissim, & ipse multos timeat; idque expertus fuit Tiberius imperator, cujus Tyrannica fuit vox illa: oderint dum metuant; sub quo principe fertur, interdictum, ne propinqui, amici, & familiares lugerent capite damnatos. Princeps pius debet conniti, ut affabilitate omnes pelliceat, quàm severitate terreat, & crudelitate alienum sanguinem fundat: ait Joseph Hebræus lib. 9. Antiq. c. 3. *Semper est firmius Principis imperium, qui amari vult, quàm qui metui: natura enim sic comparatum est, ut subjecti delectentur regibus, de suo fastigio se nonnihil demittentibus.* Idque cum non latuisset Tiberium Imperatorem ait Suetonius in Tib. c. 29. *In appellandis, venerandisque singulis, & universis prope excesserat humanitatis modum.* Affabilitas in viro præsertim Principe vim quamdam prodit magneticam, qua sibi inferiores ad se blandè trahit, nectitque sibi amoris vinculo. Quanta sit affabilitatis vis in animis sibi conciliandis, ac ferreis prædisris-

que cordibus emolliendis, flectendisque edifferit ipse eloquentiæ Princeps M. Tullius lib. 2. de offic. cap. 14. Difficile dictu est, quantoque conciliet animos hominum comitas, affabilitásque verborum.

Fasen piscis hiante ore splendorem emit-
147 tens è lingua cum lemmate *lingua diffiunit umbras*, congruit cuique concionatori Apostolico, qui linguâ præditus ignea doctrinæ, ac suasionis nitoribus vitiorum tenebras dissipat: scitè S. Gregorius Homil. 30. in Evangelia *Linguas igneas Doctores habent, quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant.*

148 *Melanurus* piscis, qui cum placidum, ac tranquillum est mare imum petit in petris, & algis quiescens tegumento protectus, quo possit corpus occultari cum lemmate deprompto ex Horatio lib. 11. od. 10. *Metuit secundis*, hominem refert prudentem, qui mundi prosperis minimè fidit; sciens fortunam arridentem plerunque periculosiorem esse adversâ. Ait Ælianus *lib. 1. c. 41.* Melanuri timidi serena tempestate profundum maris petunt, juxtaque petras se algâ obtegunt; ut turbatis aquis, cum cæteri pisces abduntur, securi ad littora prodeant, prædámque sectentur. Hinc Horatius loc. cit. de Melanuro

Sperat in festis, metuit secundis
Alternam sortem bene præparatum
Pectus.

Murena Crassi Romani cibos capiens è ma-
149 nu heri vocantis hoc lemmate *Didicit parere vocanti*, alludit ad fructum obedientiæ. Pisces quoque cicures fieri, & vocanti obsequi, atque è manu largientium cibos capere liquet ex anguilla sacra in Aretosa; & Murena Crassi Romani ad heri nutum parata obsequi, quam propterea Crassus intento prosequebatur amore, adeout gemmis, aureóque monili eam ornaverit; & mortuam fleverit, ac honore sepulturæ affecerit. Cúmque Domitius eum stultitiæ redargueret, quòd mortuum defleret piscem, retorsit; ita est, ego mortuam flevi meam murenam: sed tu nullos, ne ex trium uxorum interitu, quas ad sepulturam duxisti, luctus dedisti.

150 *Ostreum* stylo trajectum emittens saniem, quæ excepta latercula concrescit in gemmam, seu margaritam, ut refert Philostrat. lib. 11. in vita Apollonij cap. ultimo, hac epigraphe *Dat pretium vulnus*, Martyrem exhibet pro Christo multiplici vulnere saucium. Mundus est veluti fretum fluctibus æstuans, martyr in hoc pelago ostreum agit; stylus piscatoris gladius est tortoris; sanies fusus est sanguis, gemmæ, seu margaritæ suscepta pro Dei gloria vulnera.

Pastinaca, quæ per cantus, & saltus qui-
151 bus se se oblectat ad disposita retia seducitur cum verbis *Ad luctum per lusum*, exhibet viros improbos, qui choreis, mundique risui indulgentes in exitium ruunt: siquidem ut scitè Juvenalis Satyr. 6.

Non unquam reputant quanti sibi gaudia constent

Ælianus lib. 1. de animal. cap. 39. ait: qui Pastinacas nituntur expiscari, saltant, & canunt, quàm possunt suavissimè: illæ verò tum auditu mulcentur, tum spectanda saltatione se oblectant, & adnatant propiùs; tunc piscatores sensim, ac pedetentim recedunt, ubi dum dolus in miseras structus apparet, quæ saltatione, & cantu allectæ fuerant, retibus jam extensis inclusæ capiuntur.

Polypus piscis è genere mollium à pedum 152
multitudine propriam trahens nomenclaturam, à petris quibus adhærescit colorem assumit, ut pisces adnatantes fallat; & cum lemmate deprompto ex Theognide *Variat subdolus arte*, homini potest accommodari adulatori, varios induens colores, ut pluribus placeat, quos revers fallit,

Ut Polypus petræ faciem mentitur inhærens,
Sic mentem variat subdolus arte nova

Rana Mœcenatis hoc lemmate *Urget si-* 153
lentia fatum, indicat, arcana Principum non esse evulganda ne extremum incurratur supplicium; puniunt siquidem severè Principes hujusmodi evulgatores: hinc Mœcenas Augusto charissimus consueverat Rana Seriphia literas obsignare, cujus est ingenium ait Plinius *lib. 9. cap. 63.* ut perpetuo silentio torpescat. Mutæ sunt ranæ in Seripho Insula.

Salmo piscis marinus æquè, & fluviatilis 154
hærens, ac moriens sub saxis, hisce verbis *Præcelsos curat imum*, alludit ad illos, qui terrenis, fluxisque bonis inhiantes omnia impendunt studia in coacervandis divitijs, quibus indulgentes vitijs in ima tartarea miserè ruunt. Est Salmo piscis in mari, & fluminibus Germaniæ frequens, in hisce libentius pariunt excavato in sabulo scrobe, in quo fœmina ova collocat, quæ à mare genitali rore perfusa, sensimque aucta, spiritu vitali moventur, ut refert Schottus *lib. 10. Mir. c. 44.* saltu Magna sæpe valla in fluminibus objecta superat, & si nequeat adverso flumine progredi infra sub saxis hæret, ac deficit.

Sepia sæviente maris æstu prehenso utra- 155
que promuscide saxo quiescens immota cum lemmate *Hoc pondere tuta*, alludit ad fidem, cui, qui inter fluctuantes opiniones firmissimè nituntur citra periculum quiescunt, quia revelatæ aquiescunt veritati. Refert Athenæus lib. 8. pag. 323. Sepiam exorta in mari procellâ minorâ prehendere saxa, & in ijsdem utraque promuscide, veluti anchora stabilitam quiescere.

Stella piscis igneo fervore medijs exardens 156
in fluctibus cum lemmate *Nec ponto extinguitur ardor*, congruit viro pientissimo, & vera charitate fervido, qui tametsi adversitatibus, ac oppositionibus prematur non tamen quidquam remittit fervoris. Stella piscis suam sortitur nomenclaturam, quia præclaro ludentis naturæ artificio speciem exhibeat stellæ, cujus formam induit. Brachijs enim quasi radijs quinque diffusus expanditur, in radiorum medio tullio os est sine gula; inde alimentum in quinque partes distribuitur, ut in echinis internæ partes omnes indiscretæ sunt, ut etiam in urticis. Radiorum particulæ vinculis tenuibus connexæ facilè disrumpuntur; ob elegantem

gantem partis compagem est piscis aspectu pulcherrimus; igneus fervor est illi, adeo validus, ut omnia in mari contacta adurat, omnémque cibum statim excoquat, ut refert Aristoteles lib. 5. Animal.

157 *Thymallus* piscis culice captus hoc lemmate *Magnis metuenda minora*, alludit ad eos, qui aliàs insignes ob plurium culturam virtutum, ac scientiarum ornamenta, licèt concupiscentiæ coërceant motus, irascibilem compescant, vitia quæ plus continent enormitatis declinent; vanæ postea gloriolæ aura infeliciter capiuntur; cum retia evaserint majora, tenui filo illigantur. Refert Ælianus lib. 14. cap. 22. Thymallum in Ticino Italiæ fluvio generari, & ad cubiti magnitudinem excrescere, & captum suavissime olere; non verò ut cæteros pisces pisculentum emittere odorem. Is cum talis sit, culice vili bestiola, cujus esca imprimis delectatur, capi solet; dum enim culices insectatur, capitur ipse.

158 *Torpedo* hamo capta piscatorio, & per lineam, ac arundinem vim emittens, quâ affectum piscatoris brachium torpescit cum lemmate *Corrumpunt otia mores*, alludit ad otium quo virtutes corrumpuntur, ac deficiunt, & vitia ingenerantur, quibus homo torpescit. Dicitur torpedo ab illato, incussóque alijs, præsertim piscatoribus inerti torpore, per hamum siquidem piscatoris tacta torporem invehit irrepentem per lineam; arundinem, & piscatoris brachium. Piscis est orbicularis, cute molli, ac lubrica, sex fere librarum.

159 *Trocta* hamo capta dente filum, quo alligatur corrodens, ac secans, & deinde piscatore ad propria revertens domicilia hac epigraphe *Astu deluditur astus*, alludit ad illos callidos, astutosque viros, qui cum student astu alios decipere, plerumque ipsi decipiuntur; qua ratione vulgo dicitur. Callidus callidum captans sæpe hamum perdit; id enim perinde est ac vulpinare cum vulpe, seu cum astutis astutijs agere, ubi plerumque callidior errat. Trocta Æliano teste *lib. 1. cap. 5.* dentes habet frequentes, & continentes, quibus quidquid inciderit perfringere potest, hamo capta sola ex piscibus non se ab hamo retrahit, sed impellit se se in ferrum, & filum dente resecat.

160 *Uranoscopus* piscis oculo in summo capitis vertice jugiter aperto insidias omnes præcavens, hoc lemmate *Nequit arte capi*, typus est viri prudentis, qui singula sedula discussione perpendens, non sinit se decipi, neque ab illis objectis, quæ plus cæteris alliciunt. Alludit etiam ad hominem pientissimum cœlestibus addictum contemplationibus, erecta siquidem mente jugiter in Deum, occursantes in hoc mortalis vitæ fluctuante pelago casus vigili circumspectione declinat, nec unquam vitij alicujus sordescit cœno, suum tantùm in æthere quærens pastum. Est Uranoscopus referente Athenæo *lib. 8.* piscis pedali magnitudine sine squamis, capite magno, osseo, aspero, Ranæ piscatricis capiti haud absimili. Hic præter consuetas omnium animantium naturam, unum tantùm oculum in summo capitis vertice habet, quo intendens semper insidias declinat ex Isidoro l. 12. c. 6.

Xiphias latinè piscis gladius ingens rete 161 omni piscium genere plenum sio disrumpens telo, ac omnibus captis per laxam scissuram viam liberrati aperiens cum lemmate *Disrumpit vincula vinctis*, typus est Servatoris Christi, qui post crucis necem descendit ad inferos liberaturus Patres omnes, ac Patriarchas, qui ibi detinebantur; captivam enim duxit captivitatem ex inferorum umbris ad cœlestis gloriæ indeficiens lumen, scitè Ignatius Martyr *Epist. 5.* ad Trallenses ait. *Descendit Christus in infernum terræ, ascendit verò cum multitudine, & dirupit maceriam, quæ erat à sæculo.* Xiphias à rostri mucrone latine gladius piscis nuncupatur, estque ex cetorum genere. Affinitas ei cum thunnis non modica; conveniunt enim hi pisces corporis crassitie, pinnis, lateribus, cauda lunata. Differunt vero quia X. hias præter insolentem rostri figuram, albescit toto corpore, & præter aliorum piscium morem plurimas sub cute latentes habet squamas, & ad decem aliquando cubitos excrescit. Corpus à capite crassum, ac rotundum sensim in acumen desinit. Tanti est roboris, ut oblongo rostro, quod gladij instar præfert naves, & saxa penetret. Sed hæc vis deluditur arte, quâ capiuntur vel tridenti telo ad funem alligato; vel hamis duplici unco recurvis; vel retibus sinuosis.

EXCURSUS.

Num termini magnitudinis, & parvitatis ita præscribantur brutis, & piscibus à natura, ut intra eosdem in qualibet specie contineantur.

Censet Paulus Venetus *lib. 1. Physic. cap. 4.* 162 nullum in animalibus præscribi à natura terminum magnitudinis & parvitatis, eo quia exploratum sit apud Ægyptios Crocodilum nullum crescendi finem habere, & quamdiu vivit mole semper corporea crescere: & alia animalia infra consuetam corporis molem deprimi liquet in catellis, qui potu vini adusti & per inclusionem in ollis parvis ita detinentur exigui ut nunquam ad consuetum terminum corporeæ magnitudinis, quæ canibus illis aliàs competeret perveniant. Præterea in qualibet animalium specie dantur semper aliqua, quæ corporea magnitudine reliquis antecellunt, unde non videtur natura ullum certum præscripsisse terminum magnitudinis, & parvitatis corporeæ. Quòd si velimus species percurrere animalium, & initium dare ab insectis; referunt Herodotus *in Thal. lib. 3.* Strabo *lib. 15.* Sabellicus *in Ennead.* & alij, Indicas formicas corporis magnitudine vulpes in Europa excedere. Plinius lib. 11. de histor. natur. asserit, Locustas in Indijs tres facilè æquare pedes cor-

que cordibus emolliendis, flectendisque edisfetit ipse eloquentiæ Princeps M. Tullius lib. 2. de offic. cap. 14. Difficile dictu est, quantoque conciliet animos hominum comitas, affabilitásque verborum.

147 *Easen piscis* hiante ore splendorem emittens è lingua cum lemmate *lingua discutit umbras*, congruit cuique concionatori Apostolico, qui linguâ præditus ignea doctrinæ, ac suasionis nitoribus vitiorum tenebras dissipat: scitè S. Gregorius Homil. 30. in Evangelia *Linguas igneas Doctores habent, quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant.*

148 *Melanurus* piscis, qui cum placidum, ac tranquillum est mare imum petit in petris, & algis quiescens tegumento protectus, quo possit corpus occultari cum lemmate deprompto ex Horacio lib. 11. od. 10. *Metuit secundis*, hominem refert prudentem, qui mundi prosperis minimè fidit; sciens fortunam arridentem plerunque periculosiorem esse adversâ. Aic Ælianus *lib. 1. c. 41.* Melanuri timidi terena tempestate profundum maris petunt, juxtaque petras se algâ obtegunt; ut curbatis aquis, eum cæteri pisces abdunter, securi ad litora prodeant, prædámque sectentur, Hinc Horatius loc. cit. de Melanuro

Sperat in festis, metuit secundis
Alternam sortem bene præparatum
Pectus.

149 *Murena* Crassi Romani cibos capiens è manu heri vocantis hoc lemmate *Didicit parére vocanti*, alludic ad fructum obedientiæ, Pisces quoque cicures fieri, & vocanti obsequi, atque è manu largientium cibos capere liquet ex anguilla sacra in Aretusa; & Murena Crassi Romani ad heri nutum parata obsequi, quam propterea Crassus intenso prosequebatur amore, adeout gemmis, aureóque monili eam ornaverit; & mortuam fleverit, ac honore sepulturæ affeceric. Cúmque Domitius eum stultitiæ redargueret, quòd mortuum defleret piscem, retorsit; ita est, ego mortuam flevi meam murenam: sed tu nullos, ne ex trium uxorum interitu, quas ad sepulturam duxisti, luctus dedisti.

150 *Ostreum* stylo trajectum emittens saniem, quæ excepta laterculo concrescit in gemmam, seu margaritam, ut tefert Philostrat. lib. 11. in vita Apolonij cap. ultimo, hac epigraphe *Dat pretium vulnus*, Martyrem exhibet pro Christo multiplici vulnere saucium. Mundus est veluti fretum fluctibus æstuans, martyr in hoc pelago ostreum agit; stylus piscatoris gladius est tortoris; sanies fusus est sanguis, gemmæ, seu margaritæ suscepta pro Dei gloria vulnera.

151 *Pastinaca*, quæ per cantus, & saltus quibus se le oblectat ad dispostia retia seducitur cum verbis *Ad luctum per lusum*, exhibet viros improbos, qui choreis, mundique risui indulgentes in exitium ruunt; siquidem ut scitè Juvenalis Satyr. 6.

Non unquam reputant quanti sibi gaudia constent
Ælianus lib. 1. de animal. cap. 39. ait: qui Pastinacas nituntur expiscari, saltant, & canunt, quàm possunt suavissimè; illæ verò tum auditu mulcentur, tum spectanda saltatione se oblectant, & adnatant propiùs; tune piscatores sensim, ac pedetentim recedunr, ubi dum dolus in miseras structus apparet, quæ saltatione, & cantu allectæ fuerant, retibus jam extensis inclusæ capiùntur.

Polypus piscis è genere mollium à pedum 152
multicudine propriam trahens nomenclaturam, à petris qoibus adhæresciε colorem assumit, ut pisces adnatantes fallat; & cum lemmate deprompto ex Theognide *Variat subdolus arte*, homini potest accommodari adulatori, varios induens colores, ut pluribus placeat, quos revera fallit,

Ut Polypus petræ faciem mentitur inhærens,
Sic mentem variat subdolus arte nova

Rana Mœcenatis hoc lemmate *Urget si-* 153
lentia fatum, indicat, arcana Principum non esse evulganda ne extremum incurratur supplicium; puniunt siquidem severè Principes hujusmodi evulgatores: hinc Mœcenas Augusto charissimus consueverat Rana Seriphia literas obsignare, cujus est ingenium ait Plinius *lib. 9. cap. 63.* ut perpetuo silentio torpescat. Mutæ sunt ranæ in Seripho Insula.

Salmo piscis marinus æquè, & fluviatilis 154
hærens, ac moriens sub saxis, hisce verbis *Præcelsos enecat imum*, alludit ad illos, qui terrenis, fluxisque bonis inhiantes omnia impendunt studia in coacervandis divitijs, quibus indulgentes vitijs in ima tartarea miserè ruunt. Est Salmo piscis in mari, & fluminibus Germaniæ frequens, in hisce libentius pariunt excavato in sabulo scrobe, in quo fœmina ova collocat, quæ à mare genitali rore persusa, sensimque aucta, spiritu vitali moventur, ut referc Schottus *lib. 10. Mir. c. 44.* saltu Magna sæpe valla in fluminibus objecta superat, & si nequeat adverso flumine progredi infra sub saxis hæret, ac deficit.

Sepia sæviente maris æstu prehenso utra- 155
que promuscide saxo quiescens immota cum lemmate *Hoc pondere tuta*, alludit ad fidem, cui, qui inter fluctuantes opiniones firmissimè nituntur citra periculum quiescunt, quia revelatæ aquiescunt veritati. Refert Athenæus lib. 8. pag. 323. Sepiam exorta in mari procellâ minorâ prehendere saxa, & in ijsdem utraque promuscide, veluti anchora stabilitam quiescere.

Stella piscis igneo fervore medijs exardens 156
in fluctibus cum lemmate *Nec ponto extinguitur ardor*, congruit viro pientissimo, & vera charitate fervido, qui tametsi adversitatibus, ac oppositionibus prematur non tamen quidquam remittit fervoris. Stella piscis suam sortitur nomenclaturam, quia præclaro ludentis naturæ artificio speciem exhibeat stellæ, cujus formam induic. Brachijs enim quasi radijs quinque diffusus expanditur, in radiorum meditullio os est sine gula; inde alimentum in quinque partes distribuitur, ut in echinis internæ partes omnes indiscretæ sunt, uc etiam in urticis. Radiorum particulæ vinculis tenuibus connexæ facilè disrumpuntur; ob elegantem

gantem partiſ compagem eſt piſcis aſpectu pulcherrimus; igneus fervor eſt illi, adeo validus, ut omnia in mari contracta adurat, omnémque cibum ſtatim excoquat, ut refert Ariſtoteles lib. 5. Animal.

157 *Thymallus* piſcis culice captus hoc lemmate *Magnis metuenda minora*, alludit ad eos, qui aliàs inſignes ob plurium culturam virtutum, ac ſcientiarum ornamenta, licèt concupiſcentiæ coërceant motus, iraſcibilem compeſcanr, vitia quæ plus continent enormitatis declinent; vanæ poſtea gloriolæ aura infeliciter capiuntur; cum retia evaſerint majora, tenui filo illigantur. Refert Ælianus lib. 14. cap. 22. Thymallum in Ticino Italiæ fluvio generari, & ad cubiti magnitudinem excreſcere, & captum ſuaviſſimè olere; non verò ut cæteros piſces piſculentum emittere odorem. Is cum talis ſit, culice vili beſtiola, cujus eſca imprimis delectatur, capi ſolet; dum enim culices inſectatur, capitur ipſe.

158 *Torpedo* hamo capta piſcatorio, & per lineam, ac arundinem vim emittens, quâ affectum piſcatoris brachium torpeſcit cum lemmate *Corrumpunt otia mores*, alludit ad otium quo virrutes corrumpuntur, ac deficiunt, & vitia ingenerantur, quibus homo torpeſcit. Dicitur torpedo ab illato, inruſſóque alijs, præſertim piſcatoribus inerti torpore, per hamum ſiquidem piſcatoris tacta torporem invehit irrepentem per lineam, arundinem, & piſcatorie brachium. Piſcis eſt orbicularis, cute molli, ac lubrica, ſex fere librarum.

159 *Trocta* hamo capta dente filum, quo alligatur corrodens, ac ſecans, & deluſo piſcatore ad propria reverrens domicilia hac epigraphe *Aſtu deluditur aſtus*, alludit ad illos callidos, aſtutosque viros, qui rum ſtudent aſtu alios decipere, plerunque ipſi decipiuntur; qua ratione vulgo dicitur. Callidus rallidum captans ſæpe hamum perdit; id enim perinde eſt ac vulpinare cum vulpe, ſeu cum aſtutis aſtutijs agere, ubi plerunque callidior errat. Trocta Æliano teſte *lib. 1. cap. 5.* dentes habet frequentes, & continentes, quibus quidquid inciderit perfringere poteſt, hamo capta ſola ex piſcibus non ſe ab hamo retrahit, ſed impellit ſe ſe in ferrum, & filum dente reſecat.

160 *Uranoſcopus* piſcis oculo in ſummo capitis vertice jugiter aperto inſidias omnes præcavens, hoc lemmate *Nequit arte capi*, typus eſt viri prudentis, qui ſingula ſedula diſcuſſione perpendens, non ſinit ſe decipi, neque ab illis objectis, quæ plus cæteris alliciunt. Alludit etiam ad hominem pientiſſimum cœleſtibus addictum contemplationibus, erecta ſiquidem mente jugiter in Deum, occurſantes in hoc mortalis vitæ fluctuante pelago caſus vigili circumſpectione declinat, nec unquam vitij alicujus ſordeſcit cœno, ſuum tantùm in æthere quærens paſtum. Eſt Uranoſcopus referente Athenæo *lib. 8.* piſcis pedali magnitudine ſine ſquamis, capite magno, oſſeo, aſpero, Ranæ piſcatricis capiti haud abſimili. Hic præter conſuetas omnium animantium naturam, unum tantùm oculum in ſummo capitis vertice habet, quo intendens ſemper inſidiae declinat ex Iſidoro l. 12. c. 6.

Xiphias latinè piſcis gladius ingens rete omni piſcium genere plenum ſuo diſrumpens telo, ac omnibus captis per laxam ſciſſuram viam libertati aperiens cum lemmate *Diſrumpit vincula vinctis*, typus eſt Servatoris Chriſti, qui poſt crucis necem deſcendit ad inferos liberaturus Patres omnes, ac Patriarchas, qui ibi detinebantur; captivam enim duxit captivitatem ex inferorum umbris ad cœleſtis gloriæ indeficiens lumen, ſcitè Ignatius Martyr *Epiſt. 5.* ad Trallenſes ait. *Deſcendit Chriſtus in infernum terræ, aſcendit verò cum multitudine, & diripuit maceriam, quæ erat à ſæculo.* Xiphias à roſtri mucrone latine gladius piſcis nuncupatur, eſtque ex cetorum genere. Affinitas ei cum thunnis non modica; conveniunt enim hi piſces corporis craſſitie, pinnis, lateribus, cauda lunata. Differunt vero quia Xiphias præter inſolentem roſtri figuram, albeſcit toto corpore, & præter aliorum piſcium morem plurimas ſub cute latentes habet ſquamas, & ad decem aliquando cubitos excreſcit. Corpus à capite craſſum, ac rotundum ſenſim in acumen deſinit. Tanti eſt roboris, ut oblongo roſtro, quod gladij inſtar præfert naves, & ſaxa penetret. Sed hæc vis deluditur arte, quà capiuntur vel tridenti telo ad funem alligato; vel hamis duplici unco recurvis; vel retibus ſinuoſis. 161

EXCURSUS.

Num termini magnitudinis, & parvitatis ita præſcribantur brutis, & piſcibus à natura, ut intra eosdem in qualibet ſpecie contineantur.

CEnſet Paulus Venetus *lib. 1. Phyſic. cap. 4.* 162
nullum in animalibus præſcribi à natura terminum magnitudinis & parvitatis, eo quia exploratum ſit apud Ægyptios Crocodilum nullum creſcendi finem habere, & quamdiu vivit mole ſemper corporea creſcere: & alia animalia infra conſuetam corporis molem deprimi liquet in catellis, qui potu vini aduſti & per incluſionem in ollis parvis ita detinentur exigui ut nunquam ad conſuetum terminum corporeæ magnitudinis, quæ canibus illis aliàs competeret perveniant. Præterea in qualibet animalium ſpecie dantur ſemper aliqua, quæ corporea magnitudine reliquis antecellunt, unde non videtur natura ullum certum præſcripſiſſe terminum magnitudinis, & parvitatis corporeæ. Quòd ſi velimus ſpecies percurrere animalium, & initium dare ab inſectis; referunt Herodotus *in Thal. lib. 3.* Strabo *lib. 15.* Sabellicus *in Ennead.* & alij, Indicas formicas corporis magnitudine vulpes in Europe excedere. Plinius lib. 21. de hiſtor. natur. aſſerit, Locuſtas in Indijs tres facilè æquare pedes

corporis longitudine; & artifices incolas earum cruribus, ubi exaruerint, uti veluti ferris ad feccandas tabulas. In Europa videmus ex apibus alias alijs corporis magnitudine præcellere, sunt enim earum reges quasi duplo grandiores.

163 Si ex insectis progredimur ad reptilia, Plinius *lib. 8. cap. 12.* refert, Dracones Indicos in tantam adolescere magnitudinem, ut cervos, & Tauros deglutiant, imò & ipsos elephantos caudâ circumvoluant, & complexu interimant; *& cap. 13. & 14.* Æthiopiam serpentes gignere, Indicis pares, vel etiam grandiores: & belli punici temporibus à Regulo Romanæ militiæ Archistratego ad flumen Bagadram serpentem longitudine corporis ad centum & viginti pedes, ballistis, alijsque bellicis instrumentis in-star munitæ propugnaculis arcis fuisse ab exercitu oppugnatum, & expugnatum. Ælianus *de natur. animal. lib. 15. cap. 21.* refert Alexandrum Macedonem cum suo exercitu in Indija expugnâsse serpentem corporea mole horrendum, & longitudine septuaginta cubitos æquâsse: Lipsius ex Cedreno, & Zonara narrat in Bibliotheca Constantiniana Draconem fuisse asservatum longum 120. pedes: hinc insecta, & reptilia nullum videntur magnitudinis, & parvitatis terminum habere. Hoc idem videtur & de aquatilibus dicendum: ait Plinius lib. 9. c. 3. Balænas maris Indici quaternûm esse jugerum: habet autem juger ducentorum pedum extensionem quoquoversum; Pristes ducenûm esse cubitorum: Anguillas Gangeticas ad trecentos pedes longitudine extendi teste eodem Plinio, & lib. 32. c. 1. ait, cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis in flumen intrâsse Arabiæ. Nearchus apud Strabonem lib. 15. refert visam à se in Persico litore balænam ad 30. cubitos in longum exporrectam, squamis obiecta, cute crassitudine cubitali, conchis, ostreis, herbisque marinis desuper enatis. Et Solinus c. 35. loquens de cetis, quos *Physeteras* vocant ait, *enormes ultra morem ingentium columnarum, super antennas se navium extollunt, haustásque fistulis (quas in frontibus habent) fluctus, ita eructant, ut nimbosa diluvie plerumque deprimant alveos navigantium, unde & nomen acceperunt: Physeter enim græcè, perinde est, ac latinè Flator; quia reflando soleat ingentes nimbos emittere.*

164 Plinius *lib. 9. c. 3.* narrat Albini amnis accolas ex piscium à se mactatorum ossibus suas construere domos, & earumdem fores ex piscium maxillis conficere. Plinio fidem facit Olaus magnus, qui lib. 21. c. 16. de Balænia Aquilonaribus ait. Maritima monstra Aquilonaris cœli adeo ingentis molis sunt, ut in littus abjecta exesis prorsus eorum carnibus, mundatisque ossibus, quasi quædam naves è lignis compactæ videri possint; quin etiam si pronum jaceat piscis cadaver, amplæ domus vices tenet, supernè confectis fenestris; hinc, atque inde cubiculis dispositis, portis etiam fabrefactis, & occlusis ex piscis maxillis; tanto totius inhabitantis familiæ commodo separatis habitaculis, ut supersit, & gallinis, suibúsque, atque equo alendo sufficiens spatium. Id verò asserit singulare, quòd dormientes sub hoc naturæ magis, quàm artis tecto perpetuis insomnijs vexentur, quasi maritimis procellis jactati. Testator idem Olaus à se visum piscem anno 1532. cujus longitudo ad nonaginta pedes extenderetur, & crassitudo ab imo ventre ad summum dorsum esset octodecim pedum; & oris hiatus pateret ab imo in summum rectâ lineâ pedes undeviginti; maxillæ crassitudine trium pedum, longitudine ad duos supra viginti pedes extenderentur. Costæ singulæ crassitudine essent sesquipedali longæ ad pedes 12. Addit præterea tres illi fuisse in utero specus ingentes; in gutture sinus triginta, pinnas singulas pedum 15. quas neque quinque boum juga traxissent, linguam longam fuisse viginti, & unum pedes; intervallum quod oculis interjacebat pedes octodecim. Albertus Magnus etiam refert *lib. 24.* à se visum piscem, cujus singulorum ocolorum fovea 20. hominum capax esset; spectatam etiam à se balænam, quæ dentes quatuor cubitorum longitudine haberet; supercilia octo pedes in longum porrecta, eorúmque communiter numerari ducentos, & quinquaginta. Dionysius Geographus refert, visas in oceano Balænas sublimium montium speciem referentes, quæ integras naves cum vectoribus absorboerint.

Neque credas, hæc à profanis duntaxat 165
enarrari authoribus; quia D. Augustinus *Epist. 49. Leon. p. 2.* refert suo ævo prodigiosæ magnitudinis cete ossa in publico Carthaginis foro miraculi causa fuisse ostensa, siquidem costæ in orbem flexæ haud ægrè equestrem hominem pertranseuntem admiserunt. S. Basilius *hom. 7. in Hexam.* & Theodoretus apud Pererium *lib. 4. in Daniel.* etiam affirmant Balænas quasdam superioribus aquis innatantes ingentis omnino Insulæ speciem exhibuisse; hoc idem narratur in vita S. Maclovij Britanniæ Episcopi *cap. 7.* apud Surium *tom. 6.* Is sub verni Jejunij exordium cum 180. comitibus Lyrinum versus è portu Britanniæ solverat; sed æquora trajicientes, adeo iniqua tempestas vexavit, ut ipso die Paschatis adhuc cum procella in oceano fluctuante se esse deprehenderint; cumque nil nisi cœlum, solem, salúmque viderent; nilque appareret soli, seu continentis ubi descenderent, sacrúmque facerent Maclovius, & socios more orthodoxo sacra re ficeret synaxi; in genu flexis omnibus preces enixim ad Deum fuderunt, ut litus aliquod possent appellere, & ibi sacrum facere. Mirabile dictu illicò in medio mari Insulam quamdam viderunt, versus quam vela dantes, è navi descenderunt; extruitur ara, induit Maclovius vestes sacerdotales sacrum inchoat, in eo pergit; sed sub rei divinæ coronidem incipit se moles illa ingens movere, ventilare caudam, erigere caput, immane oculorum conceptaculum, ac hiantes buccarum fornices ostentare, & si Deus permisisset in navim didnxisset facilè, & eam cum nautis, alijsque æquora trajicientibus absorbuisset; sed ablo-

luto

luto sacro cum navim adscendissent omnes cete iterum fundum subijt oceani: quod si animal aquatile in laxam Insulæ magnitudinem excrevit: non censeas, terrestria animalia inferioris esse conditionis. Refert Beyerlinck *in suo theatro Hum. tom. 1. lib. 2. fol. mihi 148.* Visum fuisse Antverpiæ quemdam Struthio-Camelum, cujus demortui caro 150. pondo excedebat: & Georgius Fabricius narrat, Misniam inter, & Dresdam, in Saxonia repertum nidum aquilæ per tres proceras quercus extensum, & in illo vitulorum, oviúmque coria reperta, imò & hinnulum recèns eò asportatum, & uni pullorum alas fuisse septem ulnis longas cum per transversum expanderentur: ungues digitie viri staturæ grandioris pares, crura leoninis majora.

166 Aldrovandus etiam *lib. 10. c. 1.* refert in Æthiopia, Aquilas tam magnas, fortésque reperiri, ut bovem, vel etiam integrum equnum pedibus in sublime abripiant. Paulus Venetus *lib. 3 cap. 40.* refert in quadam Oceani insula ultra Madagascar quot annis stato tempore avem apparere, quam loci illius incolæ Ruc appellant, aquilæ quidem præseferentem effigiem, ac similitudinem, sed esse corporis extentione longè majorem, adeo ut pleræque alarum plumæ ad duodecim excurrant passus, ea crassitie, quæ mensuræ congruat longitudini; tantum illi roboris, tantúmque insit virium, ut sola hæc avis absque externo subsidio elephantum ungue rapiat, in sublime evehat, quò majori impetu in terram delapsus ac contusus intermatur, & occisæ bestiæ avis vescatur carnibus.]

167 In amphibijs etiam videtur non esse præscriptus terminus ullus magnitudinis. Asserit Plinius *lib. 9. cap. 10.* Indicum mare Testudines emittere tantæ magnitudinis, ut unius superficies sufficiat pro integræ domus tecto; in rubro mari ijsdem uti, ut navibus illarum incolas Insularum ad marinos fluctus trajiciendos. Non solùm in insectis, reptilibus natatorijs, volatilibus, ac terrestribus brutis carent animalia terminis parvitatis, & magnitudinis, ut ex hactenus exhibitis liquet; sed etiam homines. Id evincunt gigantes, quorum excedens corporea moles errantis naturæ ac deflectentis à consuetis speciei terminis arguit vitium. Datos fuisse inter homines gigantes nulli est dubium, idque inficias ire Martinus Delrio *lib. 2. disq. Mag. q. 15.* & Pineda *in cap. 26. Job.* dicunt impudentis esse proterviæ, ac insignis stultitiæ.

168 Constat enim ex scripturis *lib. 1. Paralip. cap. 20. v. 6.* ubi legitur; *sed aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus senos habens digitos, id est simul viginti quatuor, qui & ipse de Rapha fuerat stirpe* (seu gigantea) *generatus.* An non gigas etiam fuit Goliathus, quem David lapide è funda excusso prostravit? cum de ipso dicant sacræ literæ: *altitudinis 6. cubitorum fuit, & palmi: pondus loricæ ejus quinque millia siclorum æris; hastile verò hastæ ejus quasi liciatorium texentium.* An non exploratores terræ Chanaam reversi ad Moysem Num. 13. testati sunt à se visos homines, ut *monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus ipsi comparati, quasi locustæ sunt visi?* Plinius *lib. 7. cap. 16.* narrat imperante Claudio Gigantem à se visum nomine Gabbaram ex Arabia Romam advectum, cujus altitudo ad novem pedes enm semisse protendebatur; & tempore Augusti alium in urbem venisse semipede altiorem Gabbara. Philostratus in vita Apollonij refert in Creta disrupto ex terræ motu monte repertum fuisse corpus humanum 46. cubitorum: & imperante Romæ Nerone gigantis dentem fuisse in urbem allatum, qui pedis mensuram non modò æquaverit, sed etiam superaverit. Fazellus *de reb. Siliciensium lib. 1. Dec. 1. c. 6.* asserit ad Ericem montem cadaver fuisse effossum anno 1342. cujus anterior cranij parn aliquot sicilientium modiorum capax fuerit, & meminit reperti Gigantis, cujus corporea altitudo ad ducentos cubitos protenderetur. Celebris est etiam dens illius Gigantis, à quo nomen, & insignia Antverpia sumpsit, quique servatur, & ostenditur in ea urbe palmo major, ut testatur Delrio *lib. 2. disquis. Magic. q. 15.* & Beyerus in *suo Theatro lib. 7.* D. Augustinus hisce prodigijs fidem adstruit sum *lib. 15. de civit. cap. 9. & c. 25.* dicat. *Vidi non ipse solus, sed alij mecum in littore Uticensi molarem hominis dentem tam ingentem, ut si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis facere potuisse:* & loquens postea de tota mole corporea ait *Romæ fuit fœmina cum suo Patre, & sua Matre, quæ corpore gigantea longè cæteris præeminebat; ad quam visendam mirabilis undequaque concursus fiebat, & hoc erat maximè admirationi, quod parentes ejus, nec saltem tam longi homines, erant, quàm longissimos videre consuevimus.* Pineda *in cap. 26. Job,* eruditè probat, sexaginta illos fortes, qui lectulum Salomonis ambiebant gigantes fuisse, seu mole corporea, & altitudine longè alios homines excessisse.

Quòd nec terminum habeant homines 169
parvitatis ex eo potest conjici; quia sicut gigantes, ita & pumiliones videmus nasci, ac vivere; imò parentes etiam lucri causâ, ut notat Delrio *lib. 2. disq. quæst. 5.* certa impiè medicamenta adhibent, ut inde pumiliones nascantur. Nicephorus cujusdam meminit pumilionis, qui ad perdicis dumtaxat excreverit magnitudinem, vixeritque annos 25. Cardanus *rerum variat. lib. 8. cap. 43.* refert masculum cubitalem, eúmque senem Psittaci cavea inclusum se in Italia vidisse. Alius fuit pumilio Philetas nomine, qui ne vento abriperetur, plumbeis soleis consuevisse suos munire calceolos referunt alij. Ex historia gentis pigmææ, quæ ex homulis constat, quorum tota cohors pede non est altior uno, ut in illos Juvenalis lusit Satyr. 13. constat, pigmæos extremam incolere Indiæ Regionem, & etiam circa Nilum fluvium degere, ubi dorsis arietum, vel caprarum insidentes pugnant cum avibus præsertim gruibus, quam pugnam describens Juvenalis festivè cecinit

Ad subitas Thracum volucres nubémque sonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis,

 Non

Mox impar hosti, raptúsque per aëra curvis
Unguibus è sæva fertur Grue, &c.

170 Idque firmat Aristoteles *lib. 8. histor.* ubi agens de volucribus, quæ miro naturæ instinctu certis anni tempestatibus commodiora quærentes loca, è frigidis ad temperatas evolant regiones: de Gruibus ait: *Grues de Scythicis campis ad paludes Ægypto superiores, unde Nilus profluit, veniunt, quo in loco pugnare dicuntur cum Pygmæis: non enim id fabula est, sed secundùm veritatem genus tum hominum, tum equorum pusillum, ut dicitur est, degúntque in cavernis, unde Troglodytæ nomen à subeundis cavernis acceperunt.* Plinius i idem loquens de hac pugna lib. 7. cap. 2. ait: *inducias habet gens Pygmæa abscessu gruum cum ijs pugnantium.*

171 Nihilominus dicendum censeo, animantia quæque suos habere terminos intrinsecos magnitudinis, & parvitatis; adeout sit à natura præscripta quantitas, ultra quam nequeant bruta crescere sub majori, & majori semper corporea mole in infinitum; neque diminui, & fieri semper minora in infinitum. Id evincintur à posteriori. Censet Arias Montanus *lib. de Arca*, species terrestrium animalium, quæ Noëticâ arcâ fuerant ingressæ, plures non fuisse quàm centum, & quinquaginta exceptis reptilibus, quorum species ut putat Pererius *lib. 11. disput. 7. in fine* non sunt ultra 25. adeout terrestrium omnium anima'ium species numerum compleant centesimum septuagesimum quintum. Ex hisce speciebus notant Philologi sex tantùm esse equo majores, paucæ æquales & plures etiam ove minores: species avium censent Aldrovandus, & Gesnerus non excedere numerum centesimum quinquagesimum octavum; ex quibus ut notat Cornelius in cap. 6. Genes. v. 19. paucæ sunt cycnis grandiores: plures illis minores; & aliæ decrescunt in parvas, exiguásque aviculas; & quamvis legamus intra plures species aliquot individua excrevisse ad duplum, vel triplum, vel etiam ulterius supra alia ejusdem speciei, nunquam tamen contigit excrevisse ut montem Olympum æquaverint, ut neque quod ita decreverint, etiam ex minutissimis insectis, ut punctum attigerint indivisibile: eo ipso quòd sunt animata necesse est sua habeant organa, quibus actus exerceant vitales, ac plures partes distinctas: unde necesse est intra terminum parvitatis à natura ijsdem præscriptum contineantur.

172 Hinc eruitur ratio etiam à priori: quia cum in animantibus præsertim sit esse propter operari: debet necessariò cujuslibet animalis corpus ita construi, ut suas valeat vires exercere, ac vitales functiones exercere; quæ cum non possint sub qualibet magnitudine, & parvitate exerceri: siquidem ut animal suas exerceat operationes debent Spiritus celerrimè è corde, & celebro emitti in alias corporis partes, ac sensuum organa, & si celebrum ab ijsdem plurimum distaret, ut etiam cor, ab organis sensuum, qui vigent in capite, Spiritus tepescerent, ac inhabiles essent pro vitalibus exercendis functionibus: unde necesse est, quælibet animalia contineri sub proprijs terminis magnitudinis, & parvitatis à natura præscriptis. Adde quòd si animal daretur, quod in infinitum posset semper extrescere, ac fieri corporea mole semper grandius, tandem fieret ad motum ineptum, & præ nimio pondere molem suam sustinere non posset, à qua propterea opprimeretur; idque firmat Julius Scaliger *exercit. 265.* ubi refert à se visum Mediolani in publico Nosocomio juvenem tantæ proceritatis, ut stare non posset. Et causam adfert, eò quia non poterat à natura satis alimenti ad crassitudinem, roborisque proportionem suppeditari, ideóque jacebat duos occupans lectos unà junctos; & ita philosophandum de termino parvitatis; quia cum sit anima sensitiva actus corporis organici exigit ad sui generationem, & conservationem certum organorum apparatum, cum proportionata condensatione, & rarefactione membrorum, & organorum proportione, ut suas possit vires exerere, ac functiones obire; ad id autem necessaria est determinata materiæ quantitas; alioquin si in infinitum abiretur, Spiritus è corde, vel cerebro in reliquas corporis partes, defluentes dissiparentur, quę propterea, defectu spirituũ sufficientium suas nequirent functiones obire.

Neque ullum taceßunt negotium, quæ pro stabilienda opposita senteatia fuerunt exhibita. Ad primum Respondetur, Crocodilum extrescere quidem interdum ad prolixam longitudinem; non tamen inde sequitur omnia individua ejusdem speciei ita extendi: neque Plinius asserit excrescere absque ullo termino magnitudinis; sed tantùm lib. 8. cap. 24. refert inventum fuisse Crocodilum, longitudine excedentem cubita duo de viginti. Ad alia quæ fuerunt exempla producta, & ex varijs petita Autoribus respondetur, generatim augmentum corporeæ molis non fieri, nisi beneficio calidi innati, & humidi radicalis: & certum est animalia quæque esse morti obnoxia, & non mori, nisi defectu caloris, & humidi; hæ autem duæ qualitates ob pugnam cum alijs oppositis conteruntur, vires deperdunt, & paulatim deficiunt, ut non possit generationi neque augmento corporeæ quantitatis alterius deservire; quo fit ut animalia quæque suos debeant terminos habere magnitudinis, & parvitatis suis præfixos speciebus; non quòd omnia individua intra eamdem speciem ejusdem semper fiot magnitudinis, sed quia non possint excedere terminum, quem vocant maximum, ut sic; neque minui infra minimum; alioquin experientiâ constat dari intra hos terminos latitudinem quamdam, quâ aliqua individua intra eamdem speciem sunt alijs grandiora; nec omnia ejusdem esse magnitudinis. 173

Ad id quod de pigmæis dicebatur, quamvis Fernelius de re medica optimè meritus lib. de Procer. homin. cap. 10. censeat, fœtum humanum in utero materno aliquando non excedere magnitudinem grandioris formicæ; attamen Martinus Delrio *Disquis. Mag. q. 15.* putat pigmæos illos, quorum meminit Plinius 174

Gruum

Gruum inimicos, cum quibus statis anni temporibus pugnam ineunt non esse veros homines, animâ praeditos rationali; sed bruta, vel Africæ monstra, quæ ad speciem quamdam Simiarum proximius videntur accedere. Cæterum quamvis communior hominis statura ad sex pedes protendatur; adhuc plures fuerunt homines, & adhuc existunt, qui hanc excedunt mensuram, ut fuerunt plures gygantes, & alij dantur, qui minimè illam attingunt, quin longè ab illa deprimuntur. Sed aliud est ait Nicquetius *lib. 2. de Physiog. hum. c. 1. art. 1.* Infantem in minima quantitate concipi: & aliud tam effœtam esse naturam in uno aliquo populo, ut cui 20. & ampliùs anni cremento corporis fuerint assignati, ultra exiguam parvitatem non excrescant plures de integro populo supra cubitum unum.

EXCURSUS.

De Piscinis, in quibus aluntur pisces.

175 Piscis à pascendo suam trahit nomenclationem, eò quia pisces terram, & herbas aquaticas lambant, & lapides, quibus ex piscibus plures adhærescunt, victúmque sibi quæritant, quo vires reficiant, propriæque consulant indigentiæ, & conservationi. Qui verò ex piscibus lucrum quærunt, simúlque immodico parcere sumptui, in id incumbunt studij, ut pro piscibus aquis dulcibus innatantibus piscinas constituant aquis juxta piscium varias species, & qualitates oppletis, in quibus pisces nutriendos ponunt, & ad placitum extrahunt ad mensam delicatis construendam obsonijs; ut & ad animi laxationem, quia ut cecinit ille

Et juvat & licitum est, piscando fallere tempus

176 Si enim piscinæ fuerint semel ritè, ac firmiter constitutæ, exiguas postea impensas exigunt, ut in ijsdem pisces optatos producant fructus, & possessores earumdem amplo ditent censu: ut autem bene construantur, locus seligendus est, qui sit opportunus piscibus alendis, accommodatus aquis librandis, firmo aggere muniendus, ac solidout fundamento nitatur; ne aquæ, utpote fluxæ, sibi, suisque alumnis per fugam ex timis consulant, & piscina exsiccetur; cujus symmetria in eo consistit, ut si ampla fuerit, fundamentum extendatur ad ulnas octodecim; seu orgias sex, & altitudo assurgat ad tertiam partem seu ulnas sex, vel orgias duas, & totidem assignentur latitudini, quæ aggerem in cono, ac superficie constringant: hanc dimentionem dat natura ipsa arboribus, & plantis, quæ in caule, & basi sunt crassiores, ac fortiores, quia cum truncus totius arboris membra, & ramos fructibus præsertim onustos sustineat, solidius erat corroborandus, ne facilè totum plantæ corpus corruat, si caulis, seu truncus minus fortis frangatur: est etiam in construendis piscinis necessaria gleba tenacissima ad firmandum aggerem; fundus itidem necesse est sit solidus, ac idoneus toti operi fulciendo: propterea ansatis fistucis per robustos viros constringendus est, ut valentius aquarum insultibus, ac reverberationibus resistat.

Quia verò contingit interdum ut per continuas pluvias, vel nubifragium, aquæ aggerem supergressæ si cataractæ desint piscinam universam destruant, & ruptis repagulis pisces aufugiant, factu optimum est, si emissarium construatur: est emissarium locus lignis, tabulisque robustis, vel etiam firmissimo muro constructus, per quem aqua lacus, vel stagni si redundet foras emittitur, ne piscinæ fit damno. Aquæ ductus sunt itidem necessarij per quos aquæ in piscinam ex locis etiam dissitis deriventur, vel ex fluminibus indirectè, & per excavatos canales; vel directè per rivulos è suis fontibus piscinam adeuntes, & ingredientes: ex fluvijs nonnisi indirectè seu per canales studiò excavatos aquæ fluviales in piscinas mittuntur. Aquæ tamen fontanæ carpionibus, lucijs, alijsque piscibus nutriendis sunt minus aptæ ob cruditatem, & pinguedinis, ac alimenti carentiam; è converso Trutis, auratis, Thymallis, gobijs, alijsque id genus delicatis piscibus sunt pergratæ, quia defœcatiores, ac limpidiores, absque luti mistura; Præ cæteris aqua pluvia generatim est piscibus pergrata, quia è cœlo petita, & eâ libentiùs nutriuntur. Cavendum tamen est, ne aquæ toto, ac pleno gurgite in piscinam ducantur dum agger adhuc crudus, recens, & porosus est; quia si gleba sit adhuc rimosa, vi aquæ patis non est obsistere; unde paulatim tunc, & morosè immittendæ sunt aquæ, ut paulatim, ac morosè gleba imbuatur, leniter subsidat, firmiúsque roboretur: ad ipsum verò influxum incilis, seu canalis septa opponenda sunt densiora, lignisque confibulis diligenter constringenda, ne loco cedant; neve ullum piscibus pateat effugium. 177

Piscinâ probè constituta verno tempore dum glacies omnino resoluta est, & nives liquatæ, & piscinæ depuratæ fœtus carpionum sive bimuli sint, sive trimuli transferendi sunt, idque ad lunam plenam; siquidem omnes pisces sive squamosi sint, sive glabri, sivè asta-ci, seu ex genere cancrorum luna silente, & corniculata sunt macilentiores. Debent itidem piscium fœtus omnino illæsi ex seminario in piscinas deferri, & quidem die serena, aëre quiescente, quique ab impetu non agitetur ventorum Præfertur in hac translatione tempus vernum autumnali, quia verè assuescunt statim primo, & recenti pabulo; in autumno cum nequeant posthac pabulo frui, valde debiliores hyemarent. In id etiam incumbendum studij, ut in proprio, & domestico fundo proles genuina educetur, ne spuria soboles piscinas maculet. Signa probæ indolis in carpionibus hæc solent assignari; ut fœtus in piscinam injiciendi, ac alendi sint à selectis, seu a parentibus neque senio confectis, neque juvenculis; sed ætate, & corpore vegetis. Si 178

non

non ſint capitones, ſintque oculis nonnihil exſtantibus, ac emiſſitijs; ventre latiori, quàm longiore, ſquamis minimè pallidis, ſed ſubcandidis, corpore quadrato, neque intempeſtivè inflato. Eſt etiam factu optimum ſi nova proles ex deteriori ſundu in meliorem deferatur; ut etiam ex aqua frigidiore ad tepidiorem; ex arena in glebam pinguiorem, quâ carpiones nutriuntur vegetiores. In transportanda verò nova prole dimidium dolij aqua, & alterum dimidium piſcibus implendum eſt, ne ſi plures fuerint tumultuentur, aut ex nimia conſtipatione lædantur. In novæ prolis effuſione dolium ita collocetur, ut piſces ex eo exilientes facile piſcinam ingrediantur, perquam ſua ſponte diffundantur. Tempus hujus transfuſionis opportunum eſt matutinum, aere nullis agitato ventis ſole ſplendente, quia meridiano æſtu, & flante aquilone nova piſcium proles debilitatur. Plures hanc transfuſionem agunt ſub finem Aprilis, & initium Maji ad plenilunium quod illis diebus contingit, & quidem in ſignis cancri, ſcorpionis & piſcium: habentur enim hæc ſigna, veluti paranymphi nuptiales piſcium, quibus prævijs ſequitur partus copioſus, & felix in lunæ decremento. Cavendum tamen, ne in ſeminarijs ſe ſe lucij inſinuent, quia novo piſcium fœtui inhiantes, recentes piſces quotquot illis obviant, devorant.

179 Piſcandi tempus in hiſce piſcinis duplex præſertim aſſignatur vernum, & autumnale, ſed hoc ut naturalius ſolet verno præferri; quamvis qui verno jejunio, ſeu quadrageſima venduntur piſces cariori ſoleant emi pretio, utpote rariores, & univerſalius conquiſiti tempore abſtinentiæ ab eſu carnium: ſecurior tamen habetur autumnalis piſcatio, & in mercatu utilior, quia autumno lucij, cyprini, & alij ex diuturno, & proximo pabulo ſunt pinguiores, & ponderoſiores, ac perſectioris ſubſtantiæ. Retia ut in piſcina ad capturam piſcium probè extendantur à prima aquæ ſuperficie verſus fundum, maſſulæ plumbeæ, vel ferreæ ijſdem appenduntur, quibus retia in fundum trahantur; & supernè ſubereæ, quibus in ſuperiore piſcinæ detineantur ſuperficie; ſi ſquamigerus grex fuerit miſcelaneus, per primam retium laxationem copiam luciorum piſcatores ad ſe trahent; non tamen plures carpiones, vel cyprinos, quia hi timidiores in cœno latebras quærunt; in ſecunda verò, vel tertia retium laxatione turbatis jam, & obſcuratis aquis agminatim è lutoſo piſcinæ fundo ſurſum Cyprini aſcendunt, capiunturque plenis retibus.

180 Tametſi ſanitas piſcibus tribuatur, & parœmialiter bene valentes dicantur *Sani ut piſces*, hos tamen ſuis eſſe obnoxios ægritudinibus aſſerit Plinius, & id evincit ex macie, cum intra eamdem ſpeciem piſcium aliqui deprehendantur macri, & exiucci; cum alij pinguea ſint, & ſuccoſi; verùm hæc ſucci, & pinguedinis differentia oriri poteſt ex ſeminum inæqualitate, & ex diverſis ſeminarijs in eamdem piſcinam ex pluribus translatis; vel ex diverſis diſpoſitionibus individuorum in eadem ſpecie, ut experimur contingere in animalibus, imò & in hominibus, qui tametſi utantur ijſdem eſculentis, & poculentis, ut viri religioſi in communi viventes, adhuc ex varijs individuorum diſpoſitionibus aliqui pingueſcunt, cum ſint alij exſucci, & macreſcant.

Quòd ſi rigente brumâ piſcina, vel lacus 181
fuerit alto gelu concretus; tunc aperiuntur foramina in medio piſcinæ, vel lacûs, per quæ retia in aquam interiorem non glaciatam injiciuntur, & quia piſces ad foramina reſpirationis causâ libenter accurrunt, cumulatim piſces capiuntur, non ſine piſcatorum uberi proventu. Interdum oritur piſcium ægritudo ex arundinetis, cannis, & juncis, quibus aqua vitium contrahit. Solet fundus piſcinarum arundifer eſſe non ſine piſcium detrimento; quod ſi velis arundines præſertim adultas manu evellere, adeo firmiter ſuis adhærent radicibus, ut manus citius rumpas, quàm radicitus arundines evellas. Quòd ſi vomere velis radices eradicare difficulter quavis adhibita vi obtinebis; quia arundinetum radices altiſſimè aquarum fundo immerſas habet; eaſque natura denſiſſimo complexu ſimul innodatas vinculavit, & faciliùs Herculeum nodum ſolveres, quàm innodatas arundinum radices diſſolvas, & evellas. Si falce ſuccidas arundines ſuccreſcunt vegetiores: ſi ſuccendas, & uras cinere impregnatus piſcinæ fundus germinat lætiùs, & denſiùs multiplicantur arundines, eſtque malum pejus priore; æmulatur Phœnicem arundinetum, quia è ſuis cineribus ſurgit vegetius, germinat lætiùs, & veluti innovata juventa vitam redorditur diutius duraturam.

Conſultius eſt, ſi circa æſtivum ſolſtitium 182
per plenam aquis piſcinam purgator lintre vectus, & falce acuta præmunitus arundines ſubter aquas ad media usque internodia reſecet, adeout aqua piſcinæ cavum reſecatæ arundinis calamum ingrediatur, ibique ſubſideat Sirio ſidere urente; tunc experimento deprehenſum eſt vi caloris ſolaris aquam intra calamos arundinum ſubſidentem virtutem germinandi ex calamorum radicibus extrahere, & paulatim totum arundinetum contabeſcere. Debent tamen arundines amputari in novilunio, & percurrente ſole ſignum Leonis, quia tunc æſtus ſunt acriores, ut Julio, & Auguſto.

Piſcium varia ſunt genera, & propriè di- 183
cuntur animalia in aquis degentia, quæ ſquamis teguntur. Alia quæ in aquis vivunt aquatilia vocantur; quorum alia corio, & pilis veſtiuntur, ut vituli, hippopotami; alia ſimplici corio, ut Delphini; alia ſpinis armantur, ut echini. Alia teguntur cruſta ut teſtudines, locuſtæ. Alia ſilicea duritie, ut oſtreæ, conchæ. Sunt etiam Amphibia, ſeu animalia, quæ tam in terris vivunt, quàm in aquis, ut lutra fiber.

EXPENSIO II.

Exhibentur Peristromata Ethico-Symbolica repræsentantia naturas, & proprietates Quadrupedum.

1. **A***Gnus* ovem matrem sequens inter vepreta hoc lemmate *Obsequor, & sequor*, Tyronem exhibet religiosum nutui, & exemplo directoris suos componentem mores. Scitè S. Bernardus serm. 77. *Qui vias vitæ ingredi vult præceptorem, & Ducem sibi assumat. Fructus Magistri est filius obediens.*

2. *Agnus* occisus, & appensus laniena nbi carnes dantur venum eum lemmate *Mors mea vita viro*, alludit ad Christum Dominum, qui tanquam agnus ad occisionem ductus obmutuit; fuit enim agnus innocentissimus, qui per atrocia supplicia circumductus humanum genus suo sanguine expiavit, & sua morte vitam nobis impertivit.

3. *Alce* pernicissimè nives percurrens hoc lemmate *Moras non sustinet*, alludit ad illas bellicas expeditiones, quæ ut ad optatum deducantur finem nullam patiuntur moram; hic accommodatur illud Lucani lib. 1.

Tolle moras, semper nocuit differre paratis

Congruit etiam peccatori, cui si occasio detur resipiscendi omnem debet moram rumpere; nec ullum dare cunctationi locum. Alce animal est septemtrionale paulo crassius cervo; nam etiam mas gerit cornua. Apud Sueços, Norvegos, Finlandos, ac finitimas iisdem regiones incolit, colore subcineritio, licet hunc unà eum pilis aliquoties in anno variet. Fannis patientissimum est animal, & incredibili celeritate per frigore constrictas nives nullo per diem refectum pabulo cicuratum homines transfert, qui etiam traha vehuntur.

4. *Alce* ungulâ dextri posterioris pedis aurem sinistram scalpens his verbis *Vis maxima in minimo*, congruit rebus omnibus illis parvis, quibus magna inest virtus, plurimúmque possunt commodi, vel damni adferre; in minimis enim rebus persæpe magnæ vires comprehenduntur; unde non materia in rebus, sed virtus quærenda. Alce enim in ungula infima, & abjectissima parte corporis virtutem habet miram, quâ morbo epileptiæ, & hystericis morbis medetur, ungulas enim habet instar boum bifidas; quibus mense Augusto, & Septembri ablatis mira vis medica inest ad tollendum etiam in hominibus morbum epilepticum; adeo ut loco amuleti gestari soleat; unde si quis ex tali ungula sive annulum, sive particulam aliquam, vel manui, vel auri sinistræ, vel etiam cordi admoveat, epilepsia impeditur. Aiunt etiam ramenta tam ex cornibus maris, quàm ungulis pota, eumdem curare morbum.

EXCURSUS.

Parva non contemnenda.

VIm maximam opificem rerum Deum minimis etiam animantibus indidisse, ne nobis essent contemptui, sed potius admirationi, edisserit Tertullianus, naturas, proprietates, ac mores admiratus insectorum plurium, quæ ab hominibus flocci fieri assolent; ait ipse lib. 1. adversl. Marcionem cap. 14. *Imitare si potes apis ædificia, formicæ stabula, Araneæ retia, bombycis stamina: sustine si potes illas ipsas lectuli tui, & tegetis bestias, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis, & tubam, & lanceam.* Non solum parva, & minuta insecta sunt hominibus admirationi; verùm & bestijs grandioribus pleronque terrori; parvos mores grandiores elephantes timent, fugiúntque; leoni gallus gallinaceus terrorem dicitur incutere; ut Crocodilo Ichneumon; Asino Acanthis; bufoni araneus; natura in hisce bestijs exemplo fortiùs, quàm verbo nos edocet, cavendum esse etiam à parvis, quæ aliàs nobis viderentur esse contempni. 5.

6. Prægrandis est machina elephas; sed quamvis ad irruentes armatas phalangas stet intrepidus, neque volitantium nimbos expaveat sagittarum, ad unius tamen suis grunitum timore correptus fugit. Leo animi fortitudine, corporisque robore quamvis reliquis præferatur bestijs, dicitur tamen à minimo culice in Mesopotamia perterreri, ac vinci. Scarabæus nomine quidem grandis, sed exiguus corpore non timet contra aquilam pugnas inire, quam plerunque ad turpem fugam adigit. Imò non solùm parva animalia grandiora terrent, & vincunt, verùm etiam urbes, provincias, & regna evertunt, & pugnant; legimus enim æquè in sacris, ac profanis literis, ac historijs à minutis animalibus debellatas gentes.

7. Scimus, Ægyptios Israëlis populum sibi subjecisse, ad duros subeundos labores adegisse; sed quibus fuerunt Hebræi obsequuti, eos minutæ, & exiguæ bestiolæ prostrârunt: percusserat virgâ prodigiorum patratrix Moyses Nilum fluvium, qui cum in spissum sanguinem suas immutasset undas; ranarum inde emeserunt coaxantes exercitus totam Ægypti ditionem infestantes; protracta enim ranarum multitudo, coaxatione, saltu, ac sordibus loca omnia publica, & privata infecit, fœdavit; ne cubilibus quidem, lectorúmque recessibus exemptis. Ranis successerunt cyniphes, seu culices ex terræ arescentis producti pulvere suntque minutissima animalcula pennata, quæ in aëre simul coacervata, ac suspensa instar nubium totam obumbrârunt Ægyptum, & hàc illacque cum discurrerent cynifes molestissimi cunctis erant animalibus, & præsertim hominibus, quorum corpora aculeatis terebrantes stimulis, nares etiam, & aures pervadebant; imò & in oculos involabant. Cyniphes secutæ sunt muscæ omnis generis, quæ totam opplentes regionem, proboscide, maculis, morsu, & fœdo linctu inquinabant vestes, contaminabant

ter sunt: imò & omnis præcidenda previtatis occasio, præsertim à prevorum convictu, à fœminarum societate, colloquijsque: in bello proximam deditioni esse arcem, quæ expugnatur, ex eo milites conjiciunt, quie arcis obsidione vallatæ præfectus cum exercitus Archistratego incipit colloquie miscere. Non solùm à colloquio, verùm etiam ab aspectu sequioris sexus cavendum est; sunt enim oculi, ut censet Salvianus naturales quidam animi cuniculi; quemadmodum in obsidione civitatũ, quæ vel naturæ situ, vel artis beneficio munitissimæ sunt, ducto cuniculo ad propugnacula arcis fit resticula tormentarij compacta pulveris, quæ in lineam ducitur ad murorum fundamentum; & epplicito igne paularim flamma serpit innutrita exigui fomitis continuatione, donec in specum latè patentem, & copiosiorem meteriam perveniat, vastúmque erumpat in incendium, quo videmus ignem furere, & per apertos murorum hiatus libertatem quærere, sursúmque ascendere, mœnia solo æquari, & horrifico sonitu oppleri omnia, arcémque everti, aditúmque aperiri, per quem obsidentes captam urbem ingrediuntur: perinde egregiæ formæ pulchritudo per oculos veloti per animi cuniculos irrepens, si aspectus continuatione ut igneo fomite ardor mentem subeat, magnum inde eccendi concupiscentiæ incendium necesse est, quo virtutis arx subruitur, & castites cinefacta perit. Non igitur parva quæ pravitati præludunt sint nobis contemptui, sed caveamus, ne pereamus.

15. *Alban* animal referente post Albertum Magnum Holcotio lect. 75. in lib. Sapient. contra cæterorum ingenium quadrupedum fel dicitur in aure habere, cui propterea si adderetur lemma *Verba mihi sunt verbera*, typus foret eorũ, qui si verbe audient non bene sibi sonantia, alijs statim succensent, & quasi fel ipsis inesset auribus, verba singula sinistre, ac maligna corrumpunt interpretatione. Delicatę nimis sunt aures, quas verba, aures tantùm moventia, exulcetant.

16. *Aper*, ceu sus sylvestris irruens in gladios, & hastas hoc lemmate *Cædar non cedam*, virum prodit propriæ sententiæ tenecissimum, à qua nec latum unguem vult deflectere tametsi mala pleraque immineant; tales sunt hæretici, qui quam viam semel ingressi sunt, non ampliùs omittunt, remetsi ipsis error palam fiat.

17. *Aper* recurvis dentibus canes discerpens venaticos, seque ab eorumdem assultu defendens hac epigrephe *Dant animos hostes.* Virum fortem prodit bellica virtute clarum, cui martius ardor in conflictu stimulos addit, perque cruentas cædes ad triumphum sibi viam sternit.

18. *Archopitecus* à motûs tarditate nuncupatus, est animal longitudinem duorum pedum vix excedens, crassum tamen corpore, ec molli pilo vestitum; caput illi noctuæ haud dissimile, nares simiæ, oculi exiles, ventrem motu lentissimo per terram trahit; sed tutissimè procedit, nec unquam in quidquam offendit, quod ipsi damnum inferat cum lemmate *Quò tardius, eò tutius.* Hominem prodit cunctabundum circumspectum, ut tutius in rebus deliberandis procedat, qualis fuit Fabios Maximus, qui cunctando restituit Romanam rem.

19. *Armadillus*, seu Tatum terram fodicans, subiénsque hoc lemmate *Tutus si tectus*, refert eos in urbium obsidionibus milites, qui per subterraneos cuniculos urbes expugnant. Armadillus reste Nierembergio animal est Indicum cene Melitensi vix gremdius juxta Aldrovandum; caput, rostrum, oculi, ac pedes suos illi instar porcelli, sed toto corpore est squammis eleganter variatis, firmisque loricatum, ut equum referat in bello cataphractum. Animal est salax, & noctambulum, quod præduro, & acuminato rostro adeò velociter terram fodicat, ut per noctem unem milliare Hispanicum fodicando conficiat si Nierembergio credimus. Ventre candet, ac pelle molli operitur.

20. *Armadillus* exertâ linguâ, ac supinè procumbens formicas ceptaturus cum verbis *Acuit ingenia fames*, indicat famem docuisse homines industriam; ad hanc siquidem depellendam artes fuerunt adinventæ; & homines ijsdem dent operam, ut sibi consulant. Vafrum est animal Armadillus, magnáque arte cibos sibi comparat. Formicis inprimis dicitur delectari, quas vel exertà in earum nidos linguâ, vel supinè procumbens per oblongam caudam inserrem ori veluti per aptam currentium semitam ad fauces insidiosè deducit, ventrem lotio conspergens ne à cauda per hunc deflectant.

21. *Asinus sylvester* onager dictus animal notum diuturni laboris, ac inediæ hisce verbis *Jejuno ventre laborat*, virum prodit Apostolicum jejunijs abiumptum, ac laboribus detritum, ut gentibus inserviat, earúmque saluti studeat; qua ratione D. Paulus *2. ad Corinth. 11.* de se ipso scribit *In labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & siti, in jejunijs multis.* Adeo frequens est oneger in Thracie, ut pauperrimus quisque illo utetur; diutornos sustinet æquè labores, ac inædiem. Exiguis vivit impensia, ut folijs, paleis siligineis, perticis, corticibus fructuum, & præsertim carduis, & ferulis, quæ cæteris animalibus sunt venena.

22. *Asinus* lignorum strue onustus hisce verbis *Oneri, non honori*, prodit virum religiosum mortificationibus, ac laboribus addictum, sibique oblatas dignitates respuentem, eò qois onus subierit religionis, ut humilis Deo inserviret.

23. *Asinus* cum capra saltans, & flexis poplitibus salutans cum lemmate *Mitescunt rudia curis*, alludit ad homines agrestes, qui cura, & studio perpoliuntur, artésque liberales addiscunt; nullum est ingenium adeo obtusum, quod labore improbo non acuatur. Memoret Aldrovandus quorundam Asinorum docilitatem *lib. 1. de Quadrup. cap. 2.* præ cæteris, quòd Germanus Asinum cum capra saltantem, ac salutantem populos flexis poplitibus non exiguo lucro circumduxerit. Ad heri itidem nutum circulum ligneum trejecto corpore transilientem; & projectum ad terrem strophium ad suum deferentem Dominum. Refert asinum alium ita edoctum, ut ad ferendas puellas se promprum exhibuerit, sed cum vetulos ferret, morosè claudicârit; & alium in Africa se morruum simulâsse, ne lapides de-

deferret. Naupliensés in Peleponeso ab asino vitis palmites arrodente, quæ deinde multo feracior comperta est, putandarum vitium hauserunt artem. Asinus Ammonij adeo Scholarum, ac poëtices amans fuit, ut licèt esuriens neglecto cibo ad has disciplinas properaret. Photius itidem in vita Isidori refert, in oppido Pistoriensi asinum pro tribunali rudere auditum fuisse : verò mirabilius, quòd fuerit, qui asinos musicam docuerit; pluresque asinos ruditu gravi, tenuique, velut musicè diversos ad certos quosdam sonos, & librum musicum in pulpito apertum rudere coëgerit; unde harmonicus quidam ruditu um concentus audiretur. Studio pertinaci, improboque labore vel ipsa stoliditas mansuefit. Est asinus infelicissimum animal, typúsque stoliditatis, ac dedecoris, & nihilominus studio, ac labore acuitur ingenio.

Asinus Maurusius, cui initio cursus est ve-
24. locissimus, adeout volare potius, quàm currere videatur; sed sensim fervor tepescit, & celeritas in extremam degenerat tarditatem cum lemmate *Non respondent ultima primis* in eos cadit, qui primis sub initijs in quavis facultate, cui dant operam, toti feruescunt, sed statim incipiunt tepescere; unde si principia feruent, media tepent, & ultima frigent; & qui ita se gerunt nunquam ad solidam virtutem perveniunt, cui perseverantia est necessaria.

Asinus Sarracenorum cataphractus ad pu-
25. gnas instructus, & in bello fortis, ac strenuus hoc lemmate *forma extima fallit* ad eos alludit, qui cum exterius videantur rudes, & contemptibiles, præclarioribus tamen ornantur interius virtutibus, talis fuit Epictetus conditione servus, membris mutilus, paupertate Irus; is omnibus sui ævi præcelluit virtute. Plures habentur pro stolidis, & vilibus, qui intus clarissimarum virtutum fulgore collucent; quas licèt abscondant, suo tamen nitore in cæteros diffunduntur.

Asinus famelico dente arrodens vitis pal-
26. mites hoc hemistichio *nec pressa est gloria facti* indicat rerum inventores plomeritâ gloriâ non esse destituendos. Naupliensés in Peloponensi referente Pausania in Corinthiacis, cum animadvertissent vitem post arrosa sarmenta ab asino uberiores produxisse racemos, didicerunt vitis amputare palmites, & inde uberiorem habere spumantem vindemiam; quæ causa fuit cur grana racemi, asini, seu acini vocentur gratiâ suscepti beneficij. Non enim rerum inventores licèt inferioris plerumque sint notæ sua sunt gloria fraudandi. Hinc Aspasia, columbam, cujus ope sanata fuerat, jussit auro conflari, gemmisque ornari, & juxta Veneris simulachrum collocari.

Bisons Sylvestrium boum speciem refe-
27. rens incolit regiones præsertim Scithicas, & Lituanicas, aliásque finitimas, est illi lingua adeo scabritie aspera, ut si manum lingat venatoris, sanguinem eliciat, cui si addatur lemma *Angit quod lingit* linguam refert adulantem; hæc enim lingit cum lenocinantis facundiæ fucatis præstigijs eblanditur; sanguinem verò elicit ob illata damna.

Bisons captus à cibo, potúque abstinet, acri summa correptus tristitia humi decumbens languet, & nisi pristina donetur libertate, deficit, ac emoritur cum lemmate *Pereo ne pareum* virum prodit improbum, qui nulli vult subijci, nec parêre, & quem tristitia terquet si ab aliqua deijciatur dignitate. 29

Bisons torvis, ac ardentibus oculis, villisque toto corpore hirsutus cum epigraphe *villoso pectore fragrat*, hominem exhibet extima specie neglectum, ac contemptibilem, qui tamen summas redolet virtutes, quarum studio est unicè addictus. De Bisonte præsertim, qui in Lutuania repetitur, asserit Sutius, pilis contegi moschum redolentibus, oculisque amplioribus, torvisque quasi ardentibus terrorem excitate, ac timorem incutere, cum tamen grato odore alliciat, summéque placeat: plures habentur pro vilibus, nulliusque pretij, ac notæ, qui tamen clarissimarum virtutum suavem diffundunt odorem. 30

Bos vulgare, ac domesticum animal ad multa utilissimum præsertim labore, lacte, carne, pelle, ab Onuphrio Panuino fuit assumptus in symbolum. Is ut suaderet se paratum esse non solùm ad ubeunda pia Ordinis Religiosi, ac saterdotij munera; verùm etiam ad codices exarandos, ac literarum studia improbo continuanda labore curavit pingi bovem Aram inter, & aratrum, cui addidit lemma *In utrumque paratus*. Verùm quia bos neutri sæpe adhærescit, & utrumque refugit; ideo Marchio Sanctacrucius Archithalassus Philippi regis idem lemma fortassis exactius accommodavit Porphirioni, quæ est avis aqoatica, & terrestris, alterum pedem habens instar anseris patulum, & latum remigio aptum; alterum rectum instar cæterarum terrestrium avium; innuitque hoc symbolo se paratum ad bellum æquè in terrestri exercitu, ac in classe maritima.

Bos senio confectus lento gradu obambu- 31
lans cum Gallica Epigraphe *Pas à pas* fuit symbolum quod assumpsit Renatus Siciliæ Rex, ut indicaret se grandi mole consiliorum nec cunctabundum esse, nec admodum celerem; sed lente ac tutè meditari, quæ ipsi erant profutura. Cito is censetur agere, qui bene absoluit quod inceperat; hinc vulgo dicitur *fat cito, si fat bene*: & Cæsar Augustus referente Fulgosio lib. 8. cap. 2. ajebat; *illud semper cito factum posse dici, quod cum factum esset bene haberet.*

Bos in fœni exsculto agro non procul ab a- 32
ratro depascens gramina cum hemistichio *Augetque refectio vires* illos exhibet homines laboribus assuetos, ac studijs, quibus plurimum mentem defatigant, ac spiritus absumunt; ni enim reficiantur, necesse est deficiant; & post refectionem vegetiores suscepta protrahunt studia. Boves labori nati, & assueti deficerent nisi crebro reficerentur. Hi pascua, & pabula lingua scabra carpentes per quatuor quasi ventriculos, contiguos digerunt; nimirum per *Rumen*, in quo cibum mandunt, & remandunt: *Reticulum*, in quo retentus magis incidicur, *Echinum*, in quo magis conficitur & inde confectua traijcitur in omasum, in quo demum transit in humorem lacteum. Bos mas ro-

robore, & magnitudine cæteris præcellit armentis, cujus virtus potissimum consistit in cervice, & pectore, quibus onera trahit: præstant boves cornuti pedibus non displosi, neque unguibus divaricati, sub gutture palearia ad genua usque gestantes, & gibbere in dorso spectabiles; & si producto muscario contra fucos, vespas, muscas, aliáque insecta aculeata sint muniti.

33 *Bos* bene vegetus, cujus cornua capite recurvo sint dextro pedi anteriori alligata cum Epicteti monito *Sustine, & Abstine*, virum exhibet prudentia, & patientia insignem, qui molestijs affectus se abstinet à querelis, & patienter sustinet.

34 *Boves* duo sub eodem jugo trahentes aratrum cum lemmate *Concordi motu* referunt utrumque conjugem marem, & fœminam; ut enim res domestica rectè agatur, debent unanimi consensu, & affectu junctis viribus commoda gnatorum promovere.

35 *Boves* sub eodem jugo, hac epigraphe *Fuste & jugo* monent parentes, quomodo filios detrectantes studijs incumbere virtutum, debeant ad eadem duris adigere. Ut etiam quomodo princeps in subditos rebellantes, ac duræ cervicis debeat se gerere. Idque monuit D. Paulus ad Tit. 1. inquiens: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè.* In quem textum scribit Anselmus: *Increpa illos, non molliter, ut solet, sed durè, & dura eorum corda penetret increpatio tua.*

36 *Bos Neuricus* juxta Ælianum lib. 5. Animal. cap. 27. cornua habens in humeris cum blando sit aspectu hoc lemmate *oblique ferit* eos exhibet Aulicos, qui blandis oculis, serena fronte, ac lenocinantibus obsequijs eblandiuntur alijs, quos, si absint, convicijs, contumelijs, alijsque probris inficiunt, ac lacerant. Hi cornua dicuntur habere in humeris, cum non recta fronte invadant, sed à tergo lethaliùs feriant alienam carpentes famam, denigrantes honorem.

37 *Camelus* suscepto onere sarcinario surgens de genu cum lemmate *Nil supra vires* symbolum est viri prudentis non suscipientis munia, neque negotia propriam excedentia capacitatem; neque labores, ad quos ei non suppetant vires. Est camelus animal equo major, oblongo, gracilique collo, in medio dorsi gibbosum; dum procumbens onera excipit genu innititur, cùm vero onus suis par viribus suscepit, assurgit nec quidquam patitur oneris supra proprias vires.

38 *Camelus* humi procumbens, ac merces pretiosas juxta se habens hoc lemmate *se flectit ut accipiat* illos redarguit, quorum pectora ambitio pulsat; falsis enim, fucatisque obsequijs alios prosequuntur, à quibus ad concupitas dignitates sperant promoveri, quas si semel fuerint consequuti, surgunt ipsi, & corruunt obsequia.

39 *Camelus* altero pede quatiens, ac perturbans aquas, quas bibiturus est cum lemmate, *Turbas ciere voluptas*; scilicet volupe est viro inquieto, ac turbido tumultus in populo excitare; tricásque inter amicitia, vel sanguine junctos.

40 Canis providâ linguâ vulnus sibi inflictum lambens addita epigraphe *Ni lingat languet* sacrum prodit oratorem è suggestu eloquentiâ populorum vulnera, seu contracta vitia redarguentem; ut ab ijsdem illos avocet. Virum etiam indicat mœrore confectis spiritualibus monitis levamen afferentem.

41 Canis pecuarius pascenti ovium gregi advigilans hac epigraphe *pervigil, & custos* optimi Episcopi est symbolum.

42 Canis pecuarius binos lupos ab ovium grege fugans hoc lemmate *custodit, & arcet* congruit Episcopo tuenti concreditam sibi Ecclesiam; & ab eadem fures, seu heriticos quàm studiosissimè arcenti.

43 Canis excubitor ad templi fores invigilans hoc hemistichio *Vigiles pro Numine curæ* cadit in quemlibet prælatum Ecclesiasticum, labore, & vigilantia proprio fungentem officio, ut tutè quiescant subditi; de quo asseri potest quod de Octaviano Imperatore Seneca lib. de Brevit. vitæ. *Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationum illius occupatio.*

44 Canis Ægyptius Nili latices pleno lambens in cursu sedandæ siti circa discrimen, hac epigraphe *Tutè si cautè* ijs congruit, qui sibi prudenter cum vitæ pericula imminent prospiciunt: neque se honestis immergunt voluptatibus; sed leniter duntaxat eas libant. Ægyptij canes sagacissimi sunt. Nam cum Crocodilos in Nilo degentes timeant; tametsi attrahantur siti ad bibendum; non tamen sibi, Nilóque fidunt: verentes enim, ne quid eorum, quæ infra aquam degunt, foras emineat, ipsosque obtorta gula de ripa in altitudinem abripiat, non inclinatione corporis abjecta incumbunt ad bibendum; sed, ut refert Ælianus *lib. 6. cap. 53. de animalibus* ut primum ad ripam accesserint, festinanter, & in cursu lingua lambentes rapiunt, ac tutè hac cautione sibi consulunt.

45 Canis venaticus feram fugientem odoratu explorans cum lemmate *Insequar donec assequar* Virum prodit solertem ab incœpto instituto non desistente, donec, quem finem sibi præstituit consequatur.

46 *Canis* raptas sibi ab alijs carnes, quas ad herum deferre ex laniena consueverat vorans cum lemmate *Ne totum perdam* eos indicat, qui præpotentibus ita cedunt, ut aliquam inde hauriant propriam utilitatem se necessitati accommodantes cum eo majori commodo, quod possunt inde percipere. Ferunt quendam ab hero ita fuisse canem edoctum, ut quoties hero liberet in deferendis ex laniena carnibus fidi, ac instructi canis operâ uteretur: unde quoties rei familiaris, vel convictorum usus, ac necessitas expostulabat, canis ad heri nutum prehensa dentibus corbe cum numerata pecunia publicā petebat lanienam, cui statim obviebat lanius, qui ex injecta in corbem pecunia conijciens quot herus exposceret carnium pondera, comu-

desertet. Nauplienses in Peleponeso ab asino vitis palmites arrodente, quæ deinde multo feracior comperta est, putandarum vithium hauserunt artem. Asinus Ammonij adeo Scholerum, ac poëtices amans fuit, ut licét esuriens neglecto cibo ad has disciplinas properaret. Photius itidem in vita Isidori refert, in oppido Pictoriensi asinum pro tribunali rodere auditum fuisse: verò mirabilius, quòd fuerit, qui asinos musicam docuerit; pluresque asinos ruditu gravi, tenuique, velut musicè diversos ad certos quosdem sonos, & librum musicum in pulpito apertum rudere coëgerit; unde harmonicus quidam ruditum concentus audiretur. Studio pertinaci, improboque labore vel ipse stoliditas mansuefit. Est esinus infelicissimum animel, typúsque stoliditatis, ac dedecoris, & nihilominus studio, ac labore acuitur ingenio.

Asinus Maurusius, cui initio cursus est ve-
24. locissimus, adeout volare potius, quàm currere videatur; sed sensim fetuor tepescit, & celeritas in extremam degenerat tarditatem cum lemmate *Non respondent ultima primis* in eos cadit, qui primis sub initijs in quavis facultate, cui dant operum, toti feruescunt, sed statim incipiunt tepescere; unde si principia feruent, media tepent, & ultima frigent; & qui ite se gerunt nunquam ad solidam virtutem perveniunt, cui perseverantia est necessaria.

Asinus Sarracororum cetaphractus ad pu-
25. gnes instructus, & in bello fortis, ac strennus hoc lemmate *forma extima fallit* ad eos alludit, qui cum exterius videantur rudes, & contemptibiles, præclarioribus tamen ornantur interius virtutibus, talis fuit Epictetus conditione servus, membris mutilus, paupertate Irus; is omnibus sui ævi præcelluit virtute. Plures habentur pro stolidis, & vilibus, qui intus clarissimarum virtutum fulgore collucent; quas licèt abscondant, suo tamen nitore in cæteros diffunduntur.

Asinus femelico dente arrodens vitis pal-
26. mites hoc hemistichio *nec pressa est gloria facti* indicat rerum inventores promeritia gloriâ non esse destituendos. Nauplienses in Peloponensi referente Pausania in Corinthiacis, cum animadvertissent vitem post arrosa sarmenta eb asino uberiores produxisse racemos, didicerunt vitis amputare palmites, & inde uberiorem habere spumantem vindemiem; quæ causa fuit cur grana recemi, asini, seu acini vocentur gratiâ suscepti beneficij. Non enim rerum inventores licèt inferiotis plerumque sint notæ sua sunt glorie freudandi. Hinc Aspasia, columbam, cujus ope sanata fuerat, jussit auro conflari, gemmisque ornari, & juxte Veneris simulachrum collocari.

Bisons Sylvestrium boum speciem refe-
27. rens incolit regiones præsertim Scithicas, & Lituanicas, aliásque finitimas, est illi lingua edeo scabritie aspera, ut si mauum lingat venatoris, sanguinem eliciet, cui si eddatur lemma *Angit quod lingit* linguam refert adulantem; hæc enim lingit cum lenocinantis facundiæ fucatis præstigijs eblanditur; sanguinem verè elicit ob illata damna.

Bisons captus à cibo, potúque ebstinet, ac 28
summa correptus tristitia humi decumbens languet, & nisi pristina donetur libertate, deficit, ac emoritur cum lemmete *Pereo ne paream* virum prodit improbum, qui nulli vult subijci, nec parêre, & quem tristitia terquet si ab ali-
que deijciatur dignitate. 29.

Bisons torvis, ec erdentibus oculis, villisque toto corpore hirsutus cum epigraphe *villoso pectore fragrat*, hominem exhibet extima specie neglectum, ac contemptibilem, qui tamen summas redolet virtutes, quarum studio est unicè addictus. De Bisonte præsertim, qui in Lutuania reperitur, asserit Surius, pilis contegi moschum redolentibus, otulísque empliori bus, torvisque quasi ardentibus terrorem excitare, ec timorem incutere, cum tamen grato odore alliciat, summéque placeet: plures hebentur pro vilibus, nulliusque pretij, ac notæ, qui tamen clerissimarum virtutum suavem diffunduni odorem. 30.

Bos vulgare, ac domesticum animal ad multe utilissimum præsertim labore, lacte, carne, pelle, ab Onuphrio Pantino fuit assumptus in symbolum. Is ut suaderet se paratum esse non solùm ad ubeunda pia Ordinis Religiosi, ac sacerdotij munera; verùm etiam ed codices exarandos, ec literarum studia improbo continuanda labore curavit pingi bovem Aram inter, & aratrum, cui eddidit lemma *In utrumque paratus*. Verùm quie bos neutri sæpe adhæresc1t, & utrumque refugit; ideo Marchio Sanctacrucius Archithalassus Philippi regis idem lemme fortassis exactius accommodavit Porphirioni, quæ est avis aquetite, & terrestris, alterum pedem habens instar anseris patulum, & latum remigio eptum; alterum rectum instar cæterarum terrestrium evium; innuitque hoc symbolo se paratum ad bellum æquè in terrestri exercitu, ac in classe maritima.

Bos fenio confectus lento gredu obambu- 31.
lans cum Gallice Epigraphe *Pas à pas* fuit symbolum quod assumpsit Renatus Siciliæ Rex, ut indicaret se grandi mole consiliorum nec cunctabundum esse, nec edmodum celerem; sed lente ac tutè meditari, quæ ipsi erant profutura. Cito is censetur agere, qui bene absoluit quod inceperat; hinc vulgo dicitur *sat cito, si sat bene*: & Cæsar Augustus referente Fulgosio lib. 8. cap. 2. ajebat; *illud semper cito factum posse dici, quod cum factum esset bene haberet.*

Bos in semi exculto agro non procul ab e- 32.
ratro depascens gramina cum hemistichio *Augetque refectio vires* illos exhibet homines laboribus assuetos, ac studijs, quibus plurimum mentem defatigant, ec spiritus absumunt; ni enim reficiantur, necesse est deficiant; & post refectionem vegetiores suscepte protrahunt studia. Boves laburi nati, & assueti deficerent nisi crebro reficerentur. Hi pascua, & pabula lingua scabra carpentes per quatuor quasi ventriculos, contiguos digerunt; nimirum per *Rumen*, in quo cibum mandunt, & remandunt: *Reticulum*, in quo retentus megis inciditur, *Echinum*, in quo megis conficitur & inde confectus trajcitur in omasum, In quo demum transit in humorem lacteum. Bos mas

ro.

robore, & magnitudine cæteris præcellit armentis, cujus virtus potissimum consistit in cervice, & pectore, quibus onera trahit: præstant boves cornuti pedibus non dissplosis, neque unguibus divaricati, sub gutture palearia ad genua usque gestantes, & gibbere in dorso spectabiles; & si producto muscario contra fucos, vespas, muscas, aliáque insecta aculeata sint muniti.

33 *Bos* bene vegetus, cujus cornua capite recurvo sint dextro pedi anteriori alligata cum Epicteti monito *Sustine, & Abstine*, virum exhibet prudentia, & patientia insignem, qui molestijs affectus se abstinet à querelis, & patienter sustinet.

Boves duo sub eodem jugo trahentes aratrum cum lemmate *Concordi motu* referunt u-
34 trumque conjugem marem, & fœminam; ut enim res domestica rectè agatur, debeot unanimi consensu, & affectu junctis viribus commoda gnatorum promovere.

35 *Boves* sub eodem jugo, hac epigraphe *Fuste & juge* monent parentes, quomodo filios detrectantes studijs incumbere virtutum, debeant ad eadem duris adigere. Ut etiam quomodo princeps in subditos rebellantes, ac duræ cervicis debeat se gerere. Idque monuit D. Paulus ad Tit. 1. inquiens: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè.* In quem textum scribit Anselmus: *Increpa illos, non molliter, ut solet, sed durè, & dura eorum corda penetret increpatio tua.*

Bos Neuricus juxta Ælianum lib. 5. Ani-
36 mal. cap. 27. cornua habens in humeris cum blando sit aspectu hoc lemmate *oblique ferit* eos exhibet Aulicos, qui blandis uculis, serena fronte, ac lenocinantibus obsequijs eblandiuntur alijs, quos, si absint, convicijs, contumelijs, alijsque probris inficiunt, ac lacerant. Hi cornua dicunrur habere in humeris, cum non recta fronte invadant, sed à tergo lethaliùs feriant alienam carpentes famam, denigrantes honorem.

Camelus suscepto onere sarcinario sur-
37 gens de genu cum lemmate *Nil supra vires* symbolum est viri prudentis non suscipientis munia, neque negotia propriam excedentia capacitatem; neque labores, ad quos ei non suppetant vires. Est camelus animal equo major, oblongo, gracilique collo, in medio dorsi gibbosum; dum procumbens onera excipit genu innititur, cùm vero onus suis par viribus suscepit, assurgit nec quidquam patitur oneris supra proprias vires.

38 *Camelus* humi procumbens, ac merces pretiosas juxta se habens hoc lemmate *se flectit ut accipiat* illos redarguit, quorum pectora ambirio pulsat; falsis enim, fucatisque obsequijs alios prosequuntur, à quibus ad concupitas dignitates sperant promoveri, quas si semel fuerint consequuti, surgunt ipsi, & corruunt obsequia.

Camelus altero pede quatiens, ac pertur-
39 bans aquas, quas bibiturus est cum lemmate, *Turbas ciere voluptas*; scilicet volupe est viro inquieto, ac turbido tumultus in populo excitare; tricásque inter amicitia, vel sanguine junctos. 40

Canis providâ linguâ vulnus sibi inflictum lambens addita epigraphe *Ni lingat languet* sacrum prodit oratorem è suggestu eloquentiâ populorum vulnera, seu contracta vitia redarguentem; ut ab ijsdem illos avocet. Virum etiam indicat mœrore confectis spiritualibus monitis levamen afferentem.

Canis pecuarius pascenti ovium gregi advigilans hac epigraphe *pervigil, & custos* optimi Episcopi est symbolum. 41

Canis pecuarius binos lupos ab ovium grege fugans hoc lemmate *custodit, & arcet* congruit Episcopo tuenti concreditam sibi Ecclesiam; & ab eadem fures, seu hæriticos quàm studiosissimè arcenti. 42

Canis excubitor ad templi fores invigilans hoc hemistichio *Vigiles pro Numine curæ* cadit in quemlibet prælatum Ecclesiasticum, labore, & vigilantia proprio fungentem officio, ut tutè quiescant subditi; de quo asseri potest quod de Octaviano Imperatore Seneca lib. de Brevit. vitæ, *Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.* 43

Canis Ægyptius Nili latices pleno lambens in cursu sedandæ siti citra discrimen, hac epigraphe *Tutè si cautè* ijs congruit, qui sibi prudenter cum vitæ pericula imminent prospiciunt: neque se honestis immergunt voluptatibus; sed leniter duntaxat eas libant. Ægyptij canes sagacissimi sunt. Nam cum Crocodilos in Nilo degentes timeant; tamestsi attrahantur siti ad bibendum; non tamen sibi, Nilóque fidunt: verentes enim, ne quid eorum, quæ infra aquam degunt, foras emineat, ipsosque obtorta gula de ripa in altitudinem abripiat, non inclinatione corporis abjecta incumbunt ad bibendum; sed, ut refert Ælianus *lib. 6. cap. 53. de animalibus* ut primum ad ripam accesserint, festinanter, & in cursu lingua lambentes rapiunt, ac tutè hac cautione sibi consulunt. 44

Canis venaticus fetam fugientem odoratu explorans cum lemmate *Insequar donec assequar* Virum prodit solertem ab incœpto instituto non desistente, donec, quem finem sibi præstituit consequatur. 45

46 *Canis* raptas sibi ab alijs carnes, quas ad herum deferre ex laniena consueverat votans cum lemmate *Ne totum perdam* eos indicat, qui præpotentibus ita cedunt, ut aliquam inde hauriant propriam utilitatem se necessitati accommodantes cum eo majori commodo, quod possunt inde percipere. Ferunt quendam ab hero ita fuisse canem edoctum, ut quoties hero liberet in deferendis ex laniena carnibus fidi, ac instructi canis operâ uteretur: unde quoties rei familiaris, vel convictorum usus, ac necessitas expostulabat, canis ad heri nutum prehensa dentibus corbe cum numerata pecunia publicā petebat lanienam, cui statim obviebat lanius, qui ex injecta in corbem pecunia conjiciens quot herus exposceret carnium pondera, comu-

 ta

ratione facta pretij cum carnibus has cæsas cani concredere consueverat heri suo trasportandas. Contigit, ut in itinere plures alij canes viribus longè valentiores grato illecti carnium odore bajulo negotium facesserint: hic verò sui officij haud immemor, herique suo fidissimus cæpit insidiantibus frendere, exertisque minari dentibus, ut eos à se & corbe arceret: verùm hostibus acriùs urgentibus; nec illis abigendis, carnibúsque tutandis sufficeret, viribus longè impar cum primum agredientem mordere nititur, alius è lapsa in humum corbe carnes extrahit, accurrunt alij, qui extractas carnes invaduut, distrahunt, vorant. Bajulus raptas sibi concreditas carnes animo quidem tulit iniquo: sed cum meliora sperare non posset, nec sibi illatum resarcire damnum, necessitati ac præpotentibus cedens, seque alijs accommodans, irruit, & ipse in vorandas carnes, frustúmque è medio rapuit, quod tam avidè deglutijt, ut in vorandis carnibus nulli cederet ex prædonibus: mæstus postea cum corbe vacua ad suum revertitur herum, quia rem totam à tragœdiæ spectatoribus cum rescivisset dira raptoribus imprecatus, blandicijs bajulum sine carnibus, & pecunijs revertentem excepit.

47 Decet fidelitas servum erga herum; si enim ratione expertes animantes præceptorum disciplina, usuque, & assidua exercitatione ad id deveniunt, ut artem edocti fideliter teneant, exerceantque juxta heri vota, eáque perdiscant, quæ vix fieri posse credas: quanto magis homines ratione pollentes ad obsequia natos, ingenio ac exercitationis beneficio instructos decet fidelitas? præsertim in Deum, cujus cumulatur beneficijs, fulcitur ope, vivit spiritu? servo non succenseat herus si accepto, vel dato damno accesserit, dummodo culpa vacet. Ultra vires nemo adigitur, nec obligatur; quia ad id nil potest. Ex suscepta etiam pernicie si aliquid valeat quis haurire commodi, id non negligat, ne sibi desit. Satiùs cum minori incommodo, quæ obtingunt detrimenta subire: si potiores messis fructus grando protriverit, cujus impetum coercere humanum non est, superstitem messem licèt tenuem in horrea recondere nemo detrectat, qui sanæ est mentis.

48 Quòd si canum docile miramur ingenium, ac in sibi injuncto officio propitudinem, ac redarguimus asini ruditatem, ac inertiam unà cum stupiditate, non tamen hæc tanta est ut institutione corrigi non possit, plerumque & ipsi aselli insolita assuefactione ad peculiare aliquod pertrahuntur artificium, aut obsequium præstandum; ut & cætera animantia Non defuit Auceps qui corvi opera accipitris loco uteretur. Psittaci, & sturni ad humanam erudiuntur loquelam. Refert Cœlius Calcagninus Romæ Ascanio Cardinali fuisse psittacum dono datum, qui articulatim continuatis perpetuo verbis Apostolorum symbolum integrè pronuntiarit. Quidni? Lutra licèt amphibion videatur ab omni abhorrere institutione, fertur ita edocta, ut pisces sub aqua ut urinator venaretur, ac singulos captos suo deferret hero. Quid de equo dicendum, licèt ferus, ac metuendæ fortitudinis, fræno tamen, admotisque calcaribus assuetus, tam mansuetus, & tractabilis, & ad obsequia paratus redditur, ut non magis valeat homo se ad sessoris nutum componere. Ad pugnam si petitur cataphractum militem recipit, infracto in hostes animo insurgit, & quocunq; jubetur medium per hostium agmen, per medios ignes, per gladios, atque mortifera tela irruit.

Capra in salicero folia depascens salicum amaritie infecta cum lemmate *Mihi dulcescit amarum* symbolum Servatoris, de quo Sponsa in Cant. *Similis est dilectus meus capreæ;* ob nimiam siquidem charitatem, quâ dilexit nos amarissimum passionis calicem perinde hausit, ac dulcissimum nectar. 49

Capra editissimi montis prærupta juga conscendens cum lemmate *duro interrita clivo* in virum cadit fortem, quem nec labores frangunt, neque difficultates terrent; quia ut scitè Silius Italicus lib. 2. 50

Explorant adversa viros, perque aspera DURO
Nititur ad laudem virtus INTERRITA CLIVO

Capra olivæ lambens virescens germen hac epigraphe *officit officijs* in virum cadit assentatorem; qui cum principi in aula adulatur, est eidem impedimento, ne mores corrigat; fructúmque exhibeat boni operis. Marcus Varro Romanorum doctissimus ait, quòd si capra olivam primù germinantem tetigerit, sterilescit. 51

Capra in angustissimo ponte obvians alteri sternit huic transeunti dorsum cum lemmate *Cessisse juvat* cadit in virum prudentem, qui pericula imminentia declinaturus se alteri præpotenti nonnihil submittit. Memorat Plinius *lib. 9. c. 50.* capram angusto ponte occurrentem capræ, cum vertere se non possent, stravisse ingeniosè dorsum alteri transeunti; & hac arte utramque evasisse periculum. 52

Castor, seu fiber ripis incubans fluvij, hoc lemmate *Nec caro, nec piscis*, illos indicat ecclesiasticos, qui proprij veluti status obliti mores induunt sæcularium, quorum tantum consuetudine delectantur. Cadit etiam in eos, qui neutri parti ex duabus oppositis factionibus apertè adhærentes, cum utrique nituntur favere, ambiguum est, quam animo prosequantur. Est Castor corpore felis instar crinito, posteriore tamen caudâ perquam lata, ovali figura, adeout piscem referat: sicut pedibus à tergo anserinis animal natatile, ideóque amphibium: a pedibus anterioribus caninis ori cibum admovet, dentibus acutissimis, quibus radices, ac cortices arborum dissecat in cibum, quo vescitur; si quod animal mordicus apprehendit non dimittit, quin priùs sentiat ossium fragorem moratur in cavernis fluminis litori conterminis. 53

Catobleba solo halitu fugans cætera, quæ adsunt animalia cum lemmate *Ex ore venenum* eos denotat, qui convicijs, & calumnijs honori detrahunt cæterorum. Est detractio venenum inficiens etiam adstantes, si liberas dent detractoribus aures; qui proinde declinandi sunt ne noceant. Catobleba juxta Athenæum lib. 5. 54

cap.

cap. 15. & Ælianum lib. 7. cap. 5. est vitulo,
aut tauro haud dissimile, equinis ante frontem
jubis, dejecto in terram vultu mortiferis pas-
citur herbis; ideóque halitu; & respiratione
noxia reliquas fugat animantes; si occurrant,
aut irritetur erectis jubis, ac flammantibus ocu-
lis exhalatione tetra homines, & immenta ene-
cat.

55 *Cercopitheci* plures, seu caudati simij caudis
simul nexi, ac penduli è ramo præcelsæ arboris,
ac libramento se ad alteram fluvij ripam suc-
cessivè demittentes cum lemmate *Ope valent
mutua* illis congruit, qui in superandis difficul-
tatibus suppetias ab amicis expostulant. Vel
etiam pluribus unà confœderatis, qui ea valent
superare, quæ singuli per se seorsim non possent.
Cercopithecus simius est caudatus frequens in
utraque India: miro, ut refert Nierenbergius
lib. 9. c. 44. est ingenio, & agilitate. Mutuò
sibi opitulantur. Si fluvius seperandus sit, quia
aquas vitant, ex arborum littoralium ramis cau-
dâ se tenacissimè suspendunt, ac celerrimo quo-
dam libramento in alteram se se ripam traj-
ciunt; & si laxior fluvius fuerit, plures ex se
invicem, caudis, & capite nexi catenarim pen-
dent, quorum ultimus libratione quadam ad
oppositam ripæ partem connititur, cum ve-
lut per stratum pontem imbecilliores commi-
grant: postremò qui ab hac fluvij parte est, la-
xatur; & catenatim suspensi librantur in alte-
ram.

56 *Cervus* cornigero exutus fastu opacioris
abditum luci quærit. ubi lateat hac epigraphe
Petit avia inermis. Allusi olim hoc symbolo ad
virum equestrem, qui abdicata militia, quâ
per septemnium Imperatori Leopoldo I. inser-
vierat è castris ad claustrum secessit, è campo ad
57 cellam Carthusianorum, vitam acturus solita-
riam. Nutrit cervus ramosa cornua, quæ ta-
men cum in cute sint fixa quot annis verno tem-
pore excidunt, quo latet, & nonnisi in tene-
bris ad pabulum prodit.

58 *Cervi* plures longa serie vadum, seu flu-
vium, aut fretum trajicientes mutatis vicibus,
ut qui primus cæteros ducere cæperat, mox
defessus loco ultimi succedat, & supra alterius
dorsum caput proclinet, ne onus capitis sit
itineri obici hac epigraphe *Alter alterius.* Eos
designant spirituales cooperatores, qui in exer-
cendis charitatis officijs, ne jugi labore fran-
gantur sunt sibi per alternas vices levamini.
Cervi enim mutua opera flumen transnant, dum
fortiori prævio sequens inclinat caput; & huic
subsequens, idque longo ordine. Mutuum i-
tidem inter Christianos prodit auxilium, ut in-
dicat Augustinus *in Psal. 40.* inquiens *Cervi
quando natando alias terrarum partes petunt onera
capitum suorum super se invicem ponere dicuntur.
Nonne quosdam cervos alloquitur Apostolus dicens in-
vicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem
Christi.* Hinc Apostolus ait; *Alter alterius o-
nera portate.*

Cervus ad fontem currens anguium exu-
59 turus venena, cum lemmate: *Una salus* fuit phre-
noschema S. Caroli Borromæi, qui consueve-
rat sibi unicè in adversis mederi aquas scilicet
hauriendo de fontibus Salvatoris: Cervi ser-
pentes insectantur, ac devorant; quos etiam
solo narium spiritu è cavernis pretrahunt: ubi
his impleti, frigidis se se aquis collotenus im-
merguns, priusquam bibant, dum venenum
per oculos extillent. 60

Cervus telo saucius, curréns que per avia
quæsiturus dictamnum herbam cum epigraphe
Hæret ubique dolor, hominem prodit peccati vul-
nere confossum; & quem mala conscientia u-
bique locorum torquet; donec per sacramen-
tum pœnitentiæ haustum peccati evomat ve-
nenum. Cervus vulneratus jaculis dictamno
herba sibi medetur; sagitis cute infixis etiam
excidentibus post hujus esum. 61

Cervus pluribus confossus sagitis, & come-
dens dictamnum herbam hoc lemmate *dat par-
ta salutem* symbolum est divinæ gratiæ, quà pec-
cator respiscit, & à peccatorum vulneribus
sanatur. 62

Cervus, cujus collo insidens aquila alarum
remigio pulveres in ejusdem oculos injicit; &
excæcatum præcipitem excelsa agit è rupe, hac e-
pigraphe *pulvis, & umbra.* hoc est injectus in o-
culos pulvis; & excæcatio meæ sunt causa necis,
cadítque in hominem flocci facientem peccata
levia, quæ ad graviora viam emolliunt, ape-
riúntque ad interitum. Cum Aquila insidia-
tur cervo collecto in alis pulvere capiti inhæret,
hocque in oculos concussis alis everberato per
rupes in præcipitia agit. Tartareus hostis pul-
veres levium culparum primùm objicit, ut sint
contemptui; deinde ad graviores allicit. 63

Chamæleon versicolor hiante ore, quo ae-
rem, ex quo dicitur vivere, haurit hac epigraphe
Vescitur aurâ, hominem prodit vanum, cujus pe-
ctus ambitio pulsat, & mentem implet inanis
cogitatio: non enim aliud est honor, in quem
fertur ambitio, quàm popularis aura: nec a-
liud sceptra, & diademata, quibus inhiat, quam
fulgida vincula, quæ capiti libertatem adimunt;
quod enim licuit conditioni vulgari, dedecet
principem: minor enim licentia in majore con-
stitutis dignitate: quo altior fuerit ambitiosus,
eò clariora ejus vitia apparent, quæ singulis
fiunt conspicua. Non latet, qui in fastigio eminet. 64

Chamæleon versicolor quoslibet ex conta-
ctu vicinorum corporum contrahens colores
cum lemmate *Formam induit omnem*, cadit in Au-
licum adulatorem. Ait Plinius lib. 28. cap. 8.
Chamæleon in Africa, Indiáque rectis cruribus,
suillo rostro, corpore aspero pisci haud dissimi-
li, oblongâ sensimque attenuata, sed viperinis
orbibus implicatâ caudâ, aduncis unguibus,
motu testudineo, oculis cavis, & prægrandi-
bus, hiante semper ore, quo aerem, ex quo
solo vivit, captat, lacertæ magnitudine: colorem
quemlibet ex contactu vicinorum trahit corpo-
rum. Quod proprium est adulatoris, fucatis
assentationibus se omnibus, qui adsunt accom-
modare. *Laudator* ijsdem literis anagramma-
ticè est *Adulator*: sed non amator, quia non te,
sed tua quærit. In Aula pauci sunt principis
monitores, qui veræ moneant, sed plures adu-
latores, qui male nocent, omnia approbantes,
omnia laudantes utilitatis causa, quos propte-
rea Seneca vocat *artifices ad captandos superio-
res*: vera est parœmia, qua Adulationis unctio
esse

esse dicitur donorum emunctio: est adulatio aulica meretrix, cujus blanditijs opes principis evertuntur.

65 *Chamæleon* hiante ore aërem hauriens, quo vivat hac epigraphe *ventus est vita mea* deprompta ex cap. 7. Jobi denotat inanitatem, ac brevitatem fluentis nostræ vitæ.

66 *Chamæleontes* plures hiante ore flantem ad favonium cum verbis Apostoli ad Galat. 5. *Spiritu vivimus* justus, ac pientissimos indicant viros, quibus vita supernaturalis est divini Spiritus gratia.

Cuniculus Porcis propugnaculum suffodiens hoc hemistichin *Monstrans hostibus ire vias* in hominem cadit proditorem docentem hostes modum occupandi arcem. Cuniculi ex leporum genere timidissimi, ac fœcundissimi sunt. Terram suffodiunt; neque à cavernis (quas foris plerumque ut lateant, claudunt) nisi viverris animaculis longè minoribus; sed infestis intro submissis extrahuntur. De cuniculo ait Martialis lib. 13.

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris
Monstravit tacitas hostibus ire vias

67 *Cuniculus* ex suffosa cavernula egrediens dum Viverra in eandem ex parte altera ingredicur hac epigraphe *Nullibi tuta quies* designat mundi, hostis tartarei, ac carnis insidias, quibus in quovis loco premimur, adeout nullibi tuti simus ab eorundem assultu. Est viverra animalculum exiguum ex genere mustelatum, quo venatores utuntur ad cuniculos ex antris expellendos. Plinius lib. 8. cap. 55. loquens de cuniculis ait: Magna propter vesatum eorum viverris gratia est: immittunt eas in specus, qui sunt multifores: unde, & nomen animali: atque ita ejectos supernè capiunt.

68 *Cynacephalus* hominis corpus, & caninam habena faciem, stridorémque muria cum lemmate *Inficit quos inspicit* symbolum est calumniatoris; est enim natura calumniatoris, in crimen vocare omnia; nec ulla virtus est, quæ malignitatis dentes vitare possit. Est Cynacephalus simiæ crassioris instar, nisi quod canino sit capite, animal ferum, quod nunquam cicuratur; facilè exardet in iras; petulans est ut simia. Tempore æquinoctij cum dies æquam cum noctibua habent latitudinem, singulis horis interdiu, noctúque, veluti ad clepsydram dimensis mingunt, clamorémque edunt stridulum; quasi horologij fungantur vicibus. Interlunij tempore Mas à cibo abstinet, vultúmque terræ affixum tenet; & fœmina sanguinsm miogit. Nascentem rursus lunam avidè præstolatur, & applaudit exorienti, cum eadem luminis incrsmentum subit, & decrementum. Hac temporum distinguendorum gratia ab Ægyptijs olim sacerdotibus studiosè alebatur. Habetur autem Cynocephalus calumniatoris typus: canina siquidem facies rabiem significat dicacitatis; stridor muris obmurmurationem; & feritas intractabilis maledici exasperatum ingenium. Aliam Calumniæ longè elegantiorem picturam ex Apelle exhibet Lucianus. Speciem fœminæ refert, quæ sit compta vultu, efferam tamen rabiem præseferens; sinistrâ manu flammivomam agitat facem; dextrâ *Adolescentem* capillis prehensum, manúsque in cœlum intendentem; secum rapit. Anteit vir pallidus in speciem impurus, acie oculorum minimè hebete: cæterum ijs planè similis, qui sontico morbo contabuerunt: hinc facilè conijcias, hunc *Livorem* esse; ad dextram considet *quispiam* auribus prælungis insignis, quales Midæ esse ferunt, qui duabus mulierculis *Ignorantia*, & *suspicione* comitatus manum porrigit venienti Calumniæ: ornatrices quoque suas habet calumnia, insidias, ac fallaciam; à tergo verò *pœnitentiam*, quæ amictu lacero, capite demisso, oculis fletu turgidis, madidisque, procul venientem excipit *Veritatem*.

Cynocephalus emergentem ab horizonte 69
Lunam pleno orbe coruscam lætus suspiciens cum lemmate *Lumen de lumine* indicat, omne gratiæ lumen à Deo Patre luminum in nos derivari. Cynocephalus suum à luna luminis incrementum subit, & decrementum. 70

Cynocephalus defixo in humum vultu tristis toto interlunij tempore; pingenda esset luna quasi tota orbata lumine cum lemmate. *Variátque sub illa*; adumbrat hominem inconstantem nunc effusè lætum; nunc profundè mœstum. 71

Dama ex genere caprearum animal timidissimum venaticos canes per disrupta alpium juga celeri cursu, saltúque declinans: additis verbis *Tuta per ardua*, congruit puellæ insidias fugienti virorum per intimiores recessus; non semper timiditatem fuga prodit; imò virtus est vitium fugere; & nulla victoria clarior, quàm ex hac fuga.

Dama in præcelsæ rupis fastigio, in quod 72
nequeunt venatici canes conscendere hoc lemmate. *Dant excelsa salutem*: protectionem innuit, quâ Cælites opitulantur degentibus in valle lacrymarum mortalis vitæ: sive enim insidiæ parentur; sive adversa urgeant, sive hostes insequantur, nullibi munimen tutius, quàm ad cœlites, ac eorum patrocinium confugere.

Dantes animal apud Indos quadrupes crus 73
sibi arundine vulnerans crassiorem emissurum sanguinem ad valetudinem tuendam cum lemmate *Ex vulnere vita* posset accommodari S. Ignatio Loiolæ, cuj acceptum in crure vulnus in Pampelonensi propugnatione occasio fuit sectandi Christi, & sanctorum exempla. Est Dantes referente Nierembergio *l. 9. cap. 18. hist. natur.* Animal bove paulo minus, forma tamen capitis, & reliqui corporis non multum absimile, colore subrufo, cornua caprina habens in capite polita tamen, & nigra; pelle durissima est, ac pene impenetrabili, quâ proinde exsiccata pro lorica, aut scuto utuntur Indi. Ubi feram fossis excavatis interceperint, ex aquia fortissimè se tuetur, immissósque lacerat canes. Fertur, hoc animal phlsbotomiam illic homines edocuisse, cum inhabilem crassitiem positorum, crus interiùs arundine vulneratum aperit, missóque sanguine respirat, ut ex vulnere vitam hauriat.

Dasypus capræ oculos linguâ lambens, & 74
excæcans cum lemmate *Blanda dulcedine lædit* congruit fucatæ carnis voluptati, quæ per oscula, seu signa pacis bellum indicit, eò sævius, quò non corporis, sed nex intentatur animæ. Refert

fert

fert Nietembergius, Dasypodem reperiri apud Indos vertagi magnitudine, felina facie, corpore cinereo, maculoso, incredibili pernicitate; hoc tamen insolens, quòd linguâ cæterorum animalium oculos lingens excæcat, ac interimit. Subtrahe te à fucatis lenocinantium mulierū blanditijs, ne te ad interitum trahant. Fuge oscula si vulnera displicent, si cæcitas timetur; sunt oscula blandimenta voluptatis, quæ mentis oculos, invadunt, ne quæ mala imminent, videant; jure blanda & fucata voluptas fumo patitur; non solùm quia lacrymas provocet, quod præstat etiam fumus; sed quia mentis oculos excæcat, & intellectum è suo suggestu deturpat.

Dasypus præcelsâ insidens arbore, læto intuens vultu ad caulem ejusdem plerasque
75 actitas fetas enectā depascentes animalia cum lemmate: *Quod mihi hoc alijs* id est quod mihi paravi hoc alijs libenter impertio. Symbolum viri munifici, ac generosi congestas divitias cæteris impertientis.

Dasypus cervos, aprosque quos interemit, in unum congestit acervum cespitibus ob-
76 tectum: mox conscensâ arbore repetito ululatu feras ex finitimis accersit locis, quæ confestim ad paratum veniunt epulum, quo lautè vescuntur Dasypode in arbore sedente fronteque hilari spectante prandentes; hisce verò saturis accedit Dasypus, & reliquiis fruitur. Voluit natura vel in summa feritate perhumanam nos edocere liberalitatem, quæ viros principes, ac divitijs affluentes decet; est enim liberalitas hamus aureus, quo principes corda hominum expiscantur; dignum memoratu Ferdinandi II. Imperatoris effatum: *Si DEUS ajebat, alicubi in ditionibus meis aliquam auri, vel argenti fodinam aperiret, non opes aggregarem; sed quantum petere à me quispiam auderet honestè, tantundem libenter erogarem.*

Eale in Æthiopia fera bellica fortitudine clara; sola pugnans contra plures leones cum lemmate *Animis, & viribus.* Fuit symbolum quo allusit ad Ducem Bavariæ Maximilianum Emanuelem, eum in agro Strigoniensi pugnavit, & expugnavit Othomanas phalanges. Est Eale ex Plinio *lib. 8. cap. 21.* fera equo haud dissimilis colore nigro, aut fulvo, caudâ Elephantinâ, maxillis apri, cornibus taurinis cubito longioribus, ijsque mobilibus, quæ in pugna alternatim obijcit nunc recta, nunc obliqua, tanquam gladio, ac pugione decertans, adeout idea videatur pugilis ambidextri.

Elephas desecto cauli caducæ arboris innixus, & unà cum arbore in humum prolabens
77 hac epigraphe *Arte non Marte*: allusit hoc symbolo ad Albam regalem, Sighetum, Canischam, Agriam & plerasque alias in utraque Unghatia Arces expugnatu difficillimas, quæ ex fame ad extrema adactæ impediente Cæsaris milite ingressum, & egressum se ultro dederunt; adeout Leopoldus I. Imperator citra omnem sanguinis effusionem absque vi insignia propugnacula occupaverit arte potiùs, quàm marte. Nota est captura Elephantorum per arbores, in quibus decumbere solent, Serrâ jam pene sectas, ac semirutas, quibus cum Elephanti innituntur delabuntur cum ijsdem arboribus, neque ob ingentem corporis molem ampliùs surgunt. Est elephas mole ingens, cutem quernei corticis instar scabram, duràmque habet: nisi quod sub ventre sit mollior: pedes columnarum exhibent quandam speciem; aures sunt illi latè pendulæ; dentes habet binos prominentes sex nonnunquam, vel septem æquantes cubitos; proboscis est eidem illi ingens oblonga narium loco, eaque perinde ac manu utitur, omnia siquidem eadem apprehendit, dividit; adduci enim, ac protendi potest, & non tantùm homini, sed etiam trabi ferendæ par est: imò & ductando ad literas formandas calamo habilis: hac cibum attracto spiritu sustinet, patulóque, veluti scypho potum infusum excipit, & ori sub ortum proboscidis latenti admovet, ad sitim extinguendam. Est elephas docilis, pollens ingenio, cui si sermonem adderes, proximè accederet ad hominem.

Elephas uterum gestans adjecta epigraphe 78
Nascetur fuit symbolum Leonard. Loredani ducis Venetorum, ut indicaret rebus magnis festinationem plerumque noxiam esse. Feruntur, Elephantes priusquam suos edant in lucem fœtus hos integro biennio in utero fovere, ac perficere, quia voluerit natura nos edocere, res magnas nonnisi diuturno tempore perfici; & accellerationem plerumque esse improvidam; sat enim citò, si sat bene.

Elephas lilium promuscide gerens addita
epigrahe *Casta placent Magnis*, symbolum est 79 animi excelsi culturæ castitatis addicti, quique cœlo natus cœlestibus tantùm inhiat voluptatibus, repudiatis terrenis. Qualis sit Elephantis continentia in rebus venerem redolentibus ex ijs conijcitor, quæ refert Ælianus *lib. 7. de Animal. cap. 18.* Siquidem sunt Elephantes ab omni immoderata libidine castissimi: nunquam neque vi, aut protervè, nec nimis lascivè societatem veneris cum fœmina habent: sed tantùm generis successione carentes, liberis procreandis dant operam; complexúque venereo junguntur: neque id sanè plusquam semel in vita, & eo duntaxat tempore cum se iniri fœminæ patiuntur; ut autem eorum quisque uxorem impleverit, non eam ampliùs attingit: apertè porrò, ac palam in aliorum oculis, non coëunt, sed secedentes, aut se in arbores densas, ac frequentes occultant, aut in concavum locum, aut profundum ad occultandos eos idoneum, se abdunt. Nil in viro excelso castitate pulchrius; est enim pudicitia ut loquitur Tertullianus lib. de pudicitia: *Flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fundamentum sanctitatis.*

Elephas pernici cursu fugiens Indicum 80
murem lascivientem, ac venerem olentem cum lemmate *Fœdo me terret aspectu* virum adumbrat studio castitatis tuendæ insignem, cuj est horrori, vel ipsum libidinis nomen; ideóque fugit quotquot venereis indulgent, voluptatibus,

fuisse loqnutos, nunquam verò cohibuisse linguam. Animalia grandiora, quæ cæteris censentur prudentiora vix vocalia dixeris; aquilæ inter volucres, & Elephantes inter quadrupedes id nos edocent. Garrulitas vitium est mulierum, ac pusillorum.

Elephas saucius oleæ flore infixa corpori
91 tela excutiens hac epigraphe *Tuta medela*, cadit in venenata vitiorum tela, quæ beneficio sacramenti pœnitentiæ expelluntur; est pœnitentia, reconciliationis, pacisque nuncia Deum inter & hominem: hinc pulchrè Pacianus *epist. 1. ad Symphorianum. Pigeat peccare, sed pœnitere non pigeat; pudeat periclitari, sed non pudeat liberari: quis naufrago tabulam, ne evadat eripiet? quis sanandis vulneribus invidebit?*

Elephantes plures in fluvio nitente pleno
92 disco luna sordes in extima cute contractas pellucidis eluentes laticibus cum lemmate *Intus & Extra* produnt viros castitatis culturæ addictos, qui à sordibus quoque abhorrent exterioribus. Referunt Plinius lib. 8. cap. 1. & Ælianus lib. 13. c. 8. In Mauritaniæ nemoribus ad quendam amnem, cui nomen est Amilo, nitente luna greges elephantorum accedere, ibique se purificantes solenniter aqua conspergi; atque ita salutato sydere in sylvas reverti. Sunt enim Elephanti puritatis amatores, crebrisque indulgent lotionibus, ne extima sordescant cute. Ad id videtur allusisse Tibullus cùm cecinit.

Casta placent superis pura cum veste venite;
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Quòd si arduum videatur castitatis studium tot inter libidinis incentiva; occasionum
93 fugâ, sensuúmque custodiâ præmuniendus est hujus cultor virtutis, ut etiam Dei timore, ac sui reverentia: qui enim se ipsum non veretur, nec alios vereri poterit. Cæcitate satiùs castitas custoditur, quàm vigilantibus oculis; ut continens oculos contineat; ne invitus amet, quas incautè aspexit fœminas, fucata est mulieris pulchritudo, si larvam detegas non nisi fœditas tibi objicitur; si in flore lascivit juventus; autumnum expecta, & eidem proximam hyemem, florescentem frontem squalentes arabunt rugæ; mœsta nubes oculorum obduret lumina: dentium ebur scaber inficiet situs.

Echinus contra canum irruentium impetus semet in globum, quasi in vallum recipiens,
94 hostibúsque objectans aciem aculeorum, quibus undique munitur sua se virtute involvens cum epigraphe *Asperitate securior* exhibui olim hoc symbolum ut indicarem S. Cajetanum cilicio hispidum assultus omnes tartarei cerberi superâsse; irritósque ejus effecisse conatus.

Echinus uterum gestiens, remoránsque quos conceperat catulos in lucem edere, hac e-
95 pigraphe *Quò segnius, eò sævius* accommodatur peccatori procrastinanti resipiscentiam; quò enim plus differt peccata, quæ contraxit per sacram exhomologesim exuere, eò majus sibi damnum infert. Echinus aculeorum segete undique vallatus, ac obductus, cum catulos concepit, partum diu remoratur; ob stimulorum asperitatem acriores pertimescens Lucinæ dolores: sed quò segnius differt, eò gravioribus torquetur doloribus: fœtus enim adultior, & asperior acriùs maternam lancinat alvum: idque adamussim adumbrat hominem in peccatis versantem, ac protrahentem hexomologeseos sacramentum obrigescente inertia; majus enim subeunt mali incrementum.

Equus in caradromo, seu equarij domitus
palæstra ex domituræ formula se in gyros a- 96
gens, variéque discurrens, ac in sublime se porrigens, intra tamen definiti stadij terminos, quos nunquam prætergreditur addita epigraphe *Exilit haud transilit* in virum cadit ad regulam Eutrapeliæ se suósque mores componentem. Cum danda sit nonnunquam remissio animo, & assiduo labori, ac studio intermiscendum solatium aliquod; ideo aliquando necesse est indulgeamus hilaritati, seu animi relaxationi, quam actiones plures constituunt, ut suburbana secessio procul ab urbium tumultu; ambulatio per amœna pratorum vireta, vel litora reciprocantium maris fluctuum, aucupium, piscatio, vel etiam lusus honestate circumvestitus, jocique innoxij, ac urbanitates; à quibus omnis absit indecentia. Argumentum virtutis etiam ex minimis depromi solet: vultus enim, risus, incessus, flexus oculorum, qualis sit intus homo produnt. Honestatem debent hominis gestus, voces, aspectus redolere, ne quid molle sit in his, neque durum, ac rusticum. Virtus ab animo in corporis motus se diffundit; mediámque gaudet sedem occupare. Sunt quidam nimium severi, hominúmque osores, suis jugiter tenebris incubantes, suisque tetris cogitationibus inhærentes, à quibus hilaris sermo nunquam possit extorqueri. Suntque alij extremè oppositi, qui jocis assueti, lusibúsque dediti, nunquam rebus serijs dant operam, detinentúrque jugiter inter nugas: declinanda sunt ambo hæc extrema, ac temperandæ regulis Eutrapeliæ, certos fines intra limites honestatis præscribentibus, quos prætergredi nefas sit.

Equus cursor contendens cum alijs in sta-
dio de palma, stimulantibus utrinque ad latera 97
calcaribus, hac epigraphe *Dant animos plagæ* est Romæ symbolum Incitatorum in præclara Academia: & potest accommodari malis, quibus plerumque premimur; siquidem iisdem excitamur ad exercitia virtutis; concinnè Seneca lib. cur bonis viris mala contingant, ait: *Nolite obsecro vos expavescere ista, quæ Dij immortales, velut stimulos admovent animis. Calamitas virtutis occasio est.* Equus pro vario regionum ingenio major, minorve, celerior, vel tardior est. Magnos corpore, ac fortes parit, nutritque Frisia Germaniæ septentrionalis celebris regio. Ungaria alit minores, sed expeditiores ad cursum, & inediæ magis patientes. Arabici equi sunt cæterorum celerrimi, & nonnunquam continuato die, noctúque cursu pernicissimo centum conficiunt milliaria. Sarmatæ ad celerem profectionem equos tenui pabulo pridie suppeditato ad cursum paratissimos habent. Ex equis alij sunt cursores, alij desultorij, honorarij, veredi; alius dicitur

plaustrarius à plaustris trahendis, alius carrucarius, vel essedarius. Neque suis carent equi vitijs; hic enim est meticulosus, ille cespitator, alius calcitrosus, & contumax, vel succussor, anhelator, aut intractatus: omnibus tamen dant animos plagæ; perinde ac mala, quæ viris probis obtingunt uberiores excitant spiritus ad virtutum studia. Ex adversorum conflictu nascitur virtus, & quæ nos premunt acrioribus stimulis animum explorant, quem prospera corrumpunt: suaviùs olent, quæ dumetis circumseptæ hiante calice aperiuntur rosæ.

98. *Equus* meticulosus, pendulisque ante oculos è fronte pateris, quibus adimitur visus hac epigraphe *Umbris discutit umbras*, potest accommodari conversioni S. Pauli, qui dejectus ab equo timore perculsus per dies aliquot fuit visu destitutus; nimirum ait S. Augustinus serm. 35. de var. *Cæcus sanè factus est, ut interiore luce fulgeret. Exterior lux ad tempus subtracta est persecutori, ut redderetur prædicatori.*

99. *Equus* trimulus in equarij domitûs palestra, seu catadromo circuitionibus condocefactus addita Virgiliana Epigraphe 3. Georgic. *Dum faciles animi*, accommodatur probæ liberorum educationi, quà mores hauriunt, quibus assuescunt, adhærentque ad senium usque: unde institutio tenellæ ætatis nonnisi optimo, ac selectissimo committenda est moderatori; non tamen refert si is non fuerit senio confectus; nam ille abundè senex, quem cani mores vestiunt, & probitas ornat. Fax boni exempli pueris præferenda est, & ut monet Seneca consol ad Helviam cap. 16. *Multum dabit filio Pater, aut ejus institutor, etiamsi nihil dederit præter exemplum*: cæterum ea sunt potissimum ab adolescentibus discenda, quæ viris futura sunt usui.

100 *Equus* cataphractus ad bellum paratus cum Epigraphe Horatiana *l. 4. ode. 4. Est patrum virtus*, fuit Symbolum quo allusi ad Serenissimum Bavariæ Electorem Maximilianum Emanuelem; qui quasi bellicam virtutem, martiósque spiritus Maximiliani avi hauserit in primo juventæ flore in suppetias Cæsari suum per se duxit exercitum Viennam, quam à pertinaci Turcarum vindicavit obsidione. Latent in nobilissimo Bavaricæ Domus sanguine, quædam eminentioris virtutis semina, quæ in fructus jugiter adolescunt perennis gloriæ, ut non immerito cum Claudiano occinam *Quis venerabilior sanguis, quæ major origo*? Parentum sanguis ingenia ostendit posterorum: ait Horat. l. 4. ode. 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus.

101 *Equus* in domituræ arena actus in gyros hac Epigraphe *Discit parêre Magistro*, alludit ad laudatæ indolis juvenem, qui lubens præceptores audit, & prima doctrinæ elementa non per tædium, sed blanda hilaritate suaviter suscipit; cum facilitate paret, nihilque habet contumax, aut cervicosum; quique pius est erga parentes, bene affectus in Deum; & facilis ad bonas artes addiscendas. Dociles in primis sunt equi, parentque ad nutum sessoris, si is artem calluerit equitandi. Num enim peritus sit sessor, facilè deprehendit. Hinc Bucephalus post, quam Alexandrum peritè flectentem expertus esset; alium deinde sessorem non tulit: Regique consessuro genua etiam flectere doctus est; quin ubi inter medios hostes lethale vulnus excepisset, regem ante tutum exrulit, quàm succumberet; & Alexander in gratitudinis tesseram præter sepulchrum quod ei condidit urbem etiam ejus nomine excitavit. Habuit etiam Julius Cæsar equum velocissimum solius Cæsaris patientem: Cæterum est tanta equorũ docilitas, ut universus Sybaritanl exercitus equitatus ad symphoniæ cantum saltatione quadam choreas ducere videretur: & Ælianus lib. 16. cap. 23. refert Crotoniatas insignem de Sybaritis in Italia victoriam tulisse; eò quia illi tibijs ad saltus præludentes, eosdem dum pugnandum erat ad choreas converterint. Olaus mag. lib. 2. cap. 21. refert in Elandia Insula Maris Gothici parvos esse equos, singulari agilitate ad choreas, faltúsque ratissimos, etiam per angustos circulos, & facilè ad cætera exercitia dociles. Scaliger etiam exercit. 209. refert in Agyrta circumductum equum, qui posterioribus tantùm pedibus incederet & prioribus gesticularetur; in clunibus sedens, pelvim sustineret, vinúmque biberet; & alia id genus officia obiret. Da ferocientem equum, calcitronem, mordacem, cubitorem, ad omnes habenarum flexiones, conversionésque morosum, ac prorsus intractatum; si ad palum illum alligaverit equariæ domituræ magister, popysmate demulserit, in gyrum egerit; brevi usualem, condocefactum, facilem, tractabilem tibi restituet; & ita ad nutum flexilem, ut modò leviore, modò pleniore cursu laxis tum habenis incitatiore feratur, inde tolutarius molliter, inde gradarius, prout sessori magis placuerit incedat; tum sublultim, tum saltuatim; modò in gyrum se flectat, modò aperto curriculo fugæ se donet, & subito ex incitato cursu consistat, se se ad nutus sessoris componat.

Equus veredus in longè latéque diffusa 102
planitie ante hospitij fores frugem, avenámque comedens cum lemmate *Otior, ut ocyor*, idest me reficio, ut vegetior, ac fortior sim ad cursum: alludit ad necessariam animi, corporisque remissionem ab assiduo labore præsertim à studijs scientiarum; labor enim literarius nisi intermittatur plus obest, quàm prosit; quia ut vulgo dicitur arcus jugiter tensus frangitur: estque paræmia admonendis ijs apta, qui animum ad studia literarum intendunt, ut identidem susceptum remittant laborem, ne viribus fracti concidant. Ut diu quis studeat, immoderatiùs non studeat. Fragiles ne labascant vires, languéatque corpus cessandũ quandóque à ferijs est, dandúmque aliquid temporis ludicris, quæ sint defatigatæ menti levamini; quod enim alterna caret requie durabile non est, unde concinnè cecinit ille

Interpone tuis nonnunquam ludicra curis

Duplici ex causa putârim indulgendum esse identidem remissioni animi: prima est ne studium

dium literarum, licèt suavissimum nauseam pariat, & stomachum moveat; quia ut scitè Sapiens monet Proverb. 25. 26. *Mel invenisti comede quod sufficit tibi, ne satiatus evomas illud*: periculum hujus fastidij eò majus est in studijs, quàm melle, quia suavitas studiorum plurimum secum laboris trahit; laboris autem condimentum est remissio, quæ si ritè adhibeatur, acrior fit ad studia reditus. Secunda est tuendæ valetudinis causa, viriúmque tum corporis, tum animi conservatio; ut enim monuit Lucianus *lib. 1. ver. histor.* homines literarum studijs dediti vegetiores, robustioresque erunt, si Athletarum more aliquid sumpserint laxamenti. Labores diluant studiosi honestis oblectamentis, quia ut scitè monet Seneca in Procem. lib. controv. *Excitatur otio vigor & omnis tristitia, quæ continuatione pertinacis studij adducitur, feriarum hilaritate discutitur.*

103 *Equus* cataphractus irruens in varia armorum genera addito lemmate *Animis, & viribus*, Strategum adumbrat martia virtute clarum, ducentemque exercitum ad pugnam fortiter pugnandam, quæ non tam animos exigit, quàm vires. Si committendi prælij fuerit signum datum, procúlque armorum horror visus fuerit ingruere, campósque oppleverint armatorum phalanges, buccinæque clangoribus repetitis personuerint, moræ impatiens bello assuetus equus in prælia furens, præcepsque fertur, micat auribus, fulgurat oculis, totúsque artubus tremit, ac compressum intus ignem naribus efflat multiplici hinnitu, horrendóque tremitu omnia replens, quatítque humum personantibus ungulis, videtúrque toto corpore cædes spargere, palmásque colligere sessori exhibendas; si equus tamen Sejanus non fuerit: fuit Sejanus equus non tam mole corporis singularis, quàm agilitate ad omnia paratus: sed infelicissimos semper Dominos habuit, ut in adagium infelicis abierit *Sejanum possidere equum*. nam Sejus à Marco Antonio Trium viro extremo supplicio affectus fuit; illum postea emit Dolabella; sed hunc contra Cassium pugnantem victum destituit: Cassius equi mox possessor ab Antonio victus cruentas sibi manus intulit: demum Antonius qui equum abstulerat, ab Augusto victus simili mortis genere occubuit.

104 *Equus* ad solam virgæ umbram flectentem se ingeniosè in omnem partem addito lemmate *Sufficit indicâsse*, congruit viro obedienti ad notum superioris præcipientis. Solcipiendum est superioris edictum veluti emissa divinitus vox: nulla quæsita præcepti causa: nescit judicare, qui perfectè didicit obedire.

105 *Equus* fræno carens, curréns que per avia, & prærupta addito lemmate *Praceps quia effrænis*. In illum cadit adolescentem, qui à parentibus negligenter educatus, nullóque coërcitus fræno vitijs indulget, præcepsque ruit in scelera, præsertim si ad hæc viam parentes exemplo aperuerint: pronior enim persæpe natura est in mala, & tenaciùs hærent in sanguine vitia, quàm virtutes: corruptissimus Neronis Pater Domitius, & Agrippina mater sola scelerum impunitate magna, portentum potius omnium flagitiorum, quàm Imperatorem Romæ dederunt. Corrupta mortalium natura pronior est ad vitia, quàm virtutum studia; & licet plerunque honesti mores parentes commendârint; adhuc vitia filios infecerunt degeneres. Caligulam Germanico Patre culturâ virtutum, animique moderatione præstantissimo natum vecors ingenium in omnia traxit dedecora: supparem dixeris in sacra Historia Manassem, qui omnium cæde, ac flagitio maculosus ab Ezechiæ parentis laudatissimis moribus prorsus defecit. Flectenda est hominis tenella ætas in exercitia virtutum, ut adulter probot det fructus.

Equus peregrinis phaleris, bracteisque tinnientibus instratus, gradatímque currens, ut videatur quadrupedante putrem sonitu quatere ungula campum, cum lemmate *Natura, & arte*, in hominem cadit politissimi ingenij, qui in sinu Palladis educatus, in slorulento scientiarum horto adolevit; & ob præstantis ingenij vim, sibique labore comparatas virtutes ad illustriora promovetur officia: est eruditio hominis ratione utentis germanum, ac nobile ornamentum; quod additum præstanti naturæ, hominem provehit ad præclariora obeunda munia. Nemo quantumvis acri ingenio præditus sibi persuadeat, solam naturalis intelligentiæ vim absque ulteriori studio suffecturam: eruditio & scientia non sola ingenij vi comparatur; sed addita industria, & arte, seu labore: est scientia flos, qui ut crescat fudare est irrigandus; rosam imitatur, quæ ex spinis emergit pulchrior. 106

Felis cauto silentio, levibus vestigijs, fortertíque speculatu in muris capturam incedens hac epigraphe *Tutiùs, ut capiam*, vel *Ne sentias bestia*, Symbolum est Strategi in castris bellico vafriamento tendentis hosti insidias, quibus ex insperatò eum adoriatur, profligétque. Congruit etiam Tartareo hosti clangulum nobis insidianti. Sicut equus domesticum est animal, ut etiam canis, qui ad custodiam domus alitur; ita felis ad arcendos mures tam à supellectili, quàm à frugibus, ædibus innutritur. Est enim felis muribus, avibúsque, & nonnunquam fame præsertim stimulante etiam pullis gallinaceis infestus; hac ratione elephantis solent feles jungi, ut mures arceant. Feles Hispanicæ sunt cæteris grandiores, agiliores, ac rapaciores, ac mollissima obtecti pelle, quæ propterea ad vestes hyemales expetitur. Varijs etiam sunt coloribus lusu naturæ picti, alij sunt nigri, albi alij, rufi, cinerei, & etiam discolores: ex hisce candorem, qui induunt ad murium capturam propter pituitam dicuntur cæteris segniores. 107

EXCURSUS.

Mundi ludus ludentes cum ipso illudit, quia perdunt semper, lucrantur nunquam.

108 Felis unà cum capto mure jocos instituens hac epigraphe *Ludit, & lædit*, mundi adumbrat ludos perdendis hominibus idoneos. Præ cæteris animalibus proclives sunt feles ad ludos, non solùm cum provocantur, sed etiam sponte, & præsertim ætate adhuc tenella; si quid enim pendere, aut trahi, vel aliter agitari viderint, illicò saliunt, mordicant, varijsque modis gesticulantur: hinc etiam cum propria imagine in speculo interdum colludunt: imò capto mure antequam propriæ satisfaciant stimulanti fami, varios lusûs, instituunt, quibus tandem miserè vitam perdunt mures: ita extrema mundani lusus luctus hominum occupat; fucatam exhibent lætitiam ludi, quos mundus suis instituit illecebris. Varia ludorum genera excogitarunt hominea, vel quæstûs causa, vel tristitiæ excutiendæ gratia: sed illuduntur qui putant ab hisce ludis verum posse gaudium fluere, quo animus à curis pressus erigi possit: licèt honesta animi remissio opportunum habeatur contra curarum molestias pharmacum; illi tamen lusus, qui ad scelera, & peccata viam sternunt exsibilandi sunt, ne ludentibus illudant.

019 Licèt ludi non semper ad flagitia trahant; pertrahunt tamen extra se, quos ludi sollicitudo tenet; hæc siquidem mentem frangit, discerpitque; quia ludentis mens si plus æquo ludo indulgeat, non erigitur, sed deprimitur, ac conteritur: siquidem integer in se non est, qui se in ea dividit, quæ ludos comitantur: specta ludentes, quàm anxios, quàm sollicitos, quàm extra se positos; specta spectatores ipsos neque ipsi integri sunt cum in partes dividantur; uniuque potiùs, quàm alteri ex ludentibus se sentiant adhærere; lucrarique, vel perdere cum eodem. In se ipsum sævit, qui ludum suaviatur; séque persequitur, qui amore ludum prosequitur; siquidem in sacris literis ludus persecutio dicitur; ut in idem recidere videatur, unum cum alio ludere, & illum persequi, seu in illum sævire. Referens enim Apostolus, quod de Ismaele dixerat, illum scilicet lusisse cum Isaac, talem ludum persequendi verbo circumscripsit; ut nimirum hostilem sævitiem in ludo timeremus. Sibi illudit, qui cùm ludit aliquid lucraturum sperat; cum ipsum ludere latinis auribus jacturam insonet; siquidem operam it ludere dicitur, qui inani conatu, ausúque irrito laborat; ut qui ventos rete nititur aucupari; vel cribro haurire aquam; uterque enim operam ludit; quia neuter quod intendit, assequitur. Perdit qui ludit, perdit crebro sua; non rarò se ipsum; & semper tempus, cujus jactura pluris est censenda, quàm illa argenti, vel etiam auri. Qui lætari quis in ludo potest; si in ludo aliquid semper perdit? habet quo tristetur qui ludo vacat, quia vacuus quoquomodò ludum eludit; ut enim concinnè S. Augustinus *Serm. 17. de verbis Domini: Si tibi vinum minuatur in utre tristaris: dies perdis in ludo, & gaudes?* nullum ex ludo hauritur gaudium; cum ludus ludentem mordeat, dilaceréque; in talorum ludo antehac jactus quidam ab alijs distinguebatur canis nomine, omnine minimè arridente, sed irridente, ac mordente: huc flectuntur Suetonij verba in Augusto: *Talis enim jactatis, ut quisque canem, aut seniorem miserat:* quia verò omnium infelicissimua hic jactus erat, damnosus canis esse dicebatur, qua ratione cecinit Ovidius

Quid valeant tali, quo possis plurima jactu
Figere damnosos, effugiasque CANES.

Præcipuum ludentium studium fuit canem declinare ob damnum, quod inde emergebat. 110
Mordet ludentes omnes non secus, ac canis sollicitudo, timórque lusui concreditas amittendi pecunias. Imò à vero haud aberravero si ludum non cani tantùm, sed cani rabido paziavero; rabidum enim efficit, quem morsu inficit: neque huic meæ censioni succenseas, quam probi approbant authores; scitè Guevara *lib. 2. cap. 45.* ait: *Experientiâ deprehendi ludendi aleâ libidinem morbum esse, qui canis rabiosi naturam refert, qui si quem semel mordet, nisi celerrimè præsentissimum adhibeatur pharmacum in perpetuum rabidum reddit; ita ut rabies dira ad mortem usque perpetuò duret.* Produnt hanc rabiem ludentium mores, iræ, furores, verba in cœlum ipsum impiè jaculata; blasphemijs fœda; hæc enim quid intus in ludentis animo lateat exertè loquuntur. Ludus excitandæ risui aptus priscis in usu fuit, hic à fœcis perscrutatione Trygodiphisis nuncupabatur; inde dictus ait Pollux: quod aliquid in fæcis catinum demersum, reductis post tergum manibus ore eximerent: dixerim ludentibus omnibus communem hunc ludum; si enim ludentium verba expenderimus è fæcibus videbuntur prodijsse; & ludentes ea effutientes os fœci admovisse; malè siquidem olent; ac stomachum movent. Ludentibus adstat Tartareus hostis, materiámque suppeditat furori excitando accommodatam, & hoc uno ab igne, veluti flammæ erumpunt lites, contentiones, diffidia, altercationes, & plerunque etiam rixæ; ita ludentes illuduntur, ut dœmonis fiant ludibrium, ut enim scitè notat S. Basilius homil. 8. in Exameron, *Spiritus malignus assistit per tesserarum puncta furorem, insaniámque accendens.* Nullibi faciliùs in iras accenditur homo; nullibi expeditiùs exilit in diffidia, nullibi pronior est ad iracundiam, quàm in ludo; quia extra serapitur, lucro dum inhiat, illuditur cum ludit, concinnè ille

Ludo illuduntur, ludum qui sæpe sequuntur

Felis percupidè expectans murem eggredientem suo è foramine, è quo caput effert cum lemmate *Tutus si manserit intus*, congruit viro Religioso, qui nullibi tutior est, quàm in propria cella, quæ est illi loco cœli; ibi enim experitur sanctarum cogitationum delectationem, & interni gustûs inexhaustam dulcedinem.

EXCURSUS.

In Ascreterijs viro religioso cella est cœlum.

113 IN cellæ secessu veluti in fornace divini amoris superni regis pretiosa vasa formantur, cum divino informantur Religiosi amore; & ad perpetuum nitorem malleo pœnitentiæ percussa, limâque salutiferæ correctionis erasa perveniunt. Neque Tartareus hostis qui semper circuit quærens quem devoret in cella religiosos prosternit; sed cum exteriùs curiosiùs, quàm ipsos deceat, negotijs immiscentur alienis: perinde de salute periclitatur religiosus extra suam cellam, ac piscis dicitur emori extra aquas. Asceticarum parœmia est, cellam continuatam dulcescere, malè custoditam tædium ingenerare; cellæ assuescat Religiosus, ut cœli dulcedinem prægustet; cœli delicijs diffluit, qui extra cellam non effluit: cella religiosorum innocentiæ, ac probitati est sacra; notátque mellifluus Bernardus cœlum, & cellam cognata nomina plurimum in se contrahere affinitatis, ut à cella ad cœlum via aperiatur: est cella Noëtica arca cathaclismi illudens discrimina: perire in sæculo qui timet; quæ imminent in mundo naufragia declinare qui cupit, hanc subeat cellæ arcam, in ea degat. Est cella religiosa, seu secessus a sæcularium consuetudine hortus ille conclusus, de cujus ubertate *Cant. 4.* dicitur: *Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum, myrrha & aloë cum omnibus primis unguentis*, ubertatem sua in prodit hortus conclusus, Religiosa cella fructus, frugésque emittit sanctitatem olentes, cœlestemque dulcedinem exhibentes: latuerunt conclusio in hoc horto olim Nazianzenus, & Basilius, & odorem summæ sanctitatis emiserunt, totámque Græciam excultarum fructibus impleverunt virtutum. Præterea hujus emissiones horti à Punicis exordiuntur, & in myrrham desinunt, & aloë: quia ad saniorem frugem venientes non statim objicienda est amarities myrrhæ, & aloë, sed per blandimenta punicorum est ijsdem propinanda myrrha; proludendum est punicorum dulcedine amaritudini aloë. Vir asceta venienti ad hunc hortum adolescenti onus subituro religionis punica coronata, ac sapida priùs dat degluticnda, deinde sensim ad myrrham ducit mortificationis; sunt tirones paulatim imbuendi; nec damnandi sunt ut molles: qui initio amœniori pomorum delectantur ubertate, brevi emitteant, & ipsi myrrham, & aloë. Id verò capto haud facile; sponsum horti meminisse conclusi, & nullam in eo luxuriantem commemoràsse plantam, nullam proceritate lascivientem arborem; sed unum tantùm produxisse murum, quo cingeretur, clauderetúrque hortus: nulla fit mentio arborum, plantarum, nec florum; & tamen fructus omnes ubertatem commendant horti; unde fructus si arbor nulla? cellam hic hortus indicavit viri religiosi; quæ sola dives paupertate, omnia illi desunt præter muros, & hos nudos; hæcque cujusvis supellectilis carentia sufficit viro Religioso, ut nil ei desit; quò enim pauperior, eò uberiores virtutum fructus dat vir Asceta, qui licèt talentis caruerit, si tamen muro se cinxerit, si cellæ assueverit; poma emittet tametsi plantis caruerit.

EXCURSUS.

Cultor castitatis ab omni abhorret impuritatis nævo.

FElis sordes proprias defodiens, obruénsque 114 eò quia munditie perquam delectetur hac epigraphe *Tantus horror fœdi!* Symbolum est viri addicti culturæ puritatis abhorrentis ab eo omni, quod aliquid olet impuri. Feles adeo sunt munditiei amantes, ut propria excrementa effossâ terrâ obruant à fœtoribus summopere abhorrentes, omnique fœdo; qua ratione bufones, ac serpentes maximè aversantur. Studio qui sunt castitatis addicti nil patiuntur, quod impuritatem oleat; & sicut feles fœdas proprias sordes defodiunt, insepeliúntque; ne sub ullius cadant aspectum: ita castitatis cultores etiam proprias cogitationes si hæ sordoerint, aliquid redolentes impuri, igne in vestem delapso citius excutiunt, curántque ut prorsus memoriâ excidant turpia objecta, ne quid fœdi in mentem invehat eorumdem recordatio. Cogitatio, quæ pura, quæ sancta non est, & impuritatem olet hæc, illúcque jactatur, fertúrque navis more cum contrarijs agitur ventis, semper fluctuans, minánsque naufragium; ut explicat Judæorum Doctissimus Philo lib. de Cherub. ubi expendens illud Genesis 4. *Egressúsque est Cain à facie Domini, & habitavit in terra Nod*, præmittit Philo *Nod* commotionem significare, inde Philosophatur. *Necesse est, ut ab imaginatione à Deo digressa cogitatio navis in cœlo jactatæ more, ventis inter se confluentibus ultro, citroque feratur.* Naufragio se imminenti committit, qui pravis cogitationibus aditum recludit.

Non me latet, fuisse à Deo immissum cataclysmum, ut delabentes è cœlo aquæ unâ exceptâ Noëtica arcâ mundum sepelirent universum: sed quid divinam iram excitavit? quid ad mundum delendum Noëtico diluvio Deum traxit? certè impuræ potissimum cogitationes, quæ mentes hominum impleverant, & infecerant Genes. 6. *Videns Deus quod multa malitia crevisset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore: delebo, inquit, hominem;* quas per impuras cogitationes contraxerant homines maculas cataclysmus aquarum delevit: accersiverunt diluvium impuræ cogitationes, quæ ut delerentur naufragium subierunt. Quàm meritò virtutis cultores feles imitantes sordes omnes, si non ventre, certè mente conceptas effodiunt, insepeliunt, impuras illico excutientes cogitationes, ne in ipsis periclitentur; perinde impura cogitatio mentem agitat, ac tumentes sævientis procellæ 115

cellæ fluctus navem quatiunt, obruúntque. Quis tam fatuus qui decumanis hisce velit se fluctibus credere? qui naufragium verentur obscænatum cogitationum fluctus declinent, seque ab eorum æstu subducant: impuræ cogitationes id in homine præstant, quod in navis carina dehiscens rimula, quæ si negligatur, aquas haurit, quibus navis miserè demergitur. Nequissimi hostis prima calliditas, atque doli plena est cogitationibus fœdis mentem impetere, sordidisque quatere phantasmatibus; quæ nisi statim excutiantur ita animum afficiunt, ut inficiant, prosternantque; conquæritur Deus per Jeremiam cap. 4. non quòd cogitationes venereum olentes fœditatem menteiu irrepant; sed quòd menti hæreant, immorentúrque: *Usquequo*, inquit, *morabuntur in te cogitationes noxiæ?* non reprehendit accessum, sed remoratum recessum arguit; quod diu hæreant animo, & hæc serpentina ova in corde lenocinante concupiscentia homines foveant, ut libidini titillanti faveant. Videant quid foveant, qui noxias fovent cogitationes, certè ova aspidum juxta Isaiam cap. 56. *Ova aspidum ruperunt*, nimirum ptavæ cogitationes in mentem irrepunt, quæ si foveantur; perinde ac ova aspidum incrementum subeunt ad necem inferendam; quia ut concinnè Theodorus Edessenus in asceticis mum. 25 *Qui fovet serpentem in sinu, & qui cogitationem malam in corde, ambo morientur.*

116 Fœdæ cogitationes serpentino sunt infectæ veneno, ne interficiant evomendæ illicò sunt: rejiciendæ statim, ne noceant. A malis cogitationibus ad pravum consensum facilis transitus; viam illæ ad hanc emolliunt: si menti sinantur hærere ptavæ cogitationes, facile ad opus descendunt: hinc Isaiæ 16. nos monet Deus; *Auferte malum cogitationum vestrarum*, ubi Oleaster vertit *auferte malum operum vestrorum*, adeo facilis est transitus à cogitationibus ad consensum, opúsque pravum, ut vix discrimine sejungantur: obsistendum est impuris cogitationibus, etiam cum primùm suis eblandiuntur in cunabulis, seu in earumdem primo accessu, & quidem ea celeritate, qua ignitum carbonem excutimus è veste, ne hæc quidquam patiatur damni à delapso in ipsam igne; non enim minor animæ, quàm externæ vestis habenda est cura. Ne corpus ab inflicto lædatur vulnere medicos statim, ac Chiturgos accersiri curamus ne malum subeat incrementum: si in ijs quæ ad intetituræ carnis sanitatem spectant solliciti sumus, quomodo socordes, ignavi, & segnes erimus in ijs, quæ non morituræ animæ salutem tangunt? Væ turpibus immoranti cogitationibus: proxima deditioni est arx, cujus gubernator incipit cum hoste miscere colloquia; fœdas qui cogitationes oblivione non sepeliunt, se enormibus criminibus insepeliunt. Ut autem pravæ cogitationes mentem non invadant omnis præcidenda est pravitatis occasio ab otio, à gula, à malorum convictu: sunt etiam germina aliqua, quæ ne succrescant in plantas extirpanda sunt antequam altiùs radices figant: sunt enim quædam affectiunculæ, quæ tametsi malæ ex se non sint; sunt nihilominus initia malis præludentia, quia hisce sensim sine sensu falcinata mens adhæescit inordinatè. In castitatis palæstra nunquam magni censetur, qui minima spernit. Fuerunt qui post insignes de profligato hoste delatas victorias, ad incautum fœminæ aspectum turpissimè ceciderunt; documento sunt posteris Samsonis, Davidis, ac Salomonis non solùm decantata exempla; sed etiam alia pleraque quotidiana; ut nulla ætate, nullo loco simus timore vacui, nec ulla nostri nos nimia decipiat fiducia. Discamus à fele si non veniris, saltem mentis fœditatem hortescere in pravis cogitationibus.

Felis Zibethica virgis exagitata hoc lem 117 *mate Pretium ex verbere crescit*: in hominem cadit, qui pleraque passus adversa sanctiorem instituit vivendi normam; quâ exutis vitijs, virtutum cultura suavius olet.

EXCURSUS.

Adversa animo forti non sunt exitio, sed virtutis exercitio.

FElis Zibethica quoddam excrementum in 118 loculo inter femora colligit, quod in dies cochleari excipitur, servatúrque donec concrescat, & gratissimi est odoris: majori autem copia tunc felis Zibethica virgis exagitata sudat, & angitur, adeout pretium odoris ex verbere crescat uberius. Est felis Zibethica ex Gesnero animal dentibus, pillisque asperioribus armatum, à capite ad initium caudæ integrum hominis brachium longitudine adæquat; magnitudinis est fere vulpinæ, colore lupino nigricantibus distincto maculis. Folliculum circa inguina gestat, in quo odoramentum quod Zibethum vulgo dicitur, colligi solet. Virgis si excipiatur toto corpore exsudat, uberiusque emittit odoramentum; Symbolum sanè tribulationis hominem vexantis, & excitantis ad virtutum studia, ut suaviora, & magis grata eliciat operum odoramenta: sudor quem tribulatio elicit necessarius est, ut imperfectionum vitiati humores evacuentur; & nostra studia lætiorem redoleant sanitatem, oleántque sanctitatem. Mundi hujus mare ex nostro sudore incrementum subit cum varijs tribulationum fluctibus agitamur: nostrum est pisces referre, qui nihil mali, nihil periculi à fluctibus patiuntur, qui fluctuom innatant voluminibus: apprimè S. Ambrosius lib. de Sacramentis cap. 1. *Ergo tibi sæculum hoc mare est. Habet diversos fluctus, undas graves, sævas tempestates: & tu esto piscis, ut seculi te unda non mergat.* Aluntur in fluctibus pisces, vivúntque; intereunt autem si extrahantur: justi in fluctibus tribulationum piscium naturam induunt, tutiúsque vivunt. Hæcque ni fallor ratio, cur sponsus Cant. 1. 11. pisces muræaulas adaptati sponsæ curaverit. *Murænulas aureas faciemus Tibi, vermiculatas argento* Delectabatur sponsa odoribus, *in odorem currimus unguentorum tuorum;* has ut ipsamet daret, non odore

odoro eam illevit opobalsamo; non Arabico perfudit pulvere; utque blandiùs alliceret, non vittas labijs aptavit, non collò cinxit unionibus, non mammis fascias apposuit, non oculis irides circumduxit; nec genas minio pinxit, ut efflorerent in rosam; sed aureas fabrieaturum se dixit murænulas manibus ejus argento interpunctas: sed cur non potiùs argenteis lilijs, vel aureis floribus sponsæ manus ornavit; cur non potius gemmeis annulis digitos incinxit sponsæ? quam affinitatem invehit murænula cum muliebri ornatu? Scitè pisce, non gemma manus ornantur sponsæ; ut inde apprehenderet, non antelucano rore, non odoratis unguentis perfusam incedere, sed subeundis decumanis fluctibus, sævientibúsque perferendis procellis destinari; ne putaret proprium sponsæ flante Favonio, zephiróque adblandiente luxuriare cum floribus in horto, vel vivere tenellis cum herbusculis in prato; quin potius debacchante Euro, Notóque furente exagitari reciprocantes inter adversitatū æstus, obviósque allidere in scopulos; sed si per piscem ad perferendas tempestates oportuit sponsam erudiri, cur non potius Rhombo, aut Siluro manum sponsæ Dilectus opplevit? cur aureis illam murænulis illigavit? Decuit murænulâ sponsam ornari; ut vel phaleræ forent ei terrori; neque alius piscis ad terrorem sponsæ incutiendum fuerat aptior, quippe muræna ex angue fœtum concipit; voluit Deus suam sponsam non solùm Domesticis assuescere adversitatibus, verum & exteras plenis manibus complecti. Quinimo si nubit muræna serpenti, inde debuit sponsa edilcere non solùm dura æquo animo pati; sed in ipsis etiam nuptiarum illecebris venena sitire adversitatum. Cubat cum angue muræna, quia volupe huic instrumentum amplecti supplicij, virusque cum osculo suggere: cœlestis sponsi thalamum si concupiscimus murænulis ornemur, ærumnarum spinas in rosarum delicijs amemus; otium è manibus abigamus, & doloribus oppleamur. Delectatur cœlestis Sponsus rosis, sed spinarum armatis satellitio; quia suaviùs olent dumis vallata; efflorescit pulchrior inter spinas virtus; flaccescit è pingui emersa morbidæ telluris sinu. Vapulat telis Zibethicus ab hero, quia è virgis perinde ac ex vite pinguiorem sperat odorati liquoris vindemiam. Quid ni? percutit nos Deus, ut suaviorem eliciat virtutis opobalsamum, quo vulnera nostra sanentur; infligit plagas, ut plagis medeatur; concinnè Petrus Blesensis Epist. 31. *Flagello Domini pulvis excutitur, quem ad deformationem animæ iniquitas assidua congessit; & exteriori vulnere sanatur plaga interior.* Plagis sanandis Chirurgus ferrum admovet secandæ putredini; & ignem siccandis reliquijs; idem præstat Deus: ustionis, sectionisque vicem tribulatio quâ vapulamus vices supplet, ut concinnè nos monet S. Augustinus in *Psalm. 9.* expendens illud *tribulationem, & dolorem inveni* ait ipse: *Invenit tribulationem tanquam aliquid utile, putruerat tabe peccatorum suorum, jam sine sensu remanserat, invenit tribulationem tanquam ustionem, & sectionem.* Utilea pressur e sunt, utiles cruciatus, quibus nos Deus verberat, quia nunc bene olemus cum acriùs torquemur; excitant nos plagæ ad virtutum exercitia, ad Numinis agnitionem: Eva in paradiso delicijs affluens, floribus stipata, fructibus locuples Dei conditoris oblita, ejus præceptum transgressa est; ejecta è paradiso flammeo gladio, Dei statim memor, possedisse se hominem per Deum dicit inquiens *Possedi hominem per Deum*; nimirum virgis cæsa agnovit punientem, quem agnoscere benefacientem neglexerat: concinne S. Basilius Seleucientis *orat. 4.* ita Evam adducit loquentem: *Possedi hominem per Deum, novi meam divini mandati transgressionem, novi è Paradiso me excidisse, ignque pertuli, docta sum, agnosco punitorem, excepi pœnam, quæ ut magistra me ab errore vindicet, seductionis pericula sufficiunt, alteras insidias non admitto.*

Glis genitores proprios senio confectos 19
ex congestis nucibus avellanis corroso priùs putamine depascens cum lemmate *Impar Impari*, Symbolum est pietatis, per quam sanguine juncti, patriæque benevolis debitum tribuitur officium. Recensetur pietas inter partes potentiales Justitiæ deficientes ab exhibitione æqualitatis; includit enim Pietas defectum adæquandi jus, quod in filios habent parentes; quibus propterea nunquam possumus reddere æquale; hinc filius impar semper refert parenti, qui quoad collationem beneficij nunquam filium habet sibi parem; idque innuit lemma *Impar Impari*.

EXCURSUS

Pietatem in parentes exercendam magistra natura nos edocet.

Est Glis à pinguedine dictus, grandior Sciuro, 120
colore nigricante, dorso ad rufum vergente, ventre albo; rostro oblongiori, acutioribus auriculis, caudâ non æquè villosa, ventre medio magis protuberante, quàm in sciuro. Glires genitores senio confectos alunt, rependúntque beneficia, quæ ab ijsdem acceperant; quod Symbolum est pietatis erga parentes. Hieme tota dormiunt suis in caveis, magisque impinguescunt, quàm æstivis fructibus, ac ad vegetiorem revertuntur ætatem absterso veluti senio. Ædium mox labentium ferè ruinam præsentientes ante demigrant. Quatenus verò genitoribus ad extremum senium vergentibus ad vitam suppeditant necessaria, pietatem indicant parentibus impendendam: est enim pietas virtus erga parentes officiosa; quatenus hi post Deum secundaria sunt principia vitæ, & educationis nostræ. Præcipua enim ratio, quam pietas suis respicit in obsequijs, est debitum illud quod includitur in cultu, quem tenentur filij exhibere parentibus: adeo ingens est debitum, quod filij erga parentes contraxerunt, ut illud nequeant filij exhaurire rependendo parentibus æquale, quod intelligendum est in eodem rerum ordine. An verò

verò jura pietatis liberos magis adstringant Patri, quam Matri, non est una omnium opinio, Censent plerique liberos magis teneri matri, quàm patri; quia illa plures sustinuerit labores in utero gestando, liberis in lucem edendis, educandis, instruendis: pensantur in matre uteri fastidia, partus pericula, infantiæ in firmiorem ætatem promovendæ labores: concinnè S. Ambrosius *in cap. 18. Lucæ* expendens illud *honora patrem tuum, & matrem tuam* redarguit filium matri non officiosum, inquiens: *Etsi paveris matrem adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos per te passa est, non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu immulgens labris tuis ubera, non reddidisti famem, quam per te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium esset, ederet, ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit; tibi illa, quem voluit, cibum non accepit; tibi quem noluit cibum sumpsit, tibi vigilavit, tibi flevit.* Quod si mater editam prolem alteri fœminæ tradat nutriendam, minuitur beneficium, quod Mater poterat proli impendere, & vicissim in filio refrigescit ardor ille pietatis, qui ex beneficio nutritionis incrementum suscepisset; ut probat Tiraquellus *lib. de nobilit. cap. 20. num. 92.* idque confirmat exemplo unius filij ex gente Graecorum. Synesius etiam *Epist. 8.* advertit, filios semper generari ex matre certa, & plerunque patre incerto, proinde plus obsequij deberi matri. Alij verò patrem præferunt, eò quia in ratione principij, & generationis sit longè excellentior, quia pater concurrit ad generationem filij per modum agentis. Cæterum commendabilis est pietas, quæ utrique parenti præstatur; diligere enim parentes prima naturæ lex est; quæ propterea debet magis esse in corde, quàm ore; factisque magis exerceri, quàm verbis, ut præstitit Æneas in patrem Anchisem, de quo Ovidius *l. 4. Fast.*

Hinc satus Æneas pietas spectata per ignes,
Sacra, patremque humeris, altera sacra tulit.

120 *Gulo* impletum tympani instar ventrem inter angustias arborum ante, retróque evacuans hac epigraphe *Inopem me copia facit*, Symbolum est ad unguem referens hominem gulosum symposiis indulgentem.

EXCURSUS.

Gulæ, & symposiis indulgentes veris non nutriuntur delicijs, sed morbis inficiuntur.

121 EST Gulo apud Livones, Moschósque insatiabile animal nigrum, pilosúmque, facie felina; corpore, & cauda vulpina, magnitudine æquans lupum; pedes, & ungulæ sunt illi asperrimæ, & corpus villosum. Voracissimum est animal cadaveribus pascitor, quæ tandiu vorat, quamdiu venter totus oppletus violenter instar tympani extendatur: mox sentiens se gravamine premi inventis angustijs inter binas arbores se stringit ut violenter ingesta violentiùs egerat, rediturum statim ad cadaver. Diceres, productum à natura animal ad ruborem hominis ganeonis, & heluonis, ventri dediti, qui in symposiis, popinisque, quas die, noctúque frequentat; quæ voravit, bibitque ultro evomit rediturus statim ad mensam: idque factitâsse Vitelium refert Tranquillus, de quo exclamavit *Heu cæli, terræque pudor!* Ad detestandum gulæ, & heluationis vitium exhibet natura Gulonem inter arborum se intrudentem angustias, ut per os ad extremam satietatem in ventrem ingesta tœdè egerat. Nascitur, alitúrque hoc animal in frigidioribus Lithuaniæ, & Moscoviæ regionibus ad redarguendam incolarum heluationem: nam convivantes sedent à meridie ad mediam noctem continuum potum, cibúmque ingurgitantes; & exigente natura ad egerendum absque rubore, imo plaudentibus cæteris pulsu, vel sibilo surgunt evacuaturi stomachi gravamina, & denuo ad heluendum revertuntur, ad rationis, sensúsque abominandam jacturam; tamdiu enim bibunt, sibique propinant donec vino non venter tantùm; sed etiam mens ipsa fluctuet, usque rationis fœdum patiatur naufragium, vinique hausti insepeliatur tumentibus undis. Corpus vino madidum tamquam effrænis equus sessorem suum, seu rationis usum excutit. Nemo ita insaniat, ut per ingesta fercula per immodicos vini haustus corpori eblandiatur, quia sævior omni fera, tunc magis efferatur, cum mollius blanditijs delinitur; & quo plus vino indulget, eò periculosiùs animum premit, ac opprimit. Falluntur qui nutrire se putant lætitiam luxu ferculorum; gaudiúmque fovere inter pocula spumantibus plena falernis; fluxu suo lacrymas vinum elicit: per os in stomachum demissum, quæsiturum per oculos exitum mentem subit, quam fœde obnubilat, & exagitat, donec rationem è throno dejiciat recti usus, adigátque ad turpia, non nisi postea lacrymis eluenda.

Lætitiam ferculis insepeliunt, vino ex- 122
tinguunt, quorquot immodicis gulæ famulantur illecebris; non utitur homine, qui poculis abutitur; siccat rationem, qui plures calices exsiccat; evertunt mentem fercula, nisi ab illis mens avertatur; arma suppeditat furenti hosti, qui delicatiori epulo corpori eblanditur. Pugnat in nos caro, & dum fovetur acrius nobis bellum indicit; imò si hostis blanditijs flectitur; hæc illecebris delinita crudelior sævit; ideo opportunè monet S. Augustinus *lib. de salutaribus documentis cap. 35.* ut satagamus carnem spiritui subjicere: ait ipse: *Semper caro nostra subjecta sit animæ nostræ, & sicut ancilla famuletur Dominæ suæ; ne præbeamus vires illicitas corpori nostro, ne committat bellum adversus Spiritum nostrum:* nonnullis interjectis; subdit. *Neque incrassari permittamus ancillam, ne contemnat Dominam suam; sed omnibus jussis ejus, & obsequijs mancipetur.* Si pinguescat caro jugum Spiritus excutit; si multo mero corpus madeat spoliatur mens ratione; neque

ab

ab alio fuit Noë spoliatus, quàm à vino, quod pudenda aperuit; ut scires fœda quæque à vino fluere; vino sauciata Loti pudicitia cecidit deturpata; nullum venenum corrumpendæ castitati aptius mero, est vinum lac Veneris, quo flammæ aluntur concupiscentiæ; oleum, quo ignis nutritur impudicitiæ, venenum pudoris, mors sensuum, fax carnis, fex mentis, occasus rationis, caligo oculorum, nox intellectus, cordis sepulchrum, nex castitatis, Ætna concupiscentiæ, virtutum scylla, fomes vitiorum, charybdis vitæ, illex mortis, calamitatum illecebra, tortor animæ, carnifex conscientiæ, & hominis interitus.

123 A corporis voluptatibus, à ciborum lautitijs morbi tum animi, cum corporis nos avocent, ne ad utriusque nos vocent necem: si infirmo sunt gulæ voluptates fastidio; si fastidit satur fercula; quanto magis ea debet virtutum famelicis despicere? Non esse corpus nimijs delicijs obruendum monuit natura, dum tam fœdo fine concludi fercula delicatissima voluit, ut innuit S. Chrysostomus *homil. 13. Epist. 1. ad Timoth.* inquiens: *Ideo ut reor esca ipsa fine tam abjecto concluditur, ne simus deliciarum amatores. Nam nisi illa hoc fine desineret, neque in perniciem corporis immodicam verteretur, etiam invicem voraremur.* Indulgendum est cibo, manúsque porui admovenda id exigente natura, ne viribus fracta corruat, sed sunt illecebræ abigendæ, deliciæ respuendæ, quia corpus contra mentem armant: non sunt corpori necessaria detrahenda; sed superflua resecanda; docuit id Magister Christus suos discipulos, docuit in eremo turbas. Rogaverunt discipuli *JESUM*, ut turbas dimitteret sibi in finitimis opidis, pagisque adjacentibus escas, & fercula comparaturas; quia Apostolis nonnisi panes quinque, & pisces duo reficiendis viribus supererant. Nimirum asperitas eremi, sentes, veprésque deserti lautitiem in epulo, delicias in ferculis non patiuntur, sed Apostoli modico pane, & exiguo contenti pisce frigidâ sitim extinguunt; nolim tamen putes id ex paupertate obtigisse, sed ex parsimonia; quibus enim tam modicus cibus prandium instruebat; non deerant pecuniæ ad coëmendas escas reficiendis turbis suffecturæ, dixerunt enim discipuli Luc. 9. 13. *Nisi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas:* non dixerunt nisi eamus mendicatum cum turbis; sed emamus pro omni turba, quæ ad quinque millia virorum creverat; non enim dissidet ab Apostolica paupertate numerosa pecunia; dummodo hæc non insumatur in numerosis ferculis apparandis, in prandij inducendis delicijs; sed in cultu Ecclesiæ: sit Religiosorum mensa frugalis, sed pretiosa supellectile splendeant aræ; non tumeat pompa prandiorum, sed irradient ornatus templorũ; exulet è cœnaculo lautities, sed munditiès Ecclesiæ exteros alliciat, invitétque ad preces fundendas, quibus Numen sua flectant in vota: aucto proventu non augeatur apparatus ferculorum, sed numerus crescat Monachorum Deo, & proximo inservientium. Quid ni? fecit JEsus turbas discumbere: ergo in tanta escarum caritate multitudo pene innumera non surget non huc, illúcque discurret ad pagorum horrea, & cauponas; non advehet ab adjacentibus oppidis meliora fercula, nobiliores escas? Sollicitudine non pulsantur, qui Christi assident epulo; discumbunt isti, & pancis contenti tranquillam ducunt vitam; neque Eliæ sub Junipero tranquillè discumbenti alias Angelus epulas attulit, subcinericium præter panem: psallant religiosi Apostolicum profitentes institutum; aræ inserviant, licèt terram non effodiant, non deerit, quò reficiantur.

Pascuntur atiam aves cœli licèt campos 124
non excolant; sed aëra cantu recreent: etiam lilia agri oon laborant, nec nent, & tamen candicant puriora; è converso Bombyces sericorum ornatnum industrij artificea, dum laboribus viscera absumunt textrinæ totam dantes operam; alijs sericum texunt, & sibi carcerem construunt, apparántque sepulchrum: hinc Christos in Eremo discumbentes pascit, alitque quiescentes; fastidit verò solicitos huc, illúcque discurrentes, ut gulæ delicias aucupentur, ut lautioribus ferculis ventrem impleant, enectarúmque avium cadavera in stomacho perinde ac cæmeterio sepeliant; cum in eremo ad gulæ illecebram, nec sylvestrium ferarum carnes, nec volucrum defuerint delicatiores escæ; sed ad temperantiæ apparatum panes quinque, & pisces duo sufficerint.

Coërceamus gulam, ferculorum studea- 125
mus parsimoniæ; subeat animum cogitatio esûs pomi vetiti; morti enim licèt paradisiacas inter delicias tum animæ, cum corporis tunc nos gula initiavit: primi enim parentes pomi interdicti esu posteros omnes priusquam gignerentur miserè interemerunt; venenum per pomum hauserunt, quo omnes inficerent, ac interficerent homines; & per gulam mors intravit in mundum; idque cum minimè lateat Tartareos hostes, eodem utuntur instrumento, ut enervato omni vigore nos prosternant; etenim ex stomacho ingestis ferculis onusto, & ventre multo vino madido oriuntur mala omnia: hinc stupor, languor, tædium, virium defectio, innati caloris oppressiu, mentis depressio: hinc scurrilitas, loquacitas, dissolutio, immunditia, rixæ, jurgia, contentiones, morborum series, ac præmaturæ neces, ut verum sit, plures à gula occidi, quàm gladio. Pauci enim sunt quos gula ad ægritudinem non adegerit, pauci quibus ciborum sarcina Libithinam non accelleraverit. Exulent à mensis viri sanæ mentis ferculoram lautitiæ: hominem exuit, qui cuti nutriendæ studet, séque abjicit in sterquilinium, quia ut concinnè B. Albertus Magnus serm. in Domin. 3. post Pascha: *Fit homo per gulam vile stabulum, fœtens cloaca;* adeout vix hominem referat, qui inserte in ventrem fercula nititur: non meminit sui homo vino madidus, repletus ferculia; sibi excidit qui jumentorum more totus in epulis est, animúmque ad ventris delicias trahit; ut de se ipso verè dicat *Inopem me copia fecit.*

Gulo humatum effodiens in campo cada 126
ver, quo vescatur, hoc lemmate *Jam parte sepulto,*

pulto, alludit ad homines maledicos, etiam defunctorum famæ insidiantes, ac honori detrahentes; quod probrum homines dedecet non Christiano nomine insignitos tantùm; sed etiam barbarie infames, quos crudelitatis horridus habitus, truculenta facies, violenti Spiritus, ora croentis minis referta è cathalago obliteraverint humanitatis, ac inter truculentiores feras abjecerint.

EXCURSUS.

Defunctorum honori detrahere, quàm inhumanum.

127 QUid inhumaniue, quid sævius, quàm in mortuos sævire? ac verberare, quos Manium umbræ tenent; quos lucis usura abjecit. Monent nos Ægypriæ tenebræ, mortuorum probra non esse denotanda Exod. 10 *Facta sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus, nemo vidit fratrem suum;* non sont oculi injiciendi in vita jam functos, qui in tenebris, & umbra mortis versantur, ut quæ cum viverent perpetrârunt flagitia detractorio digito signentur. Sunt qui putant inter alias rationes adductas Ægypti tenebras fuisse, quia Deus aliquot ex Judæis incredulos Ægyptijs adhærentes, & Dei mandato parêre detrectantes puniturus, maluit ut eorum pœna densis lateret sub tenebris, ne culpa in Ægyptom spergeretur; & eadem de causa, ne probra proximi alijs paterent; peccata Samaritanæ volens ad correctionem tetegere; undecim discipolos in civitatem ire permisit, ut cibos emerent Joan. 4. sed cur abiêre omnes? cum unus, vel alter id commodè præstitisset: non enim tantus erat ciborum apparatus, ut undecim in coëmendis esculentis debuerint occupari. Verum aliò hic discipulorum discessus spectat. Voluit Christus mulierem corripere, simúlque ejus consulere honori, ac pudori; cum voluerit Christus ejus probra detegere, ut non potei pellucidis eluerentur laticibus; sed irrorante interiùs divinâ gratiâ obliterarentur, noluit discipulos adesse; ne erubescenti mulieri amara obtingeret correptio; & ut nos doceret, quàm cautè sit correctio facienda, & quàm longè ab alieni criminis develatione esse debeamus, præsertim vita functorum, qui illatas non ampliùs in se contumelias retundunt. Quid oblatrae in mortuos, quid eorum perscruraris mores, damnas facta, traducis errata? errare etiam tu potes turpiùs; oculos in te, tuáque injice, fortassis fœdiora tibi obvinbunt: quòd si difficulter te, tuáque noscis, quanto difficiliùs de mortuis sententiam ferres; haec perstringit temeritatem D. Augustinus in *Psalm. 139.* inquiens: *In hac vita difficile est, ut nosmet ipsos noverimus, quanto minus debemus de quoquam præproperam proferre sententiam? quia si hodie malum novimus, cras qualis futurus sit ignoramus.*

128 Plerique sunt libræ, lancique persimiles, sunt hæc instrumenta, quæ alia ponderant, seque nunquam ponderant: plures satagunt aliena facta, vel dicta intelligere, quæ discutiunt, librántque; séque suáque gesta negligunt: aliorum peccata diligentissimæ discutionis trutina ponderant; & propria non vident, non pondetant, non expendunt. Quódque malignitatis videtur fastigium attingere: cum haberent, quod in mortuis laudarent; hæc dolosè omittunt; & deteriora excitant, in quæ oculos conjiciunt, ut in publicum traducant; lapidem imitantes, qui apud Danielem 3. è monte excisus Nabuchodonosoris statuam dejecit: siquidem non statuæ aureum caput, non argenteum pectus percussit, sed pedes luteos: qui vitio insolescunt detractionis opera honesta illustria relinquunt; & probra è Manium umbris eruunt, traducúntque in lucem alienam denigraturi venustatem. Mira sanè, sed vera exæstuantis detractionis immanitas, speciosis exaturatur, & debacchatur in ossuario mortuorum, quorum arescentia ossa corrodit canino dente, lacerátque gladio linguæ, non quia maledicentia esuriat, sed quia furit. Quod ex alpium jugis devolvitur saxum; priùs obvias sternit plantulas, dein celsiores abjetes, pinósque altas, prominentes, & demum segetes in excultis proterit agris. Detractor nemini parcit, etiam in defunctos sævit, furitque insanus. Pestem dixeris detractionem in omnes debacchantem, grassantem in singulos, nemini parcentem, neque vita functis; neque editioribus dignitatum fastigijs, quippe detractores, ut ait Regius Vates Psalm. 72. *Posuerunt os suum in cælum* quasi non satis ijsdem fuisset in terræ viscera, in manium umbras descendisse; etiam clariora cœli luminaria adoriuntur, & gladio linguæ feriunt fanda, infandáque vulgantes, lætantúrque, tertiam syderum partem Draconis non caudâ, sed linguâ devolvi. Si ad maledicorum afflatum stellæ cadunt de cœlo, obscuratur Sol, commoventur astrorum virtutes; quis in terris eorum evadet convicia, declinabit contumelias? Non parcunt pulveri, qui astris minimè pepercerunt; æquè purpuream chlamidem, ac pannosam penulam inficiunt: non parcunt virtuti irridentes Magdalenam, conspuentes publicanum, redarguentes voracitatis Apostolos, & Christum Samaritem vocantes; Diceres in ipsis adimpleri, quod olim Ecclesiæ prædixerat Isaias cap. 11. *Leo, & ovis simul morabuntur*, non ut pascantur, sed ut rabiem inexplebilem exaturent detrahentium, qui Gulonis instar etiam in ipsos sæviunt vita functos.

Hyena hominis imitans vomitum, ut ac- 129
currentes canes intercipiat hac epigraphe: *Allicit ut perimat.* Mulierculam prodit minus cautos Juvenes blandimento ijsdem accommodatam ad turpia pertrahentem, ut eorum pecunias, quibus inhiat, intervertat.

EXCURSUS.

Mulier quos blanditijs allicit, noxâ perimit.

30 Est hiena colore fere lupino, sed paulò hirsutior, & continuata per totum dorsum juba est. Spina dorsi ad caput usque protensa est, ut flecti nisi toto corpore verso nequeat. Canes quibus vescatur, quærit; & ut hos provocet, hominis imitatur vomitum, & accurrentes intercipit. Plinius *lib. 8. cap. 30.* censet Hyænam quot annis sexum mutare, marisque, & fœminæ vices alternare; idque tamen negat Aristoteles, cum alterum (ut ipse loquitur) genitale impervium sit: hoc idem de duplici hienæ sexu confutat Clemens Alexandrinus *lib. 2. Pedag.* Plerique tamen hac utuntur eruditione ad hominis carpendam inconstantiam, qui nunc personam assumit gravitatis, nunc mollitie diffluens degenerat in fœminam, cui ait S. Ambrosius: *Assuesce unus esse, ut vita tua picturam aliquam exprimat.* Cæterum hienæ vomitus fucatam prodit voluptatem, quæ blandè allicit, ut sævè dilaniet: personata est mundi voluptas, cuj si larvam detraxeris non flores, sed vepres deprehendes ad cruorem eliciendum, non sensum alliciendum. Umbratiles sunt, ac impuræ terrenæ voluptates, adeout nil veriùs, quàm falsas esse terreoas voluptates, nilque falsius, quàm eas asserere veras. Quàm aptè fluxa, & larvata mundi voluptas hyenæ fucato pariatur vomitui: est enim voluptas fœdè olens putredo hominem corrumpens, nisi per vomitum reijciatur, ut scitè in id voluptatem trahit Richardus Victorinus, ut nos retrahat ab ejus amore, ait tract. 3. de statu interioris hominis cap. 3. *satagamus noxios affectionum carnalium humores, voluptatúmque putredinem adhibitis curationum congruorum medelis extirpare.* Si hienæ vomitus fluentes complectitur spumas; has voluptati accommodat S. Petrus Chrysologus *serm. 8.* inquiens *devictis voluptatum spumis, superatis vitiorum fluctibus:* fucata est hæc spuma, quæ nil continet solidi, nihil firmi. Quàm imbecilles, qui hisce non obsistunt spumis, quàm iofirmi, qui ab hisce turpiter spumis vincuntur. Latet in hac spuma hamus fallentibus obductus mundi illecebris, ut voluptatibus assuetos illudat, cum circum ipsum ludunt; decipit enim suos mundus sectatores, quos non haberet nisi deciperet; ideóque S. Paulinus mundi illecebras fallentes vocat, quia fallunt, & eò nocentius, quò quis firmiùs fallentibus credit.

31 Mirùm quòd blanda voluptas suos illudat amatores, qui licèt sentiant se decipi, non tamen è tam noxio se deceptore surripiunt. Quàm noxia laborant cæcitate; cũ qui illudere umbratilem deberent voluptaté, sinunt ab umbra se illudi. Arridet voluptas ut irrideat; is sapit, qui irrisionem ejus antevertit, ut monet S. Anselmus *lib. 1. epist. 8.* inquiens. *Si mundus, vel aliquid eorum, quæ sunt mundi ridet tibi noli arridere illi. Certe non ridet tibi, ut in fine risus tu rideas, sed simulat risum, ut te irrideat. Esto cautus, ut anticipes eum, & retorqueas fraudem ejus in eum: & cum ille tibi fallaciter ridet; tu veraciter irride eum* simulatus est hienæ vomitus, fictúmque hominis ejectamentum, ad canes decipiendos, non pascendos. *Attendite* (monet Christus Lucæ cap. 21. vers. 34.) *autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate* loquuturus de epulis, cavendum statim monuit ne corda graventur in crapula. Corda dixit non stomachum, mentem non ventrem; quia deliciæ gulæ licèt intrent per os ad ventrem transmittendæ, cor tamen occupant, quod aggravant, quia mentem coinquinant; habet gulæ voluptas suas sordes, quibus mentem inficit, cum ventrem afficit: *voluptas* (ait S. Ambrosius de Abel, & Cain cap. 5.) *oculos delectat, demulcet aures, sed mentem inquinat.* Ciborum siquidem deliciæ, ferculorum lautitiæ viam ad impuritatem emolliunt, sternúntque ad interitum: prima enim inter vitia de homine gula triumphavit, quem etiam è paradiso eiecit, spoliavitque felicitate, quâ perfusus falci non erat Libithinæ obnoxius. 32

Habet gula in nobis, unde nos vincat, quia nobis venter, nobis viscera adhærent; habet unde prosternat, quia hoc uno ab hoste adigimur suppetias accersere, ut eum illo pugnemus, & arma, quæ ad pugnam nobis apparat instrumenta sunt, quibus vincimur: cibo indigemus, ut labentes reficiamus vires, vitam protrahamus, & cum Gula pugnemus: illa nos alit, ut nos contra illam dimicemus, licèt illa crebrioribus lætetur triumphis, etiam dolo comparatis, cum in dumo Isaac Patriarchæ potuerit & primogenitam emere, & benedictionem impetrare. Gulæ voluptates ne quæramus, quia dum ventrem implent, mentem obruunt, ut à vero gaudio excidat; ut enim scitè B. Albertus magnus serm. in Dominicam 3. Paschæ, DEI *sui non meminit qui totus vino; & ferculis est repletus; qui in Deum mentem erigat, cum ipsum sibi hominem excidere solemne sit?* Hominem exuit homo, qui jumentorũ more amore totus in epulis est: mentem sua destitutam libertate stabulo alligat corporearum voluptatum, qui mente potitur meotem nutriat ijs quæ conveniunt menti, non ventri adveniunt. Si placet vera lætitia, hanc ne quæras in gulæ delicijs, quæ pereunt cum comeduntur, corruunt cum in stomachum fercula demittuntur, fluúntque cum epotis falernis. Gulæ illecebræ palatum deliniunt, & mentem infringunt. Non pascit gulæ voluptas, sed hominem vorat. An non videmus quotidie Epulones, Ganeones, & potatores ab epulis devorari, exhauriri à mero, spoliari facultatibus, nudari vestibus, ac tandem vitâ ipsâ privari? cum plures occidat gula, quàm gladius? Symposijs qui indulgent Babyolnios imitantur, qui cultum exhibuerunt idolo, qnod eorum oves, & facultates absumeret. 33

34. Hyæna lævum pedem naribus dormientis admovens canis, quem lethargo sopiat, ac incumbens suffocet cum epigraphe *Tingit si tangit*, symbolum est hæreticæ pravitatis, quæ in

Ita Dux exercitus Martia virtute pollens suos milites contra hostes rectè unit, munitque, ut facilè hostium illudant insultus.

Ichneumon mus indicus luto veluti lori-
137 catus pugnans contra aspidem additis verbis *Tutus, quia tectus* symbolum est humilitatis indicatæ per lutum. Vir humilitate loricatus faciliùs venenata non aspidum, sed detrahentium convicia retundit, hostésque superat. Ichneumon contra aspidem pugnaturus antea volutatus in luto in sole apricatur, dum siccus velut sub lorica cutus procedit ad pugnam. Est Ichneumon magnitudine felis, sed longior, cauda est illi veluti serpentiva, pilis lupinis, rostro suillo, dentibus felinis; estque amphibium animal, quinimo Ælianus lib. 10. cap. 48. censet esse hermaphroditum, & inter se se pugnas inire, victósque sortem feminarum, ac pariendi onus subire. Est animal vivacissimum, semper lusibus intentus; frigoris tamen, & ventorum impatiens, hisce enim urgentibus in se ipsum convolvitur, ac calorem fovet.

Herinaceus in vites racemis onustas obre-
138 pens uvas depopulatur, quas aculeis suis excipit, suisque defert catulis alendis cum lemmate *Non sibi, sed alijs* symbolum est charitatis Patris in liberos, præceptoris in discipulos: charitas non sibi tantum, sed potissimum alijs opitulatur, suósque ad id labores impendit.

Herinaceus contractis aculeis suum ingre-
139 diens cubile ob atram nubem emergentem ab horizonte cum lemmate deprompto ex Reusnero *ventos præsagit & imbres* symbolum est declinantis pericula. Ea est Herinacei indoles, ut ventos, procellásque præsentiat. Refert Aristoteles lib. 9. Histor. animal. c. 6. Civem Constantinopoli domesticos inter parietes herinaceum educâsse, qui ventum præsentiebat, ac indicabat flaturum, & loca abdita quærebat, ut se abderet.

Herinaceus in modum sphæræ globa-
140 tus erectis dumis, quibus toto munitur corpore geminis adlatrantibus canibus accessum prohibet ne mordeant addito lemmate deprompto ex Virgilio lib. 5. Æneid. *Tutamen in armis* Prodit Principem se, & suos armis defendentem subditos ab hostium violentijs, & incursionibus.

Herinaceus collecta poma suis affixa du-
141 mis ad proprium deferens specum cum verbis *recondit in antro* symbolum est Avari congregantis divitias in locis abditis, ne alijs pateant.

142 *Herinaceus* lupos declinaturus insequentes
exesæ rupis ingreditur foramen cum verbis *Petra refugium* ex psal. 14. *Petra refugium herinaceis* virum æquè pium, ac prudentem indicat, qui sibi cavens ab invidis & persecutoribus ad Petram seu Christum confugit, cujus auxilium exposcunt, & passionem meditantur, quâ pio exardent affectu

Leo inter animalia solus oculis nascitur a-
143 dapertis cum lemmate *Decet vigilantia Reges* symbolum est Vigilantiæ; fueritque propterea moris, leonum rictus templorum valvis, ac vestigiis Basilicarum affigi, ut vigilantiæ admonerent custodes ecclesiæ. Ut & ipsos Principes
qui Reipublicæ sunt costodes. 144

Leo indormiens oculis apertis vigilantiæ est etiam symbolum, cui si addas lemma *vigilat & Invigilat* alludes ad sedulum Pastorem, qui die, noctúque super gregem suum invigilat. Vir pius sibi invigilat, ne peccet Can. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Leo aspectu, & rugitu terrorem incutiens 145
ursis, aliisque fugientibus feris, quarum aliquot jacent humi ungue leonino discerptæ cum lemmate *Meruitque timeri* allusi ad Electorem Bavariæ Maximilianum Emanuelem, qui in Ungariæ agro Strigoniensi insigni victoria exercitum fregit Turcarum, fugavitque superstites. Leo ad terrorem animantibus incutiendum videtur à natura productus, flammeo enim colore rutilus vultu accenditur, & quamvis aurata juba niteat, oculis tamen terret ignitis, orisque hiatu; superbè graditur si nul majestate decorus, & ferocitate timendus; scintillant enim oculi amplo in capite villosa inter supercilia; oris hiatus terret, rugitúsque fugat feras reliquas timore perculsas. Et nervorum densitas, pectoris firmitas, membrorum agilitas, tibiarum compages, unguium obliquata acumina, ex quibus solis possis leonem cognoscere; quanto sit leo terrori, produnt, cujus rugitum pertimescunt aves volantes, & per sylvas divagantes feræ, imò & immensæ innatantes maris vorticibus belluæ, quin & ipsæ nemorū frondes, plantarum folia. Hoc siquidem rugitu veluti classicum personans ad pugnam se accingit, prolixam, villosámque explicat caudam, crura valida, ac nervosa, pilis flavis, nec rectis, nec crispis terga diverberat, oculisque ejaculatur fulgura, & oris profundam voraginem aperiens dentes exerit in hostes, quos summa velocitate aggreditur, dente lacerat, & ungue discerpit.

Leonem ferocientem describit Bargeus 146
lib. 3. in Cynegeticis.

Cædem oculis, cædem, & vultu, cædem ore minatur
Illi grande caput, viva sunt lumina flammæ,
Turpe supercilium nares supereminet amplas,
Labra horrent setis, simplex juba pendet ab armis
Villus, & horrenti fremitu nemus omne remugit,
Ostentátque toris animosum pectus, & ipsas
Interdum fauces, & vastos pandit hiatus. 147

Leo magno capite, facie rotunda, pilisque flavescentibus veluti solis vestita radijs, igneisque pupillis accensa animum indicat pronum ad iram: si addas lemma depromptum ex Ovidio epist. 3. Heroid. *Vince iram, qui cætera vincis* magno principi erit documento laudabilius esse se ipsum, iram, pravósque affectus vincere, quàm armatos in bello hostes.

Leo ex alta rupe prospiciens prædam ru- 748
gitum edit, quo reliquis feris fugientibus timorem incucit cum lemmate *Vox territat omnes.* Christum subindicat ab alta Paradisi, cælique eminentia genus humanum prædā Cacodæmonis intuentem, qui propterea ingentem emittit, veluti rugitum comminando, & promit-

ten-

ultrici vindicta fundit tenuioris fortunæ viri :
hinc habetur parœmia : In tenuiorum jugulis
potentiorum ludit mucro : seu viri valentiores
propriæ satiafacturi iræ imbecilliores occidunt,
solatium ex aliorum exitio haurientes.

158 *Leo* in Hircaniæ Panteram insiliens ungue
discerpit cum Virgiliano lemmate *debellare su-
perbos* Apodosis. Vir magnanimus, & fortis mi-
nas non pavet insultantis hostis, sed toto nisu
in eum insilit, prosternitque

159 *Leo* innoxias pertransiens oves cum lem-
mate Virgiliano *Parcere subjectis* alludit ad virum
magnanimum, & fortem dedignantem pugnas
inire cum alio viribus impare. Præsertim ad vi-
ctorem in conflictu cedentibus ultrò parcentem.

160 *Leo* declinato in humum capite irruit in
lanceas, enses scuta, & alia armorum genera o-
mni depulso timore cum verbis *Generoso in pectore
virtus*. Apodosis. Vir in bello fortie armatum
non veretur hostem, sed toto nisu in eum irruit.
Allusi ad Electorem Bavariæ Maximilia-
num Emanuelem, cujus stemma leonem ge-
minum exhibet, cum in Hungaria Turcas pro-
fligavit.

161 *Leo* solus contra plures alias feras pugnans,
quarum plures ungue discerpit, jacéntque ene-
ctæ additis verbis *Ex ungue disce leonem* indicat
fortitudinem, animúmque imperterritum, ac
vires Leonis. Et hoc symbolo allusi ad
Electorem Bavariæ Maximilianum Emanuelem
post partam ad Arsanios montes victoriam, de-
letásque Turcarum phalanges.

162 *Leonis* caput clypeo insculptus Agamenno-
nis ad terrorem hostibus incutiendum, addito
lemmate *sola terret imago* symbolum est fortissi-
mi in bello ducis, cujus vel solum nomen est
hostibus formidini. Vel JESU Christi, qui Leo
dicitur de Tribu Juda, cujus solum nomen, vel
crucis signum Tartareas terret legiones.

163 *Leo* ab Hercule occisus cum lemmate *Vir-
tus edomat iram* alludit ad virum fortem, qui non
sinit se ab ira turbari, ac vinci, sed primos
ejus coërcet impetus, & turbulentum hunc com-
pescit affectum. Pingitur Leo humi stratus, cui
clava sola Herculea inhæret.

64 *Leopardus* oculata, & odora pelle venustus
æquè ac oculis gratus, cæteras allicit, trahit-
que ad se feras, quas occidit. Pinguntur plures
feræ sequentes Leopardum cum lemmate. *Quas
allicit enecat*. Apodosis. Meretrix eleganter com-
pta, facie venusta, blandis verbis juvenes ad se
trahit, allicitque, eósque ad peccatum inducit,
quo divinæ mortui gratiæ miserè pereunt.

165 *Lepus* venaticos fugiens canes pleno cursu
abdita petit sylvarum cum lemmate desumpto
ex Deuteron. c. 32. *Foris gladius, intus pavor*
alludit ad illos in bello milites, qui timore per-
culsi cum primum hostem vident aggredientem
aptiores sunt fugæ, quàm pugnæ. Est lepus
timoris symbolum. Refert Cromerus *lib. 6.*
regnante in Polonia Boleslao III. Palatinum
quemdam Polonum contra Russos ad Haliciam
pugnantem tanto fuisse correptum pavore, ut
turpi statim in prima velitatione se fugæ dederit
fuerit causa exercitus Poloni cæsi, cum ad exem-
plum Palatini reliqui terga vertissent Russis :
qui Polonos insecuti cruenta clade plura eorum
millia interfecerunt. Cumque Palatinus fuisset
domum reversus: Rex ei leporis pellem, colum,
& fusum dono misit ; quam ignominiam cum
ferre nequivisset Palatinus ad voluntarium su-
spendium adactus fuit.

Lepus inter vepreta somno apertis indulgens
oculis: *Nunquam vigilâsse nocebit* alludit ad vi-
rum asceiam sibi jugiter invigilantem, ne in cas- 166
ses tartarei hostis incidat. Deum qui amat, ti-
met, ne ab eo se per noxam avertat ; si concupis-
centia ad turpia stimulet cilicio, perinde ac ve
preto ejus retundit impetus.

Lepus in sylvæ umbrifero secessu sub Malo 167
arbore poma decidua depascens cum lemmate
Nemorosa per avia tutus Apodosis, vir religiosus
virtutū culturæ addictus nullibi securiùs degit,
quàm in solitudine ab hominum frequentia se-
junctus. Philostratus leporem pinxit sub Malo
arbore inter plures jocantes amores oriantem, &
decidua ab arbore quadam frugifera poma de-
pascentē, & quem propterea Amores, seu pueri
aligeri cum pharetra & arcu deturbare conan-
tur, dum alius complosis manibus, alius clamo-
re, omnésque simul modo huc, modò illuc ad
cursum agitant; Alius veluti aliquid jaculaturus
impetum in eum facit ; alius leporis cruribue
insidias molitur, sed lepus se expediens sublimi
saltu capturam evadit: hinc alij Amores risu di-
fluentes partim in latus, partim supini tenellas
per herbas strati pervolvuntur. Nec ullus est qui
sagitam in leporem intorqueat, ne desit ijsdem
esse lepôris. Vivum capere contendunt, quem
Matri Veneri offerant, rati gratiosiorem ei fo- 168
re, si vivus captus eidem exhibeatur.

Lepores plures mortuo leoni insultantes,
variósque instituentes jocos, & saltus cum lem-
mate *Rident fata leonis* Apodosis plerique lepo-
re timidiores, quem vivum metuebant adversa-
rium, mortuum contemnunt; estque ijsdem de-
risui, qui antea fuerat terrori

Lepus pleno cursu angustum inter lapides 169
foramen ingrediens, pericula declinaturus inse-
quentium canum cum lemmate *Fuga mihi salus*
Apodosis. Miles in conflictu timore perculsus
terga hosti dat, pectus fugæ, à qua salutem ex-
poscit. Est lepus animalium timidissimus ; &
Cornificius milites fugientes vocat lepores ga-
leatos: hac de causa lepus enervatæ effœmina-
tionis est hieroglyphicum ut censet Pierius non
solùm propter pilorum mollitiem, sed etiam ob
ingentem metum. Alia Apodosis. Cultor casti-
tatis timens ex fœminarum, adblandientium
consortio labefactari, earumdem fugit præsen-
tiam, fugitque ut Ægyptius olim Joseph: hæc e-
oim pericula tutiùs non declinantur, quàm be-
neficio fugæ.

Lupus animal callidum, ne quà sit iturus in- 170
sequentes venatores possint ex gressu conijcere
tortuosis ambagibus pedum vestigia figit cum
lemmate *Certus in incertis*. Apodosis, Dux exer-
citûs viribus inferior, hostem insequentem de-
clinaturus in id incumbit studij ut per varias
viarū ambages, motúsq; ac progressiones inopi-
natas hostilum eludat conarus, fallátque nisus. 171

Lupi plures fluviū trajicientes ne fluctuum
impetu mergantur, sequentes præcedentium
caudas mordicus tenent teste Æliano 5. *de natur.*

animal c. 7. cum lemmate *Unio tutat omnes,* Apodosis Militum copiæ ubi pericula imminent, & hostes insidias tendunt non nisi unitim incedunt: virtus unita fortior.

172 *Lupus* fame pressus prandium sibi paraturus squillam insequitur, donec ex lassitudine viribus destitutam comprehendat. Sed dum lupus hiante ore squillam vorare arbitratur, hæc primum in gutturis laxitatem saltat, suósque aculeos in miserum venatorem defigit, quem suffocatione interficit cum lemmate *Si vires suppleat astu,* Apodosis. Plerumque in bello imbecillior fortiorem superat non viribus, sed astu, ac stratagemate. Squillæ cum se interceptas sentiunt, fastigium quod eminet à capite, quodque simile est acutissimo triremis rostro, habétque in parte supera sectutas instar uncinatæ serrulæ; hócque eum incurvaverint animosæ bestiolæ summa saliunt lenitate, & tanquam saltatorium versant orbem.

173 *Lupus* referente Alberto si ferro saucius sanguinem fundat alios fugit lupos, à quibus ob illam sanguinis effusionem interficeretur, quia timerent, & ipsi gladio vulnerari additia verbis *Me faciunt discrimina cautum* Apodosis. Qui semel malum aliquod passus est, cavet, experimento edoctus, ne quid aliud simile sibi obtingat, fugitque propterea omnia pericula

174 *Lupus* nocte intempesta per excavatum unguibus scrobem sibi aditum in ovile aperit, quòd ingrediens oves interficit, ac rapit addito lemmate *Nectit ubique dolos* Apodosis. Hostis tartareus ovibus Christi supremi Pastoris quovis tempore, omni in loco insidiatur. Lupus in id præsertim incumbit studij, ut ovibus quovis in loco & tempore insidietur. Noctu ovili appropinquans, pedes lambit, ne ullum in gradiendo strepitum edat; imò si folia obstrepunt, pedes ut reos mordet, deinde excavato scrobe sub limen stabuli non modica ovium cæde ovile ingreditur,

175 *Lupus* Mæotidis juxta locum Cœnopium nuncupatum retia dilacerans Piscatorum negantium dare portionem captæ prædæ lemma. *Damnum infert Avaris.* Apodosis. Improbis interdum concedendum est aliquid, ne damna inferant graviora, & ad versuti pectoris insidias amoliendas. Refert Ælianus in palude Mæotide, lupos domesticis persimiles canibus cum piscatoribus familiariter conversari: quòd si maritimæ prædæ fuerint partē consequuti cum piscatoribus illis rem maritimam agentibus pacem servant, quibus & amico fœdere devinciuntur: sin verò nil assequantur obsonij, eorum retia distrahunt, ac lacerant.

176 *Lupa* gregem equorum aggressura suppetias ab alijs lupis petit, quos ingenti ululatu vocat; quique in vicinijs sunt, statim turmatim ad lupam accurrunt, & omnes simul gregem aggrediuntur non absque magno heri damno addito lemmate *Cum dente lupa fremit.* Apodosis Improbo si vires non suppetunt ad scelus patrandum alios ejus furfuris lurcones advocat, ut junctis virib⁹ id efficiat, quod solus non auderet

177 *Lupus* stimulante fame, & urgente agnini sanguinis siti in ovile irruens, si nullus obstet omnes interimit pecudes: si addatur lemma *Incustoditum cadit ovile lupus* alludit ad hostem tartareum; qui si incustoditos externos hominis sensus deprehendat, varijs tentationibus per sensuum illecebras animum intus pulsat, nec desistit donec omnes ejus subvertat potentias, & hominem in lethalem noxam pertrahat. Carnivoris, ac voracissimis animalibus annumeratur lupus, idque causæ, cur non tantum carnes captæ prædæ, sed etiam ossa, & pilos deglutiens nunquam pinguescat.

Lupus famelicus argillam dente mordens, 178
& avidè deglutiens cum lemmate *Sapit stimulante fame* Apodosis. Quæ saturo obsonia displicent, jejuno stomacho delicias ingerunt. Fames omnia condit fercula.

Lupus oves depascentes in campo aggre- 179
diens, custodum gregis canum experitur dentes pugnam siquidē cum ijsdem inchoare adigitur, & succumbit lēma *Belli causa injusta cadit* Apodosis Innocenti, qui bellum indicit, perniciem sibi dicit.

Lupus fame stimulatus, prædæque inhians ad agnum accurrit perticæ illigatum emergenti è profunda scrobe folijs ramisque leviter tecta ut lupum sustinere non valeat, qui dum credit agnum capere, capitur ipse in foveam lapsus cum lemmate *Callidior errat*, Apodosis. Avarus inhians divitijs plerumque dum has congerere satagit ac possidere se ipsum perdit, peritque vel naufragus in mare, vel interfectus in itinere. Plures excogitārunt Luporum venatores technas, decipulas lupis capiendis accommodatiores, præ cæteris excavatur profunda scrobs, in cujus medio cum Ansere, vel agno vivo alligato perticam erigunt, foveásque tegunt viridi crate ex folijs, ramisque contexta lupo sustinendo minimè valida, qui propterea dum putat agnum capere ipse capitur in scrobe, à quo exire non valet.

Lupus cruento vulnere saucius in luto se 180
volutat, quò vulnus obturat, fluxúmque sanguinis impedit addito lemmate *Estque medela mihi* Apodosis. quos superbia, ambitio, & reliqua vitia per lethalem noxam feriunt, humilitas, suique humi, ac status consideratio sanat, tumorem supprimit, hinc exclamat D. Augustinus de verbis Domini *O medicinam omnibus consulentem! omnia tumentia comprimentem! omnia tabescentia reficientem! omnia superflua resecantem! omnia depravata corrigentem! quæ superbia sanari potest si humilitate filij DEI non sanatur?* Refert Joannes Clamorgonus à se observatum, Lupos vulnere saucios in luto volutari, & hoc præsidio sanguinem à vulneribus dimanantem supprimi

Lupus eminus ovium gregem observans 181
cum lemmate *Pilum mutat non mentem.* Apodosis Vir improbus, & malignus accedente senecta pilum quidem mutat, cuj ætas canitiem afferet, sed ab eo malitiam non aufert. Vir nequitiæ assuetus pilum, non mores mutat, cum senescit. 182

Lupa plenis uberibus lac proprio ac alieno fœtui suppeditans addito lemmate *Æquè suis, ac alijs* Apodosis. Princeps munificus non solum sibi subditos, propriósque cives; verùm etiam alienos, & exteros proprio adsciscit in aula servitio, quos fovet, ac nutrit, ijsdemque favet.

Lutra exiens è fluvio cum pisce in ore ad- 183
dito lemmate *Non absque labore* alludit ad

Pi-

Piscatorem, ex piscatu sibi comparantem necessaria ad vitæ sustentationem. Recensetor Lutra Amphibia inter animalia æquè in aquis, ac terris viventia, ac degentia, estque exceptâ caudâ Castori persimilis, oris forma est illi quadrata, ut & Castori, caput caninum, & dentes: est tamen corpore graciliori, ac longiore; caudam habet oblongam, teretem, ac in fastigium desinentem. Vulpinis est cruribus, paulo tamen crassioribus, quibus aptior est ad natandum, quàm ambulandum. Pellis est illi minus crassa, quàm Castori, brevi conspersa pilo ad ca-
185 stanenm vergente colorem.

Lutra emersa è proximo lacu deferens ore plures pisces, quos ad propriam foveam defert, in qua multitudo putrescentium piscium aspicitur cumulata. Cum lemmate *semper avarus eget*. APODOSIS. Pecunijs inhians & avaritia sordidus omnem impendit curam ut pecunias congerat, quæ ipsi non sunt usui, nec utilitati. Lutræ si piscinam aliquam ingrediantur in pisces omnes sæviunt, quos interficiunt, quibus exsaturatæ reliquos ad propriam deferunt cavernam, ubi plerumque vetustate corrumpuntur, ut aër speluncam ambiers teterum conrrahat odorem: nec lutra desinit recentes pisces corruptis associare. Quod symbolum est avaritiæ.

186 *Lynx* fœmella aminus proprios aspiciens fœtus ne quid ab alijs feris patiantur detrimenti addito lemmate *Tuetur quos intuetur*. APODOSIS Princeps quos in aula benigno aspicit oculo, ab æmulorum defendit insidijs, qui non audent insidiari, quibus princeps videtur favere, ne Principem offendentes, sibi sint damno. Lynx præsertim Africana, referente Oppiano, animalibus adscitur digitatis, corporis magnitudine non excedit venaticum canem; pellis est ipsi varia, & discolor. Mas tamen juxta Scaligerum maculas habet magis distinctas, & orbiculares. Cauda septem uncijs vix est longior. Pilus toto corpore est mollissimus, ac densa confertus lanugine extremæ pilorum dorsi partes albicant, intimæ ad rufum vergunt colorem. Venter medius est albus nonnullis distinctus nigricantibus veluti punctis, caput & oculi figuram videntur sphœricam exhibere; barba instar felis ex setis albis, aures parvæ, ac quasi triangulares: pedes admodum villosi, anteriores quinque, posteriores quatuor muniuntur digitis. Ea fertur visûs pollere perspicacitate, ut non solùm ad longiorem distantiam visum extendat, résque difficillimas clarè videat, verùm etiam corpora ipsa solida, ac parietes dicatur visu penetrare: unde cecinit Poëta

Nos Aper auditu, Lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.

187 *Lynx* in editioris montis excelsa rupe herbam aconitum comedens adjecto lemmate *quod placet, Hoc nocet*. Fsrunt, aconitum præ cæteris esse Lynci in delicijs, ac placere; simúlque ab eodem interfici, APODOSIS. Mundi, carnisque voluptas arridet cum videtur mundus ridere, sed personatus est risus, cui si larvam detrahas, lacrymis madet; & ipsa quæ placet voluptas venenum propinat, & interficit. Scitè Seneca Thyest. Act. 3.

Nulla sors longa est: dolor, ac voluptas
Invicem cadunt, brevior voluptas.
Ima permutat brevis hora summis

& Ovidius 1. Amor 8, loquens de voluptate

Impia sub dulci melle venena latent 188

Lynx montem inscendens proprij obliviscitur fœtus, quem aliæ feræ ad necem in subjecta insequuntur planitie, lemma *Perdit oblivio prolem*. APODOSIS: qui corporis sunt deditì voluptatibus non solum salutaris admonitionis, ac sanæ obliviscuntur doctrinæ; sed quod deterius etiam ipsius DEI summi Boni, à quo per lethalem noxam se avertunt. Lynx animal est adeo obliviosum, ut quæ ab oculis fugiunt, eadem memoria dicantur excidere; idque causæ, cur quos rei semotæ ab oculis capit oblivio, dicamus vel bibisse letheam undam, vel Lynceam induisse naturam. D. Hieronymus epist. ad Chrysogonum Monacum ait. *Verùm tu quod naturâ Lynces insitum habent, ne post tergum respicientes meminerint priorum, & mens perdat, quod oculi videre desierint: ita nostræ es necessitudinis penitus oblitus, ut illam epistolam, quam in corde Christianorum scriptam Apostolus refert, non parva litura,* 190
sed imis, (ut ajunt) ceris eraseris

Lynx postquam minxit egestam urinam arena, vel terra cooperit, ne ab hominibus inventa ad usum trahatur, lemma *Nec sibi, nec alijs*. APODOSIS. Avarus divitias, quas congerit, ne alijs prosint, cistis insepelit, ubi nec ei sunt usui, nec alijs, quibus prodesse possent. Sed cum Lynx egestam urinam terra tegit, quæ aliàs plura potuisset hominibus adferre beneficia; sub terra dicitur in lapidem concrescere pretiosum carbunculo similem, quem vocant Lyncurium, de quo fortassis cecinit Mantuanus.

——————— *& miere Lynces*
Purpureas soliti dicunt Lyncuria gemmas

Ælianus scribit, lynceam quadam naturæ invidia pulsum lotium egestum arena tegere, ne repertum humano usui famuletur, & potissimum, quia hujusmodi lapis ad sphragiras fit idoneus, ad muliebrem mundum expetitus, Dioscorides lib. 2. c. 74. censet, lapidem lyncurium esse succinum prerigophoron, quia pennas, paleas, festucas ad se trahit, Præterea Lynx propriam urinam terra tegens ne alijs prosit symbolum est invidi; qui propria scripta ne alijs prosint, mavult ea blattis, & tineis voranda tradere, quàm 191
alijs communicare.

Marmota, seu mus alpinus humi stratus, fœnóque instar plaustri onustus à pluribus alijs mordicùs per caudam in cryptam trahitur cum lemmate *Labore, & industria*. APODOSIS Commoda Reipublicæ nonnisi labore, & industria civium parantur, communis labor in commune cedit commodum. Marmoræ tota hyeme scrobibus dicuntur indormire, utque proprio consulant commodo cum primum incipit aër frigere fœnum & paleas suas vehunt in foveas, ex ijs unus stratus fœnoque onustus plaustri instar arrepta dentibus cauda ab alijs in scrobem trahitur ubi communi commodo fœnum inservit. Marmora seu mus Alpinus teste Matthiolo *in comment. ad Dioscor. lib. 2. c. 43.* magnitudine cuniculum æquat, capite leporem refert aures adeo breves habet, ut vix supra pilos emineant; vario ac prolixo pilo vestitur instar taxi, cauda est ei bre-

brevis, pedes unguibus acutis armati, quibus scrobem effodit: hyeme præsertim pinguescit, totum brumale tempus usque ad vernum dormit super stramine.

192 *Marmotæ* plures subterraneam ingredientes latebram cum lemmate. *Dant præsagia brumæ.* Apodosis. viri prudentes futura prævidenc incommoda, & pericula, sibique consulunt, ne ea incurrant. Hæ bestiæ solent ad finem Septembris se condere, vel hyeme impendente cum primum frigus sentiunt, ingrediuntur eamdem foveam numero dispari quinque, vel septem, aut etiam novem; ubi instar herinacei conglobantur, & in eadem latebra stabulantes totam fere super stramine dormiunt hyemem.

193 *Marmotæ* suis è latebris verno tempore splendente sole, aëréque sereno egredientes cum lemmate *Auras sole favente petunt*, Apodosis. Religiosi qui suis degentes in claustris diu intepuerunt, ac veluti otio marcescentes indormierunt absque ullo virtutum exercitio: cum primum lumine divinæ graciæ illustrantur, resipiscentes otium excutiunt, divinis obsequijs ferventer operam impendunt, & virtutes excolunt, quarum exercitia neglexerant. Refert Gesnerus marmotas non nisi arridente aurâ Maiali, soléque splendente, è suis exire latebris; túncque colludere, immurmurare, ac caniculorum instar latrare; & aëre pluvio suas repetere latebras.

194 *Marmotæ* plures poma legentes ex arboribus decidua, ex quibus una veluti cryptæ custos juxta aditum in sublimi specula omnia explorat addito lemmate *Tutus vigilantia custos*, Apodosis, Episcopus tunc suum custodit gregem cum invigilat, ne quidquam ei contingat adversi. Mures alpini suis egressi è subterraneis latebris, vel ad fœnum, vel poma congerenda, eorum unus tanquam cryptæ custos juxta aditum in sublimi specula omnia explorat, & si hominem, vel pecudem, aut feram viderit, illico acutissima voce clamorem emittit, quo audito reliqui omnes quavis disrupta mora ad latibulum currunt; omniúmque postremus speculator ingreditur.

195 *Martichora* obvias sibi quasque feras uno excepto elephanto interficiens additis verbis *Inficit quos afficit*, Apodosis. Peccatum peccantem non solùm quodam veluti veneno inficit, & corrumpit, verùm etiam interficit quatenus avertit à summo Bono, in quo solo est vita. Non potest peccatum non inficere, ac devenustare peccantem, cum sic omnium turpitudinum fex, omnium sordium colluvies, omnium spurcitiarum complexio, omnium fœditatum coacervatio, adeout vel unica dumtaxat lethalis noxa purulenta sua sanie, ac fœda contagione toti cœlo nauseam ingeneret. Meritò Martichoræ pariatur: est hæc fera horrendum monstrum humano voltu, magnitudine leonis, colore cinnabaris in modum rubescente, triplici atque acum ordine dentium, auribus humanis, oculis glaucis, cauda aculeata ad cubitum longa, spinis utrinque rigente, quam etiam in anteriori parte flectit, obliquátque instar arcus: & aculeos ad jugeri emittit spatium; quinimo evulsos itidem ungues in obvios homines, & feras jaculatur perniciosa rabie, & nemini parcit præter uni Elephanto. Polystratus addit Martichoram habere caudam veluti scorpionis aculeo spiculatam, vocem sibilam æmulantem modulos fistularum, tubarumque concentum. Hujus speciem monstri videtur peccatum præseferre. Humanus vultus larvata est peccati facies, quæ blanditias affectat, ut nocentiùs mordeat; triplex dentium ordo peccati indicat voracitatem, omnia absumentis: leonis forma ejus audaciam, quâ vel ipsum Deum adoritur, & bella movet: cauda cubitalis aculeata; vulnera indicat, quæ infligit, & funera, quæ spargit. Quòd si Martichora uni parcit Elephanto; peccatum unicam Virginem Deiparam non tetigit; alias fœminas infecit; idque solemni emblemate expressit Jeremias. Pinxit Heroinam oris venustate, ac instructu nobilem, quæ gemmarum collucentium splendore, ac murice spoliata, scarabæi instar volutatur in luto, cœno, stercore Thren. 4. v. 5. *Qui nutriebantur in croceis complexati sunt stercora.* Patres græci legunt *qui nutriebantur in cocco:* cum igitur quis peccat spoliat se regali purpura divinæ gratiæ, abjicit imperatoriam trabeam, séque totum in sterquilinium abjicit; quia peccatum inficit, quos afficit.

Martichora aculeatam caudam instar arcus incurvans, & spicula evibrans in adversantes feras, quas vel fugat, vel vulnerat: additis verbis *Ingenium arma ministrat.* Apodosis. Viro forti, ac industrio media non desunt impetus coërcendi adversariorum insultantium. Ctesias in Indicis refert Martichoram cum primum videt alias feras in ipsam hostiliter irruere, caudam asperis rigentem aculeis arcuare, & in adversantes sibi belluas dumos veluti sagittas emittere, eásque vel fugare, vel ferire. 196

Matrea bellua fame pressa se ipsam devorans, carnésque proprias comedens lemma depromptum ex Ovid. lib. 1. de arte amand. *Pascitur in vivis livor:* Apodosis. Invidia suiipsius carnifex, se torquet, ac miserè corrodit. Est Invidia odij fœtus, cui proprium est tristari de alieno bono, & gaudere de alieno malo, quorum utrumque perversum: ut ærugo ferrum; sic invidia corrodit, absumitque invidum. Refert Athenæus Matream habuisse belluam, quæ stimulante fame si obsonia deerant se ipsam comederet, Symbolum procuIdubio Invidiæ se ipsam curis exedentis. Antiquum est invidia vitium quod vel in ipsa mundi infantia malis adolevit; nec inter fratres secura fuit innocentia: Cainum enim invidia torsit, & exiciales in eo flammas excitavit, non alia extinguendas unda, quàm fratris sanguine, quem cum fudit tertiam hominum partem perdidit. Nulla funestior invidiâ pestis, quæ fraterno sanguine mundi incunabula fœdavit non ob aliam causam, nisi quia innocentia albesceret, nisi quia Abelis sacrificia grata fuerunt Numini. Pietas ideo rea, quia innocens, nec in ipsa ara tutum invenit asylum. Abel quidquid opti- 197

mum

mum habuit in gregibus, ac frugibus Deó obtulit. Cainus verò persunctorius in cultu Numinis non nisi deteriora ei dicavit, melioribus in proprios usus reservatis; ideóque propter discretos utriusque divinitatis cultus, discreta itidem fuerant & præmia: super Abelis victimas divinus favor ignem de summo cœlo demisit; quâ flammâ cum victimæ non splenderent Caini, invidiâ exarsit ipse, cæpitque in fratrem contabescere, ejúsque moliri exitium.

198 Monoceros cornu fluvij aquas exagitans unà cum pluribus diversæ speciei feris motam aquam pleno haustu bibentibus ad sitis æstus extinguendos additis verbis: *Quia noxia pellit.* Apodosis. Christus in Jordane à Joanne baptizatus, & dilectus, ut filius unicornium, *Omnium fluenta*, ut loquitur Beda. *Sanctificavit aquarum*, nostrorum abluturus scelerum sordes. Refert Pomariue Monocerotis cornu præstantissimum esse alexipharmacum, contra venenata quæque, aquásque veneno infectas purgere. Cum in Africa ob serpentum moltitudinem persæpe contingat fontium pellucidos latices, amniúmque aquas veneno infici. Monoceros ea, quam habet in cornu virtute aqoas cornu movet, exagitat, ac purget, à quavie noxia infectione; cujus propterea vestigia reliqua solent animalia sequi, si æstuent siti, & ad fontem, vel fluvium anhela sistere, donec Monoceros intincto aquis cornu labem eluat aquarum, tunc quovis excusso metu aquas bibunt, propriæque consulunt siti. Est monoceroa fera exotica Europæ saltem plerisque in partibue ignota, unico in fronte armata cornu, cujus virtus adversus venena quæque mirifica esse censetur, hanc feram Græci monocerotem, latini unicornem vocant. Cardanus eam describit animal rarum, equi magnitudine, pilo mustelæ simillimo, capite cervino, in cujus fronte media cornu crescit unum, longitudine trium cubitorum deficiens, ac desinens in aciem; collum ei est breve, juba rarissima, in alteram tantùm partem tendens, crura tenuia; pars posterior frequenti pilo villosa, ungulæ bifidæ; à cervi natura vix discrepat. Nascitur Monoceros in Æthiopia inter solitudines, terrámque squalentem, alitúrque inter serpentes, quorum veneno cornu adversatur. Cæterum vocabulum hoc Monoceros commune est omnibus animantibus, quibus unum duntaxat est cornu, quorum duo præsertim sunt genera, unum, cui cornu in fronte; aliud in naso est, seu narium extremitate, & hoc à Græcis Rhinoceros vocatur, cujus cornu in nullo habetur pretio, nec æstimatione.

199 *Monoceros* insultantem Panteram prostermit infixo cornu frontie in pectore sibi adversantis feræ cum lemmate deprompto ex Martieli *Exarsit pronus in iras.* Aiunt, Monocerotem feram esse sævissimam cum sævis, & placidissimam cum mansuetis, dicatúrque propterea amare puellam virginem, & hac veluti esca capi teste Alberto *de animal lib. 22.* quod etiam solet Symbolum haberi Verbi divini in sinu Deiparæ Virginis. Deus enim cum antea diceretur Deus exercituum, ac ultionum puniétque Sibi perduelles in utero Virginis postquam conquievit amore captus, nostra indutus humanitate nonnisi clementiam, & benignitatem in nos exercuit. Comparant SS. Patres Verbum divinum Monoceroti, eò quia sit dilectus quemadmodum filius unicornium, per hunc unicornem D. Basilius intelligit filium Dei; & D. Ambrosius lib. de Benediction. Patriarcar. c. 11. ait Unicornis generatio, à nemine cognoscitur; & de Filio Dei, generationem ejus quis enarrabit? Monoceros suum robur habet in capite; & filios Dei in Patre, Deus est caput Christi; seu pars nobilior, ac longè præstantior.

200 *Monoceros* suo in antro solue plures alias aspiciens feras exteriòs, vel stantea, vel currentes, vel pabulantes cum lemmate *Socios detrectat habere* Apodosis. Verbum divinum quod in Psalmie filius dicitur unicornium sanctificium sibi in terra ædificavit, quam fundavit in sæcula, seu in utero Virginis sibi habitaculum construxit, & hanc Virginem sibi ab æterno delegit; neque alium in eodem admisit habitaculo, ut Virgo, quæ ante partum fuit, talis post partom permaneret. Ferunt Monocerotem proprio in antro nullum admittere socium, ac solitudine gaudere.

201 *Monoceros* Leopardum cornu transfigit, ac interficit, gregémque ovium illæsum relinquit cum verbis Virgilij *Parcere subjectis, & debellare superbos.* Apodosis. Princeps in bello fortie, & magnanimus obsistentes adversarios fortiter pugnans expugnat; cedentibus verò parcit.

202 *Monoceros* editissimi montis asperrimum conscendens fastigium panteram insequene fugientem, sibique adversantem addito lemmate ex Terentio *Tendit in ardua virtus* Apodosis, Vir fortis ad sibi obvias difficultates animo non cadit, sed inconcussa stat pectoris firmitate, ardua qoæque aggreditur, labores sustinet donec ad optatum finem perveniat. Arduis tantùm virtus delectatur, quibus efflorescit feliciùs scitè cecinit ille

Virtutem voluere Dij sudore parari,
Arduus est ad eam longúsque per ardua tractus
Asper est, & primum: sed ubi alta cacumina tanges,
Fit facilis, quæ dura prius fuit inclyta virtus.

Refert Ælianus *lib. 16. cap. 20.* Montes esse in intimis Indiæ regionibus asperrimos ubi Monoceros specimen exhibet suæ fortitudinis persequens per ardua illa, & invia fastigia reliquas feras sibi noxias. Postea describens Monocerotem ait; hanc feram magnitudine æquari equo, juba esse præditum, pilisque fulvis ornatum, pedum firmitate, totiúsque corporis celeritate excellere & perinde ac elephantum, pedibus esse inarticulatis, Apri caudam habere, inter supercilia cornu uno armari, eóque nigro non levi quidem, sed versurae quasdam naturales habente, inque acutissimum mucronem desinente. Non solùm fortissima est hæc bellua, sed etiam ferocissima; adeout David Psalm. 21. rogaverit ab ea liberari a

Salva me Domine ab ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam.

203 *Monoceros* solitarius errans per invia vastissimæ solitudinis lemma depromptum ex Seneca in Hippolit. *Præ manibus sylvas amat.* Refert Ælianus lib. 10. c. 20. Monocerotem præ cæteris animantibus solitudine gaudere, ac desertissimas pervagari regiones, Apodosis Vir pius ut Deo vacet, se ab hominum frequentijs avocat. Cum ubique inter homines pericula immineant, & mala occurrant; qui sapit saltem ad tempus secedit ab hominum consortio, solitudinem petit dicturus eum D Romualdo: ô Beata solitudo, ô sola beatitudo. Est tunc in mundo, sed non de mundo; in terra degit, sed supra terram in cœlia conversatur, in corpore vivit, sed quasi extra corpus. Inter hominum turbas palabundus animus hac, illucque extra se vagatur, & minùs est sui, cùm alijs associatur: non est quod expectet immixtus turbis, nisi in corde turbas, ac improborum affectuum tumultus, in mente umbras, & pectore angustias. Nemo virtutum vacat studio, nec animo incumbit ornando, nisi se ultro ab hominum societate, & commercio abducat: scitè Seneca Epist. 53. *Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti, nemo ad illam pervenit occupatus.* Nonnisi tumultuosa est vita illius, qui quotidie cum rerum difficultatibus inquieto animo, ac inter turbas turbulento colluctatur. Multiplicium curarum fremitu, & negotiorum varietate fluctuat animus, æstûque jactatus reciproco: qui verò è procellis civilium negotiorum, curisque rerum humanarum eripitur, portum subit, quia in solitudine gaudet tranquillitate, fruitur quiete, quam nemo enancisicitur nisi monitum exequatur Allois Abbatis: *Non habebit homo requiem, nisi dixerit in corde suo: ego & Deus soli sumus in mundo.* O beata solitudo, ô sola beatitudo, quæ Deo associatur, cui adhæret soli. Sejunctus homo à solitudine quid aliud in populari fremitu, forensi strepitu, hominúmque tumultu reperit, quàm jurgia, contentiones, fraudes, convicia, furta, homicidia? ibi certè sine gubernaculo est navigatio, sine baculo senectus, sine frœno juventus, sine duce cæcitas, & absque levamine pressura. Inter homines quid invenis nisi lurcones, nebulones sycophantas, gineonea, cupidiarios, & gnathones, quibus placet fornix, & uncta popina, vel ut ait Flaccus, reperis inter homines blandiloquentulos, harpagones, mendaces, latebricolarum hominum corruptores, mimos, circumscriptores, fures, circulatores, quibus omnibus idem est propositum, fallere, vel lucrari. Hæc major fortassis est hominum pars, quæ belluarum ritu in humum, & humi lutum declini naturæ impetu prona, corpori obsequens, animi negligens, spiritum ducit inglorium. Ea sola est anima felix, quæ soli Deo vacat, hominum fugit contubernium, cum Deo solo suum instituta negotium: est enim solitudo possessio Dei, & solitarius forma cœlestis Angeli. Hinc D. Hieronymus lib. 2. Epist. 7. *Habeat sibi Roma suos tumultus, arena seviat, circus insaniat, theatra luxurient; nobis adhærere Deo bonum est, & ponere in Deo spem nostram.* Duplex est solitudo corporis una, altera animi, illa exterior, hæc interior, utraque simul hominem evehit supra hominem: estque utraque solitudo felix ille secessus, qui solitarium cœlestibus replet delicijs: verè beata hæc solitudo, in qua sola est beatitudo; est enim vita laborum vacua, meritorum plena, animæ reformatrix, morum correctrix, ac tutus inter mundi procellas portus.

204 *Mulus* otiosus in perampla arvorum planitie cum lemmate *Generi non apta propago* Apodosis. Vir deses, otiósque marcescens à suis degener parentibus, ac Majoribus nil laude dignum agit, sitque propterea dedecori potius, quàm honori. Mulus ex equa, & asino procreatur Isidorus censet, molum à mola suam trahere nomenclationem, eò quia jugo pistorum subactus tardas molendo ducat in gyrum molas: est hoc animal sterile gignendæ prolis minimè aptum, aures habet asininas, crucem in humeris, pedes exiguos, corpus macilentum, reliquum corpus speciem magis exhibet equi, quàm asini. Ex eo autem quòd sterilitate laboret, nec sit generationi aptus. Virum indicat otio indulgentem, qui nullum dat luci opus, nilque agit, quo in opere superstite suî saltem memoria vivat. Quin potius est sibi, ac suis dedecori. Tempus otiosè impendere, est rem quovis pretio pretiosiorem prodigere. Triplicis est otium generis, quorum primum purum audit, eò quia à quavis abstineat seria actione; hoc otio marcescunt, quorum animos libido enervavit, quique perinde ac naves alto in gurgite sine nauclero, absque remige cuilibet vento eblandientia licentiæ, ac stimulantis concupiscentiæ obsequuntur, & à pravis rapiuntur desiderijs: & hi sunt, qui veterno languidi, ignavia difluentes, & desidiâ emolliti à viro forti degeneres nil boni, honestique moliuntur. Secundum otij genus negotiosum dicitur, estque eorum proprium, qui omne tempus suum, omnémque industriam in rebus impendunt nullius momenti, quapropter otiosè laboriosi in solis occupantur futilibus absque ullo suo, vel alieno fructu: & hi toti effusi in res futiles etiam propria negligunt, alienis se negotijs immiscentes; plúsque foris, quàm intus, & proprio animo vivunt. Tertium otij genus, eorum est, qui dotibus otiosissimè abutuntur, talenta ipsis à Deo concredita alta desidia infepeliunt; nilque efficiunt ad publicam utilitatem, nilque ad suam; nil grande moliuntur, nil præclarum cogitant, nil divinum meditantur. Et licèt prompti ac sagacis ingenij dotibus exculti, varijs scientijs imbuti, & ad sublimia quæque nati, ad humilia se abjiciunt: vel inertissimo indulgent otio; quia vitia omnia fovent, quibus inertia favet.

Mulus exiguas, ac arescentes comedens 205 paleas cum verbis *Ut vivam edo*, Muli, & asini paucis contenti paleas comedunt arescentes, vel recentes in campo herbas sponte natas; Aristoteles notat, potu seu aqua magis pinguescere,

scere, quàm cibo. Apodosis. Virtutis cultor, & temperantiæ studiosus non superflua, & delicatiora in cibo, & potu, quærit: sed necessariè ad vitæ sustentationem frugalitate, parsimonia removens superflua. Est enim frugalitas proborum affectuum mater, virtutum nutrix, vitiorum exterminium, ac bonarum omnium artium laudata promotrix. Huc flectitur tamen illud Lucretij

205 *Divitiæ grandes homini sunt, vivere parcè*

Et Cicero vocat frugalitatem magnum vectigal, est siquidem tributum, quod qui accipit, ditescit omni virtutum genere. Ad quid se homo cum pecudibus ingurgitat in terris? cum ab Angelis ad perenne manna invitetur in cœlis. Cur se cum filio prodigo ad siliquas abjicit porcorum, qui ad cœleste epulum cum filijs æterni Patris vocatur? Fuit Abstinentia prima lex è Deo in terris lata, hominibus data, ut per ejus observantiam donum servaretur innocentiæ; & tunc Protoparentes donum amiserunt gratiæ, ac justitiæ originalis cùm pomum vetitum admiserunt, & ejus esu legem violârunt abstinentiæ: probæ menti defuerunt, cum avido ventri indulserunt. Primi homines violatâ abstinentiæ lege facti sunt morti obnoxij; & eorum posteri saburrantes ventrem ingestis, ac indigestis ferculis mortem sibi accellerant; imò & sepulcrum in se ipsis construunt cum ventrem implent; nec aliud dixeris eorum stomachum, quam mortuorum animalium sepulchrū; mortale corpus aggravant, ut celeriùs corrumpatur: vivunt, ut bibant, & comedant; comedunt autem non ut vivant, sed citius moriantur. Si frugalitas vitam tuetur, saturitas mortem proximiùs intuetur: est enim oppletio metropolis morborum, ac præcipuus mortis satelles. Neque multiplici gravatus ferculo animi obeundis functionibus est aptus, quia ut vulgaris fert parœmia: Rarò est sanitas mentis, ubi saturitas est ventris.

206 *Mulus* epotâ in peramplo vase aquâ quantum satis est ad sitim extinguendam, semiplenum vas relinquit, aliò vertens caput, ne supra indigentiam bibat addito lemmate *Congestis utere parcè*. Apodosis. Vir sobrius haustui parcit, bibit ut consulat necessitati, non indulgeat voluptati: perinde sobrietas in poculentis virtus est temperantiæ, ac abstinentia in esculentis, ubi sobrietas ibi animi serenitas, & corporis incolumitas. Sed à plerisque licèt vinum ematur cum mensura, bibitur tamen absque mensura; ideóque à mensura, & regula dejiciuntur sanæ mentis; nec est sui juris, qui multo vino madet; nec liber est, cui Liber est pater. Vino enim immodico ait Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. c. 2. lingua præpeditur, labra solvuntur, oculi detorquentur, & temulenti existimant omnia in orbem ferri, nec ipsi stare valent. Hinc Fridericus Imperator temperantiæ, & sobrietatis cultor eximius cum audivisset Leonoram uxorem paterna in domo nunquam vinum gustâsse, & facilè in Germania utpote frigida regione facilè aptam futuram liberis gignendis si vinum biberet, respondit Imperator malle se uxorem habere sterilem, quàm vinosam. Homo vinolentus plerunque est temulentus, & ideo in cultura virtutum perquàm lentus, & in Dei obsequio somnolentus; imò & armis tractandis ineptus. Idque causæ, cur Piscennius militiæ sibi obstrictis Sacramento vinum in Ægypto petentibus ad sitis æstus extinguendos responderit admirabundus, Nilum habetis, & vinum petitis? indicans haustum vini milites dedecere, quia Bacchus temulentus facilè gradivum prosternit Martem quamvis cataphractum; victrices palmæ non crescunt vino madidæ, sed aqua rigatæ; nec laurus virescit vitibus adsociata; sed lanceis stipata. Refert Livius, Gallos cum audissent Italos vineta plurima plantâsse, vites excolere, & vino delectari generoso, susceptis armis in Italos irruisse, ac prostrâsse, totámque Italiam sus deque vertisse, urbes expilâsse, & amœnissimam illam regionem devastâsse, quæ si à vitibus colendis, vinique haustu abstinuisset hæc non fuisset damna passa. Quapropter Romani cum novissent vinum esse sibi exitio Senatus consulto vites toto eradicari imperio jusserunt.

Mulus palo alligatus dentibus corrodens 207
frœnum, ne recalcitret cum verbis Psalmistæ *In camo, & fræno* Apodosis. Insolescens concupiscentia ne recalcitret coërcenda est; ne insolescat, & noceat, frœnanda: etenim cum dicat David *nolite fieri sicut equus, & mulus*, intelligunt SS. Patres: nolite fieri superbi, & luxuriosi, quia hæc duo vitia non solum mentem infulcant, sed & intellectum excæcant, adeout qui à propria sinit se trahi concupiscentia, ita inflectur superbia, ardeat luxuria ut in ipso intellectus cinerescat: ait David *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. in fræno, & camo maxillas eorum constringe*. Concupiscentia nisi frœnetur insolescit, & in proprium recalcitrat herum; perinde ac mulus, ne noceat compescenda est frœno rationis. Sed plerunque concupiscentiam, & ejus voluptatem, quam olim Ethnici fuerunt ut Megeram abominati, Christiani exosculantur ut dilectam filiam, cum tamen nulla sit furia avernalis nocentior, nulla pestis magis exitialis, nulla tigris immanior, quæ propterea nisi compescatur exitium molitur hominis voluptatibus dediti. Quæ in nobis sunt concupiscentiæ nobiscum adolescunt, & consenescunt, nec priùs discedunt à statione cordis, quàm nos abscedamus ab hujus mortalis vitæ statione; proinde jugiter invigilemus necesse est, easdemque premamus, ne ipsæ nos premant; compescendæ, & expugnandæ sunt, ne ipsæ contra nos pugnent. Cor hominis Martium esse campum dixeris, ubi improbi, & repugnantes affectus inter se acriter digladiantur, omnique dimicant contentione, pugnant ardore ut nos expugnent, suique juris faciant nostrum animum, ubi non epinicion canunt; sed tragœdias agunt Thyesteis lugubriores, Amor libidini flammas suppeditat; insana cupiditas desideria excitat nullo explenda termino; & cæteræ passiones ibi in nostram stabulantur perniciem, in

nostram

nostrum insurgant exitium. Voluitque Numinis providentia hanc continuam esse in animo nostro luctam, ut nostris non conniveamus concupiscentijs, nostrisque non adhæreamus pravis affectibus, sed omni conatu satagamus eos coërcere.

208 *Mulus* clitellarius varijs oneratus sarcinis montis conscendit editissimum jugum per obliquos, & reflexos viarum tramites, lemma depromptum ex Virgilio *Labor omnia vincit.* Apodosis. Nulla in quovis opere fit operario obvia difficultas, quam labore & constantia non superet; quia ut pulchrè ait Q. Curtius *Nihil tam altè natura constituit, quo virtus non possit eniti.* Quòd si nonnunquam novercante fortuna ad finem, in quem vota collimant laborantis non pervenitur, tunc inchoesse laborem laude non vacat: quia in magnis voluisse sat est. Mulus labori natus, & deferendis sarcinis, ac oneribus assuetus labore, & constantia itinerum superat difficultates, & ardua quæque vincit per montium clivosa non currendo, sed gradiendo: mulus ex equa matre, & asino patre genitus, equi velocitate, asini temperat tarditatem, hinc diuturnior est, ac firmior in laboribus tolerandis, ut eò optatum tandem perveniat finem. Sine labore ebeque pugna victrices palmas in campo non metunt milites; neque ad optatum victoriæ finem pervenit Princeps nisi pluribus assuescat laboribus. Maximinus Imperator cum non robore solùm corporis, verùm etiam labore esset major, à tribunis suis quibusdam reprehensus, parum decere militum ducem, & Imperatorem tot bellicos subire labores, respondisse fertur: ego verò quò major fuero, eò magis laborare cupio; innuens non solùm virtutem, sed etiam ipsam fortunam labore esse comparandam; & eò plus afferre voluptatis quò impensiore fuerit labore comperata; quia ut censuit Xenophon fortibus viris labores dulcescunt veluti obsonia, & otia sunt molestiæ; quod intelligens Alexander Magnus dixit; nihil magis servile esse quàm luxuriam, nilque magis Regium, quàm laborem; & Cyrus aiebat: ego arbitror decere principem anteire subditis non vita deside, & laborum experte: sed eo, quòd rebus provideat, laborésque libenter subeat; quos si vel ex imbecillitate corporis, vel ætatis senio sustinere nequeat, saltem valentiores verbo, & præsentia adhortetur; ut præstitit Mulus Atheniensis ob senium emeritus. Refert Ælianus *de Anim. lib. 6. cap. 46.* mulum Atheniensem jam ob senium, laborésque antlatos immunitate vecturarum donatum, immunem omnino à laboribus esse noluisse. Nam cum Minervæ templum Athenienses ædificarent, is nulla re onustus, nullius imperio, aut virga adactus sponte sua cum adolescentibus mulis, vnà Iuit ad iter faciendum socius, & hortator ibat; & sicut quispiam senex artifex per exactam ætatem dimissus sit opere, adhuc tamen experientia, ac senili doctrina juvenes ad artis subeundos labores hortatur: ita mulus iste Atheniensis ultro, citróque commeans ad opus jumenta incitabat, quod cum Athenienses intellexissent, per præconem declarari jusserunt, ne mulus emeritus à frumento & hordeo imposterum prohiberetur, sed expleri permitteretur, & pretium ex publico peteretur ærario.

Mulæ binæ Rhedam trahentes tardo gressu 209 lentóque passu per clivosa montium itinera addito lemmate *Festinandum, sed lentè,* Apodosis. Pericula ubi imminent, ut & in negotijs magni ponderis agendum quidem est, sed circumspectè, nec properandum, sed lentè, ac tutè procedendum, ut cecinit ille

Nec nihil, nec nimium: medium tenuere beati:
Festina lentè: sat cito, si bene sat.

Quia mulus ex equa & asino nascitur utriusque parentis naturam contrahit, & medius inter velocitatem equi, & tarditatem asini tutior incedit, pericula præcavens. Id causæ nit Festue, cur veteres id genus quadrupedum primum vehiculia rhedisque adjunxerint: & Blondus asserit, se ubique invenisse mulis non equis suisse priscos homines usos in Rhedis trahendis; eò quia mulus licet tardè incedat, tutè tamen procedit. Seneca Epist. 87. meminit hujus moris inquiens: *Vehiculum, in quo positus sum, rusticum est: mulæ se vivere ambulando testantur; mulio excalceatur non propter æstatem. Quid mulæ omnes saginatæ, omnes unius coloris.* Lampridius etiam de quibusdam muneribus Commodi Imperatoris dono datis, ait: *Dedit, & vasa aurea, & cum unguentis alabastro: dedit & vehicula cum mulabus, & mulionibus, & juncturis argenteis, ut ita à convivio redirent.* Heliogabalum pro apophoretis mulos dedisse refert idem Lampridius. Hic mos mulas adhibendi rhedis trahendis viget etiamnum in Sicilia, pluribúsque in locis regni Neapolitani, quia mularum gressus medius inter velocitatem equi, & nimiam asini tarditatem est tutior, idque innuit Augustus Cæsar: qui nihil minus perfecto duci convenire dixit, quàm festinetionem, & temeritatem; aiebat: *Festina lentè: Tutus enim est melior, quàm temerarius Imperator;* quia ut notat Livius: Festinatio improvida est, & cæca; id Titus Imperator altiùs animis impressurus subditorum in nummis cudi jussit Anchoram cum Delphino addito unico verbo *Matura:* siquidem Maturum ait Nigidius apud Gelium lib. 10. noct. Attic. cap. 11. id dicitur, quod neque citius est, neque Serius & Salustius in bello Catilin. ait: *Priusquam incipias consulito: ubi consulueris maturo facto opus est* quia ut scitè Tacitus: *scelera impetu; bona consilia mora valescunt.*

Mus Armenius intra stercorarium captus 210 circulum, cum lemmate: *Mori potiùs, quàm fœdari,* Apodosis. Cultor castitatis mavult mala quæque pati, quàm labe ulla libidinis contaminari.

EXCURSUS.

Cultor castitatis à quavis abhorret spurcitia, quâ pudicitia possit inquinari.

210 MUs Armenius villis, pelliúmque mollitie delicatissimus est, cui sordes tantæ sunt abominationi, ut limo ante cavernæ ostium posito, capi potiùs malit à venatoribus, canibusque venaticis, quàm sordes contrahere, suúmque fœdare candorem, stercora illa pertransiens. Id generosè præstitit adolescens Damocles, qui in balnei labrum fervens maluit se injicere, & cruciabili dolore extingui, quàm nefariæ
211 Demetrij regis libidini pudicitiam prodere Juvenal. Satyr. 8.

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.

Præclara est virtus animi, & corporis castitas, sordes omnes respuit libidinis, mavultque mala quælibet pati quàm luxuria contaminari; quapropter castitatis cultor in id incumbit studij, ut motus omnes concupiscentiæ coërceat, à carnis illecebris abstineat, venereas cogitationes perinde ac delapsos in sericas vestes accensos carbones excutiat, ne quid patiatur damni; ad quod respiciens S. Cyprianus vocat hanc castimoniæ virtutem *Funus humanæ substantiæ;* quia castitatem, qui colit perinde ac mortuus quovis debet sensu carere ad omnes hujus vitæ delicias; quod animadvertens Clymacus definivit castitatem esse excessivam naturæ abnegationem, eò quia per inferioris hominis mortem, per extinctam, vel coërcitam concupiscentiam, maximus opprimitur naturæ appetitus; & soluta anima à pravis concupiscentijs veluti mortua carni liberiùs Deo, & sibi vacat. Plurimi fecisse hanc virtutem prisci Romani ex eo conjicitur, quia Consules, & Imperatores, & ipsi quoque post partam in bello victoriam triumphali pompa urbem intrantes, si qua Virgo occurrisset Vestalis de via decederent, ut castitati virtutum præclarissimæ cederent. Quinimo vel ipsi sapientes qui nomina rebus imposuerunt castitatis cultores cœlibes, quasi cœlites appellarunt, eo quia vitam agerent cœlestem, & angelicam potiùs, quam terrenam: & Ss. Patres castitatis primam originem è cœlo ducunt, & Numinis natura, à qua ut ex pellucidissimo fonte virtutes omnes dimanant, & perfectiones singulæ effluunt. Quia verò hac virtute vel maximè delectantur Cœlites, Tartarei incolæ bellum jugiter eidem indicunt; quinimo inter omnia prælia, quæ Christianæ militiæ addicti Sacramento præliantur, nullum est difficilius, quàm quod geritur pro castitate, quia hoc certamen perpetuum est, pugna continua; ad hoc allusit D. Hieronymus cum dixit: *Grandis esse virtutis, & solicitæ diligentiæ in carne non carnaliter vivere, secum pugnare quotidie, & inclusum hostem, Argi, ut fabulæ ferunt, centum oculis observare.*

Debent custodes hujus virtutis animalia imitari Apocalyptica, quæ plena describuntur oculis ante, & retro, ac in singulis corporis partibus: debent oculos habere in manibus, ut videant quod attingant; in pedibus ut aspiciant quò pergant, & in quam domum ingrediantur; in lingua, ut videat, ne verba proferat scurrilia, quæque libidinem sapiant; in corde ut videat quid desideret; imò oculos etiam in ipsis oculis habere debent, ut videant, quid videant. Acroama est Salviani *lib. 3. de Provid.* oculos esse naturales quosdam animi cuniculos; sicut cum civitas licèt natura, & artificio munita cingitur, ut aditus ad illam pateat obsidentibus subterranei ducuntur cuniculi ad fundamenta usque murorum, ubi imposito tormentario pulvere applicitóque resticulæ igne hic serpit exigui fomitis continuatione innutritus donec in specum latè patentem pyrioque pulvere fœtum in vastum & exitiale erumpat incendium, quod exitum quærens horrifico sonitu urbis mœnia quatit, disrumpit, & per patentem hiatum viam aperit ad urbem: ita oculos corporis cuniculis dixeris animi, per hos subdolus cacodæmon animam obsidens nostram sibi viam ad eamdem occupandam sternit, & aperit, accenso præterritu æstuantis concupiscentiæ, ac libidinis igne: hac vafritie Davidem non minus sanctitate, quàm purpura clarum expugnavit. Cum somno indulsisset meridiano è regio surrexit lectulo, liberiorem capturus auram solarium inscendit domûs, ubi cum oculos curiosè circumegisset, 2. Reg. c. 11. v. 2. *vidit mulierem se lavantem ex adverso*, & ex illo aspectu libidineus ignis è fonte emersus ad cor usque Davidis serpere valuit, ubi castitas expugnata corruit: potuitque propterea David mœrore confectus, & lacrymis madidus dicere cum Jeremia *Thren. 3. c. 51. Oculus meus deprædatus est animam meam.* 212

Mus domesticus captus myagra, seu mu- 213
scipula, à qua diffugere nequit cum lemmate *Hic me gula clausit:* vel *Me gula decepit* APODOSIS. Gulæ voluptatibus inhians libidinis, & cacodæmonis plerunque fit captivus, quia sicut sine Baccho, & Cerere friget Venus; ita merum lac est Veneris, & luxus in epulis fomentum concupiscentiæ.

EXCURSUS.

Gulæ voluptates muscipulæ sunt cacodæmonis.

PLurimum nobis sunt damno mures, qui do- 214
mesticos aluntur inter nostros parietes; libros enim lacerant, vestes discerpunt, cistas, & armaria corrodunt, & in caseum omnemque rem escariam insaturabili grassantur voracitate. Idque causæ cur contra domesticos hos fures feles, canésque nutriamus, fallaces machinas, dolosas muscipulas, & alia id genus instrumenta invenerimus muribus capiendis

piendis perapta. Feles enim interdum licèt murium infensissimi hostes, quia tamen jam alijs saturi esculentis, mures non curant; quapropter monet Cardanus, esse eligendum felem coloris leucophæi, qui è Syria originem trahat; hunc enim temperatior sanguis ad ad mansuescendum docilem, & ad mures capiendos sedulum efficit, dummodo exiguo vilique nutriatur cibo, quia si ob nimium pinguescat muribus capiendis fit parum idoneus; ideoque arcendus est ab herili mensa, ut fidelibus excubijs totam perlustrans domum hostilibus rapinis emeritus vescatur. Non solum feles, sed etiam mures adhibentur contra mures hac arte. Deni vel duodeni mures mares vivi includuntur in fictili, vel ligneo vase probè clauso, unico dumtaxat aperto exiguo foramine seu spiramento propter aërem, & ut conspici possit quid intus agatur; mox stimulante fame rabidi se mutuo morsu enecant, vorantque; ubi autem unus remanet superstes libertate est donandus, & per ædes dimittendus: is murium efferatus carnificinâ, alios mures eidem obvios nil mali suspicantes dente invadit, occidit, & devorat. Moris tamen est, ut mures caseo alliciantur in muscipulis, quas odore casei allecti libenter ingrediuntur, dúmque amicum cibum capiunt, capiuntur ipsi lapsu ostioli muscipulam claudentis. Compingitur muscipula tabellis levigatis oblonga, & quadrangula, tabellarum una loco pavimenti ternas in parietem sustulcit erectas, quibus innititur tabula superiorem claudens partem. Ostiolo aperto cataracta pendula imminet, quæ cadit & muscipulam claudit, cum mus eam ingressus escam filo affixam ferreo leviter tangit, tunc reducto superiori retinaculo cadit ostioli cataracta, quæ muris popinam in carcerem vertit. Quam fallax, & angusta est gulæ voluptas, quæ libertate privat, & ad extremas adigit ærumnas subeundas? quinimò hominem ab ipso homine dejicit, quia ut ait S. Laurentius Justinianus *de sobrietate c. 2. Ubi est crapula, ratio cespitat, intellectus obtunditur, consilia deviant judicia subvertuntur.*

215 Evertunt totum hominem fercula nisi ab illis mens hominis avertatur: & tamen quid non agunt homines, ut ventrem impleant, stomachum farciant? quidquid volitat in aëre, quicquid piscium innatat aquis, quicquid sylvestrium animalium nemura percurrit, vel montium juga inscendit in uno sepelitur hominis stomacho, qui emortuorum animalium fit sepulchrum; & plerunque etiam saturo ventri tumulum apparat, à vero nec latum unguem abscedit vulgata paræmia, quò gula plures dicitur occidere, quàm gladius: siquidem quicquid perniciosi est homini, id à gula veluti à fonte putidissimo suam trahit originem, ac in hominum effluit interitum. Malè carptum malum à Protoparentibus, ut gulæ indulgerent malorum omnium iliadem invexit; unicus vetiti pomi morsus in miserrimam colluviem hominem præcipitavit; inde eruperunt calamitates singulæ, & etiamnum ruunt è cœlo fulmina, reboant tonitrua, cadunt grandines, furunt procellæ, quæ ad quotidiana nos impellunt naufragia. Ut comedamus natura exigit; sed ut vires reficiantur, non opprimantur; probrosum est farcire ventrem, & obruere mentem; sed non esse studiosè ciborum lauritias quærendas natura ipsa docuit, quæ fœdissimo fine eius concludit delicatiores: Scitè S. Chrysostomus homil. 1. in Epist. ad Timoth. *Esca ipsa fine tam abjecto clamat, ne simus deliciarum amatores; nam nisi illa hoc fine desineret, neque in perniciem corporis immodicam verteretur, etiam invicem voraremur.*

Mus longus vulgò glis soporatus tota 214
hyeme intra foramen arboris lemma, *Mortis imago.* Apodosis. Peccator deperdito charitatis æstu, ac divinæ gratiæ vivifico calore, peccato fœdè indormit, otio marcescens, ac probis operibus mortuus: vel hyberno criminum tempore in luxu concupiscentiæ, ac mundanæ voluptatis soporatus mortuus divinæ gratiæ jacet: ad quod fortassis allusit Jeremias cap. 48. cum dixit. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua requievit in fæcibus suis, nec est transfusus de vase in vas.* Aristoteles lib. 8. animal. c. 17. ait hanc Glirìbus esse proprietatem à natura inditam, ut tota fermè hyeme in arborum caveis dormiant, simúlque pinguescant. Imò adeo gravi somno capiuntur, ut vix igne revocari, & excitari possint jacentes veluti mortui; quo tamen plus dormiunt, magis pinguescunt; unde Martialis Glirem introducit ita loquentem

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum; quo me nil nisi somnus alit.

Crollius lib. de internis rerum signaturis homines somnolentos Gliribus æquiparat. Fabulis tamen recensendum puto, quod aiunt nonnulli, quosdam esse in Russia homines, qui urgente hyemis asperrimo frigore in sylvis totam dormiant hyemem, resurgant autem redeunte vere. Sed peccator quamdiu perseverat in peccato, non dormit, sed mortuus divinæ gratiæ jacet; & tunc tantùm excitatur cum resipiscit, cum luce & calore divinæ gratiæ perfunditur. Est peccatum mors animæ; scitè D. Augustinus serm. 28. de verb. Apost. loquens de existente in lethali noxa ait: *quia pedibus ambulat, quia manibus contrectat, quia oculis videt, & audit auribus, officijs cæteris membrorum satis utitur, viventem putas. Vivit, sed corpus ejus; mortua est autem anima ejus: mortuum est quod melius est ejus, vivit habitaculum, mortuus est habitator.* Dum corpus dormit pinguescit delicijs carnis, mundique voluptatibus saginatur, anima emortua jacet. Nil execrabilius corpore, vita, ac usu sensuum destituto; est siquidem pondus inutile, cæcum, fœtidum, immobile, è membris corruptis pure scatens, latéque pestilentem spargens putorem effluentibus virulentiam in tabem intestinis; quidni huic se carcinomati

abomi-

abominando jungit peccatot, & quidem manus manibus, ora oribus, & tamdiu immoratur, quamdiu in lethali noxa perseverat.

217 *Mus* domesticus testamentum prædivitis recèns demortui in involucro papiraceo scriptum, & sigillo clausum dente arrodens, ac dilacetans lemma *Malè partum, malè disperit*. Apodosis. Divitiæ, quas avarus congerit, vel alia iniqua arte acquirit, plerunque neque sibi, neque hæredibus prosunt. Refert Plinius tantam à domesticis muribus percipi in furando voluptatem, ut in officinis aurarijs & ferrarijs ramenta metallorum devorent. Quinimo in rebus domesticis arrodendis adeo grave adferunt interdum detrimentum, ut Jurisperiti hujus meminerint damni illati à muribus in fullonica officina pannis poliendis, vel dealbandis, quod damnum à fullonibus esse resarciendum Dominis panni lege sancitum est *ff. de bonis possess. 2. tabul. v. si ros.* ibi: *Si fullo vestimenta polienda acceperit, eáque mures roserint ex locato, tenetur, quia debuit ab hac re cavere.* Majus tamen inferunt mures damnum, quando instrumenta, vel diplomata, testamenta, syngraphas, vel tabulas adeo arrodunt, ut hæredes possessione bonorum priventur: tunc nec testator avarus, qui arte iniqua divitias congessit, nec ejus hæredes bonis fruuntur acquisitis, & malè partum, malè disperit. Scitè D. Hieronymus *Dives aut est iniquus, aut iniqui hæres.* Ubi divitiæ congeruntur, ibi & vitia ingeruntur, quia ubi aurum pluit, ibi & vitium fluit; unde malè sibi consulunt, qui cum aliorum damno suis rebus consulunt, seu cum nulla habita ratione justitiæ lucro tantùm inhiant, divitijs inserviunt; multisque conflictantur incommodis ob lucri cupiditatem, quæ nunquam expletur, nec satiatur; siquidem non solùm libidine augendi possessa excruciantur, sed etiam metu eadem amittendi acerbiùs torquentur, ne divitijs quibus affluunt, suntque, ut dixit Bion *Fortunæ vomitus*, destituantur: quæstus enim iniquus damnum semper excipit; & Euripides in Jone eos infelicem messem metere dicit; qui opes, & divitias per fas & nefas sibi acquirunt: quinimo de malè quæsitis, nec gaudet tertius hæres.

218 Mustela contra serpentem pugnatura rutam herbam ore mordicus tenet, lemma. *Cautius ut pugnet.* Apodosis. Belli dux non temerè hostem aggreditur, sed providè se munit ne succumbat; pericula omnia præcavet, & quæ impetus possunt irruentis adversarij arcere adhibet. Aristoteles lib. 9. de Histor. Animal. c. 6. asserit, mustelam adversus serpentes rutam comedere; eò quia hujus plantæ odor serpentibus sit infensissimus; id caussæ, cur medici rutam venenorum alexipharmacum esse dicant. Ælianus itidem lib. 4. de Animal. c. 14. asserit rutæ odorem serpentibus esse vel maximè infestum: unde mustela cum serpente pugnatura primùm rutam comedit, postea fidenti animo ad pugnandum veluti armis tecta procedit, & palmam inde reportat de prostrato serpente.

Mustela ex præcelsa arbore descendens, 219
vel invita in os bufonis ingreditur lemma *Vis insita cogit.* Referunt Camillus de Camillis, & Joannes Baptista Pittonus, Mustelam vi quadam magnetica trahi à bufone, in cujus patens os naturæ instinctu ingreditur. Apodosis. Prava consuetudo in alteram versa naturam ad noxia trahit, quia ut scribit Seneca Epist. 97. *Non pronum tantum est iter ad vitia, sed præceps*: & Epist. 39. *Desinit esse remedio locus, ubi, quæ fuerunt vitia mores sunt*: sicut mustela innata quadam propensione dicitur os ingredi bufonis; ita ubi prava consuetudo inolevit in quamdam vertitur naturæ propensionem, quâ homo ad noxia quæque trahitur nisi, vim sibi inferat, quâ naturæ impetum sistat: est siquidem prava consuetudo ait Augustinus *lib. 6. de Mus. secunda, & quasi affabricata natura.* Frequentia enim peccandi potentijs animæ vim quamdam imprimit, quâ ad actus oppositos probos debilitantur: etenim assuetudine peccandi intellectus circa divina obtenebrescit, voluntas enervatur circa bonum honestum, in quod ferri veluti reluctatur, appetitus distorquetur, & libertas quodammodo constringitur; & hujusmodi potentiæ perinde ac in horologio rotulæ longo usu detritæ, excisæ ac absumptæ vitiosæ, circumaguntur, rectum nequeunt suis in motibus ordinem servare. Quapropter ubi consuetudo ad vitia invaluit legem veluti sancit, ac præceptum injungit pravè operandi. Difficulter enim eruitur, quod altè fixum est: clavus eò firmiùs hæret tabulæ, quò profundiùs fuit gravi malleo repetito ictu eidem infixus; quisquis à puero assuescit alicui vitio, etiam cum senescit eidem indulget; qui à teneris annis alicui assuefit exercitio in devexa ætate dat eidem operam. Hebræi Ægyptiorum cæpis, & allijs ab infantia, quia assueverant etiam ipsum delicatissimum manna fastidiverunt; & nauseanti stomacho vel ipsa cœli edulia desipuerunt, licèt in singularis benevolentiæ argumentum, ingentisque amoris testimonium munifica fuerint largitate concessa: obmurmurabant dicentes Num. cap. 2 c. 4. *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo:* nauseanti stomacho non sapuit panis, in quem omnium cupediarum deliciæ visæ fuerant confluxisse; omnium siquidem ciborum sapiebat delicatiorem saporem, qui tamen nauseam movebat assuetis Ægypti vilioribus oleribus. Quid præstantius, quid delicatius manna, quod Angeli è summo cœlo in Hebræorum refectionem demittebant in terram? Sapiebat omnia, quorum gustum humana poterat cupiditas desiderare; nil ex aviarijs, piscinis, culinisque Principum illatum unquam fuerat, cujus delicias in hoc manna, etiam vilissimus quisque è plebe Angelo non gustaret, cum in uno hoc cibo omnes omnium mensarum lautitiæ continerentur, & tamen assuetis ciborum vilitati, nobilitas desipuit præstantissimi edulij; Cavendum igitur ne vitia assuetudine in depravatos transeant mores, quia si semel inoleverint

rint ad exitium pertrahunt innato pondere, cui obsistere difficilimum, quia ut ait Horatius lib. 1 Epist. 2. *Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.*

220 Mustela post occisa plura animalia humi jacentia, cujusmodi sunt mures, vespertiliones, pulli, gallinæ, leporem fugientem arrepta aure sistit, ut occidat lemma *Nulli parcere sævum*, Apodosis. Dux in bello si parta victoria, vel capta urbe in omnes indiscriminatim sæviat, id non virtutem prodit fortitudinis, sed vitium indicat crudelitatis: quamvis Nero apud Senecam dicat *extinguere hostem maxima est virtus ducis.* Nemini tamen parcere Neronis datur crudelitati, non Principis dignitati. Hinc Scipio Africanus aiebat, malle se unum civem servare, quàm hostes occidere mille; indicans pacem bello esse præferendam; & in bello hanc primam in Duce debere curam esse: ut quàm minima civium jactura pareiur victoria: nec bellum indicatur, nisi pura necessitas illud principi suadeat; ne humanus sanguis temerè fundatur: aiebat Agesilaus Rex apud Xenophontem: *Ego & si vehementer lætor hostium exitio: magis tamen delector amicorum officio, aut beneficio à me præstito*, & Julius Cæsar in bello Alexandrino aiebat Nihil libentius facere debet imperator, quàm supplicibus ignoscere, & Theodosius III. Imperator amicis percunctantibus, cur neminem eorum, à quibus læsus fuerat puniret, mortique daret, respondit: *Utinam mihi liceret etiam vitæ reddere mortuos. Semper enim benefacere, & se ipsum parvi pendere modesti animi indicium est.* Prægrandis est viri parcere subjectis, & animi imbecillis in omnes sævire. Mustela hujus rei exhibet Symbolum, cum ijs accenseatur animantibus; quæ rebus omnibus victitant; in omnes sævit inferiores, viribúsque imbecilliores. Pascitur enim serpentibus, insidiatur vespertilionibus, mutibus ut plurimum vescitur, quos teste Porta *lib. 7. Phy.* c. 15. proprio halitu è proprijs extrahit foraminibus, talpas etiam devorat; ob corporis enim gracilitatem angusta foramina faciliùs, quàm felis subit: imò etiam avibus insidiatur, infensa est pullis, & matri; imò etiam gallinarum ova furatur, fracto enim putamine vitellum cum albumine lambit: & Albertus refert, visam mustelam, quæ post longam collusionem leporem defatigatum jugulavit, & Gesnerus narrat: visam itidem fuisse mustelam, quæ leporem aure teneret.

221 *Nauplius*, seu Echinus terrestris contra venaticos canes ipsum aggredientes se se in orbem colligens rostro, pedibúsque instar testudinis intrò contractis prælongos dumos toto corpore faucibus canum objicit, qui ne lædantur a morsu abstinent solo contenti latratu lemma *Tutamen in armis.* Apodosis. Princeps ab injusto aggressore opportunis se muniat armis, militem colligat, qui ad defensionem sufficiat: in armis enim defensivis securitas est principis. Hostis non quærendus est, sed si venerit, armis ne noceat arcendus est. Marcianus Imperator non solùm militia, sed & prudentia clarus adeo moderatus, ac mitis princeps fuit, ut arma nunquam susceperit nisi provocatus; censens Imperatori arma non esse induenda, dum in pace esse possit, quod refert Pomponius Lætus inquiens: donec liceat in pace vivere, non decere principem sumere arma: & Cicero de officijs ait: *Non quæritur pax, ut bellum exerceatur; sed bellum geritur, ut pax acquiratur.* Qui ob solam defensionem arma susceperunt, ut iniquum à se aggressorem arcerent in armis tutamen invenerunt, quamvis viribus imbecilliores. Abrahamus in trecentis decem, & octo vernaculis quatuor reges fudit. Gedeon trecentis dumtaxat selectis militibus centum, & viginti Madianitarum millia fugavit. Machabæi exigua armatorum manu validos variarum gentium exercitus debellârunt. Bethulia minima orbium Palestinæ Assyriorum fortissimum exertitum disrupit, fugavit uno obtruncato Holoferne fœminea manu; quia hisce omnibus tutamen fuit in armis, quæ nonnisi ob sullam defensionem susceperunt; & ut hostes à se propellerent, non quærerent. Qui verò nulla urgente propriæ defensionis necessitate bella instituerunt, licèt ijsdem sub initium fortuna subriserit, finis tamen ut plurimum funestus fuit: testes sunt Nicanor, Bacchides, Gorgias, Lysias, Apollonius, Antiochus, Attila, Totila, Asdrubal, Hannibal, Xerxes, Cosroes, & alij sexcenti: scitè Augustinus: *Illud in bello consideratur, an bona causa fuerit pugnantis: quo casu belli exitus malus esse non potest; sicut nec bonus indicari finis, nisi causa non bona, & intentio non recta præcesserit:* & D. Bernardus ait. *Nullum bellum grave est, nisi quod causa debilitat: quando nil triste pavet: cui majestas arriserit.*

Onocentaura stans prope nemus lemma 222 *Deformior intus.* De Onocentaura narrat Pythagoras, animal esse ore homini simile, pilia prolixis, simul & collum ac pectus humanam speciem exhibere: mammas quoque turgidas in pectore, humeros itidem, brachia, cubitos, & manus humanam habere figuram: dorsum, latera, ventrem, posteriores pedes asino persimiles esse, cinereóque colore. Apodosis. Peccator in brutum degenerans omni destituitor venustate; & quamvis humanam faciem præseferat turpitudine invenustam; adhuc intus est deformior: est siquidem peccatum in anima omnium turpitudinum fex, omnium fœditatum complexio, omnium deformitatum coacervatio: est peccatum Erebi excrementum, cerberi spuma, stygij Draconis sputum, quod totum corrumpit, deformátque internum hominem: nullus est hœdus, qui tam malè oleat; nulla sentina, quæ tam graviter fœteat; nulla cloaca, quæ tam tetram expiret mephitim. Erat Lucifer in cœlo Sapientiæ splendore coruscus, amoris igne fervidus, virtutis luce conspicuus; & ne quid ei deesset ad decorem venustatis Ezech. c. 28.

Omnis

Omnis lapis pretiosus erat ejus operimentum, sed cum primum cogitatione, & voluntate peccatum commisit, omnem amisit venustatem, & è miraculo venustatis, ac elegantiæ, momento deformatus fuit in teterrimum, & spurcissimum cacodæmonem, cujus horrifica species si Deo permittente se nobis spectabilem exhiberet, ejus fœditas omnes spectantes mente dimoveret, & animus tanta turpitudine perterritus deficeret. Non solùm peccatum est turpe, sed turpitudinum omnium congesta colluvies, quâ anima peccato infecta deturpatur, ac tota devenustatur.

223 *Ovis lanata* tonsuræ exposita: lemma *Tondere non deglubere*. Aponosis. Princeps populum ita exactione tributorum tondeat, ut sanguinem non eliciat, seu ad incitas eum non adigat.

EXCURSUS.

Onera supra vires onerati non imponenda.

224 Tiberius Cæsar teste Suetonio præsidibus suadentibus provincias tributo graviore onerandas, fertur respondisse: *Boni Pastoris est tondere pecus, non deglubere*, cum Princeps ex Homero perinde sit custos populorum, ac pastor ovium, non minus suos debet subditos curare, ac oves suas opilio, quarum custodiæ, pastui, ac ornatui incumbit, non detrimentum, nec perniciem invehit: si totum exigit, nil ampliùs ei superest exigendum: scitè Pomponius Lætus: *Qui totum lac ex uberibus ovium emulserit, agnos fraudans cibo, prædo est, non pastor.* Neque laudandus Princeps, qui pennas subditis ita incidit, vel evellit, ut nolint eas renasci, Si populus divitijs affluat plurimum adfert principi utilitatis, sin verò paupertate laboret, nequit tributa solvere. Ovis ideo suo utilis hero, quia opiliones sinunt eam opimis pinguescere pascuis. Est ovis pecus lanigerum, cum reliqua quadrupedia, pilos, setas, & villos gerant: ex cura oviaria quæstum fecisse primos ab orbe condito homines ex sacris literis deprehendimus, & pastoritiam exercuisse ubique terrarum homines etiam nobilitate illustres, & divitijs affluentes refert M. Varro *lib. 2. de re rustic. c. 2.* hinc pecunia, & peculium suam à pecore traxit nomenclaturam. Quia pecus divitias, & necessaria quæque suppeditat in rurali Oeconomia, & omni ævo ex cura oviaria divitem quæstum homines fecerunt: etenim ex selecto grege ovillo plurimi percipiuntur fructus: est siquidem ovis tota utilis, ex ejus vellere à lanario carminato, & à muliere lanifica in filum deducto præstantes texuntur panni, quibus, etiam viri nobiles, & principes vestiuntur: ex pellibus pellio pelliceas vestes, & Alutarius alutas præparat in varios usus. Agnina carne, ac vervecina multimoda varietate assa, elixa, nutrimur; ex lacte pinguiori fit butyrum; minus feroso casei coagulantur: ovina capita probi sunt nutrimenti, & cerebrum melle temperatum infantibus dum dentiunt, gingivis inunctis dentes accelerat: ovis Melota, seu pellis recens excoriata ab ove detracta vibicibus à verberibus inflictis superposita livorem abstergit, & corporis pulsata membra sanat. Viscera in chordas ducta, & arefacta suavissime sonant, & plures simul conjunctæ hujusmodi chordæ gratam efficiunt armoniam, aures demulcentem adstantium, concordant enim in musicum concentum: suam itidem exhibent utilitatem ovium excrementa, campi stercorantur, plusque annonæ, ac frumenti producunt, messémque uberiorem; adeout vel ipsum fimetum ovillum pretiosa dicatur aurifodina absque labore inventa sine sudore eruta. Hinc M. Varro loquens de ovibus ait: *Sunt naturâ quietæ, & aptissimæ ad vitam hominum. Ad cibum enim lac, & caseum adhibitum, ad corpus vestitum, & pelles adferunt. Fructuum ex pecore species sunt duæ, una est tonsura, altera quæ latius patet de lacte, & caseo.* Quod verò ad tonsuram pertinet, placuit ad Symbolum trahere. pecus enim ovium non deglubere, sed tondere boni pastoris est; crudele verò deglubere non tondere. Solet hujusmodi tonsura duplex annuatim institui vernis, & autumnalibus diebus; utraque utiliter ad interlunium. Autumnalis, quæ mense Septembri instituitur præstantior est, quia mollior, ac tenerior. Biduo ante tonsuram in pellucido fluento repetito natatu oves elordibus, & sudore abluuntur, ut lana à quavis purgetur macula.

Ovis absynthium depascens cum lemmate: 225
Mihi dulcescit amarum, Aponosis. Viro asceta virtutum culturæ, præsertim mortificationis addicto sapiunt, quæ alijs displicent, suntque gaudio, quæ alijs sunt mœrori; quia quæ corpori amarescunt ex Dei amore spiritui dulcescunt. Vescuntur oves quovis herbarum genere, etiam absynthio referente Camerario Archiatro Norimbergensi; & quamvis sit hæc herba amara, sapit tamen ovi eam edenti; Symbolum voluntariæ mortificationis à viro asceta susceptæ licèt amara sit, ac displiceat corpori; Dei tamen amor adeo sapidum ei condimentum impertitur, ut sapiat, ac dulcescat spiritui, qui corticem frangit amarum illati sibi convicij; patienter ferens quidquid corpori displicet, ut nucleum gustet, qui dulcis est spiritui: carnis enim quæ imetur mortificatio, est Spiritus vivificatio. Id efficit Dei amor in viro mortificationis studioso, ut Spiritus Deo adhærescens se oblectet carnis doloribus; sibi placeat in ejus cruciatibus, pascatur ejus inedia, reficiatur siti, ditescat egestate, exultet gemitibus, lætetur lacrymis, gaudeat asperitate ciliciorum, flagrorum diritate, membrorum laceratione, sanguinis effusione, mœrorum oppressione, omnisque solatij destitutione: quia quæ amara sunt carni, spiritui dulcescunt mortificationis studioso; quæ putantur adversa corpori, animæ plurimum adferunt emolumenti; & sub mali larva verum includunt bonum, quia dant

merendi occasionem; & licèt hominem plerumque ostendant miserum, non tamen faciunt: idque ex eo facilè evincitur, quia Deus qui non potest errare in rerum delectu, adversa immittit suis dilectis; neque possunt mala esse, quæ à summo proveniunt Bono: etiam Christo alimentum fuerunt labores; sitis, sudor quo maduit; vestitus, paupertas, quâ laboravit; gloria, humilitas, qua ad infima quæque se abjecit: & hæc quæ insipiens mala putat in corpore, ex anima Christi ad gradum quasi divinitatis erecta fuerunt; cum ergo fuerint in Christo consecrata, non aversionem; sed summam merentur reverentiam. Itaque adversa quæ nobis videntur amara carni, dulcia sunt spiritui; & paupertas, labor, humilitas, ignominia, contemptus, & alia quæ nobis videntur mala quamdam sapiunt divinitatem, quam à Christo hauserunt, à quo sanctificata fuerunt.

226 Ovis in perampla planitie herbas comedens unà cum lepore, pluribúsque cuniculis additur lemmati: *Mens ignara nocendi.* APODOSIS. Morum innocentiâ clarus nemini est infensus, quin potius omnibus prodest. Idque vixo etiam congruit pacifico.

EXCURSUS.

Cum hominibus pax servanda, cum vitijs bellum ineundum.

227 PAcificus cum hominibus pacem servat, cum vitijs bellum init; quia ut cecinit ille. *Pax homines, sævas trux decet ira feras:* est monitum Senecæ: *pacem cum hominibus habeto, cum vitijs bellum*; cuj consentiens D. Leo Papa ait *odio habeto peccata non homines.* Neque pacis olea virere ibi potest, ubi vitiorum cupressus non nisi lethiferas spargunt umbras. Quomodo in corde Pax, ubi ardet fax omnium bellorum? seu concupiscentia, quæ perpetuò classicum canit. Ubi vitia grassantur, quæ bella movent, ibi pax esse nequit; neque hæc esse potest in nobis nisi extinctis, & sopitis inter carnem, & spiritum bellis: est hæc pax, quæ affectuum omnium excludit illecebras, perturbationes mitigat, animi commotiones sedat: hinc D. Ambrosius *lib. 2 epist 25.* expendens vulgatum illud effatum: *Assuesce unus esse*, ait: *Ut vita tua quandam picturam exprimat eandem servans imaginem, quam acceperat* hoc est ut sis semper idem, eamdem semper exhibeas frontis serenitatem, & animi tranquillitatem, nec per momenta sis varius, & discolor; ut nunc in facie æstus rubeat iracundiæ, nunc pallor albescat, nunc aliæ animi passiones insaniant.

228 Qui morum custodientes innocentiam, ovisque placabilitate soli DEO adhærent, hi secum conveniunt, séque ventis, ac procellis subducunt, & in quieto sinu cordis, ut placidissimo in portu dulcissima potiuntur tranquillitate, & de ipso loquens David Psal. 73. v. 3. ait *Factus est in pace locus ejus.* In corde hujus viri pacifici circumseptus DEUS omni genere gratiarum hospitium sibi deligit, suósque effundit radios, quibus dispellit omnes ignaviæ umbras, & mentem cælesti perfusa claritate illuminat, & ad cælestem inflammat amorem Psal. 73. 3. *Factus est in pace locus ejus.* In hac interiori pace, quâ se homo à ventis, fluctibus, ac procellis rerum humanarum subducit, DEUS suum ponit diversorium, in quo lubens commoratur, & ex mente Salomonis Proverb. 15. v. 15. instituit *juge convivium*: quia cor pacificum veluti in opipero convivio continua perfruitur animi tranquillitate, ac DEI lætatur amicitia. Hæc tamen pax bellum indicit vitijs, ne mens à regula deflectat honestatis scitè S. Leo Papa serm. 1. de quadrages. *Tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo judice regitur, & anima Deo præside gubernatur*: hanc pacem vir pacificus cum hominibus servat, & tantùm adversus vitia classicum sonat.

Agnus stans in perampla planitie sturni 229
plures prope pascentes illæsi, & alij agno innitentes ejus tergus rostro feriunt lemma ex Claudiano. *Regni clementia custos.* APODOSIS, docet clementia principem.

EXCURSUS.

Clementia fida est principis custodia, illustris character.

NIl in principe validius ad tuendum, custo- 230
diendúmque regnum clementiâ, quâ corda subditorum flectit in sui amorem, animósque sibi devincit. Difficilius est regnum tueri, quàm occupare; audacia & viribus paratur; prudentia verò, & clementia servatur. Hinc Salomon Sap. 6. alloquens principes terræ ait. *Si delectamini sedibus, & sceptris, o Reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.* Est sapientia, quâ virtutes foventur prudentiæ, & clementiæ fulcrum, cuj regnum innititur, ac principatus stat citra lapsûs periculum. Hanc coluit virtutem Cæsar Augustus cum Cinnæ vitæ insidianti, necémque paranti non solùm pepercit, sed & Consulem effecit, fidúmque habuit inter amicos. Quid? Cinna beneficium beneficio compensavit; moriens enim hæredem Augustum inscripsit. Clementia timorem excussit, amorem excitavit, pericula avertit, & securitatem stabilivit: referunt historici, neminem exinde adversus Augustum insurrexisse; quamvis plures per cogitata scelera fuerint antea ejus vitæ insidiati. Augustum sequutus Titus, patritijs duobus, licèt ferrum jam paraverint in Titi exitium, ac rei fuerint deprehensi, ultrò ignovit teste Suetonio in Titum, ubi ait: *Duos patritij generis conjunctos in affectatione imperij, nihil ampliùs, quàm ut desisterent, monuit, dicens, principatum fato dari. Si quid præterea desiderarent, promittens se retributurum, nec solùm illos familiari cœnæ adhibuit, sed in sequenti die gladiatorum spectaculis circa se ex industria locavit.* Tantum exinde apud populum sibi benevolentiæ comparavit

Titus, ut amor audiret generis humani, hominúmque deliciæ vocaretur.

231 Adrianus Cæsar non solùm ijs pepercit, quos privatos hostes tulit, verùm etiam honoribus auxit; & Antoninus philosophus quorum insidias & arma senserat ingentibus potiùs oneravit, quàm affecerit beneficijs. Alexander Severus benignitate, & comitate nefarias Quintij Camilli Senatoris declinavit molitiones, & inde ex hoste jurato fidum sibi paravit amicum; Constantinus itidem adeo Clemens fuit princeps, ut suadentibus, punire deformatores ferro & igne Imperatoriæ statuæ responderit: ego nullum vulnus sentio, nullum experior dolorem. Virum Clementem nulla lædit injuria. Audierat Pyrrus quosdam Tarentinos in convivio parum de se honestum habuisse sermonem; eosdémque accersitos percunctatus fuit, an dixissent. Tum unus ex eis dixit, nisi vinum nobis defecisset; tibi hactenus narrata lusus, jocúsque fuissent: risit Rex ad tam urbanam, tamque sinceram crapulæ excusationem. Antiochi etiam commendatur Clementia, eò quia filium Scipionis Africani à suis interceptum honoratissime exceperit, regijsque muneribus donatum ultro & celeriter patri remiserit, quamvis ab eo tunc maxime imperij finibus pelleretur. Princeps apud quem est plectendi potestas debet naturam induere Patris, qui nonnisi necessitate adactus ad filij punitionem descendit; & quatenus per causas puniendi licet, pœnas etiam minuit infligendas: nec furore, aut ira, quibus facilè ultra recti fines abduceretur, sed amore ductus pœnas infligit mitiores. *Magni animi est proprium*, ait Seneca, *placidum esse, tranquillúmque, atque offensiones supernè despicere.* Id præstat DEUS, quem nulla potest injuria tangere. Altius enim habitat, quàm ut ullius tela ad eum possint devenire; & is Numini dicitur esse proximior, qui convicia contra se prolata, & injurias sibi illatas ex alta veluti specula despicit, adeout missilia quæque à manu quacunque missa virum non tangant clementem, sed in mittentem generoso relabantur repercussu.

232 Panthera inter densa se occultans virgulta, insito sibi a natura odore, reliqua ad se allicit animalia, quæ fame pressa, ungue dilaniat, dente, & faucibus devorat, lemma. *Allicit ut interimat* APODOSIS Meretrix viros blanditijs, ac illecebris ad se trahit, quibus in aureo voluptatis poculo venenum propinat lethalis noxæ, & mortem infert.

EXCURSUS

Meretrix quos blanditijs allicit, ungue dilaniat.

REfert Porta *lib. 1. Physiol. c. 13.* præ cæteris animalibus Pantheram ingenium referre mulieris meretricio quæstu se alentis: est enim Panthera ingenio molli, effæminato, iracundo, insidioso, fraudulento, timido simul, & audacis quapropter fœmina præsertim meretrix Pantheram æmulatur; idque causæ cur, cecinerit Poëta

Non tot habet cælum stellas, nec flumen arenas,
Quot scelerata gerit fœmina mente dolos

Gratam quandam, ubique occultam odoris suavitatem olet Panthera; & hanc bene olendi præstantiam divino donatam munere sibi retinet propriam, & reliqua animalia allicit, & ad se trahit, qua ratione venationem instituit. Indigena Phantera urgente tame esculentia se se in loca fruticibus densis consita, vel folijs vestita ita occultat, ut inventu sit difficilis, vixque respiret: tum hinnuli, dorcades, capræ sylvestres, & alia id genus animalia odoris illecebrâ ad locum trahuntur ubi Panthera latet, quæ mox è sua exiliens latebra prædam uno, vel altero saltu aggreditur, comprehendit, ungue dilaniat, dente conterit, & devorat, ut præ cæteris refert Ælianus *lib. 5. c. 40.* ubi duo etiam assignat pantheræ genera unum corpore grandius, quod Cervos, & oryges insequitur; aliud verò sub se paulò minores animantes comprehendit. In tertia parte Indiæ Lusitanicæ etiam duæ assignantur Pantherarum species, quarum una est corpore minor, sed feritate perversior: altera verò magnitudine superat magnum arietem, & hujus postremæ speciei mas est fœminâ procerior. Pellem pantheræ esse discolorem, varijsque distinctam maculis, appareátque toto corpore oculata, non secus ac pavonis cauda, est satis perspicuum. Hinc Oppianus describens has maculas cecinit.

Versicolor pellis nitido micat aurea fusco
Intersusa nigris maculis candore nitente 233

Solinus refert, in Hircania plures esse pantheras minutis orbiculis superpictas, ita ut oculatis ex fulvo circulis, vel cæruleo, vel albo tergi supellex distinguatur. Quòd verò insito odore alliciat panthera cætera animalia quæ ad se blandè trahens interimit, carnis præsignat voluptatem, quæ sub specie larvatæ suavitatis trahit ad necem peccati. Quid enim sunt voluptates nisi dolorum, & damnatorum appendices? secum enim trahunt plenum malorum agmen; ex voluptate perinde ac ex equo Trojano acies exilit malorum, æquè corpus ac animum infestantium: erumpunt ex voluptate noxæ lethales, aversio à summo Bono, expectatio anxia, usus infamia, & æterna damnatio. Nemo siquidem carnis, ac mundi fruitur voluptate sine propriæ salutis periculo, absque dispendio divinæ gratiæ, sine conscientia læsa; & eò culpa est gravior, quò voluptas

in-

intenditur; eo est culpa noxior, quò voluptas est diuturnior, & quo culpa est gravior, eò conscientia est inquietior; & quò plus crescit animi perturbatio, & conscientiæ angor, eò remissior est voluptatis delectatio.

Vera non est mundi voluptas, ex qua veluti è
234 putidissimo fonte scaturiunt noxij malorum omnium rivuli. Volatica est omnis voluptas, quæ vix incipit, & statim desinit, & dum oritur, moritur, diuturnam, imò & æternùm duraturam post se relinquens pœnitudinem; voluptas in transitu est; sed pœnitudo immota manet: illa in temporis facessit instantaneo, hæc per sæcula lacessit. Personata est mundi voluptas lætitiam quandam videtur exteriùs præseferre; cuj tamen si larvam detrahamus non nisi dolores, cruciatus, & coacervatam omnium malorum invenimus congeriem, scitè dixit D. Bernardus *lib. de Grat. & lib. arbitrio Nulla verior miseria, quàm falsa lætitia.*

235 Solet voluptas hominem deliciarum cupidum umbris, ventis, ac inani specie lactare, cum tamen voluptatibus innutritus non nisi cicuta, vel herba sardonica se oppletum deprehendat, & vera voluptate prorsus destitutum. Non sedat famem terrena voluptas, nec sitim extinguit; sed illam avidius acuit, hanc magis accendit. Id expertus est Salomon, qui cum in summa rerum affluentia viveret, tandem otio, ac delicijs enervatus eò prolapsus est turpitudinis, ut non contentus septingentis primarijs, ac trecentis secundarijs uxoribus, innumeras propemodum adolescentulas (quas D. Hieronymus epist. 132. ad Vitalem pellices vocat, & scorta) suæ explendæ libidini non erubuit subrogare; & totus effœminatus, ac à mulieribus in transversum actus in omnium vitiorum cœno se fœdè volutavit, & belluina ingratitudine se avertit à Deo, quem sibi tam liberalem, & beneficum fuerat expertus. Pomum Sodomiticum refert terrena voluptas, eximia sui specie blanditur, cum intus inanis sit: de pomis Sodomiticis ait Solinus, præseferre speciem eximiam oculis pulchram, sed speciosæ cutis ambitione favillaceam intrinsecus fuliginem abscondere, quæ vel levi pressu tacta fumum exhalet, & fatiscat in vagum pulverem. Imò Circæum poculum diceres voluptatem, eos in bruta convertit, qui illud hauriunt, & siccant; ut scitè monet Seneca, *Voluptas bonum pecoris est.*

Panthera prope fontem pellucidos relin-
236 quens latices in vase prægrandi pampinis, uvisque pendulis circumligato vinum pleno ebibit haustu lemma ex Virgilio, *Nec vini captivis amore*, APODOSIS. Vinum laqueus est Tartarei venatoris, quo inducta temulentia homines fœdè dementat suique juris facit.

EXCURSUS.

Temulentia est Cacodæmonis laqueus, quo immodico vino madidos irretit, facitque sui juris. 237

Oppianus refert, Pantheras vino sopitas facilè, & citra periculum à venatoribus capi, Incolæ, & venatores Lybiæ diligenter observant fontes, in quibus die solent Pantheræ bibere, & nocte plura vasa vino plena illuc afferunt, & inde non procul stragulis tecti sedent Pantheræ siti extinguendæ causa fontes accedunt, sed priùs vasa lustrantes conjicientes ex pampinis vinum, cujus sunt avidissimæ, fontem omittunt, & vino sitim extinguunt, móxque temulentæ frequenti saltatione ludunt, & tandem obdormientes humi sternuntur, & soporatæ à venatoribus capiuntur: propterea cecinit Nicolaus Rausnerus.

Sæva feróxque licet posito Panthera Lyæo,
Ebria captivas dat sine lite manus.

Est vinum, quo plerumque utitur Averna- 238
lis venator ad homines capiendos, & à summo Bono per invectam ebrietatem avertendos, suique juris faciendos, ut ait D. Chrysologus *vinum cum mensura emitur, & sine mensura bibitur;* & cunctè regula cadens rationis fit homo temulentus non sui, sed dæmonis juris: nullus enim est minus sui juris, & liber, quàm cuj Liber est Pater; quid enim servilius illis, quorum vita nihil est aliud, quàm comessatio, crapula, balnea, temerum? *Vino immodico* ait Clemens Alexandrinus *lib. 2. Pædag. c. 2. lingua præpeditur, labra solvuntur, oculi torquentur, ac divertuntur, cum præ humiditatis multitudine visus tanquam in piscina natitet, & mentiri coacti, existimant omnia in orbem ferri, numerare autem non possunt, quæ procul sunt, tanquam sint unica:* quia temulenti sui non ampliùs compotes, ac lumine destituti rationis, quid agant non vident; & deflectentes ab honestate in turpia quæque delabuntur Cacodæmoni mancipati, cujus propterea sunt captivi. Est temulentia, quæ indomitis concupiscentijs, vitijsque omnibus fræna relaxat; & semel excussa, & abacta, quæ inordinatis cupiditatibus obstabat verecundiâ in lucem quidquid mali latebat emergit, tunc impudicus æstus, quibus fœdè intùs fervet foras se explicat; petulans nec linguam continet, nec manum, insolescit superbus, sævit crudelis, livorem, & convicia evomit malignus, & cruentas cædes spargit rixosus: hinc Anacharsis ajebat, tres vitem butros ferre, primum voluptatis, secundum ebrietatis, & tertium temeritatis; sentiens modicum vini uium prodesse cordi, cuj lætitiam ingerit, & sitim sedat; largiorem verò vini haustum temulentiam gignere: & largissimum rixas parere, & morbos alere. 239

Quod verò est deterius temulentia à summo Bono avertit: quapropter Ecclesiastes c. 2. vers. 3. ait *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapien-*

pientiam, devitarémque stultitiam, donec viderem quid esset utile filijs hominum: à vera deicisit sapientia, deflectitque à summo Bono: homo enim vinolentus plerumque est somnolentus, ideóque in DEI obsequio lentus, imò nec aptus cælorum regno capiendo, quod soli capiunt violenti non vinolenti. Est enim temulentia quædam dementia, qua immodico vino madidis dubia, & parum explanata sunt verba, incerti oculi, gradus errantes, tecta, & itinera mobilia, insania propterea contubernalis est ebrietas, quia ubi hæc vino innatat, ratio cæcutit, prudentia exulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur, & totus homo alieni juris, seu Cacodæmonis efficitur.

240 Damnandæ propterea sunt præsertim inter Christianos illæ combibonum provocationes ad potandum etiam postquàm in lautioribus convivijs ventrem impleverint esculentis & stomachum poculentis; hac enim sollicitatione ad plures haustus, quàm necessitas ferat, benevoli audire affectant, tanto tamen nequiores, quanto in pocula exsiccandis invictiores. Infelix sanè est hæc consuetudo, per quam ut loquitur D. Augustinus *serm.* 231. de temp. *amicitia initur DEO inimica*, & grandi mensura sine mensura plures bibunt, & certa bibendi lege contendunt, ut is plus laudis mereatur, qui plura grandiora exsiccavit pocula; quasi ex crimine debeatur commendatio, & ex scelere præmium. Meminit hujus moris D. Augustinus eúmque redarguit *serm.* 232. ubi ait. *Illud verò quale est, quòd jam transacto convivio, expleta siti, cum amplius bibere non possint, nec debeant, tunc quasi novelli, quasi & qui ipsa hora supervenerint, diversis nominibus incipiunt bibere: non solùm vivorum hominum, sed etiam Angelorum, & reliquorum antiquorum sanctorum: æstimantes quòd maximum illis honorem impendant, si se in illorum nominibus nimia ebrietate sepeliant: ignorantes quòd nullus tam gravem injuriam sanctis Angelis, vel sanctis hominibus agnoscitur irrogare, quàm illi, qui in eorum nominibus bibendo, per ebrietatem suas animas probantur occidere.*

241 Alia etiam viget propinandi consuetudo, quâ vas prægrande argenteum mero oppletur generosiore, quod cum primi exorbuerint in tesseram benevolentiæ dant alijs exsorbendas reliquias. Nazianzenus hunc propinandi morem ad priscos refert reges, quos ait consuevisse in publicis, ac solemnioribus festis phialas aureas, vel argenteas mixta potione plena à pincernis accipere & parum quiddam è poculo exsorbere, & in benevolentiæ, ac amoris argumentum alijs porrigere, quod propinare dicebatur. Idque confirmatur ex porrecto à Didone Bitiæ libato poculo. Causam etiam attigit Philostratus epist. 2. ad mulierem cauponatricem, quæ una cum poculo prælibato, osculum quasi poculo impressum ea labiorum prælibatione misit ad amasium. Cyrum etiam prægustata, & semesa edulia amicis propinare consuevisse referunt plures; unde hoc bibendi certamen ex ritu Ethnicorum suam traxit originem, cujus meminit Seneca epist. 83, inquiens *Quæ gloria est capere multum? cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno, ac vomitantes recusaverint, cum superstes toti convivio fueris, cum omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit, vinceris à dolio.*

Pardus ad caulem, umbrámque præcelsæ arboris somno sopitus jacet, plurésque simiæ ejus illectæ odore ex arbore descendunt, quas tamen Pardus è ficto, simulatóque surgens somno ungue discerpit, enecat, & fame pressus devorat. Lemma *Fide, & diffide.* APODOSIS. Fictus amicus plerunque ridet, & arridet in extima facie, cum insidias paret intus in corde. Allicit blanda conversatione, & necem molitur prava intentione; amicitiam simulat, quâ odium tegat. 242

EXCURSUS.

Fictus amicus risu simulat amicitiam, quâ odium tegit.

NArrat Ælianus *lib. 2. de animal. c. 23.* Pardum in Mauritania simias persequi, quarum carnibus avidè vescitur, sed simiæ feram declinaturæ proceres ascendunt arbores; & tunc pardus se mortuum, vel somno sopitum fingens sub arbore jacet; & simia ad illudendum descendunt, quas Pardus saltibus defatigatas inopinatè unguibus, ac dentibus eas comprehendit, ac illis magna aviditate vescitur. Non cujlibet fidendum quamvis amicitiam præ exat, plura spondeat, grata exhibeat; sed probandus est dio, cui fidas; nemini credere, & omnibus fidere utrumque vitium est; ait Seneca epist. 3. Utrumque in vitio est, & omnibus credere, & nulli; omnibus fidere viri prudentis non est; & nulli fidere viri inhumani, qui meretur ab hominum exscindi contortio: propterea *videndum est* ait Seneca, *cui sit fidendum*; amicus priùs diu, ac pluries probandus, quàm semel eligendus: *nam sicut fides*, ait Livius, *maximum est, vinculum bonis amicis: ita credulitatis facilitas pessima, præsertim in inimicis*; quod & Mimus Publianus edixerat inquiens. *Ita amicum habeas, posse ut fieri inimicum putes.* 243

Sicut in rebus reliquis, quæ eximia sunt, eadem & rara; ita in amicitia, cum vix omnibus sæculis ut Cicero notaverat tria, aut quatuor numerentur amicorum paria, quos inter Plutarchus Theseum nominat, & Pyrithoum; Achillem, & Patroclum; Orestem, & Pyladem; Damonem, & Pythiam; Epaminundam, & Pelopidem. Plures invenies amicitiam prætexentes; sed ut proprium commodum inde hauriant, amici ollares plures inveniuntur, quia sunt triobolares: sed spuria est hæc amicitia, quæ nonnisi propria metitur utilitate, quam qui intendit majestatem suam amicitiæ detrahit, eamque in classem abjicit vilissimæ negotiationis: ait Tullius *de Natur. Deor. c. ult.* Amicitiam si ad fructus nostros referamus, non ad illius commoda, quem diligimus, 244

mus, amicitia non est, sed mercatura quædam utilitatum, prata, & arva, & pecudum greges diliguntur illo modo, quod fructus ex iisdem capiamus. Neque diu stat ea amicitia, quæ proprio inhians commodo, soli innititur lucro, quia hoc cessante fulcro, ruit amicitia, & evanescit. Vidisti catellos, ait Epictetus, invicem adblandientes, ac inter se jucundissimè colludentes, nil illis diceres amantius: sed si nosse cupis qualis sit iste amor, carnem iisdem objice; dentes contra se acuent, qui sibi eblandiebantur; utilitas quæ in esu carnis deprehenditur amicitiæ præfertur.

245 Hinc monet Seneca Epist. 3. ad Lucil. *Amicum prius elige, postea dilige*, non tantùm debet esse dilectus, sed è millibus electus, quia non casu, nec temerè, sed consilio, & maturè parandus est. Amicitiam geminam esse dixeris, quam si nobis velimus emere, ne sit adulterina, & ne in emptione decipiamur sine probatione, jurejurando, ac vadimonio à nobis non emitur; & cur sine delectu, & experimento amicus eligitur, qui non alio emitur pretio, quàm amore? semel probatus & electus amicus, servandus, ac diligendus est, quod præstitit Cæsar Augustus, qui cum sex suprà quinquaginta annos Imperium Romanum mira prudentia, & singulari gubernâsset sapientia, & Mecœnate, ac Agrippâ fidissimos semper usus esset amicis, eósque beneficentia, & muneribus benevolentissimos sibi reddiderit; cum jam è vivis excessissent, & ipse Juliam filiam impudicam relegâsset, fertur præmaturo fato utriusque amici illacrymâsse, eósque proprio vocasse nomine; dixit enim: *Horum mihi nihil accidisset, si aut Mecœnas, aut Agrippa vixisset.* Censuit Amicorum ope, si in vivis fuissent, res suas in tuto, & cum decore servare potuisse; hinc Tacitus lib. 4. histor. ait, *Nullum majus boni imperij instrumentum esse, quàm bonos amicos*: sed si amici prosperis parantur, adversis probantur.

246 Fortuna si arriserit plures accersit amicos, quos tamen abigit, cum primùm exasperatam frontem eisdem ostendit. Fidus amicus eodem oculo fortunam aspicit sive faventem, sive novercantem; nec amicum deserit, quia adversitatibus pressum, vel ad incitas redactum. Qui plures hujus generis amicos habet, iisdem fidere potest, & felicior est Briareo centum prædito manibus, felicior Argo centum munito oculis, & opulentior Davide centum divite regnis, quia plus prodest amicus bonus, quàm divitiæ multæ; & satius habere verum amicum sine pecunia, quàm pecunias possidere sine amico. Nititur amicitia amore non tamen concupiscentiæ, & quo corporis diligitur venustas; quia hic amor plerumque est noxius amanti, & cito evanescit; scitè Nazianzenus orat. 20. *Corporum amores, quia rerum fluxarum sunt, fluunt, & ipsi, non secus ac veris flores. Nam nec flamma, consumpta materia remanet, sed una cum ea extinguitur; nec cupiditas marcescente fomite subsistit. At pudici, & DEO grati amores, quandoquidem rei stabilis, & firmæ sunt, propterea diuturniores etiam sunt.* Hinc neque inter improbos vera potest esse amicitia, quia hæc sola innititur honestate; & Plato apud Apulejum lib. de philosophia amicitias voluptati innixas, quæ potior est pars amicitiarum inter improbos, vocavit *Calamitates animarum*, quas è cathalogo veræ amicitiæ expunxit; qui sint veri, ac fidi amici edisserit Epictetus apud Arrianum lib. 2. c. 22. inquiens. *Ut sunt fideles & justi, ita quoque amici dicendi sunt homines. Ubinam quæso est amicitia, quàm illic, ubi est fides, pudor, exhibitio honesti, & nullius rei alterius?* Cæterùm ita amicum posside, ut inimicum fieri posse putes, 247
si probus sit, ei fide, si improbus diffide.

Pecora Indica depascentia palustrium arundinum comas cælesti melle imbutas lemma. *Dant pascua mores.* APODOSIS. Proba adolescentum institutio instar mellis in eorumdem animos infunditur, quos corroborat in cultura virtutum.

EXCURSUS.

Proba morum institutio naturæ corrigit pravas propensiones. 248

REfert Ælianus *Lib. 15. c. 7.* pecora Indica in regione Prasiorum vesci palustrium arundinum comis melle è cælis delapso imbutis, & mirifice corroborari, ac saginari, morésque haurire mitiores, magisque cicures. Asserit in regione illa Prasiorum liquido melle pluere; quod in herbas & arundines decidens præstantissimas pastiones ovillo, & bubulo pecori præstat, ex quo suavissimum lac emungitur viribus roborandis aptissimum. Liquidum hoc mel cæleste quod in herbas, ac palustres decidens arundines optimum suppeditat pecori alimentum, quo mitiores, magisque cicures contrahit mores, & ad subeundos labores mirificè corroboratur; typus est probæ educationis, ex qua prodeunt aurei fructus virtutis, & eruditionis. Fateor plurimum naturam valere ad virtutum studia, & incrementa, cum dixerit Salomon Sapien. 8. *Sortitus sum animam bonam: & cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Sed eum meliùs de se meruisse dixerim, qui malignitatem naturæ vicit, & ad virtutem eadem obnitente se perduxit & obstantia quæque extrusit. Solemnis est quæstio illa, quâ ab eruditis viris dubitatur, an ad rectè vivendum efficacius sit bene institui, an bene nasci? utraque pars quæstionis suis fulcitur argumentis. Plures tamen naturæ proterviam provida, ac prudenti vicerunt institutione, quàm naturæ probitatem in maligna retinuerint institutione: & plures etiam ab ingenita probitate improborum consuetudine degenerârunt, quàm adnatam malignitatem inter proborum contubernia excusserint. Quamvis naturæ probitas maxima sit censenda felicitas; recta tamen institutio si valido exercitio, ac continuato studio roborata fue-

rit

rit firmior esse videtur; adeout adolescentes facilius à fortunata naturæ probitate deflectant, quàm à confirmatæ bonæ institutionis inchohata consuetudine; quia proba institutio ubi coaluit, ac callum quemdam probitati induxit firmior est naturæ bonitate: unde D. Ambrosius ait. *Tantùm valet institutio, ut vincat naturam*; vincit proba institutio naturæ vitium; & Plutarchus eos redarguit erroris, qui naturæ malignitatem censent nulla posse proba deleri institutione, ait ipse: *Si existimas minus feliciter natos, institutionem tamen, & exercitationem sortites ad virtutem rectam non posse vitium naturæ corrigere, scito magnopere te, vel potius omnino falli. Siquidem naturæ dotem labefactas socordia, pravitatem doctrina emendat.*

249 Nullum est adeo protervum naturæ vitium, quod assidua virtutis exercitatio non corrigat, ac deleat: idque evincitur exemplo, ac experimento Lycurgi: is leges condidit Lacedemonum; cúmque conaretur cives à moribus corruptis ad temperatiorem vivendi normam pertrahere, eósque virtutis cultores, & honesti studiosos efficere, cum essent delicijs corrupti, ac effæminati, duos educavit catulos venaticum unum, alterum domesticum. Venaticum passus est domi lautioribus vesci cibis, domesticum verò eductum venationibus exercuit. Dein cum ambos produxisset in forum apud multitudinem, posuit illic escas aliquas delicatiores, mox emisit leporem: cumque uterque canis ad assueta raperetur, & venaticus escas, domesticus leporem invaderet: An non videtis inquit, cives duos canes ob diversam educationem admodum dissimiles evasisse, plusque ad honestatem momenti habere exercitationem, quam naturam? hinc scitè ajebat Cicero. *Eligenda est optima vitæ ratio, quam consuetudo jucundissimam reddet*: experimentum id nos edocet in adolescentibus, qui licèt naturâ imbecilles, viribus destituti vivendi rationi austeræ in sacris religiosorum Ordinibus assuescunt excalceati, seminudi: in id igitur vel maximé incumbendum, ut optimum seligatur vivendi institutum, quia tametsi ab initio difficile, ac durum esse videatur, assuetudine facile, ac dulce fiet: quia ut monet Seneca. *Educatio & disciplina mores facit: & id sapit unusquisque, quod didicit. Itaque bona consuetudo excutere debet, quod mala instruxit: bene docet loqui, bene facere.*

250 Nil validius ad mores ritè formandos proba institutione. Nulla enim malignitas est, quam assidua virtutis exercitatio non corrigat. Neque minus labor in poliendo homine, quàm in reliquis corrigendis rebus habet momenti; quòd si incoluntur vastæ solitudines, feruntur steriles arenæ; exscinduntur neglecta novalia, quæ & centupla beantur fœneratione; eliquantur saxa, ut vel in excelsis rupibus flores legantur: quòd si tantum ars potest in corrigendis rerum insensibilium defectibus; minus non erit habitura efficaciæ in animorum cultura. Quod si præduræ rupes, & sterilescentes arenæ in florum vernant areolas solius artis industriâ, ac laboris assiduitate; cur neglecti, & sylvescentes animi labore, studio, ac proba institutione non erunt flores virtutum germina ut? An animis sunt saxa molliora? si rupes præ mitescunt, & arenæ naturalis oblitæ sterilitatis uberem suppeditant cultoribus fructuum messem; an humana pectora flecti nescia persistent inculta? si chalybs malleis contusa lentescit; cur vestigia probitatis non erit recta institutio animis impressura hominum? si leota mollissimi elementi stillicidia prædura marmora conterebrant; cur prædura hominum corda vigilans, ac diuturna erudientis cura non emolliet? huc accersendus Seneca: *Certi sunt domitores ferarum, qui sævissima animalia, & ad occursum exterrentia hominem, docent pati jugum: nec asperitatem excussisse contenti, usque in contubernium mitigant. Leonibus Magister manum insertat, osculatur tigrim suus custos, elephantem minimus Æthiops jubet subsidere in genua, & ambulare per funem.* 251
Sic sapiens est artifex domandi mala.

Quod si hæc in teris, cur non magis in homine, & præsertim in puero? ajebat Socrates apud Erasmum *3. Apoph.*. Optimè natis, ingenuísque potissimum adhibendam rectam institutionem. Idem enim in his usu venire solet, quod in equis, in quibus feroces, ac generosæ indolis, si statim à primis annis rectè instituantur, egregij, & ad omnem usum accommodi evadunt; secus sine institutione efferantur, fiúntque intractabiles, & ad nihil utiles. Eóque fit, ut felicissima quæque ingenia corrumpantur inscitia instituentium, qui mox equos vertunt in asinos. Licet fortes creentur fortibus, ut pulchrè cecinit Venusinus Poëta *lib. 4. ode 4.*

Fortes creantur fortibus, & bonis,
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Plerunque tamen ex optimis parentibus filij gignuntur improbi, qui nisi proba formentur institutione, omni coinquinantur vitio à moribus degeneres parentum: unde pergit Horatius,

Doctrina, sed vim promovet insitam
Rectique cultus pectora roborant.
Utcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Pronior sæpe natura est in malis, & tenacius hærent in sanguine vitia, quàm in eodem floreant virtutum germina. Mali filij à pessimis persæpe, ac nequissimis nascuntur parentibus: nequissimus Neronis pater Domitius, & Agrippina mater sola scelerum impunitate magna portentum in Nerone filio potiùs, quàm regem imperio dedêre Romano. Caligulam è contra ex Germanico Patre virorum præstantissimo natum, vecors ingenium in omnia dedecora traxit. Quòd si Sacras volvamus paginas, Manasses omnium cæde, ac flagitio maculosus ex pa-

rente probiſſimo Ezechia genitos diſſimilis prorſus fuit patris moribus. Emergunt è converſo ex ſpinis roſæ, ex rudi radice viri magni, ex Ammone peſſimo Joſias prodiit innocentiſſimus.

Latent tamen in nobiliſſimo ſanguine
252 quædam eminentioris nobilitatis lamina, quæ ſi Numinis foveantur gratia adoleſcunt promptiùs in fructus optatiſſimos heroicarum virtutum; quia vero divinæ gratiæ influxui adjungenda eſt humanæ induſtriæ cooperatio, accurata inſtitutio, & morum cultura: ideo attendenda eſt adoleſcentis indoles, naturæ propenſio; & an verecundus ſit, an effrons: ait Seneca: *Bonum in adoleſcente ſignum eſt, cùm illi ex alto rubor ſuffunditur.* Sunt qui internas hominis propenſiones, ex vultûs externa ſpecie, & extima totius corporis habitudine metiuntur; non quòd hujuſmodi ſigna non fallant; ſed quia non omnino inania ſint; unde Eumenius in Conſtantino ait. *Non fruſtra doctiſſimi viri dicunt naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi poſſe, quantus illos cæleſtis ſpiritus intrarit habitator.* Putant ex ſignis externis perinde ac ex arte. rixrum citato, lento, interciſo, aſpero, molli, ac fugiente pulſu conjici poſſe tota interni animi conſtitutionem; utunturque quia ut ait Sapiens Eccleſ. 19. v. 27. *Ex viſu cognoſcitur vir, ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus: amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.* Igitur ex Phyſiognomia, & corporis temperamento internum animi conjiciunt ſtatum cenſentes, faciem amplam ſegnes arguere, parvam puſillanimes, rotundam iracundos, piloſam feros, albam fœmineos; pallidam, & exanguem perverſos. quinimo ex ſola extima manuum cute, tenſa, aſpera, ſucculenta, areſcente, duriore, molliora, non vana putant poſſe valetudinis, ac mortis ſigna delumi; Eccleſ. 8. *Sapientia hominis lucet in vultu ejus* dicunt, improbas eſſe nonnunquam facie deformi, auribus prolixis, & anguſtis, oculis vibrantibus, ore parvo arctiùs protenſo, dentibus raris longis, & exertis, lingua veloci, collo incurvo. Prudentes corpore eſſe parvo, capite paulò majore in ſinciput, & occiput protenſo, fronte quadrata, & juſtæ magnitudinis, pectore lato, manibus oblongis, oculis magnis, & fulgentibus. Ingeniolos eſſe carne molli, & humida, capite mediocri, pilis medijs duros inter, & molles, facie alba, & ſubrubicunda, oculis amplis, voce clara, cruribus non carnoſis, ſtatura concinna.

253 Fortes arectâ eſſe cervice, oculis vigilantibus, lato pectore, humeris muſculoſis, valentibus digitis, longioribus brachijs. Verùm incerta eſt ex hiſce ſignis corporis divinatio: frons enim vultus, & oculi perſæpe mentiuntur. Cæterùm qui bile tument, ut plurimum ſunt audaces, vegeti, leves, deſultorij, acres, quibus nec in capiendis conſilijs maturitas, nec in exequendis ineſt patientia. Qui pituita gravantur perſæpe ingenio, & corpore ſunt tardi, & in corporis potiùs, quàm in animi curam projecti. Quibus ſanguis dominatur, felici ſunt mente, miti congreſſo, lingua expediti. Ut autem ſi qua ſit prava in adoleſcente propenſio ad vitia, optima inſtitutione delenda eſt, & ad id vel maximè conducunt vigiles oculi parentum, ac moderatorum, idque exemplo teſtudinis declaratur, de qua Phyſiologi referunt, quòd ſua ova ſolo fovet viſu; eum ob teſtæ duritiem nequeat ovis incubare; hanc natura ei proprietatem indidit, ut ſolo intuitu ova ſua foveat, animam, & vitam tribuat. Pari dixerim ratione parentes viſu ſuo liberos fovere, ac corrigere. Hæc verò inſtitutio neceſſe eſt ſit tempeſtiva, quia nimia dilatio perſæpe reddit adoleſcentes inflexiles, & refractarios inſtitutioni; materiæ molleſcenti facilè ſigillum imprimitur, quæ ſi obduruerit difficulter characteres recipit. Adoleſcentes cum adhuc tenelli ſunt faciliùs diſciplina imbuuntur, difficulter verò ſi ad ætatem grandiorem adultioram.

Pecora Pontica abſynthium depaſcentia 254 lemma ex Virg. Georg. l. 2. *A teneris aſſueſcere multum.* Refert Plinius Pontica pecora abſynthio veſci; & inde pulchriora fieri, ac pinguiora APODOSIS. Ea eſt vis conſuetudinis; ut quæ amara ſunt dulcia reddat; & ſapiant ex aſſuetudine, quæ aliàs diſplicerent; imò & ipſa noxia in bonum convertat.

EXCURSUS.

Optimum vitæ inſtitutum, quamvis ab initio amarum, aſſuetudine fit dulce.

ABſinthium ex Dioſcoride herba eſt ſua a- 255 maritudine ſatis nota, quæ in officinis ſuum retinet nomen. Abſynthium verò Ponticum eſt præ cæteris celebre, quò pecora paſcuntur ad uberiorem ſpeciem, ac pinguedinem; & quamvis amariſſimum ſit; quia tamen Pontica pecus à teneris eidem aſſuevit; libenter eò paſcitur, atque placet: neque nocet quod aſſuetudini inſeruit. Eudemus conſuetudine venenorum adeo ſibi callum obduxerat, ut cum helleborum biberet, non purgaretur: adeout duas ſupra viginti aliquando potiones uno die ſumpſiſſe dixerit, cum in foro apud merces ſederat, & cum poſt meridiem domi more conſueto cænaſſet, non evomuit, ut narrat Theophraſtus *lib. 9. de hiſtor. plant. c. 18.* Conſuetudo non ſolùm lex ipſa eſt, ſed & altera natura. Neque enim ſolùm legem imitatur, ſed & vincit legem, adeòque plus habet roboris quam lex ipſa, quia tranſit in naturam; onde magnum eſt illius robur, quod ſecum trahit, quæcunque robuſta; & quandam quaſi neceſſitatem invehit. Quòd ſi prava fuerit hominem in barathrum trahit miſeriarum; etenim frequentiâ pec-

peccandi vis quædam fit animi potentijs, quatenus assuetudine scelerum intellectus circa divina obfuscatur, voluntas enervatur ad prosecutionem honesti, appetitus distorquetur, libertas constringitur, & singulæ in anima potentiæ perinde ac in horologio rotulæ ferrugine, & longo usu detritæ, & excelæ distortè moventur, & vitiosè circomaguntur.

856 Quòd si semel in transversum mens agitur humana, sive in similitudinem otij, quo solvitor, ac enervatur; si mox inveterata peccandi consuetudo conscientiæ callum obduxerit, magni est laboris, ac industriæ pristinum in ea virtutis splendorem, veræque sapientiæ decus resarcire, ac pristino rectitui virtutis studio; qoia consuetudo molita in alteram transit naturam: & sicut nequit Æthiops pellem, nec Pardus discolores mutare maculas, ut ait Jeremias c. 13. v. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas:* ita anima *sanie peccatorum* ut loquitur Basilius q. 55. *suppurata*, & in cœno stabuiandi vitiorum assueta, vix inde emergit; quia ut ait D. Hieronymus *Facilè cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret*, quod cum observâsset Cassianus lib. 10. c. 6. ait mens otiosi ita paulatim noxijs cogitationibus irretitur, ut velut serpentis alicujus spiris obstricta, nunquam deinceps ad perfectionem professionis antiquæ se possit enodare. Imò non serpentis alicujus spiris irretiuntur vitio assueti, nec alieno ferro læduntur, sed ferrea propria voluntate interimuntur; vel ut ait Zacharias c. 7. v. 12. adamantina: *Posuerunt cor suum,* ait: *ut adamantem, ne audirent legem*, quam non auribus percipiunt, sed pedibus conculcant. D. Bernardus quærens quid sit hoc cor peccandi consuetudine obduratum, ait esse, quod nec compunctione scinditur, nec movetur precibus, nec minis cedit; ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentia negligens, & futura non prævidens. Sed non inde desperandum, sed toto conatu laborandum, & enixim Deus rogandus est, ut suam nobis opem impertiat. Nihil enim est tam depravatum quod Dei beneficium, & gratia non corrigat, curvatas trabes calor explicat, & labor improbus difficilia quæque superat.

857 *Pigritia* animal è somno cùm expergesit vix ad ambulandum se urget, jacétque humi lemma *Pulso jam surgo sopore*, Refert Maffeius Histor. Indic. *lib. 16. c. 18.* reperiri apud Indos animal, cui nomen latinè pigritia; Cerigànum ferè magnitudine, sed rostro fœdiote ad aspectum, & unguibus ad digitorum similitudinem prominentibus: huic ex occipitio diffluens coma cervicem velat, lentóque ventris adipe verrit humum, nec unquam in pedes erigitor; & tam tardè movetur, ut quindecim ipsis diebus vix ad lapidis jactum continuo tractu prodeat. Refert itidem hoc animal arborum victitare folijs, & in earum fastigijs plerunque degere, in quarum ascensu biduum impendere, & tantundem in descensu; & non posse fustibus, & plagis tantillum dimoveri ab insita ignavia. Joseph Acosta *lib. 4. histor. nat. Indiar.* narrat aliud dari animal cui etiam nomen pigritia, per montes tamen libenter vagari, licèt tardissimo gressu, præsertim in locis, ubi latent formicarum cavernæ, quas rostro aperit, & ingerens intus linguam, eamdem formicis onustam ad se attrahit, ac so micis vescitur. Gesnerus in Appendice viviparatum asserit hoc animal fuisse suo tempore in Galliam delatum: & Lerius in Historia navigationis in Brasiliam, ait hoc animal in Brasilia vocari Tattu, vel Dattu, & simile esse dicit Herinaceo. Apodosis. Vir quem socordia, vel tepiditas, seu pigritia occupat vix proficit in suscepto instituto, & mavult otio marcescere, quàm operari.

EXCURSUS

Segnities, quæ otium non excutit labores ad se trahit.

QUi pro Deo laborare negligit, eò laborabit diutius, quò remissius; quinimo torpescens in Dei obsequio in periculum se injicit æternis laborandi cruciatibus. Malum ob solam socordiam non se putat, séque tutum existimans jacet in suo tepore; sed timenda est hæc securitas, quam tepiditas spondet, socordia fovet; siquidem tepidus effusam Dei misericordiam, ac profusam munificentiam compescit, ne manum aperiat replentem omne animal benedictione; idque causæ, ut licèt sit Deus plerunque in summè malos summè bonus, ac cumulatè munificus: erga tepidos sit avarus, eisque deneget, quod alijs plena manu impertitur; quia piger flocci faciens Dei dona, & talenta ea sepelit, ne operetur: unde Jerem. c. 48. v. 10. *Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter*: piger est iste maledictus faciens Dei opus fraudulenter, quia se pluribus meritis, & Deum sua defraudat gloria: nullum fortassis malum ipsa socordis deterius; quia languet Spiritus bona, & Dei dona, quæ possent sperari impedir. 858

Imò quod est tinea vestibus, ærugo ferro, caries ligno, hoc est desidis tempori otiosè impenso. Absumit socordia tempus non secus ac caries lignum: hominis socordis vita licèt ad plura prorogetur lustra ad ultimum protrahatur senium, multo tamen est brevior, quàm operantis, qui nonnisi unum, vel alterum vixerit lustrum, quia per bona opera in brevi explevit opera multa; & unius anni spatio tam molta collegit merita, ut plures adæquaverit olympiades. Quamvis piger in mundo diu fuerit, non tamen diu vixit; quia nil fuit operatus; est operatio, vitæ exercitium, quo qui destituitur vita caret, ac mortuo similis jacet, ac sordet in pulvere segnitiei, vel somnolentus indormit, non solùm cum manè Sol intra fenestras plenum secum afferens diem; sed etiam cùm adultus in meridie ad 859

ſuum incipic vergere occaſum; & tota die languida inertiâ, & ſopore tenetur; ac ſemiſopitus diem miſerè perdit abſque ullo boni operia lucro; quod eſt miſeriarum ſumma: cæteræ miſeriæ vitam tantùm affligunt, ſed ſocordia penitus delet: cæteræ calamitates ſunt cum tœnore homini moleſtæ, quia non mediocriter ad merita cumulanda conducunt; & ſi patienter ferantur ad cœlum manuducunt: ſocordia verò graviter animæ officit, quia ne mereatur efficit. Nemo intelligit quàm ſit noxia homini ſocordia, & quanti ſit momenti, ac pretij Dei gloria, niſi qui excuſſa ſegnitie ſtudet Deo placere, ejúſque gloriam per exercitia bonorum operum demereri; ideóque virtutis amans à ſocordia velut ab improbo, & moleſto creditore ſatagic ſe quàm primùm expedire.

254 *Rhinoceros* limato ad ſaxum cornu Elephantem intentum ſibi hoſtem aggreditur, licet corporis mole grandiorem, & ventrem molliorem, ac tenuiorem impetens præcordia diſcerpit, hoſtémque viribus licet, & mole corporea valentiorem proſternit lemma *Induſtria & Armis* Apodosis. Vires induſtria ſupplet Belli dux plerunque viribus, ac armatorum numero imbecillior Adverſarium licèt milite, ac armis fortiorem vincit, ac proſternit, quia bellico ſtratagemate, & potiori conſilio in eum irruit, ex qua parte novit poſſe eum vincere.

EXCURSUS.

Conſilium armis validius.

255 RHinoceros altitudine corporis Elephanto longè inferior, cum eo tamen dimicaturus limato priùs ad ſaxum cornu in pugna Elephantis petit aluum quam ſcit eſſe molliorem. Deſcribit Rhenocerotem Diodorus Siculus lib. 4 Biblioth. eſſe animal, magnitudine Elephanto inferius, pelle duriſſima, colore buxi, gerens in ſummitate naſi cornu, ſimum forma, durúmque inſtar ferri, quo pabuli causâ pugnat cum Elephante; acuit enim ad ſaxa cornu, deinde cum Elephante congreſſurus ventrem adverſatij cornu veluti gladio proſcindit, hoſtémque reddens exanguem proſternit. Solinus Polyhiſtor. cap. 63. loquens de Rhinocero e ait: *In naribus cornu unicum, & repandum, quod ſubinde attritum cautibus in mucronem excitat, eóque adverſus Elephantos præliatur, par ipſis prope longitudine, brevior cruribus, naturali telo aluum petens, quam ſolam novit ictibus ſuis perviam.* Audaciam, & robur in bello per Rhinocerotem ſignificari edifferit Eucherius ex illo Jobi *Nunquid volet Rhinoceros ſervire tibi*: & de illius iracundia cecinit Martialis *O quam terribiles exarſit pronus in iras.* Quòd ſi fortuna audentes juvat, interdum etiam metuit, ut innuit Seneca in Medea, inquiens. *Fortuna fortes metuit, ignavos premit*, quo Symbolo uſus eſt C. Junius Poſthumus Imperator: monens fortiter debere non fortunam periclitari; licèt ignavos interdum foveat; magis tamen, & frequentiùs ijs favet, qui fortiter fortunam periclitari, quàm qui nihil experiri audent; quia ut monet Terentius plerunque caſus comitatur induſtriam.

256 *Simia* proprium complectens in ſinu fœtum adeo arctè ipſum ſtringit, ut enecet: lemma *Exitium parit indulgentia patris.* Apodosis, parentes ex nimio amore, quo filios proſequuntur, plerunque eos perdunt: nimia patris indulgentia prolem laxat, quæ nullo coërcita frœno præceps ruit in vitia.

EXCURSUS.

Parentum indulgentia filijs noxia.

257 REfert Plinius lib. 8. c. 54. Simiam adeo ſobole delectari, ut interdum catulos inter amplexus ſtringendo anecet; quod nimiæ parentum erga liberos indulgentiæ adaptatur, quæ filijs perſæpe eſt exitioſa. Experientia nos docet mitiores, nimisque indulgentes patres filijs ſuis plus obeſſe, quàm prodeſſe, præpoſterè nimis licentiam eis concedentes. Ut tellus priùs aratro diſcinditur, quàm optimam meſſem, fructúsque uberes proferat; ita tenella puerorum ingenia primùm frœno ſeveræ diſciplinæ ſunt compeſcenda, ne vana libertate in vitia proruant; ſolet lenitas parentum in filiorum verti damnum, ſolamen in diſcrimen, riſus in luctum, indulgentia in perniciem: tenella in adoleſcentibus ætas ceræ haud abſimilis ardore concupiſcentiæ, ac voluptatis facilè liqueſcit, & effluit. Indiget proba prolis educatio optimo, & ſelecto moderatore; adamas enim adamente poliri exploratum eſt. Fœnum græcum ait Plinius *lib. 18. c. 16.* quo tractatur peius, fit ſemper melius. Thomas Morus Angliæ Cancellarius liberos ſuos, ac domeſticos, ita inſtituit, ut Deſiderius Erasmus Moro perquàm familiaris dicere conſueverit Mori domum gymnaſium eſſe Chriſtianæ diſciplinæ, referente Stapletonio in vita Mori.

258 Proba itidem fuit inſtitutio, quâ Albertus Dux Bavariæ filium ſuum Erneſtum poſtea Archiepiſcopum, & Septemvirum, ſeu Electorem Colonienſem voluit inſtrui, ac educari. Quædam ſcripſit ipſe monita, quæ regula eidem eſſent agendi, præſertim Romæ ubi tunc degebat. Injunxit Præfecto Erneſti filij, ut nunquam noctu, nec interdiu ab ejus latere diſcederet, ac præ oculis ſemper eum haberet. Publicis convivijs intereſſe non permitteret, niſi ex conſenſu ſummi Pontificis. Ut libera quorumvis ſcriptorum lectio ipſi interdicatur, ac prohibeatur, ne quid librorum, ſcriptorúmve habeat, aut contrectet, quod non priùs viderint, ac approbaverint Moderatores. Ut nullus literas, vel chartas, aliúdve quodcunque citra conſenſum Præfecti ei exhibeat: nec ullus ad ejus colloquium admittatur niſi conſentientibus, ac probantibus moderatoribus; nec quidquam in ſecretiore loco

ſemotis

semotis arbitris tractetur; sed omnia palam, & apertis verbis. Ut hi omnes arceantur, qui suis colloquijs, suggestione, aut alio quovie modo tenellum animum filij inficere, ac corrumpere possent, ut sunt homines suspectæ vitæ, infimæ notæ, ac levissimæ conditionis, rerúmque novarum captatores, vel delatores, quos inter sunt perniciosi adulatores. Ut nullum habeat armeriom, arcam, capsulam aliúdve simile secretum, ac occlusum, quod non possit moderator pro placito inspicere. Scripsit plura alia monita, quibus pietatem, studia, & probam injungebat conversationem.

279 Probè instituuntur liberi si diebus singulis aliquam sibi præfigant Christianam virtutem seriò exercendam; si manè expergefacti primas cogitationes ad Deum dirigant, cui debitas rependant gratias pro quiete anteactæ noctis, & ei offerant, quicquid die illa erunt acturi, dicturi, vel cogitaturi, ejusque opem enixim efflagitent, qua possint noxas omnes præcavere, & præsertim ut possint castè vivere, & virtutem excolere pudicitiæ; si sacrificio missæ devotè intersint: semel saltem in hebdomada conscientiam sacra purgent exhomologesi; Formule confitendi D. Bernardo hæc est. Ira turbavit, laceravit me invidia, inflavit superbia: inde contraxi mentis inconstantiem, oris scurrilitatem, opprobria proximorum, scelera detractionum, linguæ effrenationem, seniorum meorum imperia non servavi, sed judicavi; de mete negligentijs, ac imperfectionibus objurgatus aut rebellis fui, aut murmuravi, præterre me melioribus impudenter affectavi; simplicitatem spiritualium fratrum irridenter exagitavi, obsequia delata fastidivi, negata quæsivi, juniores me elatus despexi. Non observavi in sermone modestiam, in obsequio reverentiam, in moribus disciplinam; habui in intentione pertinaciam, in corde duritiem, in sermocinatione jactantiam: in humilitate fui fallax, in odio pertinax, in jocatione mordax, subjectionis impetiens, potentiæ sectator, ad opus bonum piger, ad venitatem paratus, ad obsequium durus, ad loquendum etiam, quæ nesciebam expeditue, temerarius in judicando, fastidiosue in audiendo, præsumptuosus io docendo. Sæpe me jactavi fecisse, quod non feceram, vidisse quod non viderem, dixisse quod non dixerem. Cogitationes, & motus carnales habui, in quibus excutiendie negligens fui, & tandem me fateor ex omni parte reum. Peracta confessione bis saltem in mense sacræ synaxis epulo vires Spiritus reficiat. Non præsumat ullam eloqui blasphemiam, ent scurrilitatem; paci & concordiæ studeat. Nocte antequem eat dormitum, conscientiam examinet, ipsúmque pœniteat patratæ noxæ, & satiò proponat emendationem.

280 *Simia* arrepto felie pede castaneas prunis, ac cineribus obtectas extrahit, ne ipsa carbonum adustionem sentiat. Viderat Simie referente Maiolo *colloq.* 7. sociam in extrahendis è prunis & cineribus castaneis se combussisse, ne idem incurreret ipsa periculum, pede utitur felis lemma *Faciunt aliena pericula cautum* Apodosis. Vir callidus dum suis commodis impensius studet, alios periculis objicit, à quibus se avertat, & alieno damno proprium enancifcitur commodum. Quòd si pericula incurrendi damnum corporis præcaventur, quanto magis peticula, & occesiones peccandi, quæ exitium inferunt animæ. Vide occesiones peccandi.

Simia prægramde vitreum vas vino ple- 281
num exsiccans fit temulenta, & à Venatoribue rete capitur. Lemma *Vina parant casses.* Apodosis. Libertas perit vino naufraga: est ebrietas cassis tarrarei aucupis. Scurriles enim, & voluptarij homines ebrietate capiuntur, & in vini fluctibus naufragus perit homo.

Simia in objecto speculo suam aspiciens 282
imaginem, suóque delinita, aspectu tamdiu defixis in speculum oculis persistit, donec hebescant oculi, & cæcutientes à venatoribus facili capiuntur negotio. Lemma *Plures perdit Amor sui.* Apodosis. Amor proprius perniciosus est, nocet, non prodest. Simias cum pepererint, aiunt, tanquam immobiles statuas defixis oculis proprios intueri fœtus, eorum admirantes speciem.

Simia in pelui plena liqnenti visco vul- 283
tum, ac oculoa sibi ebluene, palpebras viscatas, ac clausas nequit aperire, & sic oin cæca fit præda venatorum. Lemma *Cave quos imitteris.* Apodosis. Venator Tarrareus per exempla malorum nos allicit ad mundi voluptates ut sui nos juris faciat, fidei primum & rationis lumen extinguit, quo cæcutientes in baratrum malorum nos egat præcipites. Exempla malorum declinanda. Refert Strabo lib. 15. Simies à venatoribus in India fallaci imitetione capi. Cum venatores in arboribus ees consedisse viderint, peluim equa oppletem in conspectu ponunt, faciem & oculos ex ea sibi abluentes: postea visco instar aquæ posito procul abeunt, eminúsqne ijsdem insidiantur: ubi verò Simia ex arbore descendit ad imitationem venatoris vultum, & oculos visco illinit, sed mox palpebræ simul cohærentes aspectum impediunt simiæ, quæ viva à venatoribus capitur.

Tamenda effossa unguibus formicarum la- 284
tebra mortuo similis jacet, & exerta lingue formicas attrahit, mox eamdem formicis opertam contrahit, deglutitque deceptas. Lemma *Omni ne credas linguæ.* Apodosis. Falli oratores & hæretici verborum lenocinijs in id incumbunt studij, ut incautos decipiant, quos ad suos pertrahant errores.

EXCURSUS.

Lingua prava, & sibi, & alijs noxia.

285 PRavi socij inducentes ad malum; & mulier. culæ blandis verbis, insidias tendunt, quibus minus cautos irretiant, perdántque. Refert Maffeus Histor. Indic. lib. 1 t. pag. 46. In America mirandum esse animantium genus, quod Tamendoas vocant Brasilienses, vervecis altitudine, colore fulvo, prælongo, ac tenui rictu, neque eo ad malas diducto, sed modicè ad imum inciso. Unguibus instructus est quadrupes mirè longis, latisque, aimirum ad victum faciliùs comparandum. Namque formicis alitur, quarum latebras ubi crebro unguium injectu, ac fossione detexerit, illicò exertam linguam trium fermè dodrantium immittit exilem, opertámque formicis repentè contrahit, deglutitque deceptas. Huic animanti oti sciuro valde promissa, ac setosa est cauda, sub ea quippe se condit, ut nihil ex reliquo corpore appareat. Verùm lingua non solùm alijs, quos detractionibus, calumnijs, ac convicijs lædit, sed etiam ipsi loquenti est noxia nisi coërceatur. Plures plura loquuntur, de quibus dici posset, quod Theocritus aiebat de Anaximenis oratione; habere quidem eos verborum flumen, sed fine mentis gutta. Vir prudens plura cogitat, & pauca loquitur, ne sit ut Graculus garrulus, aeve ia eodem hirundinum musæo gestiat, & garriat. Sapientis verba non huc, illúcque veluti per rimulas effluunt, sed tanquam effata graviter, ac sedatè ex ore prodeunt; suntque vel Sapientis pronuntiata, vel alicujus scientiæ axiomata, vel Ethicæ apophthegmata, vel è tripode effusa oracula, & verba non profert nisi digna cedro.

286 Linguæ lubricitati ad verborum coërcendam petulantiam natura ipsa vallum oppoluit dentium, ut loquendi temeritas non cordis tantùm custodia, sed & oris repagulo compescatur. Idque causæ fuit ait Chrysostomus *in catechet.* cur Deus voluit duplici muro linguam circumdari. *Nam dentium tegmine, & labiorum custodia lingua continetur; ne verba improvidâ garrulitate proferantur*: & Davidem cum non lateret quanti sit damni lingua incustodita vigiles perijt custodes, qui veluti præsidiarij milites invigilarent, ageréntque excubias non sinentes quidquam inconcinni prodire Psalm. 16. v. 2. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis*, nullum humano in corpore est membrum linguâ periculosius si nullo compescatur frœno; suæque relinquatur lubricitati: cum lingua osse careat, sitque nervo destituta, quo eius sistatur volubilitas, plerunque nimia loquacitate, & sibi & alijs est noxia. Ne lingua sit loquenti nocumento maneat euique alta mente repositum illud D. Bernardi monitum: *Verba priusquam proferantur bis ad limam, semel ad linguam veniant.*

Tarandus discolor, seu eosdem exhibens 287 pelle colores, quos res objectæ referunt, lemma *Nunquam idem, semper alter* APODOSIS. Vir inconstans semper est varius nunquam in eodem manet proposito ad omnes temporum rerúmque occurrentes, ac variantes circumstantias se mutat, versatile prodit ingenium. Refert Philo lib. de temulentia, Tarandum esse feram apud Gelonos bovis magnitudine, capite cervino, admirandæ admodum, & singularis naturæ, eo quia ad omnes locorum, ac fruticum apparentias setarum colores, quibus corpus hirtum, ac convestitum habet, permutat: quod typus est viri versatilis, ac inconstantia, de quo scribit Seneca Epist. 47. *Mutatur sæpe non in melius, sed in aliud*, hoc est vir inconstans desultoria levitate mutatur raró in melius, sæpe in deterius; & instar arundinis vento quocunque agitatur mutatione consilij; quia nil mutabilius ejus voluntate; nilque quod in bono magis fluctuet: nec ita Tarandus de corio, piloque suo ludit, ac de moribus, consilijsque variat homo inconstans; imò nec aër, & in aëre nubes, tot sumunt effigies rerum diversarum, quàm iste affectuum varietatem: & quem fabulæ Proteum finxerunt in sola inconstantia constantem formas omnes induentem, verum exhibet non fictum, sed factum; de quo quid paulo post erit, nemo liquidè pronunciare potest, hodie amicam, & arridentem tibi faciem ostendit, quam à te aversam cras contrahit; manè amore æstuat, vespere odio contabescit; nunc lacrymis madet, & modò risu dissolvitur; neque aliud interstitium admittit, quàm unius vel alterius horulæ intervallum amorem inter Orestæum, & odium Vatinianum; neque volubilitas rotæ ita circumagitur sicut viri inconstantis voluntas jugi rotatu de proposito volvitur in propositum nunquam in uno eodemque perseverans. Quòd si ejus consideres æquè mores, & amores, nunc in DEUM conversos usque ad cœlos Seraphico ascendit volatu; mox à summo Bono aversus descendit usque ad abyssos. Psalm. 106. 26. *Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos.* Hominis inconstantis vita rota est jugi circumacta impetu, ascendens, & descendens, semper mutatur ab innocentia ad malitiam, à continentia ad libidinem, à devotione ad dissolutionem; à Sapientia ad dementiam; à cultura virtutis ad deturpationam virij, nec unquam in eodem perseverat proposito, nunquam idem, semper alter.

Tigres Brasiliæ pastæ, veatróque oppletæ 288 voratis ovibus, agnisque discerptis, veluti viribus destitutæ, ac ignaviâ captæ in fugam à gregarijs canibus aguntur lemma *Ventris opletio est defectio mentis.* Narrat Maff. *Histor. Indic. lib. 11.* In Brasilia tigres jejunas sævire, saturas timidas esse ad fugam promptiores quàm ad pugnam; siquidem stimulante fame pernicissimæ sunt ad cursum, expeditæ ad pugnam, audaces ad invadendum; spiritu ac viribus tremendis; sed quod mireris eædem

past

pastæ veluti spiritu, viribúsque destitutæ, ac ignavia correptæ etiam gregarios expavescunt canes, quorum latratu in præcipitem fugam aguntur. Apodosis. Ventris satietas mentis hebetat Spiritus, viribus destituit saturos, & hominem ab homine dejicit, & in gregem abjicit brutorum; & tamen plurimum impendunt homines laboris, ac pecuniæ, ut stomachum impleant, corpus saginent, crapulæ lenocinentur, ventrem farciant. Vide crapulam, ebrietatem.

290 *Tigris* vitreo speculo delusa falsò opinatur intus esse fœtus, quos venatores aliò asportârunt, & dum suæ eblanditur imagini, fugiunt illi cum præda lemma *Opinione vivimus*. Refert D. Ambrosius lib. 6. Hexamer. c. 4. Tigres suis privatas fœtibus insigni artificio à venatoribus deludi. Hi enim fugientes cum præda vitreas sphœras insequentibus catulorum matribus objiciunt; quas illæ intuentes imaginem, quam specula reddunt decipiuntur; putant catulos ijsdem subesse speculis, & quia sphœra levi impulsu movetur, credunt vivum ibi esse animal: sed cum tandem pedibus sphœram tigris confregit, ut suo potiri possit fœtu delusa, simúlque majori inflammata ira pergit insequi. Illi alia objiciunt sphœrica specula tandiu detinentes, ac aludentes tigres, donec ipsi vel urbes, vel naves tuti ingrediantur. Apodosis. Mundus veluti speculum plures nobis aspiciendas exhibet imagines auri, argenti, honoris, dignitatis, voluptatis, commodi, deliciarum, quibus inhiamus; sed decipimur, putamus aliquid boni posse nos ijsdem consequi, & fallimur, quia re ipsa inanes tantùm sunt umbræ, quas mundus pro veris rebus, quibus decipimur nobis exhibet: sicque opinione vivimus cum vacua, & vana sint, quæ plena esse felicitare credimus. Vide mundi vanitatem in divitijs, honoribus, delicijs &c.

Tigris marino in litore equum inscendentem, ac unguibus, dentibúsque dilacerantem, eâ tantùm de causa, quia Venator, qui ejus rapuit fœtus eodem insederat lemma *Minuit vindicta dolorem* Apodosis. Vindex sibi damnum illatum si non valet in patrem, saltem in filios, & consanguineos ulciscitur, nec aliâ extinguit iram undâ, quàm sanguine: id tamen virum dedecet Christianum, cui potiùs debet cordi esse dilectio inimici. Vide dilectionem inimicorum. Quandoque ad Rempublicam pertinet, & nunquam ad privatam personam ulcisci in filijs parentum scelera. Hinc Cicero scribens ad Brutum ait: Acerbum est, parentum scelera filiorum pœnis lui: sed hoc tamen præclarè legibus comparatum est, ut charitas liberorum amiciores parentes Reipublicæ redderet. Quod ipsum quoque usu venit Julio Vero Maximino Cæsari, qui una cum Maximino patre fuit trucidatus in tumultu; militibus omnibus una voce clamantibus: *ex pessimo genere ne catulum quidem relinquendum esse*. Eamdem vocem ferunt, usurpâsse antea Philippum Macedonem, qui omnes sustulit liberos, quorum parentes occiderat: ne scilicet paternæ aliquando necis fierent ultores: ait Herodotus: stultus, qui cæso patre parcit denique proli. Verùm hæc ultio sævitiem redolet tigris. Virum Christianum decet audire vocem Magistri præcipientis dilectionem inimicorum: diligite inimicos vestros.

291 *Ursa* insequentium venatorum evasura impetus, & spicula, catulos suos viribus jam deficientes supra præcelsam vehit arboram lemma. *Tuta proles sub cura parentum.* Refert Ælianus *lib. 6. c. 9.* Ursam hac pollere calliditate, si insequentibus venatoribus urgeatur suos quantum potest propellit catulos, ne capiantur; cum primum deprehendit ex cursu, lassitudinem contrahere, ac viribus deficere; alterum dorso, & alterum ore gestans præcelsam inscandit arborem: eorum alter unguibus ad dorsum ursæ adhærescit, alter ejusdem dentibus retinetur. Apodosis. Parentes curam impendant, ac invigilent in prolem, ne quidquam noxij ijsdem contingat, moresque vitijs corrumpant, ne per lethales noxas in casses incidant tartarei Venatoris. Vide Parentes quantam debeant curam impendere in filios.

292 Ursus ad quercûs eandem soporatus lemma *Acrior ut surgam.* Apodosis Vir studijs, ac laboribus literarum navans operam necesse est interdum animum laxet se studia intermittat. Arcus enim diu tensus frangitur, qui ut diu tendatur, cavendum est, ne jugiter tendatur. Studiosis indulgendum est aliquid remissionis, ac otij, quod & Quintilianus injunxit moderatoribus tenerioris ætatis, dummodo sit in remissione modus; quia nimio otio ingenium hebetatur: perinde ac cibus ad exigentiam naturæ vires reficit, ac instaurat; quando enervat ac debilitat si nimius fuerit. Animi remissioni perinde ac cibo ita indulgendum, ut vires reficiantur non opprimatur; ut ingenium magis acuatur, non hebetetur. Duas potissimum ob causas est identidem labor literarius intermittendus, quarum prima est, ne literarum tractatio, quæ moderate suscepta, est animo suavissima, ac placet; ex nunquam intermisso labore, sit homini studioso molestiæ, & nauseam pariat: Proverb. 25. v. 16. *Mel invenisti, comede quod tibi sufficit, ne satiatus evomas illud*: hujus periculum satietatis eo est majus in studijs litterarum, quàm in melle: quia studia multum requirunt laboris, & difficilis est opera, quæ in litteris, ac scientijs impenditur: laboris autem condimentum est remissio, quæ si adhibita fuerit, acrior fiet studiosus ad operam studiorum. Secunda ob conservationem salutis, ac valetudinis, viriúmque corporis; quia ut monet Lucianus vegetiores arunt studiosi, ac robustiores, si Athletarum more aliquid sumant laxamenti: scitè Quintilianus lib. 1. c. 4. *Danda est aliqua remissio, non solùm quia nulla res est, quæ perferre possit continuum laborem, atque ea quoque quæ spiritu, & anima carent, ut servare vim suam possint, velut quiete alterna retinentur; sed quia discendi studium voluntate, quæ cogi non potest, constat: itaque plus virium afferunt renovati ad discendum, ac recentes, & acrio-*

rem animum, qui fere necessitatibus repugnat. Qui tamen horas tum matutinas, & pomeridianas studijs impendunt literarum parcissimè utantur somno meridiano, quia nimius caput aggravat, valetudini nocet, ac nocturnam prohibet quietem. Bembus in dialogo de Ætna assiduum studium filij sui, qui quatuordecim nunquam interruptos menses impendit in addiscendis literis græcis vocavit hanc assiduitatem *Superstitiosam*: & revera inconsulta in studijs pertinacitas serius, vel ocyus luitur. Navantes igitur operam studijs, necesse est, ut quandoque honestis oblectamentis labores diluant, Non enim mentis defatigatio minor est, quàm illa corporis: & non secus ac vires corporis, illæ ingenij, ac mentis opprimuntur, nisi per certa temporum intervalla omnino contentio intermittatur: idque expartus D. Augustinus *lib. 4. confes. c. 2.* ait: *Literario labori nimio pulmo meus cedit, & difficulter trahit respiria, doloribusque testatur se saucium, vocemque clariorem, & productiorem recusat.* Ad hæc avertenda incommoda Academiarum moderatores scitè instituerunt autumnales vacationes: imò & hebdomatarias ferias, ac remissiones, ac tempestivas rusticationes, quia ut ait Seneca in proœm. controv. *Omnibus prodest animum relaxare; excitatur enim eius vigor; & omnis tristitia quæ continuatione pertinacis studij adducitur, feriarum hilaritate discutitur.*

293 *Ursus* in alveario post gustatum mel captus manet, ut nulla vi possit se extricare. lemma *Nocet empta dolore voluptas.* Apodosis. Deditus mundi delicijs dum melleam voluptatis dulcedinem gustat, captivus manet per lethalem noxam cacodæmonis. Refert Olaus *lib. 28. c. 14.* Apes plerumque in Rossia ad cavas arbores mellificare: ursis verò ad rapinam mellis assuetis mortiferæ parantur insidiæ. Cum debilissimum habeant caput, clava lignea ferreis cuspidibus circumdata super foramen egredientium apum suspenditur ex altiori ramo, ad quam impatientis ursi caput impingens, vel illud frangit, vel captus, nequit ampliùs se liberare. Vide voluptatem noxiam.

294 *Ursa* fœtum informem, quem recens est enixa lingens perpolit, ac membra perficit, quæ imperfecta in lucem prodierunt: lemma *Studio, & labore* Apodosis. Opus quodvis si fuerit imperfectum non parcat ejus author labori, sed in id unicè incumbat studij, ut illud omnibus suis numeris absolvat, ac perficiat. Satius labore, ac studio illud perficere, quàm rude, ac impolitum deserere; id præstiterunt clariores in liberalibus artibus magistri: de Parthenopeo Virgilij secessu cecinit Poëta

Ut nullo musis interpellante vacaret
Parthenopea adijt rura quieta Maro
Ursaque lambendo catulos, ceu format inertes,
Cudebat versus, sic poliendo suos,
Assidua docti sua limant carmina cura,
Et sub judicium singula verba vocant.

Christianus verò proprios perpoliat mores secessum per spiritualia exercitia petat, examine conscientiæ proprios dignoscat errores, quos sacra exhomologosi abigat & lacrymis obliteret.

Vulpes ad ripam glaciati fluminis rigente 295 bruma, ac nive, aure ad glaciem admota attentè explorat, an fluxum aquæ sentiat, quò inde conjiciat extimæ glaciei crassitiem, ac fortitudinem ut tuta flumen trajiciat, lemma. *Fide ut diffidas.* Apodosis. Amico ita fide, ut inimicum fieri posse putes. Fide sed simul diffide; seu ita fide ut si inimicus fiat tibi, non possit nocere ex eidem manifestatis. Monet Seneca, ut diligenter videamus, cui fidamus. Vide amicitiam amici diu probandam. Asserit Plinius, vulpes in Thracia antequam super glaciatum flumen gradiantur ejus crassitudinem explorare. Inde docemur in rebus omnibus singularem esse cautionem adhibendam, ne unique temerè fidem adhibeamus.

Vulpes supina jacens, séque mortuam fin- 296 gens aves ad cadaver circumvolantes captura lemma. *Fronti ne fidas externæ.* Apodosis. Interna hominis præsertim subdoli, ac vafri mens ex facie exteriori dignosci non potest. Ea est vulpis propriatas, ut supinata mortem simulet, ut aves tanquam ad cadaver circumvolantes rapiat, ac propriæ consulat ipsa fami. Adulatores & inimici palliati ita se componunt, ut arridere, ac prodesse videantur, cum tamen exitium parent, ac vitæ insidientur.

Vulpes Samsonis accensam facem caudæ 297 adnexam secum trahentes, & flavescentes segetes, quas percurrunt incendentes lemma *Vindictæ damna sequuntur.* Apodosis. Ultor nil nisi cædes, incendia, neces molitur.

Zibethiferus felis, seu zibethi animal per- 298 fuso odore alias animantes ad casses trahit venatorum Lemma *Fallit odora voluptas* Apodosis. Venator Tartareus vario in fœmina odore viros decipit, quos ad propria trahit retia. Gesnerus describens hoc Zibethi animal, ait: dentibus & pilis asperioribus munitum esse; à capite ad initium caudæ integrum hominis brachium adæquare, altitudinem crurum ad pedes usque ad trientem brachij reduci; magnitudinis esse ferè vulpinæ, & colore lupino maculis distincto subnigris, folliculúmque circa inguina gestare, ex quo Zibethum odoramentum extrahitur. Symbolum sanè voluptatis, quam exhibet concupiscentia varijs alliciens odoramentis, quæ propterea arcenda à corpore, ac vestibus; quia sunt fomenta libidinis: quod cum minimè Senecam latuisset scripsit *Epist. 10. Optimus odor in corpore est nullus.* Afflata odorum suavitas animum emollit, effœminat, petulantis lasciviæ inducit socordiam, flores succidit virtutum, animi robur infringit, quapropter Cyrillus in Cathec. 12. vocat suffimentum *Voluptatis inescativum*: est enim Veneris hamus, nequitiæ fomes, luxuriæ delinimentum.

Hinc Homerus mores effingens Heroum nul- 299 li eorum tribuit odorum fragrantiam nisi uni delicatulo Paridi, quem delicijs dicit elum.

olumbem, ac muliebri venuſtate formoſum, unguentis delibutum, roſis coronatum, totum à Venere, & Cupidine mulieroſum. Salomon itidem meretticem delineat non tam muliebri pompa comptam, quàm multiplici laſciviæ inſtructam incitamento, odores efflantem ad alliciendos adoleſcentes, quos illaqueare adnititur,

300 Delectantur Veneris Amaſij, ac diſcincti nepotuli odorum illecebris, quibus molleſcunt à virili robore degenerantes, ac totius Arabiæ ſpirantes ſuffitus. Sed vana, & volatica eſt quæ ex odoribus hauritur voluptas, hanc quævis aura, vel levi flatu rapit, ejus poſſeſſio per nares caput ſubit, quod cum oblectat lædit, cum afficit inficit. Virum cordatum dedecet hiſce deliniri odoramentis, quid enim virum fortem magis dedecet, quàm corporia ſtudere cultui, è ſerico veſtes, ab auro, gemmiſque ornatum, & ab elegantia pompam quærere? Chriſti miles expugnare non fovere debet muliebrem mollitiem.

EXCURSUS.
An Brutis ratio inſit, ac ratiocinentur.

301 NOn defuerunt ex Philoſophis, qui putârint rationem ineſſe brutis, verámque intelligentiam, vimque diſcurſivam; pro qua ſententia Sextus Empiricus citat Empedoclem. Alij quamvis non omnibus brutis facultatem concedant diſcurſivam, pleraque tamen hâc potiri autumant, quas inter recenſentur Pythagoras, Anaxagoras, Parmenides, & Democritus, quibus viſus eſt adhæſiſſe Cicero lib. 3. de natur. Deorum ubi ait: *In formica non modò ſenſus eſt, verùm etiam mens, ratio, memoria*: idem placitum docuerunt etiam Seneca *Epiſt. 122.* Plutarc. *Lib. quòd Bruta utantur ratione.* Porphyr. *lib. exhort. ad bonas artes.* Quintilianus *lib. 1. Inſtit. orat.* Videtur itidem huic placito favere Lactantius Firmianus *lib. 3. Inſt. cap. 10.* Ex recentioribus viſi ſunt faviſſe huic ſententiæ Hieronymus Cardanus ad Scaligerum *exercit. 307.* Valla *in Dialect. c. 9.* Cardinalis Hoſius *in Præf. confeſ. Petric.* quem tamen Del Rio *Diſq. Mag. l. 1. quæſt. 20.* excuſat, & oſtendit oppoſitum docuiſſe. S. Baſilius homil. 6. in Hexaëmer. videtur vim aliquam diſcurſivam aliquibus conceſſiſſe ex brutis ſagacioribus.

302 Nituntur primò quia à plerisque brutis nonnulla fiunt, quæ ſine facultate in ijsdem diſcurſiva explicari non poſſunt: ex quo infert Seneca *Epiſt. 122. Brutis ineſſe intellectum, quod nihil amplius ſi intellexerint, faciant.* Et Plutarchus *lib. de induſtria animal.* refert diſcurſum vulpis fluvium trajicientis glaciatum; etenim priuſquam flumen ingrediatur ad ripam ſiſtir, & leniter inclinato capite ſupra glaciem auriculas admovet, quòd ſi undæ ſupter labentis murmur, & ſtrepitum audiat non ultra progreditur, & niſi vehemens aliqua neceſſitas urſerit, retrocedit: ſin autem nullum percipiat ſupterlabentis aquæ ſonum, tunc tuta, omnique excuſſo timore flumen ingreditur, tranſitque læta? ex quibus videtur callida hæc beſtia ita diſcurrere: quod obſtrepit movetur: & quod movetur non eſt fixum; & quod non eſt fixum diffluit, ac facilè incedenti cedit: ergo cum audiam ſuperlabentis aquæ ſtrepitum, & murmur, flumen non eſt fixum, nec gelu probè concretum; ergo ſi illud trajecero in periculum me conjicio, ut mergar: & tutiùs ſemper pericula declinare: ergo ne mergar, non debeo ultra progredi, ſed retrogredi, & terræ tractus repetere.

Ratiocinatio itidem venatici canis produci à plerisque ſolet. Chryſippi canis feram 303
pleno curſu perſequendo, & ad trivium delatus, cum naribus captare animalis veſtigia inſtitiſſet, duáſque jam jam ſemitas odoratu exploraſſet: mox tertiam abſque ulteriori exploratu, ſine alio olfactu ingreditur, ferámque quavis excuſſa dubitatione perſequitur, quam etiam aſſequitur diſcurſu ſyllogiſtico ductus, quem exhibet D. Baſilius homil. 9. in hexaëm. ubi inducens canem ſyllogizantem ait: Fera, quam proſequor, aut hac, aut illa, aut iſta diverſit parte: atqui non hac, non item illa, quia in his nullum fugientis feræ deprehendo veſtigium: ergo ſupereſt ut per hanc tertiam tranſierit viam; ſubdit D. Baſilius: *Quid enim plus faciunt, qui linearum deſcriptionibus deſignandis tanta cum gravitate ſedent, leniſque pulveri inſculptis è tribus, ubi duas propoſitiones ſuſtulerint, ut falſas, in ea demum, quæ trium reliqua eſt verum comperiunt.* Specimen veri, & non fucati diſcurſus dedit ille alius canis, de quo refert Plutarchus apud Lipſium *Epiſt. ad Belg. cent. 1. epiſ. 44.* quòd amphoræ oleariæ inſidiatus, & ob colli anguſtiam oleum non poſſet linguâ lambere, eò quia vas plenum adeo non eſſet, tam diu conquiſitos à ſe lapillos in lecythum injecit, donec oleum aſſurgeret, & ad oria anguſtias redundaret, quâ induſtria facilè potuit oleum linguâ lambere.

De ſimijs in novo orbe narrat Joan. Euſebius Nierembergius *Hiſtor. Nat. lib. 9. c. 44.* fuiſſe 304
ex illis beſtijs, quæ cum barbaris illis hominibus pecuniâ luderet; & cum viciſſet ſimia, ſuos colluſores invitâſſe ad cauponam, ijsque de parta pecunia potúm ſolviſſe. De altera ſimia narratur, quæ cum aliquandiu militibus colludentibus adſtans omnia, quæ in ludo contingerent obſervâſſet; ab eo qui plus nummorum cæteris lucratus fuerat numulos aliquot petijſſe, quos cum accepit ad tabernam vinariam ſtatim cucurrit; pecuniam Oenopolæ exhibuit, & numeravit, pocúlumque obtulit oppleadum vino; cum exſiccaſſet primum poculum; alias numeravit pecunias pro ſecundo, quod cum etiam exhauſiſſet; idem pro tertio præſtitit, imo & pro quarto, donec de ſibi data pecunia nil ſupereſſet. Hæc & ſimilia obtingere ſine diſcurſu videtur captu difficile.

Præterea in aliquibus brutis relucet prudentia in proprijs obeundis functionibus: Apes 305
enim, & formicæ dicuntur habere prudentiam; neque temerè, quia apes, & formicæ propriam conſtituunt rempublicam Oeconomicam, & politicam: ubi autem ſplendet prudentia ibi

viget ratio, ac facultas discurrendi, quæ propterea aliquibus inest brutis: Luculentum est prudentiæ argumentum quòd apes citra juris, legúmque disciplinam consistant sine tumultu, absque perturbatione, & ullo divortio; cum hominum multitudo sine legum, jurisque disciplina non consistat; habeántque propterea homines varios regiminum status, cujusmodi sunt regimen Aristocraticum, Democraticum, Monarchium, & Apes hoc ultimum, ut cæteris perfectius instituant: non enim consilia tantùm dant, vel accipiunt; sed suum etiam habent regem, cui obtemperant, suaque præstant obsequia. Non enim ait Ælianus *lib. 1. cap. 9. & sequent.* cum Plinio *lib. 11. c. 5.* vilis nascitur vermiculus; sed ex electissimo flore, & statim pennis vestitur, melleóque colore ad aurum vergente ornatur, habétque corpus alijs duplò maius; pennæ sunt illi breviores, crura recta, ingressus celsior; in fronte macula quadam diademate candicans; cæteris etiam est nitidior, aculeo caret, inermis reliquas præcedit, quia decet clementia reges: neque quidquam magis indignum regia maiestate, quàm illud exqui quod proprium est carnificis.

306 Cum foras procedunt apes Rex omnes præcedit; aliæ illum comitantur, cicumdant, ac protegunt, nec cerni patiuntur; ex volatu fessum aliæ fulciunt, sublevant, succollant: ubicunque ille consederit castra locant universæ; si deficiat, vel aberret, aliæ anxiæ illum inquirunt, ejus præsentiunt odorem, & inveniunt. Cum reliquæ apes labore occupantur ipse intus opera instrat, & exhortanti similis, ad subeundos labores alacri animo excitat. Solus enim Rex est à labore immunis, suo stipatur satellitio; quâ defenditur, ne quid adversi ei obtingat: imò ait Ælianus loc. cit. eâ sunt apes subditæ erga suum regem reverentia, ut in ejus præsentia aculeos summittant, & inermes omni destitutæ potestate ei obsequantur. Quòd si alvearia sobole numerosiore abundent, juniores excluduntur, & alio colonias instituunt. Ex quovis examine tres fere, quatuórne reges nascuntur: sed gnaræ Regnum non capere plures reges, uni duntaxat se submittunt rejectis cæteris, ne dissidia, & tumultus inde oriantur si plures simul regnent, cum soleat par pari invidere: hinc Aristoteles t. 2. Metap. in fin. *Entia nolunt malè gubernari; non est bonum multitudo principatuum: unus ergo princeps.*

307 Delecto, & salutato rege de domibus construendis, ac ædificijs pro mellificio stabiliendis cogitant, & determinant: ob id lento glutine per totum alveare diffuso prima favorum jaciunt fundamenta, glutenque ex herbis amaris conficiunt; cum sciant mellis dulcedinem vel maximè appeti à vespis, araneis, muscis, anguibus, formicis, ranis, ac hirundinibus, quibus est mel gulæ irritamento, ideo industriæ, & argumentosæ apes insigni providentia succum hunc amarulentum huice opponunt parasitis, quos longiùs ab alveario arceant; eodem consilio primos tres cellutarum ordines melle vacuos relinquunt, ne parata sint obsonia, quibus alia insecta inhiant, ac insidiantur: hisce præmissis munimentis ad ædium, ac mellificium tutandum, magnificam regi suo domum construunt, ut & suis famulis, qui sunt fuci regis servitio addicti; inde officinas præparant, ac dividunt: officia inter se, ac munia obeunda distribuunt: seniores ut emeritæ à laboribus sunt immunes, comitantur tamen regem, cui obsequuntur. Aliæ in agros, hortos, prata avolant ea quæsituræ, quæ necessaria sunt pro melle conficiendo, & cera.

Ante fabas florentes non exeunt. Quòd si nox eas in agris deprehenderit, supinæ dormiunt, ne alæ rore antelucano madidæ minus aptæ volatui evadant; si procellosus suboriatur ventus, lapillum pediculis correptum ferunt, quô se librantes in aëre, & ne à vento longius asportentur ab Alveario. Hæc de Apum moribus tradunt fere communiter Authores. Alijs itidem brutis inesse prudentiam liquet in Elephanto, de quo Solinus cap. 38. refert, quòd cum unus Elephas advertisset se à venatore arctiùs premi ultro sibi dentes avulsit, quos sciebat à Venatore quæri, ut ab ipso vitam, & libertatem impetraret; maluitque partem, quàm totum deperdere, quod prudentiæ datur. 308

Dicendum est, Brutis non inesse rationem, neque ratiocinari, neque in illis ullum adesse judicium compositivum, & illativum: sed tantùm per potentias sensitivas simpliciter apprehedere objecta. Id evincitur ex illo Psal. 31. v. 9. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus:* omnia autem bruta in hoc paria sunt, quia omnia sunt irrationabilia: sicut definitur homo animal rationale; ita brutum animal irrationale, seu carens ratione: cumque sit sola ratio principium discursûs; bruta non possunt ratiocinari, alioquin daretur effectus sine causa, principiatum sine suo principio. Firmatur, quia quando dantur plures naturæ speciê differentes, tunc repugnat, differentiam constitutivam unius convenire alteri; quia cum constituantur naturæ in suo esse specifico per differentias, quibus primò differunt, nequit differentia unius alteri competere; & quia rationalitas est differentia constitutiva, & distinctiva hominis à brutis nequit hisce convenire, alioquin non distinguerentur ab homine. 309

Ad experientias petitas ab adductis brutis quibus videtur inesse vis discursiva Respondent communiter Philosophi, Bruta non ex ratione, sed ex instinctu quodam peculiari ijsdem à natura insito operari: singulis enim brutorum speciebus, quædam convenit peculiaris propensio ad certas operationes, & modum eas depromendi sic omnes vulpes sunt subdolæ; omnes lupi voraces, omnes aranei insidiatores; omnes apes ingeniosæ, ac industriosæ; omnes lepores timidi, canes fideles, Leones animosi, Grues circumspectæ, formicæ providæ, columbæ simplices; secus contingit in hominibus, quorum propensiones, affectus, & instituta sunt diversa: hinc Pers. Sat. 5. cecinit 310

Millia quot capitum vivunt, totidem Studiorum,
Mille Hominum species, & rerum discolor usus:
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Cæte-

Cæterum cum bruta recordentur præteritorum possunt cavere ab ijs, quæ aliàs deprehenderint fuisse sibi noxia; unde in brutis nullus datur discursus, sed tantùm simplex apprehensio rei præsentis, & memoria præteriti, cum instinctu naturali sibi indito, in quo relucet imago quædam prudentiæ; non vera prudentia supponens rationem, seu intellectum. Unde neque vulpes cum fluvium glaciatum trajiciunt, neque canes venatici fugientes feras insequentes in trivijs discurrunt, sed tantùm olfactu diversas vias investigant, & operantur ex solo instinctu naturali.

EXCURSUS.

An bruta animalia agant propter finem per electionem mediorum, quæ ad ejus assecutionem sint idonea.

312 Rationes dubitandi sunt statim obviæ. Quia ut suos enitantur fœtus ore legunt, colligúntque ramenta, ac paleas ad construendum nidum, ut pulli recèns exclusi molliter cubent; & ne lectuli asperitate tenella eorumdem corpuscula lædantur interiora nidi insternunt plumis, ac vellere. Ericius, seu Erinacius ut notat S. Basilius *homil. 9. in Hexam.* & ex eo S. Ambrosius *lib. 6. cap. 4.* futuri providens geminam latibulo suo portam præstruit, unam Boreali, alteram Australi plagæ obversam; *ut quando Boream flaturum cognoverit, septemtrionalem obstruat, & pandat australem; quando autem Noto, sive Austro cognoverit detergi aeris nubila, ad septemtrionalem se conferens flatus declinat obvios, & à regione nocituros.*

313 Canes ita edocentur ut exhibitam sibi obsonij portionem, vel carnis bucellam priùs non arripiant, quàm certa Alphabeti litera ab hero pronuncietur: eligúntque illam abstinentiam, ac literæ pronuntiationem tanquam media utilia ad assecutionem finis. Araneua ut muscis vescatur, quæ eidem sunt in delicijs, media eligit ijsdem capiendis, peridonea se ipsum exenterat, subtilissima ex propria visceribus, vel excrementis, ut placet pluribus net fila, retia miro artificio parat, & tam moderato ungue, tam teriti filo, & tam æquali deducit stamina ipso se pondere usus, ut in admirationem aspicientes rapiat, à medio suum ordirur opificium circinato orbe subtegmina adnectens, maculásque paribus semper intervallis, sed subinde crescentibus; & angusto dilatat, & nodo implicat indissolubili; pedicas celat scutulato rete grassantes; & ne ipse à prætervolantibus muscis videatur, specum sibi singulari concamerat architectura, villosum contra frigora, remotum à medio, ubi inclusus, cum primum musca irretitur celeri cursu per stamina retis properat, capræ muscæ alas tenuissimis vinculis circumvolvit, implicatque ne avolet, sanguinem exugit, & enecat, servátque ad famem arcendam, viresque reficiendas; cum igitur araneus hæc omnia media eligat, ut muscas capiat, sibique consulat, nulli dubium quin agat propter finem.

Cancer ostrearum appetens referente S. 314 Ambrosio *lib. 5. de operibus sex dierum cap. 8.* ex S. Basilio *homil. 6. in hexamer.* Tacitus locum adit ubi degunt, tempus parienter expectat, quo ad solares radios oscitent, séque adaperiant, tunc instructus lapillo ex insidijs exilit, eumque in apertam ostreæ concham ad eum finem immittit, ut non possit ostrea concham claudere, séque intus abdere, cum lapis injectus sit impedimento ipsi molienti suis se testis includere; & tunc cancer tutus chelis suis in concham penetrat ijsque veluti hamis, vel forcipibus designatam prædam extrahit, vorátque. Cancer igitur ut medium utile ad finem carnibus ostreæ vescendi, eligit lapillum, quem injicit in hiantem concham, ne possit se suis ampliùs testis includere, fiatque præda cancri, qui propterea agit propter finem, ob quem idonea eligit media.

Mus quia ad oleum urna inclusum nequit 315 ore pertingere, neque linguam expertum liquorem lambere caudam immittit, & quidquid hac ratione haurire potest linguâ lambit; ad assecutionem sui finis lambendi oleum, utitur cauda ut medio utili; caudam enim oleo imbutam ab urna extrahit, & quid olei eidem hæret lambit linguâ, séque reficit. Vulpes pullos gallinaceos devoratura se mortuam simulat, linguâ extra os exerta; & cum pulli sine timore prope accedunt, surgit, eósque citius currit, pullósque prædatur: utitur lingua extra os exerta ut medio utili ad pullos alliciendos, ac decipiendos ad eum finem, ut eos devoret. Mirum est etiam dictu, & cogitatu, quòd de vulpe etiam narrat Ludovicus Granata *in suo tract. de creatione mundi cap. 14.* Quò enim se à pulicum molestijs vulpes liberet arboris frondosum ramum ore prehendit, dente tenet, & proximum fluvium ingreditur corpore tamen averso, ut priùs cauda aquis immergatur; idque ad eum finem ut pulices aquam aversantes è cauda cum in extremo incipit madefieri profugæ ad eam partem, quæ etiamnum sicca est saltent, & cum vulpes paulatim caudæ reliquum in aquam demittit, properè, & turmatim in partibus se recipiunt posterioribus, quas cum vulpes etiam aquis immergat, ascendunt ad alias prope caput adhuc siccas, sed quia vulpes adhuc istas aquis madefacit, omnes ad caput saltant quod cum adhuc aquis immergat in ramo omnes se recipiunt, quem tunc vulpes dimittit, & terram repetit à pulicum molestijs libera: ad quem finem eligit illam aquis immersionem, modúmque se madefaciendi, ut media utilia; propterea agit tunc vulpes propter finem, cum vera mediorum electione ad ejus assecutionem.

Canes itidem Ægyptij sitim aquis nili 316 levaturi nonnisi carptim, & per intervalla Nilum bibunt; ne longiores alicubi nectendo moras à crocodilis sub aquis latitantibus rapiantur; & dum satagunt ipsi sitim extinguere, famem sedent, expleántque Crocodili,

 De

De elephante refert Plinius *lib. 8. c. 10.* Quòd cùm muſcarum tædio maximè infeſtetur ad illas abigendas patitur aliquantiſper, axpectatque ut turmatim in ipſum advolent ſedeantque in extenſa cute; & mòx arctatâ in rugaa pelle, ea eas comprimit cutis arctitudine, ut enecet: eligit elephas illam muſcarum tolerantiam, cutisque extenſæ arctationem in rugas ad eum finem, ut muſcas enecet, ſéque ab illarum importunitate liberet. Lepus cum venaticos canes eminus intuetur pulveres pedibus commovet, ut ſe ab hoſtiom eripiat aſpectu, & interim longiùs fugiat, ſéque in loco tuto recipiat. Proverb. 30. v. 26. *Lepus collocat in petra cubile ſuum* in loco ſcilicet tuto, ubi à venaticis canibus non poſſit lædi, cum locus ſit iiſdem inacceſſus. Coturnix ne ſuum venatoribus nidum indicet, nunquam volatu ad illum fertur, ſed procul ab illo ſe in terram demittit, & reliquum iter per denſas ſegetes, vel conſtipata virgulta conficit; hac vafritie plures aliæ aves non niſi per multas ambages ſuos ſolent nidos repetere, ne inſidiantibus innoteſcant, idque ad eum finem, ne earum pulli quidquam patiantur detrimenti, nec ab alijs ſurripiantur.

Neque minori utuntur quadrupedes indu
317 ſtria, & ingenio, ne ſua venatoribus latibula innoteſcant: ſiquidem ex brutis, alia ſaltu ut lepores, alia averſis pedibus ut leones, alia ſuſpenſis, ut urſi propria ingrediuntur latibula; & alia itidem caudâ quæ pedes veſtigia impreſſerant pulveres exæquant, deléntque. Conchæ maris ut contra polypos ſe tutas præſtent animadverſo periculo ſuâ ſe teſtâ abſcondunt: Polypus etiam hoſtem metuens ſub ſaxia deſidet, ſaxique colorem induit, quâ induſtria non ſolùm majores piſces fallit, quò ſe incolumen ſervet, ſed etiam minores decipit, quos veluti ad ſaxum incautè adnatantes branchijs ſuis in eſcam expiſcatur, ijsque veſcitur, ut refert Ælianus *var. hiſtor. lib. 1.* Plinius *lib. 9. cap. 29.* Hiſtrix, ſeu Erinacius ſuam inſtructurus in hyemem penum maturis autumno jam pomis irrepit in hortum, & aculeatum corpuſculum per lapſos ex arboribus in humum fructus ſe volutat dumóſque ſuos pomia pirisque inſigens ſe in ſuum proripit latibulum, & hac induſtria ſibi conſulit pro hyemali tempore. Quòd ſi dum hortos pervagatur canes eum aggrediantur in globum ſe colligit, totúmque ſe ſuis obtegit ſpinis, quas faucibus objiciens canum ab eorum ſe dentibus liberat.

Cancri dum cruſtam exuunt, non ſecus
318 ac ſerpentes pellem, in ſabulo jacentes deliteſcunt mortuorum ſimilitudinem ſimulantes, donec cruſta excreſcat, quâ loricati iterum prodeunt in arenam. Teſtudo invadente hoſte ſub propriam ſe teſtam contrahit, totámque ſe tegit, ne ulla corporis pars hoſti pateat, à quo lædi poſſit, & adeo fortis eſt ſui domicilij fornix, ut ab homine vix diſrumpatur: Aquila tamen, quæ ut oculis, ita & ingenio acutiſſima, viam, ac modum adinvenit teſtudinis propugnaculum expugnandi; nacta teſtudinem, cujus carnibus libenter veſcitur, unguibus eam in ſublime defert, móxque præcipiti lapſu deorſum ruens, ea vehementia ſubjecto ſaxo captam à ſe teſtudinem illidit, ut hæc planè contrita dapſilem eſcam aquilæ præbeat; idque in propriam perniciem expertus fuit in Sicilla Æſchylus, de quo ait Valerius Maximus. Æſchylus a mœnibus urbis, in qua morabatur egreſſus, aprico in loco reſedit: ſuper quem Aquila teſtudinem ferens eluſa ſplendore capitis (erat enim capillis vacuum) perinde atque lapidi eam colliſit, ut fractæ carne veſceretur: eoque ictu origo, & principium fortioris tragœdiæ extinctum eſt. Cum Æſchylus ab Haruſpice didiciſſet ex ruina domûs ſa mortem oppetiturum; eloſurus augurium, extra domeſticos parietes, ne ſibi experiretur fatales in agro aperto ſub dio degere conſtituit; ſed ibi à ruente teſtudinis domo interemptus fuit. Refert Ariſtoteles *lib. 9. hiſt. cap. 5.* Cervam in locis umbroſis prope vias publicas parere, quia nocivæ feræ ultro, citroque commeantium hominum metu hiſce non appropinquent locis, & enixum mox fœtum herbam Draconteam comedere, eo quia præſentiſſimum ſit alexipharmacum contra ſecundinæ venenum. Quid? muſtella ſe mortuam fingit, & exanimem humi jacere, ut deſcendentem ad ſe milvum capiat, interimat, ac devoret. Urſus ſi non poſſit cominus unguibus & dentibus hoſtem dilaniare, lapidibus utitur
ad eum eminus expugnandum. 319

Delphini teſte Plinio *lib. 8. c. 24.* pinnulis quas in dorſo ad modum Serræ acutas habent ventrem ſecant Crocodili; magno impetu ſub ejus natantes ventre, eò quia ſciant molliſſimam eidem eſſe ventris cutem, ſciſſuque facilem, & hac induſtria Crocodilos ſibi infenſos interimunt. Leæna dimicatura pro catulis ſuis defendendis oculorum acies dicitur in humum defigere, ne venabula expaveſcat venatorum. Formicæ reperta in campo vel area frumenti grana, & in proprium deferenda horreum ſubterraneum, ne germinent corculum, ſeu caput dente corrodunt, & ſi humiditatem contraxerint, ne corrumpantur, & putreſcant in ſolem, & ſudom aſportant exſiccanda, & exſiccata iterum in ſubterraneum reportant horreum. Torpedo ut refert Ariſtoteles *lib. 9. hiſtor. cap. 37.* abſcondens ſe in arena alios ſtupefacit piſces, quos devorat. Sepia piſcis, ubi piſcatorum inſidijs peti ſe ſentit effuſo atramento aquam infuſcat, ne videatur, & beneficio fugæ periculum declinat, & inſidiantium conatus eludit, ut refert plinius *lib. 8. cap. 37.* Avium pulli ne proprium collutulent lectulum, aluom depoſituri recipiunt ſe ad nidi marginem, & parentes pullorum egeſtiones roſtro foras deijciunt, vel pede excutiunt. Grues montem taurum pertranſeuntes, ubi aquilæ turmatim degunt, ingentibus lapidibus, ut vocem cohibeant ori inſertis noctu tacitè transvolant, & hac induſtria aquilas eludunt inſidiatrices: de ijſdem ſcribit Cicero *2. de nat. Deor.* quòd dum volatu mare traijciunt, ſi ventus ſuæ ſit profectioni contrarius, quò aerem ad-

ver-

versum facilius penetrent; ita se disponunt, ut trianguli oxygonij figuram describant, cuspide hujus figuræ circumfluum aërem scindentes, ne ordines possint à ventorum impetu disrumpi, ut notat Plutarchus *lib. de solert animal.* Imò ingestâ etiam in ventrem arenâ, lapidéque è pede suspenso se contra ventorum impetus in maris trajectione saburrant.

Ardea si videat se à falcone impeti in sub-
320 limius semper avolat; ne falco locum enactus superiorem in ipsam irruat; sin verò contingat, ut falco in sublimius efferatur; tunc ardea rostrum quod prælongum, & acutum habet capite subtus alas abscondito se resupinat sursum, & illo hostem pugnæ carnibus inhiantem ardeæ magno impetu in se ruentem excipit, ac rostro configit, ne falcem inulta moriatur. Estque hæc pugna falconis cum ardea, quæ principes habet spectatores, & ijsdem non modicæ est voluptati, qui propterea falcones nutriunt, emúntque caro pretio. Refert Aldrovandus *lib. 20. c. 8.* Ornith, quòd si ardea præsentiat imminere pluviam, tunc ne madefiat supra nubes ipsas avolat, qua in re ait Aldrovandus esse ardeam cæteris avibus prudentiorem. Quamvis plures volucres futuras pluvias præsagiant, non tamen eas declinare possunt, ut ardea, de qua Virgilius: *Notásque paludes deserit: atque altam supra volat ardea nubem.* Id etiam Ardeæ singolare quòd cum ostreis inhiet, quas devoret, & sciens duriore testa eas vestiri; ardea, quia earum esu vel maximè delectatur, unà cum crusta durissima eas devorat, demittitque in stomachum, cujus calore utpote vehemente ostrea hiat, seque aperit, & tunc eam ardea evomit, carnem statim separat à testa, & crusta, illam comedit; hanc omittit; est adeo intensus ardeæ calor, ut ejus excrementa in accipitrem persequentem emissa non solùm ejus plumas putrefaciant, sed penitus exurant, eaque de causa censent plures ardeam ab ardore suam sortiri nomenclationem.

De Perdice ait Aristoteles *lib. 9. histor. c.*
321 *10.* quòd si quis ad ejus nidum accesserit, provolvit se se ante pedes venatoris, quasi jam possit capi; eo tamen fine allicit venatorem, donec pulli aufugiant, quos cum noverit periculum evasisse, tunc & ipsa avolat, & conatum eludit venatoris. De perdice asserunt Plutarchus *lib. de solertia animal* & Ælianus *lib. 3. c. 16.* Plinius *lib. 10. cap. 33.* eam suas erudire pullos, ac docere, ut cum adhuc volare nescij urgente aucupe supini jaceant, glebámque quærant, vel quisquilias, quibus tegantur, ne auceps pullos quærens eos videat, ejúsque manus effugiant. Addit Aldrovandus l. 13. cap. 17. quòd si perdix pullos suos ad pascua ducens hominem videat, id statim sibilio pullis adsignificat, qui juxta glebas se statim resupinant, ne auceps eos videat, quòd si periculum immineat perdix parens sibilo pullos monet, qui pernici volatu aliò se transferunt.

322 Mustella pugnam cum serpente initura, non priùs pugnæ campum adit, quàm rutham herbam comederit, eámque ore, ac dente firmiter teneat, secúmque ferat, objiciatque adversario, cui scit esse rutham perquam infensam, quem propterea ad fugam adigit, vel pugnantem prosternit. Sympathias, & antipathias herbarum optimè norunt bruta animalia. Picus Martius teste Plinio *lib. 10. cap. 18.* videns cuneum suum impactum nido non rostrum, vel ungues adhibet; utpote nimis imbecilles, ad illum evellendum; sed specialem quamdam sibi notam herbam quærit, quâ nido admota statim exilit cuneus.

Vulgatum, tritúmque satis est, quod de si- 323
mia circumfertur; hæc cupediarum appetens culinam fuerat ingressa exploratura, an aliquid exquisiti obsonij inveniret; castaneas reperit calido cinere obtectas in foco; sed timens aduri, si proprijs ipsa manibus extrahat; felem conspicata suis in eum unguibus involat, ac per anteriores pedes correptum secum ad focum defert, & felini pedis fuscina castaneas ex igne citra periculum proprios urendi digitos extrahit, ac lautè epulatur. Demum ad evincendum, Bruta agere propter finem, & media seligere ad finis assecutionem peropportuna prodest innuere quod narrat Justus Lipsius *Epist. cent. 1 epist. 50.* ait ipse Cocini urbe Indiæ orientalis celebri, Elephas solita prandij tempore non accepta portione, altiùs barrire cœpit: adest magister, & causam moræ vas æneum ostendit, quod perfluens, & fractum cibum non teneret; jubétque, si velit edere, ut ad fabrum ærarium fractum vas deferat resarciendum: paret bellua, promuscide sublatum vas ad fabrum defert, & quid velit ostendit. Faber cum simulâsset se oblatum vas jam instaurâsse reddit illud elephanti, qui domum regressus vas Hero ostendit: sed ille fraudem fabri videns, bestiam iteratò ad fabrum mittit, cui illa queribunda vas impingit: Faber Elephanto blandiens, iterum simulato opere ei cogitat imponere, sed frustra, nam bestia periculum factura, probène refectus esset lebes ad flumen illum defert, aqua replet, & videns vas aquam perfluere, ira inflammatus ad fabrum redit, intonátque ingenti barritu: accurrunt vicini, inter quos Vicarius Regis, quid rei belluam inter, & fabrum agatur exploraturus. Faber tum blandis verbis adnixus est iratam bestiam demulcere, ac vas bona fide reficere. Tum elephas non fidens opifici, à quo iteratò fuerat decepta, accepto vase ad flumen redit experimentum factura num vas revera instauratum ab artifice esset; aqua iterum opplevit, cumque effluere non deprehenderet, conversa ad circumstantes vas suum instauratum ostendit, quos testes vellet reparati jam probè lebetis; indeque domum reversus ab hero consuetam in lebete portionem exegit. An non bestia illa opportuna elegit media ad explorandam lebetis integritatem, & ad exigendam ab hero ordinariam portionem?

Dicendum nihilominus est, Bruta non age- 324
re formaliter propter finem. Finis alius est materialis, alius formalis: ille est simpliciter bonum apprehensum ut congruum appetenti; iste est bonum non solùm apprehensum ut congruum, sed ulterius, ut explicitè assequibile propter quamdam proportionem cum

cet-

certis medijs, quibus faciliùs, quàm cum alijs consequi potest: adeout finis formalis supponat potentiam conferentem plura media inter se, & cum fine, & electionem illorum, quæ in talibus circumstantijs videntur magis conducibilia ad finem; adeo ut agere propter finem formaliter sit comparare hæc vel illa media cum fine, & illa potiùs eligere, quàm alia minus conducibilia, & dependenter à tali cognitione ferre judicium, quòd pensatis singulis tale, vel tale medium magis conducat ad finis assecutionem, quàm aliud; atqui hæc via comparativa supponit libertatem; in ordine ad eligendum unum medium præ alio, bruta autem cum non agant liberè, sed ex instinctu naturæ non agunt propter finem formalem; sed tantùm materialem; hoc est non conferendo media cum fine, nec cognoscendo proportionem medij cum fine, atque judicando de majori utilitate & conducibilitate hic & nunc præ alio ad assecutionem finis: sed apprehendendo per modum unius complexi medium & finem; quod est agere propter finem materialem, non formalem. Hinc cum avis nidificatura colligit paleam apprehendit paleam, & nidum per modum unius complexi sine comparatione unius cum alio, ut docet D. Thomas 12. *quæst.* 6. *artic.* 2. inquiens: *Est autem duplex cognitio perfecta scilicet, & imperfecta: Illa est quando non solùm apprehenditur res, quæ est finis; sed etiam cognoscitur ratio finis, & proportio ejus, quod ordinatur ad finem; & hæc cognitio finis competit soli naturæ rationali.* Rursus explicans quomodo natura irrationalis feratur in finem ait 1. 2. 9. 1. *art.* 2. *Natura irrationalis quasi ab alio acta, vel ducta sive in finem apprehensum sicut bruta animalia; sive in finem non apprehensum; sicut ea, quæ omnino cognitione carent, movetur: sicut sagitta tendit in determinatum finem, eò quòd movetur à sagittante qui actionem, & motum sagittæ dirigit in finem.* Hinc bruta potiùs aguntur, & moventur in finem, quod est ferri in finem materialem; non verò se movent in finem, neque agunt propter finem formalem. Quia movere se in finem formaliter est imprimere ordinem ad finem in operationibus circa hanc, vel illam magis proportionatam electionem mediorum; adeo ut se movens in finem formalem conferat media cum fine, & per judicium comparativum judicet pensatis omnibus circumstantijs, hæc media esse magis conducibilia ad assecutionem finis, quàm alia proinde esse præ cæteris eligenda, & quia bruta destituuntur intellectu nequeunt tale judicium comparativum efformare, nec agere propter finem formaliter.

325 Præterea quamvis bruta prosequantur bonum sibi congruum, id tantùm præstant instinctu naturali, & hic instinctus elicitus nil aliud est, quàm quidam actus phantasiæ, seu æstimativæ necessitate naturali ab illa profluens posito phantasmate talis rei, à cujus convenientia bruta attrahuntur: quapropter non attingunt finem sub ratione finis formalis, & ordinis mediorum ad ipsum; sed tantùm connexionem sensibilem mediorum cum bono sensibili. Quamobrem bruta nonnisi materialiter agunt propter finem, quatenus appetunt bonum à se cognitum, & moveantur ut illud assequantur; Hinc hirundo chelidoniam quærens ad abstergendam cæcitatem à suis pullis; Cervus dictamnum, ut infixas sibi sagittas evellat; Hippopotamus dum ad acutiores arundines ad nili ripas affricto corpore venã sibi aperit, & sanguinem emittit, & quando se aleviatum sentit volutat se in limo ad sistendum sanguinem; quando vulpes se mortuam simulat, linguam extra os porrigit ad pullos gallinaceos rapiendos; cognoscunt quidem quod per talia media nituntur assequi, sed per modum tantùm unius complexi, ut superiùs explicuimus.

326 Neque bruta versantur circa media formaliter, sed tantùm materialiter, ut cum quærunt cibum ad famem expellendam; cum aves efformant nidum forma, & mensura proportionata, quia tunc potius aguntur ab instinctu naturæ, quàm agant, séque moveant in electionem mediorum. Quòd si dicas, bruta non appetere media sub ratione honesti, quia honestum est objectum intellectus: atque sub ratione delectabilis, eò quia multoties delectationi obversentur, ut cum canis nititur catenam frangere ut exhibitum sibi panem rapiat; proinde appetere media sub ratione utilis, quod est attingere, medium formaliter ut medium. Respondetur, Bruta tantùm attingere media, & finem per modum unius boni delectabilis, & congrui, quamvis interdum occurrat aliqua ratio, quæ delectationi adversetur, in quo casu objectum non est purum delectabile, sed mixtum.

EXPENSIO III.

Apium, Bombycum, Araneorum, Draconum, & serpentum natura, & proprietates Symbolicè exhibentur, & ethicè explicantur.

327 Apes putrescentia cadavera, odorésque fœdos fugientes Lemma ex Horatio *Intaminatis fulgent honoribus: vel munda placent castis.* Refert Plinius lib. 15. c. 18. Apes fœdos aversari odores, omnéque odisse turpe, à quo propterea procul fugiunt. Mira enim est Apum mundities, adeout non liguriant in equorum ulceribus ut culices, nec in stercoribus, ut crabrones, nec in caprarum excrementis ut scarabæi, nec in cadaveribus, ut vespes, nullas tolerant spurcitias, quas amoliuntur, nec loca inquinata, & malè olentia, quæ aversantur. Apodosis virtutem castitatis excolentibus turpia, & quæ tetram redolent libidinem sunt odio & aversioni; solus enim libidinis fœtor est viro casto molestissimus, nec patitur sibi fabulas turpes, ac inanes sibi enarrari: nec quidquam obscæni vult in verbis audire, nec in factis videre, nec in picturis intueri, unde turpitudine flagitiosa possit inquinari. Quinimo in corpore modis omnibus excruciato quicquid voluptatis sensum illicere potest statim ex-

excutit, ne illibati floris candorem solo spiritu infuscet, solóque halitu inficiat, vel aspectu deturpet. Hinc summia excipitur laudibus Alexander Macedo, quem nec insolentia victoriæ, nec æstus concupiscentiæ ad aspiciendas devicti Darij venustas filias pertraxit: commendatur Scipio, qui victâ Celtiberorum principis sponsâ, ne quid oculis de ejua castitate delibasse videretur, noluit ad aspectum admittere. Castitatis cultor in id potissimum incumbit studij, ne turpe quidquam admittat, quo candor possit pudicitiæ deturpari; mentem servat castam, ne in illam ulla unquam titillans carnis cogitatio irrepat; aures adeo tersas custodit, ut in illas nulla unquam ex obscœno sermone libata influat voluptas: oculos tam puros, ut in illos nulla unquam incurrat venustæ fœminæ species; & morea omnes ita ad normam virtutis componit, ut nulla unquam labecula inquinentur: nec ullis verborum blanditijs persuaderi, nullis suppliciorum minis potest commoveri, quò lineam transiliat pudicitiæ, etiam qua ætate libidinis æstus animum assolet vehementiùs ad flagitia succendere, & ingenita medullis voluptas concupiscentiam excitat, & sensum omnem titillat. Vide Castitatem, Pudicitiam

8, Apes redeunte verna temperie ex apiario egressæ pervolant florentia prata, collésque tenellis vestitos herbusculis, lemma, *Cœlo solóque favente*. Apodosis. peccator resipiscens licet diu friguerit, vel intepuerit sceleris hyeme: cum primum tamen DEUS divinæ gratiæ radio in ejus illabitur mentem, è qua caligines dispellit ignorantiæ, sorgit, & per flores virtutum, per exercitia bonorum operum merita colligit, quibus melleam æternæ gloriæ assequitur dulcedinem. Cum flores verno tempore incipiunt in pratis, hortis, campisque lascivire, exeunt apes è suis latebris, & turmatim flores adeunt ut cecinit Poëta

Quales vere novo Siculæ sub collibus hyblæ
Vallibus, aut riguis latè fragrantis Hymetti
Exercentur Apes stabulis ubi pinguibus agmen
Prodit mane novum, & cœlo bacchatur aperto

Est Hybla urbs in Sicilia, cujus ager thymo abundat, & salicibus, quibus apes pastæ
9. mel optimum dicuntur conficere. Hunc egressum ex alveis suis post frigus hybernum ad flores, qui ubique locorum gliscunt eleganti metro describit Corripus lib. 4.

Densa per antiquas discurrunt agmina sylvas
More apum, quas ver tepidum nova condere castra,
Et munire favos ceris jubet æthere captos,
Densa per herbosos errant examina campos,
Floribus insidunt varijs rorémque madentem
Ore legunt, onerántque humores, cerasque liquentes
Conficiunt, dulcésque lares in pumice figunt,
Incumbunt operi, gratisque laboribus instant

Apes ex Aristotele pennas habent detectas, easque quatuor, quia quæ pascuia vivere necesse habent, & pabuli causa evagari, hæ quadripennes sunt, & corpulentiam habent leviorem; sunt apes unicolores sicut Crabrones, aut vespæ, caosa refunditur in alimentum, ex quo prodeunt excrementa, ex quibus pili, pennæ, & cutis gignuntur. Crura apibus singulari naturæ providentia sunt scabra, ut collecti è floribus liquores faciliùs adhæreant; lingua est prælonga, quam foria gerunt velut aculeum fungosum, & cavum ut simul gustare & cibum trahere possint. Dentibua non destituuntur, nec ventriculis, in quos congeritur mellis liquor. Apum rex sine spiculo esse asserit Columella; operarias autem aculeum habere pertragilem, ac pertenuem in alvo tamen conditum ne foris pandens corrumpatur. Vide Vocationem, Conversionem, Occasionem. Hyema lurida, frigida, peccatum indicat, quo peccator frigescit nullum sentiens divini amoris æstum; cum primum lux divinæ gratiæ mentem subit, quam fovet excutiendum ei lethale frigus, & per flores virtutom, per exercitia bonorum operum incedendum, apum ut fiat æmulator. Ipsum pœniteat peccatorum, ut se hac rigente eximat hyeme lethalis noxæ, & accedat ad summum Bonum, à quo se averterat; non est necesse prolixa itinera suscipiat, maria trajiciat procellosa, nec pericula subeat perniciosa, sufficit si detestetur quod pessimum esse novit, si sacra exhomologesi conscientiam purget, prodatque sacerdoti quod latet occultum. Sed prius quàm peccata aperiat ob peccata doleat, dicat ex corde: Doleo clementissime DEUS me recessisse à Te summo Bono, me reliquisse fontem vivum, & in mundi cisternis dissipatis corruptas bibisse voluptatia aquas siti extinguendæ impares, & à te avertentes quotquot illaa hauriunt: prætuli cœnum cœlo, lutum gemmis, umbram soli, vanitatem creaturæ bonitati Creatoris; & ideo dolor torquet cor meum, animum meum affligit; & acerbè corrodit omnia viscera mea, quod Te contemptui habuerim per decem facile milita, & amplius stultarum, pudendarum, ac sceleratarum anteactæ vitæ actionum, cogitationum, operationum; vereárque propterea pudore suffulus, oculisque in humum demissis comparere coram Te; vixque impetrem à me, ut cœlo oculos elevem, cum nec obtutu quidem illius me dignum censeam. Quia verò Tu es summè Bonus, & non vis mortem peccatoria, sed ut resipiscat, & vivat: surgam mediante benefica tua gratia ab umbra mortis, & de infinita confisua misericordia dicere audebo cum prodigo adolescente, peccavi in cœlo, & coram Te, jam non sum dignus vocari filius tuus; sed præteritæ vitæ, hæreditatis obliguritæ, substantiæ gratiæ tuæ dissipatæ da veniam: oro cúm intimo, quemque elicere possum, maximo doloris sensu ignoscere velia sceleribus vitæ meæ, quæ generatim omnia, & singula sigillatim detestor, & abhorren, quia læsæ Majestatis tuæ crimina sunt, & à te ultimo fine exerrantes actiones cum proposito efficaci te adjuvante confitendi de illia, & serio emendandi, & mortes potius mille in posterum subeundi, quàm unicam lethalem admittam noxam: oh si mihi daretur ut patrata non fuissent mea scelera, & iterum nascerer, omnes potius tirannorum cruciatus

vellem sufferre, quàm te offendere: sed quia quod factum fuit, fieri nequit, quin factum fuerit; delebo lacrymis, quas verus dolor elicit, quas peccando sordes contraxi, & plorabo die ac nocte, eo quod cupiditates meas divinæ tuæ antetuli majestati, Teque non honoravi ut fieri oportebat, nec tibi mea præstiti obsequia, quæ debebantur; quin imo multis te affeci injurijs, Teque pluries graviter offendi. Sed cum sis Pater misericordiarum has enixim rogo velis exercere in me miserum, me infelicem peccatorem hoc rogo ex toto corde, cum protestatione inviolabili reparaturum me damna hæc honoris tui obsequijs & servitijs meis, quæ cum fidelitate imposterum exhibebo. Misericordia igitur misericordia. pœnitet me peccasse, doleo me offendisse Te non propter timorem inferni, quem merui; nec ob metum cæli amittendi sed quia es summè Bonus, & amari semper debes nunquam offendi. Cum primùm lux divinæ gratiæ in mentem illabitur peccatoris, non differat hic ab umbra mortis peccati surgere, ut à malis se eximat, quæ peccando sibi intulit, non procrastinet resipiscentiam, non differat pœnitentiam; si DEUS vocet non renuat, si trahit non obstet, si allicit non impediat: quia si Angeli sustinuerunt perduellem Creatori, si sol, luna, & reliqua astra peccantem benignis observârunt aspectibus; si elementa foverunt à cælitibus exosum: si volucres cæli, pisces maris, bestiæ terræ non irruerunt in DEO inimicum; non est certus, quòd mors præmatura, & inopina non sit eum in gehennam raptura. Noli cunctari: malum quo diuturnius eò pejus, fit enim morâ periculosius, curatu difficilius, & tempore perniciosius. Vulnus si lethale fit paratam exposcit medicinam, antequam putrescat.

3. Apes præeuntem Regem corpore proceriorem turmatim sequuntur per avia nemoris opacati lemma *Regis ad Exemplum*. Id apibus à natura inditum, præeuntem regem sequi quocunque ierit, cui & obsequuntur. Apodosis. Exempla superiorum fortius movent subditos quàm verba: quisque enim studet ita proprios componere mores, ut ab illis non discrepent Principis, cuj placere adnituntur, scientes amorem foveri morum similitudine. Vide Exempla, Imitationem.

4. Apes huc, illúcque celeri volatu discurrentes, variósque sibi impertitus labores subeuntes ad favos construendos lemma. *Virtus sudore paranda* Apodosis. Favus mellis symbolum est virtutis, quæ semel labore acquisita dulcescit, censuit Philosophus radices virtutis amaras esse, quatenus labores, quibus fovetur, crescit, & comparatur, molesti sunt, sed ejus fructus melleam exhibent dulcedinem; quod animadvertens Hesiodus dixit, virtutem sudore parandam esse Deos voluisse; quod & cecinit Lucilius

Virtutem voluere Dij sudore parari
Arduus est ad eam, longúsque per ardua tractus,
Asper & est primum; sed ubi alta cacumina tanges
Fit facilis, quæ dura priùs fuit inclyta virtus

Scaliger laudem in labore positam edixit; & apis plures post exantlatos labores hanc etiam post fata laudé promeruit, & gloriam sibi comparavit in succino tumulata; virtus enim labore parta nunquam emoritur, vivitque in sepulchro splendidior, ut de ape cecinit Martialis.

Et latet & lucet Phaetontide condita gutta
Ut videatur apis nectare clausa suo
Dignum tantarum pretium tulit illa laborum;
Credibile est ipsam sic voluisse mori

Quales & quantos subeant apes labores ex eo conijcitur, quia favos construunt, ceram fingunt, domos, cellasque ædificant ea solertia, ac in laboribus perseverantia, ut brevissimo temporis spatio majorem alvearij partem melle, & cera onerâsse conspiciantur: & propterea Salomon Proverb. 6. Apem egregiam deprædicet operatricem: *Vade ad apem & vide, quomodo operaria est* quod expendens D. Ambrosius *lib. 6. Hexam, c. 21.* ait *Audis quid dicat Propheta? mittit utique te, ut apiculæ illius sequutus exemplum imiteris operationem.* Quamvis sit Apis corpore exilis ac infirma, valida tamen est vigore sapientiæ, & amore virtutis. Favente aëris temperie cælique clementia exeunt ex apiario pleno agmine, proceduntque ad opus, ac labores; aliæ flores aggerunt pedibus; aliæ aquam ore, guttasque lanuginerotius corporis. Iuniores ad graviores exeunt labores subeundos; seniores intus operantur. Quæ flores deferunt prioribus pedibus femina onerant, crura enim naturæ providentia scabra sunt sarcinis deferendis aptiora. Sunt etiam officia divisa, & labores partiti, quos describit Plinius lib. 11. c. 10. Aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt, aliæ cibum comparant ex eo, qood allatum est. Neque separatim vescuntur, ne in æqualitas operis & cibi fiat, & temporis. Struunt orsæ à concameratione alvei, textúmque vel usque ad summa tecta deducunt, limitibus binis circa singulos arcus, ut alijs intrent alijs exeant. Favi superiore parte affixi, & pabulũ etiã laterib⁹ simul hærent, pendentque una. Ruentes ceras sulciunt pilarum intergerinis à solo fornicatis, ne desit aditus ad resarciendum. Primi fere tres versus inanes struuntur, ne promptum sit quod invitet furantem. Novissimi implentur melle; ideoque averso alveo favi eximuntur. Cessantium ab opere notant inertia, castigant mox, & puniunt morte.

Apis promontorium circumvolatoræ, ne flante Euro disijciantur, agitentúrq; dissipatæ exiguos gestant ore labillos, quibus se librat lemma *se casus componunt ad omnes.* APODOSIS. Vir prudens, & patiens adversantis fortonæ impetus exercitio virtutis superat, séque ita dirigit, ut à rectitudine, ac honestate nunquam disijciatur; & immotus manens se casus componit ad omnes. Apes circumvolitantes si ventus impetu efflet vehementiori, ne disijciantur se ipsas quasi saburrant sumptis in os exiguis lapillis, quibus se contra ventum librant Virgil Georg. lib. 4. 6.

Nec vero à stabulis pluvia impedente recedunt
Longius, aut credunt cœlo, adventantibus Euris
Sed circum tutæ sub mœnibus urbis aquantur.
Excursusque breves tentant, & sæpe lapillos,
Ut cymbæ instabiles fluctu jactante saburram
Tollunt; his se se per inania nubila librant.

Vir

Vir patiens solo virtutis exercitio se contra impetus quosque adversitatum librat, servátque indemnem. Quia res humanæ non semper ad vota fluunt nostra, & nil homini familiarius quàm adversitates experiri, & contraria pati, sic nihil magis necessarium, quàm patientia. Non enim iniquius est nobiscum actum, quàm cum feris. Aper hederam habet suam; draco sylvestrem lactucam, anguis marachum; Canis vulneratus linguam, quâ inflictû sibi vulnus lingens sanat; & alijs feris præsto est medela. Hominibus verò commune pharmacum contra mala omnia est patientia, qua adversa quæque retunduntur.

6. *Apes* præsentientes pluviam, grandinem, & procellam brevi orituram omisso labore in floribus exsuggendis pernici volatu ad alveum convolant, ne quidquam exterius damni patiantur lemma *Fato prudentia major.* APODOSIS. Vir prudens futuros prævidet casus, contra quos maturè se munit, ne ijsdem succumbat. Est enim prudentia quâ de bonis, ac malis, quæ ad felicitatem pertinent bene possumus consulere ut docet Aristoteles lib. 1. Rhetor. vel ut placet D. Augustino lib. 1. de lib. arbitr. *est appetendarum, ac vitandarum rerum scientia.* Hanc callere apes scientiam asstruit Plinius lib. 11. c. 10. asserens, futuras præsagire procellas, & ad apiarium illico juxta terram evolant in adverso flatu vepribus hebetato. Licet elephas mole corporea gigantescat veluti in montem, & apis exigua videatur in granum decrescere frumenti: tigris sit fortis, & apis longè imbecillior: bos lacertosus & apis languidior; vulpes astuta, & apis longè simplicior; attamen quo simplicior est vulpe; minor elephante, languidior tauro, imbecillior tigride eò hisce omnibus est circumspectior, ac prudentior vide Prudentiam, Circumspectionem.

7. *Apes* per hortos, prata, sepes, arbores excurrentes, & exosculantes flores, è quorum sinu dulcissimos exsugunt rores favis confingendis peridoneos, lemma *Libant non lædunt.* APODOSIS. Princeps ex subditorum substantijs, bonisque ea exigat tributa, quæ non plurimum adferunt ijsdem incommodi, libens, sed non lædant. Meliùs, ac utiliùs est tondere, quàm deglubere, ut teste Suetonio respondit Tiberius Cæsar Æmilio Recto Ægypti Prætori graviora subditis vectigalia imponenda suadenti: Boni enim pastoris est tondere pecus, non deglubere. Nec minùs debet princeps populum curare, quàm opilio oves: ait Cyrus Xenophonteus lib. 8. *Boni pastoris, & regis boni opera sunt consimilia: quorum ille felicitatem pecoribus conciliando, ita utitur his, quæ beata est ovium vita: hic verò pariter civitates, hominésque efficiens beatos, sic demque eis uti, fruique debet.* Simile est apophthegma Alexandri Macedonis, qui in eadem causa provinciarum præsidibus fertur scripsisse: odi olitorem radicitùs olera exscindentem.

8. *Apes* si aquis diu immersæ manserint mortuæ dicuntur, quæ tamen si tepescente cinere conspergantur reviviscunt lemma *Nec serò medicina paratur.* APODOSIS. Homines mundi fluxis delicijs, ac voluptatibus si afficiantur per lethalem noxam faciléà summo Bono se avertunt, ac divinæ moriuntur gratiæ; ut reviviscant necesse est cinere veræ pœnitentiæ aspergantur, & cum Davide resipiscente cinerem tanquam panem manducent. Hic cinis medela est efficax, qua mortui peccato reviviscunt gratiæ, nec unquam serò paratur, quia in quacunque horâ indoluerit peccator, remittuntur ei peccata. Apes si subter aquam diu non valde calidam, ac frigidam teneantur exanimari videntur, ast cum moram protraxerint in cinere resurgunt, ac reviviscunt; hujus rei causam assignat philosophus, quia spiritus interior ob humiditatem penetrantem quasi corrumpitur; qui postea in cinere fovetur, consumpto enim humido cinerum siccitate, ac calore suscitantur apes. Mundi voluptates sunt aquæ illæ, quibus immersi homines DEO moriuntur. Cineres indicant pœnitentiam, cujus beneficio peccator resipiscens revivisicit.

Apes ex mortuo & putrescente tauro genitæ, ac turmatim emicantes, & provenientes, lemma *Ex funere vitam.* APODOSIS. Quamvis diffluat homo delicijs, affluat divitijs, sitque vitijs pluribus inquinatus, ac putrescat peccato. Si tamen seriò suæ meminerit mortalitatis, & fluxa, ac vana esse, quæ in mundo nos alliciunt, ac brevi esse relinquenda. ex hujus funeris consideratione è vitio surget putrescente, novámque hauriet vitam. Sicut ex putrescentibus oleribus erucæ, ex aqua putri culices, ex vappa Gyniphes, ex luto vermes, ex cadaveribus equorum vespæ, & crabrones; & ex emortuis, corruptisque asinis scarabei dicuntur gigni, nasci, ac feræ emergere; ita ex ventre enecti ac putrescentis tauri apes, de quibus Ovidius lib. 15. metamor. 9.

Nonne vides quæcunque mora, fluidóque calore
Corpora tabuerint, in parva animalia verti?
I quoque delectos, mactatos obrue tauros
(cognita res usu) de putri viscere passim
Florilegæ nascuntur apes; quæ more parentum
Rura colunt, operique favent, in spemque laborant.

Cur autem ex bobus putretactis gignantur apes. Respondet Galenus causam esse assignatu difficilem; ait ipse. Neque quo pacto vermes in plantiagignantur, aut ex equis, bobúsque vespæ, atque apes facilè nos dicere licet. Vide Mortis memoriam.

10. Apum Rex inermis, seu sine spiculo præit coacervatum examen apum, quæ suis armatæ aculeis turmatim regem sequuntur. Lemma *Authoritate tantùm.* APODOSIS Princeps in bello non est necesse pugnet, sed sufficit si sua præsentia, & authoritate milites urgeat, & cohortes dirigat, milites moveat, animet, terreat prout se occasio obtulerit, magni est momenti in bello & conflictu principis oratio, quâ una pluries stetit victoria, rebus quandoque quasi desperatis: erecti enim militum animi à fugaretracti vincere didicerunt, qui victi visi fuerant animo cecidisse. Id præstitit Alexander Macedo, qui exhibitis præmiis ad ardoa quæque suos induxit milites; ait ipse apud Curtium, *Nihil tam altè natura constituit, quò virtus non possit*

ſit eniti. *Excedite in cacumen præmium erit ei, qui primùm occupaverit verticem, talenta decem: uno minus accipiet, qui proximum ei tenuit: eademque ad decem homines ſervabitur proportio:* Ad militum animos excitandos plurimum habent roboris exhibite prœmia: ecuitur ferrum euri ſplendore, ac ſponſtone: etenim in gregario, eóque plebeio milite plerumque plus aurum, quàm gloria poteſt. Solet etiam in bello princeps commemoratione fortium geſtorum ſuos animare milites, Alexander apud Curtium, *Serò ſanè hoſtium legiones numerare cepiſtis, poſtquam ſolitudinem in Aſia vincendo feciſtis: cum per Helespontum navigaremus de paucitate noſtra cogitandum ſuit. Nunc nos Scythæ ſequuntur, Bactriana auxilia præſto ſunt, nec tamen illi turbæ confido: veſtras manus intueor; veſtram virtutem, rerum quas geſturus ſum, vadem, prædémque habeo. Quamdiu vobiſcum in acie ſtabo nec meos, nec hoſtium exercitus numeravero, vos modo animos mihi plenos alacritatis, & fiduciæ adhibete.* Si milites diſruptis ordinibus timore perculſi de fuga rogitent, tunc ut eos in officio contineat reprehenſione utitur, quâ interdum non ſecus ac novacula pectora ſcindit militum, diſcerpit viſcera, vires deperditas reſtaurat, animósque lapſos erigit. Nec coſè Curtius inducens Alexandrum ſuos acri reprehenſione milites alloquentem ait. *Deſertus, deſtitutus ſum, hoſtibus deditus, ſed ſolus quoque ire perſeverabo. Objicite me hominibus, & belluis, & illis gentibus, quarum nomina horretis; inveniam qui deſertum à vobis ſequantur. Scythæ, Bactriani erunt mecum, hoſtes paullo ante, nunc milites noſtri. Mori præſtat, quàm precariò imperatorem eſſe. Ite redneces domos, ite deſerto rege ovantes. Ego hic à vobis deſperatæ victoriæ, aut honeſtæ morti locum inveniam; neminem teneo.* Nocacula fuit hæc oratio, quæ militum pectora ſcidit.

11. *Apum* rex inſultans fucie, à quibus tamen inermis debellatur Lemma *Vana ſine viribus ira* APODOSIS, Princeps cuj cires, non ſuppetunt nec pecuniæ ſufficiunt pro neceſſario milite congregendo bellum non indicat exteris, ne inermis ſuccumbat. Moturus princeps bella in exteros, neceſſe eſt plenum habeat ærarium, quo milites conducat, ſeliget duces, limitanea oppida milite, commeatu, propugnaculis muniat, domi habeat, quibus ſua tueatur, ſi exercitum in partes debeet remotas ducere; perititſſimos deligat militiæ ductores, quia ab iiſdem res tota pendet, ut enim de Scipione Magno eit Hiſtoritus. *Tanti eſſe exercitum, quanti imperatorem, verè proditum eſt. Sic redacto in diſciplinam milite, commiſſa acie: quodque nemo viſurum ſe unquam ſperaverat, factum eſt, ut fugientes Numentianos quisque videret.* Diſciplina itidem militaris ſervanda eſt, cujus fundamentum ſtipendia eſſe militum, erbitratus eſt Caſſiodorus inquiens: *Diſciplinam ſervare non poteſt jejunus exercitus, dum quod deeſt ſemper præſumit armatus.* ſeditiones enim militares, ac funeſtæ à Republica ſeceſſiones in regnorum interitum, non aliunde fuerunt ortæ, quàm à non diſtributis neceſſarijs ſtipendijs. Aut non ſcribendus miles, aut non porrogande, quæ eidem debentur ſtipendia; alioquin provincia militi à Principe ſcripto in prædam datur; & unde ſperari ſalus debuerat, inde probantur hoſtilia. Debet itidem Princeps in id operam dare, ne militum ſtipendia conſuete ſuperent provinciarum vectigalia, regnique cires; quia interdum procincia novorum vectigalium impatiens tumultuet, & jugum excutere cogitat. 12

Apes per hortoe florentes, prata, ſepes, arbores excurrentes, ac flores omnes éxoſculantes, ac ſuggentes ex eorumdem ſinu d[illegible] mos rores favis confingendis idoneos. Le[illegible]na *Citra noxam.* APODOSIS. Peupertas Chriſtiana ita proprijs conſulit indigentijs, ut proximo non ſit damno. A furtis abſtinet, nil ſurripit clangulo invito Domino, pauris rontenta ſtipe civit petita. 13

Apes agentes excubias ente oſtiolum Apiarij, lemma *Servat Vigilantia fores.* APODOSIS. Eſt cigilentie quæ virtutes omnes cuſtodit, ac tuetur, ne quidquam patiantur detrimenti; magno labore romparatæ virtutes amittuntur ebſque lebore, niſi veluti è ſpecula, ut conſerventur indemnes excubet vigilantia; quæ ad omne officij genus eſt in primis neceſſaria. Hæc eſt Regina artium, quas omnes ſervat, ac promovet. Quòd ſi regnum cœlorum vim patitur, ſuppeditat nobis vigilantia erma virtutum, quibus illo potiamur; nos munit ignea romphæa, quâ fores illæ adamantinæ rumpuntur, ac diſiliunt, ut violenti in beata illa edmittamur poſſeſſione. Vigilantie eſt, quæ nobis coronam cudit, proba conſilie ſuggerit, vires miniſtrat, ardorem ſuggerit, gloriæ rharacterem inurit. Sine cigilantia cirtus torpet, proba deſideria excutiuntur, vitia ſubeunt, & ſalus periclitatur. Hinc Deuter. 4. c. 9. id unicè nobis injungitur, ut nobis ettendamus, ſeu invigilemus; *Attende tibi*, ſeu in id incumbe ſtudij, totis ciribus contende, ut tibi attendas, animæ tuæ invigiles, in qua melior ec nobilior eſt tui portio: ut vivas DEO, neceſſe eſt tibi invigiles ſcitè D. Chryſologus ſerm. 24. *Quid tam morti ſimile, quàm dormientis aſpectus? quid tam vita plenum, quàm forma vigilantis? quæ ars, quod tempus, quæ poteſtas, quod officium, non vitæ luira lucubratione perquirit? Hinc eſt quòd rex in procinctu pervigil, callidi hoſtis præcavet, & evitat inſidias: tunc in caſtris miles ſupervenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit: ſic nauta vigilando diffuſi itineris incertas vias intrat, & calles tranſit invios, & veſtigia furtivo ad lucroſi portus votivam pervenit manſionem. Hinc paſtor adjungit noctes diebus, & totum ſibi tempus denegat dormiendi, ne qua lupis ſuffragante ſomno graſſandi in gregem præbeatur occaſio.* Eleganter vigilantiam rommendat.

Apes fumo abiguntur ab alvearijs cum 14
mella ab ijſdem extrahuntur Lemma *Emit, qui fumum vendit* APODOSIS. Adulatores eucupaturi principis favorem, empturi gretiem, vel offitium ſumum vendunt, cum ei adulantur. Vide Adulatores. Plinius lib. 11. c. 16. ait colonos rurales favos exigentes mellis ſolere apes fumo abigere, ne ipſæ avidè vorent Virgil. Æneid, 12.

In-

Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes, fumóque implevit amaro,
Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt, magisque acuunt stridoribus iras.
Volvitur ater odor tectis: cum murmure cæco
Intus saxa sonant, vacuas it fumus ad auras.

Potest id congruere vanæ gloriæ, quæ fumus est spolians hominem mellificio virtutum omnium. Hoc fumo cacodæmon nostrum bonorum rerum liquentia mella surripit.

15. *Apes* non ex uno tantùm, sed ex pluribus varijsque floribus dulcissimos legunt liquores ad favum construendum. Lemma *Ex pluribus unum*, seu ex pluribus collectis liquoribus in pluribus, varijsque flosculis unum confingunt mellis favum. Apodosis. Vir asceta religiosæ perfectionis studiosus apem imitatur argumentosam; ex singulis virtutibus, quibus alij florent aliquid decerpit in proprium profectum, quatenus satagit omnes, ac singulos imitari; ut unum efficiat perfectionis mellificium. Non sufficit si unam dumtaxat virtutem nanciscamur, si unum tantùm florem exosculemur. Nolle in via virtutis progredi perinde est ac retrogredi. Vita hominis instar fluminis deorsum truditur, si non adnitamur contra passionum fluxum sursum progredi rapimur ad ima. Non sufficit unam, vel alteram semel & iterum exercuisse virtutem; sed insistendum est, ut è singulis mellificium conficiamus perfectionis, ac cum Apostolo Paulo 2. *Tit. c. 4. v. 7.* dicat unusquisque nostrum *Cursum consummavi.* Exigunt virtutes diu, multúmque expoliri, ut suos delegant nitores, pulchrè Tertullianus *de habit. mul. c. 6.* loquens de gemmis quæ virtutibus comparantur, ait: *Tardè teruntur, ut niteant; & subdolò substruuntur, ut floreant, & anxiè forantur ut pendeant.* Non uno tantum vel altero splendet corona pretioso lapillo, sed ferè omnibus illuminata gemmis refulget; ut gloriæ corona nobis cudatur nitores ab omnibus mutuemus virtutibus, apes æmulemur, quæ suum effecturæ mellificium ex omnibus in horto, campo, prato, & arbore floribus dulces delibant liquores; perinde ac apes de flore in florem volitantes; de virtute ambulemus in virtutem, non figamus in unius exercitio terminum. Ferunt, in extremo Italiæ columnam surrexisse, quam Longobardorum Rex Autharis nomine cuspide hastæ suæ tangens dixit: usque huc erunt Longobardorum fines: hanc in studio virtutum non figamus nos Columnam, ne dicamus: usque huc erit mihi finis proficiendi in virtutum exercitijs. Pia viri ascetæ voluntas nullis finit se finibus claudi, nullis circumscribi columnis; sed cum Carolo V. repetit *plus ultra* ut per virtutum incrementa ad nova semper decora animum extimulet, innovétque ardorem: *semper adde* (ait Augustinus serm. 15. de verbis Apostol.) *Semper ambula, semper profice, noli retro redire, noli deviare: remerat qui non proficit: retro redit, qui ad ea revolvitur, unde jam abscesserat.* Est etiam apis legens dulcem rorem ex pluribus floribus ut suum construat mellificium nobile Symbolum studiosi, qui ex pluribus libris meliora seligit, quibus suum compingit opus, cui posset inscribere. Quæ sparsim legi, collecta lege. Id nos edocet Seneca Epist. 184. inquiens: *Apes debemus imitari, & quæcunque ex diversa lectione congessimus, separare: melius enim distincta servantur, deinde adhibita ingenij nostri cura, & facultate in unum saporem varia illa libamenta confundere: ut etiam apparuerit, unde sumptum sit, aliud tamen esse, quàm unde sumptum est appareat.* Sed sicut apes licet omnes advolent flores, quorum aliqui aliquid in se continent amaroris, & acris humoris, cujusmodi sunt ranunculi, & alij; succum tamen non nisi utilem inde sugunt, exeruntque, ex quo suos construunt favos; ita ex libris, quos legendo libamus ea tantùm seligenda sunt, quæ omnibus prodesse, & nemini possint obesse. Quia quæ alijs obsunt, lædúntque noxa non carent.

Apis mellis dulcedine perfusa, & spiculo 16.
armata aculei, lemma *Justitiæ Clementia rectrix.* Apodosis. Principi mellis dulcedo seu lenitas, ac clementia necessaria est ad bonos tuendos contra malorum insolentiam; & severitas ad improbos coërcendos: ita tamen ut acredo justitiæ melle temperetur clementiæ. Justitiam exerceat princeps, sed clementiæ non obliviscatur, utramque foveat, memor Prophetæ Jerem. 22. *Facite judicium, & justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, & advenam, & pupillum, & viduam nolite contristare neque opprimatis inique.* De Tito Imperatore ait Suetonius: *Nulli civium quidquam ademit; abstinuit alieno, ut si quis unquam: ac ne concessas quidem, & solitas collationes recepit.* Si qua verò paucorum sit seditio in perniciem regni tendens, non parcat Princeps delinquentibus, ne discrimen subeat respublica; sin verò commune sit delictum, clementiæ non obliviscatur; quia omnium cæde scelus expiare, perinde est ac omnibus destitui; tunc dissimulatione prætereunda sunt omnium delicta. Quinimo in privatis etiam delictis sit Princeps in clementiam pronior: *nulla enim re* ait Cicero *propiùs ad Deum accedit, quàm salutem hominibus dando.* imitari Deum non pudeat Principes terræ, *Suavis est,* ait David Psalm. 85. *& mitis, & multæ misericordiæ:* errare nequit homo si Deum sequatur ductorem, si ab ejus non recedat semitis. Neque alia virtute faciliùs regna parantur, ac firmantur, quàm clementia, qua regna immobiliùs fulciuntur. Splenduit hæc virtus in Traiano, qui contentus monuisse patritios, ut à conjuratione desisterent, injuriam sibi illatam oblivione delevit, & imperium firmiùs stabilivit. In Antonino dum Avidij Cassij liberis, uxori, ac genero ignovit. In Augusto cum Cornelio consulatum dedit, & Cinnæ prius hosti, postea insidiatori pepercit. In Vespasiano cum post sibi à Metio paratas insidias ad consulatum eum promovit. In Scipione Africano, cujus est præclarum illud effatum *Satius, ac utilius unum servare civem, quàm mille hostes occidere;* ut quàmminima civium jactura victoria paretur. Non ideo Princeps præest, & imperat, ut lædat, sed ut subditos juvet, ijsdemque prosit, non obsit. In Pom-

peio Magno, qui Tigranem benignis recreatum verbis, diadema quod abjecerat capiti reponere jussit, pulchrius judicans reges facere, quam vincere. In Julio Cæsare, qui Catonis adversatij auditâ morte indoluit, ac ejus liberis patrimonium servavit incolume. In Leone Imperatore, qui teste Zonara dicere consuevit: *Perinde ut Sol, quibus assulserit, iis calorem suum impertiri solet: ita ab Imperatore iis clementia tribuenda est, quos aspexerit.* Sol orbis moderator, ut oriatur, suisque radijs hæc foveat inferiora, preces non expectat; sed sponte sua oritur, & gratis fulget, ac lucet: ita princeps qui sui est populi moderator, non debet in suis beneficijs populo impertiendis preces, laudes, ac plausus expectare; sed suam in omnes æqui beneficentiam exerceat. Non exoratus sua impertiatur beneficia.

17. *Apes* turmatim suum sequentes regem, eique obsequentes, ne ab ejus deflectant semita censentes tutè incedere, si instituant ita procedere lemma *Rex viva lex.* APODOSIS. Princeps, ita suos componat mores, instituat amores, ut vivam se exhibeat legem subditis. Refert TrebelliusPollio, M. Aurelium, Claudium Cæsarem Principem fuisse optimum, ac legum sancitarum in imperio observantissimum, ac vivam propterea fuisse populo legem: & cum inter alias leges publico vetuisset edicto, ne ab Imperatore res alienæ peterentur (ac usuit tunc populus à Principe donari posse) & mulier quædam cujus prædium ipse ante imperium ex dono Imperatoris acceperat apud se conquereretur, à Claudio Magistro equitum factam sibi injuriam, reposuit Cæsar: *quod Claudius dum privatus erat, nec leges ita curabat, abstulit: hoc factus Imperator restituit:* censens nil magis decere principem, quàm si secundùm leges vivat, & moribus, exemploque suo ita imperium doceat: quia ut scitè Solon *Si princeps secundùm leges vivat universa respublica rectè geritur, & singuli subditi in officio continentur.* Quamvis princeps censeatur quodammodo à legibus solutus, in *casu* scilicet *opportuno*, ut ait Livius; congruum tamen est ad rectum regimen, eum parere legibus, ut fortiùs exemplo subditos ad virtutum pertrahat honestamenta: hinc ait Pittacus apud Ausonium *Parito legi, quisquis legem sanxeris.* Princeps si quas sancit leges non servat, sunt istæ subditis contemptui.

18. *Apes* suum in galea conficientes mellificium, lemma, *Pax bello utilior.* APODOSIS. Pax semper bello præferenda, vigent beneficio pacis negotia, quæ obstrepente bello neglecta jacent, florent artes, quæ belli æstu aresaunt; civium causæ disertiuntur in tribunalibus, quæ bellico tumultu adiguntur silere: hinc Fl. Marcianus Imperator non tam belli victoria, quàm pacis gloria alarus, adeo mitis fuit Princeps, pacisque amans, ut nunquam arma sumpserit nisi provocatus, & quasi vi adactus ad coercendum injustum aggressorem; illud usurpans: *Imperatori arma non esse induenda, dum in pace esse possit.* Bella enim ad id tantùm instituenda sunt, ut in pace sine injuria vivatur; ait Cicero de offic. *Neque enim quæritur pax, ut bellum exerceatur; sed bellum geritur, ut pax acquiratur.* Bellum non indicitur, nisi ut pax stabiliatur.

Apes in summis arborum ramis mel construentes quod populi Heptacometæ supra Cholchidem, seu septempagani legentes, ac comedentes insaniunt, lemma, *Latent sub melle venena.* APODOSIS, voluptas mellis illecebrâ aucupatur, quos sævè intecimit. Refert Strabo lib. 12. pag. 377. num. 30. Heptacometas, seu septempaganos populos esse supra Cholchidem Mosachicorum montium fastigia incolentes, dictos etiam Septempaganos à septem pagis, seu vicis, quos incolunt, & ibi apes in summis arborum ramis mel construere, quod incolas illud legentes, ac comedentes ad insaniam adigit. Mel hoc quia sua dulcedine populos illos allicit, quibus nocet, nobile est voluptatis Symbolum. Voluptas blandè afficit, & lethaliter inficit, & à sanâ mente dejicit Boëtius lib. 3. de consol. metr. 7. 19.

Habet omnis hoc voluptas
Stimulis agit fruentes
Apiumque par volantum
Ubi grata mella fudit
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu. Vide mundi voluptates noxias.

Araneus seu aranea miro artificio suam texens telam gemini inter parietis latera lemma *Natura dictante.* APODOSIS. Natura optima est rerum magistra, cujus propensioni cedendum in omni educatione, nisi degeneraverit à virtute, & conditione pueri educandi: non enim decet principem Citharædum esse, vel pictorem, aut barbitonsorem, quamvis ad hæc artium exercitia se sentiat à natura rapi; quin potius hu abosistendum est propensioni, quæ à majorum & propria degenerat principis conditione. Amare artes liberales principem decet, non eas exercere; ad majora est illi animus erigendus; pudeat regem ad indigna diademate, ac sceptro descendere. Ratio semper habenda est generis, ac propriæ dignitatis; ea est vis rebus indita, ut ad excellentiora nitantur; non ad deteriora demittantur. Cæterum in ijs quæ à virtute, honestate, ac propria non degenerant conditione optimum factu esse videtur, propensionem sequi naturæ, quæ faciliùs agenda edocet, & docendo delectat. Perrarò magna dat, quem institutoris violenta manus aliorsum à natura rapit: monet Quintilianus: *Nil præcepta, & artes valere, nisi adjuvante natura.* Hæc optima est magistra, & non homines tantum, sed & bruta, ac viliora insecta edocet quæ in proprium commodum, vel ad esculenta sibi comparanda necessaria sunt. Quis artem texendi araneum edocuit, quàm ipsa natura? ea dictante mirum perficit suum opificium captandis muscis, quibus vescitur, peridoneum. Orditur telas ait Plinius *lib. 11. 24.* tantique operia materiæ uterus ipsius sufficit: sive sit corrupta alui natura stato tempore (ut Democrito placet) sive sit intus quædam lanigera fertilitas; tam moderato ungue, tam tereti filo, & tam æquali deducit stamina, ipso se pondere utus. Texere è 20.

medio

medio incipit, circinato orbe subtegmina adnectens: maculísque paribus semper intervallis, sed subinde crescentibus ex angusto dilatans indissolubili nodo implicat. Quanta arte celat pedicas scutulato rete grassantes? quàm non ad hoc videtur pertinere cribratæ pexitas telæ, & quadam politaræ arte, ipsa per se tenax ratio tramæ? quam laxus ad flatus, non ad respuenda quæ veniant, sinus: derelictâ lasso prætenti summa parte, ut arbitrari liceat illa, quæ difficilè cernuntur, atque ut in plagis lineæ offensæ præcipitantur in sinum? Specus ipse, quâ concameratur architectura? & contra frigora quanto villosior? quàm remotus à medio aliudve agenti similis? inclusus verò sic, ut sit nec ne intus aliquis, cerni non possit? Age firmitas quanta irrumpentibus ventis? qua pulverum mole degravante? Latitudo telæ sæpe inter duas arbores cum exercet artem, & discit texere t longitudo fili à culmine, ac rursus à terra per illud ipsum velox reciprocatio, subitque pariter, ac fila deducit.

21. *Aranea* plurimum impendens laboris séque ipsam consumens in telis texendis non ad alium finem, quàm Muscam irretiendam cum lemmate *Quàm vanæ curæ!* Symbolum est hominis divitiarum cumulandarum cupidi, auróque acervando inhiantis, labore improbo se ipsum torquet, noctes insomnes ducit, pericula adit, maria trajicit; sed post tot labores, fusósque sudores quid tandem possidet? Muscam, imò umbram, nihil: omnia quæ cum vivimus grandia nobis videntur, cum morimur nulla sunt; tunc manus aperimus muscis plenas, quæ aliò avolant, & nos vel invitos relinquunt, quamvis nolimus plurimis parta laboribus deserere. Sunt qui augendæ rei familiari intenti omnia pervagantur fora, singulas frequentant nundinas, computant fœnus, quibus de propria salute nulla est cura; nulla de Deo pia cogitatio. Sunt qui merces exoticas quærentes terrarum tractus omnes, ac pelagi sinus pervagantur voluntario exilin se se à patria proscribentes, imò & à se ipsis exulantes, Dei, & sui immemores: & cum mundi bona quærunt summum plerunque Bonum perdunt, à quo se avertunt; & ideo miseri, quia verò bono destituti, licet mundi divitijs videantur affluere, honoribus affici, dignitatibus eminere: hinc accersendus Eucherius *de contemptu mundi* ait, *Vidimus nuper viros honore conspicuos celsarum dignitatum insedisse fastigijs, & diffuso usquequaque censu per orbem patrimonia diffudisse. Cupiditates successibus vicerant, rebus vota transvolaverant, sed privatas tamùm felicitates revolvo. Reges ipsi magno sublimes imperio, auro, gemmisque fulserant. Horum tegmina (mirum dictu) textis irradiabant metallis; diademata distinctis, intermicabat ardoribus; splendebat instructa palatijs aula cultibus, auratisque trabibus tecta rutilabant; eorum voluntates jura hominum, eorum verba leges appellabantur. Ecce eorum ambitus nusquam est: affluentissimæ quoque opes abierunt; transierunt ipsi tantarum opum domini. Recentium, inclytorumque regnorum apud* ...*dam fabula est.*

Araneus è concamerato suo exiens specu muscam capturus irretitam lemma. *Pretium sed vile laborum.* Apodosis. Avarus qui in congerendis divitijs perinde laboravit ac araneus in suo texendo rete, tandem nonnisi cœnum vile acquisivit, & cœlum amisit. Araneus 28. plurimum impendit laboris suum ut rete texat, fila net subtilissima non ex alia materia, quàm è proprijs visceribus in orbem rete distendit, stamina non interrupto labore ducit initio dicta à meditullio opificij, deinde subtegmina inferens atque stipans cubile, ac repositorium alibi sibi constituit, seque occultat; & cum pervolans irretitur musca vigilans & ad cursum paratus exilit, & licet extrema hæreat plaga semper in medium currit & prædam multiplici filo ac tegmine involuit; & si quid scissum fuerit protinus resarcit, & ad pristinam reficit polituram. Labor omnis, cura tota in id tendit ut irretita musca potiatur araneus. Quid ni? studia omnia impendit avarus ut divitias, ac bona temporalia possideat, quæ muscæ sunt nullius momenti, & quæ ut muscæ plus inferunt molestiæ, quàm adferant solatij; plus ingerunt damni, quàm lucri. An non insania est acquirere cœnum, & amittere cœlum? Bona temporalia non faciunt possidentem bonum, nec meliorem; sed persæpe malum, & pejorem; quia sunt divitiæ alimenta vitiorum, ac divitibus peccandi instrumenta: quia ut observat Eucherius *l. de contemptu mundi: quædam societas penè etiam nominis duabus his rebus vitijs, & divitijs.* Quid aliud vita Christiani esse debet, quam continuus per bona opera in cœlum ascensus: sed nemo in altum ascendens superfluis se oneribus aggravat: gravitas ascensum impedit, quem nuditas, & paupertas expedit. Quid auro gravius? si possideatur, illico ejus sentitur gravitas: aiebat Job divitijs affluens *c. 7. v. 20. Factus sum mihi metipsi gravis.* Ubi divitiæ, ibi gravis labor, gravis timor, gravis dolor; & labor ut acquirantur; timor ne amittantur; dolor si deperdantur: quo non angitur timore avarus, ne quas labore improbo congessit divitias, deperdat? dum hæ custodiuntur perpetuis curis, animique cruciatibus uberem suppeditant materiam; & ad hæredes si transeant suum jam deserunt possessorem, quem ultra tumulum non prosequuntur; neque stabilem apud heredes sedem figunt; quia aut potentioris alicujus injuria rapiuntur, vel infelici negotiatione pereunt, vel æstu quodam, ac reflexu fortunæ aliò suum derivant cursum; vel à nepotibus in canponis, lupanaribus fœdè abliguriuntur. Vide Bona temporalia, quàm fluxa.

Araneus involutam filaminibus captam 29. muscam suo recondit in specu. Lemma ex Boët. 2. cons. Phil. met. 5. *Amor ardet habendi.* Araneus captam muscam si fame premat exugit: hæc enim ejus fruitio est; sin minus, recondito quod ceperit in repositorio; repetit venandi negotium, & ea æstuat habendi siti, ut nulla divitiarum possessione valeat illam extinguere, sed perinde ac ab hidrope laborantibus quò plus bibuntur, plus sitiuntur aquæ;

un-

nunquam contentus novas semper cupit divitias congerere, & auri sitis eo ardet acrior, quo augentur divitiæ cumulatiùs.

EXCURSUS.

Avarus quò plura possidet, eò semper pauperior.

Vide Avarum inexplebilem, semper egentem. Inexplebilis est humanæ mentis cupiditas ut vix reperiatur, qui sua sit sorte contentus, sed suæ quemque quasi fortunæ pœniteat, majora semper expetit, ex ijs etiam quibus abundat. Idque causæ cur bonis hisce terrenis, fluxisque tantopere inhiet, quem sordida tenet avaritia; oculisque in terram defixis, nihil magnum, nihil divinum, ac cœleste spectet; sed solas aspiciat pecunias, quas acquirat, quo fit, ut vel in ipsa copia inops, & miser sit; quia cum pecuniæ quærendæ nullum modum ponat, nullámque sibi mensuram præfigat; nullum etiam acquisitæ jam pecuniæ usum assequitur, & frustra diuturno consumitur labore, curisque diurnis vexatur, & nocturnis, sitque non solùm alijs, sed & sibi exosus; quia nulli commodus, ubique inutilis; sit sola ejus mors grata hæredibus; vulgata satis est paræmia. *Avarus nisi cum moritur, nil rectè facit*; quia ut Venusinus Poëta cecinit

Non uxor salvum vult hunc, non filius: omnes
Vicini oderant, noti pueri, atque puellæ

Diogenes avaros Hydropicis similes aiebat, eo quia illi divitijs pleni, & isti aqua referti, ambo in sui perniciem plura semper desiderent: ut cecinit ille *quo plus sunt* potæ, plus sitiuntur aquæ. & Horatius lib. 2 od. 2,

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi,
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor

Quid refert divitijs affluere si eorum usus interdicitur? quid arcas possidere pecunijs gravatas, si semper clausæ sinuntur? quid horrea oppleta si non quæsita, sed quærenda computantur? non ille pauper qui minus habet; sed qui plus cupit; nec ille dives, qui plus habet, sed qui minus cupit: scitè Seneca lib. 1. Epist, 2. *sunt immodicæ divitiæ veluti ingentia, & enormia gubernacula. faciliùs mergunt, quàm regant, quod habeant irritam copiam, & noxiam nimietatem.* Hanc avari miseriam Tantali commento prisci homines expressam voluerunt. Finxerunt Tantalum propter vitæ scelera, & facinora, quibus opes per fas, nefasque comparaverat, à Numinibus ad inferos detrusum; atque in medio undarum strepitu murmurantis Cocitl fluvij ad mentum usque immersum, immotúmque fuisse constitutum: ut cum aquis propemodum suffocetur, & ante ejus ora arbor obversetur pulcherrima, plena fructibus odoris suavissimi; ipse tamen, quod veluti lapis maneat induratus, omnium membrorum ministerio destitutus, nec immanissimam levare sitim, nec famem propellere intolerabilem aliquo modo possit; de quo Horatius. *Tantalus à labris sitiens fugientia captat*, flumina: & Ovidius, *Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat Tantalus.*

Aranea subtilissimo, ac veluti aëreo stamine casses suas muscis capiendis peraptas texens, seque per filamina illa suspendens, reciprocóque meatu ascendens, & descendens lemma *Faber fortunæ quisque suæ.* APONOSIS. Sine industria, & labore non parantur, quæ desiderantur commoda, alimenta, & officia. Fuit sententia à Deo primis lata hominibus *in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Id nos edocent etiam minutissima quæque insecta. Miratur D. Gregorius Nazianzenus unde Apibus, & araneis tantum suppetat industriæ ac artis, ut illæ in cellis favos suos connectant, distendántque per sexangulas fistulas, quas æqualibus in medio spatijs relictis sic ædificant, ut in eorum medio, quasi muro quodam interjecto, angulorum rectorum commissiutâ ipsæ sibi sedes instituant. Araneis verò per subtilissima stamina, & propemodum aërea multiplici specie deducta sinuosas, ac inexplicabiles telas contexant, quæ simul habitaculum, & in alimenti prædam infirmorum animalium exhibeant aucupium. Quis Matheseos disciplinâ instructus potis sit lineas tam exactè ducere, ac opificium tam mirabile perficere? ait Ælianus lib. 1. de Animal. c. 21. Deam nomine Erganeam invenisse textrinam, & lanificia, hominum fama vulgatum esse. Araneus verò ad textrinum opus sua sponte, & natura natus est: non enim textili artificio studet, nec aliunde filum assumit, sed ex suo ventre stamina deducit, & irretiendis levissimis volucribus venabula contexit, atque in retis specie diffundit. Porrò eodem quem ad texendum de ventre suo detrahit, succo, ventrem suum studiosissimè alit. Nos docet Araneus sine propria industria, & labore commoda, & bona fortunæ nemini suffragari: *Quandóque, ait Seneca nil dare cuiquam potest fortuna, nec boni, nec mali, quoniam valentior est omni fortuna animus, qui in utramque partem res suas ducit: beatæque vel miseræ vitæ sibi causa est,* Vide labores, fortunam, Industriam. 24

Aranea flante vento adhuc suam orditura telam, & disrupta ex venti impetu filamina sedulo instaurat labore, ne quod opus perfecerat dissipetur, lemma. *Patientia malorum panacea.* APONOSIS. Viri patientis genuinam, verámque virtutem adversa non hebetant, nec frangunt, sed acuunt, & exercent. Licèt singulis malis singula suppeditet natura remedia; omnibus tamen malis curandis peridoneum, ac commune remedium est patientia, quæ & antidotum est vitæ, idque adnotavit Publianus cum dixit *Cuivis dolori remedium est patientia*, quàm Tullius definit; *honestatis, & utilitatis causa rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpessio.* Hujus officia virtutis duo potissimum sunt, quorum uno fortunam tolerat adversam, ejúsque impetus immobili, ac adamantina firmitate retundit: altero injurias sibi illatas, & convicia adversus se prolata 25

sine

finit unà cum aëre ventique flatu aliò avolate, ne malis succumbat, nec animo frangatur; magni est animi convicijs aures non dare, nec linguam præbere: pulchrius est alienam petulantiam ferre, quàm referre. Id præstitit Aristippus, à quopiam contumelijs lacessitus dixit: penes te est malè dicere: penes me bene audire: & Plato conviciatori cuidam respondit: Perge malè dicere, quia bene dicere nondum didicisti: & Xenophon alteri convicianti reposuit: si tu maledicere didicisti; ego conscientia teste didici maledicta contemnere, convicia non audire. Ad animi tranquillitatem tuendam est patientia necessaria: sicut nihil est familiarius homini, quàm pati; ita nil magis necessarium, quàm patientia. Non enim iniquius natura nobiscum egit, quam cum feris. Si Aper hederam suam habet; Draco sylvestrem lactucam; anguis Marachum; & alia animalia remedia alia ad morbos arcendos. Homini contra mala omnia unica datur patientia, quâ singulis medetur.

86. *Aranei* tela uno venti flatu tota dissipata. Lemma *Quod cito fit, citò perit.* Araneus intra perbreve temporis spatium suam orditur, & absolvit telam; sed quia tenuissimis intexta est filis, ac imbecillibus nititur fundamentis, quæ fila suppeditant tenuissima; cito etiam perit ad primum flantis venti impetum. Apodosis. Quò opus antequam prodeat in lucem diutius perpolitur, corrigitur, ac perficitur, ut omnibus sit suis absolutus numeris, eò perennius durat.

EXCURSUS.

Properatio opus non perficit, sed inficit.

Quæ serò contingunt magnifica plerunque ac diuturna esse solent: quia nihil est stabile ac perpetuum, nisi quod perfectum est, & maturum, secus quod subito exoritur, statim emoritur: & quòd perfunctoriè fit, & statim in lucem prodit, illicò etiam perit: fulgur quia statim erumpit, illico evanescit: flores qui primi redeunte vere lasciviunt in hortis, citius flaccescunt: matura itidem satio teste Columella sæpe decipit: sera nunquam mala fit; longè durabilius est, ac vitalius quod paulatim crescit, & augetur: quàm quod una quasi nocte instar fungi, subitò nascitur: quin & ipsa prudentia teste Sophocle in Oedipo si præpropera fuerit, non caret periculo; quod & in hominibus evenit: senilis enim juventa, & matura in adolescentibus prudentia vulgò signum habetur præmaturæ mortis: ait Plinius *lib. 7. Catonem Censorinum, velut ex oraculo prodidisse, senilem juventam præmaturæ mortis signum esse.* Et apud Senecam Cestius de ingenio Alfii Flavij prædicare consueverat; tam maturè magnum ingenium non esse vitale; vulgata est parœmia, quam citat Apuleius *Odi puerulos præcoci sapientia;* quam Menander paucis inversis etiam habet: *Odiosa præcox semper est prudentia.* Idque approbat Actius apud Gellium *Noct. Attic.* asserens, sibi in adolescentibus, ac juvenilibus ingenijs perinde ac in pomis immaturis placere acerbitatem; eò quia hæc tandem soleat maturescere; & tempestivam maturitatem, quamdam præleferre suavitatem; reliqua ante tempus putrescere; quia ut ait Cicero; *Succus in eo non potest esse diuturnus, quod nimis celeriter maturitatem assequitur.* Explicat rosa mane horis antelucanis suam so[...]orum pompam, sinumque aperiens singulas suas prodit divitias, ut nihil pulchrius, nihilque suavius, ac amœnius haberi possit: sed dum nascuntur, consenuere rosæ, ut cecinit ille

Nam quàm longa dies, ætas tam longa rosarum;
Quas pubescentes juncta senecta premit?

Quercus verò quia lenium sine lensu crescit, suum subit incrementum, annosa est robore munita, & diuturna de qua Horatius

Crescit occultè velut arbor ævo:
Sic diu crescens ævum prorogat ipsa suum.

Beta quia citò oritur, statim moritur: Buxus verò quia paulatim crescit diu virescit: eadem est ratio aliarum rerum; in quibus ut eximium aliquod in lucem prodeat, non solùm multum requiritur laboris; sed etiam temporis, sine quo nequit ad suam pervenire perfectionem, nec esse omnibus suis numeris absolutum; quapropter scitè cecinit Horatius

Hic meret æra liber sophijs, hic & mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat ævum:
Qui scilicet nonum pressus in annum,
Aut qui exactum decies perfectum ad unguem est.

Zeuxes Agatharcho pictori jactanti se de celeritate pingendi, cum Zeuxes diutius immoraretur in una delineanda tabella reposuit: ego diu pingo, quia pingo æternitati. Tu citius quia ad exiguum tempus. Quod de pictura, etiam valet de scriptura. Hesiodus refert, Jovem novem noctes cum Mnemosyna concubuisse, eò quia prolem esset musarum suscepturus: etenim quæ cito fiunt, cito etiam pereunt. Præcipitantia semper noxia præsertim in re bellica, ubi plus profuit sapiens Fabij cunctatio, quàm M. Manutij præceps temeritas, ac festinatio, quæ plerumque improvida, & cæca esse solet; nimietas tamen æquè in cunctando, ac festinando cavenda; sed cunctatio festinatione urgenda, & festinatio cunctatione coërcenda; ut enim monet Aulus Gellius ad res gerendas adhibenda simul est industriæ celeritas, & diligentiæ tarditas; aiebat enim Cato *Sat citò, si sat bene.* Idque causæ cur Cæsar in Symbolum assumpserit testudinem aligeram adjecta epigraphe, Festina lentè. Volatus alarum tarditatem urget testudinis, & tarditas hujus velocitatem compescit alarum. Cæterum quæ præpropera celeritate fiunt, telas plerunque imitantur Araneorum, quæ cum mira sint celeritate textæ facillimè dirumpuntur, eo quia nil habeant firmitudinis, nilque ponderis. Impiorum opera citò pereunt, quia sine consilio, ac debita sa-

rietate fiunt: unde *Job spes impij peribit: domus enim ejus erit inhabitabilis: aranea autem tela avadet tabernaculum ejus* ubi D. Gregorius. *Sicut Aranearum tela fiducia ejus; ita hypocritarum fiducia aranearum telis similis est: quia omne quod ad obtinendam gloriam excudunt ventus dissipat vitæ mortalis.*

27. *Aranea* ad levem bacilli tactum tabescit, ac deficit, & veluti emortua cadit è sua tela lemma *Angor si Tangor*. Apodosis. Improbus qui texendis aranearum telis perperam tempus impenderat; si Dei digito tangatur, ac divina gratia afficiatur deficit à sua improbitate dicente Psalmographo: *& tabescere fecisti animam ejus*: Aranea dicitur tabescere, quia est illi corpus tenue, quod ad tactum alterius deficit: impius si flagellit tangatur à DEO deficit à peccatis, & liquefit æternorum amore: Glossa conditiones araneæ resipiscenti appropriat: aranea corpus habet perquam tenue, nec in terra, sed in alto stat, telasque egestione viscerum texit: & anima conversi ad DEUM, & afflicti terrena deserit stant in alto cœlestis conversationis, & subtiles operationes perficit timore DEI tabefacta, seu humiliata aranea tabidum quoddam, ac infirmum est; & impius infirmitate, & humilitate eruditur. Impium DEUS erudivit, quia tabescere fecit sicut araneam animam ejus; seu effecit infirmam per humilitatem, ut corroboraret per gratiæ sublimitatem. Vide gratiam Dei, resipiscentiam peccatoris.

28. *Araneus* teste Plinio lib. 11. c. 24. ex delapsu imbrium, niviúmque liquefactione amnis præsentiens incrementum telas suas altiùs attollit, ac fluxu rapiantur aquarum lemma *Emergo ne mergar*. Apodosis. Fluxa sunt mundi, quæ censentur bona, fluúntque voluptates, divitiæ, dignitates, quæ ne nos mergant, opus est ab ijsdem emergamus, in sublime tendamus, ac soli DEO adhæreamus. Fluunt quæ in mundo stare videntur: nihil hic ab Authore naturæ conditum, quod non instar fluminis plena alveo, ac perpeti cursu ad interitum tendat: quidquid oritur moritur, nec quidquam stabile, ac firmum DEUS esse voluit præter se ipsum. Cœli jugi rotatu circumaguntur. Sol perpetuo motu varias anni tempestates, dierum, ac noctium spatia suo accessu, ac recessu dispensat. Luna nunquam eamdem, sed semper variam exhibet faciem nunc pleno orbe corusca; modò curvata in cornua, modò æqua portione divisa, nunc sinuata in orbem, & modò nulla; aliàs prænox, aliàs sera; mox humilis, nunc excelsa; nunc ad aquilonem elata, modò in Austros dejecta. Aër perpetuis variatur mutationibus, vel nivibus riget, vel imbribus effunditur, vel flatibus dissipatur, vel tonitru obstrepit, vel fulminibus coruscat, vel iride subridet, vel serenitate arridet. Nec tellus eumdem semper ostendit vultum, sed per funerum, ac natalium vicissitudines quàm fluxa sint quæ nos delectant experimento fortius, quàm verbis nos edocet. Non solùm plantæ, flores, arbores, & homines vicissitudinum sunt obnoxij fluxui, sed etiam ipsa imperia, & regna. Olim Græci regnum Neapolitanum, totúmque illud Italiæ latus, quod infero mari alluitur quodque magna Græcia audiebat occupârunt. Tyrij Africam incoluerunt. Hispanias olim Pœni, postea Gothi. Italiam Longobardi tenuerunt, Angliam Saxones, qui omnes fluxu temporis suis expulsi sedibus alijs loca cesserunt. Floruit olim Monarchia Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum: sed levi momento eversa effluxit, defecit. Scimus sub Tiberio principe duodecim celeberrimas Asiæ urbes fuisse terræ motu eversas; & totidem Campaniæ oppida sub Constantino; & unum Attilæ bellum plus quàm centena destruxisse. Thebas in orbe quære, cujus fama olim orbem implevit. Hecatompolis fabulam potius, quàm Historiam videtur redolere. Fluxa sunt in mundo omnia, instar fluminis fluunt, nósque mergunt, nisi ab ijsdem emergamus: neque ullum laboris sui possunt homines præmium referre præter vanitatem, & inane nihil. Si fortuna videatur arridere ipsa vitrea est, & dum splendet frangitur; splendida videntur in aula Principis officia, honores, dignitates; sed hæc omnia fluxa citò evanescunt. Demetrium Phalareum consule, qui optimis olim legibus, ac staturis Rempublicam stabilivit Atheniensium; & ad fastigium ipse evectus dignitatis promeruit ut trecentæ æneæ statuæ erigerentur in ejus honorem, & per totam Atticam summis commendaretur laudibus: invidia tamen quorundam adeo invaluit, ut in Ægyptum spontaneus exul profugerit: quis nesciat Bellizarium post opes regibus invidendas oculis orbatum, & ad mendicabula redactum, stipem in compitis à prætereuntibus corrogâsse? fluxa sunt omnia dignitates, divitiæ, officia; & instar fluminis jugi fluunt cursu; emergamus ab hoc flumine, & ne in eodem mergamur soli Deo adhæreamus, altiúsque nitamur.

Asilus duriori armatus in ore aculeo equos, 29. bovésque invadit; è quibus perforata cute sanguinem elicit lemma *Etiam à parvis cavendum*. Refert Ælianus, Asilum muscæ similem esse, robustum tamen, ac probè compactum, aculeoque armari in ore præduro, ac valido, binis esse alis munitum, & equos præsertim aggredi, quibus non solum sunt molestiæ, sed etiam sanguinem exugunt, nisi statim depellantur. Apodosis. Peccata licèt venialia, & parva nisi caveantur, vulnus & ipsa instar asili infligunt, si non lethale, noxium tamen; cum minimus animi nævus perniciosior sit, quàm maximus corporis morbus.

Asili aures subeuntes taurorum, gravém- 30. que ijsdem dolorem inferentes lemma *Arrisor est Arrosor*. Apodosis. Adulator blandè se se in aures insinuat alterius, cui & arridet cum voce, & laude demulcet; sed ita est arrisor; ut fiat arrosor, laudator enim plerunque est adulator, qui assentatione nocet: Principum enim opes sæpius assentatio evertit, quàm hostis, ut notat Curtius.

Mos

Mos enim Assentatorum est blando verborum lenocinio in Principis gratiam se insinuare, ejúsque aucupari benevolentiam; laudes congerere supra omnem fidem, hocque veluti aureo utuntur hamo, quo Principis expiscentur benevolentiam: in hoc potissimum incumbunt studium, ut parata semper habeant exquisita præconia tum corporis, tum animi ad exornandas dotes; si Princeps amore improbo fœminam prosequatur, velitque propriæ satisfacere concupiscentiæ; adulator assentitur; fœminæ laudat venustatem, viámque ad turpia sternit; de quo propterea dixerat D. Augustinus in Psalm. 69. Plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris. Neque assentator eruditus tantùm est in laudando, sed etiam in vituperando; sitque semper paratus, ut quocunque ventus efflaverit, eò remis, velisque rapiatur. Si principi est aliquis exosus, assentator eum virum nequissimum, nebulonem, & sycophantam deprædicat; eúmque diceres Aulæ chamæleontem colores rerum omnium excipientem, quibus unà cum principe adhæreat: hujusmodi homines assentatores, qui verborum utuntur lenociniis ad alienos animos titillandos acriter perstringit D. Bernardus lib. 4. de consider. inquiens: *Docuerunt linguam suam grandia loqui, cum operentur exigua, largissimi promissores, & parcissimi exhibitores, blandissimi adulatores, & mordacissimi detractores, simplicissimi dissimulatores, & malignissimi proditores.* In magnum se periculum injiciunt Principes, qui hujus generis parasitorum ambiunt consortium; & in majus, si expetant contubernium. Nil boni expectandum ab hujusce furfuris hominibus, quorum palmare dogma est omnibus annuere, probare improbanda, dare verba, vendere fumos dummodo spes affulgeat favoris, vel commodi. Est adulatio exitij genus, morúmque corruptela: honestissimum enim quod est in vita, adulatio corrumpit, seu veram laudem, ac justum virtutis præmium: vitia enim pro virtutibus obtrudit; sed quid aliud his sycophantis propositum est, nisi ut ludibrio exponant, quos immodicis in cœlum laudibus extollunt? Monet S. Hieronymus Epist. ad Rust. ne aurem accommodemus laudatoribus, qui cum laudant, irrident. Vide Adulationem.

31. *Aspis* cum videtur alicui eblandiri sua per morsum venena effundit, necémque affert. Lemma *serpit per viscera virus.* Apodosis. Carnis voluptas cum videtur demulcere, ac lenocinari per noxæ morsum venenum spargit, quo peccator divinæ emoritur gratiæ. Ælianus lib. 6. cap. 36. ait Aspidis venenum esse immedicabile, & neminem unquam ab ejus morsu evasisse. Est aspis serpens corpore exiguus, tardi visus, tam præsens habens venenum, ut nullum sit morsus remedium. Earum tamen aliquæ ad quatuor, vel etiam quinque cubitorum longitudinem accedunt, & colore esse vel rutilo, aut cinereo, vel etiam nigro. Si à corpore ad animum fiat translatio. Mundi voluptas aspis est, mordet cum peccatum inducit, & lethali hoc morsu venenum effundit, quod intus serpens in anima, omnes corrumpit virtutes, mortémque infert expulsione gratiæ, quâ Deo anima vivit, quia ut ait D. Augustinus *serm. de verb. Dom. sicut expirat corpus cum animam emittit; ita expirat anima cum Deum amittit:* hinc plures sunt, qui sub venusto, formoso, vivido, & florescente corpore animam circumferunt cadavere fœdiorem; quos propterea pares dixeris pomis sodomiticis, quorum pulchritudo in extima tantùm sui specie eblandiretur, cum intus cinerescerent inania, de quibus dixerat Solinus præseferre quidem in extima cute speciem quamdam maturitatis, intrinsecùs verò favillaceam abscondere fuliginem, quæ vel levi tactu pressa fumum exhalaret, ac fatisceret in vagum pulverem: huc accersendus, & audiendus D. Augustinus *serm. 28. de verb. Apost.* ubi de peccatore ait. *Quia pedibus ambulat, quia manibus contrectat, quia oculis videt, & audit auribus, officijs cæteris membrorum satis utitur, vivit; sed ejus corpus. Mortua est autem anima ejus; mortuum est, quod melius est ejus; vivit habitaculum, mortuus est habitator.* Omnem impendunt homines curam, ut putidi corporis labilem, ac mortalem vitam conservent, petuntur pharmaca ex remotioribus terræ partibus, exenterantur Indiarum capræ, ut ex earumdem visceribus belzoarij lapides extrahantur, & alienis ruinis fulciantur labentia corpora; aliena morte vita prorogetur: nil omittitur quod vitæ tuendæ credatur posse prodesse; huic tot hominum myriades ubique locorum in agris excolendis, in urbibus artibus exercendis, in sylvis feris venatione occidendis, terra, marive, bello, pace, diu, noctúque adlaborant, sudant, deficiunt; & ut animæ vitam tueantur, & conservent, vix ullum suscipiunt laborem; ut peccatum declinetur, ejúsque lethiferum virus ut à se abjiciant, vix cogitant.

Aspis insequens ad internecionem comparis occisorem lemma *Ultorem ulciscitur ultor.* Apodosis. Vindicta nunquam sinitur abire impunita. Aspidi tantus est amoris affectus, ut vix sine compare divagetur, & si quis ob damni illati, vel inferendi suspicionem alteram sociam interemerit, tanta est alteri ultionis cura, ut interfectorem persequatur: undique eum in quantavis hominum multitudine agnitum infestat: omnes perrumpit, ac superat difficultates, permeat spatia, nec arcetur nisi amnis alicujus trajectu, aut perceleri fuga. 32.

Basiliscus est animal adeo exitiosum ut solo intuitu venenum effundat, quo eos dicitur interimere, quos aspicit, lemma *Quos aspicit inficit.* Apodosis. Lascivientes oculi impudicæ mulieris interimunt, quos aspiciunt, quatenus ad turpia allicientes virus effundunt libidinis, & concupiscentiam excitantes ad peccatum pertrahunt, quod animam interimit, seu gratiam expellit, quæ vita est animæ. 33.

EXCURSUS.

Oculi cautè custodiendi, ne in fœminam jaciantur & in neminem figantur.

34. Tela mulier improba dicitur jacere, dum oculos in aliquem vibrat; nec putes nuda ejaculari tela, sed exitiali veneno illita, scitè S. Antiochus homil. 1. *Aspectus mulieris est telum veneno lethali illitum.* Non satis est, vulnera infligere, cum tela veneno infecta inficiant, & interficiant, quos improba mulier aspexerit. Moris olim fuit, ut sagittæ in hostes vibrandæ veneno inficerentur, quo celeriùs mortem adferrent: huc spectavit Lucianus lib. 1. Variar. histor. inquiens. *Moriebantur confestim vulnere quodam fœtore infecto, namque sagittas malue veneno delibutas ferebant.* Alij helleboro sagittas illinire consueverant ut notavit Cœlius Rhodiginus lib. 23. lect. antiq. c. 20. Quid? improbæ mulieris lasciviens aspectus illo Basilisci est lethalior, siquidem telum est, veneno quolibet alio nocentiore illitum. Basiliscus solo aspectu dicitur homines, & cæteras animantes veneno inficere, ac interficere. Non me latet, Matthiolum in commentarijs ad Dioscoridem id censere fabulosum; non enim potest sibi imaginari, quomodo potuerit contingere, ut primi qui Basiliscum viderint, ac observaverint non perierint; idque potissimum, quia cum sit animal exiguum potius, quàm magnæ molis; & propterea quod non eminus, sed cominus aspici possit, & venenum inde efficaciùs hauriri deberet: inde putat Mathiolus, Basiliscum ritù reliquorum serpentum morsu, non intuitu interimere. Verùm non censerem negandum posse ab oculis venenati animalis spiritus effluere noxios hominibus, alijsque animantibus: siquidem ex pravo aspectu spiritus oculorum corrumpuntur, quibus infectis cætera quoque inficiuntur, & corrumpuntur, cum in humano corpore omnia simul conspirent. Hinc Rubeta tanta fertur redundare malignitate, ut facies eam intuentis insigni pallore suffundatur. Quinimo etiam mulieres mensibus laborantes spiritus habent inquinatos, sëque in speculo aspicientes, illud vitiant. Infantes etiam à quibusdam vetulis pertractati facilè tabem contrahunt, non solum ob fœtentem oris halitum, qui in delicatos infantium pulmones penetrat; verùm etiam ob inquinatos oculorum spiritus, qui in tenello infantis corpusculo facillimè imprimuntur. Idque haud obscurè firmatur ex opthalmia: si enim lippiens in aliquem sæpè intueatur eumdem ei morbum communicat: unde Ovidius

Cum spectant oculi lippum læduntur & ipsi.
Multaque corporibus transitione nocent.

Marsilius Ficinus in commentarijs ad sympofium Platonis, de amatoria fascinatione ait, sanguinem juvenum clarum, subtilem, & calidum esse, consequenter visionis radios ejusdem naturæ procreare, qui ab oculis egredientes, & alteri communicati, reliquisque humoribus permixti eumdem effectum, & affectum excitant Ovidius

Perque tuos oculos, qui rapuere meos.

Hunc affectum excitat improba mulier solo lasciviente aspectu in amasio; & hoc aspectu tanquam venenato telo utitur cacodæmon, ut viros sternat, ac per lethalem noxam per consensum ad turpia interimat. Sunt oculi naturales animi cuniculi, per quos ignis concupiscentiæ in mentem irrepit. 35.

Basiliscus non tantùm viso, sed etiam sibilo, & halitu auras inficit, plantas urit, necat animalia, & saxa ipsa disrumpit; imò ex mente Avicennæ perit etiam qui ejus cadaveri appropinquat lemma *Nemini prodest, omnibus obest.* Apodosis. Dæmon non solum halito pravarum suggestionum, oculorum lasciviente aspectu, sibilo perversæ suasionis; sed etiam modis alijs omnibus nititur nocere, & ad lethalem noxam pertrahere, sensus omnes nostros ad sua perducit castra, ut ijsdem bellum nobis moveat, nósque expuguet, faciátque sui juris.

EXCURSUS

Sensus omnes coërcendi: sunt dæmonis cuniculi, per quos nobis insidiatur.

Ne ab hoste profligamur, necesse est nostrorum instrumenta sensuum coërceamus, armisque tartareum hostem privemus: in ea quæ non decent, quæque ad turpia alliciunt, concupiscentiam movent, oculos non figamus, ne lethale vulnus hoc aspectu Avernalis Basiliscus animæ infligat nostræ, monet Augustinus Epist. 109. *Oculi vestri etiamsi jaciantur in aliquem, figantur in neminem.* Sunt oculi naturales quidam animi cuniculi, per quos dæmon accensæ concupiscentiæ igne propugnaculum cordis nostri evertit; id suo nos experimento docuit David, qui licèt sanctitate, quàm purpura clarior; quia continuatione aspectus in fœmineam venustatem per oculos, veluti per animi cuniculos accensum concupiscentiæ fomitem in arcem induxit animæ, fœdè hosti cessit eversæ castitatis ruinis obrutus. Cum somno meridiano se mollius recreasset, surrexit è lectulo, sed ut caderet in solario ubi 2. Reg. 11. *Vidit mulierem se lavantem ex adverso*, & hausit vel è frigido fonte æstuantis concupiscentiæ flammas, quibus castitas cinefacta perijt, potuitque David fletu corruptus, lacrymis madidus, mœrore confectus dicere cum Jer. Thr. 3. v. 51. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Non solùm oculis Infernalis Basiliscus non inficit, ac interimit; sed & auribus; quia ut scitè Valerianus Episcopus Niciensis, & Cemeliensis *homil. 6. Quotiescunque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur aspectus.* Exiguo distant spatij intervallo aures & oculi, uterque sensus eidem est discrimini obnoxius: ne malè audiamus necesse est, caveamus mala audire; verbis impudentiam, ac turpitudinem redolentibus claudendæ sunt aures; ut & eorum sermonibus, qui alienæ famæ, ac honori detrahunt, vel alienam fatagunt gloriam imminuere: hæc libido audiendi malè loquentes, adeo mentem invasit hominum; ut etiam ab alijs immunes vitijs, in istud uc in

in extremum gehennalis aucupii incidant laqueum. Est etiam circa olfactum cautela adhibenda; voluptas quæ ex aromatum percipitur usura naribus est oblectamento; sed menti plerunque nocumento, allicit ad aspectum, ex quo sæpe impuritas excitatur. Turpe est, virum cordatum unguentis incedere oblitum, rosisque coronatum; hisce qui odoribus delectantur, vix credas, odorem attigisse virtutis. Afflata enim odorum suavitas animum emollit, effœminat, & in petulantis cujusdam lasciviæ socordiam trahit, animique vires infringit. Salomon meretricem picturus, non tam muliebri pompa comptam delineat, & multiplici lasciviæ choragio instructam, pandectisque elegantiarum, ac venustatum ornatam ad illaqueandos adolescentes; sed & odoribus perfusam virili robori infringendo accommodatis Proverb. 7. v. 17. *Aspersi cubile meum*: seu ut ex Hebræo vertunt alij: *cubile meum odoratum reddidi myrrha, aloë, & cinnamomo*; odores afflare ad Veneris spectat Amasios, non ad virtutis cultores: muscus, & cyphi, thymiamata, peregrinæ capræ, vel muris pelliculæ, ac exotici Arabiæ odores ad meretrices spectant, quibus incautos alliciunt: virum virtutis cultorem decet, operum, non odorum fragrare unguento. Halitu, seu ore, ac gustu nos Avernalia venenat basiliscus; propterea impendenda est opera, ut hunc etiam sensum compescamus cum D. Augustino, qui lib. 10. Confess. c. 31. DEUM alloquens ait. *Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam*. Fercula perinde, ac pharmaca paranda; & esculenta ita sumenda, ut vires reficiantur non opprimantur: coercendus est sensus gustus abstinentiæ frœno. Nulli minus gustant quàm suavis sit Dominus, quàm mancipia epularum, qui dum ventrem implent, mentem evacuant; & hi sunt delicatuli voluptatum, ac deliciarum in ferculis aucupes, imò lurcones, & liguritores, asoti, qui Sybariticas cœnas subodorantes has cæli præferunt delicijs, panem fastidientes Angelorum, ac cœleste nauseantes manna, tametsi in se contineat omne delectamentum suavitatis; nil ijsdem magis volupe, quàm in esculenta, & poculenta se totos effundere, ventris inhiare repletioni, & in patinis ventrem æquè, ac mentem mergere: mentem obtundunt, qui ventrem implent, scite D. Laurentius Justinianus *de fobriet. c. 2.* ait: *ubi est crapula ratio cespitat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur*. Evertunt nos fercula nisi ab ijsdem mentem avertamus. Sensus itidem tactus, vel maximè compescendus hoc enim sensu gehennalis basiliscus lethaliùs nos insequitur, *tactus enim, & joci* ait D. Hieronymus in vita S. Hilarij, *morituræ virginitatis sunt principia*. Licèt hic sensus sit omnium infimus, eo quia remotius ab animi recedat functionibus; & ad fœcem, colluvionémque materiæ proximè accedat; attamen tartareus basiliscus hoc sensu lethale suum effundit virus, quo homines ab homine dejecti in bruta degenerant: irrepit promptiùs per hunc sensum venenum; si enim tactus voluptas hominem afflaverit, incipit hic æstu libidinis furere, & totus exardet fœdo concupiscentiæ igne; neque ullus est sensus ad scelus tactu proniot, nullus concupiscendæ libidinis flammæ aptior: est veluti Veneris leno, qui florem facillimè contaminat pudicitiæ, lilium labefactat castitatis. Cavendum igitur est non solùm ne corpus corpore, ne manibus manus contingamus mulieris, sed nec res alias, quæ proximè illas attingunt; est etiam in ipsis fomes libidinis, & scintilla voluptatis, quæ in strophiolo, in chiroteca, in vestitu incrementum subit, & in flammam accenditur, quâ flos pudicitiæ exarescit; & castitas cinerescit. Imitare Patriarcham Joseph pallium deserentem, quo ab Ægyptiaca, ac improba muliere detinebatur; ne communicatum per impudicum fœminæ contactum libidinis venenum in reliqua serperet vestimenta & ab ipsa in corporis etiam deflueret membra. 36.

Basiliscus gallum audiens cantantem terrore perculsus, ac timore concussus pleno dicitur cursu fugere:, ac paulo post emori. Lemma. *Vox terret, & enecat*. APODOSIS. Dæmon cum instar basilisci suum pravis suggestionibus lethale venenum perfundit, voce orantis, ac clamantis ad DEUM fugatur; ejusque venenum declinatur, ne lethali noxa animæ, vitam seu divinam extinguat gratiam. Refert Ælianus galli cantum Basilisco esse metui; ut si audiat galli m canentem lethali pavore concutiatur, ac pernicissimo fugiat cursu. & tandem emoriatur. Locum naturalem Basilisci in Africa esse, ac in palludibus stabulari asserit Ælianus: & Reusnerus censet in Lybia nasci, & degere unde cecinit

Natus in ardenti Lybiæ Basiliscus arena
Vulnerat aspectu, luminibúsque necat

Lemnius de occultis agens rerum miraculis asserit, plura Serpentum genera per Germaniæ sylvas divagari, & hæc inter, quamdam etiam versari speciem basilisci, quæ non adeo exitiali est imbuta veneno. Alij fatentur, quoddam basilisci genus Sylvestre in saxonia reperiri capite acuminato, colore flavo, longitudine dodrantali, crassitudine enormi, alvo maculosa candidis distincta punctis, tergore cæruleo, cauda turbinata, & incurva, rictúque pro corporea mole immenso. Avicena hanc feram esse vult capite perquam acuto, oculis admodum rubentibus, colore corporis ad nigredinem, ac flavitiem vergente. Nicander asserit, Basiliscum longitudine non excedere tres palmos, corpore flavo, capite acuto, tribus insignito eminentijs, ut cecinit ipse

Nunc modicum, & Dominum serpentem perspice regem
Eminet argutum caput, est flavo ipse colore
Et tribus extenso porrectus corpore palmis

Vide orationem qua tentationes vincuntur, & dæmones fugantur.

Basiliscus à mustella post rutam deglutitam, ac eadem ore munita debellatur, & prosternitur lemma *Non cæsus cædo*. APODOSIS Pœnitentia, cujus symbolum est rutæ amaritudo peccatum, quod basilisco deterius virus es- 73.

effundit lethale, quo anima interimitur expugnat, prosternit. Mustela degluciens amaram rutam signat resipiscentem, hic enim munitus pœnitentia lacrymis obliterat peccatum, & de avernali basilisco gloriosum reportat triumphum. Quamvis nullum sit animal, quod basiliscum odio non insectetur plusquam Vatiniano, & bruta quæque eum longius fugiant; Mustela tamen rutæ munita eiu audet illum adoriri, quem extra latebras, in quibus nidulatur pertractum prosternit.

38. *Basiliscus* videns eminus gallum gallinaceum terrore perculsus fugit. Lemma *Qui timetur timet.* Quamvis bruta quæque basiliscum timeant, cujus consortium, ac præsentiam utpote exitialem fugiunt; timet tamen etiam basiliscus gallum gallinaceum, ad cujus aspectum ipse timore perculsus fugit. Refert hanc antipathiam Ælianus asserens galli præsentiam Basilisco esse metui. APODOSIS. Tyrannus qui à multis timetur, necesse est timear, sibique caveat. *Qui timetur is timet* ait Tacitus.

EXCURSUS.

Tutiùs populi amore reguntur, quàm timore.

Timor ab amore sejunctus animos excruciat, & exasperat, suggeritque consilia de jugo excutiendo; ne animus jugi augeatur timore. Hinc Laberius apud Macrobium ait necesse est multos timeat, quem multi timent: & Seneca in Oedipo

Qui sceptra duro sævus imperio regit,
Timet timentes: metus in auctorem redit

& Claudianus in Honor. 4.

Qui terret plus ipse timet, furit ista tyrannis
Conveniet; invideant claris, fortesque trucident:
Muniti gladijs vivant, septique venenis,
Ancipites habeant arces, trepidique minentur

Non ille princeps, sed tyrannus, qui timeri tantum vult, & quia à multis timetur necesse est plures timeat, hæc tyranni est vita, in qua nulla benevolentia, amicitia nulla; & qui ita timetur *vanos metus pavet*, ut ait Seneca *& veros facetur*, suspectus semper, & invisus; & quia non diligit quemquam; neque è quoquam diligitur; sed ab omnibus potius odio habetur, quo nil miserius, infelicius nihil; quia ut ait Seneca nullum supplicium publico odio gravius: & Tacitus vocat metum, & terrorem infirma vincula charitatis, quæ ubi removentur, qui timere desinunt, odisse incipiunt. Quantum sit odium subditorum principi exitiale satis declarat exitus tyrannorum, quorum plerique ferro, & plures veneno perierunt. & pauci *Sicca morte*, ut loquitur Juvenalis, seu sine cæde, & sanguine; quia ut ait Seneca *lib. de Clement. Non est ibi rex tutus, ubi nihil à rege tutum est.* Populi, quem metuunt principem oderunt; & qui cum cæteris præsint, ita agunt, ut metuantur, his nil potest esse dementius. Qui timeri volunt necesse est plures timeant; idque cum non lateret Dionysium, cultros ipsos metuit tonsorios, capillosque candenti carbone sibi adurere consueverat, barbitonsori non fidens. Miserrimè vixit Alexander Phæræus, qui cum timeri vellet & uxorem Theben admodum diligeret, ad eam tamen ex epulis in cubiculum veniens barbarum compunctum notis threicijs districto gladio jubebat anteire, præmittebátque de stipatoribus suis, qui præscrutarentur arculas muliebres, ne quod in vestimentis occultaretur telum, exquirerent; nimirum muliebres etiam vestes timuit; & ubi infelix rurusfi in ipso uxoris amore odium timuit? neque sua ipsum fefellit opinio; ab ea enim propter pellicatus suspicionem interemptus est. Quid dicam de Phalaride tyranno, cui nil magis volupe, quàm sævire in subditos, & ab ijsem timeri? non insidijs perijt, sed in eum universa Agrigentorum multitudo timores excussura irruit, ac interfecit. Demetrius quia in id incubuit studij, ut à populo timeretur, ab eodem ut exosus fuit derelictus; etenim ad Pyrrhum, qui amari, non timeri voluit se contulerunt Macedones relicto Demetrio, cujus jugum unà cum timore excusserunt. Tutiùs in principe amari, quàm timeri; civium benevolentia ex amore, exitium verò ex odio nascitur: neque terrore, sed amore veneratio acquiritur; & ad obtinenda petita validior semper est amor, quàm odium: amor, & benevolentia tutiora sunt fulcra, quibus innixa regna stant firmiùs; vacillant verò si timore concutiantur: testes accersitos velim priscos Romanos, qui imperio longè, latéque extenso subacta regna militum continuerunt præsidijs, quibus alendis cum impares essent Imperij vires; & provinciales ex illa militum violentia senserint servorum se, non sociorum loco haberi, & à militari insolentia in desperationem acti, mutuo se inhortantes jugum excusserunt. Subditorum amore tutius princeps custoditur, quàm militum ferro, & armis? qui enim suam in armato milite fiduciam ponit, is necesse est, ut non minus armatas suorum manus timeat, quàm districtos hostium gladios; quia ubi milites amare desierint, hostes esse incipiunt. Imperare qui tutò velit, amari ab omnibus velit; non stat imperium tutius, quàm amori innixum subditorum; id expertus fuit Theodosius, de quo ait Pacatus: *Tu amicitiam nomen ante privatum, non solùm intra aulam vocasti, sed induisti purpura, auro gemmisque redimitam, solio recepisti; neque non verbis asseruisti; Principis mentem tanto in suos benigniorem esse debere, quanto sit fortuna præstantior; eum fide, ac facultate paribus agat, & familiaribus tuis Imperator tribuas, quod privatus optaveris*

Basiliscus se ipsum in terso, politóque speculo intuens, repercusso in se halitu proprijs interimitur telis, propriòque inficitur veneno 39.
Lemma depromptum ex Ovidio lib. 2. Metamorph fabul. 15. *Intabescitque videndo.* Id proprium dicitur Basilisco, se ipsum suo inficere, ac interficere veneno si se in speculo aspiciat, repercusso enim in se recipit venenatum halitum

tum proprio se veneno intarimit. APODOSIS. Invidus calumniator cum maladicta, convicia, & calumnias in hominem ajeculatur innocentem; sua in se tela retorquet, quibus interficitur.

EXCURSUS.

Invidia se ipsam torquet, séque interimit.

INvidus naturam induit Basilisci, da quo cecinit poeta:

Acer in adverso dum fugit lumina vitro
Niliacæ serpens pestis acerba plagæ:
Obscurat glaciale decus lethalibus auris:
In caput authoris, sed redit omne scelus:
Namque repercusso in corpus spiramine, vitam
Quam dederat (mirum) spiritus ipse rapit.
Sic cum pestiferæ torquet commitis linguæ
In puros, proprio te jugulas gladio.

Invidus calumniator proprio se livore inficit; & veneno interficit: non alijs tantùm, sed & sibi etiam nocet: naqua est quidquem in mundo lingua calumniatrice deterius; nocet alijs, quia noo lolum interius malignis judicijs, sed etiam exterius virulentia convicijs alianum cædit honorem, obscuret gloriam, deturpat famam, & eò graviùs, quò majus bonum corrumpit: gravior anima est injuria, quà fama læditur, quàm quà homo impetitur: & inter injurias grevior est infamatio per falsi criminis impactionem, quæ calumnia propriè dicitur; cujus malitia est in crimen vocara omnia, improbare etiam benefacta, approbara nihil. Si boni aliquid da elio invidus calumniator eudierit silet, & Areopagita est taciturnior: sin malum aliquid arripuerit Iliadam ex eo texit, & Odisseam canit: exitiales semper fuerunt in muudo calumniæ, quibus non modo privati hominas, sed integræ subversæ sunt familiæ, ac civitates funditus perditæ. Datur naturæ corruptæ vitio, ut gaudeat quisque clanculum, cum planas suspicioue criminationas audit; ita aures calumnijs titillantur, ac si pennis confricarantur: ax qua pronitata facilitas oritur oculium proximi probrum divulgandi, illúdque incalcandi nebulonibus, lurconibus, ac sycophantis. Non solùm alios Invidus calumniator lædit, fad repercusso in sa vanano sibi ipsi est exitialis. Invidia enim suom authoram excruciat, ac perimit. Qcid misarius invido, quem non modò mala propria, sad & bona aliena cogont misarum essa? Id intaeest discriminis inter improbum, & invidum, quia ille delectatur bono proprio; hic torquatur alieno; ille diligit mala, hic bona odit. Venanatus basiliscus est invidus, alije & sibi nocet.

40. *Basiliscus Ægyptius* in simulecro ax puro puto auro conflatus, eo artificio ot oculoa ad libitum claudere, & aperire poslat. Lemma *Viget quodcumque videt.* Tenta fuit apud Ægyptios religione basiliscus, ut ax auro cuderatur. Caput illi accipitrinum arat, & ocoli eo concinnati artificio, ut ad libitum, claudi, & recludi possent: quando varò oculis arat adapertis, univarsa Ægyptus ingenti tunc perfundabatur lætitia, & hilaritate, soluebatúrque in jocos, choræas, ac convivia: sin veiò cleusis efferretur oculis, omnia mœrore, luctúqua vidabentor persundi, ac in squelore jacere; censentes irata sibi esse Numina; & lacrymarum fusu adnitebantur DEI mitigare iram, ut refert Eusebius *lib. 1. de præparat Evang. cap. 7.* APODOSIS. Misericordes DEI oculi, quos aspicione interna enimi pat fundunt lætitia; mæstitudinam dispellunt; noxarum caligines excutiunt & beneficio, divinæ gratiæ radios impertiunt, quibus totua homo splendescie è peccati necte feliciter emersus: Cum varò divinæ misericordiæ oculi nobis clauduntur, suntque everli in squelore jacemus caligine obliti, luctu, & lacrymis madidi.

Buprestis enimal in Italie rarum, teste Plinio *lib. 30. c. 4.* viribus & specie Cantharidibus, & præsertim scarebæo longipedi fimillimum, quod si bos semel cum oleribos deglutierit, vel atiam Vervex devoraverit, concepto intus ex bestiolæ venanis ardora in immodicum molis rumoram excrescit; & tympanā inster intumescans dirumpitur, & emoritur Lemma. *Quàm pravo turget fastu!* APODOSIS. Buprestan bestiola tuparbiam essa dixaris, quæ si hominem lubeet, non ventrem, sed mentem inflat, necémque inferi animæ, quem vita gratiæ dastituit. Deprimi haoi facilè potast, nec coërceri tumidus, quem superbia inflet; pervicax est, & facilè attollitur; non aliter quàm culeus, qui vento inflatus ægre mergitur; supereminat autem, & exilir tua sponte; ast siquidem animo elato, inflato; & ubi non causa, nac ingenio, nac doctrina supereminet, adnititur impudentia, audecia, & immoderata licentia maledicandi essa superior; & tantum sibi usorpat arrogautiæ, ut cæterorum reijciat judicia, quibus præfert proprium; putétqua impetium orbis terrarum suo supercilio, ut Atlanta cœlum niti; nec se hominam credit ax argilla fictum. Si quis eum levissimè papuletit, si tetigarit, si minimo varbo se faspicatus fuerit offensum; omnia sus deque evertit injuriam sibi illetam vindicaturos; astqoe inexorabilis. Suparbiam dixeris centrum, à qoo linaæ exaunt ad circumsereatiam totius iniquitatis; nec est quod superbo pœnas axoptas; quia ipsa tumor superbiæ pœna est, quam sibi suparbus infligit: animum superbientis factum regem essa dixaris, & tyrannum: Rax est quia vitijs omnibus imperat, non ut coërceat, sed habenas laxet, fovcétqoa; tyrannus quia se ipsum torquet, omnibúsqua afficit supplicijs: ad quæ præcavanda enixim David DEUM rogevit Psal. 35. *Non veniat mibi pes superbiæ:* sau ut explicet D. Ambrosius in euodem psal. *Non sim superbus ne peccem; non peccem ne movear; non movear, ne cadam, non cadam, ne expellar, sicut Adam de paradiso expulsus est: quia in ipso pes superbiæ stare non potuit. Nescit stare superbia, & si ceciderit, non novit resurgere.* 41.

42. *Bombyx* proprium sibi sepulchrum in ovo quo involvitur texens lemma *Moriar, ut Oriar.* APODOSIS. Vir religiosus mundo emoritur, & veluti sepulchrum sibi in sua seligit cellula, ut inde per exercitia virtutum, & divinorum contemplationem DEO oriatur. Mundo moritur, & ejus vanitatibus, sed DEO oritur Monachus, cum per exercitia spiritualia soli DEO adhæret. Est bombyx ex erucarum genere in Europa vermiculus corpore teuerrimus, ex seminis genitus papilionis ab India non multis ab hinc sæculis advectus, Ait Simon Majolus in suis diebus canicularibus: in cœlo nostro Europæ Bombyces factas esse exiliores, eo quia in aere frigidiore, nam digito manus hominis minores sunt, Bombyces enim Indicæ sunt longè grandiores, crassiores, ac longiores; ut earum ova humani capitis supercet magnitudinem, cum in Europa vix præparvo ovo gallinaceo æquentur. Hic in Europa vermiculus Mori folijs probè pastus, & auctus sub tectis domorum in defractosex arboribus ramulos ascendit, ibi non secus ac araneus se ipsam eviscerat, & per ua evemena ex alvo distenta pastu, & quasi nendo fila ducens tenuissima, sed firmissima aurei coloria, intra paucas dies ædiculam sibi construit, satius dixeris sepulchrum ovo persimile, & magnitudine haud impar: absoluto opificio se in hoc molli pretioso, ac volubili nido se involvit, clauditque ubi vel somno sopitur, ut seminibus gravidatus emergat inde vegetior, ac fœcundior: vel ut placet alijs emoritur, ut inde post aliquot menses alia instructus in papilionem mutatus redivivus egreditur Phœnicis æmulus hauriens vitales auras ex ipso mortis funere, quo bombyx est sibi præfica, & pronuba. Adolescens qui à sæculo secedens sacræ onus Religionis subit, in alicujus sacri Ordinis claustro se abdens bombycem æmulatur, moritur mundo, sed oritur DEO. Hunc beatum secessum; non solum suadent mundi miseriæ; sed & persuadent solitudinis deliciæ, Si sæculi pensemus calamitates, non possumus non odisse mundum, in quo ut ajebat Antoninus Imperator c. 42. loco terræ est avaritia, ignis cupiditas, aquæ inconstantia, aëtia levitas, & stultitia; loco petrarum superbia, florum oblectamenta; arborum cellarum cogitationes, maris profundi cor humanum. Est mundus vitiorum omnium artifex; virtutum carnifex. Est mundus ait Beda lib. 8. epist. 122. Vas rimosum, specus inexplebilis, tetra domus, fœdus carcer, breve diversorium, latens præcipitium, procellosum pelagus, officina scelerum, fentina libidinum, caminus irarum, putens odiorum, putre ædificium, fundamentum fragile, statio mutabilis; rota volubilis, mera levitas, dulce venenum, blanda crudelitas, concors discordia, pax infida, fallax amicitia, Lemorum patria, larvarum civitas, ac dæmonum principatus, ubi itmsra sunt latronibus clausa, ut ait D. Cyprianus *Epist ad Donatam* maria obsessa prædonibus, cruento horrore castrorum bello, undique divisa; madet orbis mutuo sanguine, & homicidium cum admittant singuli, quod crimen est, virtus vocatur, cum publicè geritur: impunitatem sceleris acquirit non innocentiæ ratio, sed sævitiæ magnitudo. Quis adeo à sana mente alienus, ut mundum diligat? quis secessum & solitudinem non amet ut bombycis instar sericum Christianæ perfectionis sibi texat. Ibi veluti bombyx in serico suo involucro emoritur mundo, in pace quiescit, DEO vivit; estque vita hæc laborum vacua, meritorum plena, quâ expectatur salus, ac servæ DEI portatur jugum. Est vita reformatrix animæ, reparatrix morum, obstetrix virtutum.

44. *Bombyx* adhuc suo inclusa serico ovo pergit nere veluti secreta in officinula, ac in secessu procul à tumultu lemma *Operitur, ut operetur* APODOSIS. Vir Literarum studijs addictus tunc libentiùs dat operam Musis, cum procul ab urbano, ae domestico strepitu in sua se claudit cellula, vel bibliotheca Ovid. Eleg. 1. lib. 1. Trist.

Carmina secessum scribentis, & otia quærunt

EXCURSUS.

Secessum studia literarum amant, procul ab hominum tumultu, & strepitu.

Refert Quintilianus priscos Romanos studijs daturos operam in remota secessisse, ac intra propria cubicula in lectia se continuisse; imò & bombycis instar penulis se obvoluisse, ut ijsdem inclusi commodiùs studerent, ac sua peragerent: de Othone scribit Suetonius *in Oth. cap. 10. Inclusus inter cæteros ab insidiatoribus Cas cum quasi secretam desiderante turbâ summoverent, in Diætam, cuj nomen est Hernaum, recesserat &* postea subjungit: *secreto captato codicillos exaravit ad sororem consolatorios.* Vulgatum est etiam illud Persij Sat. 1.

Scribimus inclusi numeros ille, hic pede liber:

Secessum amant Musæ, seu ut loquitur Quintilianus *Secretum quærunt studia*, quia mens recollecta suis obeundis functionibus fit aptior, & expeditior; ubi tumultus, strepitus, & plura negotia; ibi mens distrahitur, minusque sibi præsens remissiùs operatur. Quis sedatè studeat, componátque si dum serra acuitur obstrepent stridorea? si dum nundinæ celebrantur, negotia inter tumultus, & clamores instituantur: si dum suam faber ferrarius degit in officina Cyclopes incudem tundant; & repetito pulsu aures flagellent non eminus commorantium? quis animo studeat pacato inter mendiculorum turbas nænia lamentabili stipem rogantium; inter penulatorum jurgia in foro, & trivija conductores spectantium; inter circulatorum præstigias; inter mulierculanm confabulantium circulos, infantium vagitus, populi clamores, & hominum inter se se dissidentium jorgia, & querelas; hinc Gellius *lib. 3. Noct. Attic. c. 7.* narrat, fuisse olim legem sancitam, quâ à Senatorum, & Advocatorum ædibus semoverentur artifices obstrepentes, & artes omnes clamorosæ; cu

quis

sit mentem, in una eademque studiorom defigere cogitatione: ubi varij tumultus, ac strepitus aures pulsant, animus distrahitur, minusque sibi attendit. Idque espertus fuit Demosthenes; qui licèt ad maris littus soleret declamare, quoinde assuesceret populi fremitum voce superare; nunquam animo suo imperare potuit, ut in aperto loco inter hominum strepitus studeret, de quo Quintilianus lib. 10. ait: *se in loco ex quo nihil perspici posset recondebat, ut aliud agere mentem cogerent oculi*, ex quo concludit: *ideo lucubrantes silentium noctis, & clausum cubiculum, & lumen unum, velut tectos maximè decent.* Idque causæ cur Horatius Julium Florum roget, ut eum excusatum habeat si serus fuerit in mittendis carminibus; quia in urbe degeret clamosa, populosa, ubi fabri ferrarij, cæmentarij; lapidicidæ perpetuò circumstroperent in torquendis lapidibus, tundentis clavis, trahendis oneribus, ponderibus trochlea, & tympano sustollendis, ubi muliones, & geruli die, noctúque vociferantur, vel sub oneribus fatiscentes acutiùs anhelant. Cecinit ipse

I nunc & versus tecum meditare canoros.
Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere?

Pleique musis, ut possent indulgere, non solùm vitandi strepitus causâ ruralem petierunt secessum; verum etiam in ipso solitudinis silentio abstrusius sibi conclave selegerunt, quò remotiores à quovis rumore sedatiori mente totam studijs darent operam; id præstitit Plinius, cujus hæc sunt verba *Junctum est cubiculum noctis, & somni; non illud voces servulorum, non maris murmur, non tempestatum motus, non fulgurum lumen, ac ne diem quidem sentit, nisi fenestris apertis.*

Bombyx dirupto suo ergastulo, in quo ver-
44. mis detinebatur tenebricoso veluti in carcere, foras evolat aliger, alis munitus, & papilio factus, Lemma. *Dirupisti vincula mea.* APODOSIS. quamdiu detinetur homo in ergastulo peccati, seu noxæ lethalis, vermis est DEO exosus, omni destitutus decore; cum verò à vinculis solvitur peccatorum libertate donatur; & ex verme fit aliger; & alis munitus divinæ gratiæ in sublime evolat.

Bombyx è suo serico egrediens ergastulo,
45. in quo se filaminibus involuerat; seu dirumpens carcerem, quem sibi construxerat foras enititur, lemma. *Quod feci fregi.* APODOSIS. Peccator resipiscens beneficio pœnitentiæ; & lacrymarum peccatum delet, quod fœdè patraverat; maculas obliterat, quas contraxerat.

Bombyx è serico suo sepulcro evolutus sur-
46. sum factus aliger evolat lemma *Clarior ex umbra* APODOSIS Christus è sepulcro surrexit gloriosior Isaiæ c. 11. *Et erit sepulchrum ejus gloriosum.*

47. *Bombyx* se eviscerans in carcere, seu ergastulo sibi texendo lemma *eò implicatior, quò explicatior.* APODOSIS. Aulicus, quò plus satagit sua Principi explicare obsequia; eò eminentiora ambit officia, séque magis in aula implicat, perditque libertatem principi mancipatus,

Bombyx è serico suo sepulcro sursum aliger evolans, lemma *Post tenebras læta Dies* APODOSIS. Mortui in sepulcro vermes erunt tenebris obvoluti Job. dixi mater mea, & soror mea vermibus. Sed die Judicij Universalis omnes resurgent.

Cantharis insidens rosæ foliorum pompa 48.
superbienti. Lemma *Inficit osculasi figit.* APODOSIS. Improba mulier, quos osculatur Juvenes fœdè corrumpit, voluptas floribus insidiatur virtutum.

Cantharis volitans rosam versus, in qua 49.
pedem sistit, lemma. *Lædit si hæreat.* APODOSIS. Turpis cogitatio eo est nocentior, quò diuturnior; & nisi statim excutiatur lilium lædit castitatis. Vide tentationes, turpes cogitationes. Cantharidum variæ sunt species, quæ verò rosis insident, quas devenustant vespis magnitudinem non excedunt; colore videntur aurum æmulari, aspectu sunt jucundæ ob lineas luteas lucentes, quas varias, & in pennis transversas habent, alis tamen ut plurimum sunt rubentibus, & hæ non solùm rosas, sed & alias plantas, & fructus corrodunt; devenustant, corrumpunt. Súntque Cantharides in Italia alijsque regionibus æstu solis calidioribus frequentissimæ, ubi in fraxinis, rosis, oleastris, alijsque plantis non solum stabulantur; sed etiam in frumento inveniuntur, ac in pluribus arboribus, quarum folijs nutriuntur, perinde ac bombyces mori aluntur frondibus.

Cantharis plantæ folia corrodens, non in 50.
star bombycis, ut sericum texat; neque fila, laborétque in aliorum commodum; sed ut congreget, conservet formicarum more, & plerunque congesta nec sibi, nec alijs prosunt lemma *Nullis usibus apta.* APODOSIS. Avari Cantharides æmulantur, alienas corrodunt pecunias, quas congregant, sepeliunt, ut nullis sint usui.

Cantharis corrodens rosam, cujus folia 51.
absumit, & florem totum devenustat lemma *Noxia Innexijs.* APODOSIS. Calumnia innocentes aggreditur, quorum honorem lædit, & nomen obscurat:

Cantharides adultis jam frugibus, rosis, 52.
alijsque plantis incumbentes, & corrodentes, ac devenustantes, lemma. *Nil nisi damna ferunt* APODOSIS. Invidi optimos quosque, ac præstantissimos viros maledictis lacerant, livido dente mordent, & veluti Cantharides optimis frugibus, ac floribus damnum inferunt.

Cæcilia serpens in terræ foramine se ab 53.
dens lemma *Tutior in latebris* APODOSIS. Pudicitia si domi lateat tutior floret, venustior crescit, & suaviùs olet Cæcilia serpens est, cujus nomen à cæcitate inditum gracilis est serpens, nullius fere veneni; oculi quasi talpæ assignantur; ideóque Græci Typhlinas, latini hos serpentes cæcilias vocant; hujus serpentis maxillæ tam supernæ, quàm infernæ serratis muniuntur dentibus; cutis tamen est ei adeo dura, ut teste Æliano vix acuto gladio secari possit. Fusci est coloris, obscurè maculosi cum subrufo exiguo vix notabili; ad latera tamen

est varius cum nigricantibus maculis diluta purpura distinctis, veluti in marmore porphyrite obscuriore. Totus venter atro colore saturo nigricat; circa caput cleresfit, & sub collo est color gleucus maculis nigris distinctus, ut Gesnerus fertur observâsse apud Aldrovandum de serpentibus. Ad quemvis strepitum se in terræ abdit foramine, ut fit tutior.

54. *Cerastes* serpens flexuoso incedens gressu, & obvios quosque terrens, & ob suum venenum ac pravitatem ad nocendum ab alijs odio habitus lemma. *Oderint dum metuant.* APODOSIS. Princeps qui nimia fretus potentia omnibus mavult esse terrori ob inflictes pœnas, non amorem sibi conciliet subditorum; sed eorumdem contra se odium excitat. Effetum illud *oderint dum metuant* tyranni est, non principis; & quemvis ejus asperitatem lenire adnixus fuerit Tiberius cum diserit *Oderint dum approbent*; perperam tamen odium cum approbatione conjunxit. Quod enim homines oderunt approbere vix possunt; cum quod approbant odisse nequeant: inde Cicero in orat. pro Sylla ait *Naturæ autem hoc insitum est, ut quem timueris, hunc semper oderis.* Fuit tamen vox illa detestabilis Caliguiæ optentis populum Romanum unem duntaxat habere cervicem, quem unico faciliùs posset ictu scindere; cui postea à Chærea occiso non fine causa insultevit Populus Romanus: At tu cervicem unam hebes, nos verò manus multes.

55. *Cerastes* sabulo occultatus, cornibúsque super arenam eminentibus eves allicit, quae decipit: lemma. *Fronti ne fidas ridenti.* APODOSIS. Cacodæmon ab omni abhorrens perfectione cornu tentationum, ac blanditiarum homines probos invedit, quos blanda tectus specie decipit, & autupatur. Idem præstant mundi fallaciæ, & voluptates Voluptas quà maximè dæmon hominibus eblanditur tidentem licèt fetiem referre videatur, mordet tamen, ac suum effundit venenum, dum ridere videtur, & arridere: allicit blendè, mordétque ridendo, & perimit consentiendo, & eò sæviùs ferit, quò blandiùs mulcet. Luxuriæ tentatio, quæ omnium voluptatum creditur maxima, mulcere carnem videtur, sed dum mulcet mordet, & interimit, acta in rebiem, quem torripit. Blendè videtur mulcere, sed ut lethalius mordeat, vulnúsque infligat nocentius. Moris olim fuisse què lætum nuntium lancearum cuspidibus lauro tectis significaretur refert Plutarchus in Pompejo: sin verò à læto nuntio ad mundanem voluptatem quà tartareus auceps minus cautos allicit, ac in fues ducit casses ree transferatur; cacodæmonis tentationes quibus per carnis voloptates per mundi delicias nos ad se trahit; nec latum unguem à vero me eberrasse putârim, si hujusmodi tentamenta per carnis blandimenta læta dixerim nuntia, sed lancearum cuspidibus lauro tectis: blanda sunt quæ exteriùs eblendiuntur, virescunt in lauro, & florent in læto nuntio carnis suggerente voluptatem; sed cuspis vulnus infligens, & cruentans latet, quie non corpus, sed quod gravius est nobiliorem hominis partem, ipsam enimam vulnerat huc accersendus S. Ambrosius *lib. 1. offic. cap. 12.* inquiens *Intuere peccatoris lætitiam, introspice vulnera, & vibices animæ ejus, cordisque mæstitudinem.* virescens lautus lanceæ cuspidem tegit, quò vulnus infligendum non ebsterrear, retrahéique à voluptate haurienda. Refert Albertus in *Poli. hist. c. 40.* ex mente Solini, id Cerastibus inditum esse è natura astutiæ, ut arenis totam molem corpoream exceptis cornibue obruant, quorum motu aves elliciant, quæ vermes esse putantes advolant, & protinus esca cornutorum serpentum evedunt; ut cecinit Poëta

Crinalem attollunt squamæ stridore Cerastem
Bis gemino cornu, quo capit hæc volucres

Cornua cerastis dæmonis dixeris esse tentamenta, quibus incautos allicit ad necem 56.

Cerastes flexuoso gressu humi repens, lemma *à recto deflectere iniquum.* APODOSIS. Peccatores à recto virtutum & salutis tramite declinentes humi serpunt, in luto devolvuntur vitiorum, & venenum ebibunt noxarum. Refert Cælius, quòd cum Canobus Menelei gubernator hæmorrhoum calcasset ictu hujus interierit, quod cum conspicare fuisset Helene, & ægrè tulisset, signum hæmorrhoi confregit, quo factum est ut hoc serpentis genus unà cum Ceraste spinem contractam habeet, & uterque obliquo incedat gressu. An non peccator disrupto vinculo charitatis, & gratiæ, quo DEO illigabatur tortuosè, & per obliqua vitiorum incedit ad tartara 57.

Cerastes acervatim flebulantes in arenarum cumulis, & incolas arcentes eb eodem loco, in quo degunt, lemma depromptum ex Lucano lib. 9. Pharsalic. *Peragunt civilia bella.* APODOSIS. Pravi in homine effectus instar cerastium hoc excitent internum bellum, quo homo ne ijsdem succumbat obsistere, ac pugnare debet, eosque coercere ne insolescent; compescere ne epinicion sibi, epicedium homini canant

EXCURSUS

Pravi Affectus bellum movent internum, & nisi coerceantur hominem debellant.

Refert Diodorus Siculus, loca Lybiæ mediterraneæ cumulis esse arenarum referta, ideóque plus vitæ necesserijs cerere; & eò varijs, magnisque serpentibus, & ijs præsertim, quos Cerastes vocant morsu lethali insignes, esse fertiliora. Sunt etiam qui eiserunt, hos serpentes in Ægyptum transmigrantes poticrem ejus partem reddidisse inhabitabilem; unde Lucanus lib. 9. Pharsal.

In gladios jurata manus pro Cæsare pugnant
Dispades, & peragunt civilia bella Cerastes

Non credes, hominem tranquillum, quem internæ commovent passiones, licèt exteriùs videatur serenitate, ac malacia frui, fluctuat tamen in procelle, si interius previs agitetur affectibus feitè Cæsarius Arelatensis hom. 27. *quid prodest si exteriora serenitas teneat, interiora* tem-

tempestas. Ut sit homo tranquillus, ac pacificus, necesse est, ut homo interior, & axtarior quadam veluti harmonia inter se modulentur. Si passiones intus commotæ hominem turbant interiorem; quamvis exterior videatur tranquilla perfrui malacia, nulla inde gaudet quiete; nil prodest malacia in fronte, si procella fluctuet in corda; pax exteriùs virescens in olea; si intus bellum sæviat in cupresso; rosa luxuriet in manu, si romphæa vibretur in corde. Ut sit homo verè tranquillus necesse ast pravos omnas animi affectus compescat, ac imperio subijciat rationis. Varijs est homo passionibus obnoxius, quibus fœdè turbatur, nunc bile fervens, nunc invidia tabescens, modò amore æstuans, modò lethali odio frigans, mox libidine corruptus, mox desiderio erectus; nunc gaudio serenus, nunc tristitia nabulosus, modò metu abjectus, modò audacia elatus; nunc spe erectus nunc desperatione dejectus; tot fluctuat internus homo procellis, quot commovatur passionibus, quæ tunc tantùm elevant nos, si fuerint infra nos, si frœno rationis fuerint coercitæ. Cor hominia Martium dixeris campum, ubi sibi repugnantas affectus acerrimè inter se digladiantur, quorum quilibet cordis adnititur occupare dominatum, quo ubi potiuntur, adhuc bella movent acriora; ne unquam illis cedamus, ne unquam vitio conniveamus, ne nostræ indormiamus saluti in medijs veluti ludentes periculis, nec nobis illudentea, sed perpetuo pavidi hæreamus, simúsque dies, noctésque soliciti, samper anxij, in omnem partem circumspecti, solerter intenti, ne sinamus à pravo ullo affectu vinci.

58. *Camæleon* varsicolor, seu colores rerum omnium circumstantium referens præter rubrum, & album, ac varians ad rerum aliarum accassum lemma *Idem semper, & alius.* APODOSIS. Adulator in id incumbit studij, ut ad Principis genium, ac varia dasideria se accommodet, quidquid noverit ei volupe, id laudet approbet; quod ei displicet id damnet, séque mutet millies ad ganium, votáque alterius, ex quo deprahanditur assentari esse vitium ignobile, ac servile; & sicut chamæleon rubrum non induit, nec album coloram; ita Adulator veritatis candorem occultat, rubrúmque veræ amicitiæ nescit. Cum sit simulatio vitiosa veritatis adulterat candoram, & rubrum veri amoris, & amicitiæ aversatur. Vocat Tacitus Assentationem vetus in republica malum, quia omnem delet veritatem, sine qua vera non subsistit amicitia; vis enim amicitiæ in eo est sita, ait Tullius, *Ut unus quasi animus ex pluribus fiat:* & cum in assentatore unus esse naqueat animus, sed idem semper & alius, varius, ac mutabilis, flaxilisque ad quemlibet auræ flatum, ideo ajebat Gallus Cæsar, facile non esse eodam uti & adulatore, & amico, quod Phocionem quoqua Antipatro respondisse mamorat Plutarchus; ad voluntatem alterius qui loquitur omnia, ad veritatem nihil loquitur; sibiqua nocent, qui assentatoribua aures aperiunt; quamvis assentatio perniciosa sit, nocere tamen gravius nequit nisi ei, qui eam recipit, quique ea delactatur. Demosthenes in Philippica *orat. 8.* omnem reipublicæ calamitatem in assentationem refundit, eò quia sit assentatio vitiorum altrix, & veritatis corruptrix; & eò est periculosior, quò magis ea in occulto latet; hinc Bias apud Plutarchum rogatus, quódnam animal esset cæteris nocentius respondit inter feras tyrannus, inter cicures adulator.

Camæleon colore varius, & in momento 59 mutabili, lemma. *Suo de corio ludit.* APODOSIS. Homo versipellis, inconstans, lavis, propositum, consiliúmque facilè mutat, cui non sit fidandum. Camæleontis magnitudo ex Plinio *lib. 8. c. 33.* ast lacertæ, nisi crura assent recta, & axcelsiora. Latera ventri junguntur, ut in piscibus. Eminet rostrum ut in parvo haud absimila suillo: cauda prælonga in tenuitatem desinens, & implicans se viperinis orbibua: ungues adunci, motus tardior, ut testudini: corpus asperum, ut crocodilo: oculi in recessu cavo, tenui discrimine prægrandes, & corpori concolores: nunquam eos aperit: nec pupillæ motu, sed totius oculi versione circumspicit. Ipse celsus hianta semper ora; solus ex animalibus nec cibo, nec potu alitur: est Camæleon, qui nec alio, quàm aëris alimento: circa caprificos ferus, innoxius alioquin. Est coloris natura mirabilior. Mutat námque eum subinda, & oculis, & cauda, & toto corpore: redditque semper quemconque proximè attingit præter rubrum, candidúmque; de quo propteraa cacinit Alciatus

Semper hiat, semper tenuem, quâ vescitur auram
Reciprocat Camæleon,
Et mutat faciem, varios sumitque colores
Præter rubrum, vel candidum.

Camæleon aperto ora haustu aaris alitur 60 lemma. *Magno aurâ pastus hiatu.* APODOSIS. Ambitiosus dignitatibus inhians plarunque inani pascitur aura menta, ac ventre vacuus. De Camæleonte ait Solinus. Hiatus ejus æternus, & sine ullius usus ministerio, quippe cum neque cibum capiat, naqua potu alatur, nec alimento alio, quàm haustu aëris vivat. Elaganter ad rem nostram camælaontem describit Tertullianus inquiens. *Est & quadruplex, tardigrada, agrestis, & humilis, aspera: testudinem pacuvianam putas? non est? capit & alia bestiola versicolor de mediocribus oppido, sed nomen grande: chamæleontem, si audieris, haud antea gnarus, jam timebis aliquid amplius cum leone. At cum ostenderis apud vineam fermè sub pampino totum; ridebis illicò audaciam, & Græciam nominis; quippe nec succus est corpori;*

Cicada æstivo tempora tritiniens, seu 61. continuati sui soni raucitate æstivum subindicans tempus lemma *Lætæ prænuntia messis.* Quamvis cicada continuata soni raucitata minus gratè aures pulset, ac molestias adferat, id tamen boni præsagit cùm incipit, tritinire flavescentis sagetis proximam messem: quod sit cum cuculus cuculat, ciconia gloterat, & turtur mœret gaudemus, eò quia veris redeuntis nuncios

tiorem, ac eblandientem floribus prænuntient tempestatem: anlam magis gestiendi nobis suppeditat cicada obstrepero suo cantu cum fructuum nobis copiam indicet. APODOSIS. Prædicatores evangelij divini æstu animati amoris, quamvis invehentes adversus vitia, & redarguentes, ac increpantes videantur non mulcere, sed ferire aures, ac animum pungere audientis, fructuum tamen spiritualium uberiorem messem colligunt. Cicadarum plura sunt genera, quæ tamen sola differunt corporis magnitudine, quatenus aliæ sunt alijs majores; aliæ alijs graciliores: omnes conveniunt in forma, & colore corporis, cujus pars superior plerunque est acra: inferior cinerea vergens ad nigrum. Caput est crassum, cui & breves arteriæ, & oculi immobiles, lucidi tamen, ac eminentes perinde ac in cancris. Ore caret cicada; cujus loco illi fistulosum quid inest, per quod alimentum attrahit, ut placet Aristoteli *lib. 4. histor. c. 7.* Quadripennis est cicada, seu quatuor munita alis, quarum superiores sunt duplo majores, ac longiores inferioribus, imò & toto corpore. Pedes sunt illi subtilissimi, ac in fine asperi; lata sunt alvo, pectore aspero, ac doro quod Martialis jocosè aniculæ tribuit edentulæ lib. 3. epigram. 92.

Cum tibi trecenti consules Vetustina
Et tres capilli, quatuorque sint dentes
Pectus Cicadæ, crus, coloremque formicæ.

Cicada cheli insidens, cujus ex fidibus una
62. disrupta, ejus defectum cicada supplet, quæ exterius cum cheli concordat. Lemma. *Concordia cordis, & oris.* APODOSIS. Vir probus nil exterius profert, quin sit consonum cordi, ab omni semper abhorrens mendacio. Refert Clemens Alexandrinus in Protreptico ad gentes, Eunomium Locrinum consuevisse de cantu gloriari, ac aures mulsisse audientium. Contigit autem ut chordarum ejus una inter canendum tractâ cicada citharæ insidens jugo, disrupta fidei sonum suppleret; & ob concordiam cicadæ cum citharæ pulsu, plurimum Eunomius meruerit laudis: quinimo Strab. lib. 6. pag. 140. asserit, ob id fuisse Eunomio erectam statuam: & Martialis loquens de hac citharæ concordia cum cicadæ cantu cecinit in clausula epigrammatis.

Si non errasset, fecerat illa minus.

Hæc cicadæ cum pulsu citharæ concordia eam prodit, quâ vir probus nil exterius profert quod consonum non sit cordi. Hæc est illa concordis ait Pythagoras, quâ orbes cælestes modulatè circumacti plurimum cælitibus adferunt oblectamenti. Plato itidem in republica sua loquens de orbium cælestium motu, asserit singulis sphæris cælestibus, ac orbibus singulas insidere sirenes, quas alij Musas vocant, quæ mundi cantus sunt, adeout Camenæ suam à canendo sortiantur nomenclaturam; ut etiam sirenes recte Macrobio dicantur quasi DEO canentes. Neque ex priscis doctoribus in ecclesia defuerunt, qui cælestium illam corporum harmoniam statuerint innixi authoritate Jobi. *Quis enarrabit cælorum rationem? & concentum cœli quis cohibebit?* sed nulla commendatior harmonia, quàm cordis, & oris; mentis & linguæ; rationis, & orationis, quæ cum auribus audientium repræsentatur, concentum edit suavissimum; quia nulla suavior harmonia, quàm veritas; quæ nihil aliud est, quàm cordis, & oris consensio, & concordia, quando os loquitur, quod cor sentit absque omni simulatione, & calumnia, quò nihil potest esse gratius, nilque jucundius, qua de causa Plato vocavit veritatem suavissimam narrationem, Est veritas juxta Aristotelem *lib. 2. Met.* adæquatio rei ad intellectum. Dicitur veritas à vero, quod est solidum, sincerum.

Cicada æstuante duntaxat sole æstivo tempore tritiniens seu canens, horisque potissimum promeridianis Lemma. *Si sentiat æstus.* APODOSIS. Asceta divino addictus cultui divini solis interiùs circumfusus radio, accedente divini amoris æstu à cantu, Deique laudibus non cessat. Cicada à Græcis dicitur stridere, à Latinis tritinire; ut in carmine de Philomela Eclog. 5.

Et cuculus cuculat, tritinit rauca cicada 63.

Sidonius ait, cicadas meridie concrepantes auribus insonare; satius tamen dicuntur cicadæ canere, & Apes bombum, aut murmur emittere. D. Ambrosius Hexamer. 6. cap. 21. ait: quàm dulcis in exiguo gutture Cicadis cantilena, quarum cantibus medio æstu ambusta rumpuntur, eoque magis canoræ meridianis caloribus, quo puriorem aërem id temporis attrahunt spiritu, eò cantu resonant clariores. Diebus præsertim canicularibus, æstuante Sirio cantum edunt roncitatiorem: & Plinius lib. 11. c. 26. ait Cicadæ cantum tunc esse acerrimum cum Scolymus floret, seu æstivis diebus: quia cicadæ ab æstu solis excitantur ad cantum, & quo intensiorem sentiunt æstum, eo uberiori audiuntur conatu tritinire. Horis antelucanis non canunt, nec sub auroram; sed tantùm solari æstu excitatæ, quia frigore comprimuntur & caloris æstu laxantur, & ad cantum excitantur.

Cicada suum elidens sonum absque oris 64.
ulla defatigatione, nec motu lemma *Non ore, sed corde.* APODOSIS. Non semper is benè orat, qui multum linguâ laborat; sed qui corde DEUM exorat, seu preces fundit ex corde prodeuntes, & pectore. Putârunt Ægyptij teste Horo, cicadas per aculeum emodulari, motúque suum ciere stridorem; non secus ac plectro citharæ pulsantur. Sed D. Basilius censens cicadæ stridorem fieri aëris respiratione ait. Homil. 8. Hexam. de offic. *Quis canendi modus cicadæ, ut meridie incumbant magis cicadæ cantui aeris tractione (quæ fit cum pectus expanditur) sonum elidentes.* Sed communior sententia est, cicadas carere pulmone, proinde non respirare. Hinc nec per aculeum modulantur quia aculeus capiti inhæret, & amputato capite, adhuc cicadas per aliquid temporis vivere, & canere seu eundem edere stridorem

rem apertissimè asserit Cardanus, esse experimento comprobatum. Ælianus putat, sonum hunc elidi ex membranæ verberatione, censens, hanc membranulam sub alis Spiritum continere, cujus attritu fiat stridor, seu cantus cicadæ. Aristoteles verò lib. 4. histor. animal. c. 9. docet in insectis sonum edi Spiritu intimo, inquiens: *Omnia in eo genere membrana septo transverso subita, quâ præcinctum corpus distinguitur sonant, ut genus cicadarum attritu Spiritus.*

65. *Cicada* non alijs nutritur esculentis, & poculentis, quàm cœlesti rore manè, & vespere sub crepusculis decidno lemma *Rore pasta canit.* APODOSIS. Rore cœlestis gratiæ imbutus vir ascéta, torporem excutit, solis ortum antevertit, nocte consurgit divinis vacaturus laudibus, idque præstant Carthusienses, & alij religiosi surgentes nocte ad Psallendum Deo, quos Eustochius virgo excusso omni languore, ac inertia fuit imitata suasu D. Hieronymi, cui hæc tria scripsit verba *Esto cicada noctium*, quia divinæ gratiæ rore imbuta ac divini solis æstuans amore sursum evehebatur, perinde, ac ovum exempto vitello, ac albumine, ac repletum rore sursum à sole trahitur. Quòd si cicadæ quæ animalia sunt insecta non nisi interdiu canunt; viri ascetæ non solùm diurnæ, sed & nocturnæ dicuntur cicadæ, quia non diu tantùm, sed & maximè nocte orationi, ac Psalmis recitandis vacant: qui enim nocte psallit cicada noctium audit, qua nomenclatione D. Franciscus suos donavit religiosos nocte psallentes, ut refert Ludovicus Granaten. fis in concion. de S. Bartholomæo inquiens, *S. Franciscus qui vigiles cum Deo noctes transigebat, appofito nomine verum monacum cicadam noctis appellabat, eò quia cicada sine intermissione canat.* Viri ascetæ nocte psallentes cicadæ licèt audiant noctium, non tamen sole, ac æstu destituuntur, cujus calore ad canendum urgentur, eorum Sol Deus est, cujus amor, ille est internus æstus, quo urgentur ad alacriter Psallendum. Noctium cicadam fuisse S. Antonium dixeris, cum integris noctibus in Deum mentis oculum figens, cujus gratiæ radio, ac amoris æstu soveretur, cum sole corporeo manè conquerebatur, eo quia suo ortu à contemplatione divini solis eum abstraheret in has erumpens pias querelas. *Quid me impedis Sol, qui ad hoc oriris, ut me ab hujus veri luminis abstrahas claritate.* In sacris literis cicadæ nomine orationem significari liquet Psalm. 101. v. 18. *Respexit in orationem humilium* ex Hebræo apud Genebrardum legitur *respexit orationem cicadæ*; non ore, sed pectore sonum edens. Hoc si modo Psallamus plures ex oratione fructus colligemus. Et Cressolius ad intimam devotionem excitandam non modò in principes Angelos mentis lumina vult esse intendenda; verùm etiam in choros sacrorum hominum religiosè viventium, quique ut terrestres Seraphini Deo laudes concinunt. Id sanè vivus aculeus esse unicuique deberet, ut animi sui pietatem sanctissimis hisce choris adjungat.

66. *Cicada Ætolia* muta, omnique cantu destituta lemma *Nunquam tacuisse nocet*, APODOSIS. Qui linguæ compescit garrulitatem, & cum alij loquuntur, intra magni silentij septa se continet, Ætola audit cicada.

EXCURSUS.

Lingua coërcenda, ne sibi, & alijs sit damno.

Ait Cœlius Rhodiginus *lib. 16. lect. Antiq. c. 6.* Stephani monumenta referunt ab Athmarum urbe in Ætolia, quam Acanthon dicunt, nuncupari Acanthias cicadas, quæ quoniam fere consilescant, ut Simonides attestatur, inde receptum, ut qui non loquuntur eo sermone exprimantur nomine: hinc habetur illud Hermolai Barbari. *Malui divinator videri, quàm Ætolia cicada.* Verùm non solum Ætoliæ cicadæ silent, sed etiam alijs in locis; scribit Ælianus, video paucos animadvertisse cicadas in agro Rhegino silere, ac vicissim Rheginas Locris mutas esse. Simile asserit Plinius de Seripho Insula, ait cicadas ibi mutas esse; stridere verò si alibi transferantur. Imò cicadas femellas mutas esse, & solos mares stridere asserit Aristoteles, ea de causa, quia mares calidioris, fœminæ verò frigidioris sint naturæ. Et Ælianus ait canendi studium solis maribus à natura tributum esse: cicadas fœminas mutas esse, & more sponsæ verecundas silentium sibi autumantes convenire. Vir garrulus plenus esse dicitur rimarum hue, illucque effluens, verbaque effutiens plura, quæ plus adferunt nocumenti, quàm documenti. Idque causæ cur Euripides in Oreste linguam garrulam morbo dixerit turpissimo laborare, quo totus inficitur homo, ait D. Ambrosius: *Ingreditur mors per ostium, seu os tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, si ubi non oportet loquaris.* & revera incontinentia sermonis plures de gradu dejecit, pluties pacem turbavit, procellas commovit, urbes diripuit, domos evertit. Quòd si scuticæ ictus dicitur vibices facere; linguæ verba, ut verbera ossa confringunt. Licèt multi gladio ciciderint, plures tamen acie linguæ occubuerunt: scitè D. Bernardus: *levis quidem sermo, quia leviter volat; sed graviter vulnerat, leviter transit, sed graviter urit; leviter profertur, sed non leviter revocatur.* Lingua eò dicta videtur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, & enecat mentiendo: difficulter coërcetur, quia labilis teneri non potest; flexilis fugit; & fallitur: labitur ut anguilla; penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias: blanda est, & subdula, lata & parata ad bona exhaurienda, & mala miscenda, pœnásque sibi infligendas, ut de Tantalo cecinit Ovidius

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

Vir prudens pauca loquitur, & plura cogitat, sed ejus verba totidem videntur effata, & sapientis pronuntiata: vel moralis doctrinæ apophtegmata, aut è tripode effusa oracula sintque propterea verba digna cedro. Est lingua ad

ad lapsum proclivissima ob lubricitatem in verbis effutiendis, propterea coërcenda est ejus petulantia, compescenda temeritas silentij fræno: teste D. Chrysostomo. Ideo Deus linguam velut muro duplici voluit circumdari, quò validius ejus lubricitas cohiberetur. Nam dentium tegmine, & labiorum custodiâ continetur, ne verba improvida garrulitate proferantur. Et Regius Vates eximiè Deum rogavit, ut frænum suæ adijceretur linguæ: Psalm. 16. v. 1: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.* Petijt veluti præsidiariam cohortem, ac militares excubias, fidósque satellites, qui diu, noctúque invigilarent, ne quidquam ex ore exiret quod posset audienti obesse, & loquenti non prodesse. Est lingua mentis interpres, & qualis sit intus homo, prodit ipsa exteriùs. Hinc cum ad Socratem adolescens fuisset adductus instructionis causâ; & juvenis utpote peregrinus, ac verecundus vereretur loqui coram Magistro. *Loquere*, inquit, *ut te cognoscam*; quia ex verbis exterius prolatis cognoscitur quid sit intus homo: qualis quis fuerit in factis, talis comprobatur in verbis.

67 *Cicindela* seu noctiluca instar luminis nocturnum emittens splendorem, qui vix apparens inter umbras illicò cessat, quasi extinguatur, lemma *Dum oritur, moritur.* Apodosis. Conspicua quævis in mundo dignitas splendor videtur esse cicindelæ; cùm primùm videtur splendere morte extinguitur.

EXCURSUS.

Mundi dignitates fulgura æmulantur, dum splendent extinguuntur.

68 Cicindela à Plinio intra genus recensetur scarabæorum; quamvis non desint, qui papilionem potius esse dicant, fortassis quia ut papilio generetur ex eruca; corpore tamen non excedit majoris muscæ magnitudinem, nisi quod partim pennata sit, & partim impennis; pennas in fuscis habet vaginis. Caput à parte supera formam cujusdam clypei inversi exhibente totum contegitur; caput est ei perexiguum, nigerrimum in duo dispartitum tubercula, seu ocellos quodam perfusos nitore. Alvum habet annulosam, pluribus divisam segmentis; in cujus extremo guttulæ duæ pellucidæ instar vivi, & accensi carbonis conspiciuntur è lucido igne ad viride, & subcæruleum tendentes; & tunc splendent cum alvo compressa humor ille diaphanus ad extremum alvi vergit, ut notavit Aldrovandus de Insectis. Vanos splendores ad modicum apparentes esse mundi dignitates exploratum habuit strenuus ille tot Regum Ductor Agamemnon, qui dixit nil aliud esse diadema regium, quàm *vano fulgore tinctum nomen*, *& falsò comam vinclo nitentem.* Quod capitis putatur esse ornamentum catena est quovis ferro durior, quâ caput serviliter cingitur; tollit siquidem libertatem, & in veram inducit servitutem.

Neque aliud est magna dignitas, quàm grandis servitus; idque cum perspectum esset Antigono vetulæ felicitatem ejus deprædicanti; si nosses, inquit, ô mater, quot malis hic panniculus involvatur, ne de sterquilinio quidem jacentem auferres: pannus est, qui si intimiùs cognosceretur, non posset non contemni. Plurimum præsetulit splendoris, ac regiæ majestatis Regina Persarum Esther imperio tot provinciarum locupletata, quæ ab ipso reginæ culto suam sortiebantur nomenclationem; & tamen regiam dignitatem habuit contemptui inquiens Esther 14. v. 14. *Tu Domine, qui habes omnium scientiam nosti quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ.* Quid magis contemptui esse potest panno menstruatæ? Non solùm contemptum; sed etiam plures secum molestias trahit, quas cum sensisset Milesia Mithridatis uxor, molier apud Græcos commendata, ut ab ijsdem se subduceret, & in libertatem assereret, ipsa se diademate suo suspendit; & eo disrupto cum in terram corruisset, detractum collo pedibus conculcavit dicens: quàm execrabilis es fascia, quæ nec in vita suave quodquam mihi contulisti; nec in tam tristi obsequio mihi vales opitulari, eoque dicto, pectus mucrone Bacchidi transfodiendum præbuit. Quis igitur splendidam hanc amet servitutem tot miserijs fœtam, tot molestijs gravidam, & tot circumseptam periculis? De dignitatis suggesto cadunt terrenæ dignitates, quia vix eminent, ac splendent; illicò extinguuntur inter Manium ombras; & qui splendere videbantur in throno, auro, gemmisve fulgentes, sordescunt mox in sepulchro, vel vermibus circumsepti, vel cinere obvoluti. Veræ non sunt dignitates, quas mundus offert, sed umbratiles, & nuda nomina, quibus mundi amatores decipiuntur; scitè D. Chrysostomus homil. 1. *in Epist. ad Rom. Dignitates temporaneas: haudquaquam quis dignitates dixerit; sed dignitatum nomina dumtaxat.*

Non sunt quod esse dicuntur: & falluntur, qui dignitatibus inhiantes veram in ijsdem credunt posse felicitatem enancisci; quomodo honore volatico, & perituro possunt beati esse? Volatica est mundana dignitas, ad modicum splendens perinde ac cicindela; & in hoc tantùm immobilis quòd movetur semper, ab alio ad alium avolans; neminem diu afficit, quod fortassis nos voluit Deus edocere cum hominem piscibus maris præfecit, ac cœli volatilibus; hi signatè hominis subjiciuntur imperio, ut à piscibus maris discerent mundi imperia fluctibus non carere, & amaritudinibus; & à volucribus volaticas esse dignitates, quæ vix splendent mortis gelu extinguuntur: dignitatibus insignitos histrionum dixeris personas exhibere, quæ ab alijs feruntur ad alios, regium diadema à patre transit in filium ab hoc in nepotem, & interdum in exteros. Quin imò dignitatis eminentiæ semper proxi- 70

mior

mior est lapsus; perinde ac præruptis montibus adjacere videntur præcipitia. Invidorum enim manus semper inveniuntur paratæ, ut impellant ad ruinam. Id fuerunt experti in aula Constantini Ablavius, in aula Archadij Rufinus; in ea Junioris Theodosij Flavius, & plures alij in alijs, qui veluti fortunæ, ac dignitatis pilæ hac illacque percussæ, & repercussæ in sublime elati infeliciter ceciderunt, vel gladio interempti, vel alia violenta morte sublati ut Manlius, cui non profuit Capitolij defensio; Seianus quem nec imperatorius sanguis protexit; Pompeius quem delatæ victoriæ ab invidis non valuerunt defendere; Cæsar qui licet pluribus terrarum triumphis illustris, multiplici vulnere à sibi conjunctis confossus cecidit interemptus.

71. Neque mitiora fata extra Romanum imperium invenerunt alij. Mithridates tot Regnorum Dominus, tandem bellis fractus ne suæ superesset fortunæ violenta manu sibi vitam abripuit; quod & præstitit Hannibal ne vivus ludibrio esset hostibus. Crœsi splendor in rogo extinguitur, Baiazetis dignitas in caveam detruditur, Manfredi fortuna securi subjicitur. Agis laqueo suspenditur, Phocion veneno interimitur; & innumeri alij vel victimæ fortunæ cesserunt; vel instar Tarquinij papaverum capita ferro destinârunt; adeo ut eminentia dignitatum fastigia graviori semper fuerint ruinæ obnoxia. Neminem dignitatum splendor alliciat, cum tam infelici exitu funestetur. Nemo aurâ ambitionis se inflari sinat, si scelera vult præcavere. An non Absolon per stupra paterni tori ad regnum sibi gradum struere adnixus est? Annon Athalia regiæ stirpis sanguine se poluit? An non spuria Gedeonis proles septuaginta fratres legitimi thori prærogativâ præferendos in uno, eodemque saxo suæ ambitionis victimas immolavit? An non Tullia, ut virum Tarquinium regem salutaret, supra cruentum Patris cadaver vecta carpento equos ursit consternatos?

72. *Cicindela* nocte illuni ardere videtur quasi volitans per aëra, camporum flammula; & suo splendore claritatem impertit circumstantibus Lemma *Ardet, & Alget.* Apodosis. Procax mulier dum impudico amore ardet, in studio & culturâ friget virtutum, & perinde ac cicindela cum ardere videtur, tetrâ circumvolvitur caligine peccati.

EXCURSUS.

Mulier procax ignem accendit, quo castitas extinguitur.

QUomodo fieri possit ut cicindelæ, & alia id genus insecta noctu videantur quasi ardere ac elucescere? Respondet Georgius Reilchius apud Aldrovandum de Insectis, id provenire ob intrinsecum, sibique cognatum, ac innatum lumen, ex apta qualitatum mixtione consurgens, quo pacto ligna putrida, plures vermes, & piscium squamæ hoc lumen habent internum, quo noctu splendent. Non extinguitur autem aqua, nec glacie hic ignis, quia non induit naturam ignis elementaris, sed cujusdam mixturæ qualitatum vergentium ad naturam perspicui; qua ratione gemmæ quò puriores, ac perspicuiores, eò splendent clariores; & rutilant splendidiores: hæc autem mixtio qualitatum interdum est in toto composito, & aliquando in una duntaxat extima parte, quæ quodammodo accenditur ex collisione subtilissimarum partium, quæ præparantur vel humoris expressione, vel apta percolatione, ad quam corpus animatum ob vitalem calorem aptissimum est. Hæc autem materia pellucida multis pelliculis quasi coagulatis continetur, ne facilè resolvatur; & licèt perenni profluvio aliquæ partes avolent, aliæ tamen succedunt ex succo illo excrementitio, quo cicindela vivit, ac nutritur, & qui in extremam extraditur aluum. Splendent verò cicindelæ alternis scintillationibus propter alarum motum, quas modò contrahunt modo explicant; quo fit, ut dum alas explicant splendor appareat; obtegatur dum contrahunt; & lux illa oriatur, & statim moriatur.

Cæterum ignis cicindelæ non urit, sed 73
lucet; & si manu apprehendatur, & contrectetur nil sentitur caloris, hinc dicitur cicindela ardere, & algere: estque Symbolum improbæ mulierculæ, quæ dum æstu ardet concupiscentiæ alget in virtutum exercitio, in operibus pietatis; imò D. Hieronymus pravas has mulierculas cisternas esse dixit, sed aquâ destitutas puritatis inquiens: *Bibat de fontibus suis, & non quærat cisternas luparum dissipatas, quæ purissimas aquas pudicitiæ continere non possunt.* Per lupas meretrices intelligi edisserit Aristænetus Epist. 18. inquiens; *Mulier nomine Thelxinoe, pudicitiam simulata, vestem super oculos adducens, sensimque inde respiciens, malis artibus illectabat improvidam juventutem: præferebat quidem lupa ferissima mansuetissimæ speciem canis,* dum mulier prava æstuat concupiscentiæ igne impuris, ac malè olentibus repletur aquis, se sentinam refert, & cloacam. Hinc si concupiscentiæ igne ardet; alget impudicitiæ corruptis, ac perversè olentibus aquis, quæ siti extinguendæ impares, hanc concupiscentiæ fomite, ac æstu magis accendunt. Finxerunt Poëtarum commenta imbrem aureum è summo cœlo deciduum, & in eo stuprum Jovis: quò spectabat Terentius in Eunucho, ubi rem aptè describit. Meritò aqua putida, corrupta, ac perversè olens hauriri dicitur de opere, meretricio, cum inde luxuria fluat, & suis undis pudicitiam insepeliat. Imò moris fuisse quò meretrices aqua uterentur, ut tempus metirentur, liquet ex Metyche meretricula, quæ ad clepsydram nefario visa est vacâsse operi ut refert Athenæus lib. 15. c. 8. quia perdita hæc libidinis mancipia quæstum quærentes ex proprio corpore hoc non uni tantùm locârant, sed pluribus, quibus tempus, & horas dividebant, quas clepsydris metiebantur, ut innuit Seneca lib. 3. de Benef. c. 16. ubi ait. *Quam invenies tam miseram, tam sordidam, ut illi satis sit unum*

adul-

adulterorum par? nisi singulis divisit horas; & non sufficit dies omnibus? nisi ad alium gestata est, apud alium mansit. Utinam morem hunc præsens nostrum sæculum ignoraret! utinam procaces non essent mulierculæ, quæ multorum saluti perniciem allaturæ suis diem dividerent amasiis, quæstum de proprio corpore facientes & virorum opes exhaurientes! Rectè frigidis aquis fluxa æstuantis concupiscentiæ in meretrice pariatur voluptas; aptè prostitutæ pudicitiæ fœmina cum fluctibus cohæret: cum Venus ipsa quæ luxuriæ mater audit, & Dea, ex maris orta dicatur fluctibus, ut cecinit Ovidius Epist. Didûs ad Æneam

Quia mater amorum
Nuda cytheriacis edita fertur aquis.

74. Quid Venus suis præsagire natalibus fluctibus potest, quàm naufragium pudicitiæ, interitum castitatis? Mergi qui non vult ab hisce se aquis procellosis subducat, concupiscentiæ æstus coerceat, fluctus fluxæ libidinis declinet; qui perire timet procaces fœminas fugiat, quæ non nisi procellas æstu concupiscentiæ cient, quò naufraga pereat pudicitia. Joannes Apocal. 17. v. 1. & sequent. improbam mulierem super frigescentes aquas inter concupiscentiæ æstus sedentem vidit, pluresque audivit Reges, qui voluptatum venerearum poculum siccaverunt, ebriósque ea potione redditos. Venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & loquutus est mecum, dicens: *Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt, qui inhabitabant terram de vino prostitutionis ejus.* Scio Glossam per hanc meretricem, Antichristum intelligere; & homines depravatos, qui erunt eidem adhæsuri. Alios Mahumeticum imperium; alios Romam Christi legi nondum subjectam: sed ad literam procax mulier est, quæ aquis insidet fluxæ voluptatis, concupiscentiæ fluctus commovens, ciens æstus, & procellam excitans, naufragium paratura castitati.

75. Quòd si procax mulier suis viros allicit blanditijs, non ei fidamus, latent sub voluptatum terrenarum aquis lethales hami, quibus mortales perinde ac pisces ad mortem alliciuntur. Ficta est, & apparens voluptas, quæ carnis concupiscentiæ adnexa videtur: esca est, quâ hamus operitur: latent sub illecebria insidiæ; latet sub dolosa esca dolosus hamus: mortem deglutit, qui hanc voluptatis escam gustat. Ab hisce ut caveamus insidijs nos monet S. Ephræmus Syrus serm. de recta vivendi ratione inquiens: *Cum ea quæ sensui jucunda sunt conspicis, cave ne capiaris ijsdem, nam illis laqueus, & esca mortis latitat; neque enim nudam piscator hamum in aquam demittit.* Hunc hamum procaci adhærentes mulieri, carnis indulgentes voluptatibus jam deglutierunt, & cum eo jam deglutito innatant hujus fluentis vitæ aquis; in quibus licèt videantur ludere fiunt tamen mortis ludibrium; nec quid aliud superest nisi ut hamum Deus trahat: sicuti D. Augustinus *in Psalm. 91. Noli gaudere ad piscem, qui in esca sua exultat: nondum trahit hamum piscator. Nam ille hamum habet in faucibus, & quod sibi videtur longum, breve est: omnia ista citò transeunt: quid est longa vita hominis ad æternitatem Dei?* Hunc hamum tartareus Piscator in aquas terrenarum voluptatum demittit, ut deceptos homines veluti pisces ad mortem trahat; minus cautè in luxuriæ aquis ludentes, escam voluptatis deglutiunt, sed hamum statim sentiunt, & cum voluptate mortem peccati se deglutivisse deprehendunt. Hoc luxuriæ mare sua etiam habet brevia, suas Scyllas, & Charybdes suásque voragines. Vorago est luxuria, quia animas vorat, perditque. Mulier procax, quæque suis illecebris viros decipit, vorago est, non virago. Quàm fatuus, ac delirus qui hujus voraginis non declinat discrimina; & deceptus flagitiorum gurgite mergitur. Idque sibi accidisse fateri non erubuit D. Augustinus lib. 2. confess. c. 1 & 2. inquiens. *Carnis, & scatebra pubertatis, & obnubilabant, & offuscabant cor meum, ut non discerneretur serenitas dilectionis à caligine libidinis. Utrumque in confuso æstuabat, & rapiebat imbecillem ætatem per abrupta cupiditatum, atque mersabat gurgite flagitiorum.*

Suas etiam habet luxuria Charybdes, quibus suos absorbet, ac interimit sectatores; neque multum abjungitur Scylla, de qua scribit peritus nauclerus S. Hieronymus Epist. ad Heliodorum: *In illo æstu Charybdis luxuriæ salutem vorat scylla, seu renidens libido blanditur.* Fugiendus est scyllæ scopulus, declinanda charybdis vorago. Quòd si nautæ pro malo omine habent si in navi discrimina scyllæ, & charybdis nominentur: cautiùs procedendum cum ijs, quæ luxuriem redolent, ut nulla luxuriæ nomina, nulla immunditiæ vocabula os nostrum coinquinent. Charybdis meretrix est, quæ omnia absorbet; nunquam expletur, plura semper appetit, licet omnia abjecta devoret, & deglutiat. Neque desunt adblandientes sirenæ, quæ suo cantu dementant, sua voce alliciunt, & interficiunt. Sirenas fuisse meretrices aliqui perhibent, quæ ob cantus, & verborum suavitatem advenas illiceient, & oblivionem rerum suarum inducerent. Cavendæ sunt impudicarum illecebrarum sirenæ, quæ dum oblectant decipiunt, & deceptos intermunt. 76.

Fugiamus hos infames scyllæ scopulos, declinemus has lethales Charybdis voragines, non audiamus blandos hosce syrenum cantus, procul stemus ab hoc Circæo stabulo, ab hac luxuriæ peste, quæ solo tactu interficit. Quot viros fortes non fregit & ad sua vota inflexit improba & procax mulier? Leones edomuit non ferro pugnando, sed illecebris blandiendo; prostravit Herculem Omphales ex poëtarum commentis; & ex historiarum monumentis Dalila Hebræorum Herculem, virorum fortissimum Samsonem blanditiarum illicio in sua flexit desideria, viribus destituit, suisque tradidit in prædam hostibus; & qui validum & fortia leonem suffocavit, imbelli cessit mulieri, quia ejus non obstitit lenocinijs; & ut air D. Ambrosius in Apolog. David. *Qui leonem suffocavit, amorem suum suffocare non potuit: vincula solvit* 77.

solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum: messes incendit alienas; sed unius mulieris accensus ignibus messem suæ virtutis amisit. Devidi prima certaminum rudimenta fuerunt pugnæ adversus feras ovilium vastatrices, de quo festivè Siracides: *Cum leonibus, quasi cum agnis, & cum ursis quasi cum ovículis victor ludebat:* ferocissimas enim belluas, vel caulæ imminentes, vel inde cum præda revertentes, ultro prior ipse velocissimo persequebatur cursu, & comprehensas nudis manibus, ac rapto mento, jugulóque interficiebat: Quin & Gigantem Philisthæum in velle cataphrectum prostrevit; & tamen Davidem nuda, ac prorsus inermis fœmina vicit, superavit. Salomonem itidem mulieres dementârunt, in quarum gynecæo sapientiam exuit, & ornatum virtutum. D. Chrysostomus homil. in Matth. vocat cellam meretriciam diaboli officinam, in que tartareus Proxenete infamem luxuriæ mercem exponit venum; & Cacodæmones procacis mulieris vocat lenones, qui sicut amatores meretricibus conciliant; ita Diabolus libidinosis suggestionibus ad scorta nititur incautos pertrahere: quòd si lenones cum meretricibus infamem quæstum partiuntur: tartareus leno pecunias amatorum scorti mercedem esse permittit; relervatis sibi animarum spolijs.

78. *Cimices* absynthio, & ruta, vel enecantur vel fugantur lemma *Cujus pudet, pigeat,* Apodosis, noxarum, quas perpetrâsse pudet, pigeat non absynthij, ac rutæ amaritudine statim eas abigere, seu beneficio pœnitentiæ non delere.

EXCURSUS.

Fucata peccati dulcedo absinthij, seu pœnitentiæ amaritudine abstergenda.

79. NAscuntur cimices in lectorum præsertim grabatis, eorúmque rimulis, ut & in parietibus lecto proximis; idque adeo est exploratum, ut Catullus cimicem pro lecto in suis carminibus sumpserit

Furi, cui neque servus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis.

Oriuntur ut docet Aristoteles *lib. 5. de Anim. c. 31.* ex humore, qui per cutem corporis animalium consistit, & reliqui Philosophi conveniunt apud Aldrovandum de Insectis cimices generari ex sordibus humanis, & quidem in lectis, ubi linteamina rarò renoventur. Quid ni? fornicationes, scorta, incestus, adulteria in lectis perpetrentur, fiúntque ut cimices, & quidem ex humanis sordibus, quas reticet modestia. Si pudet commisisse hæc scelera, eorumdem nos pigeat, & ednitamur ea abigere Absynthij amaritudine, seu beneficio pœnitentiæ; cujus lacrymæ arcendæ libidini, abstergendæ conscientiæ, noxæ delendæ opportunæ sunt, ut notat D. Hieronymus expendens illud David Psalm. 6. *Lacrymis meis stratum meum rigabo,* ait ipse: *Qui quotidie lacrymis stratum rigat, non potest in cogitatione ejus libidinum pompa* subrepere ægritudinibus, quas ex vitiata concupiscentia contraximus, salubri hoc lacrymarum balneo medemur. Quòd si medicus, qui morbos curat corporis, iisdem salubribus aquis, ac balneis occurrit, dens latices illos, vel bibendos, vel ad corporis membra abluende: cœlestis medicus ut cimices noxarum abigantur, enimæque ægritudines curentur à nobis malè velentibus aquas expostulat salubres, non ut balneum exhibet; sed oculi eliciunt resipiscentis; ut innuit S. Anselmus lib. exhort. *Expectat medicus videre lacrymas tuas: accede noli timere, ostende, & vulnus tuum, & offer medicamentum lacrymarum, & fletum.* Nullum curandis culparum vulneribus, animæque ægritudinibus aptius Alexipharmacum ipso fusu lacrymarum; hac benefica pluvie æstus depravatæ concupiscentiæ extinguntur; libidinis incentiva sopiuntur, maculæ noxarum eluuntur, peccatorum congeries, perinde ac coacervetæ cimices delentur, enecantur.

Beneficæ sunt lacrymæ, quas pœnitentia eb oculis elicit resipiscentis: culpas abstergunt, conscientiam lavant, & veniam obtinent. Prodest hujus absynthij, seu pœnitentiæ amaritudo, quâ cimices pravorum affectuum vel abiguntur, vel extinguuntur. D. Chrysostomus serm. de pœnitentia expitrans illud Davidis: *Deus vitam meam annunciavi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo:* ait, tanquam si diceret: *suscipe Domine lacrymas meas, quoniam lacrymæ sunt, quæ radunt rudera, & sanant vulnera: lacrymæ sunt, quæ pœnitentiam armant, & indulgentiam provocant; lacrymæ sunt, quæ cœlum pulsantes crimina delent, & conscientiam degravant.* S. Chrysologus serm. 102. vocat lacrymas, quas pœnitentia eb oculis elicit resipiscentis baptismum peccatorum; quie perinde ac equâ baptismi delentur peccata; fusu lacrymarum maculæ lavantur, & ebsterguntur conscientiæ: ait Chrysologus *lacrymæ peccata baptizant,* seu delent, & æstum extinguunt concupiscentiæ, ut monet D. Augustinus in Ps. 54. inquiens, *Ardes fortè conscientiâ delicti, lacrymis extingue flammam peccati.* Sed quamvis lacrymæ flammam extinguant peccati, non tamen sitim uberiùs flendi, & Deum ardentius amandi. 80.

Cum exeunt ab oculis resipiscentis lacrymæ, quas dolor, & tristitie extorquent; lætitia, & consolatio mentem subeunt; & lacrymarum fusu ardens Dei amore enima, lacrymas, quibus madeat, ardentiùs sitit. Idque visus est intellexisse David cum dixit Psalm. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.* Sed cur panes qui eduntur; & non potiùs aquæ quæ bibuntur? si lacrymæ utpote fluxæ potui sunt magis aptæ, quàm cibo; cur lacrymæ Davidis panes fuerunt, & non pellucidæ aquæ, ac limpidissimi latices? Quia panem siccum, qui comedit famem minuit, sed sitim auget. Quàm eptè lacrymæ lacrymanti Davidi panes, & non laticee fuerunt; quie fusu lacrymarum, lacrymas sentiebat se ardentiùs sitire, ut expendit D. Augustinus in Psalm. 41. inquiens, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ, non amaritudo, sed panes suaves erant ipsæ lacrymæ; sitienti mihi illum* 81.

lum fontem, quem quia bibere non poteram, avidius meas lacrymas mandacabam. Non enim dixit factæ sunt mihi lacrymæ meæ potus, ne ipsas desiderasse videretur, sicut fontes aquarum; sed servata illâ siti, quâ rapior; servata illa siti, quâ inardesco, ad fontes aquarum panes mihi factæ sunt lacrymæ meæ dum differor: & utique manducabo lacrymas meas, sine dubio plus sitio ad fontes.

82. *Cossi* vermiculi sunt in ligno, exiles corpore, viribus imbecilles; sed lignum terebrant, & consumunt, cujus farinâ saginantur, fiuntque altiles. Lemma ex Virgilio *Quisque suos patitur manes.* Apodosis. Curæ quamvis exteriùs oculos fugiant intus tamen inhærentes animo viscera corrodunt, præcordia absumunt, & totum hominem consumunt, quem dirè torquent, quia ut cecinit Statius *supplicium exercent curæ;* quin & procellam intus cient, qua mentis tranquillitas naufraga perit. Varijs curarum fluctibus, varijsque æstibus animum intus agitari subindicat Aristeneus lib. 2. Epist. 5. inquiens *Varij ex mea mente curarum fluctus exæstuant. Sicuti radius solis densis ictibus parietem quatis reflexus ex aqua aheno, aut caldaria fusa, & instabili motu fluctuantem undarum repræsentat vertiginem.* Turbant igitur intus curæ animum, nec quiescere sinunt; & perpauci sunt, qui à morsibus harum teredinum immunes sint, ut verè dixerit Seneca *Novit paucos secura quies.* Imò non solùm turbant, sed & viscera ablumunt, quia ut cecinit Ovidius

Attenuant vigiles corpus miserabile curæ
Adtritque cutem macies.

83. Neque à Principum palatijs exulant curarum teredines cum in purpura saginentur opulentiores, quam & avidius corrodunt; nec militum cohortes, nec Prætorianæ excubiæ possunt eas abigere, nec prohibere quin animum subeant Principis Horat. *lib. 2. ode 16.*

Non enim gazæ, nec consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes

84. Numera marinos fluctus si potes, & curas illas poteris recensere, quæ principum mentes mordent, & corrodunt ait D. Chrysostomus homil. 18. ad populum. *Tot Regibus tristitiæ necessitates sunt, quot mari undæ.* Dignitatum culmina non rupibus, ut alpium fastigia; sed curis sunt referta. Olim regium diadema unguentum & myrrham redolebat: an non odor iste agnatas regibus accersit amaritudines? mordaces vocat curas? Regis purpuram vernantem diceres rosam spinarum tamen stipatam satellitio, quia principatui adhærent curæ quovis aculeo acutiùs pungentes. Instituturus Deus Moysem populi sui principem in rubo ei aparuit *Exod. 3.* sed cur in rubro, & non potius in cedro ob eminentiam regiam præsignante dignitatem? Rubum prætulit cuilibet plantæ, ut ostenderet spinas principatui perinde ac rubro nexas. Vera tamen principis nota hæc est, ita virescere in principatu, ut virtus non inarescat; ita splendescere, ut nullo excutiat fumo; ita ardere, ut non comburatur, seu animæ non patiatur detrimentum. Non pungitur tantùm animus curarum aculeis, verùm etiam amaris fluctibus obruitur; quia sicuc tranquillus est animus, & sua gaudet malacia, quando à curis est immunis; ideo si curis agitetur, nequit non fluctuare, & interna agitari procella: & Herodianus dixit Commodo *habes animum pluribus curis fluctuantem:* & tamen ita plures desipiunt, ut maline hisce fluctibus obrui, quàm ab æstu curarum se subducere.

85. *Crabrones* corpore multo majores apibus, & vespis, licèt ab ijsdem in corporis specie, & simmetria vix dissimiles, adeo noxis armantur aculeis, ut si pullis hæreant eorum solo aculeo, cum videntur eos exosculari, interficiant. Lemma *Vulnera infligunt si oscula figant.* Apodosis. Procax mulier dum blanditur, insidias parat, dum osculatur lethaliter vulnerat; quia non secus ac crabro aculeum gestat in labijs, è quibus etiam venenum effundit libidinis, quo cum oscula figit, lethalia vulnera infligit: nec abs re osculi impudici contactum Diaboli morsum esse dixit Eusebius Emissenus *homil. 1. de Symbolo* inquiens: *Impudici contactus osculi quid aliud est, quàm morsus Diaboli, & arma peccati?* Insaniâ tangitur, qui sinit se hisce venenatis osculis tangi, quæ eò sunt noxiora, quò rabidi cerberi morsus sunt acriores. Os impudicæ mulieris profundæ foveæ æquiparat Salomon Proverb. 22. 14. *Fovea profunda os alienæ, cui iratus est Dominus incidet in illam.* Rectè fovea, ac sepulchrum dicitur os procacis mulierculæ, quia quos osculatur interficit, ac libidinibus insepelit; quos verbis illicit, osculis interimit, & mergit: opportunè Rabanus Maurus lib. 2. in Proverb. c. 22. *Fovea profunda os alienæ; cui iratus est Dominus incidet in illam, qui oscula meretricis libenter amplectitur, quasi janaam jam Gehennalis pulsat abyssi, citòque mergetur, si pedem cautus non retrahit; si non membra cætera à vicinia cohibet foveæ pœnalis, in quam nullus omnino nisi filius iræ illabitur.* Tactus, quo per oscula mulier procax incautis eblanditur viris morituræ præludit castitati. Quò osculi contactus ad fœcem sensuum, ac materiæ colluvionem proximiùs accedit, remotiùs discedit à dignitate animi, & brutis consociatur, ut non abs re D. Gregorius Nyssenus tres sensus in homine belluinos esse dixerit, Tactum, Gustum, Odoratum, eò quia in cæno voluptatum fœdiùs volutentur: si enim solius osculi voluptas hominem afflaverit, incipit æstu libidinis furere, ac impudico accendi amore; nec ullum est in homine fomentum libidini accendendæ, ac castitati interimendæ aptius, quàm procacis mulieris osculum: est enim leno libidinis, qui & florem pudicitiæ contaminat, liliúmque corrumpit castitatis. Quòd si ex solo mulieris tactu libidinis prodit venenum se in venas, pectus, & viscera insinuans, quanto magis hoc lethale virus hauritur in osculo? labia fomenta suppeditant libidinis, si oscula alteri sexui figant; nec ulla palea igni injecta tam subito incenditur, sicut per oscula

im-

impura libidinis flamma, quâ castitas cinefit.

86. *Crabrones* varij stercori insidentes illúdque fœdè depascentes lemma *Mores ab origine pendent*, vel. *Talis origo fuit*, Apodosis. Homo in peccato conceptus Psal. 50. *& in peccatis concepit me mater mea*, in mala propendet.

EXCURSUS.

Pravi mores ni corrigantur, in deterius semper ruunt.

87. Quisque in ea propendet, è quibos originem traxit. Rusticellus amat rusticis consociari, plebeius plebeis; & rarò homines ab origine discrepant. Crabrones dicuntur nasci ex putrescentibus animalium corporibus; perinde ac ex equis vespæ; ex bobus vel tauris apes. Sunt etiam qui ex asini cerebro asserunt Crabrones enasci. Constantinus Laudus libro de Nummismatibus veterum tradit ex Plutarcho apud Aldrovandum de Insectis; ex bobus apes, ex equis fucus, ex asinis crabrones generari: sed Ovidius Metamorph. 15. cecinit

Pressus humo bellator equus crabronis origo est

Id tamen ab omnibus approbatur, crabrones, ex cujusdam animalis putredine enasci, ac non nisi corruptis excrementis, ac stercore delectari. Respondent origini mores. Licèt teste Seneca mores sibi quisque det, ministeria verò casus assignet, plurimum tamen refert à probis parentibus originem traxisse. Cæterum in id incumbendum studij; ut pravi mores corrigantur: prima in homine morum tutela esse debet, ut monet Ovidius, qui si boni sunt, & justi, omni patrimonio sunt præstantiores; nil adeo est origine rude, quod labore non possit perpoliri. Plurimum refert ad mores ritè formandos apud quos, & quorum arbitratu homo vivat. Bonorum mores si imitari studuerimus probitatem ex ijsdem hauriemus: qoia ut scitè dixit Xenophon Bonorum hominum conversatio exercitium est virtutis, pravorum ejusdem eversio: mores bonos convictus inquinat malus: siquidem cum stultis stultescere discimus, & cum vulpe vulpinari: inimica virtuti est majorum conversatio; idque cum novisset Seneca dixit: *nemo non aliquid nobis vitium, aut commodat, aut imprimit: & quo major est numerus eorum, cum quibus conversamur; eò plus est periculi: nunqaam mores, quos effero refero; redeo avarior, aut ambitiosior; imo verò crudelior & inhumanior, quia inter homines fui: utrumque vitandum est, ne vel similis malis fias.*

88. Licèt homo non creetur malus fit tamen pravis moribus malus, ait Augustinus serm. 24. in Joan. *Quod fecit Deus non potest esse malum, si ipse homo non fit sibi malus.* Fit autem homo malus si à pravis suis sinat se abripi concupiscentijs, si malis suis adhærescat affectibus; si peccatorum incentiva, quæ cum natura corrupta & ad malum prona contraxit, non coërcet; mirum sanè quòd cum homo sordes excutiat è vestibus, maculas non patiatur in facie, animæ non abstergat inquinamenta; & cum externum habitum ad elegantiam, & munditiem adaptet, internum hominem negligat probis moribus componere: exenterat feras, inspicit intestina, distinguit arterias, explorat viscera veluti naturæ lanio; & propria non inspicit interiora, in quibus obliqua, & curva rectificet, depravata corrigat, & se ipsum expulsis vitijs ad normam virtutis componat. Imò sinat depravatæ naturæ se rapi impetu; & pravis, quæ in ipso stabulantur, affectiunculis ad illicita trahi. Quamvis in peccatis conceptus, in delicta sit pronus; satagat per exercitia virtutum vitia declinare. Potest homo beneficio divinæ opia à quovis malo culpæ esse immunis, si nolit ipse malus esse.

Duplex est malum, unum naturam inficit, aliud mores; illud naturæ integritati, ac incolumitati adversatur; quia verò malum hocce à fine ultimo non avertit, esse propriè malum non dixeris; quod homo rebus careat extra se positis, non est ei malum; cum nec intus in animi facultatibus, nec interius in corporis membris lædatur; & eorumdem possessione gravetur; imò non rebus externis tantùm, sed etiam ipsa corporis mole gravatur, & ad indigna abjicit mentem. Corpus exercitio virtutis gracilescat; & animus sit ab omni labe secretus; sit noo sui arbitrij, sed divinæ sapientiæ spirans imago, ac divinæ beneficio gratiæ supra mundi fluxa evectus. Nullo inficitur homo malo si Deo, seu summo bono adhærescat: & omnem ad se malorum trahit congeriem si à Deo sit aversus; quia omne à se bonum ejecit. Paupertas, persecutio, ægritudo, & alia id genus, quæ vulgò putantur mala; non sunt mala; quia cum ijsdem per sæpe fit homo melior, & interdum etiam optimus: expungenda sunt è cathalogo malorum, quæ hoc nomine vulgus infamavit: ea dumtaxat mala sunt, quæ à summo Bono avertunt, ac ejus destituunt possessione: hæc est vera & deploranda paupertas summo, omnique vero bono carere. Paupertas, ignominia, morbi, adversa non pugnant adversus hominem, nec ipsum miserum faciunt: sed lethalis noxa hominem expugnat, quem summo bono spoliat, ac in imum dettudit miseriarum. Si igitur homo in peccatis conceptus ad peccata ex pravis affectibus pullulantibus in natura corrupta est pronus; in id incumbat studij, quo per exercitia virtutum, hanc cohibeat pronitatem, pravisque omnibus affectibus frœnum injiciat. 89.

Crabrones irritati infestiores, ac sæviores fiunt, & pertinacissimè aculeo venenato irritantem insequuntur, ut scribit Aldrovandus ed Insectis lemma *Furunt lacessiti nocentiùs.* Apodosis. Ira perciti non sunt magis irritandi, sed potiùs blandis verbis placandi. 90.

EXCURSUS

Ira perciti non sunt duris irritandi, sed mollibus leniendi.

91. IRâ inflammatum lacessere injurijs, perinde est ac Pythagoræ, ac ignem gladio fodere; vivos, ac ignitos carbones, si commoveas, diventiles, exagites, non extinguis, sed flammas accendis uberiores; flamma enim quò plus exagitatur, eò invalescit acriùs: perinde ità percitus injurijs lacessitus fit immanior. Quòd si duo sibi simul irascantur, flamma crescit in exitium: ignis additus igni succenditur valentior; & licet extinctus tibi videatur in acervo carbonum ignis, si tamen in eum insufflaveris flammam accendis, & excitas incendium; ita convicia, & verba aspera iratum magis ad iram excitant; quia id perinde est, ac gladio ignem fodere, quapropter cecinit Ovidius

Qualibet extinctos injuria suscitat ignes.

Non verbis asperis, sed mollibus sopitur ira, & blando sermone detumescit. Quamvis adamas nullo contundatur malleo, nullâque disrumpatur incude; sanguine tamen agnino solvitur: ira itidem quamvis duris non cedat, & asperis obsistet, charitate tamen mitescit, & benignitate extinguitur; etiam feræ naturâ sævientes, humanúmque sanguinem sitientes faciliùs cicurantur, si eas demulceamus: exigit ira blandè tractari, vel silentium, ac defervescet; quæ silentio ira consopitur irritatione effetatur præsertim in viris principibus, quorum ira est gravior, quapropter ut monet Plutarchus: *Potentum ira, tuménsque indignatio non est commovenda; quam ipsi plerunque tegunt, ac dissimulant, donec ulciscendi occasio detur; nec nisi lethali ictu illa lenitur*: quinimo ut ait Publius *ira fulmen est, ubi cum potestate habitat*, seu in viro principe; difficulter enim excelsus animus malè acceptus, seu irâ percitus coërcetur; ac mitescit: *non enim vana est ira liberorum Jovis*, ut loquitur Pindarus; quia ira regum ac principum instar fulminis è manu Jovis excussi, nonnisi minas secum trahit.

92. Irato telum eripiendum est non dandum; quia æquè exitiale Irascenti gladium exhibere, ac potentiam dare improbo: occasio nocendi adimenda est, non quærenda. Scitè Seneca: *Virtus est si non lædas, à quo læsus es: magna est fortitudo. si etiam læsus remittas; magna denique gloria, si cui potuisti nocere, parcas.* Ita sopienda est blando sermone, non fovenda; extinguenda silentio, & morâ, non irritanda. Rabidus est iræ affectus, cæco impetu animi impotentis abripitur; statim qualis sit intus produnt exteriùs, quæ apparent furiæ, in lingua verba incomposita, in ore dentium crepitus, labia spumantia, in fronte exasperatæ rugæ, in oculis evaporantes flammæ; in reliquo corpore tremuli artus, pedes titubantes. Observa duos sibi irascentes, quam babicu corporis, & præsertim vultûs exhibeant figuram, quæ verba è lingua effrœni erumpant: inde exeunt convicia, scommata quovis gladio læviùs ferientia, & honorem lædentia, vicissim vitia exprobrantur, contumeliæ referuntur: hic mulum, ille suem vocat; ille trifurum pessimum, hic quadrupedum sceleratissimum; hic lurconem, ille nebulonem; hic temulentum ille, sicophantam: hic objectat ganea, ille scorta: hic ferrum minatur, ille patibulum: cicuranda igitur est hæc iræ furia, non irritanda.

93. *Culices* infesto agmine leonem fugant, in quem irruunt. Refert Ammianus *lib. 18. c. 10.* culices in India sub ortum caniculæ tam infesto oriri agmine, ut stridore, & aculeis leones finibus exterminent Lemma *Parva magnis sunt formidini.* APODOSIS. Viri prenitissimi quique in æteteris virtutum culturâ plurimum profecerunt; ac in religiosa perfectione creverunt sûntque propterea spiritu, ac virtute Christiana magni, parvas etiam noxas, seu peccata expavent, quæ venialia dicuntur, à quibus summo studio cavent, quia gravioribus præludunt, ad quæ disponunt. Nil est adeo infirmum, quod sensim ad magnas vires non excrescat. Imo non dixeris parvum malum, quod disponit ad malum malorum maximum, seu ad peccatum lethale. Quis diceret parvam, & exiguam illam violentiam, quâ saxum molare è summo cœlo toto impetu deorsum ruens in medio aere suspenderet, ac prohiberet, ne in terram caderet? quid ni? noxa, quæ venialis dicitur, animæ è corpore solutæ violentiam infert, detinétque suspensam expiatorijs flammis totam, impeditque ne ad suum terminum, seu Deum tendat & summo Bono uniatur. Non igitur contemnantur, floccique fiant, eo quia sint venialia. Quid culicibus parvius? & tamen leonibus sunt formidini. Duo dantur culicum genera, omnia sunt bipennia, parúmque, vel nihil differunt; omnibus est in ore aculeus, anteriore parte aculeos gerunt ut muscæ, Differunt tamen aculei, quia alij alijs sunt duriores; alij laxiores, omnes tamen cutem penetrant animalium, & cruorem eliciunt: licèt cum per aera evolant oculos fallant, & visum fugiant nisi acies intendantur perspicacissimæ, corpori tamen cum inhærent, acutissimo terebrant stimulo, sanguinémque eliciunt: & nihilominus adeo sunt exiles culices ut Plinius *lib. 11. c. 2.* loquens de minutissimis hisce insectis miretur eorumdem corporum simmetriam; & ubi natura potuerit in culice tot sensus collocare, visum porrendere, gustatum applicare, odoratum inserere, truculentum susurrum edere; tanta subtilitate pennas adnectere, prolongare pedum crura, disponere jejunam caveam, seu alvum humani præsertim sanguinis avidam; quomodo telum perfodiendo tergori aptum spiculare valuerit.

Culices suis aculeis cutem penetrantes animalium, & sanguinem elicientes. Non solum culices corpora animalium pungunt, sed etiam sanguinem sugunt lemma. *Lingua sæviùs gladio ferit.* APODOSIS. Detractores gravius convicijs vulnerant, quam hostes gladio: isti enim tantùm in corpus sæviunt; illi verò honorem lædunt, qui longè pluris æstimatur: perinde ac culices vulnera infligunt, ubi linguam figunt: siquidem conviciandi, ac male- 94.

dicendi

dicendi aculeo armati ab alijs sanguinem expetunt, quos suis convicijs feriunt, & cruentant; verborum enim stimulis animos terebrant, famam, honorémque lædentes, quod in homine est præstantius sugunt dum pungunt. Detractores veluti bipennes culices hac, illàc, que volitant, singula perlustrant, quò sinistram inveniant nocendi. Neque ullus est venator, qui majori circumeat solertia ut feram rapiat; imò urbem pererrant detractores; in plateis, vicis, foribus, compitis singula de singulis percunctantur, quos verborum aculeis feriant, & detractionum stimulis eorumdem exsiccent honorem. Aliorum famæ, gloriæ, opinioni, ac nomini ut detrahant per omnium domus non secus ac culices circumcursant, volitantque de domo in domum, de asceterio in asceterium nocte, ac interdiu totas perlustrant ædes, singulos evertunt angulos, omnia de omnibus inquirunt, sciscitantur, alienas explorant infirmitates, non quibus medeantur; sed ut ulcus, ac purem detegant.

95 Neque abs re D. Bernardus detraxit detractori, dum in ejus lingua dicit cacodæmonum sessitare, qui 1. Petri: *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Nil in homine deterius, nilue detestabilius linguâ calumniatrice; hæc totum hominem lædit interiùs judiciis malignis, exteriùs verbis acerbis, quibus alienam lædit famam, vulnerat honorem, obscurat gloriam. Armatur lingua calumniatrix suo in ore spiculo, suóque aculeo, quo non solùm honorem lædit, sed & famam lethaliter vulnerat, gravior enim est injuria, quâ fama læditur, quàm quâ honor impetitur, est enim fama majus bonum quàm honor, ptoinde famæ violatione acerbior infligitur aculeus: ac has inter iniurias sævius furit infamatio per falsi criminis, impactionem, quæ propriè calumnia dicitur; & impactor falsi criminis, calumniator audit, cuius malitia nil approbat, sed omnia reprobat, & in crimen vocat: & si quid boni de altero audierit, cuius laudi nequeat detrahere, silet tunc, & Areopagitâ est taciturnior: sin verò aliquid offecerat mali iliadem ex eo, & odysseam texit, & retexit, idque sutoribus, tonsoribus, textoribus & sycophantis, lurconibus ac nebulonibus inculcat, quò citius alienum probum evulgerur.

96 *Culices* candelæ lumen circumvolantes eodem incenduntur, & pereunt, lemma *Id mores, quod Amores* APODOSIS Amasii venereo captí amore omnia sua impendunt studia, suósque in id mores dirigunt ut fœmina, quam deperire se sentiunt, fruantur, eam frequenter adeunt, ex aspectu saltem aliquid hauriuri solatii, séque, suósque mores componunt, quibus & amores prodant. Sed quæ ipsis splendere videtur mulier interitum parat. Lumen hocce funus accendit, & rogum, quo dum æstuant incenduntur & intereunt; dum rident lacrymas eliciunt; hócque insano æstu etiam senes afficiuntur, qui cano capite, oculisque lippientibus iuveniles concupiscunt voluptates: sicut libidinosa adolescentia senectuti proxima esse dicitur, sic hæc senectus libidine æstuans iepulchro: hoc impuro igne pereunt naufragi quotquot finunt tædæ libidinis æstu se corripi; quamvis Venus in aquis nata inter procellas naufragia accersat; inter fluctus tamē æstúsque concupiscentiæ funus apparat: & ignis munere fungens aquæ propriæ obliviscitur naturæ, ut instrumentum fiat supplicii, qui fomentum fuerat voluptatis Genes. 19. ait Moses.: *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem*: pluere quod proprium est aquæ deorsum in ima descendentis; igni tribuitur in sublime tendenti; hanc loquendi phrasim expendens S. Chrysostomus homil. de Sodom. & Achab. pulchrè ait: *Erat justa retributio hic, qui naturæ subuerterant leges, fæminas in masculis quærentes, ut invertatur, & in eis naturæ ordo, & fiat eis naufragium eu igne, quasi ex aqua.*

Culices humani sanguinis appetentes hominis corpus aculeo feriant, quo e vulnere veluti è fonte sanguinem ebibunt Lemma *pungunt & sugunt* APODOSIS. Adulatores pia ete studentes, cui assentantur convicijs pungunt feriúntque verbis detractorijs, quos noverint esse eidem invisos, & exosos, ut proprium inde sugant emolumentum; pongunt alios, ut proprium sugant comodum; sugunt adulando, séque genio flectendo illios, à quo fore sperant, ut aliquid accipiant utilitatis; & alios interim pungunt, mordent; quin adulatores pungunt etiam, cui adulantur ob damnum quod ei inferunt, & simul proprium ab eodem sugunt commodum. 97

Dipsas serpens perniciosissimus, cuius venenum sitim excitat ardentissimam nulla potione restinguendam, sed in horas magis actiúsque exardentem, lemma ex Boëtio lib. 2. de consol. metro 5. *sævior ignibus Ætnæ* APODOSIS Avarus eam pecuniæ sitim in se accendit, ut nulla divitiarum copia, & bonorum possessione valeat illam extinguere, quia nonquam satur. scribit Lucianus lib. 9. dipsam serpentē esse admodum magnum viperæ similem, violento ictu, veneno crasso, dolores illicò inducentem intolerabiles. Ardores enim immittit inextinguibiles, & putredines, totum corpus adorit incendio; & qui ab hoc serpante ictī sunt clamant, ac si in ignem essent conjecti, ac vivi comburerentur. Rursus ejus venenum sitim excitat inexplebilem; & quanto plus bibunt hoc veneno infecti, tanto magis potum expetunt, ut ipsis congruat illud Poëtæ *quò plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.* Idque proprium avari, cuius possidendi aviditatem nulla pecuniarum copia potis est explere: scitè D. Bernardus in serm. *divitiarum amor insatiabilis longè amplius torquet animam, quàm refrigeret usu suo, quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, omissio plena doloris invenitur.* Est d psas serpens cui longitudo formæ cubitalis tribuitur, crassities similis viperæ, quæ tamen in tenuitus semper desinat, corpus albicans maculis rubescentibus, ac nigrescentibus variegatum. Sostratus apud Aldrovandum asserit, caudam hujus serpentis duabus lineis nigricantibus esse insignitam. Demorsi ab hoc animali confestim rabidam, & Tantaleam concipiunt sitim. Lucanus lib. 9. Pharsal dipsadem vocat torridam,

Exuvias positiva suas, & torrida dipsas.
Hunc serpentem perpetua ardere siti asserit idem Lucanus inquiens
In mediis sitiebant dipsades undis
Idque causæ, cur Tantalo æquipararetur, de quo Poëta. *Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat Tantalus.* Cum igitur dipsas perpetua torqueatur siti, hanc cum suo veneno demorsis ab ipsa communicat. Nascuntur dipsades referente Æliano in Africa, & Arabia; ut & in ea Libyæ regione, quæ ad Austrum vergit, eò quia sterili sit referta arena, ex solis ardore exusta, & deserta; & soli Garamantes finitimi, homines frugi assueti, agiles, in teneriis degentes, venationibus sibi victũ quærentes hanc ingrediuntur regionem circa hybernũ solstitium sydere tunc pluvio, quo tempore major ardoris pars deferbuit arenis assiduo imbre madentibus; venantur tunc onagros, struthiones humi volantes, elephantes, & similia animalia, quæ molestias ferventis solis perferre possunt.

99 *Dipsas* medio corpore fonte immersa, & siti exardens lemma *Mediis sitiebat in undis* APODOSIS. Ebriosus, quia vino madere assuevit semper sitit, licèt semper bibat, nec ullo haustu potis est sitim extinguere, quamvis innatet vino stomachus, adhuc labia, & lingua arescunt, meróque expetunt humectari. Ovidius lib. 1 Amor. Eleg. 8. quandam anum lenam edentulam, sed bibacem, ac ebriosam dipsadi parem fecit, quam Plautus multibibam appellavit; nec immeritò, quia fœminæ senio confectæ & lenocinium exercentes, ob siccitatem senii semper instar dapsidis sitiunt, ait Ovidius loc. cit.

Est quædam quicunque volet cognoscere lenam
Audiat, est quædam nomine dipsas anus:
Ex re nomen habet, nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.

sunt etiam qui haustui meracen assueti adeo vino delectantur, ut voluptatem quam inde percipiunt bibentes reliquis aliis, præferant, quin etiam honoribus, ac dignitatibus ut cecinit ille apud Scaligerum.

Optarem mihi non aurum, non oppida terræ.
Non quas Thebarum jactat Homerus opes,
Verùm ut plena mero spument mihi pocula Baccho
Summaque perpetuus proluat ora latex.
Semper amicorum circumpotante corona
Et vitem agricolæ falce premente colant.
Hæc, quas testor opum, sunt argumenta, valete
Fasces, cum tenero pocula plena manu

Quinimo in id dementiæ lapsi fuere aliqui ex temulentis, meróque assuetis, ut optàrint à dipsade morderi, quo acriori æstuantes siti plenioribus possent calicibus indulgere, ut de quodam Framariano scurra refert Pierius Valerianus hisce carminibus

Narrabat quidam vim dipsados exitialem
Perpetuam infundat, quæ pede fixa sitim,
Nempe sitim, tria quam utque ante extinguere Nili.
Ostia, vel magnis stagna perhausta cadis,
Interiore loco Libyæ Garamantes ad ipsos
Quà fovet arenti struthius ova solo;
Quippe ubi quis misera spatiatus forte per arva
In pede fulminei vulnera dentis habet.
Ritè dua dextrâ famulæ totidemque sinistra
Hæc gerit, hæc pleno vase propinat aquas
Illa propinatis alias super ingerit illa,
Nec mora, nec requiri pocula mille parat.
Framarianus ad hæc: hanc O mihi quærito amici
Figat, ut illa meos officiosa pedes.

Epiphanius hæres 34. asserit quòd si dipsas aliquem momorderit, venenum demorsus contrahat, cuius malignitas vim habet ustoriam, quæ ad sitim, & appetentiam potûs urget, sempérque ad bibendum ac ingerendum potum irritet: censet percussus aliquid levaminis, ac solatii haurire ex ipso potu; sed in ipso potu expleto ventre, ut non ampliùs suscipiente, unà cum potu animam evomit.

Dipsas in locis ubi fontes è saxis scaturiunt, suósque sitientibus pellucidos suppeditant latices, ac ubi rivuli aquarum, quæ à petris funduntur, & in receptaculum aliquod fluunt, servantúrque bibit ipsa; sed ne idem beneficium participent alii, venenum immittit in eandem aquarum statinnem, ut omne animal quod accesserit, & biberit, venenum una cum iisdem laticibus bibat, & moriatur lemma *quod mihi, hoc non aliis* APODOSIS. Invidus bona, quibus ipse cumolatur aliis invidet, ne sibi pares habeat, ait D. Augustinus. Invidet par pari quia ei æquatur; invidet superior inferiori ne ei æquetur; invidet inferior superiori, quia ei non æquatur. Est enim invidia quæ ubique suum effundit lethale virus, quo alios inficiat, impediátque ne quidquam iisdem obtingat boni, & commodi; diceres propterea esse invidiam, cacodæmonis documentum, serpentis nocumentum, tartarei hostis sationem, punitionis arrhationem, pietatis impedimentum, & stratam viam ad gehennam. In omnes suo venenato livore sævit, adnititur è culmine honoris dignitate insignitos deturbare; virtutis decore ornatos devenustare, fama, & nomine commendatos obscurare; nec quidquam est tam integrum quod non frangat, nil tam sanctum quod non violet, nil tam clarum quod non denigret; nil tam munitum quod non expugnet. Plerumque non vitæ turpitudo, non scelerum patratio, non flagitiorum magnitudo, sed sola invidia innocentes ad tribunal pertrahit, ac morti addicit. Nequit invidia pati alienam fortunam; habet enim mens hominis nescio quid erecti, ac sublimis, quò fit superioris impatiens, imò & æqualis; adeoque quod sibi obtingit prosperi, hoc alteri invidet, denegátque, ne ei æquetur

Draco pugnam cum elephanto instituit, 101 quem & expugnat, occiditque; sed & vicissim à mortuo elephanto Draco interimitur lemma *Ultorem ulciscitur ultor* APODOSIS lethales qui inimicitias fovet, damnúmque infert alteri in ultionem, ac vindictam, pœnas & ipse luit. Refert Ælianus *lib. 6. c. 21 de Animal.* Draconem, & Elephantum graves in-

ter se inimicitias fove; scientes autem dracones ex arboribus elephantos ramos foliis luxuriantes decerpere in pastum; in has ipsas arbores serpunt, ascendúntque dracones ubi eam sui corporis partem dimidiam, quæ ad caudam pertinet arboris frondibus contegunt; alteram partem anteriorem funiculi instar appensam dimittunt. Mox cum accedit elephantus ad arboris surculos carpendos draco in ipsius oculos desiliens illum excæcat, mox anteriore parte collum ejus constringena, posteriore flagellans inusitatio quodam laqueo strangulat: sed draco squammeas pedicas extricare nequiens ab elephanti enecti cute, necesse est ultionem à ruina devictæ molis subeat.

102 *Draco* Cretensem puerum à quo alimenta susceperat ab iminente mortis periculo veadicat: cum enim in solitudine interceptus adolescens à latronibus plagis exciperetur auditâ benefactoris sui voce accurrit & prædonibus occisis juvenem liberat. Lemma *Officia officiis compensantur.* APODOSIS. Beneficia qui serit beneficia merit: est gratitudo, quæ vel bruta animantia ob sibi beneficia præstita in obsequia devincit benefactoris, quæque vel potiore jure hominem decet rationis compotem, cujus animus veluti excultus ager, quæ accipit beneficia veluti semina sibi concredita majore mensura si fieri potest restituit, imitatúrque fertiles illos agros, qui multo plus reddunt, quàm acceperint. Cum deceat, hominem omnium virtutum insigniri honestamentis, gratitudo ipsi vel maximè congruit, ne sinat à brutis hac superari commendatione. Est gratitudo non una tantùm virtus, sed reliquarum fœcunda mater. Quid enim est pietas nisi grata in parentes voluntas? Quid amicitia nisi mutua redamatio, qua plures mutuis se se beneficiis devinciuntur? Quid sanctitas, nisi religionem excolere, ac justis obsequiis, ac honoribus Deum colere? Quod si gratitudo ab hominum cœtu excluderetur extorris, decus absolesceret honoris, gloriæ lumen extingueretur; amicitiæ vinculum solveretur; pietatis flos exaresceret; stimulus virtutis desineret; quia cessarent præmia, nulla essent speranda beneficia; nullum humanæ societatis vinculum, quod referendæ gratiæ nunquam satis laudatum studium nexuerat. Apud homines quos vel sanguinis, necessitudo simul nectit; vel instituti conformitas copulat, vel vinculum ligat amicitiæ sola gratitudo est, quæ amorem fovet: eò siquidem est hæc virtus amabilior, quò communi gentium consensu nil habetur detestabilius ingrati animi vitio & gratitudinem universa nos edocet natura, quæ nullum complectitur beneficium absque gratitudine; quia elementa inferiora à superioribus in cœlo corporibus, & astris plurimum recipiunt beneficii, quo vigent, dixit Philolaus, suffimenta aquæ, & terræ esse tributa, quæ hæc elementa astris persolvunt, ob impertita sibi beneficia; & sacrificia incruenta, quæ cœlo litant beneficia impertienti. Plantæ itidem & arbores, quia à terra matre, ac nutrice in lucem eduntur ac aluntur vitali succo, quem suo è sinu sugunt; gratitudinis vices reddituræ, eam vestiunt, tegúntque viridi polludamento, ornant foliorum pompa, locupletant florum varietate, & variis fœcundant seminibus; & quò arbores plus à terra recipiunt alimenti, eò altioribus radicibus intimiùs eidem adhærescunt, eamque corroborant in grati animi documentum; quod & bruta & volucres exhibent: siquidem corvi, aquilæ, accipitres, sui juris effecti, & à parentibus emancipati eisdem loco cedunt, ne esse videantur æmuli rapinæ; Ciconiæ pulli memores adulti beneficiorum, quæ à parentibus susceperunt, eosdem senio, ævoque confectos, viribus destitutos diu superstites nutriunt, est hæc pietas, & gratitudo, quæ nunquam deficit omnibus infra, immutabilis, & constans: apum inventus cum adoleverit, & ad laboraadum convaluerit liberum relinquunt parentibus locum. Præcelluerunt etiam inter homines virtute gratitudinis plures etiam viri principes, quos inter Philippus Rex qui Hiparco Enboico vitâ defuncto diu fuit illacrymatus, ejúsque mortem acerbè tulit; & cuidam familiari cupienti regium evire dolorem dixit Hipparcum senio ænóque confectum decessisse; Philippus reposuit: tibi quidem tempestivè decessit, sed mihi præproperè: mors illum anticipavit priùs quam destinata beneficia à me acciperet.

103 *Draco* præcelsam Platanum inscendens novem pulloa passeris unà cum parente iisdem incubante deglurit. Lemma ex *Senec. Hercul. act. 1. Incerto veniunt ordine Fata.* APODOSIS. Mors non solùm adultos confectos ævo sua demetit falce; suóque telo juvenes longiùs distantes ferit; verùm & suo gelu primos adolescentiæ vernantes flores decoquit primasque erumpentes gemmas, ac in cunis vagientes pueros interimit.

EXCURSUS.

Libithina falce armatur, & arcu; illâ senes cominus, hoc juvenes eminus interficit.

Narrat Homerus, Græcos ad evertendam Troiam mare munitâ armis classe traiicientes adverso vento adigente procellâ Aulide Bæotiæ portu detentos fuisse, ibique à Calcha peritissimo augure fuisse Agamemnonem edoctum quâ ratione, Dianam ira percitam placaret, & ex dracoais augurio, qui in proximam platanum repens novem pullos passeris unà cum parente deglutiverat, prædixit decimo tandem anno ab inchoáta obsidione Ilium captum iri pro passerulis annos, pro dracone laplam 103

seu

ſeu captam urbem fuit interpretatus. Uni cedunt omnia Libithinæ urbes etiam munitiſſimæ, ejus telum pectora quæque licet chalibe loricata penetrat; nec ullus adeo induſtrius, ac ſagax, qui potis ſit ab ejus ſe falce ſubtrahere Virgilius in Mecœnatis obitum de morte cecinit

Illa rapit juvenes prima florente juventa,
Non oblita rapit, ſed tamen illa ſenes.

Et Ovidius ad Liviam

Fata manent omnes, omnes expectat avarus
Portitor, & turbæ vix ſatis una ratis
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam
Omnia ſub leges, mors vocat atra ſuas.

105 Si inevitabilis eſt fatorum neceſſitas, & ea lege nati ſumus, ut ultimum naturæ tributum vel nolentes pendamus, quare æquo animo non acquieſcimus, ut Anaxagoras, & Socrates, qui cum mortis ſententiam per nuntios accepiſſent intrepidè reſponderunt. *Jam olim iſtam ſententiam æquè in judices, atque in nos tulit natura.* Si ea nati ſumus lege, ut moriamur, cur non ſollicit ſumus, ut quod reliquum eſt vitæ in virtutum impendamus exercitijs. Non cordi nobis eſſe debet, ut in longam, deſidémqoe ſenectam hujus labentis vitæ fabulam protrahamus, ſed ut probè eam claudamus. Pleriſque hominibus nil æquè in votis eſſe videtur, quàm ut in hoc tumultuoſo vitæ pelago, quamdiutiſſimè jactentur, & pro ut fortuna gubernaculum flexerit modò proſpero, modo adverſo fluxu ferantur, quem protrahere ſatagunt, ut Cn. Carbo, qui tertio conſulatu ſuo referente Valerio Maximo lib. 9. c. 13. juſſu Pompei in Sicilia ad ſupplicium ductus, petijt à militibus demiſſè, & flebiliter ut ſibi liceret aluum priùs levare, quam animam efflare, quo ſcilicet diutius ad exiguum illud ſpatium temporis vitam protraheret; & eo moram ſtudioſè traxit, donec caput ejus ſordido ipſo in loco amputaretur. O Fati ærumnoſam cunctationem! quid prodeſt tam ignominioſe vitam protrahere! quid homini prodeſt, ſupplicem fieri, ut ſecurim tantiſper ſuſpendat, ſi Libithinæ falcem nequit evadere! Si mors libratam ſemper ſuam tenet ſecurim, cuius ictui natura ipſa nos fecit obnoxios? Nec ſola ſenectus ineluctabilem hanc ſecum trahit moriendi neceſſitatem, ſed omnis ætas eidem eſt obnoxia. *Diem nox premit, ait Seneca, dies noctem, Æſtas in Autumnum deſinit, Autumno hiems inſtat, quæ vere compeſcitur, omnia tranſeunt ut revertantur. Tibi autem nemo reſtituet annos tuos, nemo iterum te tibi reddet. Ibit quà cœpit ætas, nec curſum, aut revocabit, aut ſupprimet. Non illa Regis, non favore populi longius procedet.*

106 Fluit jugiter vita hominis inſtar fluminis die, noctuque devolvitur, curritque ad ſepulchrum. Hunc fluvium ingredimur omnes, ejúſque rapimur fluxu; dementiæ datur eò nunquam perventurum ſperare, quò quis velit, nolit jugiter tendit. Nullus ſine termino motus eſt, nullúſque neque in cœlo ortus ſine occaſu; neque ulla in terris ſine mortis interitu vita. ſive in plantis, brutis, & hominibus: Scite Virgil.

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Conſule Æſculapios, convoca Chirones, totámque turbam medicorum, nullam adverſus mortem tibi etiam theſauros ſpondenti præſcribent panaceam. Ingredere bellorum armamentarium, nullum invenies clipeum, qui potis ſit vibratum mortis retundere telum; nullámque contra ejus violentiam reperies panopliam. Potes ſi lubet ſerpentis inſtar in milleuas te ſpiras convoluere, fatalem hanc neceſſitatem nunquam eluctaberis; & toto tuo conatu hoc tantùm proficiss, ut graviùs te affligat, quod vitari nequit. Nil tam exaſpetat fervorem vulneris, ait Hegeſippus, quàm ferendi impatientia. Laqueus dum capta fera jactat arctius ijsdem premitur, & dolorem auget: aves cum trepidantes viſcum excutiunt magis implicantur, plumiſque illinunt; nullum eſt jugum, quod non minus lædat trahentem, quàm reluctantem. 107

Refert Baronius ad annum Juſtiniani 39. Hunc Impratorem curàſſe ingenti ſumptu ſtragulam ſibi veſtem contexi, ut in Phrygio opere expreſſa viderentur captarum urbium, ac Barbarorum effigies Regum, quos ipſe ſuis auſpicijs debellaverat, plurimúmque partarum monuments victoriarum; ſed ſi veſtis illa tot triumphis nobilis, tot tropheis illuſtris, tot victorijs inſignis demortui cadaver texit, à morte principem non protexit; ornavit funus, ſed non liberavit à ſepulchro.

Draco venenato ſuo halitu aerem inficit & 108 ſupervolantes aves eodem infectæ cadunt emortuæ Lemma *Solo necat afflatu.* Apodosis. Draco Avernalis lethali ſuo flatu, pernicioſiſque ſuggeſtionibus mentem ſubit hominis, quam inficit venenato tentationis illicio, quo ad turpia allicit; & interimit eum extorquet conſenſum. Carodæmon rectè Draconi pariatur, cum perinde ac Draco exitiale effundat virus, & per venenata tentamenta pertrahat ad peccatum, quod interitum adfert animæ, quæ lethali ſi noxæ adhæreſcat à ſommo bono, à fonte vitæ ſe avertit, & æternis ſe flammis addicit. Ex tentationibus, quæ à tartareo Dracone ſuggeruntur gignuntur peccata, & inde mala omnia, quæ tot ſunt numero, ut expeditiùs foret ſtellas cœli, arenas, quæ in litore jacent maris, guttas ſingulas oceani ad calculum revocare, quàm quæ ex lethali noxa damna protruduntur. Eſt ſiquidem peccatum, quod Gehennæ reſerat januam, cœlum claudit, à ſummo Bono avertit, in centrum omnium malorũ pertrahit; ab illo ſingula prodiere morborum agmina, quæ corpus lancinant, corrumpunt, interimunt; ab illo ſcaturiunt luctus, mœrores, metus, & reliquæ paſſiones, quæ animum infeſtant.

Draco pervigil in Heſperidum horto mala 109 cuſtodit aurea. Lemma Juvenal. Sat. 2. *Miſera eſt cuſtodia cenſus.* Apodosis. Avarus congeſtas opes vigili cura cuſtodit quidem, ſed non poſſidet, quia cum ijsdem non utatur, ſupervacaneum eſt dominium.

EXCURSUS.

Avaro congestæ divitiæ sunt gravamini, non levamini.

110 Sunt divitiæ avaro molestiæ, potiùs & oneri quàm levamini; perinde ac Hesperidum Draco invigilat in auro, argentóque custodiendo absque ullo commodo, sine ulla utilitate. Hesperides dicuntur Hesperi fratris Atlantis filiæ Ægle, Aretusa, & Hesperetusa, quas poëtæ fabulantur, hortos possedisse nemore aurifero pretiosos, ubi aderat Draco custos pervigil mala illa aurea vigilanter observans, ne ab ullo raperentur, quem tamen interfecit Hercules, qui poma illa aurea retulit ad vitricum Eurystheum. Avarum exhibet Hesperidum Draco, hic poma aurea vigili solicitudine custodisse non possedisse fertur; ille die noctúque vigilat, curisque angitur, solicitudinibus premitur, ne quas congessit divitias alij surripiant, quarum dixeris simplicem esse custodem, non possessorem: scitè Martialis Epigr. 45. loquens de avaro

Nummi cum tibi, opésque tantæ,
Quantas civis habet Paterne, rarus
Largiris nihil, incubasque Gazæ,
Ut magnus Draco, quem canunt Poëtæ
Custodem Scythici fuisse luci,

111 Divitias qui labore congerit improbo, ut custodiat, non ut sibi inserviant, nec alijs, infelicissimus habendus est custos, non locuples possessor Juvenal. Sat. 14.

Tantis parta malis, cura majore, metúque
Servantur; misera est magni custodia censûs.

112 Avarus multa custodit, & nihil possidet, cum divitias congerit molestias, & curas accersit, & solatia abigit, opes enim quæ viro, ingenuo, ac liberali sunt levamini, & honori, avaro sunt oneri, ac molestiæ; quamvis omnia habeat, nil ex congestis opibus habet, quàm molestias, curásque diurnas, ac nocturnas, quæ somnum prohibent: hinc quò plus avarus habet, minus habet: bona illi desunt cum adsunt, quia semper avarus eget, plusque cupit habere quamvis plura congesserit; & pluris ipsi est auri inexplebilis fames, quàm cura famæ; non erubescit avaritiâ sordescere, nec audiri turpis lucri cupidus, dummodo divitias congerat: cui nihil satis est; nihil quoque non turpe: quid ni? quærens avarus felicitatem fit miserior, & congerens opes, molestias, curas, ac solicitudines die, noctuque torquentes sibi coacervat; quia dum semper desiderat nunquam gaudet, & dum plura concupiscit minus conquiescit. Gemina laborat avarus inopia; eget divitijs superfluis, quas enixim concupiscit; eget etiam rebus, quibus non utitur necessarijs; & duplici miseria est infelix; quia necessaria sibi subtrahit; & superflua anxiè concupiscit; plusque animum avaritiâ sordescentem pungunt superflua, quibus caret, quàm oblectent congesta, quibus non utitur: cumque ad decumanam miseriam satis illi sit ea concupiscere, quæ non habet; & illis non uti, quæ habet; & cupiendi superflua nullus sit modus, nullúsque terminus, quo desiderium coërceatur, & animus tandem quiescat, necesse est supra modum omnem sit miser, quem torquent anxia habendi vora, detur pat vilis quæstus, cruciat periculosa possessio; & curæ, anxietates, timores, sollicitudines, metus instrumenta sunt, quibus avarus affligitur, & infelicitatem sibi accumulat, dum felicitatem in divitiarum quærit coacervatione. Non desunt auri custodi pervigiles noctes, anxij dies, solicita tempora, trepida gaudia, inquieta desideria, fluctuantes perplexitates, procellosæ anxietates, quibus miserè exagitatur, semper in æstu, nunquam in portu.

Draco à formicis interemptus, & consumptus. Lemma *Multitudini cedendum.* Quamvis sit Draco asperrimis oblitus squamis, terreat oculis, emineat pelle, amplum habeat rictum, linguam exertam, dentes prægrandes ad timorem incutiendum, cedit nihilominus formicis sensim quasi fugientibus ob multitudinem, quæ & animos excitat, & vires adauget. Aroonsts, Princeps quamvis præpotens habet tamen, quo populum tumultuantem paveat, à quo plerumque opprimitur: idque didicit Tiberius, cui in oblectamentis erat serpens Draco, quem ex consuetudine manu sua cibaturus, cùm consumptum à formicis invenisset, inde monitus fuit, ut multitudinis vires timeret, eásque caveret. 113

Refert Eustatius *in Iliadis* 22. formicas 114 mortuis anguibus, ac Draconibus libenter vesci, & Draconem ipsum à formicis, & cantharidibus plurimum pati incommodi, ac detrimenti, & subinde etiam mortem. Draco Principem, & Canthatides, ac formicæ populum tumultuantem exhibent, quia ut aiebat Terentius Varro apud Gellium *noct. Attic lib.* ag. *Turba turbulenta est*, siquidem corpus est, cujus pectus, & cor princeps esse dicitur, à cujus affectu, & amore, si desistat, ac à Principe separetur, corpus est, sed excors, & sine capite, à quo propterea nonnisi exitia, & perniciosa expectari possunt, ut rectè dixerir Herodotus: *Turbâ imperitâ nullum majus esse malum*; quia ut ait Pindarus, *Cæcam habet mentem*, cui consentiens Cicero Orat. pro Planco ait: *Non consilium est in vulgo: non ratio, non discrimen, non diligentia.* Hinc nil populo tumultuante incertius, nil turbulentius: siquidem non delectu aliquo, aut Sapientia ducitur ad judicandum, sed impetu, & quadam etiam temeritate cavenda semper, & timenda: quippe ut Menander ait: *Robusta res est turba, mente sed caret*; propterea monet Phocylides: *Ne populo fidas: populus mutatur in horas*: & Lyvius Decad. 2. lib. 10. *Nil tam incertum, nec tam inæstimabile est, quàm multitudinis temeritas*: quia ex mente Curtij lib. 12. *Nullum profundum mare, nullum vastum fretum, & procellosum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, si nova, & brevi duratura libertate luxuriat*: & revera plerumque populus ad furorem usque accensus, ignem ipsum flammis vincit, & ut loquitur Plutarchus, *potest aliquis faciliùs urbem* humi-

humilem, si rebus adversis laboret, erigere, cùm eam necessitas cogat, sapientis consilio obtemperare, quàm populo secundis rebus elato, & ferocienti frænum injicere; quo ejus petulantiam, atque temeritatem quis compescat: populus enim sano destitutus consilio, impetu fertur belluino, & nonnisi clades, & cædes, ac rapinas molitur; non enim intelligit, quæ non didicit, neque novit honestum, & ad res agendas sine consilio præceps ruit.

115 *Draco Pythius* humi stratus, ac peremptus, quem Apollo adhuc puer jaculis suis interemit. Lemma. *Bonis nocet, qui parcit malis.* APODOSIS. Princeps nisi exerceat justitiam in improbos & delicta puniat, viris probis plurimum adfert nocumenti.

EXCURSUS.

Justitia fulcimentum Reipublicæ.

cui si non innitatur corruit.

116 NEcessaria est justitiæ severitas, quâ licentia delinquendi coërceatur, aiebat enim Publius: *Bono justitiæ proxima est severitas*: si enim delicta sinantur abire impunita, malorum impunitas in bonorum convertitur injuriam, & scelera sceleribus viam emolliunt: nulla enim fortior delinquendi illecebra, quàm delicti patrati impunitas. Satiùs igitur, ac utiliùs unius improbi supplicio plurium improbitatem coërceri, quàm ob plures improbos uni parcere; ut quem naturæ disciplina retinere in officio non potest, is pœnæ magnitudine submoveatur maleficio. Proborum salutem tuetur, & hominum societatem indemnem custodit, qui malos punit, quia dum mali pavent, & à delictis abstinent timore supplicij, tranquillam ducunt probi vitam; & bono, ac paci consulitur Reipublicæ: coërcenda sunt ac impedienda delicta timore pœnarum, ne viri improbi quidquam probis, & Reipublicæ perniciosum moliri audeant. Ex monito tamen Senecæ in vindicandis injurijs hæc est lex, ut Princeps tria perpendat, ut vel eum, quem punit, emendet; vel ejus pœna cæteros meliores reddat; vel sublatis malis reliqui securiores vivant: & hanc in puniendis sceleribus rationem expresserat Plato in Protagora, & *lib. 11. de legib.* ubi ait: Quòd nemo puniat eos, qui deliquerunt ea tantùm de causa, quia deliquerint, sed vel ut corrigantur, vel ut alij saltem timore pœnæ à delictis patrandis abstineant. Debent pœnæ pares esse delictis, ac sceleribus commensæ; adeò ut pœna gravior gravius peccantibus debeatur; siquidem atrocitas pœnæ ad parendum legibus faciliùs subditos inflectit, non enim pœnæ leves pares sunt insolescenti juventuti coërcendæ, neque possunt ita facilè rerum honestarum contemptores ad temperantiam reducere.

117 Hinc Solon Illustris ille Legislator duabus rebus aiebat, Rempublicam contineri *præmio* scilicet, & *pœna*, & Antisthenes censuit nullam esse majorem perniciem Reipublicæ, quam si boni à malis non discernantur, hoc est si boni non promoveantur, & mali non deprimantur; si viri probi, & de Republica benemeriti negligantur, & homines nequam dignitatibus insigniantur: sicut civium probitas rempublicam fulcit, ita improbitas malorum eam convellit, quod animadvertens Cicero lib. 3. de natura Deorum ait: *Nec domus, nec respublica stare potest, si in ea nec rectè factis præmia extent ulla: nec supplicia peccatis.* Et Plinius ait: Præmia bonorum, & malorum pœnas probos etiã improbos in Republica facere. Princeps tamen ita justitiam exerceat in delictis puniendis, ut clementiæ non obliviscatur; nec huic ita adhæreat, ut illam deponat. Clementia commendata fuit in Tito, qui contentus monuisse Patritios, ut à conjuratione desisterent, scribit de ipso Eutropius *convictos adversum se conjurationis, ita dimisit, ut in eadem familiaritate, qua antea habuerit*: Laudatur Severus Imperator, eò quia securiorem se, ac diuturniorem potestatem severitate, & clementiâ effecerit. Antoninus, qui Avidij Cassii liberis, uxori, & genero ignovit, & injurias sibi illatas generosa delevit oblivione. Augustus cùm ad consulatum Cornelium sibi infensum promovit, & Cinnæ priùs hosti, postea insidiatori ignovit. Et omissis priscis imperantibus: commendant Historiarum monumenta Alphonsum Aragonum Regem, cujus præclarum est effatum illud: *Malo multos clementia servare, quàm paucos sententiâ perdere* & Carolus V. cùm dixit. *Malo Christianum unum servare, quàm mille Mauros, Turcasque perdere.*

Non tamen nimia clementia, & lenitu 118
do semper probatur, quia pluries noxia, & Regnis, & Regibus fuit. Nimia enim lenitas Childericum III. dejecit è regali Throno Galliarum, ab ipso enim ex Merovei, & Chlodovei domo ad Hugonem Capetum sceptrum transivit: quinimò imperium orientis sola perdidit intempestiva lenitudo, quæ causa fuit, ut etiamnum potior Christiani orbis pars sub barbaro Ottomannico gemat imperió, & sub jugo prematur infidelium. Sunt pleraque delicta, & scelera, quæ rigorem expetunt justitiæ, non lenitudinem clementiæ. Si enim Judices sedentes pro tribunali justitiam vendant, æquitatem corrumpant, eorum injustitia punienda est, ne Princeps bonis noceat, si pravis hisce parcat. Punivit hoc scelus Cambyses, de quo ait Valerius Maximus: *qui mali cujusdam Judicis ex corpore pellem detractam sellæ intendi, in eaque filium ejus judicaturum considere jussit*, subdens: *Atroci & novâ pœnâ Judicis, ne quis postea corrumpi Judex possit, providit.* Neque exercenda est à Principe in publicos latrones, & grassatores clementia; nec in virginum raptores; nec in sacrilegos, incestuosos, adulteros, patriæ proditores, hisce enim qui parcit, bonis reliquis nocet: sepositâ clementiâ rigore justitiæ, & frœno supplicij coërcenda sunt hujusmodi scelera. Si Princeps in hujus furfuris homines sæviat, ad enormia delicta avertenda, pius in patriam est. Faciliùs privatas potest injurias contem-

nere

nere & contumelias sibi irrogatas flocci facere Princeps, quàm toti Reipublicæ perniciem inferentibus parcere.

120 *Draco* pervigil custos aurei velleris apud Colchos. Lemma. *Vitæ vigilantia custos.* Apodosis. Vigilantia hominem tuetur, & bona quæque custodit.

EXCURSUS.

Vigilantia fida hominis custodia.

121 REfert Ælianus: Proprium Draconis esse excubias agere, & solerter invigilare, & ait: acerrimum esse ad audiendum, & acutissimum ad videndum, sitque propterea Draco captu difficilis, ut vix venatione comprehendi possit ob vigilantiam. Hinc ex Cœlio habemus, Dracones ædium, oraculorum, ac Thesaurorum custodiæ præfectos fuisse. Idque causæ, cur Poëtæ aureum vellus apud Colchos, & mala Hesperidum ab insomni Dracone custodiri asserverint, cecineritque ille

Pervigil ecce Draco squamis crepitantibus horrens
Sibilat, & torto pectore verrit humum,

122 Tamdiu Draco apud Colchos pervigil custos aureæ pellis vixit, quamdiu vigilavit, sopitus cum vigilantia vitam amisit. Etenim Jason filius Æsonis ex Alcimede, quem pater acturus animam fratri Peliæ in tutelam commendavit concredito etiam regno adjectâ conditione, ut adulto Jasoni illud restitueret. Sed Alcimedes non fidens Peliæ Jasonem puerum Chironi alendum tradidit, qui cùm adoleverit paternum Regnum petijt: sed Pelias commentus fraudem, Jasonem ad Colchos trajicere jussit, aureo vellere, ut potiretur: hinc constructa Argo navi cum reliquis socijs æquora Jason trajecit, & ad Colchos pervenit, ubi Medea Colchorum Regis filia juvenis formâ, ac venustate capta cepit eum deperire, quem ut à certissimo eriperet exitio; edocuit, quâ ratione æripedes Tauros perdomare, & pervigilem Draconem sopire posset: quod præstitit exhibito herbarum fasciculo Draconi, qui somno sopitus à Jasone interemptus illicò fuit, & tamdiu duntaxat vixit, quamdiu vigilavit, fueritque propterea vitæ vigilantia custos, non secus ac pellis aureæ: quapropter non abs re dixit Chrysologus serm. 24. *Quid tam morti simile, quàm dormientis aspectus? Quid tam vita plenum, quàm forma vigilantis? Quæ ars, quod tempus, quæ potestas, quod officium, non vitæ lucra lucubratione perquirit? Hinc est quòd Rex in procinctu pervigil, callidi hostis præcavet, & evitat insidias: tunc in castris miles supervenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit: sic nauta vigilando diffusi itineris incertas vias intrat, & calles transit invios, & vestigio furtivo ad lucrosi portus votivam pervenit mansionem, hinc Pastor adjungit noctes diebus, & totum sibi tempus denegat dormiendi, ne qua lupis suffragante somno grassandi in gregem præbeatur occasio.* Recenset Chrysologus commoda, quæ secum vigilantia advehit.

Quòd si est vigilantia corpori commodo, magis animæ, ejúsque ornatui, seu virtutibus custodiendis prodest, imo & vitæ: quia ut scitè dixit idem Chrysologus *eod. serm.* 24. *Plus vigilare, plus vivere est.* Siquidem vigilantia virtutes, quas impenso labore acquisivimus sedulò custodit, quæ nisi veluti è specula excubaret in earundem indemnitatem, nullo labore amitterentur, quæ nonnisi fuso sudore fuerunt acquisitæ. Est igitur vigilantia necessaria, non solùm in corporis commodum, & ad ejus incolumitatem tuendam, verùm etiam ad animæ virtutes custodiendas. Quòd si Regnum cœlorum vim pati dicitur, vigilantia arma nobis suppeditat, quibus ejus fores adamantinæ dissiliunt, rumpunturque & vigilanti, ac pugnanti aditum aperiunt ad felicitatis arcem. Est vigilantia quæ nobis diademata cudit ex auro conflata, gemmisque illuminata, & coronas ex multiplici virtutum flore contexit: est vigilantia, quæ stimulos addit ad gloriam, ejúsque inurit Characterem, vires suggerit, ardorem excitat, & impetum acuit ad æternitatem. Vigilare si desinis, virtutem excutis, & vitium foves, in cujus contubernio salus periclitatur. Id cùm animadvertisset Moyses ad vigilantiam nos fuit hortatus Deuter. 4. v. 9. inquiens: *Attende tibi ipsi*, scilicet invigila, ne quas hactenus excoluisti virtutes, miserè deperdas; ne, cùm rectè ambulas, impingas, & cadas; ne, cùm summo bono adhærescis, ab eodem per lethalem noxam avertaris. Attende tibi, seu omnibus viribus, tum naturæ, tum gratiæ in id incumbe studij, ut tibi attendas, tibi invigiles; te mentis arbitrio regas non placito cupiditatis traharis; quia ubi cupiditas fervet, languet pietas; ubi vitium insolescit, virtus deflorescit. A non vigilantiæ neglectu perinde ac è putido fonte vitia quæque scaturiunt: qui sibi non invigilat, sibi non cavet, se ipsum negligit, & otio marcescit, à quo vitia omnia pullulant. Qui sapit igitur præ omnibus sibi ipsi invigilat, idque agit, quod agendum est.

Draconis cum aquila certamen. Lemma. 124
Marcet sine adversario virtus. Apodosis. Vir fortis, ac ingenuus, plurimáque virtute insignitus languet, si adversarius absit, ejúsque virtus in bello flaccescit sine conflictu, & hoste.

EXCURSUS.

Adversarij virtuti non obsunt, sed prosunt.

REfert Ælianus, tantam esse aquilam inter, 125
& Draconem antipathiam, ut se se mutuis odijs persequantur, & fortassis ob id, quia teste Plinio Dracones aquilarum ova sumopere appetant, & plerumque leporem ab unguibus

aquilæ eripiant, quod caosa est certaminis ineundi, de quo Ovidius lib. 4. Metam.

Usque Jovis præpes vacuo cum vidit in arvo
Præbentem Phæbo liventia terga Draconem
Occupat adversum, neu sæva retorqueat ora,
Squamigeris avidos figit cervicibus ungues.

Hoc idem certamen describit Homerus, ut refert Aristoteles *lib. 9. animal. cap.* 11 Neque aquilæ virtus, & fortitudo elucesceret sine Dracone adversario; absque conflictu, & certamine ejus virtus marcesceret. Hoc idem hominibus obtingit, quorum fortuna misera dicitur, si æmulo careat, quia sicut virtus, ut aiebat Euripides per labores incedit, ita per otia vitium: est enim otium, ut ait Ambrosius *Pulvinar Sathanæ*, quo utitur ad excutiendam vigilantiam, & sopiendum in vitijs, juxta vulgatam parœmiam *otia dant vitia.* Nec ulla perniciosior grassatur in Republica pestis, quæ plus inferat damni, quàm otium, de quo Horatius *Otium Reges priùs, & beatas perdidit urbes.* Quia si inertia in Throno sedeat, & segnitie populi torpeant, quidquid commendabilis est in Republica, desinit, quidquid virtutis effloruit, exarescit, quia marcet sine adversario virtus.

126 Neque quid aliud Romam perdidit, quàm otium Romanorum: siquidem fortuna tunc mutari cepit, cum excisa Carthagine, ac Perseo capto, cives, & milites Romani sine hoste, absque adversario otio indulserunt; & tunc ceperunt insolescere, animis emollescere, vitijs, & concupiscentijs adhærescere, proinde Romana fortitudine destitui, ut notavit D. Augustinus cùm dixit; *Otio perijt Roma deleta Carthagine,* seu marcuit Romana virtus absque adversario: tunc otio indulgentes vitis foverunt, ait Tit. Livius, *Nuper divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates desiderium per luxum, atque libidinem pereundi, perdendique omnia invexére.* Et Salustius in conjur. Catil. ait: *Ubi labore atque justitia Respublica Romana crevit, Reges magni bello domiti, nationes feræ & populi ingentes vi subacti Carthago æmula Imperij Romani à stirpe interijt cuncta maria, terræque patebant, sævire fortuna cæpit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facilè toleraverant; ijs otium, divitiæque optandæ alijs oneri, miseriæque fuere.* Hinc Apicius Claudius dicere consueverat; *Satiùs esse, multóque meliùs Romano populo negotium committere, quàm otium:* quia populi si hostes urgeant, si bella immineant, excitantur ad virtutem, qui pace diffluunt ad voluptatem, & luxum, ex quo enascitur otium rerum publicarum exitium. Friget enim omnis generosa actio, si citra contentionem, & æmulationem proposita fuerit. Labor vires exercet, quas otium corrumpit.

127 Plures sunt, qui præclaris pollentes naturæ dotibus; quia otiu languent, inertiâ contabescunt, inglorij desidiâ consenescunt, nil efficiunt ad publicum bonum, nilque ad proprium: concreditis sibi à munifico bonorum omnium Largitore defodiunt talenta, & otio artem, oblivione virtutem, silentio rerum cognitionem miserè consepeliunt, & jugi torpentes otio nil moliuntur grande, nil cogitant divinum, nil meditantur præclarum: & plurimum se præstitisse putant, si commodam ducant vitam, & propria marcescant segnitie; Quinimo ad vilissima quæque non erubescunt se abjicere, totósque dies cum catellis ludere, vel in tonstrinis sedere, vel oberrare in trivijs, vel nugari cum Histrionibus, quod non est vivere, sed tempus terere cùm eorum quotidianum opus sit inanis curiositas, vanitatis negotiatio, garrire in circulis, aucupari rumusculos, & in *otiosissimis occupationibus*, ut loquitur Plinius lib. 6. Epist. 6. *perdere diem*: hi non solùm auribus, sed & pedibus malè prurientes hac, illácque discurrunt, nunquam sibi attendentes toti effusi in res vanissimas, propria despicientes, & aliena aspicientes: idque quia otio marcescunt, quo ab omni seria actione removentur; & quo cùm fruuntur, eorum animos libido effœminat, blanditiæ emolliunt, voluptates corrumpunt: qui enim ignaviâ diffluentes, veluti nati consumere fruges, pigritiâ emolliti, ac delinimentis otiosi voluptatis, nil agunt commendabilis, nilque moliuntur honesti terentes tempus in nugis, risu, fabellis recitandis.

Quòd si divitijs affluant, & fortuna pin- 128
guescant à sana etiam mente dejiciuntur, quia ut aiebat Demosthenes: fortuna, quem nimium fovet, stultum facit, imò & insolentem, ac injustum, quia teste Chrysostomo, *Prosperitas noverca est virtutis*: & ut observavit Plutarchus: *Perpaucis contingit felices esse, & sapere. Nihil enim tam superbum est, & tam intractabile, quàm homo, quem felicitatis corrumpit opinio.* Difficile enim est arridente fortuna sui non oblivisci, ac non intumescere, quia ut scitè cecinit Poëta

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est, æquâ commoda mente pati.

Hinc magni viri nullum ab armis, vel 129
laboribus otium suis permiserunt, quod perinde ac pestem, arcendum à Republica edixit Cato, quia plus ferrum rubigine, & otio, quàm exercitio conteritur, & prisci Romani etiam in summa pace suos voluerunt milites laboribus insudare, ac discrimine periclitari, ne vires eorundem flaccescerent, & virtus otio corrumperetur; cùm hostes deessent, armabant in socios, hostiles inter contubernales instituentes velitationes, quibus discerent, quid timere, quid fugere, quid prosequi, quid impetere, quid ferire in hoste deberent, & quando in umbratili pugna pedem referre, quando inferre, quando ictum declinare, telum vibrare, arma tollere, opportunum pugnæ locum præoccupare, adversarios fallere, vel circumvenire, fugam quandoque simolare ad adversariorum solvendos ordines; insidias modò struere; terrorem nunc concitare, turbas, turbis commiscere, & quidem spectantibus ducibus, & inhortantibus, ac præmia largientibus. Hisce exercitijs otium, quo militia gladios rubiginem contrahit, excusserunt, vicésque servârunt infractas. Hinc Scipio Nasica quibusdam asserentibus Romanam rem

jam

jam in tuto esse extinctis Carthaginensibus, & Græcia in servitutem redactis, reposuit: *Imò verò nunc demum summo in periculo sumus, quando nulli ampliùs supersunt, quos vel metuamus, vel vereamur.*

130 Sine adversario torpescunt otio milites, & viribus destituuntur ignaviâ, & voluptate emolliti sordescunt vitio, otium enim fons est, & origo omnium malorum, ut monet Sapiens Eccles. 33. inquiens: *Multam malitiam docuit otiositas*, est otium improbitatis schola, scelerum officina, malorum omnium fomentum, & vitiorum putidissima cloaca, adeo ut verè dixerit Josinianus: *Sicut aqua, quæ caret decursu, & jacet in foveis putrescit, & humano usui aliena efficitur, repleturque animalibus venenosis, & noxijs, ita & corpus otij tabe confectum, concupiscentiarum, & voluptatum carnalium parit, ac nutrit insaniam.* Sicut viria labore, & negotio disentiuntur, ita otio foventur, quapropter belli duces militum insolentiam laboribus frangere solent varijs expeditionibus, ac circuitionibus compescere; & ne sint otiosi etiam propugnacula moliuntur, quò laboribus assuescant.

131 *Dracones* perniciosa gramina in campo palustri pascentes. Lemma. *Sapiunt, ut alij desipiant.* Refert Ælianus *cap. 4. lib. 6. de animal.* Dracones, ut hominibus noceant mala gramina pasci. Apodosis, libri hæreticorum sunt hæc mala gramina, quos qui evolvunt in propriam, & aliorum pernicem armantur, quapropter extradendi potiùs sunt flammis, ne aliam videant lucem, quàm, quâ exitium patiantur.

EXCURSUS

Pravos qui libros vóluunt, aconitum pascuntur ad necem.

132 Fuit perpetua Ecclesiæ, & Christianorum Imperatorum consuetudo, qua omnes hæreticorum libri adversus veritatem Catholicæ fidei comburerentur, & Socrates *lib. 1. cap. 6.* refert rescriptum Constantini, quo Arij, & aliorum Arianorum scripta cremari jussit, etiam statutâ pœnâ capitis in occultatores. Imò etiam Principes Ethnici, hæc volumina voluerunt à Republica prorsus exulare, ne boni mores corrumperentur. Fuit enim Romæ rescriptum Diocletiani, & Maximiani adversus scripta Manichæorum. Verùm quia hæretici animadverterunt eorum lucubrationes alia non frui luce, quàm ignis exitialis, in id incubuêra studij, quò eorum scriptis nomen præfigerent alicujus viri, vel probatæ pietatis, vel sanctitate insignis. Idque factum à Ruffino Aquileiensi asserit D. Hieronymus, qui etiam graviter reprehendit Evagrium Ponticum Origanistam, qui ut suis scriptis fidem adstrueret, & suorum errorum fautores haberet sanctis viris ea tribuit, quinimò & vitam S Joannis Anachoretæ ijsdem præfixit. Sed id æmulari fuit tampla Ægyptiorum exornata quidem propylæis eleganter substructis, varióque incrustatis marmore, quæ tamen intus nonnisi Crocodilum, aut felem, vel hircum colendum exhibebant. Refert Sabellicus *lib. 5. cap. 4.* Sabinianum Hæresiarcham post mortem D. Hieronymi quandam lucubrationem execrandi dogmatis à se compositam nomine D. Hieronymi edidisse, quo suum errorem authoritate tanti viri fulciret. Idque Sylvanus Nazarensis Episcopus palam salutatis redarguit, & cum Sabinianus insisteret opusculum illud fuisse à D. Hieronymo compositum dissidium infurrexit adjectâ etiam pœnâ capitis mentienti. Sylvanus preces fudit, & illicò D. Hieronymus præstò fuit, qui assertum Sylvani comprobavit, cum enim esset jamjam sub gladio coram populi frequentia mortem subiturus, spiculatoris manum ad feriendum erectam tenuit, & hæreticum doli, ac fallaciæ coram omnibus accusavit: quinimò Sabiniani caput nemine percutiente ab humeris revulsum tertur in terram cecidisse: non enim patitur Deus innocentiam, & veritatem opprimi, licèt permittat subinde premi.

Mentiuntur plerumque hæretici nomina sanctorum, quæ præfigere sui lugubrationibus student, ut authoritatem suis concilient erroribus: abutuntur velleribus ovium, ut lupi rapacitatem contegant, ut monuit Vincentius Lirinensis inquiens: *Ut faciliùs incautis avibus obrepant manente luporum ferocia, deponunt lupinam speciem, & se se divinæ legis sententijs velut quibusdam velleribus abvolvunt, ut cùm quisque lanarum mollitiem præsenserit, nequaquam aculeos dentium pertimescat.* Moris ast apud Hæreticos verborum venustate, styli elegantiâ lectores allicere, quibus venenum erroris faciliùs propinent, satras litteras in sensus improbos contorquentes, & ad perversas persuasiones inflectentes. Abjiciendæ igitur sunt, vel flammis extradendæ hujusmodi hæreticorum lucubrationes, ne noceant. D. Hieronymus vocat hujusmodi volumina caudas titionum fumigantium, lucem veræ intelligentiæ obscurantes: & D. Gregorius, *Dæmonum organa.* utuntur enim Dœmones hisce libris ad incautos illaqueandos, ac perdendos. 133

Neque merentur alijs consociari hi libri, quis enim in medicam animorum officinam lethalia introducat toxica? quis mures divinas merces corrosuros? Mus fuit Marcion, qui referente Tertulliano lib 1. contra Marcionem cap. 1. Evangelia corrosit; ait ipse: *Nullus tam comessor mus ponticus, quàm Marcion, qui Evangelia carrosit.* Non solùm legendi non sunt, sed nec citandi, ac nominandi hæretici, ut perpetuo silentio consepulti jaceant; digni enim sunt, ut illâ excidant gloriâ, quàm in libris scribendis aucupari satagont. Quòd si ex communi Asiæ consilio olim fertur decretum fuisse, quò cautum erat, ne cuilibet liceret nomen illius, qui Templum Dianæ Ephesinæ incenderat, ullo modo proferre; æquum est, ut Christiani etiam nomina hæreticorum, qui templa, & Ecclesiam Dei iniquis errorum facibus incendunt, non proferantur, sed potiùs eorum nomina à libris Catholicorum prorsus expungantur, ut 134

in sempiterna jaceant oblivione. Et quamvis hæreticorum lucubrationes non videantur hæreses ex instituto docere, sed in alio potiùs versati argumento, non tamen suspicione carent, ac propterea, ut cecinit ille: *Timendique Danai etiam dona, & vera ferentes*: occultant enim sub esca eruditionis, & elegantiæ hamum erroris, quo minus cauti capiuntur. Omittendum non est, quod sanctus Ephrem pio dolo de Apollinario hæretico in ipsius libris supplicium sumpsit. Rem hanc narrat Nissenus in vita S Ephrem, inquiens: Apollinarium levem imò dementem, atque insanum nuncupabat, quia res novas moliens, multa impia, scripturæque sacræ adversantia duobus comprehensa libris è suo eructaos ventre admodum insulsè, & temerè proloqueretur: illos libros cuidam, quam in delicijs habuisse ferebatur, fœminæ ad servandos commisetat; qui cùm magno innotuissent Ephrem, ipsa se ejusdem opinionis esse confingens fœminam, quæ libros custodiebat, adit, & de se quis sit, quàm fausta ei afferat ex eremo patefacit, aliaque id genus adjiciens, rogat, ut præceptoris sibi scripta publicæ utilitatis causâ exhibeat, ut nobis scilicet, quos tunc hæreticos vocabat, repugnare commodiùs posset. Perluasa fœmina libros præbuit, eos tamen sibi quàmprimùm restitui rogans; cæterum magnus hie Jacob dementem supplantans Esau, ac flagitiosa illa primogenita rapiens prudenter oppressit, nam piscis glutino omnes illinens paginas, ita folium cum folio connexuit, ut una pars ab altera planè sejungi nequiret, & in unum quasi tabulam singuli libri apparerent redacti; sieque eos mulieri, à qua eos commodatò acceperat, reddidit, quæ quidem artificij hujusmodi cum esset ignara, & formam eorundem exteriorem salvam cerneret, quid intrinsecus esset, diligentiùs inspicere neglexit. Paucis post diebus cum orthodoxis quibusdam defertur sanctus senex, qui Apollinarium acciviffet, & cum eo sermones contulisset: in judicium itaque vocatus, impijs illis libris fretus ad statutum diem venit, ac dicere quidem pro se, quòd gravi jam senio premeretur, renuit, pollularitque ideo sibi proferri libros, ut ex illis respondere posset, atque contradicere: cùm ergo istius delatoris socij promentes in medium libros prodraxissent, inveteratus ille dierum malorum injustitiæ Judex unum ex ijs in manus sumens operire, atque explicare nitebator: sed quod glutino vinctus non cederet, ad partem ejus mediam aperiendam est aggressus; verùm eodem eventu, ac proinde ad alterum se contulit; iterumque elusus, tanto robore, atque pudore suffusus est, atque animo perturbatus, ut ex eo consessu abiens quasi mentis, atque consilij inops, & exanimatus in morbum prolapsus sit; illámque ludificationem, & derisiculum tam molestè tulit, ut valdè parum abfuerit, quin tum moreretur. Hactenus ille.

135 *Draco* inter vireta, & arbusta latitans, ut pertranseunti Elephanti caudâ insidietur Lemma. *Implicat si se explicat*. Proprium est Draconis Elephanti insidiari caudæ spiris; cruribus enim Elephantis illaqueatis, ac implicatis caudâ serpentis, hic ad terram Elephantum trudit, quem interimit. Ad hanc proprietatem allusit Poëta commendans clementiam Gregorij XIII. summi Pontificis, cujus in stemmate. Draco exhiberur amputata cauda

Te Draco gens timet. At pellas gens ista timorem,
Quo feris abscissum est, quo tueare tenes.

Apodosis. Draco avernalis divitiarum caudâ hominibus insidiatur, quos illaqueat, pedésque implicat, ne viam justitiæ, & salutis perambulent.

EXCURSUS.

Divitiæ insidiæ sunt tartarei Aucupis, in quas incidunt, qui illis abutuntur.

Cauda Draconis est veluti appendix, quæ superstuit, & Symbolum exhibet divitiarum, quæ non minùs eorum possessores illaqueant, ac cauda Draconis Elephantem. Sunt 136
divitiæ laqueus Diaboli teste Apostolo 1. ad Timot. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli*: quæ verba expendens D. Ambrosius in Psal. 118. orat. 14. *Advertis laqueum Diaboli esse divitias, quem tetendit etiam Salvatori, ac ne mediocrem hunc laqueum putes, hic laqueus Judam Apostolum strangulavit.* Draco caudæ spiris Elephantem illaqueat, quem interimit: & Diabolus divitiarum laqueo Judam perdidit, quem strangulavit. Incidit enim in hunc exitialem laqueum, cùm auri cupiditate possessus venalem in mercem proprium exposuit Magistrum, vendiditque triginta argenteis, quem nullum potest pretium adæquare; se ipsum perdidit, cùm pecunias fuit lucratus, maluitque se ipsum perdere, quàm denarios perire, quos tamen templo addixit, & se ipsum laqueo. Divitiarum cupiditas loqueus est, quo divites irretiuntur, fiúntque præda tartarei Draconis; ut enim loquitur D. Ambrosius de bono mortis cap. 5. *Laqueus in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clavus in amore. Dum aurum quærimus, strangulamur, dum argentum quærimus in visco ejus hæremus; dum prædium invadimus alligamur.*

Quòd si cauda Draconis suis spiris pedes 137
illigat Elephanti, impeditque, ne se moveat, quò eum interimat: avernalis draco, & cacodæmon laqueo divitiarum, non solùm pedes illigat, ne divitijs affluentes perambuleot viam salutis, sed etiam collum obstringunt, & divites suffocant, quia ut monet Beda in cap. 13. Matth. *Divitiæ strangulant guttur, mentem, nec bonum desiderium in cor entrare sinunt.* Ecce quàm valdè distat à salute divitijs affluens cùm salubria monita, utilia desideria ad ejus cordis non pertingant sinum, cum pij affectus ab ejus exulent mente, & abutens divitijs, vitijs implicetur; ligant enim divitiæ suos possessores, ne moveri possint ad opus bonum, & ad se defendendum contra impetus adversarij, perinde ac Elephas

phas illaqueatus draconis caudâ se ipsum nequit contra insidiatorem defendere, ut observavit S. Chrysostomus homil. 13. in Epist. 1. ad Corinth. inquiens *Quando divitijs fuerimus illigati, quomodo vincemus adversarios? sunt enim manuum vincula hæ, quæ uti nesciunt.* Non ita desipiamus, ut velimus illigari exitiali hoc laqueo, cùm simus libertate donati, non sinamus, hisce vinculis constringi, hisce retibus capi à tartareo dracone. Retia esse divitias, & patrimonia, quibus implicamur, edixit D. Paulinus Epist. 1. ad Severum. *Cælestem Patrem anteverteras terreno parenti; exemplo Apostolorum Patre in navicula fluctuante, scilicet in hujus vitæ incerto cum retibus rerum suarum, & implicatione patrimonij derelicto.* Prædia, & patrimonia esse veluti terrea vincula mentes ligantia possidentium, ne sursum mittantur, nec per pios affectus in cœlum ascendant edisserit S. Petrus Chrysologus serm. 28. *Matthæum Publicanum divitiæ sic cupiditatis publicabant Magistrum, fornace avaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sacculorum ponderibus sic premebant, ut levari ad innocentiam, ad justitiam surgere, ad virtutem progredi non valeret.*

138 Cauda draconis insidiantis, & illaqueantis sunt divitiæ: vincimur, & prosternimur, si sinamus ijsdem illaqueari: declinandi sunt hujusmodi laquei, disrumpenda hæc vincula, ut libertate donati semitas virtutum libero percurramus pede. Moris antiquitus fuit, quo mancipia terræ destinata culturæ devincirentur, ne fugerent, compedibus constricti: sed draco infernalis arctiori, ac longè firmiori vinculo nos obstrictos sibi detinet, cùm nimio divitiarum pondere premit. Hinc D. Augustinus serm. 25. de verbis Dom. ait: *Patrimonij tui, quo es ligatus, compedes in hac vita resolve, abjice à te divitiarum onera, abjice vincula voluntaria.* Avarus cùm sibi videtur plures coogestas possidere divitias ab ijsdem potiùs possidetur, quàm eas possideat. In more fuit olim ut Rei, nocentésque aureis devincirentur vinculis, ut eò essent locupletiores, quò sceleratiores, cujus moris meminit Tertullianus *lib. de habit. mulier. cap. 7.* inquiens: *Qui auro vinctos in ergastulis habent, & divitijs malos onerant, tantò locupletiores, quantò nocentiores.* Hac cauda, hoc vinculo divites tartareus Draco illigat, ne ab ejus elabantur manibus. Hunc laqueum disrumpat, qui in gehennam trahi pertimescit, hanc auream catenam frangat, qui eâ vincitur; teneri se eâ non sinat, ut liber ad cœlestem festinet patriam.

139 *Dracones* barbati altiùs cervicem attollentes, & reliquis brutis timorem incutientes, quæque in suum trahunt obsequium Lemma. *Regis authoritas, Regni fulcrum.* Refert Philostratus in vita Apoll. *lib. 3. cap. 2.* Draconibus, qui sunt ignei coloris, & in dorso squamas eminentes tanquam serras habent, barbam adnasci, quâ authoritatem sibi conciliant, suntque cæteris brutis timori. Apodosis. Authoritas Principis est fundamentum, quo Respublica nititur.

EXCURSUS.

Authoritas Principis potior plerumque armis.

Plerumque plus valet in Principe authoritas, 140
quàm potentia, idque causæ, cur Cicero in Catone dixerit Authoritatem apicem esse senectutis: & potiori jure dicitur esse apex Magistratûs, qui habet nil sublimius, nilque magnificentius authoritate, quam pulchrè describit Ovidius 5. fast.

Pulcher honor, placidóque decens reverentia vultu,
Corpora cum justis imposuere thoris
Hinc sata Majestas quæ mundum temperat omnem:
Quaque die partis est edita, magna fuit.
Nec mora. consedit medio sublimis olympo,
Aurea purpureo conspicienda sinu.
Consedêre simul pudor, & metus: omne videres
Numen ad hanc vultus composuisse suos.
Protinus intravit mentes suspectus honorum.
Fit pretium dignis, nec sibi quisque placet.

Authoritatem in Principe esse quid divi- 141
num videtur Deus ipse innuisse, cùm in Psalm. Principes authoritate pollentes vocat *Deos, & filios Dei*: hinc Cicero ait: *Authoritas rerum gerendarum telum est maximum, quam qui habet, is facilè magnam assequitur laudem*: quinimo infirma est potestas, nisi authoritate fulciatur. Unde in id incumbat Princeps studij, ut propriam dignitatem authoritate muniat, & majestate fulciat, nisi enim dignitatem, & authoritatem sartam tectam æqualiter conservet, vix sola potestate in rebus gerendis valebit. Verùm dum authoritatem tuetur, & majestatem, fastum deponat, qui in animos prægrandes non cadit. Authoritas ut & veneratio in Imperio est necessaria, qui enim ab alijs flocci fit, & habetur contemptui, non imperat; precaria enim sunt illa Imperia, quæ contemptum patiuntur, debet Princeps eos imitari parentes morum gravitate commendatos, quorum veneratio in filijs unà cum ætate adolescit, & crescit: sed sicut parentes non turgent fastu in proprios filios, ita nec Princeps in subditos: est enim fastus, quo populi avertuntur, non conciliantur. Subditi non fastu, sed benevolentiâ ad amorem trahuntur, quia sicut fastus odij est parens, benevolentia amorem conciliat; nulla est tam barbara gens, quæ superbo gaudeat Principe. Quid ni? Deus orbi imperat universo, & tamen ab omni est prorsus fastu alienus! quòd si quæras, quænam sint Dei imperia, ipsum audi Matth. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Vult Deus, Principem majestatem tueri, sed simul fastum deponere, & mansuetudinem induere: dejicit enim è Throno superbientes, & mites promovet Eccles. 10. *Sedes Ducum superborum destruxit Deus; & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu.*

Qu...

142 Quotquot superbia inflavit in dignitatis fastigio, hos divina Nemesis depressit. Sedit fastu tumidus in Imperij supremo Throno Domitianus, de quo refert Suetonius, quod cum Procuratorum suorum nomine dictaret Epistolam, eam sic inchoavit: *Dominus, & Deus noster fieri jubet*. sed præsto fuit Nemesis, quæ ejus fastum depressit, eúmque amicorum, ac libertorum conspiratione, simul & uxoris oppressit: fastu intumuit Caligula Templum siquidem sibimet dicavit proprium, & Sacerdotes, ac hostias instituit, sedísque medius inter Numina, & adorandum se adeuntibus exhibuit: sed inanem hujus tumoris ventum triginta, quæ fuerunt eidem inflicta vulnera excusserunt. Superbijt intolerabili fastu Alexander Macedo, cùm Jovis Hammonis se filium dixit, & Philippum patrem fastidivit: eum tœduit morum, ac cultûs Macedonici, & vestem, ac instituta assumpsit Persica, nec ei fuit pudori, spurium, hominúmque se facere, quo fastum foveret; sed & ipse divinam Nemesim à tergo habuit, quæ in flore juventutis è vivis eum abrasit.

143 Superbivit Hannibal ob felicem Cannensis pugnæ successum, & eò fuit elatus, ut nec quemquam civium suorum admiserit in castris, nec responsum ulli dederit nisi per interpretem: sed post exhibitum posteris documentum, felicitatem, & moderationem non posse in eodem consociari contubernio, infelicem sibi accersivit finem.

144 Intumuit Herodes, de quo dicitur Actor. 12. *Vestitus veste Regia concionabatur. Populus autem acclamabat: Dei voces, non hominis:* sed illicò sensit & ipse divinæ Nemesis flagellum: percussit enim eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expiravit.

145 Arroganti fastu supercilium erexit Antiochus, qui 2. *Machab. cap. 9.* sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, & montium altitud nes in statera appendere. Auditis enim prosperis Judæ Machabæi successibus relictis Ecbatanis Medorum urbe, cui imminebat, in Syriam & inde in Judæam cum suis copijs festinavit, juravitque se Jerosolymam redacturum in sepulchrorum congeriem, sed cùm veheretur curru majori celeritate, nec copiæ at peditatus properantis possent impetum sequi, unus ex Elephantis iracundior cæteris ferocire cœpit, & cum tanto horrore stridore, ut ad insaniam terreretur Antiochus, & Regij equi currum trahentes externecentur, ac calcitrarent impatientes, & Antiochum continua succussione tandem è sede excuterent, qui ob corporis obesi molem ex lapsu, & allisu graviter læsus, artubúsque omnibus contusus exanimi similis humi jaceret, cúmque satellites eum erigerent, & sellâ Babylonem versus deportarent, gestationis illius, ac motus impatiens dirioribus viscerum tormentis cœpit excruciari accedentibus animi angoribus, qui spiritum acriùs torquerent. Cùm mortem cognosceret imminere, anteactæ vitæ scelera memoriam refricârunt, nimirum tot Judæorum millia absque ulla probabili causa Tyrannico ferro cæsa, Judææ ditiones longè latéque diffusæ devastatæ, urbes expilatæ, & civium domus eversæ; Jerosolyma flammis absumpta; Arx Sionis per injuriam dominis suis erepta; templum Deo sacrum, urbis, & orbis sanctuarium omni contaminationis genere violatum, polluta victimarum ara, direpti auri, argentíque, & gemmarum thesauri, divina monumenta scripturarum per contemptum suilli cruore conspurcata, ac sacrilegis ignibus abolita: lychnus in templo jugiter splendens extinctus, & super hæc omnia eum torquebat recordatio contemptûs, quo Judæorum Deum flocci fecit, eique & suo populo injurias intulit, sed pergebat eum torquere divina Nemesis, siquidem Antiochi animum assiduus, ac profundissimus mœror opprimebat, ut perpetua terriculamenta fere ad amentiam adigerent. Corporis dolores, & cruciatûs incrementa lubibant, diffluebant intestina, & viscera, è quibus enati vermes ebullire visi sunt in corpore; ut & intra cutem sordes pediculares exortæ stomachum movebant adstantibus, fœtor enim amicos, satellites, & exercitum totum fugabat, adeò ut vel ipse Antiochus se ipsum aversaretur, ac fugeret, donec per putrescentes corporis hiatus fœdam evomeret animam. Similem exitum habuit fastus, quo alij Principes superbierunt, etenim Nabuchodonosor post statuam auream sibi erectam audivit à Daniele cap. 4. *Ejicient te ab hominibus, & cum bestijs, ferisque erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedet, & rore cæli infunderis, donec scias, quòd dominetur excelsus super Regnum hominum.*

146 Superbivit Balthassar, sed audivit & ipse à Daniele 5. de Patre: *Quando elevatum est cor ejus, & Spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio Regni sui, & gloria ejus ablata est*, & posteà de se ipso hæc alia audivit: *Tu quoque filius ejus non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia, sed adversus dominatorem cæli elevatus es Idcirco numeravit Deus Regnum tuum, & confregit illud, appensus es in statera, & inventus es minus habens; divisum est Regnum tuum, & datum est Medis, & Persis, & eadem nocte interfectus est Balthassar Rex Chaldæus.* Hisce supplicijs plenæ sunt gentium omnium vernaculæ Historiæ: & præsertim sacræ scripturæ plurima exhibentes exempla superbiæ punitæ in Principibus præsertim in protoparentibus *Genes. 3. v. 16.* In Babylonicæ turris ædificatoribus, *Genes. 11.* in Core, Dathane, & Abyrone *Genes. 16. v. 31.* In Adonia. *1. Reg. cap. 1.* In Amasia. *2. Paral. 25.* Sennacheribo *2. Reg. 19.* In Ozia contra vocationem superbè Sacerdotis officium sibi usurpante, & fungente. Holoferne Judæam, & Betulliam opprimente. *Judith. 13.* Balthassare Chaldæorum Rege, Nabuchodonosore. Nicanore, Maximiano, Juliano, quorum si Principes expavescunt exitum, debent, & vestigia timere. Authoritatem in Throno tueantur, sed simul fastum deponant: fulcrum Regni est Regis authoritas, sed dummodo fastu non intumescat, nec superbiâ inflectur. Est authoritas gravitas, & eminentia quædam parta vitæ pro-

probitate, morum candore, potentiæ viribus, meritorum acervatione, ac virtutum ornatu, cujus propterea gratiâ viris hac authoritate fultis nostra promptiùs obsequia exhibemus, plurimúmque eorum dictis, & factis deferimus. Hinc Pericles cum in comitijs accusaretur, eò quia ad votum Reipublicæ res non gesserit, graviter, & ea quâ folciebator authoritate, reposuit: *Mihi vos irascimini, ei scilicet viro, qui nemini vestrum cedo, vel rerum peritiâ, vel intellectorum elocutione, vel patriæ amore, vel pecuniarum despicientia.* Quia Pericles non superbiâ tomidus, sed authoritate fultus hæc dixit, non arrogantiæ, & ambitioni fuerunt verba data, sed Pericli omnia condonata, ut refert Plutarchus *lib. qua ratione quis citra invidiam se ipsum laudare possit.* Pericles non solùm arrogantiæ, & ambitionis notam declinavit, quamvis de se magnificè videretur locutus; verùm etiam altitudinem animi, ac virtutis declaravit magnitudinem. Lycurgus Atheniensis publicè exprobratus, eò quia enumeratâ pecuniâ, & exhibitis muneribus calumniatorem sibi iufensum placâsset, respondit, authoritate qua pollebat: *Qualis tandem videor vobis civis, qui apud vos tanto tempore rem gerens publicam, dare potiùs, quàm accipere injustè deprehensus sim?*

147 Scio Pelopidam à Principibus Reipublicæ accusatum, eò quia dilapso Bæodarchiæ tempore non statim quavis disrupta mora domum redijsset, sed bellum quamvis feliciter continuâsset, submittentem se, & deprecantem, nonnisi ægrè à Thebanis absolutum fuisse. E converso Scio, Epaminondam ejus Collegam plura de rebus suis gestis magnificè edixisse: authoritate enim, quâ valuit, dixit referente Plutarcho; *paratus sum quodvis mortis genus subire, si fateri velitis ò cives, me vobis invitis Laconiam vastâsse, Messenem instaurâsse, & Arcades in unum corpus conduxisse*: quid ni? hisce auditis non fuerunt ausi Senatores in suffragia ire, sed libertatem, & authoritatem admirati Epaminondæ discesserunt. Romani itidem licèt ægrè tulerint Scipionem Africanum, quamvis victricibus palmis onustus in patriam fuerit reversus, Ciceronem tamen laudârunt, quamvis frequenter res suas contra Catilinam gestas deprædicaret: tanta est in viro probo authoritas, ut paucis verbis potis sit animos exasperatos delinire, & commotos sedare. De M. Scauro refert Erasmus *lib. 6. Apof. Exp. cap. 72.* de viris Illust. fuisse pro rostris accusatum, quòd à Rege Mitridate ad prodendam Rempublicam pecuniam accepisset; & Scaurum magna authoritate suam egisse causam, ac dixisse: Iniquum est Quirites, cùm inter alios me rationem vitæ reddere petitis: sed tamen ausim vos interrogare: Varius Sucronensis ait: M. Æmilium Scaurum mercede corruptum populum prodidisse: & Æmilium Scaurum hanc culpam perpetrâsse, vos creditis? nominato tantùm authore, & Reo populus rejecit accusationem, & Scaurum absolvit ob authoritatem, qua apud cæteros plurimum valebat. Commendatur etiam authoritas in Severo Imperatore, nam cùm milites Bassianum Severi filium (qui postea Antoninus Caracala audijt) Augustum consalutâssent, eò quia pater podagrâ laborans bellum moraretur: jussit se in Senatum deferri, simúlque adesse omnes tribunos, Centuriones, Duces, & Cohortes, quibus authoribus hoc acciderat, & inde filium, qui Augusti nomen non recusârat. Cúmque in omnes ejus facti authores jussisset animadverti excepto filio, omnes ante tribunal prostrati rogârunt veniam, & Severus tunc magna gravitate, & authoritate caput suum manu tangens dixit: *tandem sentitis caput in Severo imperare, non pedes.*

Dracones coccineis pallijs auro intextis insidentes, & somno sopiti a venatoribus interimuntur. Lemma. *Illiciunt, sed inficiunt.* Referunt Solinus *de Dracontiade*, & Isidorus *lib. 16. cap. 13.* cum Philostrato *lib. 3. in Apoll. vit. cap. 11.* esse apud Indos Dracones quosdam, quorum capitibus lapilli insunt pretiosi, aspectu jucundi, quibus Venatores insidiatores vestem purpuream aureis litteris, sed magicis intertextam ante cubilia extendunt, suisque carminibus dracones ita alliciunt, ut suis è latebris egredientes, coccineo pallio insideant, delectati eo ornatu, & characteribus, ibique somno sopiantur: sed mox venatores securim capiti injiciunt, dormientes interimunt dracones, & pretioso lapillo, cui inhiant, potiuntur. Apodosis. Dracones isti, seu potiùs serpentes Catholicos exhibent, quibus Christus prudentiam serpentum injunxit: Venatores Hæreticos esse dixerim: vestes purpureas aureis intextas characteribus eorum elegantes libros, incantationibus, seu erroribus scatentes: somnus Draconum deceptionem indicat Catholicorum; direptio lapilli fidei, vel gratiæ spoliationem, ut & securis impacta mortem æternam. 148

EXCURSUS.

Hæreticorum libri elegantiarum floribus, & viretis serpentem fovent erroris.

QUamvis in Acatholicorum lucubrationibus plura exhibeantur elegantia, quæ lectores alliciunt, sunt tamen veluti hami dulcedine escæ obtecti, quos si capias, caperis; si deglutias, te ipsum interimis. Videntur hujusmodi ornatus gemmæ extima in cute splendentes, cùm intus nonnisi tela ad vulnera infligenda contineant. Videntur floribus strati, cùm tamen fœtidissimæ sint cloacæ, adeò ut lectores in sterquilinio volutentur, cùm se putant rosas legere: quippe immundum suem pro Pontico mure ijsdem obtrudunt. Placeant hujusmodi elegantiæ Floræ Trossulis, Cupidinis Nepotulis, non verò viris cordatis, qui fastidiont gemmas in cloaca quærere, & dapibus vesci in disco fæcibus circumlito: laudabilior est munda simplicitas, quàm hæc larvata elegantia, quam satiùs nescimus, ut ait Augustin. in Enchir. cap. 17. *sunt quædam, quæ nescire* 149

quàm scire sit melius. Si quid enim hujusmodi lucubrationes habent venustatis, Veneris sunt illecia; si elegantias exhibent, Adonidis sunt flores: si lucentes gemmas ostendunt, tela sunt, quæ interficiunt: nullum ibi acumen nisi à Cupidine: nulla potûs suavitas, nisi in poculo Ganymedis. Non manibus terantur hujusmodi libri, sed pedibus conculcentur, vel flammis tradantur, decet virum Christianum pia, & sacra volumina volvere, quæ ad culturam virtutum alliciant, ad studia pietatis invitent, ad Deo adhærendum stimulent, sirenes voluptatum conciliatriculas respuant.

149 Memoriam subit, quòd in Argonautis de Orpheo legitur: noluisse divinum vatem ad arborem alligari, neque cera aures obducere, cùm Leucosiam Insulam prætervveheretur, ubi cantu insidiabantur sirenas, sed accepta lyra Deo laudes cecinisse: quo cantu utpote divino monstra omnia impura, ita in desperationem egit, ut musica instrumenta, quibus, quàmplurimos illac transeuntes perdiderant in mare projecerint. Et à Theodoreto laudibus excipitur Ephrem Syrus, qui ad inhibendam scelerum eluvionem animum adjecit ad Odas sacras de rebus divinis scribendas, quia otscitè monet Arrianus *In cœno, & sordibus pulchritudo non inest, nec in cœno se equus volutat, aut generosus canis, sed sus tantùm, & putidi anseres, vermicali itidem, & araneus.* Hinc puduit, ac pœnituit Æneam Sylvium in florente ætate plura scripsisse metro, seu ligata oratione, quæ ætate provectiori displicuerunt; & ad summum in Ecclesia Pontificatum assumptus suæ pœnitudinis ostensurus notam dicere consueverat, *Seni magis, quàm juveni credite, Pontificem pluris, quàm hominem privatum facite: Æneam rejicite; Pium suscipite:* hoc est, quæ ut Æneas scripserat, oblitterata cupijt, & quæ ut Pius, & Pontifex monebat, altiùs menti impressa voluit: pœnituit hunc Pontificem carmina scripsisse, non quia quidquam redolerent obscœni, aut probis moribus dissonum; sed quia argumenta prætulerunt, quæ ad studia virtutum, & culturam pietatis parum haberent momenti. Quòd si carmina ex instituto aliquid exhibeant obscæni, non alia promerentur luce frui, quàm illâ flammarum, ne scilicet concupiscentiam accendant, & Veneri fomenta addant; satiùs ut flammis extinguantur, quàm ad Veneram accendant: huc accersendus D. Bernardinus Senensis *Tom. 1. serm. 3. fer. 2. Domin. quinqua. art. 3. cap. 1.* inquiens: *Librum de arte amandi ab Ovidio conscriptum quis apud Christicolas non dicat esse prohibitum, cum etiam apud Carnales infideles execrabilis putaretur:* alludit ad pœnam Ovidio irrogatam ab Imperatore, tanquam impudicitiæ Magistro, ac incentori libidinis, & quam luere debuit extorris à patria; siquidem ab Augusto Cæsare jussus fuit exulare in Geticis frigoribus apud Scitas, ubi nives ferè jugiter rigent, quò venereos ardores temperarat, quibus ad insaniam torrebatur. Submovenda propterea sunt hujusmodi obscœna carmina à nostris Musæis, ne pudicarum Alvearia Musarum hoc veneno inficiantur: sunt enim hujusmodi libri instar Calicis à Babylonica meretrice propinati, quia exhibent, *Venenum turpilogij,* ut ait Origenes *homil. 2. in Jerem. in aureo calice cultæ elocutionis.* Hisce nostris Musæis potiùs inscribatur illud Juvenalis *Satyr. 14.*

Nil dictu fœdum, visúque hæc limina tangat.

Non solùm quæ obscœna leguntur, sed 150 & quæ proferuntur verba turpitudinem redolentia Musarum pudicitiæ obsunt, petulans enim sermo non solùm corruptæ mentis affectus est, sed simul causa prostitutæ pudicitiæ in præstantibus aures. Quòd si quotquot perfrictæ sunt frontis, orisque impudici mare æmularentur, ita putida, & obscœna foras ejicerent, ut à se prorsus abjicerent: mare enim dum Euris, Nothisque excitatum efferveścit algam, & fluctuantia cadavera, ita in littus ejicit, ut sic se expurget, ac exoneret: sed qui conceptum animo libidinum virus ex sordescante ore verbis obscœnis evomunt, ita suas ajectant sordes, saniémque internæ fœditatis evomunt, ut turpiùs ipsi se coinquinent, ac turpem Fescenniorum consuetudinem altiùs animo ebibant, ac intimioribus infigant medullis. Ut notat Clemens Alexandrinus *lib. 2. Pædag. cap. 5. Fructus mentis est sermo linguæ;* ea quis loquitur, quæ intus meditatur. Nefas est Christianorum aures, & linguas hujusmodi inquinari spurcitijs, & præsertim eam in Christianis linguam, quæ frequenter inter divinas epulas Christi humanitatem suscipit, ejúsque sanguinem sugit. Poëticas obscœnitates D. Hieronymus *Epist. 147.* ad Damasum vocat *porcorum siliquas,* quas filius prodigus in cœno volutatus libidinum appetebat. *Et de 40. mansionibus mansion. 13.* ait: *Pessumus & aliter siliquas interpretari. Dæmonum cibus sunt carmina Poëtarum, quæ fucata suavitate delectant; & dum aures versibus dulci modulamine currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna devinciunt.*

Quodque de carminum virulentia, & ob- 151 scœnitate ait D. Hieronymus, id de omnibus libris turpibus intelligitur, sive soluta, sive ligata oratione conscripti sint. Proderit claudere hoc stroma verbis Paulini monentis Jovium fratrem. *Vacat tibi ut Philosophus sis; non vacat tibi, ut Christianus sis; verte potius sententiam, verte facundiam, ut sis Dei Philosophus, & Dei Vates; esto Peripateticus Deo, Pitagoreus mundo, veræ in Christo Sapientiæ Prædicator & tandem mundi tacitus vanitati. Perniciosam istam inaniam dulcedinem litterarum, quasi illos patriæ oblitteratores de baccarum suavitate lothophagos, ut sirenarum carmina blandimentorum docentium cantus evita: habent in specie lenocinium, in gusta venenum, quorum usus criminae, pretium in morte numeratur.*

Dryinus seu querculus serpens inter virata 152 peramœna, ac radices quercuum stabulans, suóque veneno inficiens, quos mordet. Lemma. *Vires adimit damnosa voluptas,* desumptum ex *Ovidio Pont. 11.* Wotonus *lib. 6. de diff. animal. cap. 20.* ait, longitudinem hujus serpentis ad duos protrahi cubitos, ac esse corpore obeso

munito

munito ſquamis aſperis, in quibus quædam nidulantur muſcæ ob tetrum fortaſſis ſerpentia odorem, quo foventur, & à quibus ſerpens interficitur: hunc ſerpentem gravem efflare odorem teſtatur Virgilius lib. 3. Georg. ubi vocat hunc ſerpentem Chelydrum.

Diſce & odoratam ſtabulis accendere Cedrum,
Galbaneoque agitare graves nidore Chelydros.

Natura autem hujus ſerpentis eſt, ut ſi pedibus comprimatur, pedes comprimentis pelle ſpolientur, & crura ipſa non mediocri tumore corripiantur; quinimò etiam manus Chyrurgi curantis eandem dicuntur pravam incurrere affectionem. Apodosis. Mundi voluptas inter deliciarum vireta minus cautos allicit, quos tamen ſi afficiat, inficit; ſi oſculetur, mordet; & ſuo veneno non mores tantùm corrumpit, ſed & animam ſpoliat divina gratia: ſi enim pedes prementis Druinum pelle nudantur, anima haurientis mundi voluptates Dei gratiâ ſpoliatur. Quòd ſi Druinus gratum, ac injucundum ſpirat odorem, etiam blanda voluptas peccati fœtorem exhalat.

EXCURSUS.

Mundus fucatis ſuis voluptatibus allicit, quos decipit; fovet quos enecat.

153 NOn ſolùm terrenarum voluptatum dulcedo amara eſt, ſed & venenoſa; mordent illecebræ dum blandiuntur; vulnerant, dum oſculantur; adeo ut nulla ſit verior miſeria, quàm falſa lætitia mundanæ voluptatis, cui ſi larva detrahatur, quod exteriùs fucatam videbatur lætitiam præſeferre, intus luctus eſt, & fletus. Nucleus enim terrenarum voluptatum licèt in extima cute videatur eblandiri, intus tamen ejus medulla amarities eſt; & quæ videbatur dulcedo ſapere, deſinit ſtatim in amaritudinem, ut probè notavit S. Baſilius homil. In illud *attende tibi ipſi*, ubi ait: *Si attenderis tibi ipſi, & memor fueris quòd præſens hæc jucunditas tibi ad amarum finem deveniet, ſtatim fugatæ voluptates abibunt.* Vera igitur non eſt mundi voluptas, quæ quos afficit torquet; eos, quibus eblanditur, mordet; & quos oſculatur iiſdem vulnera infligit; non vera, ſed Sardonica eſt, quia mortis illatrix, idque expertus fuit Salomon, qui poſtquam ſuperbiſſima illa opera templi, ac Palatij ad miraculum usque excitâſſet, ac in ſumma rerum affluentia, ac divitiarum copia viveret, tandem delicijs delinitus, & otiò enervatus, eò turpitudinis prolapſus eſt, ut 3. *Reg.* 11. Non contentus ſeptingentis primarijs, ac trecentis ſecundarijs uxoribus, innumeras prætetea adoleſcentulas (quas D. Hieronymus Epiſt. 132. ad Vital. *pellices* vocat, & *ſcorta*) ſuæ explendæ libidini ſubrogavit, à mulieribus enim in transverſum actus in omni vitiorum cœno volutatus eſt, à ſummo Bono averſus, à quo innumeris propemodum beneficijs fuerat cumulatus; uxorum enim Idolis oblationes, & ſacrificia inſtituit, & per mundanam voluptatem ad omnem pertexit iniquitatem, Dei gratiâ ſpoliatus, & virtutum ornamentis deſtitutus. Hinc Eccleſiaſtes *cap.* 2. *v.* 2. ait: loquens de mundi voluptate: *Riſum reputavi errorem: & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis.* Tunc Salomon in imum fuit detruſus miſeriarum, cùm faſtigium ſibi videbatur in mundi delicijs humanæ felicitatis attigiſſe.

Terrenæ voluptates ſenſum quidem in extima cute afficiunt, ac titillant, ſed intimè 154
penetrantes venenum ſpargunt, viſcera inficiunt, & animam divinâ gratiâ, quæ vera eſt vita, qua Deo vivimus, ſpoliant; quinimò non ipſæ mundi voluptates intimè penetrant, ſed eorum virus cor ſubit, ut animam interficiat: non enim veræ ſunt hæ voluptates, quæ ſolam ſenſuum ſuperficiem radunt, & intus dilacerant, ac pungunt, terrenarum enim deliciarum mollities nonniſi ſpinis ſcatet; & dum ventrem mulcent, mentem pungunt, ſpinas enim ſecum trahunt, & vepres. Quòd ſi mundi delicias campum eſſe dixeris virentis ridentem, fetacem credas ſpinarum: habent vepreta virentia folia, quibus alliciunt, ſed & ſuis etiam armantur ſpinis, quibus vulnera infligunt, & ſanguinem eliciunt; etiam roſis commiſcentur ſpinæ, quas qui timet, non ſinit ſe decipi à floribus. Quòd ſi mundi deliciæ, & voluptates perinde ac roſæ videntur florere; nemo ita deſipiat, ut ab hac roſarum venuſtate ſinat ſe decipi, has decerpturus roſas, ſpinas timeat. Inſipientium eſt vox illa apud ſapientem cap. 2. v. 8. *Coronemus nos roſis antequam marceſcant.* Roſarum tantùm meminerunt, & nullam de ſpinis mentionem fecerunt, quia putârunt poſſe ſibi coronas ex roſis intexere, & earundem aculeos non experiri, quos tamen eleganter premit D. Auguſtinus in Pſalm. 52. inquiens: *Lenia videbantur jam dudum loqui. Coronemus nos roſis antequam marceſcant; quid delicatius, quid lenius? ſperares de hac lenitate cruces, gladios? noli mirari, lenes ſunt, & radices ſpinarum. Si quis eas contrectet, non pungitur, ſed quo pungeris, inde naſcitur.*

Mundi deliciæ radices ſunt, è quibus ve- 155
preta naſcuntur, tametſi mollitie videantur eblandiri, mox tamen enatæ ſpinæ intus pungunt, vulnera infligunt, & ſanguinem eliciunt. Has ſpinas, ac vepres in carnis concupiſcentijs, ac voluptatibus germinare ediſſerit D. Gregorius in 1. Pſalm. Pœnit. ubi in carnalibus ac impuris cogitationibus, quæ blandè videntur demulcere vepres latere vidit, inquiens: *Impediunt animam vepres carnalium cogitationum, detinent illam ſæcularium illecebræ voluptatum.* Vepres ſi veſtibus implicentur pertranſeuntium motum, & progreſſum impediunt; & mundi voluptates animam detinent, ne per exercitia virtutum ſemitas percurrat ſalutis. Non ſolùm pungunt, vulnerant, & cruentant, ſed etiam venenato morſu perinde ac Druinus ſi non extimam pellem, internam animæ gratiam ſurripiunt, ac mortem inferunt,

 adeo

adeo ut nulla sit vipera, nullus scorpio adeo noxius, quàm noxiæ sint mundi deliciæ, huc accersendus ad hanc veritatem adstruendam D. Chrysostomus *Orat. 6. de providentia Dei* inquiens: *Bestia quædam difficilis & intractabilis deliciæ sunt: neque scorpius, aut vipera in visceribus nostris inhærescens ita perpetuò nos vexat, ut hæc deliciarum cupiditas omnia evertit, atque consumit. Bestiæ enim illæ corpori tantùm insidiantur, hæc sicubi se collocaverit, corpus unà cum anima etiam vastat.*

156 Hisce igitur qui mundi delicijs adhærescit Druinum serpentem suo fovet in sinu, qui dum eblanditur venenum spargit; dum osculatur, mordet; & vulnus infligit: hunc serpentem voluptatem præsignare edixit *Philo lib. de mundi artificio*, eò quia venenum gestet in dentibus, quo solet morsus infigere, ac interficere, & hisce morsibus obnoxij sunt quotquot mundi deliniuntur voluptatibus, vulnerat siquidem voluptas, dum blandiri videtur, & perimit, dum mulcet; mordet, dum osculatur, ut etiam monuit Seneca lib. de vita beata c. 14. inquiens: *Ut feras cum labore periculóque venamur, & captarum quoque illarum sæpe sollicita possessio est; sæpe enim laniant Dominos; ita habentes magnas voluptates in magnum malum evasère, captæque cepere.* Omnis igitur ea voluptas, quæ ex Deo non est, vera non est, sed putidum voluptatis excrementum, quod tamen ita placet mundi voluptuarijs, ut illud veris Dei delicijs præferant; an non fatui, ac deliri, cùm veræ beatitati excrementum præferant mundanæ voluptatis? cujus gaudia spuria sunt non legitima; volatica non diuturna? siquidem in transitu est mundi voluptas, nec diu stare potest, per quam plures cadunt: neque terrena esset, nisi illicò avolaret, ac bullæ disparenti similis esset, quæ dum tangitur, evanescit, ut monuit Seneca ad Poly. *Citò nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit, & transit, & penè antequam veniat aufertur:* quæ mundus arridens exhibet suis delicijs, hodie videntur quidem esse, sed illicò elabuntur; perinde ac flos campi, qui si hodie lascivire videtur inter vireta, cras exarescit in fœno: quid mundi voluptas nisi flamma splendens, quæ statim extinguitur: neque verus est splendor, cum mentem caligine infuscet, & verum ei lumen surripiat.

157 Quòd si Sol nubium agglomeratione obscuratur; nocentius voluptatum accessione mens infuscatur; ex lacunis, & lacubus sursum vapores ascendunt, qui in nubes addensantur, quibus lucida nobis solis facies eximitur: perinde ex mundi voluptatibus, & carnalibus concupiscentijs cogitationes pravæ insurgunt veluti vapores ex lacunis, & lacubus, mentísque infuscant lumen, & rationis operiunt solem, ut pulchrè innuit Clemens Alexandrinus lib. 2. strom. inquiens: *Quemadmodum exhalationes, quæ è terra, & ex lacunis, ac voraginibus oriuntur constantur in caliginem, & umbrosam vertiginem; ita etiam carnalium voluptatum vapores, malam animæ ingerunt habitudinem, voluptatis speciem animæ repræsentantes, & ante eam effundentes; intelligendi itaque luci tenebras offundunt, attrahente anima vapores, qui oriuntur ex cupiditate, & perpetuitate voluptatum condensante viventium vertigine.* Si nubes igitur nobis surripiunt solis faciem; mundi voluptates, & deliciæ mentis etiam infuscant lucem, & tetra veluti caligine animam operiunt. Dixit Salomon Eccles. 2. v. 1. *Vadam, & affluam delicijs.* Hebræi expendentes verbum illud *affluam* quoddam in ipso tegmen, ac velamen deprehendunt, etenim R. David de Pomis legit: *Cooperiam me delicijs:* hoc est mundi voluptuarij delicijs operiuntur, quia mentis lucem contegunt voluptates, & ratio operitur, ne rectè videat. Quòd terrenæ voluptates mentis oculos obtegant, & divini solis nobis conspectum eripiant, indicavit David, cùm dixit Psalm. 5. v. 5. *Mane adstabo tibi, & videbo*, qualis est nexus iste adstandi, & videndi? qui adstat, videt, sed qui jacet non videt: ille autem jacere dicitur, qui humi prostratus in terrenis voluptatibus veram se invenire posse beatitudinem sperat: cæcutit sanè, & non videt, quia nulla in terrenis voluptatibus, ac delicijs vera felicitas, nulla beatitudo, sed tantùm lethalis inquietitudo, nulla dulcedo, sed perpetua amaritudo, pulchrè D. Augustinus expendens præfata verba Psalm. 5. ait: *Adstabo quid est nisi non jacebo? quid est autem aliud jacere, nisi in terra quiescere? quòd est in terrenis voluptatibus beatitudinem quærere? adstabo inquit, & videbo. Non est ergo inhærendum terrenis, si volumus Deum videre, qui mundo corde conspicitur.* Non est autem cor illius mundum, qui immundis adhærescit voluptatibus, quibus veluti in cœno volutatur, & coinquinatur. Est igitur mundi voluptas, sicut Druinus serpens inter vireta deliciarum minùs cantos pellicit, quos dum osculatur, mordet; & dum mordet, lethale vulnus infligit; & suum inde venenum effundit, quò miserè interimit, quos eodem inficit.

EXPENSIO IV.

Formicarum, Locustarum, & aliorum insectorum, natura, & proprietates symbolicè repræsentata, & Ethicè explicata.

Formicæ è suis exilientes cavernulis, & huc, illùcque discurrentes sedulæ, omnes angulos, herbas, folia, festucas sulcos sursum deorsum lustrant quærentes grana subterraneis suis in cavernulis coacervanda, lemma. *Non virtus in magno, sed in virtute magnum.* Apponens, Humilitas, licèt formicarum instar, obscura esse videatur, abjecta, & in imis jacere, studio tamen, ac exercitio perfectionis plurimum valet, ac uberem meritorum segetem non in terræ cavernulis, sed cœlestibus sibi coacervat in horreis. 2.

EX-

EXCURSUS.

Humilitas quò obscurior, eò clarescit illustrior.

2. Quid formicâ exilius? cum nostrum si modicè distet, aspectum fugiat; & tamen licèt insectum sit abjectum; ea tamen est operis perfectione absolutum; ut sapientissimus Artifex Deus singulos eidem inserverit sensus, distinxerit membra, adeo ut fulgentes oculi objecta attingant, colores distinguant; Odoratus naribus insideat, & ex dulcium aromatum, ac odorum usura oblectetur. Gustus saporum delectetur varietate non inter culinarum fumos, ac nidores, sed in campis, pratisque herbarum virore, ac florum discolori pompa luxuriantibus. Auditus sonos percipiat, strepitus sentiat, rumores fugiat; hauriátque formicula per aures, veluti per fistulas, quidquid exterius, vel ex mutua collisione, vel ex motu, voce, vel lapsu, sonum, vel stridorem edit. Tactus aspera secernat à mollibus, scabra à levigatis, dura à fluxis. Si corpusculum examines formiculæ, miraris sanè sapientissimi Conditoris opificium, cùm in tam exiguo corpusculo duriusculas partes veluti ossa ad fulcimentum totius corporis interstinxerit, venulas instar ramulorum diffuderit; à vertice per dorsi vertebras ad caudam usque diffluentem produxerit medullam, tenues extenderit membranas; ac toti corpori spiritum indiderit acrem, vegetum, actuosum, moventem omnia membra, edentem impetum ad cursum, suppeditantem vires ad onera deferenda. Jecur compegerit adeo minutum, & in jecore vasculum collocaverit bilis receptaculum. Cor in pectore collocaverit, & rariis costularum interstinctione, quasi parietibus obsepserit; & ingenium addiderit prudentiâ potens; duæ enim sunt prudentiæ virtutes cautio, & providentia, quarum illa in malis arcendis; hæc in bonis procurandis tota est; hisce virtutibus formicas insigniri nemo nisi invidus erit inficias iturus. Symbolum est formica humilitatis; quæ virtus, licèt se abjiciat ad inferiora quæque, seque veluti in nihilum demittat; eminet tamen religionis cultu, sanctitatis decore, ac censu meritorum; & quò se magis demittit humilitas, eò altius effertur; quo exilior videtur hominibus, eò crescit sublimior; & quò obscurior jacet, eò splendet illustrior: aquæ parem diceres, quæ in ima defluens in sublime evehitur, exiliens sursum è fontis tubo, vel statua: aqua excelsa montium culmina fugiens ad vallium ima se demittit, sed subterraneos subiens tubos, quæ sepulta videbatur, ac jacere in pulvere, surgit mox artificiosi fontis decorata nobilitate, ac recto itinere sursum in cœlum oritur.

3. In hac humilitatis aqua vivunt, ac veluti pisces quiescunt quotquot se Dei obsequio mancipârunt, facilè morituri extra illam, seu humilitatis destituti exercitio, ut monebat S. Ephrem Syrus ad imit. Prov. *Sicut piscibus aqua, ita Monacho vita quieta in humilitate*; & sicut aquæ lavacro, quas contraximus sordes diluimus, perinde exercitio humilitatis noxas purgamus, & interiorem hominem perficimus. Est humilitas, quæ suo splendori mundum restituit, ac reformavit: quòd si in mundi primordio Spiritus Domini ferebatur super aquas, ut mundum perficeret; non secus humilitas, quam Christus in Cœlum abiturus exercuit, pedes abluens Discipulorum, informes hominum mores reformavit, & amores ad virtutem, & studia perfectionis instauravit. Adeo hæc humilitatis virtus est Deo grata, eique placet, ut ipsam exercere voluerit factus homo; & fortius suo exemplo eam nos edocere; ut cùm nos demittimus in infima quæque, surgamus ad sublimiora, simúsque Deo gratiores: quamvis sit humilitas hominibus despectui, est tamen grata Numinis conspectui.

Imò nulla alia est magis in viro Asceta virtus suspicienda, quàm sui despicientia: & licèt hæc virtus à plerisque negligatur, & à paucis intelligatur, adeo tamen est necessaria, ut nulla efflorescat virtus, nisi in solo humilitatis, in exculta cellure demissionis suas egerit radices; & quia non subsistit humilitas, quin unà cum ipsa cæteræ existant virtutes; ideo profectus in studio virtutum quid aliud esse dixeris, quàm accessus ad humilitatem, sitque propterea tantò quis sanctior, Deóque gratior, quantò hominibus despectior, & in se humilior; dummodo hæc vera sit, & non fucata, neque occulto fastu inflata, quia hæc larvam quidem exhibet humilitatis, sed intus virus fovet noxiæ tumiditatis, de hac enim humilitate spuria, & fucata loquens Ennodius lib. 6. Epist. 1. ait: *Nihil invenio, quod sit fucatâ humilitate superbius. Præfero contumelias fucatæ frontis obsequijs.* Quòd si vera humilitas fundamenta jacit, quibus Christiana perfectio nititur, fucata hæc humilitas, & inflata tumiditas vitæ spiritualis fabricam destruit, & totum ædificium reliquarum virtutum solo æquat. Vera humilitas divinæ voluntatis defixa radicibus, omni angore soluta in solo Deo veluti in portu à quavis procella semota tuta conquiescit, nec vento contrarietatum sinit se rapi, nec turbine commoveri adversantis fortunæ, neque æstu mergi concitatæ procellæ, & si eidem objiciatur bonorum jactura, veluti procellæ decumanos fluctus solâ infringit patientia, si convicijs impetatur eorum aculeos contundit; si injurijs prematur, & contumelijs abjiciatur silens surgit excelsior, & tunc plurimum facit, cùm se nihili facit, tunc altiùs aspicit, cùm se in imum despicit; & quam natura ipsa vacuitatem horret, humilitas exambit, quæ in sui vacuitate divitias prodit excultæ virtutis; & ubi est hujus vacuitatis receptaculum fit illex divinitatis: quia tunc Deus respicit hominem, cùm hic se despicit; cùm nihili se æstimat, tunc pluris fit, ac magni à Deo æstimatur, quia est humilitas reliquarum virtutum fundamentum, sine quo corruunt, ut edisserit D. Gregorius inquiens 4.

in Pſalm. Pœnit. *Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum pulverem portat*, quia ſicut ſine fundamento non ſubſiſtit ædificium; neque ſine humilitate ſtructura conſurgit reliquarum virtutum: quo enim ſe magis humilitas demittit, eò altiùs erigitur; evehitur, qui ſe deprimit; & deprimitur, qui ſe evehit: eſt humilitas arbor Chriſtianæ perfectionis, ut ſurſum ſuos efferat ramos, deorſum ſuas emittit radices; & eatenus in ſublime erigitur, quia in imo profundiùs ſerpit; elevatur, quia ſe deprimit.

5. Qui in Chriſti caſtris degit ſub vexillo neceſſe eſt militet humilitatis, ut innuit Guarricus Abbas *ferm. in aſſumpt. B. Virg.* inquiens; *Vexillum Chriſti humilitas*, & ſub hoc vexillo neceſſe eſt Chriſti pugiles certamen ineant, ut optatos referant triumphos: & revera ſi quis seriò cogitet, quanta ſe Chriſtus humilitate depreſſerit, ſe extollere non audebit, præſertim ſi conſideret leve, ac inane opus ſuum, illudque conferat cum excellentiſſimo opere, quo Verbum divinum noſtram induit humanitatem; dolores, incommoda, moleſtias, flagella, vulnera, & mortem ipſam ſubivit: Deus qui eſt totum, ſe pro homine exinanivit: & homo qui eſt nihil, quomodo ſuperbiens intumeſcet? Plura, & propemodum infinita ſunt, quæ non tantùm movent, ſed & cogunt hominem ad humilitatis exercitia, etenim nihil ex natura eſt homo, nihil ſolius naturæ viribus fultus poteſt in ordine ad ſalutem, pulvis eſt viliſſimus, nec in ſe quidquam habet, quin ſit habendum contemptui; neque poſſet niſi ſe uſque ad centrum terræ demittere ob ſcelera, quæ patravit; & gloriari non poteſt ob ſcelera, quæ non commiſit, & committere potuit, quia ſicut peccâſſe noſtræ eſt infirmatis, & malitiæ; ita non peccâſſe non eſt noſtræ potentiæ, ſed divinæ miſericordiæ, quæ niſi ſuam ſuiſſet opem impertita in enormiſſima ſceleta ruiſſemus præcipites. Habet igitur homo, quo ſupercilium deponat, & à faſtu, ac ſuperbia ſe avocet, & ſub Chriſti vexillo humilitate loricatus fortiter pugnet, eſt enim Chriſti vexillum ipſa humilitas, ait Auguſtinus in Joan. tract. 3. cap. 1. *Signum ejus eſt humilitas ejus. Per ſtellam eum Magi cognoverunt, erat hoc ſignum de Domino datum cæleſte, atque præclarum; noluit ſtellam eſſe in fronte fidelium ſignum ſuum, ſed crucem ſuam. Unde humiliatus, inde glorificatus.*

6. Idque cauſæ, cur humilitas, ſummi Regis filia audiat, & è ſummo cœlo cum Dei filio in terras deſcenderit, manſionem in cœleſtibus animis, ſeu in viris aſcetis exercitio virtutum excultis, poſitura, ut cum ipſa totus reliquarum virtutum floreat apparatus: exareſcunt flores virtutum, niſi in tellure humilitatis ſuas egerint radices: ſine humilitate quid deligendum, ac diligendum ſit non novit prudentia: errat diſcretio: illecebris non obſiſtit temperantia: temulentiam non coërcet ſobrietas, adverſa non retundit fortitudo: ſola enim eſt humilitas; quæ reliquas perennat virtutes, quibus & vigorem impertitur, & decorem communicat. Quòd ſi humilitas Dominum majeſtatis è ſummo cœlo ſecum in imum duxit terrarum; ſiquidem Verbum Dei in ſublime conſtitutum, ut ad nos deſcenderet humilitas invitavit; & veritas, quâ promiſerat ſe venturum compulit; & puritas virginalis uteri ſuſcepit, imò adeò ſoit, filio Dei grata hæc virtus, ut frequentiùs filius hominis vocari voluerit, quàm Dei, licèt filiatio Dei longè nobilior eſſet illâ hominis: idque ut nos non verbo tantùm, ſed & exemplo hanc edoceret virtutem, & ut aſſueſcerent homines humilitati, ac diſcerent inflatis non ſe jactare titulis, ſed demiſſè de ſe ipſis ſentire, ut ſcitè monet Hugo Carenſis *in cap. 25. Proverb.* inquiens: *Sæpius vocat ſe Chriſtus filium hominis, quàm filium Dei: è contrario multi faciunt; ſemper à majori in ſuo genere licèt remotiori ſe nominant.*

7. Non ſplendet virtus in montibus tumeſcentium Titulorum, ſed in valle floret depreſſionis: non quæ magna, & ſublimia ſunt, hæc ſemper virtute pollent, ſed in exiguis plerumque majus eſt pretium, ut in unionibus, adamante, aliiſque gemmulis, quod Scapheus edocuit diſcipulum, quem ſuperbiâ inflatum noverat, & faſtu ventoſum; eum enim objurgavit effato illo veriſſimo: *Bonum non eſt in magno, ſed in bono eſt magnum*: hoc eſt non virtus in magno, ſed in virtute magnum. Mole corporea magnus fuit Goliathus, qui gigantea ſtatura eminens, armiſque roborè paribus ferox, in medium progreſſus truculenta voce provocabat ad pugnam, ſi quis ex toto Hebræorum exercitu auderet in vallem deſcendere, & cum ipſo ſingulare inire certamen, deque Imperio utriuſque gentis dimicare; & tantum omnium animis inculſerat terroris, oris truculentia, & corporis in hoſtili provocatore vaſtitas, ut, cùm hic unus ex Philiſthæis ſurrexerit, totus Hebræorum exercitus ceciderit animo. Sed id temporis in caſtra appulit David ætate adhuc adoleſcens, corpore exilis, viribus corporeis imbecillis; quia tamen in parvo corpore grandior reſidebat virtus, petijt ad ſingulare cum Goliatho deſcendere certamen, & licèt Saul objiceret adoleſcenti certaminis imparitatem, inexpertam contra veteranum bellatorem militiam, vires imbecilliores: inſtetit tamen David, urſitque acriùs, ut permitteretur ei certamen, victorias ſibi ſpondens, quas de profligato leone, proſtrato urſo, ac devictis belluis retulit; & nihili à ſe fieri dixit Philiſthæum in lingua magis, quàm in manu martem geſtantem. Annuit tandem Saul adoleſcenti pugnam depoſcenti, quem armis muniri juſſit depromptis ex ſuo armamentario, chalybe præmuniri ad ictus adverſarij retundendos; ſed cùm David hæc corporis munimenta, plus animadverteret ei inferre impedimenti, quàm adjumenti, ac eſſe ſubſidij, exutâ cataphractâ, armis ſe ruralibus munivit, baculo ſcilicet, pera, funda, & lapidibus, quos de proximo torrente ſelegerat, quibus armatus in ſubjectam vallem contra Philiſthæum deſcendit, qui adoleſcentem intuitus

tuitus inermem, nullóque dimicationis apparatu formidabilem, & in quo prostrando plus pudoris, quàm gloriæ colligeret indignabundus jussit è suo conspectu imbellem facessere canem, nisi mallet pedibus proteri, & corvis extradi in pabulum, sed David virtute corroboratus post verborum velitationem monomachiam instituit intuentibus utrinque exercitibus varia expectatione suspensis: videbantur Philisthei certam sibi victoriam spondere, & Judæi adolescentia damnare temeritatem. Cúmque certamen ineundum esset, Goliathus toto corpore cataphractus, & dextrâ ingentem vibrans hastam obviat Davidi, qui silicem illicò è pera rapit, fundæ imponit, vibrátque ictu tam destinato, ut excussus mediam Philisthæi vulneraverit frontem, & fracto cerebro fixus hæserit; viceritque virtus in humili Davide tumorem, quo gigantea moles Goliathi intumescebat: quo inde discamus, non virtutem in magno, sed in virtute magnum esse, & eos non sapere, qui animi virtutem corporis vastitate metiuntur. Exiguum & abjectum est formicula insectum, & tamen plurimum in ea, licèt parvula, & nuricula inest virtutis, & spiritus; varijs enim circumgyrationibus subterraneas sibi exstruit cavernulas veluti horrea, collectis, & delatis granis opplends: si enim labores, circuitiones, ordines, expendamus, quibus sibi consulunt, nonnisi magnam in exiguo corpore inesse virtutem dixerimus.

8. Virtus eò splendet clarior, quò caligine circumsepta humilitatis jacet obscurior, ut in nigricante formicula: & quotquot fuerunt virtute clari, excelluerunt humilitate. Illuxit virtus in Jeremia Propheta, sed suas in humilitate radices fixit, cùm vocatus à Deo ad Prophesandum dixit: *A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* quia ut ad rem nostram asserit D. Gregorius lib. 35 Moral. cap. 2. *Sancti viri dum divinitatis arcana audiunt, quanto magis contemplando proficiunt, tanto amplius despiciendo quod sunt, aut nihil, aut prope nihil se esse cognoscunt.* Moyses quamvis omni Ægyptiorum Sapientiâ instructus, & virtutum encyclopedia elatus esset, humilitate tamen eas excoluit: siquidem impeditioris, ac tardioris se linguæ arguit. Jobus licèt patientiâ loricatus omnes adversarij cacodæmonis ictus retudisset, & victor semper extitisset, adhuc tamen insipienter se locutum dixit *cap. 42.* Isaias virum labijs pollutum se vocat *cap. 6.* Ezechielis quatuor animalia alas submittebant suas, cum vox fieret super caput eorum. *Ezech. 2.* Viri virtutum culturâ insignes quando fuerunt à Deo ad magna destinati tantò paratiores ad ea accessere, quantò se se imparatiores esse agnoverunt, quia quò quis profundius se demittit eò sublimiùs evehitur. Humilitatis radices altiùs sunt demittendæ, quò sublimiores ejus rami, & fructus extollantur, exemplo Virginis Matris, quam alloquens S Bernardus serm. 2. adventu. ait: O *Virgo virga sublimis, quàm in sublime verticem sanctum erigis! usque ad sedentem in Throno, usque ad Dominum Majestatis. Neque id mirum! quoniam in altum mittis radices humilitatis.* Non est DEO vilis, qui vilis est sibi: est magnus DEO maximo, qui magno homini est nullus, scitè D. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 20. *Tantò fit quisque vilior DEO, quantò pretiosior sibi, & tantò pretiosior DEO, quantò propter eum vilior sibi.* Veræ virtutis cultor nihil sibi tribuit, sed omnia Deo, ut ad Ephesios scripsit D. Paulus cap. 5. *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino:* quia homo ex se umbra est, & si quid in ipso splendet, non suum, sed DEI est: homo est homo ex se similis umbræ, quæ solidi nihil habet, nilque firmi, sed sola repletur inanitate, & hujusmodi sunt terrena omnia, & homines umbratiles, seu inanes, nihilque firmi ex se præferentes; quod cum novisset S. Chrysostomus in Psalm. 9. ait: *Noverat apertè David humana omnia umbris exiliora esse.* Prægrande quidpiam est, de se Magnum quidquam non sentire: eximium est opus, se humiliter dejicere; quia dum formicæ exilis instar ima petit telluris, cujus ingreditur rimulas, altius evehitur, ac meritorum divitias in horrea coacervat cœlestia; quia ut monet D. Chrysostomus homil. 3. in Matth. *Minimum de se sensisse, tam magnum est, quàm maximas res fecisse.*

Formicæ æstate diebus messis si cœli facies arrideat, sitque aër clementior, otij, ac desidiæ impatientes ex subterraneis suis domunculis, quas sibi multis mœandris flexuosas ad varios usus construxerant nigro exercitu exeunt, festinæ per campos discurrunt, & proxima rura pabulantur, sibi præparant escas; grana ex spicis decisa flavescentibus seligunt, secúmque vehunt, vel trahunt suis servanda in cavernulis, ne desint hyeme cum rura alta nive sepulta jacent, vitæ sustentandæ, viribúsque reficiendis necessaria. Lemma. *Laborandum ne laboremus:* ne fame laborent hyeme, laboribus non parcunt æstate in colligendis, vehendis, ac acervandis spicarum granulis, messisque æstivæ neglectis, ac derelictis reliquijs. Apodosis. Viri prudentes dum tempus superest, occasio favet, vires suppetunt, sibi consulunt, probè agunt in id incumbunt studij, ut per bona opera, merita sibi comparent, quibus in futurum bene se habeant; laborant nunc in terris, quò æterna donentur in cœlis beatitate, ac requie; & est quod nos scriptura commonet inquiens: *Confer te ad formicam ò piger, & æmulare vias ejus.* 9.

EXCURSUS

Viri prudentis est futura prævidere.

20. QUam instituunt rempublicam formicæ non Solonis, aut Lycurgi præscriptis, sed æternis naturæ legibus constitutam; & ne continuus in quotidianis operibus labor distractionem afferat amicitiarum, vitæque socialis commercia, certis conquiescunt diebus, quibus elapsis, si aëris clementia arrideat foras exiliunt ad labores, & esculenta sibi comparanda, vehenda, ac servanda suis in horreis subterraneis. Unum omnium est ardor, una mens, idem Spiritus, munia tamen, & officia diversa, ac providè inter se distincta, siquidem aliæ prædas per angustas semitas deferunt; aliæ, vel humeris obnixæ, vel pedibus aversæ magna corporis contentione convectant; & licèt onera ferant corpusculis majora, non tamen sub fasce succumbunt, sed toto nisu convehunt grana frumenti pinguiora ad propria horrea, servanda in hyemem, quò labor æstivus necessaria vitæ sustentandæ suppeditet. Noæ formicæ edocent non esse commodum vitæ, & quietis sperandum absque prævio labore, quod observavit D. Ambrosius inquiens: est in natura quadrupedum, quod imitari nos sermo Propheticus adortatur. Quo exemplo caveamus desidiam, & exiguitate, vel infirmitate corporis à virtutis studio non reflectamur, neque revocemur ab ullius propositi magnitudine. Exigua ast enim formica, quæ majora suis audet viribus: neque servitio ad operandum cogitur, sed spontaneæ proposito prospicientiæ futura alimentorum subsidia sibi præstruit, cujus ut imiteris industriam, scriptura te commonet, dicens: Confer te ad formicam, ò piger, & æmulare vias ejus, & esto illâ sapientior. Illa enim nullam culturam possidet, neque eam, quâ se cogat habens, neque sub dominio agens quemadmodum præparat escam, atque de suis laboribus sibi messem recondit, & cùm tu plerumque eges, illa non indiget. Nulla sunt enim clausa horrea, nullæ impenetrabiles custodiæ, nulli inviolabiles acervi; spectat custos, furtáque prohibere non audet: aspicit sua damna possessor, nec vindicat. Nigro convectatur agmine præda per campos fervent semitæ comitatu viantium, & quæ comprehendi angusto ore non possunt humeris grandia frumenta traduntur. Spectat hoc Dominus messis, & erubescit tam parca piæ industriæ negare compendia. Hactenus ille.

21. Sine cultura nec terra germinat, neque messis flavescit; & sine labore ad quietem non pervenitur, ut neque ad victoriam absque prævia pugna. Marcus Aurelius Probus Imperator, cùm laboribus esset assuetus, & ijsdem assiduus, in id vel maximè incubuit, ut etiam milites jugi exerceret labore, ne desides, otio torpescerent, aiebat enim: *annonam gratuitam militem comedere non debere*: nam qui fugit laborem, is stipendium recusat, perinde ac qui molam fugit, farinam colligere non curat, quod & Paulus Apostolus monet inquiens: *Qui non laborat, non manducet*; & alludit ad Christi milites, qui sperantes æternam in cœlis donari beatitate, ac triumpho, opus est plurimum in terris desudent in bonis operibus, laborantes, & decertantes; sunt enim bona opera, quæ ad cœlestem patriam viam nobis sternunt, parum enim prodest gloriari de nomine Christiani, nisi opera respondeant, quibus labores imitemur, quos Christus subivit; parum prodest se fateri servum Dei, nisi operibus Deo quis inserviat. Verus Dei cultor, & mundi osor non tantùm loquitur, ac profert, quæ sunt facienda, sed eadem opere etiam explet; imò proprium est veri servi Dei plura facere, & pauca loqui; & pauperi opem poscenti non verba, sed pecunias, & eleemosynas dare. Verum est effatum illud vulgatum: *Tunc cantabunt Cygni, cùm graculi tacuerint*, hoc est, tunc eruditi loquentur, quando inerudi i tacebunt. Multi reperiuntur garruli, & obstreperi graculi, verbosi blaterones, quorum omnis scientia est in ora, & lingua, non intus in mente; & opera in voce tantùm, non manu, quibus accommodatur adagium illud *Clamat arundo plus quàm Cygni decem*. Sunt enim exteriùs garruli, ut hirundines, & intus inanes ut arundines: plures sunt, qui plura suadent, quorum ipsi nihil sibi persuadent: sunt quibus vidatur sufficere, si fidem Christi profiteantur, quam tamen operibus non videntur testari, nec corroborare. Lex Dei ignea est, & linguæ fidelium debent & igneæ esse, & fortassis ob hanc causam Spiritus Domini in linguis igneis super Apostolos apparuit *Actor. 2. v. 3.* Hunc nexum linguæ cum igne observans D. Bernardus serm. 1. in fest. Pentecost. ait: *Venit tunc super Discipulos in linguis igneis, ut verba ignea loquerentur, & legem igneam lingua ignea prædicarent.* Et rectè nectitur flamma linguæ; cum flamma sursum nitens formam videatur linguæ induere: sed sicut flamma non solùm splendet, sed etiam ardet: ita non sufficit, si Christianus sola fide luceat, sed necesse est etiam charitate, & bonis operibus ardeat: lux fidei tunc probè exteriùs splendet, si cor intus charitate inflammetur; & manus ardore bonorum operum, ac eleemosynarum indigentes, & pauperes foveant.

Non sufficit sola vota gloriari fidelis, & 22.
Christiani nomenclatione, nisi opera respondeant, nisi cor intùs ferveat charitate: idque innuit Job. 38 v. 36. inquiens: *Quis posuit in visceribus hominis Sapientiam?* non dicit quis posuit in ore, vel in lingua, aut verbis; sed in visceribus, & corde, quia profiteri tantùm solis vocibus, ac verbis Sapientiam, & non agere sapienter inane ast: ardere cor fidelis loquentis debet, ut & verborum suis auditores accendat, & operum præstatione alijs sit auxilio: scitè D. Gregorius lib. 30. Moral. c. 3. expendens præfata Jobi verba ait: *Notandum quòd Sapientia divinitùs inspirata in visceribus hominis ponitur, quia nimirum quantùm ad electorum*

rum numerum spectat, non in solis vocibus, sed etiam in sensibus datur, ut justa quod loquitur lingua, vivat conscientia, & lux ejus tantò clariùs resplendeat in superficie, quantò veriùs inardescit in corde. Fides sine operibus ignis est: sed qui in fumum abit. Hinc nos monet Deus per Ezechielem cap. 10. Ut linguæ fidem profitenti manus addamus probè operantes; ut fides, quæ lucet in lingua, ardeat in manu, ac operetur, laboret, & insudet; ait Propheta; *Imple manus tuas prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super civitatem.*

14. Ignis non solùm lucet, sed etiam ardet, & qui Dei verba ad alios profert, ut sunt concionatores, ita lucere debent doctrinâ, ut simul ardeant charitate; & exemplo, quos erudiunt, inflamment ad probè operandum: quia etiam Salvator dixit se in mundum venisse, ut ignem in terram deferret; non tamen ut solùm luceret, sed etiam accenderetur Luc 12. v. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur,* signate dixit, ut accendatur, hoc est, ut simul luceat, & ardeat, ut expendit D. Bernardus serm. in nativitate S. Joan. Baptist. inquiens: *Væ nobis fratres, si lucerimus tantùm; fervorem Dominus ab omnibus exigit, splendorem verò non ita: ignem inquit veni mittere in terram; & quid volo nisi ut accendatur?* Ardor præmittendus est splendori, cui veluti debet substerni, ut nos edocuit ipse Joannes Baptista, de quo Joan. 3. dicitur: *Ille erat lucerna ardens, & lucens:* si ordinem pendamus, prius ardere didicit, quàm lucere: si placet splendor gloriæ, non displiceat ardor boni operis & laboris; si lucere coram divino sole cœlesti beatitate donati cupimus, necesse est priùs ardeamus rectè operantes, & probè agentes: fervor operis splendori præmittitur gloriæ, pulchrè D Bernardus loc. cit. *Non ait lucens, sed ardens, quia Joannis ex fervore splendor, non fervor prodijt ex splendore: sunt enim qui non eo lucent, quia fervent; sed magis fervent, ut luceant: at isti planè non feruntur charitatis intuitu, sed studio vanitatis. Joannes ardens erat in se ipso vehementi austeritate conversationis, & pleno fervore devotionis; luxit nihilominus exemplo, digito, verbo.* Quòd Christianus se glorietur, Christi militiæ esse addictum, non inde in hac militia victorias speret, & triumphum, nisi sub vexillo fidei nervosè pugnet, & per bona opera satagat de prostratis hostibus, de superato Dæmone, coërcitis concupiscentijs victoriam referre. Nectenda esse fidei opera, judicat annulus, qui revertenti prodigo adolescenti exhibitus fuit à patre obviante reduci filio Luc. 15. *Date annulum in manu ejus:* non satis fuerat offerre, ejúsque arbitrio committere annulum, sed jussit servos annulum inserere filij digito, quò disceret sanctiùs imposterum operari: per annulum fidei significatur character manui admovendus, quo inde discamus, fidem non sola lingua confiteri, sed & operibus manuum profiteri, scitè Rabanus in allegor. *Annulus est signaculum fidei. & in Evangelio date annulum in manu ejus, id est fidem in opere suo:* fides flos est, sed nisi probis excolatur operibus exarescit.

Parum refert, verum credere, si falsi sumus; nos divitijs asserere affluentes, si inopiâ laboramus. 15

Veritas salutaris est bona actio, & Verbum verum factum verbi, ut manus respondeat linguæ, & opus cum voce concordet. Verbum Dei caro factum est, ut opus hominis veritas fieret, quia veritas Dei facta est opus, & sicut falsum est, quod veritati non est uniforme, ita mendacium est, quod doctrinæ Christi non respondet: fides vera est, sed nos falsi sumus, nisi nostra opera eidem sint conformia; alioquin fides operibus destituta, umbra est sine corpore, & figura sine re, ut ait Chrysostomus *homil. 8. Epist. 2. ad Timoth.* inquiens: *Fides sine operibus figura solùm absque virtute est. Rectè ergo pulchro & venusto corpori virtute destituto, picturæque adumbratæ fides recta absque operibus comparatur.* Placet au hori fidei fides, sed si operibus nectatur, si labore excolatur, ut fructus promat; alioquin sterilescit, & fructu destituta perinde ac arbor infructuosa igni extraditur. Hunc nexum operum, & fidei Hugo Victorinus colligit ex verbis illis Deuter. 6. *Deum adorabis, & illi soli servies* non sufficit Deum sola fide colere nisi & operibus eidem famulemur, non vere Deum per fidem adoramus, nisi Deo operibus inservіamus, ait Victorinus expendens præfata verba: *Ipsum adorabis hoc pertinet ad fidem, & ei soli servies, hoc pertinet ad operationem, fides enim operans ex dilectione perfectum facit.* Non probatur ille Principis servus, qui licèt glorietur insigniri tali nomine, nullum præstat Principi servitium. Fides ab Eutimio in Psalm. 28. aratro pariatur, inquiens: *Arans Deus gentes aratro fidei.* quòd si aratro comparatur jam edocemur sine labore, absque operibus parum fidem nobis prodesse, ac veluti mortuam jacere: aratro siquidem nisi manus admoveatur, nisi terram scindat, & jugi labore campos evertat, non splendet attritu, neque spondet segetis messem. Fides nostra talis sit, ut opera eidem respondeant, & per exantlatos labores, perinde ac aratrum diuturno attritu splendeat, nobisque uberem spondeat gloriæ messem. Nec sufficit semel in exercitio bonorum operum inchoâsse, sed diutiùs perseverâsse; imò eò ferventiùs, quò quis magis ad finem vitæ urgetur, quod innuit Regius Vates cùm sponsæ fimbrias aureas fuisse asserat, *filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis.* Fimbriæ cùm postremæ sint vestis partes, postremam etiam indicant vitæ partem, seu senectam: hæ fimbriæ necesse est auro bonorum operum illinantur, ut splendeant, & ne fides à sua cadat venustate, quam à bonis mutuat operibus. Pulchrè S. Eusebius Emissenus expendens præfata verba Psalmi 44. ait. *De ornamentis sanctæ animæ sue dictum accipi possit: Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietate. Dignæ in fimbrijs aureis, quia pretiosior se ipsa in novissimis fuit.*

Nisi bona opera nos in cœlum evehant 16.
illac non ascendimus, si desistimus ab operibus probis, non pergimus, quò tendimus, qui sedet defessus in itinere, non properat patriam

versus. Origenes observans, quòd Moyses Exod. 18. cum in monte levaret manus vinceret populus, ait ad rem nostram: *Elevare manus, est opera, & actus levare ad Deum, & non habere actus deorsum dejectos, & humi jacentes, sed Deo placitos, & ad cœlum erectos. Elevat ergo manus, qui thesaurizat in cœlum.* Et ille evehitur in cœlum, quem bona opera fulciunt, & elevant. Neque senecta licèt viribus corporeis destituta à bonis eximitur operibus; imò quia est ætas morti vicinior debet ijsdem magis insistere, ac perseverare, quia in vita non annorum habenda est ratio, sed operum: & eò est vita diuturnior, quò bonis operibus cumulatior; alioquin quæ ab operibus est vacua, brevis est, tametsi ad longum ævum protrahatur, tunc enim longa potiùs est mora, quàm vita, ut scripsit Seneca Epist. 93. inquiens: *Longa est vita, si plena est, impletur autem cum animus sibi bonum suum reddidit, & ad se potestatem sui transtulit. Quid illum octoginta anni juvant, per inertiam exacti? non vixit iste, sed in vita mortuus est, nec serò mortuus est, sed diu, octoginta annis vixit: interest, mortem ejus, ex quo die numeres.*

17. Ne igitur malè post mortem laboremus, necesse est, quamdiu vivimus laboribus insudemus, & per bona opera semina jaciamus, quæ laboribus exculta, & sudore rigata germinent, virescant, fructúsque æternæ gloriæ nobis pariant. Quòd si sapientiam laborandi ab homine nolit quis discere; operandi sapientiam edicat à formica: *Dicitur enim formica*, ait D. Hieronymus *strenuus quisque, ac providus operarius, qui in præsenti vita veluti in æstate fructus justitiæ, quos in æternum recipiat, sibi recondit.* Formica æstate annonam sibi comparat, quam in messe congregat, ut sibi hyeme consulat. Quòd si tantillum animal rationis expers, natura duce sibi providet imposterum, multò magis homo ad imaginem Dei conditus, & ad videndam ejus gloriam vocatus.

18. *Formicæ* coacervandis annonæ granis incumbentes obvias quasque difficultates superant, nec laboribus parcunt donec propria horrea impleant, quæ subter terreas concavitates varijs circumgyrationibus sibi extruxerunt: messis reliquias quæsituræ, angulos omnes sursum, deorsum percurrunt, agros, sulcos, horrea, cellaria intus extra percipiunt; & si quæ suis obsunt operibus labore improbo vincunt, removent, aliæ constructos aggeribus meatus aquarum excludunt, aliæ grana corrodunt, & veluti forcipe dividunt, ne subtus terram germinent, exeántque in herbam; aliæ madentia grana ex horreis extrahunt, foras sub dio evehunt, exsiccant, & suaviter in sole apricantur, & exsiccata iterum recondunt, sibique providè consulunt Lemma *Labor improbus omnia vincit*, Apodosis. Quæ in exercitio virtutum, ac studio Christianæ perfectionis insurgunt difficultates à viris asceticis diligentia, & labore improbo superantur.

EXCURSUS.

Nil in exercitio perfectionis tam arduum quod ope divinæ gratiæ, & virtutum exercitio non superetur.

Nihil in studio Christianæ perfectionis 19.
est tam arduum, quod virtutis exercitio, & labore non vincatur. Fateor tamen, quòd si inveterata peccandi consuetudo conscientiæ callum obduxerit, plus tunc requiritur laboris, ac industriæ, ut pristinus in ea virtutis splendor effulgeat; & decus instauretur honestatis; quia ut monet D. Basilius *q. 55.* Anima sanie peccatorum suppurata, & in habitu vitiorum constituta, vix magno negotio elui potest. Quod de deside, otióque marcescente confirmat Cassianus *lib. 10. c. 6.* quia mens otiosi, ac desidia ita paulatim noxijs cogitationibus irretitur, ut veluti serpentis alicujus spiris obstricta, nunquam deinceps ad perfectionem professionis antiquæ paris sit se enodare, non secus ac Laocontes dracones, qui inter sinuosa anguium volumina irretiti, quantumcunque brachiorum nisu luctentur, nunquam eluctantur. Verùm licèt impares videantur vires inveteratæ vincendæ consuetudini; labori tamen & ipsa cedit; nihil est adeo pertinax, quod labor improbus, at intentata opera non expugnet: prædura ligna quamvis obliquata, & flexa in rectum revocantur, & curvatas trabes calor explicat, aliterque natæ in id finguntur, quod usus noster videtur exposcere; quanto igitur faciliùs animus noster eam suscipiet formam, quam honestas, & recta ratio exigunt, cum sit flexilis, omnique humore obsequentior? Si prava obsistant desideria, si insolita repugnet consuetudo curâ, & labore vincuntur; perindè ac clavus clavo truditur, & vis vi propulsatur, ita difficultates, quæ in virtutis studio nobis obviant labore superantur.

Bene nostri impenduntur labores, si illis 20.
consecrentur virtutibus, quæ nos Deo consecrant. Fluunt dies vitæ laboribus pressi, ac molestijs circumsepti, nec ulla est vitæ, imò nec diei pars, quæ sit laboris expers: unus labor hæres instituitur alterius, si hunc fugimus, non caremus alio; in stadio sumus, absque labore non stamus; & tunc laboris molestias non sentimus, si pro Deo, quem amamus laboremus; amor non solùm molestias excutit; sed & difficultates, quæ insurgunt facili superat negotio; ubi amor ardet, labor minuitur, & omnis ejus molestia extinguitur. Quid refugimus labores, si ad gloriam nobis viam sternunt? Si Deus homines condidisset omnes simul, rationis usu æquè præditos, ac gratiæ doribus æquales, omnibúsque ostenderet cœlestis gloriæ apparatum; & ex adverso apertum monstraret inferorum barathrum, omnésque ejus cruciatus; simúlque ijsdem revelaret ex omnibus hominibus nonnisi unum esse cœlesti donandum beatitate, eum scilicet qui plus cæteris laboraret, reliquósque anteiret

cultura

cultura virtutum sanctitate, & charitate, reliquos omnes perituros, ac perennibus suppliciis in gehenna mulctandos: quis ex illis hominibus labores fugeret? quis totis viribus non niteretur alios laboribus exantlatis anteire? quis toto animi nisu, totóque corporis conatu non contenderet præ reliquis excellere cultura virtutum, studio pietatis, nitore sanctitatis? quanta inter homines illos esset æmulatio, & inter singulos contentio, ut posset quisque tanta gaudere felicitate, ac tanta carere calamitate? quisque DEO quàm posset ardentissimè inserviret; nemo esset, qui libenti animo nolet labores subire; nemo qui omnes suas non exereret vires, ut virtute cæteris antecelleret.

21 Quanto igitur majori stimulo deberet nunc quis eniti, ut studio pietatis, cultura virtutum, tolerantia laborum, omnes quotquot hactenus floruerunt sanctitate præcederet? titulus est justior, stimulus acrior, ut nos DEO mancipemus; eadem gloria nobis promittitur præmium laborum, quos sumus subituri, & DEI voluntas est, ut beneficio gratiæ, ac tolerantiâ laborum cælestem enanciscamur beatitatem. Cumulatius est beneficium plures potiri eadem cæli gloria, quàm paucos: Si unus tantùm ex hominibus, qui plus cæteris laboraret esset hac donandus beatitate, reliquorum labores essent irriti; nunc omnes sunt utiles, & quò plua quis subit laborum, plus obtinet mercedis, plúsque gloriæ enanciscitur; quod minimè contigisset, si unus tantùm salutem esset consequuturus: cum igitur securiora sint merita, uberiores debent esse labores; nec nos debent difficultates exterrere, quæ si fortiter superentur, ad cælestes nos evehunt triumphos. Væh parcentibus labori, ac torpentibus in DEI obsequio, languentibus in æternæ salutis negotio! imminet ipsis periculum laborandi æternùm in gehenna; labores qui fugiunt temporales, ac momentaneos, æternos incurrunt; & eò diutiùs, & acriùs laborabunt, quò in præsenti vita remissiùs: tepescere in DEI obsequio, & fervorem abjicere in Numinis obeundo famulatu, est negligere virtutum exercitia, & effusam DEI misericordiam, ac profusam liberalitatem coërcere; ne manum illam aperiat, quæ replet omne animal benedictione: idque causæ cur DEUS quandóque in summè malos sit summè bonus, & cumulatè liberalis, & erga tepidum avarus, eique deneget, quod malis abundè suppeditat: quinimo licèt sit DEUS dator munerum, hæc tepidis aufert, rapitque à desidis, quæ dederat ei talenta.

22 Excutienda est socordia, omnique studio laborandum, ne æternùm laboremus, sed beata perfruamur quiete. Neque hisce parcant principes laboribus, si cælesti volunt beatitate donari; imò quò major est princeps, eò sit laboriosior. Maximinus Imperator, non solùm viribus corporis, & imperatoria dignitate; sed & laboribus tolerandis, ac subeundis maximus, à Tribunis suis quibusdam reprehensus, parum decere exercitûs imperatorem tot laboribus defatigari, ac frangi, respondisse fertur: *ego verò quò major fuero, eò magis laborare cupio*, censuit virtutem, & gloriam nonnisi labore comparari; & partas in bello victorias, eò plus afferre voluptatis, quò majori labore, acriorique conflictu fuerint comparatæ; idque causæ, cur Xenophon labores obsonia esse dixerit viris fortibus; neque oppositum sentijt Alexander Macedo, cum nihil magis servile esse censuit, quàm enervem luxuriam; & nihil magis regium, quàm laboribus insudare, ardua superare; & ad gloriam suso sudore sibi viam emollire; quod etiam Cyrus intellexit, cum dixit: ego arbitror, decere principem anteire subditos, non vitâ desidie, ac laborum experte: sed eo quòd rebus provideat, labórésque lubenter subeat: quia ut ait Euripides in Erichtheo, quæ pulchra sunt; seu cæteris excellentiora, multis constant laboribus: huc pertinet illud Menandri: *Ut sis beatus, est laborandum tibi*: quia ut monet Livius *Decad. 1. lib. 4. Labor, & periculum impenditur, unde honor, & emolumentum speratur*: & quia nullum potest majus hominibus emolumentum obtingere, quod ex cælesti gloria in ipsa derivatur; omnem debemus laborem impendere, quò eadem donemur: neque ullus debet nobis durus labor videri, nullúmque tempus longum, quo æternam gloriam enanciscamur; & difficultates vincamus, quæ inde nobis obviant, non enim debent nos exterrere, quia ut monet Plato: *difficilia, quæ pulchra*, seu ut docet Aristoteles in Nichomachicis: *malum est facile, & bonum difficile*, quatenus natura pravis stimulata concupiscentijs pronior est ad indulgentiam vitiorum, quàm ad virtutum studia; propterea curæ laboriosæ id efficiunt, ut ad pulchra, & honesta facinora perveniatur: sicut miles sine conflictu victoriam non assequitur; nec olympiâ palmâ coronatur Athleta sine pulvere; ita neque gloriam enanciscimur absque labore: & quæ minori acquiritur impendio, non tanti fit, quàm quæ non nisi post plures exantlatos labores, ac superatas difficultates obtinetur: contemnitur quod est superatu facile, & rerum omnium cupido languescit cum facilis est occasio. 23

Cæterum nil est tam difficile, quod labore, & constantia non vincatur; labor improbus juxta Maronem omnia vincit; quia ut ait Curtius: Nihil tam altè natura constituit, quò virtus non possit eniti; & quamvis Fabius moneat; non esse tentanda, quæ effici omnino non possunt: laus tamen est interdum in ardua niti, quæ si ab initio superatu videntur difficilia, labore tandem improbo, & constantia vincuntur: è converso turpe, ac indecorum à rebus honestis, & præclaris, metu difficultatis absterreri, hac de causa Thucydides reprehendit ignaviam vulgi in veritate inquirenda, eò quia ab obvijs sinat se difficultatibus ab inquisitione absterreri: alij à præclaris gestis labore perterriti se abstinent; qui tamen si difficultatibus superandis manum admovissent, laude non caruissent, imò & gloriâ claruissent, quia ut Poëta monet: *in magnis* vo-

voluisse sit est: participatio aliqua virtutis putanda est, velle virtute præditum esse. Magnarum rerum quamvis exitus ad vota non contingat, conatus tamen honestatem induit, quâ fit laude dignus; ne labor impensus suo careat præmio. Victoriam in castris conflictus præit; & in Christiana militia triumphum in cælesti Capitolio labores necesse est præcedant in terris, & exercitia virtutum; sciitè D. Bernardus in die natali S. Victoris Confessoris *serm. 2.* ait: *Non recte planè, sed perversi est animi ante quærere gloriam, quàm exercere virtutem; & velle coronari, qui legitimè non certaverit. Vanum est vobis inquit ante lucem surgere. Ita frustra ad celsitudinem nititur gloriæ, qui priùs non clarus virtute. Frustra fatuæ virgines sponso obviam surgunt, quarum lampades extinguuntur: & ideo fatuæ, quia vacuis gloriantur lampadibus virtutis oleum non habentes.*

24 Non splendet lucernæ lumen, nisi oleum alimenta suppeditet; & gloria non acquiritur, neque fulget, nisi laboribus comparetur; & per exercitia virtutum, quæ obviant nobis difficultates, superentur: ut ad cæleste sistamur Capitolium triumphis insigniti, necesse est in hujus mortalis vitæ castris toto nisu, totisque viribus pugnemus, & pravas concupiscentias expugnemus. Cœlestis gloria est veluti messis, quæ culturæ respondet virtutum; quæ jacimus meritorum semina colligimus in fructus gloriæ cumulata: in dominici cultura agri necesse est laboremus, bovisque instar indefessi sub jugo laboris glebarum difficultates proscindamus: huc accersendus Petrus Blessensis epist. 9. ubi expendens legem Levit cap. 1. de bove ad ostium tabernaculi statuendo ait: *Lex etiam de sacrificiis præcipit, ut bos offeratur in ostio tabernaculi: quia qui laborant in agro dominicæ culturæ, liberè possunt cæleste tabernaculum introire.* Militiam esse hominis vitam noverat Jobus, quò inde discamus sine laboribus victrices lauros non esse nos suscepturos, nec sine certaminibus, coronis, & præmijs donaturos: quæ hic certamina instituimus, & pugnas inimus contra pravos quosque affectus mundique lenocinia, ac voluptatum blandimenta, coronas nobis prætexunt, quas erimus in cœlis suscepturi, ut innuit Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 24. inquiens: *In mundo pressuram habebitis. Perspicuum enim est certaminum, ac laborum stadium hanc vitam esse: coronarum autem, & præmiorum futuram.*

25 *Formicæ* grana, quæ surripiunt ex aliena messe, corrodunt, & veluti forcipe dividunt, ne humiditate imbuta corrumpantur, & in herbam exeant earum usui minimè accommodatam. Lemma *Malè parta tueri, hoc opus.* APODOSIS. Divites avari aliena surripientes, & iniquis quæstubus auri, argentique acervos cumulantes, vix acquisita tranquillè possident, nec partis ingenti labore fruuntur: siquidem malè parta, malè dilabuntur, & divitiæ malè acquisitæ vitia habent sibi cohærentia, qui ut ait D. Hieronymus: *Dives aut est iniquus, vel iniqui hæres.*

EXCURSUS.

Avarus partas divitias majori servat labore, quàm acquirat.

26

NOn prosunt avaris congestæ divitiæ, quas similes dixeris domesticis illis corvis, quos Sinatum Magnates dicuntur domi enutrire, ac piscationem edocere, non sibi, sed Heris utilem: siquidem horum colla nodo ita laxo constringunt, ut non interclusa respiratione captos ab ijsdem pisces, nec deglutire, nec in stomachum demittere possint: è caveis ubi jejuni ad aliquot tempus manserunt emissi, & fame stimulati se se admirabili solertia, ac industria in aquas piscibus refertas immergunt; & pisciculos minutos ore conceptos, majores verò rostro apprehensos domum referunt, non sibi, sed Hero utiles. Similes hisce corvis avaros assereres iniquo quæstu aliena surripientes: divitias enim quas congregant, custodiunt, non sine curis, ac solicitudinibus, non sibi tamen utiles, sed hæredibus, ad quos transmittunt, & quemadmodum milvus raptò vivens viscera aliena præ ingluvie rursus evomit: perinde avarus, qui in aliorum copias se subitò ingurgitat, repentè fit dives, sed non multo post eas rursus effundit, quando cum censu sensum perdit, ostium pulsante Libitina.

Quòd si divitias Bion non aliud esse dixerit, quàm fortunæ vomitum, avarus qui iniquo quæstu, & alieno damno opes cumulavit, 27 cùm moritur integras evomit in hæredum commoda, hinc ajebat D. Gregorius: *Malè sibi consulunt, qui cùm alieno damno rebus suis consulunt.* Ut inde conijcias, avaritiam non solùm perniciosam esse avaro, sed etiam sibi, & alijs damnosam: hinc pudor, quòd homines centenis, imò & millenis conflictentur incommodis ob insatiabilem pecuniæ cupiditatem, quæ nunquam expletur; ut non solùm, quæ habent, libidine augendi crucientur, verùm etiam amittendi metu torqueantur: & mox animam agentes opum omnium malè partarum jacturâ, & profusione, seu cum fortunæ vomitu fœdam, & avaritiâ sordescentem etiam animam evomant, nullam secum trahentes utilitatem ex iniquo quæstu ex malè partis divitijs: quia quæstus iniquos damnum semper excipit, & Euripides in Jone, infelicem messem eos metere dicit, qui opes, & divitias per fas, & nefas sibi acquirunt, & in Iphigenia Taurica ait: *Sic parta lucra non honestis artibus obesse, quàm prodesse cernes pluribus.*

Avaros ijs deteriores dixeris, qui ad metalla damnari, 28 & solari luce destituti miserè gemunt jugi labore pressi, nam istis post diurnos labores saltem nocturno ab opere est cessatio, & per somni indulgentiam detritas ex diurno labore vires instaurant: at avari diurnis laboribus nocturnos addunt timores, quibus seriùs cruciantur; & ordinandis negotijs, vel fortassis meliùs consuendis fraudibus intenti nullam quietis percipiunt partem: & malè

par-

parta tueri, hoc opus, hic labor ijsdem est, cùm jugi metu premantur, ne malè parta malè dispereant; seu ne fures surripiant, quas ipsi opes congesserunt: hinc avarus quò ditior eò est miserior ob curas, sollicitudines, & molestias, quibus in malè partis custodiendis excruciatur. Neque credas, eum divitem quamvis divitijs affluentem, quia plura sunt, quæ ipsi desunt, & anxiè expetit, quàm quæ possidet, adeò ut rectè dixerit ille: avaritiam vitiorum esse alpha, eò quia fluxæ fortunæ bona acquirendi nullus eidem sit finis, & non tantùm desit, quod habet, quàm quod non habet: bona enim desunt avaro, eùm adsunt, & ijsdem caret, quæ possidet, quia ijsdem non fruitur; laboràtque inopia, dum divitijs affluit, quia nullam utilitatem, nullùmque commodum ei partæ divitiæ suppeditant, imò curas, molestias, & sollicitudines, quibus die, noctúque pungitur, & torquetur: & quæ non habet, anxio desiderio habendi eum torquent, & dum in partis divitijs cumulandis se felicitatem quærit; in ijsdem partis, & custodiendis infelicitatem experitur, & desiderio fortunæ, se constituit infortunatum, quem vel ipsa copia inopem facit, & miserum ipsæ divitiæ; plerumque enim alienum timet ferrum, eò quia congestum possideat aurum: quia ubi multæ divitiæ, & multæ insidiæ; ideóque malè parta tueri, hoc opus, hic labor.

29 Neque ullum potest avarus emolumentum experiri, eò quia moriens congestas relinquat successoribus divitias: persæpe enim totius laboris, ac industriæ fructus ad eum devolvitur hæredem, qui divitias omnes abligurit intra perbreve tempus, & tunc malè parta, malè dilabuntur, & divitiæ fomenta fiunt vitiorum. Refert Sabellicus *lib. 5. Ennead. 7.* Neminem ante Severum Imperio Romano præfuisse, qui ditiores filios reliquerit; sed & neminem, qui turpiores, Passianum scilicet fratricidam, & Getam. Quin etiam in sacris monumentis legimus *4. Reg. cap. 20.* Ezechiam ingentes thesauros degeneri prorsus ac flagitioso reliquisse Manassi. Ut plurimum hæredes avarorum parentum exantlatis laboribus abutuntur, & in congestis pecuniarum acervis porcorum instar volutati cœno conspurcantur vitiorum omnium. Gabrias apud Athenienses Princeps victorijs clarissimus, omnique laudis genere commendatus referente Athenæo *lib. 4. c. 12.* Congestos plures auri, argenti, & gemmarum acervos, ac opimam hæreditatem Egesippo filio reliquerat: qui tamen cùm decoxisset amplissimam hæreditatem, etiam lapides paterni sepulchri (in quod populus Atheniensis mille impenderat drachmas) impiè prodegit.

30 Quòd si congestæ divitiæ avaro non prosunt ejus hæredi majori sunt damno, quàm emolumento: quia malè partum, malè disperit, vel in uno, aut altero possessore, vixque ad tertiam transit generationem: & hæc est summa avari miseria, non solùm se ipsum miserum facere, sed & miseriores posteros: non solùm vana, sed etiam acerba est avaro vita, quæ perpetuo laboris pistrino contunditur, avarus siquidem neque à noctium vicissitudine qoietem, neque ab ingravescente ætate postest exemptionem impetrare à curis; quia ut ait Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 233. *Quos avaritia ceperit, tyranno quovis acerbius torquet, & insultans excruciat, neque tantillum quidem ad respirandum quietis permittit; sed acerbiorem infligit pœnam, quam ij luant, qui ad metalla damnati sunt, quibus tandem confecto opere somno, & quiete frui licet.* Is est dives, non qui divitias iniquo quæstu acervat, sed qui æquo titulo acervatis bene utitur, & inopum indigentijs instaurandis, miserijsque levandis impendit. Sicut angusti est animi divitijs inhiare, ita amplissimæ est mentis pecunias in aliena commoda beneficâ munificentiâ conferre, est enim beneficentia fructus divitiarum, quæ rectè impenduntur, præsertim in pauperum instaurandis ruinis, levandis miserijs, & explendis indigentijs, ex quo plurimum utilitatis in animam redundat, idque causæ, cur Agapetus *epist. ad Justinianum Cæsarem* dixerit Inexhaustas esse opes beneficentiæ, eò quia largiendo acquiruntur, & dissipando colliguntur, perinde ac ubera ait Clemens Alexandrinus *lib. 3. pædag.* Quæ quò frequentiùs emulgentur, eò magis turgescunt: & non secus ac putei, è quibus pellucidi scaturiunt latices, quò enim plus aquæ exhauseris ad pristinum revertuntur statum salubriores etiam exhibentes aquas.

31 Quòd si hæc beneficentia in pauperes exerceatur, eò uberiores promanant ab eadem fructus, quos pauperibus elargientes DEO fœnerant. Paucas erogamus inopi pecunias, ejus famem uno, vel altero pane abigimus, ejúsque sitim frigida extinguimus, & in extremi judicij tribunali æternum judicem in nostrum flectimus favorem, eúmque audimus nobis dicentem: *Venite benedicti Patris mei: esurivi enim, & dedistis mihi manducare:* Feracissimus ager est pauperis sinus, quæ ipsi pecuniarum concreduntur semina mediante culturâ beneficentiæ, & charitatis in coronas excrescunt cœlestis regni, nundinæ sunt quæstuosissimæ pauperes; quibus minuto ære maximas nobis, & pretiosissimas emimus merces; compendiosa est hæc negotiatio, cum panis fragmento æterna rependatur merces.

32 Tanta enim est vis eleemosynæ ait Chrysostomus *homil. 34. in Genes.* ut multa cum fiducia in cœlum evehat pauperibus opitulantes. Est perquam nota cœli Janitoribus eleemosyna, imò & venerabilis, & ejus propterea cultores nemine repugnante introducuntur; sunt enim amici, qui cùm viverent non defecerunt, & propterea recipiuntur in æterna tabernacula. Olim apud Romanos ij rebus suis dicebantur bene consulere, qui patronos apud Imperatorem aliquo sibi munere devincirent: sed rebus suis longè utiliùs consulit, qui cœlestes Aulicos sibi demeretur, & pauperes in communionem divitiarum sibi adsciscit: avarus autem sibi malè consulit, cùm sibi tantùm consulit in pecuniarum acervatione, quas ingen-

ti cura, ac sollicitudine tuetur, ne quis eas surripiat: imò sibi, & rebus suis non consulit, sed in propriam perniciem hæredem locupletat. Hinc Salvianus lib. 3. ad Eccles. Cathol. alloquens avaros ait: *Pios vos esse dicitis, cùm hæredes diligitis? ego verò contendo nihil vobis inhumanius, nihil magis sævum, aut impium dici posse, à quibus hoc impetrari non potest, ut vos ipsos diligatis. At filijs, Nepotibus, amicis consulitis. Esto. Est enim charitatis plena excusatio. Sed est modus in rebus. Neque ullum cujusquam tam charum pignus, quod animæ præferatur. Justius est aliquid hæredibus deesse de patrimonio, quàm testatoribus de salute.*

33 Si Plinio credimus *lib. 13. cap. 4.* Aurum plurimis modis pollet in remedijs, estque alexipharmacum vulneribus curandis perraptum, & veneficijs arcendis, idque causæ, cur olim vulneratis, ac pueris nondum trimulis aurum applicaretur, ne ijsdem veneficia nocerent. Ait Plinius. *Aurum vulneratis, & infantibus applicatur, ut veneficia minùs noceant, quæ inferantur:* Sed nostris medetur aurum vulneribus, & veneficia excutit noxarum, si pauperibus applicetur, si alienæ miseriæ levandæ impendatur; tunc aurum prodest nobis, quando illo caremus, ut alienam suppressionem elevemus. Prosunt divitiæ, si possessæ pauperibus erogentur, obsunt verò si acervatæ custodiantur. Aurea clavis vulgo dicitur omnem aperire januam, nihilque esse, quod aurum non obtineat, nullam insurgere difficultatem, quam aurum non superet: si igitur peccatum nobis cœli januam clausit, hæc auro non custodita, sed pauperibus erogato iterum aperitur. Idque fortassis causæ, cur DEUS fontes auri, fluxique argenti esse noluerit, ne scilicet aurum sitientes nostram hauriremus perniciem, ut notat D. Chrysostomus *serm. in 1. ad Corinth. cap. 15. de eleemosyna, & collationes in sanctos* inquiens: *qui dixit: germinet terra herbam fœni, & ipsa mox protulit viridantem faciem: cur non potuit præcipere, ut fontes, & fluvij auri ubique essent? at noluit, sed permisit multos inopes tam ob illorum, quàm tuam utilitatem. Quandoquidem ad virtutem conducibilior est paupertas, quàm divitiæ.*

34 Divitiæ, quæ sitiuntur, non prosunt, nec sitim extinguunt, quamvis congestæ, sed acuunt; hinc plus torquent avarum, quæ non habet, quàm oblectent, quæ habet; hæc jugi sollicitudine, cura & negotijs satagit possidere: & quia hoc possidendi desiderium nullo clauditur fine, nec miseriæ avari ullo finiontur termino, adeò ut in summa rerum copia duplici laboret avarus inopia: siquidem eget, quia quas non possidet divitias, enixim cupit; & iterum eget, quia rebus, quæ possidet non utitur, nec illi prosunt, ac si ipsas non possideret; illis etiam haud absimilis est avarus Indorum formicis auriferis, quas ait Plinius *lib. 11. cap. 31.* auro inhiare, quod nulli est ipsidem commodo: idque etiam refert Strabo lib. 15. ubi ait: apud Indos montanos planitiem quamdam esse montanam ter mille stadiorum ambitu, & sub ea aurifodinas latere, quas formica vulpibus magnitudine haud minores effodiunt; & vicinos incolas auri ramenta satagentes clam surripere insectantur, & sæpe unà cum juo entis interimunt; & ut raptores lateant formicas ferinas carnes per loca plurima disponunt, ut prædæ aviditate formicæ distrahantur, & auri ramenta ipsi surripiant, & aliò asportent. Dixeris, has formicas hominea avaritiâ sordescentes exhibere: siquidem pecuniæ reconditæ cùm non sint ipsis usui, neque patiuntur alijs esse commodo, ideóque absque ullo usu proprio avidissimè servans, & malo ingenio, quæ alijs utilia essent, denegant, quod sordescentis est proprium avaritiæ, hinc Juvenalis Sat. 14.

Tantis parta Malis cura majore, metúque
Servatur, misera est magni custodia census.

35 Adeo sordida est avaritia, ut hoc vitio laborare nolint avari, nitantúrque colore aliquo honesto ejus obtegere turpitudinem. David quamvis multis officijs, ac obsequijs sibi Nabalem devinxisset, fame tamen pressus ab eodem aliquod vitæ subsidium per legatos humanè petijt: sed Nabal fucato obnitens sordidatam avaritiam colore obtegere excusationem prætendere studuit, se nimirum quod tonsoribus præparaverat convivium non posse imminuere inquiens 1. Reg. cap. 25. *Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis,* ac si diceret, si alio tempore obsonia à me petijsses, facilè desiderata obtinuisses, sed cùm hodie jam Tonsores ovium habeam convivas non possum eos excludere, nec jejunos dimittere; ideóque debes me excusatum habere, si tuis nequeo votis annuere, nec petita obsonia tibi exhibere. Ecce quo fucato colore, quâ futili excusatione sordes avaritiæ obtegere adnititur, ne videatur ipse hoc morbo laborare, honestam ad speciem prætendit excusationem; ne quidquam Davidi indigenti, & obsonia petenti daret.

36 Tale est avaritiæ ingenium liberalitatem fugere, & honestum semper architectari colorem, quo suam palliet turpitudinem: avarus enim neque in proximi commodum natus est, neque in sui utilitatem genitus, & tam illi deest, quod habet, quàm quod non habet; nisi quòd possessi sollicitudine premitur; & amittendi possessum metu torquetur, ac ne videatur avaritiâ sordidatus colorem semper aliquem prætendit: idque expertos fuit adolescens ille, qui cùm à paterna discessisset domo totam substantiam, quam secum tulit cum meretricibus abligurivit, cùm enim prodigus ille adolescens cœnoso inserviret pecori, & vestibus laceratus, corpore luridus, voltu emaciatus, fame tabesceret, nemo illi annonam, nec quidquam alterius obsonij suppeditavit, quo stimulos famis sedaret Luc. 15. v. 17. *Nemo illi dabat.* Mirum sanè, quòd cùm suilo gregi non deessent siliquæ, obsonium defuerit homini, & nullus esset, qui panis silicinei frustulum daret; fucatum avaritiæ colorem innuit sacer textus Luc. 15. *Facta est fames valida in regione illa,*

Quid

Quid? quòd cùm porci hæc sterilitatis
37 non sentirent incommoda, ea prodigus adolescens in sui experiretur detrimentum? quia nimirum pinguedo cœnosi pecoris opes avari augebat, quas suppeditata famelico adolescenti obsonia minuebant; ideóque sterilitatis colore avaritiam palliaturus, quæ suili gregi non deerant siliquæ, homini jejuno, & famelico deerant obsonia: ajebat prodigus filius: *Ego autem hic fame pereo*: & quod Herus avarus recusaverit necessitati adolescentis subvenire in temporis infortunium, solique sterilitatem refudit, quod avaritiæ fuit commentum. Huc accersendus Philo lib. de Joseph, ubi ad rem nostram ait: *Nec sunt audiendi qui culpam referendo in difficultates temporum, infelicem proventum frugum, agrorum sterilitatem, loci situm in maritimis, aut mediterraneis, in continente, aut Insulis, & id genus alia veritatem dissimulant; est autem vera causa avaritia.* Licet avaritia tenacissimi Heri prodigo famescenti causam denegati obsonij non proderet, pinguius tamen pecus, grex suilis, cui siliquæ non deerant, non annonæ charitatem, nec sola sterilitatem, sed avaritiæ tenacitatem, causam fuisse denegati obsonij satis perspicuè innuit.

EXCURSUS

An Formicæ utantur ratione, calleántque prudentiam.

38 NOn desunt qui putârint, formicas uti ratione, ac prudentiam callere politicam, & œconomicam; præ cæteris citatur pro hac sententia Cicero *lib. 3. de natura Deorum* ubi ait: *In formica non modò sensus, verùm etiam mens, ratio, & memoria.* Callere itidem Prudentia politica ex eo nituntur evincere: quia sicut Apes suam constituunt rempublicam ad formam, ac normam Monarchiæ, in quo regimine unus solus reliquis præest: perinde formicæ suam instituunt ad normam non regiminis Monarchici, seu unius solius; sed Democratici, vel Aristocratici. Quamvis enim vivant instar gregis, non tamen regis obsequuntur imperio, ut habetur Proverb. 6. v. 6. *Vade ad formicam ò piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam; quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem; parat æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.*

Idque novit etiam Aristoteles *lib. 1. histor.*
39 *animal. cap. 1.* ubi asserit, civilis generis esse hominem, apem vespam, formicam, & gruem, quarum alias sub duce esse, ut grues, & apes; alias nulli subditas imperio, cujusmodi sunt formicæ. Verùm quamvis formicæ regem non habeant, qui cæteris præsit, habent tamen in sua republica suos ductores, & optimates, ut censet Ælianus *lib. 2. cap. 5.* ubi ait, seniores formicas constituunt exploratrices, quæ ipsis præsint, & in meliora pabula adducant.

Quòd verò mira prudentia, ac dexteritate suam curent, ac administrent rempu-
40 blicam, ex eò evincitur; quia licèt inter homines Aristocratica & Democratica vivendi forma periculo non careat, ob æmulationes plurium in eodem officio, & varijs sit obnoxia incommodis; formicæ tamen adeo probè suum instituunt regimen Democraticum, vel Aristocraticum, ut nihil inde accipiant detrimenti, nec ulla unquam fiat perturbatio; idque argumento est, eas ad regulas rationis suum dirigere regimen, cum pericula præcaveant seditionis, & perturbationis, & in id incumbant studij, ut omnia tranquillè peragantur; & singulæ propria pacificè obeant officia, nec una sit alteri impedimento, quod ad prudentiam pertinet politicam.

41 Pollere itidem formicas prudentia œconomica, ex eo liquet, quia non ut pleraque alia animalia in diem vivunt; sed mira solertia quòd etiam in illud tempus sibi de annona, & commeatu solicitè prospiciunt, quo illum parare ampliùs nequeunt; prævident hyemis sterilitatem, nives, gelúque; frugúmque copiam æstate, & tunc messis tempore campos, areásque percurrunt, annonam colligunt, deferúntque in horrea, & ne grana in terræ gremio recondita germinent corculum providè singulis arrodunt granis, quibus vitæ principium arripiunt. Sin verò grana in horreis suis hypogæis contracta humiditate madeant, ne corrumpantur, & putrescant in solem, sudúmque sereno aëre ad exsiccandum proferunt, reponúntque exsiccata in horreum, servántque ad supplendas naturæ indigentias: idque causæ cur formica apud Ægyptios hieroglyphicum fuerit hominis providi.

42 Quæ suscepta opificia ob virium imbecillitatem nequeunt statim absolvere, laboris continuatione perficiunt, eâ enim solertia formicæ susceptis perseverant in laboribus, ut assiduè laborando durissimos etiam lapides excavent; ut pudeat, homines desides otio marcescere: hinc Salomon Proverb. *cap. 6. v. 11.* homini desidi minatur venturam egestatem tanquam virum armatum: quod venusto apologo expressit Gabrias Poëta Græcus. Petebat cicada hyeme à formica cibum; cui formica dixit: & quid æstate faciebas, cui cicada, acutum cecini: si æstate libuit cantillare, reposuit formica, hyeme nunc salta.

43 Quis igitur eat inficias plurimum formicis inesse prudentiæ. Scio prudentiæ duo esse præcipua officia cavere, & providere; illud in malis arcendis totum est; istud in bonis procurandis, utrúmque à formicis exerceri exploratum est; rempublicam enim habent non Solonis, aut Lycurgi præscriptis, sed æternis naturæ legibus probè constitutam, ne quid mali illis obtingat, pericula præcavent; & ne ipsis quidquam desit ad sui conservationem obsonia vitæ alendæ necessaria congregant, servant in horreis, ut urgente fame, & lurida sterilescente hyeme vires reficiant servata, & recondita annona, quam æstate in campis ex messe superstitem collegerant.

44 Verùm formicas nec ratione vigere, neque prudentia pollere, tenentur omnes fateri, qui homines distinguunt à brutis, eò quia cum sit homo rationalis; & per rationem, ut differ-

ferentiam constitutivam distinguatur à brutis, consequenter etiam à formicis; necesse est, sint hæ ratione destitutæ, & non sint discursivæ, neque veram, ac formalem habeant prudentiam, sed quamdam duntaxat similitudinariam fundatam in naturali instinctu illis à rerum Conditore indito. Alioquin si formicis inesset ratio, discursus, & vera prudentia gauderent libertate, & essent capaces meriti, & demeriti, quia ratio, & discursus sunt radices libertatis: sed bruta non operantur liberè, sed ex quodam tantùm naturæ instinctu, à quo potiùs aguntur, quàm dicantur ipsa agere.

45 Firmatur, quia agentia libera agunt ex electione, deliberant, consultant, de iis, quæ faciunt: sic homo quia liberè agit, non solùm cogitat quomodo possit hostem interficere, sed etiam consultat, an expediat, & quo tempore, quo in loco, quibus instrumentis. Bruta verò ita non agunt *Non enim*, ait Franciscus Vallesius *lib. de sacra Philosophia cap. 55.* Felis consultavit de ignoscendo muri; neque canis venaticus cogitavit de innocentia feræ; idque argumento, non ex arbitrio, sed naturali instinctu, & propensione operari.

46 Idque ex eo etiam evincitur, quia in qualibet brutorum specie individua semper operantur uno eodémque modo: non enim ut homines, aliqua brutorum individua sunt crudelia, alia mitia, quædam liberalia, hæc avara; hodie justa, crae injusta: sed unum, & idem, & quidem eodem modo semper agunt: ergo quia solo naturæ instinctu operantur.

47 Ad id quod ex Philosopho asserebatur de formicis, respondetur, Aristotelem tantùm tribuisse formicis quamdam prudentiam similitudinariam; quatenus perinde operantur, ac si prudentiam ducem in suis operationibus sequerentur: unde nonnisi per quamdam analogiam prudentia, & sapientia dicuntur inesse formicis: quæ tamen nonnisi instinctu naturæ operantur.

Formicæ Indicæ rigente bruma post æsti-
48 vos labores aurifodinas effodientes. Lemma. *semper laboriosæ, nunquam desidiosæ.* vel *negotium minus, quàm otium*: ait Plinius *lib. 11. cap. 31.* cum Strabone *lib. 15.* degere apud Indos Septentrionales, qui Dardæ vocantur, formicas corporis magnitudine vulpem æqoantes, quæ hyeme cùm ab æstivis laboribos datur vacatio, totæ sunt in excavandis aurifodinis, adeo ut nunquam possint esse otiosæ, sed semper sint laboriosæ, ferveant, laborent, insudent, humum fodiant, aurum egerant, aurique ramenta in unum congerant. Apodosis. Viri virtutum culturæ addicti, & Christianam perfectionem assequi adnitentes, nunquam à labore, exercitio desistunt virtutum, nunquam otio marcescunt, semper laborant, fervent spiritu, & nunquam otij gelu frigent. Sciunt enim honestè occupatis, & virtutes exercentibus DEUM præsto esse, & ab otio torpentibus fugere: quia sicut otium est tinea virtutum; ita honestus labor est earundem tutela; otium vitia accersit, quæ labor abigit, & Christi militem non otium, sed labor probat; nec Christi miles dici meretur, qui otio, ac desidiâ torpet, qui laborem exhorret, ac fugit; & in id tantùm laborat, ut non laboret.

EXCURSUS.

Honestè laborantium sudores Deus abstergit, & laboris impertitur mercedem.

Labor si honestus fuerit, pro oratione est, 49
nec DEUS distat à justè, ac laudabiliter laborantibus: & sudores, quos labore pressi fundunt DEUM emolliunt, flectúntque in vota laborantium. Hinc Christus plerumque, cum hominibus in laborum exercitio reperitur, qui vix in studio contemplationis legitur inveniri, quia nimirum contemplatio quietem, & otium prodit, labor verò exercitia virtutum; & hac fortassis de causa ad monumentum non fuit repertus, cum à monumento redeuntibus mulieribus se obtulerit, ac duobus discipulis in Emaus proficiscentibus obviaverit, quia ubi mulieres, & Discipuli itineris labores tolerabant Christus iisdem se exhibuit, ut laborantibus esset solatio, mœrentibus gaudio, & defessis levamini. Appositè Guarricus Abbas *serm. 3. in Resurrect. Domini*: Ut enim JEsus se illam esse Sapientiam, de qua hæc scripta sunt, ostenderet; & quod quotidiè spiritualiter actitare non desinit, id est: In vijs justitiæ se ostendere hilariter; hodie corporalis etiam operis specie figuraret: in via hodie occurit mulieribus à monumento redeuntibus; in via se ostendit duobus euntibus Emaus. Audiant, & gaudeant, qui in vijs justitiæ ambulant; audiant, inquam, quia non solùm inhærentes studio contemplationis, sed etiam ambulantes justè, ac piè vias actionis JEsus dignatur, & occursu, & manifestatione sui. Agnoscit, ni fallor experientia quorundam vestrum; quia sæpe JEsus, quem quæsierunt velut ad monumentum, ad memorias altarium, nec invenerunt, insperatus occurrit eis in vijs laborum. Tunc nimirum accesserunt, & tenuerunt, pedes ejus. Quorum scilicet pedes non tenuerat pigritia præ desiderio ejus. Noli ergo tu frater, nimis parcere pedibus tuis à vijs obedientiæ, & discursibus operum; quandoquidem JEsus pedibus suis non pepercit propter te, etiam à dolore clavorum, & adhuc eorundem amplexu, & osculo pedum non gravatur, laborem remunerare, aut relevare pedum tuorum. 50
Hactenus ille.

Honestè, & laudabiliter operantes, sicut DEUM, ejúsque opem ad se accersunt; ita è converso desidea, & otio torpentes, qui suum non implent officium, per vitiorum indulgentiam DEI à se proximitatem abigunt, est siquidem otium improbitatis magister, schola nequitiæ, cathedra vitiorom, ut non immeritò Basilius *homil. 8. in Examer.* dixerit: Otium esse præceptorem vitiorum: & Tertullianus *in Apologet. cap. 47.* non valuerit se continere, quin Epicureos irrideret, qui cùm DEUM o-

omnium

omnium virtutum genere asserrerent ornatum, adstruebant postea otiosum, eò quia ex mente Tertulliani, otium DEO repugnet, & desidia divinitatem destruat, ait ipse: *Asseverant Epicurei DEUM, otiosum, & inexercitum, & ut ita dixerim, neminem:* quasi diceret, si DEUS otio torpesceret, & inerti langueret quiete, ut asseverent Epicurei, divinitatis non potiretur imperio: cum igitur sit jugiter DEUS in exercitio virtutum, honestè occupatis adest, & ab otio torpescentibus abest, & qui honestè ac laudabiliter occupantur, DEUM ad se accersunt. Tunc arca Bethsamitis appropinquavit, non cùm otio indulgerent, sed cùm honestè laborerent. 1. Reg. cap. 6. *Bethsamitæ metebant triticum in valle, & elevantes oculos suos viderunt arcam;* quæ ad ipsos laborantes accessit, & eorum sudores absterfit, ac animos grato sui spectaculo recreavit, ut innuit Josephus Hebræus inquiens: *Æstatis tempus, dum omnes in agris essent pro colligendis fructibus, cùm vidissent arcam delectationes passi sunt.* Impensus labor in metenda flavescente segete Arcam è loco dissito accersivit, & fusus sudor oblectationem promeruit. DEUS Moysi non apparuit, cùm otio torperet, sed cum pastoritiam exercens, & munere fungens opilionis oves ad pascua salubriore duceret, tunc enim in flammescente Rubo DEUS apparuit oves ducenti, & earum commoda solicitè procuranti Exod. 3. v. 1. *Cùm minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem DEI Oreb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio Rubi.* Ecce ad interiora deserti per abstrusiores calles, per invia montium pergebat Moyses, ubi herbida salubriora, ac ovibus exhibebantur commodiora: tunc quò illustriùs Moysi se DEUS objiceret in Rubo lambentibus, & non lædentibus flammis circumdato apparuit, quo spectaculo labores liniret Moysis, & eblandientibus flammis sudores siccaret, & animum recrearet, ut notavit Philo lib. 1. de vita Moysis inquiens: *Accidit quondam, ut dum sectatur loca herbida, rigua, lataque pascuis in quodam nemore videret visionem.*

51 Quòd si honestus labor DEUM allicit, quem ad se trahit in solamen laboris, in abstersionem sudoris: otium è contra vitia fovet, & DEUM longiùs à se abigit, & cùm otio marcescentes nil proprium commodum lucrentur, nugis inanibus diem perdunt, & tempus prodigunt; quia non auribus tantùm, sed & pedibus malè prurientes, ac pervagantes, se in reculas inanes, nulliùsque momenti effundunt, plus foris, quàm apud se hærentes: & vita otiosi cùm nullius sit meriti, nullius quoque est pretij, quia tempus otiosè impendere est temporie pretium quovis alio pretiosius pretio prodigere; & nihili facere, quod maximi esset faciendum. Imò non solùm tempus perperam prodigunt, sed vitijs indulgentes libidine effœminantur, & veluti naves maris altiora trajicientes sine gubernatore, absque remige, omnibus eblandientis licentiæ ventis ad languidam rapiuntur corporis delectationem, & ignaviâ diffluentes, desidiâ emolliti, ac delinimentis enervati voluptatis nil boni, nilque honesti moliuntur, & toti sunt in nugis, fabulis, jocisque, quibus temporis semper perdunt pretium, & nihil lucrantur solidi. 52

Non tamen cùm otio torpent, credas otium sinere otiose otiari, cùm enim tempus prodigant, ejúsque pretium miserè perdant, non otiantur, cùm suam agant perditionem. Esau à primatu excidit, non cùm laboravit feras insequens in sylvis, sed cùm è venatione redux, domi otio indulsit, & cibum Jacobo paratum expetijt; jura perdidit primogeniti, quia sine labore obsonium quæsivit, ut eleganter notavit D. Ambrosius *lib. 10. Epist. 82.* Non otio, inquit, non somno merces paratur, nullum opus dormientis est, nullus fructus otij; imò magis dispendium. Otiosus Esau amisit primatûs benedictionem, quia maluit cibum accipere, quàm quærere. Laboriosus Jacob apud utrumque parentem invenit gratiam. Pergit, & Rebeccæ prudentiam commendans Jacobíque labores, ait. Imitare Patriarcham, qui de consilio matris longinqua petijt. Et cujus matris? Rebeccæ utique, hoc est patientiæ, cujus enim nisi patientiæ hoc consilium esse poterat? amabat mater contra affectum pij amoris, dimitti filium: maluit enim sibi eum exulare, quàm DEO; & ideo quia bona mater utrique detulit, juniori benedictionem, quam conservare poterat: non enim filium filio; sed impigrum otiolo prætulit, fidelem infido. Sed etiam filio ipsi seniori non parum contulit, amando minorem filium, ne parricidium faceret. Itaque, quoniam ob pietatem, non propter improbitatem exulabat à parentibus; loquebatur cum DEO, augebatur censu, liberis, gratia. Hactenus D. Ambrosius.

53 Esau licèt laboraverit in campo, quia tamen domi postea otiosus absque labore obsonia expetijt, à Jure excidit primogeniti. Sunt qui insignia, & egregia opere eggrediuntur virtutes exercent, in bello sunt fortes, in foro modesti, mores ed normam virtutis componunt, adversa æquo enimo tolerant, convicia, & calumnies patientiæ clypeo retundunt, qui in amicos sunt benigni, in inimicos temperati, qui publica, & privata religiosè & sanctè administrant; sed quia laboribus postea parcentes, & otio indulgentes, proprias non valent cupiditates coërcere, quidquid per exantlatos labores fuerunt lucrati miserè perdunt, otio marcescentes, & vitijs se inquinantes, ut scripsit Seneca epist. 120. *Quidam alternis Vatinii, alternis Catones sunt, & modò parum illis Severus est Curius, parum pauper Fabritius, parum frugi, & contentus vili Tubero: modo Licinum divitijs, Apicium cœnis, Mæcenatem delicijs provocant. Maximum indicium est malæ mentis fluctuatio.*

54 Imò non solùm malæ, sed infelicis, & stultæ mentis argumentatio est post exercitia virtutum, toleratos labores consilium mutare, & cùm exiguum superfit tempus otio illud deperdere, & debitum ror laboribus præmium amittere. Saul descenderat in Gelgala, & per septem dies periculis adurgetur, cúmque adhuc exiguum superesset, ab obedientia defe-cit,

cit, & à laboribus, quos jam subierat, cessavit: & obtulit pacifica, & holocausta 1. Reg. cap. 13. *Et obtulit holocaustum*: sed tunc acriter redarguitur à Samuele, *stultè egisti, nec custodisti mandata Domini DEI tui, quæ præcepit tibi*: ut sacerdotio fungeretur, à DEI obedientia defecit; à laboribus subeundis se subtraxit; ideóque redarguitur stultitiæ: *stultè egisti*; quia dementia fuit post tot jam exantlatos labores, post tolerantiam expectationis omnia perdidisse, & per inobedientiam à virtutis exercitio defecisse, ut innuit Hugo inquiens; *Usque ad septimum diem expectavit, & cum tota septima die deberet expectare Samuelem, timore compulsus in ipsa septima die sacrificavit, & ita peccavit transgrediens pactum, quod pepigerat cum Samuele. Unde Josephus dicit: expectavit Saul Samuelem non cum perfectione.*

55 Ad laborem DEUS visus est hominem invitâsse ab initio, cum è luto eum plasmavit: siquidem laborantis habitu hominem formavit, qu si figulus laborans, quò figmentum disceret exemplo sui figuli laboribus assuescere; condidit hominem rationis compotem, beatitatis capacem, & cæremonia laborum consecravit felicitati, suæque similitudini: antea abigitur otium, quàm locum habeat; & in vitæ spiraculo specimen datur laboris, cum præ labore esset homo anhelus respiraturus. Cavendum tamen ne noster labor Sisypheus sit, seu frustraneus in rebus vanis, fluxisque, quæ nullum adferunt laborantibus emolumentum, sed dumtaxat nocumentum; labor noster non studia interrumpat virtutum; sed tolerantiam adaugeat adversitatum, & patientiæ exerceat documenta.

56 *Ichneumonis* cum aspide pugna. Est Ichneumon animal magnitudine felis, specie muris; nascitur in Ægypto, & ab incolis fuisse eidem cultum Numinis exhibitum referunt plures, eò quia referente Plinio *lib. 8. cap. 24.* ova Crocodilorum conterat. Ichneumon igitur pugnam initurus cum aspide, non inconsultè ac temerè in arenam descendit: neque aspis licet exiguus sit serpens, corpore longè parvior, tardus visu cadit animo, sed nihil trepidans certamen init. Ichneumon igitur pugnaturus in luto volutatur, & agglutinati luti operimento obducitur, justisque se armis septum credens, & hoc luteo protectum munimine in certamen descendit; & si lutum desit aquâ se alluens, séque in altum, madidúmque sabulum abijciens, ex reculis varijs, ac fortuitis arma ad tuitionem sui ingeniosè comparat, ac strenuè pugnat, eò de victoria tutior, quò luteo operimento obductior Lemma. *Eò spectabilior, quò despectior.* APODOSIS homo certamen initurus contra superbiæ aspidem, & cacodæmonem, ejus vires superat, morsum declinat, si suæ vilitatis lutum sibi ob oculos ponat, & humilitatis tectus loricâ, de proprijs diffidens viribus divinam enixim opem implorat, quâ ad victoriam corroboretur.

EXCURSUS

Humilitate tectus, & divina ope protectus gloriosè de hoste triumphat.

57 Videtur humilitas viribus destituta, & certamini ineundo, hostique tartareo expugnando, superbiæque compescendæ impar, cum singulis se submittat, quasi fortitudinis expers; & cuilibet cedat veluti imbecillis: verùm quamvis enervis videatur hominibus esse, inconcussa est tamen apud DEUM munita fortitudine, viribúsque ad victoriam corroborata; quinimo adeo valida, ut sola humilitas videatur Omnipotenti obsistere, ejúsque brachium ad vindictam armatum tenere, ne percutiat; talis fuit Moysis humilitas, quæ DEI irascentis in populum contumacem, ac protervum vicit impetum *Exod. c. 32. dimitte me, ut irascatur furor meus*; petijt DEUS dimitti, ac permitti à Moyse, ut cruenta clade frangere posset populi proterviam; vel saltem fuso sanguine ejus duritiem emollire; sed quid in Moyse fuit ita validum, ac potens, ut obijci potuerit DEO esse, & ejus furori impedimento? non credas aliud fuisse, quàm Moysis humilitatem ait Rupertus *lib. 4. in Exodum c. 25.* ubi expendens præfata verba ait: *Quid ageret Moyses breviter hic ipse innuit, DEUM dixisse referens, dimitte me. Psalmista verò vehementius exprimit, & dixit inquiens, ut disperderet, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus. Per nimiam humilitatem significat, Moysem DEUM tenuisse dicendo in confractione. Confractio enim nimia cordis humilitas est, quæ sola coram omnipotente DEO, & Domino universæ fortitudinis principe res fortis est, & valida, ita ut illâ laborante, quasi brachium suum ad percutiendum DEUS extendere non valeat, reginâ virtutum agente, ne resistatur ipsa, & vincente pro sua reverentia*: suam contra omnium fortissimum exerit humilitas fortitudinem, suásque vires exerit, quibus illum tenet, qui omnia continet. 58

Quinimò non solùm Moyses humilitate omnipotentem tenuit, ne in protervos gladium vibraret sui furoris, verùm etiam se extulit usque ad ipsam divinitatem, séque DEUM dixit Pharaonis: cum se indignum putaverit, qui in Ægyptum ad populum liberandum mitteretur, assumptus fuit, ut ipsius Pharaonis DEUS esset; seu quò demissiùs de se sentijt, eò sublimiùs eum humilitas extulit, ut scitè expendebat S. Laurentius Justinianus *orat. de Humilitate cap. 2.* inquiens: *Propter hanc humilitatis virtutem Moses, qui erat mitissimus super omnes homines, qui illo tempore morabantur in terra, qui se Domino excusabat dicens: quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto? meruit audire: constitui te dominum Pharaonis. Per ipsum etiam fecit Dominus signa, & prodigia ingentia, & eduxit populum DEI de domo servitutis, & cum illo facie ad faciem loquebatur, sicut amicus cum amico.* Quò se magis demittit

tit

tit humilitas, eò altiùs effertur; quò latet obscurior, eo splendet illustrior; imò Humilitatem solem esse dixit Joannes Climacus, à qua reliqua virtutum sydera suos hauriunt nitores, suáque desumunt decora: quòd si sol suo jubare reliqua videtur syderum extinguere lumina; etiam Humilitas ab aliorum oculis nostrarum virtutum stellas subducit; appositè Joannes Climacus gradu 15. *Omnia quæ cernuntur sol illuminat; omnia quæ ratione fiunt humilitas confirmat. Absente sole tenebræ inhorrescunt. Absente*
59 *humilitate omnia nostra opera marcent, & fœtent.*

Humilitas igitur est, quæ reliquis virtutibus suos impertitur nitores, quibus splendent illustriores; & viro humili vires, & arma suppeditat, quibus non solùm hostium impetus retundit, verùm, & victrices lauros pugnæ, ac laboris fuso sudore sibi irrigat; non cadit cum se ad ima demittit, sed stat firmior; non deficit cum cedit, sed vires reficit; surgit robustior, cum videtur imbecillior delabi. Quòd si poëtarum referentibus monumentis, Antæus cum Hercule congressus, quoties membra labore defessa essent, tactu terræ recreabatur, ac surgebat ad pugnam vegetior: Christi pugil in palæstra virtutis pugnam initurus cum hoste tartareo, se in ima demittit, humum, ex qua est homo compactus, si non ventre pronus, mente tamen sedulus attingit, suámque perpendet imbecillitatem, viribus se novit destitutum, divini Agonothetæ opem implorat, quâ fortior surgit, & ad pugnam robustior, quia ut scitè ait S. Dorothæus Abbas *de humil. doct. 2. Per humilitatem omnia hostis, & adversarij tela franguntur. Attendite fratres, quanta sit humilitas:* est enim veluti arbor, quæ quò profundiùs suas agit radices, eò frugiferos suos ramos erigit sublimiores; quò se magis demittit, eò altiùs effertur; ima petens ad sublimiora nititur. In Christiana palæstra pugil, ac virtutum cultor, quò ad altiora ascendat, eò ad inferiora descendit, quia se demittens altius effertur; & cadens ad infimos gradus stat firmior; quia humilitas lapsum non novit; sed exaltatur: qui enim sibi vilis est; ante DEUM majori habetur pretio, & qui propriam novit imbecillitatem fortior insurgit, ac validior pugnat, ac expugnat adversarium. Faciliùs coronatur triumphis, qui de suis non præsumit viribus, quàm qui cataphractus, & viribus, armisque munitus irruit in hostem. Is in vitia procedit sufficienter armatus, qui proprijs non innixus viribus, præsumptionem jacturæ parentem longiùs à se abigit, & pudentem sibi adsciscit sui diffidentiam secuturæ felicitatis prodromam; qui nullis proprijs fretus viribus sola innititur Numinis ope, fortior in arenam descendit, clariores de prostrato hoste delaturus triumphos: nec tartareus hostis securiùs sibi promittit victoriam, quàm si secum congredientem animadvertat, vel superbia inflatum, vel ambitione tumidum; qui enim fastu gloriosus de se confidit, vires sibi adimit, quas hostibus addit; non enervatur ad pugnam, qui ut imbecillis se demittit ad virtutem; humilitate infirmus, ac debilis cælestem sibi adsciscit opem, & Numinis corroboratus auxilio, ac gratia loricatus, de victoria securus cum adversario congreditur: hinc D. Ambrosius *lib. 5. de sacram. c. 4.* ait *Præsume non de operatione tua, sed de Christi gratia:* seu de proprio diffide robore, & fiduciam totam in solo DEI pone auxilio; si de te nil præsumpseris; si te ad ima dejeceris tuæ vacuitatis, ad sublimia ascendes divinæ veritatis: *oportet* ait D. Bernardus *humiliter sentire de se eum, qui nititur ad altiora, ne, dum supra se attollitur, à se ipso cadat, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus, quia nonnisi merito humilitatis obtinentur maxima.* 60

Non ascendit charitate ad DEUM nisi qui vera humilitate ad sui cognitionem descendit; non tamen cadit humilitas dum descendit, sed ad altiora effertur; nunquam humilitas lapsum est passa, quia ex infimo ad sublimia nititur; cum descendit ascendit; cum obtenebrescit obscura, splendet clarior: tantò humilis apud DEUM est aspectabilior, quanto ante proprios oculos est despectior; quinimo reliquæ virtutes in umbra humilitatis clarescunt illustriores: est siquidem humilitas virtutum ornamentum, & decus; illicium benevolentiæ, & alieni livoris fascinum, humilis modestia post egregia facta non potest non diligi etiam ab adversarijs, quos modestia flectit in sui commendationem, ut in Metello, de quo ait Cassiodorus *variar. c. 25. Talem Metelli in Asia, talem Catonis in Hispania legimus fuisse ducatum, qui plus de sua disciplina, quàm per arma laudati sunt: non injuria, quia hostem congredi varius semper eventus est; indubitata verò gloria moribus custodisse mensuram. Quid ergo? Nunquid tali actione præsumens aliqua se elatione jactavit? Dum est familiare hominibus extolli, cum bene de se cognoverint æstimari.* Tunc virtus crescit uberior, cum nulli in corde tumet elatio, nec in verbis 61
turget ostentatio.

Licèt David Goliathum prostraverit, gloriam hebraicæ gentis instauraverit, metum excusserit, ignominiam deleverit; non tamen Jonathas tenerrimo eum affectu dilexit, antequam Regem victor è certamine redux fuerat alloquutus 1. Reg. c. 18. *Et factum est cum complesset loqui ad Saul: anima Jonathæ conglutinata est animæ David.* Sed cur tunc tantùm Jonathas amoris glutino cœpit David adhærescere, & non statim post devictum gigantem, post hebrææ gentis prostratum hostem, & instauratam Israëlis gloriam? quia nondum humilis modestia præclaram Davidis victoriam affecerat: si expendamus verba Davidis ad Saulem deprehendemus causam hujus amoris; de stirpe, ac parentibus interrogatus respondit: *Filius servi tui Isai Bethlehemitæ ego sum;* non dixit, eum esse, qui pugnis, ac certaminibus ab adolescentia assuetus rudimenta pugnarum sylvestres contra feras ovilium vastatrices posuerit, & cum leonibus quasi cum agnis; & cum ursis quasi cum oviculis luserit, ferocissimas bestias, vel caulis imminentes, vel inde cum præda revertentes perniciosissimo cursu fuerit persequutus, & comprehensas nudis manibus arrepto mentô, jugulóque interfecerit; & hisce cer-

certaminibus pugnæ præluserit cum Philisthæo Goliatho postea inituræ; sed morum post to præclara gesta humilem custodivit modestiam, quâ Jonatham sibi devinxit; scitè Abulensis *quæst. 1.* ait: *Immediatè, ut David complevit locutionem, quam habebat cum Saule Jonathas incepit diligere David. Ista locutio erat, quæ habetur præcedenti capite.* Humilis modestia David post prostratum gigantem, & tot præclara gesta Jonathan allexit, qui impensè postea Davidem dilexit, seu humili modestia filij regis sibi devinxit affectum.

62 David Goliathum prostravit, non proprijs confidens viribus; sed quia humilis ac imbecillis in solo DEI speravit auxilio; cum jussisset Saul, Davidem cum Goliatho congressurum chalybe præmuniri ad hostis retundendos ictus; gladio, & hastâ armari ad vulnera infligenda; hæc corporis munimenta abjecit, ratus esse magis sibi impedimento, quàm subsidio; unde exuta cataphracta humilis, seu baculo, funda & lapidibus, quos fortè de proximo selegerat torrente munitus, sed valentiùs DEI ope, ac fiducia communitus, cum hoste armorum apparatu, ac corporis mole longè superiore pugnam inivit. Goliathus toto corpore cataphractus venienti obviavit Davidi manu hastam vibrans; sed David humilis, imbecillus, ac ferreis destitutus armis ocyus emicat, silicem è pera extrahit, quem fundæ imponit, libràtque ictu tam destinato, ut excussus mediam Philisthæi fregerit frontem, cerebroque fixus hæserit, cecideritque propterea Goliathus bovis instar, cuj jacenti superstans David gladio caput amputavit ex adversarij vagina educto: aliter non prosternitur Tartareos Gigas, quàm diffidentia sui, & fiducia in DEI ope; quia ut ait D. Augustinus serm. 5. de verbis Apostoli; *qui pugnat viribus suis, antequam pugnet prosternitur*: non chalibe loricatus, non ferreis armis cataphractus, neque proprija viribus fretus David pugnavit, sed humilitate, ac DEI ope munitus Goliathum expugnâvit: huc accersendus Chrysostomus *homil. de David, & Goliatho* inquiens: *David dixit ad eum; tu venis ad me fidens in gladio; ego in Deo: tu terrenis armis dimicas, ego cælestibus pugno; tu venis ad me fidens in gladio, & lancea, ego in fide; tu in clypeo, ego in pace; tu venis ad me in armorum virtute, ego in potentissimo adjutore. Denique in te tua*
63 *arma vertentur, in te tuus gladius exeretur. DEI est enim hæc pugna; DEI erit, & ipsa victoria.*

Quos humilitas ad vilia, & obscura demittit, gratia ad sublimia, & illustria evehit. Gedeonem modesta humilitas demiserat ex spiculis armorum ad aristas spicarum excutiendas, & grana frumenti purganda; sed cum descendit ad inferiora, ascendit ad sublimia Judic. 5. v. 12. *Cum Gedeon excuteret, atque purgaret frumentum in torculari, ut fugeret Madian, apparuit Angelus Domini.* Venit ad Gedeonem cœlestis nuncius, non eum exprobraturus, quòd Madian fugisset & ad rusticum, ac vile officium se demisisset; sed victorias, ac triumphos de prostraria victisque inimicis ei promissurus. Objecerat Gedeon Angelo DEI magnalia, & quæ aliás fuerat mirabilia operatus: *Ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt: de Ægypto eduxit nos Dominus* Josue c. 6. Sed Angelus hanc Gedeonis querimoniam placido vultu, serena fronte audivit, oculisque gratiosis Gedeonem aspexit, cujus etiam fortitudinem deprædicavit. Josuë 6. *Respexit ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua.* Sed si Gedeon conqueritur, si timore correptus Madiam fugit, ubi ejus se prodit fortitudo? fuga timorem indicat, quem fortitudo excutit; hostem venientem intrepidè expectans: ita est, tunc speciem fortitudinis sibi à DEO impertitæ exhibuit, cum humiliatus de proprijs viribus non præsumpsit: cum se demisit ad torculare ad purgandas spicas, assumptus à DEO fuit, ut victor esset inter armorum spicula: hæc fuit Gedeonis fortitudo, se prorsus imbellem existimâsse, se omnium minimum credidisse: *Ego minimus in domo patris mei* & DEI mirabilia in suos acta majores memoria retinuisse: seu in Numinis potentia, & ope fiduciam habuisse, & de proprijs viribus non præsumpsisse, inconcussa fuit Gedeonis fortitudo, quâ gloriosiores de hoste prostrato retulit triumphos: huc accersendus Theodoretus, & audiendus *quæst. 12. in Judic.* inquiens: *quoniam memor erat mirabilium DEI, firmámque de DEO tenebat opinionem, illum si vellet, facilè liberare posse à calamitatibus, quibus detinebatur; meruit ut audiret ab Angelo: Proficiscere in robore fidei hujus, & vinces: neque damnet quisquam ea, quæ sequuntur: non enim veluti diffidens*
de DEO dixit: familia mea humillima est in tribu 64
Manasse, & ego minimus in domo patris mei; sed ut de se modestè sentiens.

Vires tunc Gedeon suas firmavit, seque ad pugnam corroboravit, cum de se nihil speravit, & de DEO dignè præsumpsit; ascendit victor in capitolium; cum descendit humilis ad torcular, ad purgandum frumentum: quia descendit ascendit; quia sibi vilis fuit, apud DEUM magnus extitit. Tanto est quis pretiosior ante DEUM, quanto ante oculos proprios est despectior. Moyses eadem manu quâ leprâ laboravit, fueritque alija contemptui sceptrum tractavit regale, quo jussit dimitti populum à famulitio Pharaonia Exod. 4. v. 29. *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Sed cur in eadem manu lepra, quæ omnibus est despectui, & sceptrum, cui omnes obsequuntur amico copulantur fœdere? sceptro fit injuria manu tractari leprosa; &
sceptri splendore clariùs apparet lepræ dedecus. 6
Sed providè lepra, & sceptrum in eadem confœderantur manu; ne Moyses de proprijs præsumens viribus miracula per virgam agenda remoraret; sed ex manûs lurida infirmitate sui demissionem disceret, quò humiliatus ad perpetranda miracula eveheretur. huc accersendus Theodoretus quæst. 10. in Exod. inquiens. *Dextera quæ admiranda illa perpetrarat, cum priùs fuisset leprosa signis divinis inservivit, & elementa mutavit: quæ res Moysem etiam admonuit non superbire debere; sed agnoscere naturam cum recordatione dextræ leprâ priùs infectæ*, Lepra

Moy-

Moysis tumorem superbiæ priùs repressit, quàm insolesceret inflatus; & virge in manu infecta victrices leuros collegit, & duritiem Pharaonis emollivit, ac in vota inflexit Moysis jubentis; quia humilitas quò demissiùs se in imum deijcit, eò sublimiùs evehitur, & ad DEI potentiam proximiùs accedit; scitè Augustinus: *multo faciliùs invenit syderum conditorem*
65 *rem humilis pietas quàm ordinem superba curiositas.*

Locustæ volatiles fructus omnes terræ dum amplectuntur, atterunt; dum osculari videntur, corrodunt, in sublime saltu se extollunt, ut segetes deprimant, lemma. *Odia sub osculo latent* APODOSIS. Adulatores dum verborum lenocinijs eblandiuntur, mordent, ac vulnera infligunt.

EXCURSUS.

Adulatores dum oscula figunt, vulnera infligunt.

66 PEr locustas fructus terræ consumentes adulatores significari edisserit D. Gregorius in Exodum ubi expendens plagas Ægypti ait: *Exhibitæ caelitus Ægypto plagæ exigentibus meritis corporaliter illatæ sunt. Sed quæ mala quotidie pravas mentes feriunt, spiritualiter signaverunt. Quibus exteriori concussione commota humana mens, dolensque perpendat, quæ vastationis damna exteriùs negligens toleret. Per locustas enim, quæ plus quàm cætera minuta animantia frugibus nocent, linguæ adulatorum figurantur; quæ terrenorum mentes aliqua bona proferentes immoderatiùs laudando corrumpunt. Fructus enim Ægyptiorum opera cenodoxorum, quæ locustæ exterminant, dum adulantes linguæ ad appetendas laudes transitorias cor operantis inclinant. Herbam locustæ comedunt; quando adulatores verba loquentium favoribus extollunt; poma verò bonorum devorant, dum vanis laudibus quorundam tanquam fortium opera enarrant.* Hactenus Gregorius. Locustæ igitur volatiles fructus terræ atterentes, ac arrodentes designant adulatores, qui in aliorum laudes immoderatiùs profusi, hominum gesta extollendo, bona omnia illorum corrumpunt; dicente Isaia: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Et D. Gregorius expendens illud prophetæ: *Residuum grandinis comedit Locusta* ait: *quia sæpe bonum quod non tulit adversitas frangens, perimit adulatio demulcens.*

67 Plus damni infert lingua assentatoris, quàm gladius interfectoris; hic enim in corpus, illa in animam sævit, cui cùm eblanditur, venenum propinat: simulat adulator lenocinia, & vulnera infligit, fictam enim, & simulatam esse malè suadentis, & perversè adulantis suavitatem indicat Regius Vates Psal. 54. v. 22. *Molliti sunt sermones ejus super oleum*: signatè vocat sermones mollitos non molles, quo inde conijciamus, falsam in ijsdem esse dulcedinem, fucata latere blandimenta: huc accersendus mellifluus Doctor Bernardus in sententijs, ubi expendens verba Prophetæ ait; *Pulchrè non molles, sed molliti dicuntur sermones vel suasoris adulatoris, vel suasoris iniqui: quòd sit in eis non tam vera, & solida, quàm superducta, & simulata suavitas.* Dicuntur assentatores oleo caput ungere, quatenus lenocinija verborum subtili compositis artificio se in præpotentis gratiam insinuare cupiunt, ejúsque aucupari benevolentiâ, tunc assentator oleo ungit, cùm laudes congerit supra omnem fidem: hinc ajebat David Psal. 140. *Oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum*, eò quia ei non placerent lenocinantia adulatoris blandimenta, ne falsæ laudis titillatione in transversum traheretur: qui sapit, hæc fastidit adulantium lenocinia; aures claudit hisce verborum blandimentis. Hinc Augustinus in Psal. 140. donans explicatu verba Davidis ait: *Quid? ut oleum peccatoris non impinguabit caput meum? non crescet caput meum de adulatione. Falsa laus adulatoris, hoc est oleum peccatoris, propterea & homines, cùm falsa laude aliquem laudaverint, hoc etiam de illo dicunt: unxit illi caput: amice ergo arguat à justis in misericordia, noliie amare laudari à peccatore cum irrisione.* Væ illi, cuj ab hoc adulationis oleo caput intumescit, & inflatur aurâ aucupatus vanæ laudationis, non fit major, sed pejor, & facilè disrumpitur, quia protervè inflatus; ille magnus, cuj integrum absque intumescentia perseverat caput, licèt hoc oleo perfusum, ut notat D. Augustinus in Psal. 140. inquiens: *Et si ille attulit oleum adulationis; sed caput tuum integrum mansit, non inflatum est, non tumuit; si enim inflatum fuerit, & tumuerit, facit pondus, & præcipitabit te.* 68

In exitij discrimen trahit hæc intumescentia, quam oleum assentationis inducit, propterea ut quovis veneno nocentius est hoc oleum vitandum, ne caput eo adspersum pravè intumescat. Non alieno, sed proprio debet caput oleo illiniri, ac probis pinguescere operibus. Idque causæ, cur reprehensæ fuerint fatuæ Virgines, quia nimirum cùm neglexerint oleum proprium, quo earum lampades destituebantur ad vendentem cucurrerunt alieno oleo proprium lychnum nutritutæ. Noxium est adulatorie oleum, quod cùm illinit sauciat, cùm blanditur vulnerat, cùm subdolè palpat, decipit: & is dicitur hujus olei venditor, qui subdola assentatione præpotentes delinit, non eorum virtutes commendaturi, sed simulaturi, & eorum benevolentiam aucupaturi: quapropter scripsit Petrus Blessensis epist. 1. ad Henricum Angliæ Regem: *Nihil equidem vobis adulatorium scripsisse me recolo, nec sum olei venditor.* E converso is audit hujus olei emptor, qui adulantium laudibus se finit perfundi. In id enim incumbunt studij assentatores, ut in promptu semper habeant exquisita præconia ad exornandas tum corporis, tum animi dotes, ad eas fingendas virtutes, quas nunquam quis excoluit: si fit Princeps laudum cupiens catervatim aulam ingrediuntur adulatores, qui vele omnia mentitæ suæ dictionis explicant, & aura impudentiæ afflante in altum traijciunt, donec ad portum benevolentiæ sibi comparatæ perveniant. Princeps si prudens fit, nec fidem, nec aures hisce

laudatoribus exhibet, sed laudatores adulatores credit, & ut hostes à se abigit: hostilia siquidem sunt; Principem, vel alium quempiam laudare præsentem, & damnare absentem; probare si adsit ejus dicta, & gesta; & eadem improbare, si absit; quod perinde est, ac si altera manu sudorem quis detergat, & altera vulnua infligat, seu una demulceat, & altera venenum fundat.

69 Nil Principi magis noxium, quàm blandientium turba: & tamen diadematis comes adulatio videtur esse individua: non desunt in aulis, qui omnia Principis sive honesta, sive inhonesta, proba vel improba summis extollant laudibus; non desunt qui fallacibus blanditijs, osculis, & amplexibus odia in sibi pares obtegere didicerint: huic unicè studentes, ut simulare, mentiri, fallere, ac ut adulatoria humilitate exhibitis obsequijs aliorum benevolentiam discant sibi captare: licèt mente aliud velint; & ore, ac vultu aliud polliceantur: verborum lenocinijs insidias nectunt, laudum enarratione dolos contegunt: & dum laudes celebrant fraudes componunt; & hoc est noxium illud adulantium oleum, quo qui perfunditur, miserè confunditur: siquidem oleo adulationis in extima tantùm cute caput perfunditur audientis; cujus interna lux extinguitur, quatenus assentatione inflatus se ipsum non ampliùs novit, qualis revera sit: idque causæ, cur S. Petrus Damianus Adulatorem Hirundini pariaverit, quæ blando cantu plurimum videtur adferre oblectamenti, cùm tamen si dejecto stercore oculos tangat, lumine destituat: ait Petrus Damianus epist. 53. *Quid leviter volitantes hirundines, nisi leves adulantium, & blanda loquentium significant mores, qui dum blandiloquij sui suavitate demulcent, dum adulationis oleo caput audientis impinguant, interiores oculos ne solida luce perfruantur, excæcant.*

70 Imò non hirundini tantùm parem dixeris assentatorem, sed & corvo similem; quia sicut corvi involantes, oculos dicuntur cadaverum effodere: sic adulatores suis adulationibus oculos, seu rationem, & mentem corrumpunt. Hinc quàm noxius sit adulator, nos edocet regius Vates Psal. 139. ubi loquens de assentatoribus ait: *Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labijs eorum.* Acuunt linguas suas, ut interficiant; quia dum eblandiuntur veneno assentationis corrumpunt; dum verborum lenocinijs placent, fraudes apparant, dum laudes congerunt, ex insidijs serpentes insurgunt, qui incautos perimunt, interimúntque ex occulto viros, quos dolosè feriunt: *venenum aspidum sub labijs eorum.* Lactat adulator dum verbis eblanditur, sed ejus lac tam noxium est, quàm lethale quodvis venenum, quapropter Hugo Carensis expendens illud proverb. 1. *Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis*, ait: *Ne acquiescas, quia sunt nutrices Diaboli, lamiæ infernales.*

71 Sævit adulator cum blanditur; venenum propinat cum lac exhibet, vulnus infligit cum palpat, ulcera diducit cum verba mollia mollibus addit; quia adulationis oleum inflicta vulnera refricat, ac innovat, vel scalpit noxiora: mollitie adulationis vulnus inflígi quod oleo diducitur assentationis censuit D. Hieronimus epist. 14. ad Cælantiam inquiens: *Adulatorum assentationes veluti quasdam pestes animæ fuge; nihil est, quod tam dulci, & molli vulnere animum feriat.* Idque D. Gregorius *Homil. in Ezechielem* explicat exemplo apum, quæ mel in ore habentes, quò demulceant, aculeo etiam armantur quo feriant; dum enim mellea figunt oscula, vulnera infligunt noxia: assentatores linguâ blandiuntur, sed corde ex malitia feriunt; apes esse dixeris, quia loquentes dulcedinem mellis propinant, sed occultè feriendo vulnus inferunt; hinc nocentiùs sævit lingua assentatoris, quàm gladius persecutoris, tametsi sæviat crudelis persecutor, nunquam tamen adeo sæviret, quin seriùs nos non petat suis lenocinijs blandus assentator: est siquidem adulatio mellitum venenum sub larva dulcedinis fel tegens.

Hinc David suæ consulturus saluti eni- 72
xim postulavit ab hisce verborum blanditijs liberari & assentatores vocat persecutores Psal. 69. v. 4. *Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala*: ac si diceret, qui insidias mihi apparant, meam cupiunt perniciem, longiùs à me repellantur, & à suis deijciantur conatibus: neque credas alios esse hos aucupes insidias nectentes, quàm blandos assentatores: addit enim David: *avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi Euge Euge*: nimirum qui volunt mala, & quos David vult longiùs à se distare, sunt assentatores, qui dicunt *Euge, Euge*, qui pejores sunt persecutoribus mala intentantibus, quos tantùm voluit à se aversos, sed adulatores statim: *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi Euge Euge*: quia magis timuit linguam adulatoris, quàm gladium persecutoris: habet assentatio suum venenum, & quidem mellitum, ne displiceat, imò Diogenes vult esse lethale mulsum, & melleam præfocationem, quæ blanditijs quidem delectat, sed mendacio eum strangulat, qui capitur, & D. Hieronymus vocat assentationem gladium melle illitum, quia lingua assentatoris licèt mellea videatur verba proferre, vulnera tamen infligit, adeò ut insidiosa sit omnis blandiloquentia, & veluti laqueus, quo miserè capiuntur, qui aures dant assentationibus, vult enim Seneca: *Malum hominem blandè loquentem suum cuique laqueum agnoscendum esse*; eò quia insidiosa sit omnis assentatio, quam Irenæus vocat lacte gypsum malè mixtum, eò quia sub dulci melle venena latent, idque causæ, cur Æschylus in Procem: vocet orationem fucatam, morbum turpissimum, & Tacitus pessimum venenum, quod mordet clanculum, interficit suaviter: & assentatores hi sunt, de quibus ait Comicus, qui altera manu ferunt lapidem, & altera panem ostendunt, seu qui ut loquitur Nazianzenus altera manu scalpunt caput, & altera malam feriunt: laudes laudibus ingerunt, & posteriores prioribus insepeliunt, ut minus cau-

tos

tos interimant, solo vultu, & fronte amorem ostendunt, cùm intus in corde odia æstuent, & pectus hostilia claudat: hos igitur assentatores, seu lupos ovila pelle indutos, & sub amica, mollíque spongia tegentes novaculam perimentem à se averti statim cupijt David: *avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge euge*: quia assentatio præsertim in Regibus fomenta suppeditat sceleribus omnibus: laudâsse enim in Principe scelus perinde est, ac impulisse in illud, ac in pejora provocâsse: animos enim addit, qui laudat, & laudatio audentiorem facit, & vel ad paria, vel etiam deteriora viam emollit, qui enim peccantem blandimentis adulantibus palpat, ut loquitur Cyprianus peccandi fomitem administrat, nec comprimit delicta, sed nutrit; idque causæ, cur Plutarchus violentam Cæsaris necem adulatoribus adscribat inquiens: *Adulatores Cæsaris in causa fuerunt necis ipsius; qui cum honores ei invidiosos conquirebant, tum etiam statuis ejus noctie imposuerunt diadema, quo multitudinem impellerent ad salutandam eum pro dictatore Regem.* Ideóque David agnoscens nulla in aulis Principum esse pestem assentatione nocentiorem, nullum venenum adulatore lethalius à se statim, & absque ulla mora aversos voluit laudatores: *avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge.* Acutè expendens verba Davidis Hugo Carensis ait ad rem nostram: *Qui dicunt mihi euge euge adulando: notandum est, quòd cùm oravit pro conversione apertè persequentium tempus non determinavit, sed simpliciter dixit avertantur retrorsum: quando autem orat pro conversione adulantium addit statim: in quo indicat, quod plus debemus desiderare liberari ab adulatoribus, quàm à persequentibus, quia periculosior est nobis persecutio seductoris, quàm apertè sævientis.*

73 Assentatores enim blandè lambunt, ut ardentibus flammis adurant, oscula figunt amoris, ut vulnera infligant lethalis odij, mellitca enim verba assentatoris osculum esse dixeris Judæ proditoris, qui pacis osculo abusus Magistrum prodidit: propterea nil deterius oleo peccatoris, blandiendo enim grassatur, & grassando blanditur; adulator enim speciem præfefert ovis, ut faciliùs insidias tendat, & incautos fallat; blandiloquentia corrumpit affectum, vitiat honestatem, & impellit ad casum. *Quis novit*, ajebat Cassiodorus 12. variar. cap. 17. *cum qua gente confligat? ideóque omnes debent agnoscere, quod futuris hostibus gratum non sit audire*: ut enim ajebat Cato Romanus

Rara fides hominum, quia multi multa loquuntur:
Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps

Fallax enim est adulatio, & exitiale venenum, quia sub melleo haustu virus propinat exitiale, plusque nocet lingua adulatoris, quàm gladius persecutoris, idque experta fuit Siceleg flammis absumpta, totaque exusta lib. 1. Reg. cap. 3. *Succenderunt eam igni.* Quòd si quæras, à quibus fuerit flammis exusta, & uxores abductæ scriptura id non reticet inquiens: *Amalecithæ impetum fecerant ex parte australi.* Interpretatur autem Amalecitha lambens, quod proprium est adulatoris, qui blandiloquentia lambere, & demulcere videtur: verùm Amalecitha, qui nomine blanditias spondebat, ardentes injecit flammas, quibus Siceleg. exusta perijt, ut pulchrè innuit D. Gregorius apud Glossam inquiens: *Considerandum est, quid sit, quòd Amalecithæ Siceleg invadunt, & prædam capiunt: Amalecitha populus lambens vocatur, per quem sæcularium mentes designantur, quæ terrena ambiendo quasi lambunt.* 74

Assentatores in aulis Principum dignitatibus inhiantes, honorem ambientes, cùm adulantur lambunt, simúlque flammas inijciunt, quibus virtutes Principis, & studia honestatis cinefiunt, quia laudantes scelus, viam ad deteriora emolliunt. In Siceleg. Amalecitharum flammis exusta uxores maritorum præsentiâ destitutæ, imò etiam ad ornatum necessarijs spoliatæ lambentium Amalecitharum, seu adulantium jugum subierunt, & captivitatis infamiam sustinuerunt, quia viris absentibus, Amalecithis lambentibus, seu adulantibus adhæserunt, & fœdè prostitutæ manserunt: quæ enim non propria splendent virtute mulieres, & laudari cupiunt, se ipsas produnt, ac perdunt, ut contigit stultis illis virginibus, quæ licèt se domesticos intra parietes continuerint, quamdiu lampas oleo nutrita resplendoit: ubi tamen defectu pabuli nitor elanguit, seu virtus defecit; ambitio cæcutiens foris quæsivit oleum, seu adulationem, & laudes, quas propria non promeruerunt virtute Matth. 25. v. 10. *Dum autem irent emere, venit sponsus.* In hoc oleo, quod fatuæ virgines sibi exteriùs comparare satagebant adulationes, & favores humanos exprimi edisserit D. Gregorius Magnus homil. 12. in Evangel. inquiens: *Humanos favores expetunt*: hoc est cupiebant exteriùs splendere, cùm intus studio virtutis non clarescerent, proinde dum foris invenire desiderata præsumunt ad assentatores contendunt, quo aliena laude splendeant, & ideo fatuitatem incurrerunt, quia foris quæsierunt, quod intus possidere neglexerunt studium virtutis. Non adeundi, sed fugiendi sunt, qui blandiloquentiâ aures demulcent, ut monuit Seneca suum Lucilum inquiens: *Humanos favores expetunt*: hoc est cupiebant exteriùs splendere, cùm intus studio virtutis non clarescerent, proinde dum foris invenire desiderata præsumunt ad assentatores contendunt, quo aliena laude splendeant, & ideo fatuitatem incurrerunt, quia foris quæsierunt, quod intus possidere neglexerunt studium virtutis. Non adeundi, sed fugiendi sunt, qui blandiloquentia aures demulcent, ut monuit Seneca suum Lucilum inquiens: *Sapiens eris ò Lucile, si clauseris aures, quibus ceram parum est obdere. Firmiore spissamento opus est, quàm usum in sociis Ulyssem ferunt: illa vox, quæ timebatur, erat blanda, non tamen publica: & hæc, quæ timenda est non ex uno scopulo, sed ex omni parte terrarum circumsonat. surdum te amantissimis præsta.*

Laudatores ijsdem litteris sunt adulatores, quorum propterea voces vir prudens non audit, neque ijsdem credit, quia adulator cùm 75

lau-

laudat insidiatur, fitque propterea deterior assentator demulcens, quàm inimicus vulnera infligens, quia ab isto vera sperari possumus, ut nostra mala discamus, quæ ignorata emendare non possumus, & cognita corrigamus: à quocunque in nos deriver hæc cognitio nobis est proficua, cujus beneficio mores corrigimus, & studijs virtutum incumbimus, hinc ajebat D. Chrysostomus: *Inimicum ne laudantem quidem probo, amicum verò, & reprehendentem amplector: ille & si me osculetur, insuavis est; hic licèt vulneret amabilis*: quasi dicat minùs probo assentatorem laudantem, quàm inimicum persequentem: ille enim ulcus tegit, ne curetur, hic verò vulnera detegit, quibus medela adhibeatur: à persecutore veritas prodit, quæ ab adulatore exulat: vulnera, quæ ab inimico infliguntur, subinde oscula sunt, quibus reconciliamur; & assentatoris oscula sunt plerumque vulnera, quibus cruentamur: illa infliguntur ad salutem; hæc ad interitum figuntur: hinc David Psal. 140. *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Est autem oleum peccatoris dilectio simulata, seu adulatio affectata, quæ blandiloquentia veluti oleum mentes nostras subiens rigorem emollit veritatis. Oleum assentationis, quo detrectat Propheta pinguescere, est, quod extimam tantùm cutem mollit, & reliqua superinfusa repellit. Idque præstant assentationes, quæ veluti spisso laudum oleo mentem subeunt, quam obnubilant, & si quæ supersint veritatis vestigia repellunt. Quæ censentur laudes, & obsequia, insidiæ sunt, à quibus nisi te subtraxeris, detrimentum non evades.

76 Plures se profitentur exteriùs amicos, qui interiùs exitiale virus fovent. Saul regali spoliatus ornatu Pythonissam adit, quam & perurbanè coluit, ac blandissimis verbis rogavit ut magicam exerceret artem: sed mulier verita hisce officijs aliquid sibi noxium tegi, negavit se ea pollere arte inquiens 1. Reg. cap. 28. *Quare insidiaris animæ meæ, ut occidar?* prohibita siquidem erat regali edicto ars magica: & quia sagax mulier verita, ne qui accesserat, quantumvis appareret exteriùs benevolus, & amicus interiùs insidiator esset, & adversarius, & blandè persuaderet exercitium artis, quod in proprium resultaret detrimentum, ideo negavit ea pollere arte, & blandiloquentiam insidiatoris rejecit, ne malefica accusaretur, ne notavit Abulensis quæst. 25. inquiens: *Cùm Saul tanta mala fecerit Magis, & Ariolis, cur insidiaris animæ meæ, volendo quòd ego confitear me esse magam, vel aliquid incipiam operari, & accuses me ad mortem*: noluit Pythonissa se magam fateri, quia non desunt, qui ovina pelle teguntur, ut faciliùs insidias nectant, & technas disponant. Solicita opus est sagacitate, ne quis speciosis capiatur insidijs. Pharisæi ad Christum accedunt, quem repetitis laudibus excipiunt, multisque plausibus honorant. Matth. 22. v. 16. *Magister scimus, quia verax es, & viam DEI in veritate doces.* Quis non crederet Pharisæos blandis hisce verbis veritatem quærere, & sincero amore Christum prosequi, & tamen blandæ illæ voces captiosæ fuerunt adulationes, laqueos obtendentes, ut accusare eum possent, quapropter redarguuntur à Christo: *Quid me tentatis Hypocritæ?* quasi diceret, vos acceditis me ut discipuli, & estis adversarij, ostenditis veritatis studium, & ferale mendacium fovetis in corde, amorem os loquitur, & intus in pectore odium venenum apparat: noluit ergo eos audire, ut nos edoceret, non esse laudatoribus fidendum: scitè Chrysostomus in Catena: *Blanda quidem & fraudulenta interrogatio illic provocat respondentem, ut magis DEUM, quàm Cæsarem timeat.*

Locustæ dicuntur ab occipitio vocem emittere: ait Plinius *lib. 11. c. 29.* Vox earum proficisci ab occipitio videtur. Et loco in commissura scapularum habere quasi dentes existimantur, eósque inter se terendo stridorem edere, circa duo æquinoctia maximè; sicut cicadæ circa solstitium. Lemma. *Nil turpius cordis, & oris dissentione.* Apodosis. Mendacium semper à tergo latens nunquam prominet in aperto; sed quamvis adlaborent homines artificiosis coloribus sua obtegere figmenta, velare mendacia, ut oculis illudant, virósque etiam fallant prudentes; non tamen possunt diu latere, quin se prodant. 77

EXCURSUS.

Mendacium colorari potest, non penitus occultari.

Mendacium, ut scribit Seneca *epist. 11. Lenitur arte, non vincitur*, seu coloratur non penitus occultatur, ut sacerdotibus contigit Dagonis, qui falsum Numen ut occultarent, divinitate præditum asserebant: sed Arca excussis mendacij caliginibus figmentum detexit, & Numinis evicit infirmitatem, cum è fastigio deturbavit, & in imum detrusit. Quando Sacerdotes conati sunt fucato colore mendacium illinire; tunc veritas emersit, & falsum Numen non solùm divinitate destitutum apparuit, verùm etiam in templi limine capite imminutum, manibúsque abscissis 1. Reg. c. 5. *Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen.* Tametsi Divinitas Dagoni tributa mendacium per aliquid temporis obtexisset; & falsi Numinis occultâsset infirmitatem; non potuit tamen tamdiu latere mendacium, quin depositâ larva se proderet; in templi limine Sacerdotes non valuerunt Numinis dejectionem tegere, neque casum dissimulare Dagonis, ut notavit Abulensis quæst. 12. inquiens: *Fuit istud factum, ut non possent occultare sacerdotes populo dejectionem DEI sui coram arca.* 78

Quamvis fategerit sacerdotalis astutia figmentum servare, mendacium tueri, & Dagonem attestari divinum, non potuit tamen non se prodere mendacium, quod ipse Dagon dejectus, ac mutilus publicavit. Est siquidem ita infelix mendacium, ut se ipsum tueri, & occultare nequeat, cùm vel ipse mendax sibi non

non constet, dum verax haberi cupit, quod edisserit Tertullianus in Apologet. cap. 7. ubi quærens, cur fama malè apud homines audiat, ait: *Cur malum fama? quia velox? quia index? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem cùm aliquid veri affert sine mendacij vitio est, detrahens, adjiciens, demutans de veritate.* Hoc idem præstant, qui mentientes fidem exigunt, quasi veraces, cùm se prodant in ipso artificio fallentes, non enim mendacium valent obtegere, quin se prodant, etiam dum fidem sibi adstruunt, ut contigit Sauli mendacia serenti, dum sibi fidem præstari satageret: siquidem 1. Reg. c. 15. asseruit, populum, oves, & boves attulisse, quasi ipsi id non innotuisset, nec permisisset. *Tulit autem populus de præda ejus, & boves, ut immolaret Domino DEO suo.* Cùm enim jussus fuisset, Agagum Regem Amalech interficere, ac omnia perdere, quæ ad ipsum pertinerent; Saul DEI mandato minimè obsecutus Agagum cum armentis servavit, & quia reprehensus à Samuele, quòd divinum fuerit mandatum transgressus, mendacium accersivit in patrocinium, refuditque in populum, quod ipse fieri præceperat; sed mendacium non potuit occultari, cum non potuerit Saul armentorum non audivisse mugitus, oviúmque balatus, nec poterat populus sine Principis placito, aut permissu armenta adducere & immolare, ut notavit Abulensis quæst. 24. inquiens: *Saul falsum dixit, quia non duxerant ea, ut offerrent Domino, sed ut acciperent sibi. Et etiam non erat bonum aliquid offerre DEO contra prohibitionem suam.* Avaritia, & Agagum, & armenta servavit, & mendacium prætexuit, quo tegeretur: armenta enim, quæ sibi Saul usurpaverat in proprium commodum, dixit ea servâsse, ut DEO immolaret: nitebatur asserere religiosum studium offerendi primitias DEO, sed simul se mendacem ostendit, cum non ignoraverit DEI præceptum, ut notavit etiam Cajetanus: cùm enim Saul adniteretur suam commendare obedientiam in ipsamet assertione obedientiæ suam detexit inobedientiam: *Audivi vocem Domini inquit, & ambulavi in via, per quam misit me Dominus, & adduxi Agag. Regem Amalech, & Amalech interfeci.* Ecce quod Saul adstruit, hoc idem destruit, sibi repugnantia nectit, quia si Amalech interfecisset, Agagum non servâsset; & quia Agagum servavit, Amalechum funditùs non delevit, sicut præceperat ei Dominus. Adeo infelix est mendax, ut vel ijsdem verbis, quibus adnititur sibi fidem arrogare, & se veracem ostendere, mendacem se prodat, & falsitatem manifestet, cùm adnititur ostendere à se fuisse religiosè DEI mandatum observatum ejus prodit transgressionem, & sibimet non constans, quod adstruit mendax, destruit verax.

80 Quamvis veritas videatur ab omnium exulare auribus, præcipuè tamen ab illis Principum, quorum contubernium fugit, & aures pulsare non audet, eò quia fictis oblectentur Principes magis, quàm veris, & mendacijs gaudeant. Xerxes tamen unico Demarato gratias egit, eò quia verum eidem patefecerit; quinimò petendi etiam eidem facultatem fecit, quòd vellet in præmium veritatis ostensæ, sed Demaratus non divitias, nec officia, aut dignitates petijt, sed elegit Sardes Asiæ peramplam urbem curru vectum ingredi recta redimitum ciarâ, ut refert Seneca lib. 6. de benefic. c. 31. *Cùm bellum Græciæ indiceret Xerxes animum tumentem, oblitúmque quàm caducis confideret, nemo non impulit. Demaratus Lacedæmonius solus dixit ipsam illam, qua sibi placeret multitudinem indigestam, & gravem metuendam esse ducenti.* Et verum asseruit, quod experimentum probavit, & Xerxem edocuit, non assentatoribus esse aures præstandas, sed vera asserentibus, cùm enim adulatores victorias, ac triumphos spopondissent, & copias Xerxis suffecturas hostibus debellandis asseruissent, solus Demaratus alienus ab assentatione, nec victrices lauros, nec celebres ei prædixit triumphos; sed multitudinem indigestam esse, ac metuendam ducenti, & quia verum dixerat præmio donatum voluit, addit Seneca loc. cit. *Demarato gratias egit, quòd solus sibi verum dixisset, & permisit petere, quod vellet: petijt ille ut Sardes maximam Asiæ civitatem curru vectus intraret, rectam capite tiaram gerens, id solis datum Regibus, dignus fuerat præmio antequam peteret.* Viri assentatoris, & sycophantæ est, non ingenui, nec nobilis mendacia vendere, pulchrè relatis Euripidea apud Stobæum cap. 12. *Malum est facta celare, nec virum decet ingenuum. Haud quidem honestum est mendacia loqui.* Est viri nullius notæ, ac ignobilis mentiri, non verò ingenui, qui mavult veritatem semper præferre.

81 Sub mundi exordio non leo nobilis inter quadrupedes, neque Elephas cæteris eminentior brutis; sed luto, vel pulvere sordidatus serpens, qui per tellurem corpus trahebat, mendacium effinxit, quo Evam deciperet: & quia hæc nobili exorta origine contra se ipsam verum protulit, arbitrata est, satius esse pœnam subire, quàm nobilitati suæ mendacio injuriam irrogare Genes. 3. v. 13. *Serpens decepit me & comedi.* Sed cur non potiùs negaverit, se comedisse, cùm gravem ob decerptum pomum subituram se mulctam crediderit? quia scilicet alienum à vera, ac ingenua nobilitate putavit mendacium esse, quia ut ait Tertullianus lib. de Idololat: c. 1. *Omne falsum adulterium est:* hoc est nobilitatis, & ingenuitatis adulterium quidquid veritati est dissonum: idque fortassis causæ, cur Daniel æstu libidinis insanientes senes redarguens ob violentiam, quam adnixi fuerant castæ Susannæ inferre, eos infami exortos genere pronuntiaverit Daniel. 13. *Semen Chanaam, & non Juda species decepit me.* Adnectit v. 59. *Rectè mentitus es, & tu in caput tuum.* Quòd Daniel scelus senum redarguerit severè puniendum, & innocentiam defenderet bene fuit, sed cur semen Chanaam sugillavit, cur mendacium generi adnexuit? quia nimirum mendax, ut notat Lira, generis semper secum trahit obscuritatem, quinimò licèt è nobili sit mendax ortus stemmate, sanguinis claritatem mendacij obscurat caligine: indicat mendacium mentem obscuram, ac fallacem, non enim aliter est lingua mendax ex-

terius, nisi quia est intus mens fallax, sicque propterea mendacium vox improbi alios decipientis, est enim mentiri scie tem, & volentem rem falsam obtrudere pro vera, ad hoc ut in fraudem illiciatur, qui mendacio decipitur, ea siquidem est mendacij indoles, ut veritatem intervertat, perinde ac proprium veritatis est mendacium acriter propulsare, & sicut veritas lumen esse dicitur, quod rebus introspiriendis, & cognoscendis admovetur, ita mendacium caligo est, quâ vel ipsa lux obscuratur, sitque propterea symbolum mendaris ipsa noctua, quia sicut hæc avis est lucifuga, ita & mendax osor veritatis, quæ rebus omnibus summum adfert decus, firmúmque præsidium, dixeritque propterea Pytagoras veritatem post DEUM colendam esse, utpote quæ homines DEO proximos faciat.

82 Verùm quamvis sit veritas origine nobilissima, est nihilominus semper exosa hominibus, qui mendacijs magis, quàm veritate delectantur, dixeritque propterea David psal. 115. v. 2. *Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax.* & quamvis Plato lib. 3. de Republica asfereret, mendacii m concedendum tantùm esse Medicis ad ægrotantium solamen, eò quia proprium sit Medicorum persæpe sanitatem spondere etiam in ipso mortis agone, ne animum despondeant decumbentes: attamen non Medici tantùm, sed cujusvis fere conditionis homines mendacijs potius, quàm veritate delectantur. Hinc Stratocles referente Erasmo lib. 4. ex Plutarcho devictis navali pugna Athenienfibus summa celeritate ad patriam reversus faustum victoriæ nuntium attulit, eò quia classis Atheniensium hostilem deviceri; qua victoria audita supplicationes fuerunt Athenis institutæ, & Numini gratiæ actæ, epulúmque per unamquamque tribum constitutum. Sed cùm post biduum alter nuntius verior contrarium attulisset, & classem Atheniensium ab hostili fractam, & victam, universus populus in Stratoclem exarsit, eò quia mendacia seruisset, ut præmia meterei; sed ille quid inquit viri Athenienses vobis molesti intuli, duos dies summa estis ea causa voluptate versati, cur non potius mihi bene vultis, qui mœstitudinem à vobis excussi. Ipsi etiam Athenienses quamvis mendacium prohibuissent, adhuc eodem gaudebant, Anacharsis enim referente Laërtio lib. 1. c. 9. ajebat, se mirari, quomodo fieret, ut Athenienses, qui prohiberent mentiri, tamen in caupouum tabernis palam mentirentur: qui vendunt merces, emúntque lucri causâ; fallunt, quemcunque possunt; quasi quod privatim esset turpe, fiat honestum, si publicè fiat in forum.

83 Mulieres præsertim mendaces deprehenduntur in occultanda ætate provecta, hinc Cicero Fabiæ Dolabellæ dicenti se triginta annos habere, fertur respondisse, verum dixit Dolabella, nam & ego jam per viginti annos audivi eam triginta habuisse annos. Voluit fœmina junior videri, quàm esset, sed Cicero mendacium elusit ostendens ipsam quinquagenariā esse. Julia itidem Cæsaris Augusti filia, cùm maturè canos habere capillos cœpisset, comptrices accersivit, quæ canos illos sublegerent, sed cùm Augustus pater intervenisset clam, & canos capillos super vestes filiæ vidisset, quos comptrices evullerant, & rem tunc dissimulâsset, post multa filiam interrogavit, utrum post aliquot annos canа esse mallet, quàm calva? cúmque illa respondisset, se canam esse malle, tunc subdidit Cæsar, cur ergo tuo jussu, & instinctu illæ comptrices te calvam facere student? prudenter Cæsar mendacium in filia correxit. Sive jocosum, sive dolosum sit mendacium, semper fugiendum est, quia veritati dissonum, ait Isidorus in Synon. *Omne genus mendacij summopere fuge, nec casu, nec studio loquaris falsum, nec ut præstes mentiri studeas, nec qualibet fallacia vitam alicujus defendas, cave mendacium in omnibus.* Is verò mentitur ait Augustinus in Enchirid. qui contra id, quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi, quò nil viro ingenuo indignius, cujus decus clarescere vel maximè debet in ipsa concordia cordis, & oris, est enim hæc harmonia, quæ hominem plurimum commendat, Deóque quasi similem efficit, quia si ut ait David Psal. 115. *Omnis homo mendax*, qui verax est naturam exuit humanam, & speciem induit divinam, ut notavit S. Remigius inquiens: *In eo, quòd non sumus mendaces, non homines sumus, sed Dij.* 84

Quòd si Pytagoricum censetur commentum, harmoniam invexisse cœlestem, cujus tanta sit vis; & jucunditas, ut cœlos ipsos adaperiat, ut innuit Scipio in suo somnio: Verum tamen est, harmoniam, & concordiam cordis, & oris esse in homine quid cœleste. Quòd etiam notavit Chrysologus expendens, Magos stellâ duce advenisse, & Herodi arcanam protulisse veritatem; Magis enim cœleste signum censet prodijsse de Magis veritatem nuntiantibus, quàm de stella itinera demonstrante, ait Chrysologus serm. 156. *Plus cœleste de Magis, quàm de stella signum est*, nato Christo stella apparuit non volens, sed jussa; non lege syderum, sed novitate signorum, hanc secuti Magi Hierosolymam ingrediuntur, & Regis recens nati ortum non credentibus annuntiant Matth. 2. v. 2. *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Lingua cœlestis Regem natum Magis nuntiavit, quia veritas nonnisi de cœlo in terram delabi poterat, cum in terris *omnis homo mendax.* Magi verò veritatem ut quid cœleste alijs annuntiant hominibus, imò, dum Magi Herodi veritatis notitiā perturbato veritatem aperiunt, plus signi cœlestis produnt, quàm ipsamet stella cœlestis, ait enim Chrysologus *Plus cœleste de Magis, quàm de stella signum est:* & revera sine veritate nil decoris, nilque splendidi est in terris, quid enim esset vita hominis sine veritate, qualis status universitatis, sine illo rationis, & orationis decore; si veritatem sinas è mundo elementari extorrem abire, solem de mundo sustulisti, & confusas caligines invexisti; quod enim est sol oculis, hoc veritas est menti, sine qua nec in privatis domibus ulla tranquillitas: neque in Re-

Re-

Republica pex: neque in foro juſtitie: neque in mercimonijs fides: neque in artificijs peritie: neque in ſocietate conventio; neque inter homines emicitie, quia ſine veritate amor fit odium, blandimente inſidiæ, oſcule fraudes, medicamenta venenum, & extinctâ veritate confuſum chaos in mundum revocatur, quia deeſt concordia cordis, & oris; pulcherrima eſt illa harmonia, qua Reſpublica cum ſuis membris bene conſonat, quæque adeo eſt neceſſaria, ut Pleto in ſua Republica cum de orbium cœleſtium motibus ageret, ſingulas dixerit ſirenas ſingulis orbibus inſidere, vel ut alijs placet Muſas, quæ mundi ſunt cantus, dicentúrque Camœnæ à canendo, perinde ac ſirenes quaſi DEO canentes Teſte Macrobio; quinimò hane cœleſtium corporum harmoniam etiam ex priſcis patribus non defuerunt, qui edſtruxerint, moti anthoritate Jobi dicentis: *Quis enarrabit cœlorum rationem! & concentum cœli quis cohibebit?*

85 Verùm per concentum nullam intellexerunt Muſicam Pytagoricam, ſed corporum cœleſtium conſentionem, & quæ in homine requiritur, ut os reſpondeat cordi, & lingua menti; nulla enim ſuavior harmonia, quam cordis, & oris; mentis, & linguæ; rationis, & orationis: eſt enim hæc harmonia veritas, quæ concentum edit longè ſuaviſſimum, neque aliud eſt veritas, quàm conſenſio jucundiſſima cordis, & oris, mentis, & linguæ, ait enim Auguſtinus *contemplatio veritatis rerum omnium jucundiſſima eſt*, & D. Ambroſius vocat veritatem legem artium omnium, & matrem ſanctitatis, ſeu virtutis, eſtque propterea veritas ſummum, & maximum ornamentum Principis, qui veritatem in omnibus ſibi propoſitam habere debet, eámque ſolam intueri, & ad illem perinde ac ed lydium lapidem omne ſuum judicium, & imperium accommodare, quia ut ajebat Apollonius Mendacium illiberele, veritas autem generoſa eſt. Idque ut docerent Ægyptij Sacerdotes ſuum Principem, quem omnium optimum, & æquiſſimum optârunt, geſtare eum voluerunt Saphirum gemmam de collo ipſius ſuſpenſam; eſt ſiquidem hæc gemma ſymbolum veritatis, quam præ oculis voluerunt Ægyptij ſuum Principem jugiter habere, ijſdem in ſinum dejectis octo libris legum circumſtantibus, ut monerent, integros debere judices eſſe, ac veritatis ſtudioſos; perinde ac Salomon nos monuit, veritatem gutturi circumdare; & in Levitico ubi de Pontificis ornatu agitur, *veritatis ſignum in pectus incumbere.*

86 Quòd ſi nil veritete jucundius, nil pulchrius conſonancia cordis & oris; nil è converſo turpius mendacio, ſeu diſſonantia linguæ & mentis: ſiquidem ex mendacij ſatu malorum omnium germina pullulant, deceptiones verſutiæ, fallaciæ, ſimulationes, mendaces enim verſuti ſunt, doli artifices, injuſtitiæ promotores, deceptores, verſipelles. Idque cauſæ, cur ignobile mendacium etiam apud Ethnicos haberetur, & vitijs accenſeretur ſervilibus, fuerintque mendaces non ingenuorum charactere, ſed ſervorum notâ inuſti, Plutarchus de liberis educan. *Mentiri ſervile eſt, dignum, quòd omnes homines odio habeant, ac ne mediocribus quidem ſervis ignoſcendum* & Mamertinus de Juliano in grat. act. ait: *Mira eſt in Principe noſtro mentis, linguæque concordia; non modo humilis, & parvi animi, ſed ſervile vitium ſcit eſſe mendacium.* Imò vitium eſt adeo turpe, & crimen adeo grave, ut vel ipſo nomine cognationem cum idolis, & idolorum cultu videatur habere: ſiquidem in ſacris litteris idolum perinde eſt ac mendacium, ubi enim ait Amos Propheta c. 2. v. 4. *deceperunt eos idola ſua*, Textus Chaldaicus legit: *Mendacia ſua*, & ſicut Idolis nihil magis abominabile, ita & mendacijs nil magis deteſtabile: ſunt enim mendacia, quæ ſuos cultores ad omnium genera ſcelerum traducunt, & in vitia quæque demergunt innuente id Apoſtolo, ad Tit. 1. v. 14. Ubi cùm dixiſſet: *Cretenſes ſemper mendaces*: poſtea deſcribens eorum mores ſubdit: *Malæ beſtiæ, ventres pigri, hoc teſtimonium verum*; quia mendacijs qui aſſueſcunt ab humanitate diſſueſcunt in bruta degeneres, ventri indulgentes, non menti incumbentes: ex eo quòd mendacijs necten... vacent, videtur veluti conſequens, ut homines eſſe non videentur in bruta degeneres: Eſt mendacium, quod hominem devenullat, & quidquid decoris in ipſo ſplendet, oblitterat. 87

Scimus, Petrum Magiſtrum ſuum Chriſtum trino negaſſe mendacio, & amoris æſtus prope ignem extinxiſſe, & ipſum friguiſſe in Magiſtrum, quem dixit neſcire; ſin autem quæramus ubi Petrus defecerit, ubi honeſtamenta fidelitatis exuerit, ubi amorem excuſſerit in Magiſtrum, certè non in templo non in lalario, ſed in domo Caiphæ, ubi mendacium prævalebat, ut appoſitè obſervavit S. Chryſoſtomus ſerm. a. de Myſter. feriæ. 5, inquiet ſe *Ibi negavit, ubi Chriſtus tenetur inclusus, negat in domo Caiphæ, ibi negat, ubi poteſt valere mendacium:* nimirom quia in aula felicius germinant mendecia, quàm alibi, ſitque ibi tellus feracior in aſſentationibus, mendacijsque producendis; ideo aula Caiphæ ſpiritum mentiendi vel ipſi Petro inhalavit. Negavit Petrus trino mendacio Magiſtrum ſuum Chriſtum, quò inde diſcamus, mendacia evomentes in æternam ſævire veritatem, & quantum eſt in mentientibus, adniti etiam illam deſtruere: ſed tametſi per mendacia moliantur æternam delere veritatem, hanc in nullo lædunt, & ſibi tantùm detrimentum inferunt, ſeque perimunt, cùm dicat Salomon. *Os quod mentitur, occidit animam.* Quòd ſi poſt Chriſti Reſurrectionem unusquisque eccepit Spiritum ſanctum ad loquendum, qui propterea in domicilio pectoris noſtri elegerit inhabitare, ac uti noſtrâ linguâ, perinde ac ſonoro plectro, & ſit ipſe Spiritus veritatis, procul dubio ſummam ei infert injuriam, qui non veritatem loquitur, ſed mendacium, cùm nonniſi Spiritu veritatis movente, ſeu DEO moderante loqui homo debeat, huc accerſendus S. Antiochus homil. 2. in Exit. Inqoiens: *Neceſſe eſt ex hominis ore nullum effundi ſermonem, qui non veritate omnino nitatur, ut Spiritus ille veritatis, qui idem DEUS eſt,*

intelligatur in hac carne sibi delegisse domicilium, qui per hoc apud omne hominum genus comperietur veridicus, atque ita demum glorificabitur Dominum habitans hominem: siquidem sine veritate corruit omnis humana policia, civilis consuetudo, mutua societas, nec potest dignosci amicus à proditore: quòd cùm innotuisset Ethnicis hominibus adeo exosum, sibique aversum habuerunt mendacium, ut Periander inter leges, quas Corinthijs tulit, has sanxerit contra mendaces: *Quisquis aut vir, aut mulier in detrimentum alterius mendaciam dixerit, integri mensis spatio lapillum in ore gestato. Non enim æquum est loquendi libertate frui, qui in mentiendo effrænis est.*

88 Quòd si ubique locorum etiamnum lex ista vigeret, perpauci essent, qui sine lapillo in ore plateas percurrerent, forum frequentarent, officinas artificum ingrederentur, negotia instituerent, adeo enim consuetudo mentiendi, inolevit, ut perpauci sint, qui hanc non contraxerint, quamvis iniquè ferant homines, si mendaces esse, dicantur, & tamen qui mendaces dici nolunt, libentiùs esse volunt: quippe omnis homo mendax est, non tolùm lingua, sed etiam vita; mentitur enim non tantùm verbis, sed etiam factis, mendaces sunt qui fronte serena exteriùs Catonem exhibent, & intus in corde Neronem fovent: qui exteriùs sunt graves, & comes, interiùs crudeles, & sævi: mentiuntur fœminæ, quæ specie formosæ Helenam ore, & facie videntur spirare, cùm intus in pectore rabidas Megeras, & furias nutriant. Mendaces sunt etiam Religiosi, qui exteriùs habitum deferentes religiosum, vitam agunt, quæ minimè habitui respondet: qui enim religiosum defert habitum, ita debet se gerere, ut vita externo cultui respondeat, & qui se vestitu à sæculi hominibus abjunctum fatetur, moribus ijsdem non admisceatur; non enim quos à mundo habitatio segregat, debet vita mundo commiscere: huc accersendus Dionysius Carthusianus in præfat. ad serm. de Sanct. ad Relig. ubi ad rem nostram ait: *Sancti Patres, qui ordines instituerunt ipsos Religiosos vita, habitu, mansione à sæcularibus voluerunt esse distinctos; & habitationem eorum claustrum appellare sanxerunt. Cur itaque, nisi quia habitatores ejus debent ab omni sæculari tumultu esse quieti, & passionum ac vitiorum inquietudine liberi, ab omni carnalitate, & sæculari proprietate abstracti.*

89 Non sufficit solo nomine, ac veste religiosum esse, nisi mores religionem etiam redoleant; nisi actiones Religiosum deceant; nisi præter habitum, & nomen sit etiam re, & veritate Religiosus: ille est re, & veritate Religiosus, qui unà cum veste sæculari exteriore, mores etiam interius mutat: alioquin, qui vestes sæculi tantùm exuunt, & ex pristinis moribus nihil abijciunt; non mente, sed veste dicuntur Religiosi; non actu, sed habitu; non opere, sed voce, quos increpat D. Bernardus serm. 3. in dedic. Eccl. inquiens: *Quid frater vanitati, aut tepiditati, seu cuilibet alteri vitio fidem servas, operibus, & DEO, per tonsuram mentis.* Hi enim religionis imaginem tantùm superficie tenus simulant, cùm intus nonnisi sæculum sapiant, & hi ait S. Petrus Damianus serm. 37. *In culmis, & folijs frugum Schema prætendunt, sed in ariditate medullæ quisquilias contegunt.* Non solis verbis mendacium profertur, sed & cogitationibus, & rebus fertur, quapropter ait Augustinus de mendac. c. 21. *Cavenda mendacia, rectè agendo, aut confitendo, pœnitendo.* 90

Locusta Cyreniacæ herbis, ac segetibus infestissimæ, & ter in anno propterea debellatæ, Lemma. *Innocuis nocet, qui parcit nocentibus.* APODOSIS. Princeps improbis si indulgeat, probos lædit; & bonis nocet, si malis parcit.

EXCURSUS

Delictorum impunitas liberiùs delinquendi est illecebra.

IMpunitas enim malorum non solùm cum injuria conjungitur bonorum; verùm etiam maxima est delinquendi illecebra, hinc ajebat Cajus apud Cornelium Tacitum, Pœnas ob delicta solvi magna suadet ratio, & præsertim debet justitia sævire in improbos grassantes in famam, & fortunas proborum, ut exhausta malorum sentina cæteri tranquillè vivant, nam dum mali pavent, optimus quisque jussui paret Principis, & leges religiosè servat, quapropter ait Lactantius, bonorum salutem custodit, qui malos punit, idque causæ ait Plinius in panegir. Trajani: Cur Bazanus Rex Sicambrorum jusserit sibi ubique locorum præferri gladium, & funem in symbolum severissimæ justitiæ. Locustarum genus oleribus, ac segetibus infensissimum esse pluribus constat exemplis, & experimentis, quibus deprehendimus, locustas paucos intra dies terræ germina omnia absumere: est enim locusta insectum dente noxium nocendis frugibus natum, adeò, ut non abs re Nicander pennatum dixerit Scorpionem. 91

Imò non solùm herbis, & segetibus, sed etiam plantis; ac arboribus sunt locustæ nocumento, etenim ut ait Author de natura rerum, Amygdalarum floribus citius impinguantur, lauri folia abrodunt, & abrosa infirmitatis suæ remedia adhibent, & D. Ambrosius ait: Olivæ folijs abrosis se ab ægritudine liberare: noxias etiam esse locustas vineis, & vitibus tradit D. Chrysostomus in homil. cuj titulus: nemo læditur nisi à se ipso: inquiens: *Omne quod est in rebus habet aliquid, quo corrumpi possit; lanam tinea lædit, ovium greges lupus, vinum aceti permutatio, dulcedinem mellis amaritudo corrumpit, oleum segetibus nocet, grando vineam lædit, vites & segetes Locustarum exercitus vastant.* Majora etiam damna inferunt, cùm consumptis priùs omnibus, ubi degunt, alienas quærunt regiones, in quas acervatim vento vectæ feruntur. Plinius enim cùm ostendisset, locustas ingenti copia Maria interdum vento sublatas gregatim trajicere, subdit parum quasi sit maria transijsse immensos tractus permeant, diráque messium tractus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia verò morsu errodentes, & D. Hierony- 92

ronymus tempore Joel, adeò innumerabilem locustarum refert super Idumeam venisse multitudinem, ut omnia complerent, & non fruges tantùm, sed ne vinearum frugem, & arborum cortices, ramósque sinerent illæsos, adeo ut omni virore consumpto arentes arborum rami, & sicca vinearum flagella remanserint, ut dixerit Joel: *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruci comedit rubigo.*

93 Adhæc igitur damna avertenda Cyrenæi populi legem sanxerunt, qua ter in anno debellandæ essent locustæ: primò ova obterendo, deinde fœtum occidendo, postremo adultas interimendo, ait Plinius lib. 11. c. 29. *In Cyrenaica Regione lex est, ter anno debellandi eas, primò ova obterendo, deinde fœtum, postremo adultas, desertori pœna in eum, qui cessaverit. Et in Lemno Insula certa mensura præfinita est, quam singuli enecatarum ad Magistratus referant. Graculos quoque ob id colunt adverso volatu occurrentes earum exitio. Necari, & in Syria militari imperio coguntur.* Quia verò improbi non minori sunt probis damno: ideo justitia debet in eos sævire per suos ministros, & satellites, ut debitis mulctati supplicijs probi defendantur, & eorum damna avertantur: mulcta enim nocentium, causa est salutis innocentium, quia dum pestis arcetur, per sana corpora non grassatur, quod animadvertens Athalaricus Rex ajebat apud Cassiodorum 9. variar. 18. *Clementer irascimur, quando sola vitia damnamus.* Crudelis enim est clementia, quæ improbis indulget, quibus cum favet, scelera fovet, & perniciem Reipublicæ affert: non enim est salus in corpore, nisi quam membra ejusdem participant, neque viget salus, si tota corporis compago unius duntaxat membri laborat ægritudine: tanta enim est consensio inter corporis membra, ut vulnus uni duntaxat inflictum reliqua omnia adurat membra, quæ acriter condolent de unius damno; perinde in corpore mystico reipublicæ, vulnera, quæ non curantur, seu delicta, quæ non puniuntur in reprobis, probos etiam inficiunt; quia scelera impunita grassantur petulantiùs in perniciem totius reipublicæ; quæ ad sui indemnitatem in id necesse est incumbat studij, ut per exhibita præmia virtutes foveat; & per inflicta supplicia à sceleribus avertat, omnémque radicitùs improbitatem, evellat: quidquid enim laboris impenditur, ac sudoris funditur in vitijs extirpandis; in culturam cedit, ac irrigationem virtutum, quæ germinant feliciùs, florentque venustiùs. Malè reipublicæ consulit princeps, si ab eadem arcere scelera non admititur, si non amore virtutis, saltem timore pœnarum. Qui nocentes punit, innocentibus injurias fieri prohibet; hinc ajebat Seneca: *Victima haud ulla amplior, potest, magisque optima mactari Jovi, quàm homo iniquus,* cui si princeps indulgeat, sibi, ac innocentibus nocet.

94 Jussus à DEO Saules Amalecitas moribus depravatos, vitijs corruptos, sceleribus infames, ac omnibus exosos radicitùs excidere, ac penitus abolere, absque ulla misericordia in sexum, ætatem, aut formam; imò neque in armenta, reliquúmque pecus; excussa etiam spoliorum, ac hostilium fortunarum cupiditate; & si quis jugulo pepercisset unius, vel alterius Amalecitæ, hunc pœnas daturum violati imperii, ac crudelem in proprium caput fore. Numinis obsequuturus Saul jussui, Amalecites gentem Palæstinæ perfidam, cujus scelera mensuram expleverant, aggressus, præludit victoriæ hostium clade: sed Saules prostratis magna cæde Amalecitis, regnóque vastato, cum omnes jussu DEI debuisset nece violenta delere, & capta spolia flammis extradere; Agagum Amalecitarum regem à fuga retractum servavit detestabili indulgentia, & ut cupiditati adularetur, vestimentorum quoque pretiosiora, & gregum, ac armentorum pinguissima quæque, ut etiam supellectilium, ac opum potiora, magisque speciosa contra DEI præceptum conservavit propriæ satisfacturus cupiditati, & avaritiæ: nec fucatus defuit color, quo improbitas regeretur, opimiorem affectavit Numinis cultum; pinguiora armenta in victimas sacrificij, & spolia in donaria tabernaculo destinari; hisce auditis Samuel iratè Numinis vindictam Sauli divini transgressori præcepti denunciat 1. Reg. c. 28. *quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris ejus in Amalec, idcirco quod pateris fecit tibi Dominus hodie.* Quòd si hodie supremis adurgeris angustijs, cras extremis eris miserijs involutus. *Dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philisthiim: cras autem tu, & filij tui mecum eritis:* ecce quot damna toti Israeli Saul attulit. Amalecitas funditùs delere jussus, & capta spolia flammis tradere; parcit Saul Agago regi iniquo, opimisque gregibus pervicaci cupiditate, & avaritia clemente; servavitque in suum exitium quod perdere in DEI honorem debuisset. Sed quia indulsit Saul Agago nocenti, perniciem intulit Israeli innocenti, quia bonis nocet, qui malis parcit; acutè Cajetanus. *Dabit Dominus Israel tecum in manum Philisthiim, utpote cum quo peccasti parcendo rebus, bonis Amalecitarum:* dum Saul nocentibus Amalecitis veniam indulsit, supplicia accersivit innocentibus Israelitis, quia bonis nocet, qui malis parcit; impunitas enim malorum, condemnatio, & injuria est bonorum; sicut è converso ait Lactantius *bonorum salutem custodit, qui malos punit* & rempublicam tuetur incolumem, qui improborum scelera non sinit impunita; ejus exitium maturat, si impijs indulget; idque innuit Isaias 1. v. 6. *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas,* & causam aperiens subdit: *vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligata:* ergo si tumor circumligaretur; si licentia delinquendi coërceretur; si scelera promeritis punirentur supplicijs, livor non tumesceret; nec vulnera in totius corporis exitium putrescerent: etiam à latronibus percussus, ac semivivus relictus pristinæ fuit sanitati restitutus, quia ejus vulnera fuerunt circumligata Luc. 10. v. 34. *Alligavit vulnera ejus:* sed si digna correctio desit, vulnus peste contabescit exitiali; appositè Gualfridus Abbas in Allegorijs Tilmar ac Vul-

Vulnus est cum intus læditur conscientia. Livor est, cum etiam foris decoloratur vita. Plaga tumens, cum additur impudentia: postea proximiùs ad rem nostram addit. *Plaga non est circumligata; quia nemo fit, qui coërceat. Non curata medicamine; nemo quippe est, qui arguat. Fovent vitia, qui vitijs favent*,

Si inflicta reipublicæ vulnera non illigen-
95 tur; si legum transgressiones, si scelera improborum non puniantur; nec licentia delinquendi compescatur; sed pestiferia indulgentiæ blandimentis cœlesti foveantur, totum corpus pestifera putrescit sanie. Non stat respublica nisi duobus innixa fulcris, scilicet remuneratione dignorum, ac punitione iniquorum. Solon illustris in Græcia Legislator duabus rebus contineri rempublicam dixit præmio, & pœna: & Antisthenes censuit, nullam esse majorem perniciem reipublicæ, quàm si probi ab improbis nullo secernantur discrimine; rempublicam civium probitas stabilit, improbitas evellit: unde Cicero lib. 3. de natur. Deor. *Nec domus, nec respublica stare potest, si in ea nec rectè factis præmia extent ulla; neque supplicia peccatis*: perinde ac supplicia licentiam peccandi compescunt, exhibita præmia studia virtutum fovent; ajebat Theodoricus apud Cassiodorum 2. variar. c. 16. *studij nostri est remunerationem rectè conferre, & bonæ indolis viros ad instituta meliora fructu impensæ benignitatis accendere: nutriunt enim præmiorum exempla virtutes, nec quisquam est, qui non ad morum summa nitatur ascendere, quando irremuneratum non relinquitur, quod conscientia teste laudatur*.

Nullum tam efficax illicium ad virtu-
96 tum exercitia trahit, quàm exhibita merentibus præmia, nec ullum est coërcendis vitijs frœnum aptius statuto supplicio: est siquidem nocentium mulcta, & scelerum punitio proborum tuitio & Reipublicæ salus ac securitas, à qua dum vitiorum pestis arcetur, sana, & incolumis servatur: quapropter ajebat Athalaricus Rex apud Cassiodorum 9. variar. 18. *Clementer irascimur, quando sola vitia damnamus*. In probos, & Rempublicam sævit, qui improbia indulget, & scelera finit impunita manere. Non est salus in corpore, nisi quam membra participant, quorum si unum ægritudine laborat totius corporis compago tabescit. In id propterea Reipublicæ moderator necesse est incumbat studij, ut per supplicia nocentium salutem tueatur innocentium; & sicut per præmia virtutum promovet exercitia, ita per inflicta supplicia scelera compescat: scitè Sopater inepist. ad Demetrium fratrem de Republica administranda ait: *Præbe te simul & clementem, & infensum, malis indignando, probis indulgendo*.

97 Idque fortassis causæ, cur DEUS ad optatas libertatis sedes populum ducturus nubem selegerit præambulam, ac itineris ducem: exierunt ex Ægyptiaca servitute Israëlitæ lætissimi, eò quia à tergo nonaginta trium annorum durissimam relinquerent servitutem, & à fronte amplissimam januam ad libertatem sibi viderent patere: eósque præ cæteris alliciebat, oculósque recreabat, animósque exhilarabat nubes lucidè densa, quam in columnæ altissimæ simulacrum erectam præire, & itinera præmonstrare viderent Exod. 13. v. 21. *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis*. Sed cur nubes prævia speciem induit columnæ? tametsi possit nubes formam imitari columnæ, non tamen ejus constantiam referre; nubes siquidem ex congestia compacta vaporibus, adeo tenuis, ac mollis est, ut ad omnem facilè se flectat figuram, & ventorum flatibus, vel circumacta rotatur, vel divisa dissipatur, vel conglobata aliò vehitur, & persæpe solis percussa radio liquescit in imbres, solvitúrque in pluvias; nonnunquam innatæ levitati adhærescens per aëra vibratur; quomodo igitur columnæ, cujus firmitas est stabilis, & durities inconcussa æmulatur? an quia itidem quandoque præseferens symbolum exhibet humanæ felicitatis? Pingitur enim aëre pluvio in humescente, ac roscida nube, arcus discolor, in quo videmus aliquid flammei, aliquid lutei, aliquid cærulei, & alia in modum picturæ subtilissimis ducta lineis tam miro naturæ artificio, ut omnem superent artis industriam: habet hujusmodi arcus in nube rorida depictus speciem aspectu jucundissimam, & cogitatu mirabilem, excipitur propterea laudibus in signum reconciliationis, ac fœderis: ad sicut totus colorum apparatus momento disparet, & extinguitur; ita humana felicitas, utpote momentanea statim desinit, & evanescit. Vel forsan nubes columnæ induit formam, ut stabilem se proficiscentibus Israëlitis exhiberet ducem contra ventorum flatus, & procellarum impetus. Sed si nubes fugientea Israëlitas alliciebat, refractarios Ægyptios terrebat, si proficiscenti Israëli erat solatio, insequenti Pharaoni erat terrori, Hebræis enim lucida erat ac blanda; Ægyptijs verò obscura, minax, & terrores incutiens Exodi. 14. v. 20. *Erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent*.

Eadem igitur nubes, quæ populum præibat, & dirigebat, tenebras offundebat ad terrorem, & splendores spargebat ad solatium, improbis erat supplicio; & probis lætitiæ, malos à bonis secernens, ac indignos dividens à dignis: & adeo stabilis fuit, ut propterea columnæ fuerit fortitudinem æmulata in frustrandis hostium conatibus, retundendisque Ægyptiorum insequentium ausibus: parum tamen firma constitisset, si minax & tenebrosa solùm Ægyptios compescuisset, improbos, ac indignos; nisi etiam lucida splendores spargeret, quibus probis fuisset solatio: dum igitur perversis Ægyptijs fuit terrori, & probis Israëlitis solatio dum sceleстos punivit, & dignis favit, recti regiminis prætulit symbolum, quod specie etiam columnæ firmavit, quia tunc laudabile est regimen, & constans, quando improbi supplicija arcentur à sceleribus, & favoribus; ac præmijs alliciuntur probi, ut per itinera virtutum proficiscantur: dum nubes contraria est vitia nequam, & indignis; & amica ac favorabilis dignis symbolum exhibet regiminis constantis, ac probi, quia impiorum *ma-*

mata suppliciis, ac dignorum stabilita præmiis, ut notavit Cajetanus in Exod. 14. inquiens: *Ecce effectus Angeli, & columnæ: relativè siquidem ad Ægyptios fuit nubes caliginis, & fuit obscuritas illuminatione cœlesti suspensa quoad effectum ducendi, non absolutè, sed exercitui Pharaonis. Effectus autem columnæ relativè ad populum Israel duntaxat fuit illuminate noctem.*

98 Eadem igitur nubes illucescit justis, & obtenebrescit iniquis, ideóque instar columnæ perseverat stabilis, quia malos à scelere coërcet, & probos ad studia allicit, ac progressum virtutum: columnæ induit firmitatem, quamvis innata levitate vacillet, quia verum ac stabile regimen, cujus erat columna symbolum, iniquorum suppliciis, & justorum præmiis stabilitur. Quod etiam vidit Joannes in agno stante propè thronum, & leone rugiente, ac vincente Apocal. 5. v. 13. *Sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.* Agnus throno adhæret, cui etiam est fulcro, sed si agno jungatur, & leo adversarios prosternens, ac vincens: si agnus blandiens probis, & leo terrorem incutiens improbis thronum fulciant, stat firmior & inconcussa stabilitate perseverat immobilis. Dum Joannes curiosiùs thronum intuetur, quem agnus tuetur, agnum vidit non jacentem, sed stantem, non lanæ candore tantùm blandientem, sed & sanguinis aspersione terrentem, *Vidi & ecce agnum stantem*, qui enim agnus erat blandimento candoris, à natura leonis non discedebat standi firmitate, erátque propterea leo, qui agnus, & agnus qui leo, quia & leonis feritas, & agni mansuetudo simul confœderatæ fulciebant thronum, ut inconcussa stabiliretur firmitate; & tunc contingit, cùm Princeps sedens in throno leonis feritatem exercet in sceleftos, & agni mansuetudinem, ac clementiam in viros probos, ac merentes, ut notavit Richardus Victorinus lib. 2. in Apocal. cap. 3. inquiens: *Leonem audivit in promissione, agnum videt in exhibitione. Magna est differentia inter leonem, & agnum: leo est magnus, Agnus est parvus: sed si utrumque consideramus, utrumque Redemptorem nostrum comprobamus nos redimit leo malos puniendo, & agnus bonos redimendo.*

99 Ecce duo fulcra, quibus innixus thronus inconcussa stat firmitate in malos instar leonis sævire, eósque suppliciorum ungulis dilacerare, & viros probos agni mansuetudine allicere; & præmiorum exhibitione promovere. Non staret thronus, si solà inniteretur agni mansuetudine, nisi etiam fulciretur leonis ferocitate, ad impios puniendos, & scelera arcenda; illâ ad merentes promovendos, & præmiis ad exercitia virtutum alliciendos: *utrumque* ait Richardus Victorinus *Redemptorem nostrum comprobamus: ipse est enim leo malos puniendo, & agnus bonos redimendo.* Princeps enim qui malis parcit, bonis nocet, impunitas enim malorum non solùm cùm injuria conjuncta est bonorum, verùm etiam peccandi est illecebra, & ad deteriora scelera incitamentum, à quibus vix abstinet, qui impunitate proposita ijsdem assuescit: graviorum scelerum graviora decet esse supplicia; quia atrocitas pœnæ obedientem constituit, sicut in castris militem duci; ita & in Republica subditum magistratui, quapropter ajebat Dionysius Halicarnassæus *Pœnæ leves non possunt refrænare juventutis insaniam, & ingenij ferociam; neque possunt ita facilè rerum honestarum contemptores ad temperantiam reducere.*

100 Nisi præmia meritis, & supplicia delictis respondeant, sus deque Respublica evertitur. Somniavit Nabuchodonosor ob oculos suos arborem observari adeo præcelsæ proceritatis, ut nubes vertice contingeret, foliorúmque explicatu terram longè, latéque inumbraret ingenti fructuum ubertate turgescens, nidúmque volucribus, antra bestijs, & omni hominû generi esculenta abundè suppeditans: videbatur Babylonio tyranno mundi voluptas tota sub frondoso illo tegmine propriam collocâsse sedem. Sed adest statim de summo cœlo genius excubitor, divinæ providentiæ administer, qui minaci voce præcipit arborem illam succidi, ramos amputari, folia dissipari, fructus evelli, ac dispergi, adeo ut non absque terrore, metuque sibi incusso viderit Nabuchodonosor præcidi arboris ramos, excuti folia, dissipari fructus: sed quem crassa cæcitate obsitum tenebat vanitas, ex arboris dejecta procerirate non didicit resurgere à vitiis, quibus indulserat, & resipiscere. Sed iterum quiescenti, ac somno sopito objicitur statua quadriformis capite aureo, pectore argenteo, ventre æneo, tibijs ferreis in pedum digitos ex luto, ferroque mixtos desinentibus, quæque quatuor mundi imperia Chaldæorum, Persarum: Græcorum ac Romanorum portendebat; conterenda tamen omnia levi lapilli ictu, quo statua prostrata corruit: verùm Nabuchodonosor neque ex lapsu statuæ surgere didicit. Quinimò correctionis medelam improbus detorsit in amentris furoris insaniam: siquidem expergefactus statuam conflari jussit, sicut in somnio ei objecta fuerat, Numinisque imperium capire illo aureo expugnare molitur, insolescens enim imperij sui potentia, putánsque tantùm cæteris præcellere Regnis, quantum aureum caput pectori argenteo, cæterisque statuæ membris viliore conflatis metallo; jussit se in colosso illo adorari, & ad colosseæ statuæ venerationem regio edicto convocari populos, primates, & præcipuè purpuratos omnes, quos inter numerabantur Sidrach, Misach, & Abdenago juvenes Hebræi. Statuæ circumfusi aderant symphoniaci, cum omnis generis musicis instrumentis, sancitâ etiam pœnâ capitis in eos, qui audito tubarum, fidiúmque sonitu non flecterent genua, cultúmque soli Deo debitum non exhiberent Regi in colossea statua repræsentato: mox signo dato tametsi tota multitudo coram statua procumberet adoratura, steterunt tamen tres hebræi juvenes negantes cultum soli DEO debitum homini exhibere mortali, imò & inani dare metallo, parati millies potiùs mortem quamcunque acerbam oppetere, quàm tam turpi scelere coinquinari, tam grave perpetrare piaculum.

Hæc

autem hæc tabula rapienda, ipsa pœnitentia, quæ veluti tabula fluctibus innatans naufrago se exhibet opem allatura, imò & vitam datura, si rapiatur, ejus enim suffragio periculum eluditur naufragij, & ad portum incolumis appellit vitæ: quod enim naufrago est tabula, id peccantibus est pœnitentia, si ejus cinere inspersi veræ charitatis ignem foveant, quo in lachrymas solvantur doloris, ait enim Eusebius Gallicanus homil. ad pœnitentes: *Pro redemptione autem vestra non à vobis illud Deus, quod pauci habent aurum, & argentum requirit; sed fletus, & gemitus afflictionis, & contritionis: non pudeat pœnitere, quos non puduit delinquere.* In Methaneæ cinere condantur quotquot pestiferæ voluptatis veneno exanimati noxa lethalis eos divinæ interemit gratiæ: hi cineres fomenta suppeditant, quibus excusso mortis gelu spiritum vitæ, & calorem charitatis hauriunt.

106 Hinc Sabellius lib. 4. c. 4. summis excipit laudibus cæremoniam, quâ Æthiopum Christianorum majoris ordinis Antistitibus non crux modò, sed vas etiam aureum terra aut cineribus refertum præferri consueverant, ut suæ admonerentur mortalitatis, quam subinde cogitantes ad salutarem immortalitatem contenderent. Quod si objectus oculis cinis vitam influit morti haud obnoxiam, quantò magis si non solum oculis objiciatur, sed etiam toto corpore inspergatur, seu pœnitentia corporis membra omnia emaciet per servatum jejunium: *Est siquidem jejunium* ait Chrysologus serm. 8 *pax corpori, membrorum decus, ornamentum vitæ. Est jejunium robur mentium, vigor animarum. Est jejunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas sanctitatis, ecclesiasticæ vitæ viaticum salutare.*

107 Quòd si carnis macerationi, ac jejunio fervor addatur orationis, totum hominem pœnitentiæ cinis, quem tanquam panem David manducabat, instaurat, ac reformat: marcida siquidem, ac infirma ut plurimum est oratio pingui exorta ventre, cùm è converso vegeta, ac robusta, quæ ex arido ore, siccisque præcordijs enascitur: hæc enim debiles corroborat, & infirmos vivificat, quos arctiùs Deo fonti vitæ agglutinat, quapropter sponsæ labia instar vittæ coccineæ non solùm leguntur grato vernare rubore, verùm etiam vinculo ligare amoris Cantic. 4. v. 3. *Labia tua sicut vitta coccinea.* Quòd si inquiramus, cur tanta vis fuerit labijs, ac verbis à sponsa prolatis, ut non solùm rubore perfusa labia lætiùs vernarent ut rosæ, sed etiam arctiùs eam ligarent, ut vitta coccinea cœlesti sponso, non aliunde putes hanc labiorum virtutem suam traxisse originem nisi ex cinerario pœnitentiæ: si enim manus lustres sponsæ has myrrha exundare deprehendes Cant. 5. v. 5. *Manus meæ stillaverunt myrrham*: quia manus myrrha exundârunt, seu Sponsa pœnitentiæ addicta, carnis studuit macerationi, & cinere pœnitentiæ ignem, quo ardebat amore, servavit indem nem; ideo verba labiorum, seu oratio, quam myrrhæ amaritudo fulciebat, sponsum in sua vota flexit, seu Deum, sibi illigavit, ait Gilibertus in allegor. ad Tilman. loquens de labijs sponsæ. *Ea labia ligant, & rutilant.* Idque fortassis cùm observâsset Anna preces ad Deum fusura, jejunio, & pœnitentiæ cinere orationem suffulsit, & Deum in sua vota inflexit: ait Tertullianus: *Jejunium reverentiæ in Deum opus est, per quod Anna retro sterilis impetravit facilè à Deo ventrem cibo inanem filio adimplere, & quidem Prophetâ.* Quò Anna perinde ac sponsa arctiùs Deo adhæreret, non solùm verbis orationis, quæ labia perinde ac vitta coccinea proferebant, verùm etiam myrrhæ amaritudine, qua manus, & pectus inficiebantur, & cinere pœnitentiæ, ac jejunio Deum in sua traxit desideria: ventrem cibis non implevit, & vota sua adimplevit, Prophetam concepit, quem oratio, & pœnitentia impetrârunt: ait enim Basilius: *Samuelem nonne deprecatio cum jejunio conjuncta donavit matri?* Pœnitentia non solum scelera patrata abigit, sed etiam sterilitatis, ac calamitatis accersit pharmacum, & vitam vel influit, vel tuetur.

Fugiebat Elias insanientis Jezabelis minas, 108
cùm prolixo fessus itinere deficientia corporis membra sub juniperi umbram projecit, ut per reconciliatum somnum vires reficeret: sed adfuit statim Angelus dormientem excitaturus, quem subcinericio tantùm pane & aqua refecit 3. Reg. c. 19. v. 6. *Ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ.* Sed cur Angelus corvo avarior panem subcinericium, & frigidam tantùm exhibet Prophetæ, cui corvus lautiùs præbuit obsonium, non enim panem tantùm, sed & carnes attulit manè, & vespere, ut bina diurna refectione reficeretur Elias vegetior: Expendens Tertullianus discrimen inter utrumque obsonium, Angeli, & corvi, eò quia Angelus nonnisi unicum tenue, ac vile ministraverit obsonium, cum corvus lautius exhibuerit, ait lib. advers. Psychic. c. 9. *Cum corvi illum pane, & carne saturare consuescerent, cur postmodum apud Bersabae Judææ excitato eidem de somno quidam ille. Angelus sine dubio, panem solum, & aquam obtulit? defecerant corvi, qui illum liberalius pascerent? An difficile Angelo fuerat aliquem aliunde de convivio Regis Ministrum cum instructissimo ferculo raptum ad Eliam transferre?* Hoc est, si corvi repugnante natura carnis obsonium jejuno ac famelico Prophetæ adferunt, cur Angelus avaritiæ incurrens probrum nobilius subtrahit obsonium, & pabulum adfert vilius? quia nimirum cum insaniens Jezabel Eliam ad necem persequeretur, & mortis periculum immineret Prophetæ, Angelus, quò vitæ consuleret ejusdem, symbolo eum refecit pœnitentiæ, cinere communivit Methaneæ cum panem defesso, & languescenti obtulit subcinericium: hac refectus esca, seu pœnitentiæ cinere tectus Elias insidias elusit Jezabelis, & mortis pericula declinavit, vitámque propriam servavit indemnem, pulchrè Tertullianus loc. cit.

cit: *Constitui oportebat exemplum docens in tempore pressuræ & persecutionis, & cujuscunque circumstantiæ Xerophagijs esse vivendum.*

109 Prophetæ vitæ patrocinaturus Angelus cinere Methaneæ, armisque inediæ eum munivit, ut hoc cinere communita caro, dum tacitè cœlum pulsaret pericula eructantia in terris averteret. Tunc Elias insidias elusit Jezabelis cum subcinericio pane refectus sub junipero somno sopitur 3. Reg. c. 19. v. 5. *Projecit se, & obdormivit in umbra juniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum.* Non credas temerè Prophetam sub juniperi umbra præsidium invenisse, est enim juniperus pœnitentiæ Symbolum, crucem designans mortificationis, ut ait Carthusianus inquiens *Per spinosam juniperum intelligitur crux Salvatoris.* Cùm furore percita Jezabel Eliam ad necem insequeretur elusurus Propheta debacchantis mulieris insidias refugium sub juniperi umbra, & subcinericij panis refectione, quærit, & invenit; quia pœnitentiæ cinis, & crux mortificationis vitam vel influunt, vel indemnem servant.

Idque docturus Deus suum populum Ru-
110 bo flammanti inclusus eidem objicitur Exodi 3. v 3. *Videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Sed cur rubum potiùs quàm aliam plantam, testem accersivit sospitatis, & contra iras flammarum præsidium, ac refugium habebat Numen in rubi medio? quòd si flammæ cingebant, coronam cudebant; si sursum nitebantur, ardentiùs, ac efficaciùs in totidem desinentes linguas ejus loquebantur divinitatem, si obstrepebant in senticoso vepreto ubi spinæ pungebant, laudes pangebant. Selegit præ cæteris plantis Rubum testem sospitatis, quia utpote senticosus, ac veluti cilicina veste tectus pœnitentiæ Symbolum exhibebat: cinis enim Methaneæ iræ flammas sopit, & æstus extinguit concupiscentiæ, ideóque spinarum cuspides dum stantem in medio rubo hominem religiosè lacerabant, impetum arcebant flammarum, quia caro sentibus excruciata insolescentis concupiscentiæ ardores sopit, & austeritatis tormentum discrimen propellit flammarum, huc accersendus Philo lib. 1. de vita Moysis inquiens; *Nuntius divinæ providentiæ faciebat spem tot horrendorum periculorum fore lætum, & facilem exitum. ea conjectura excutiatur diligentius. Rubus ut dixi frutex debilis est, & senticosus, ut vel solo contactu vulneret.* Cilicium æmulatur & pœnitentiæ nobile exhibet Symbolum.

111 Stetit Dei Nuntius medius intra rubi senticosi flammas, quo flammarum splendore clariùs, ac illustriùs nos edoceret, pœnitentiam homines servare incolumes, ac vitæ patrocinari, cui irata Jezabel insidias nectit, seu scelus aditur perniciem inferre, imò & extinguere. Neque tantùm innocentes incolumes servat hic Methaneæ cinis, sed etiam lapsos, & pestifero voluptatis veneno exanimatos ad vitam revocat, ut discant, qui deliquerunt, & per lethalem noxam à summo Bono se averterunt non desperare, sed ad profugia austeritatis, & præsidia confugere pœnitentiæ. Non solum vepretis, ac sentibus quibus pœnitentia armatur scelera arcet, ne damnum inferant, verùm & fluentis lachrymarum extinguit, eorúmque superstites maculas eluit, ut inquit D. Chrysostomus serm. de pœnit. inquiens: *Sicut aqua extinguit ignem ardentem, sic pœnitentia diluit crimina fontibus lachrymarum.* Et non solùm pœnitentiæ lachrymæ trinam in Principe Apostolorum negationem deleverunt; sed etiam Petrum prolapsum in atrio prætorij propriæ dignitati restituerunt: & Davidem etiam lapsum erexerunt: quinimò adeò utilis, ac proficuus est pœnitentiæ dolor; ut Christo vel maximè placuerit, non enim abs re cùm esset sepeliendus myrrha perungi voluit: myrrha enim sua amaritudine pœnitentiæ refert symbolum: quinimò non solum denatus, sed etiam vix natus myrrha delectatus, hac donari voluit à Magis: & quidem inter donaria pretiosiora auri, & flagrantiora thuris, quia pœnitentia vitæ spiritualis est exordium, & perfecta consummatio; huc flectuntur verba Guarici Abbatis serm. in Epiphan. *Inutilem, aut vilem non dicas myrrham, quam Christus acceptat in munere, qua sui corporis sepulturam non solùm præsignari, cum ei offerretur; sed etiam consummari voluit, cum ex ea perungeretur. Si ergo manifestiùs vis audire; myrrha in corde tuo dolor est: myrrha in corpore tuo labor est, si tamen iste, vel ille pœnitentialis est: myrrham siquidem utrumque esse non solùm probat etymologia nominis, aut qualitas saporis, sed etiam medicinalis operatio virtutis.*

Pœnitentiam qui init, è lapsu se eri- 112
git Numinis ope, imò si lethali noxa jacet emortuus, redivivus resurgit; & Angelus potest evadere, si per scalam ascendat, unde miser descenderat. Per scalam Jacobo dormienti objectam ascendebant Angeli. Genes. 28. Et Angelum refert, qui per gradus pœnitentiæ in cœlum conscendit. Huc spectat S. Bachiarius epist. de recipiend. lapsis. ubi adhortans lapsum ut resipiscat, ait: *Sit tibi vigilia velut officiorum custodia publicorum, ac sicut catena rigentis ferri, sic duriori consuetudine, & lege constrictus sub imagine martyrij, veniam misericordiæ cœlestis expecta. Eja, eja, quid dubitas? scalam illam Jacob, unde delapsus es, dum velis ascendere, adhuc posita nondumque subtracta est: & licèt in ruina tua omnia membra tua collideris, tamen iterum conare ascendere.*

Ad veniam sibi viam sternit, qui se deli- 113
quisse fatetur, & contractam ægritudinem pœnitentiæ pharmaco curare satagit: incipit erigi, qui se lapsum, & novit, & fatetur, incipit sanari, qui propriam ægritudinem Medico ostendit, & medelam non respuit. Suum fassus fuerat delictum Lamech, & veniam impetravit, ut notat Diodorus in catena veterum Patrum Græcorum in cap. 4. Genes. inquiens: *Virum interfeci in meum vulnus, & ad majorem*

com-

commiserationem adjecit, & adolescentulum, elapsum verò judicium est, neque de pœnis agitur, proterea quòd ingenuè peccasse fatetur. Cumque ipse sibi calculum tulisset damnationis, absolutionem meruit à DEO. Et verisimile est, ut ait Ephræm. Homicidium fecisse Lamech propter mulieres, quas deinde in uxores accepit, tunc præsertim temporis regnante incontinentia. Homicida non solùm alios ferit, sed & seipsum interficit, & totam ad se trahit calamitatum congeriem, trahit enim secum culpa urgentissima incommoda, quibus delinquens divexatur, & lethalem contrahit ægritudinem, qua divinæ gratiæ emoritur; adeo ut sibi ac propriæ saluti invideat, qui vitijs inficitur: & lethali laborat ægritudine, qui per gravem noxam se à summo bono avertit, & nisi cœlesti Medico suam fateatur infirmitatem, & per pœnitentiæ phatmaca adnitatur vitiatos excutere humores, seu pravos abigere affectus minimè sanitati restituitur: hinc David post cognitam Bethsabeam sentiens contractam infirmitatem, qua laborabat, opem petijt à cœlesti Medico Psal. 6. *Miserere mei Domine. quoniam infirmus sum. sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.*

114 Vulnus Medicum quærit, & Medicus vulneris ostensionem exigit, ut alexipharmacum adhibeat. Imò ea est cœlestis Medici misericordia, ut ad depellendas ægritudines, & abradendos vitiatos humores veræ pœnitudinis offerat medicamina. scitè Tertullianus de pœnit. c. 7. *Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat:* Postea subjungit: *Habes jam, quod non merebaris; amisisti enim, quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat, unde restituas, quod amiseras, iterato beneficio gratus esto, ne dum ampliato: majus enim est restituere, quàm dare, quoniam miserius est perdidisse, quàm omninò non accepisse.* Splendet DEI clementia cum acceptam, & deperditam felicitatem homini restituit, & per pœnitentiæ alexipharmaca, quam contraxerat lethalem ægritudinem delet, ac pristinæ sanitati sua gratiæ restituit, quem ægritudo in imo detinuit calamitatum. Ad promissam felicitatis terram jam appulerant Israëlitæ ingenua gaudentes libertate, omnique rerum affluentia donati, quam tamen insipienter amiserunt, falsis Numinibus Baalim, & Astaroth cultum soli vero DEO debitum exhibentes, sed plura ijsdem attulit incommoda, plures ijsdem coacervavit calamitates patratum scelus; & accerbitas ibi miserias, ut propulsarent, ad lamenta confugerunt, & abjuratis erroribus asciverunt sibi pœnitudinis patrocinia, & seriò emendationē proponentes, ac religiosiùs DEO inservire 1. Reg. c. 11. *Serviemus tibi*, hoc est opem implorârunt cœlestis Medici, cui non erubuerunt propriam fateri ægritudinem: *peccavimus, quia dereliquimus Dominum*, & DEUS opportunum adhibuit ægritudini pharmacum, cujus virtute, & efficacia pristinæ fuerunt incolumitati restituti. *Misit Dominus Jeroboal, & Badam, & Jephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitâstis confidenter.* Lamenta, & suspiria pœnitudinis salutem accersiverunt; cinis pœnitentiæ, quo ulcus fuit inspersum, non solum sanitatem accersivit, sed & cicatricem delevit, & qui per lethalem noxam mortui erant divinæ gratiæ, beneficio cineris, quem pœnitentia spargit, ad vitam fuerunt revocati, ait Abulensis q. 10. *Confitebantur Israëlitæ peccatum suum, quia vexatio dabat eis intellectum.*

Fuit vexatio opportunum collyrium ex- 115
cutiendis caliginibus ab oculis, & abstergendæ cæcitati accommodatum, sed dum pœnitentiæ dolore correpti lachrymas fundebant, miserias propulsabant, & ad sanitatem viam emolliebant, pulchrè D. Augustinus homil. 12. expendens verba illa: *Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi*, invitans peccatorem ad pœnitentiam, lapsum, ut surgat, & ægrotum ad sanitatem ait, *Sanat te DEUS confitere tantùm vulnus tuum. Jaces sub manibus Medici, patienter implora auxilium; fovet, urit, secat; æquanimiter tolera, tantùm noli attendere, nisi ut saneris, sanaberis autem, si ostendas te Medico, non quia ille non videt, sitn te abscondas; sed ipsa confessio initium sanitatis est.* Homo ille, qui a latronibus pluribus inflictis vulneribus saucius derelictus fuerat semivivus in via, ubi languescens, & viribus destitutus jacebat, & quem contempsit pertransiens Sacerdos, & Samaritanus accessit ad eum curandum, totum repræsentat humanum genus pluribus confossum vulneribus ob Protoparentis delictum, & cui sanando solus cœlestis Medicus sufficit; quem Samaritanus symbolicè exhibuit, ille enim est, ait David, *qui sanas omnes infirmitates nostras*, & cùm propria eidem infirmitas innotesceret, ejus imploravit opem: *Sana me Domine, & sanabor, salva me, & salvabor.* Omnipotenti Medico ait D. Augustinus in Psal. 102. Nulla infirmitas occurrit insanabilis, nullus languor incurabilis, dummodo sinat infirmus se curari, manus Medici non repellat, & non tantùm delectetur, cum fovet; sed etiam toleret, cum secat, seu toleret medicinalem dolorem futuram cogitans sanitatem, & in Psal. 40. ait: *Planè committamus nos Medici manui, non enim errat, ut sanum pro putri secet. Novit, quod inspicit; novit vitium, quia ipse fecit naturam: quid ipse condidit, quid de nostra cupiditate accessit, discernit. Scit se sano homini præceptum dedisse, ne languorem incurreret, dixisse in paradiso hoc manduca, hoc noli. Non audivit sanus Medici præceptum, ut caderet; audiat vel ægrotus, ut surgat.*

Initium salutis est Medicum accersere, 116
eique contractam ægritudinem fateri, & infirmitatis remedium velle. Sunt, qui medicinæ præsidium refugiunt, & laborare malunt infirmitatibus, ne pharmaci amaritudinem sentiant, contra quos disertè Tertullianus adversus Gnosticos c. 5. ait: *Est & hæc perversitas hominum salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quæque medicamenta vitare, mori denique citiùs, quàm curari desiderare.* Negligunt remedium, & ignorare affectant pharmacum, quod ægritudini curandæ esset accommodatum, ne quidquam expectantur incommodi, & atrides

æmulantes studiosè obsurdescunt, ne voces sapienter incantantium percipiant, simúlque propriæ adulantur infelicitati, suæque invident incolumitati, *Neminem pudeat*, ait Tertullianus lib. de pœnit. c. 7. *iteratæ valetudinis, iteranda medicina est. Gratus in Dominum extiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes, habes, cui satisfacias, & quidem volentem.* Initia propriæ salutis posuerunt Philisthæi, cùm sacerdotes ac divino cultui addictos consuluerunt, & quid ad delictum depellendum conduceret solicita anxietate indagârunt: siquidem exordium sanitatis est Medicos accersere, & profutura remedia inquirere. Ajebant ipsi 1. Reg. c. 6. *Quid est, quod pro delicto reddere debeamus.* Salutem exposcebant, propterea à sacerdotibus remedia perquirebant, malè valentes, & lethali ægritudine laborantes ad Medicos accessêre, & pharmaca ægritudini abigendæ opportuna non respuerunt, ait Abulensis q. 10. *Hæc magis scire poterant sapientes scilicet sacerdotes, & divini, ideo consuluerunt eos.*

117 Medicum accersere propriam eidem fateri ægritudinem, & præscriptum ab eodem remedium non respuere initium est sanitatis. Plura sunt infortunia, & plura incommoda, quæ letum patrata scelera trahunt, quæque humores corrumpunt, ægritudines excitant, quæ tamdiu torquent, quamdiu causa non propulsatur. Idque causæ, cur plerumque etiam in arte medica peritissimi opportunum nequeant ægritudini depellendæ pharmacum adhibere, quia infirmitatis origo eos latet. Sed ægritudo peccatorum non alio curanda est pharmaco, quàm pœnitentiæ cinere, quo non adhibito remedio frustra peritia laborat Medicorum: pœnitudo, quæ DEO placet, hominis proficit saluti. Philisthæi pluribus premebantur calamitatibus, diris urgebantur doloribus, & quamvis varijs industrijs, & adhibitis pharmacis propriæ procuraverint ægritudini occurrere, non tamen leniebatur dolor, nec anxietas sopiebatur: sed verum pharmacum, quod ars suppeditare nequivit, consilium exhibuit sacerdotum 1. Reg. c. 6. *Quod debetis reddite ei pro peccato, & tunc curabimini.* Ac si dicerent: ægritudo, quâ laboratis, ab aëris non provenit intemperie, neque à ciborum perversa qualitate, neque à regionis infecto climate, sed ab arcæ retentione; hæc violenta, & iniqua detentio est scelus, seu radix, è qua pullulant calamitates, quæ vos affligunt miseriæ, quæ premunt; ærumnæ, quæ vos torquent, *Quod debetis reddite ei pro peccato, & tunc curabimini*: causa est radicitùs evellenda, ne germinent infortunia, sed exarescant, arca est restituenda, & patratum scelus per pœnitentiæ medelam abstergendum; scitè Lira. *Quod debetis reddite ei pro peccato, id est emendam pro peccato, & tunc curabimini à plagis vobis inflictis.* Quas per patrata scelera contraxit anima ægritudines nulla artis peritia excutit, sed solus pœnitentiæ cinis, cujus beneficio fovetur charitas, & qui vitijs coinquinatus frigescebat mortuus, dissoluto gelu peccatorum lachrymarum fusione reviviscit, auras vitales divinæ gratiæ hauriens.

Hujus cineris, qui respuit alexipharmacum, reviviscere detrectat, & mavult in umbra mortis jacere: nisi vera ægritudinis causa inaotescat, & evellatur, non abigitur infirmitas, sed perseverat pervicacior. Joannes Baptista cum novisset Discipulos suos speciali erga ipsum moveri affectu, hanc curaturus eorum ægritudinem, ad verum Medicum Christum eos misit, ut veritatem inquirerent, ac ad eandem suscipiendam se disponerent inquisitam Matth. 11. v. 3. *Mittens duos de Discipulis suis ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* fecit Baptista Discipulos cœlestis doctrinæ inquisitores, ut veræ sanitatis efficeret recuperatores; dum enim candida intentione veritatem perquirunt, proniores veritati adhærescunt susceptæ. Huc accersendus Basilius Seleuciensis orat. 34. *Ideo nunc eos ablegat in speciem de Christo quidem ipse sciscitans, re abse vero eos cum Domino conjungens per interrogationis speciem, Discipulis cum Christo familiaritatem conciliaus. Ite & interrogate, ac si diceret, ite, & discite, Christum cognoscite, & cognito servite.* Voluit Baptista, ut per studium veritatis cognoscendæ, initium salutis ponerent, & immodicum in se ipsum affectum deponerent. Causa igitur ægritudinis cognoscenda est, ut ea sublata per opportuna remedia incolumitati consulatur malevalentis, scitè Cassiodorus 7. variar. c. 47. *Finis sapientis est amare, quod expetit: nec igitur votum respicit, qui prodesse contendit,* hoc est medicum, qui ægritudine laboranti prodesse studet, desiderijs non satisfacit patientis, nec respicit, quid ægroto placeat, sed quid saluti proficiat; & ea seligit efficaciora pharmaca, quæ novit ægritudini propulsandæ aptiora. Omni solicitudine properandum est, ut peccator ad veram adducatur pœnitentiam, & per ejus cineres divinæ reviviscat gratiæ.

Revertebatur filius prodigus ad Patrem, 119
sed remorato gressu, quia fame, & siti enervatus, sed reduci filio occurrit amore exæstuans pater, qui revertentem filium licèt præ fame emaciatum, corpore luridum, vestibus laceratum, brachijs arctè amplectitur in signo amoris tesseram Luc. 15. v. 20. *Accurrens cecidit super collum ejus,* sed indignatus filius natu major ingredi detrectat, ut minori adgratuletur adventum, & licèt pater egressus eum adhortaretur ad ingressum, adhuc renuit: *pater illius egressus cœpit rogare illum.* Quærit Chrysologus, cur ad seniorem introducendum non accurrerit pater, qui ad prodigum filium recipiendum accesserit, & ait: Ad diversitatem causarum refundendum esse discrimen: Prodigus adducebatur ad pœnitentiam, senior ad mensam, proinde cucurrit Pater, ut à culpa eximeret oneratum, & egressus est, ut ad convivium vocaret dilectum: *Cecidit super collum ejus,* ait Chrysologus serm. 3. *Ut amoris onere onus tolleret peccatorum.*

Est peccatum scelus adeò grave, & amor 120
paternus tam efficax, ut pater suæ veluti detraxerit gravitati, & ad prodigum filium accurrerit,

rerit, ut infirmo medelam exhiberet, & languores filij charitas patris sanaret. Animi infirmitas, & languor peccatum est, quapropter dixit Propheta: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*: divexat nos hæc ægritudo, qua dum in improbitate volutamur scatentes ulceribus, fœtorem spirantes, cineres exigimus pœnitentiæ, quibus sanemur, appositè S. Chrysostomus *in cap. 3. ad Philip. serm. 11.* Vidit in stercore jacentem à vermibus exulceratum, à febri, & fame oppressum, nullo non mortis genere laborantem. Nam & febris vexabat (hæc enim improba est cupiditas) & inflamationes urgebant (hoc est arrogantia) & quædam insanabilis fames occupabat (hoc enim avaritia) & sanies undique (hæc enim scortatio) est cæcitas oculorum (hæc est idololatria) & sorditas & stupor (hoc enim erat lapides, & ligna adorare, & cum illis colloqui) & multa deformitas (hæc enim vitiositas) quidam molestus est, & morbus gravissimus. Vidit absurdius quàm insanientes soleant loquentes, & lignum, & lapidem DEUM vocantes. Vidit in tanta vitiositate; nec tamen abominatus est, nec amarior factus, non aversatus est, non odio prosequutus: Dominus enim erat, & opus suum non oderat. Deinde quid facit? optimi medici more parat pretiosa pharmaca. Hactenus ille. Sunt autem hæc pharmaca, quibus peccator reviviscit divinæ gratiæ, cineres pœnitentiæ: eleganter D. Ambrosius lib. de Pœnit. c. 32. *Sanciatis vitalem pollicetur ultroneum artifex medicinam, cum misericordia habetur in promptu, antequam justitia capulo tenus extrahat pugionem, sumamus arma pœnitentiæ, & judicis rigorem satisfactionis officio mulceamus.*

121 *Muscæ* aculeatæ equinæ, quæ si cuti insideant, vulnus infligunt, & sanguinem sugunt. Lemma. *Inficiunt, si afficiant.* Apodosis.

Impuras cogitationes, carnalia desideria, & libidinis motus muscas dixeris equinas, quæ importunè, nisi opportunè excutiantur, damnum inferunt, & eò nocentiùs lædunt, quò diutius hæserint.

EXCURSUS.

Impuræ cogitationes ne noceant, statim excutiendæ.

122 Genera muscarum referente Aldrovando *lib. 2. de insect.* plura sunt, & differunt potissimum magnitudine, vel colore: siquidem ex muscis aliæ exiles esse deprehenduntur, & aliæ magnæ, quas Lucianus militares vocat. Sunt quæ ad mediam tantùm crescunt magnitudinem. Quædam capite sunt magno, quædam parvo; aliæ ventre crasso; exili, & brevi aliæ, quin & aliæ procero: rursus quædam pilosæ sunt, & aliæ corniculis in fronte obarmatæ. Color licèt plerisque subniger sit, sunt tamen aliæ cinereæ, cæruleæ aliæ, imò & virides, æneæ, luteæ, rufæ, imò & subinde etiam albæ. Neque omnes eodem delectantur loco. Plures sunt, quæ libentiùs apud homines versantur, quibus plerumque non parum adferunt molestiæ, & hæ domesticæ dicuntur. Aliæ libentius agris, sylvisque immorantur, quæ & aggrestes, ac sylvestres audiunt, ut etiam quæ aquis incubant aquaticæ. In victu etiam videntur differre, quamvis omnes sanguinem sitiant, cui inhiant, non tamen omnia animalia singulæ prosequuntur: idque causæ, cur aliæ caninæ, boariæ aliæ, & plures vocentur equinæ, quæ omnes si canibus, bobus, aut equis insederint, nisi statim excutiantur, cutem vulnerant, & sanguinem eliciunt, quo aluntur, plurimùmque inferunt molestiæ, ac detrimenti: & symbolum exhibent pravarum cogitationum, quæ nisi statim excutiantur, eò semper gravius lædunt, quo diutiùs hærent, nobiscum immorantur: & plerumque, adeo fœde internum hominem turbant, ut leniùm etiam exterius commoveant, & totus homo fluctuet naufragio proximus: si enim cogitatio impura sit, & a DEO digrediatur huc, illúcque jactatur, tertúrque navis instar, quæ ventis agitata contrariis fluctuat, & plerumque scopulis illisa naufraga perit, ut eleganter innuit Philo Judæorum doctissimus lib. de Cherubin, ubi expendens verba, quæ de Caino dicuntur Genes 4. *Egressúsque est Cain à facie Domini, & habitavit in terra Nod.* ait Philo. *Nod* commotionem significare, motúsque fluctuantes, perinde, ac procellæ fluctus, quo præmisso opportunè ad rem nostram philosophatur, inquiens: *Necesse est, ut ab imaginatione DEI digressa cogitatio navis in coelo jactatæ more ventis inter se confluentibus ultro, citróque feratur, patriam habens, domúmque agitationem.* Misera est patria, quæ periculo non caret naufragij, & in qua statio fluctuat: Mens impuris impetita cogitationibus, perinde ac fluctuans pelagus intus æstuat ad perniciem, & naufragium castitatis.

Hanc qui fovet impudicas cogitationes, huic patria est Nod, seu commotio, & agitatio, qua huc, illúcque fertur, donec in naufragium efferatur, nec ulla quiete, cordisque fruitur pace, variis semper jactat cogitationib. impuris pulsatus motibus. Nec potest naufragium non expectare, & submersionem mens illa, quæ pravis cogitationibus aditum recludit, eásque includit, ac fovet: idque exemplo fortiùs, quàm voce nos DEUS edocuit in cataclysmo Noëtico, quo universa terra naufraga perijt, aquis immersa. Si enim causam hujus naufragij investigemus, & fluctus hujus procellæ; deprehendemus non ventorum impetus, non euros, nothósque hanc excitâsse tempestatem, sed impuras cogitationes diluvium accersivisse, Numinis iram excitâsse, & universi submersionem traxisse Genes. 6. *Videns DEUS, quòd multa malitia crevisset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore; delebo inquit hominem.* Excæcavit hominis delecti impura sui cordis cogitatio, hæc enim DEUM ad iram commovit, diluvium accersivit, & homines aqua sepelivit; ideo fœdæ, ac impuræ fuerunt hominum cogitationes, ut iisdem extinguendis, & delendis diluvium tantùm 123

 tùm

tùm sufficerit. Non ita fœdè, ac perniciosè procellosi pelagi tumentes fluctus navem quatiunt, & obruunt: sicut impuræ cogitationes, æstúsque concupiscentiæ insolescentis mentem, quam subeunt: & huic internæ procellæ suffragatur S. Nilus, qui orat. de vitanda fornicat. ait: *Ut fluctuum impetus navem, sic libidinosa cogitatio intemperantem mentem pessundat.* Quis igitur, nisi à sana mente dejectus hisce se velit fluctibus credere, & hac æstuante intus procella, quâ virtus naufraga mergitur? luxuriæ aquis perit, qui ab earum fluctibus non se subducit, mergitur naufraga castitas, nisi procellosi concupiscentiæ æstus declinentur. In id incumbit nequissimus hostis studij, ut per pravas, ac impuras cogitationes mentem subeat, quam sordidis phantasmatibus aggreditur, ac veluti fluctibus commovet, agitátque ad castitatis exitium, nisi quavis disrupta mora statim excutiantur, & non permittantur menti hærere, quam eo turpius inficiunt, quo diutiùs eam afficiunt: idque causæ, cur conqueratur DEUS per Jeremiam Prophetam c.4. non quod impuræ cogitationes mentem pulsent, sed quia mente immorentur, & non statim excutiantur, inquiens: *Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* non reprehendit cogitationum accessum, sed non subitum redarguit recessum: non dolet, quòd veniant, sed condolet, quòd nobis immorentur, & castitas immoriatur. Turpium cogitationum non semper possumus accessum impedire, benè tamen ne in nobis morentur possumus efficere. Plerumque dum nititur vir Asceta studiosiùs studio invigilare virtutis, pravis impetitur cogitationibus, quibus turbatur, & ad vitium trahitur. Tametsi optima sint semina, & in proba exculta tellure sata, adhuc zizania ijsdem immiscentur, crescuntque cum ijsdem, sed solertia Coloni zizania segregat, ne annonæ sit detrimento. Quòd impuræ cogitationes mentem subeant, id plerumque contingit etiam invitis, & ægrè ferentibus, sed quod immorentur, & diu foveantur, nobis tribuitur volentibus. Patriarcha Abrahamus DEO obsecutus humanas affectiones egressus sacrificium Supremo Numini litare festinat, sed dum studiosiùs operi incumbit religionis importunarum avium accessum, volatum, & impetum sustinet, quamvis morsus non patiatur. Genes. 15. v. 9. *Sume mihi vacam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam.* Obedivit illico Abrahamus Numinis imperio, & arâ instructâ obtulit obsequentissimus, quæ DEUS jusserat Genes. 15. *Quæ tollens universa hæc divisit ea per medium, & utrasque partes contra se altrinsecus posuit: aves autem non divisit, descenderúntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham.* Solicitus fuit Abrahamus in hisce avibus abigendis, cùm non permiserit eas cadaveribus insidere, nec immorari: quod accesserint in potestate non fuit Patriarchæ, bene tamen, quod statim recesserint, & prohibitæ fuerint sacrificiis insidere. Tametsi cùm sacris operam damus, importunè accedant cogitationes, quò à nobis inchoatum opus servetur indemne, & tueatur illibatum, earundem omni studio, & solicitudine debemus recessum procurare, nec permittere mentibus insidere nostris. Abrahamus quò sacrificium illibatum custodiret, solicitus fuit in volucribus abigendis, nec permisit cadaveribus insidere. D. Gegorius lib. 16. Moral. c. 19. expendens Abrahami sacrificium: accedentes aves, ait, symbolicè turpes significare cogitationes, quæ dum studio invigilamus virtutis, mentem impetunt nostram, quam nituntur commovere, ac turbare, nisi illicò abigantur: ait D. Gregorius: *Abraham cùm ad occasum solis sacrificium offerret insistentes aves pertulit, quas studiosè ne oblatum sacrificium raperent, abegit: sic nos cùm in ara cordis holocaustum DEO offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus, & perversæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino utiliter sperat.*

Quamdiu Abrahamus religionis exerci- 123
tio non incubuit, quamdiu sacrificium in exstructa ara non obtulit, avium non sustinuit molestias, sed cùm primùm Numinis obsequitus mandato, & propria armenta ibidem immolat, accedunt illico dæmonum turbæ, seu impuræ cogitationes nitentes vel sacrificium rostris decerpere, ac fœdare, vel à sacrificio patriarcham avertere, qui tamen utrumque cavet, quia solicito studio adventantes aves abigit, nec sinit victimis insidere. Sacrificium DEO offerimus, cùm orationi vacantes nos ipsos DEO dicamus; sed plerumque aves accedunt avernales, quæ immissarum cogitationum rostris nostrum adnituntur sacrificium lædere, vel ab eodem nos avertere, nisi cum Patriarcha Abrahamo eas statim abigamus. Affligunt plerumque orantium mentes harum volucrum importuni volatus, sed ad felicitatis pertinet incrementum, si abactæ sacrificium nostrum non læserint. Minùs commendabile fuisset Abrahami sacrificium, nisi irruentes aves statim abegisset; laudi non fuisset ei datum, si permisisset rapaces volucres victimis insidere, quas rostro dilaceràssent.

Quòd fœdæ, ac impuræ accedant cogitatio- 124
nes, dummodo ijsdem aditum non aperiamus, nec causam demus accessus, nobis non imputatur culpæ, bene tamen si sinamus eas mentem subire nostram, eique immorari; sed si omni solicitudine eas excutiamus victrici lauro redimimur, quia hostium impetus retundimus. Cùm preces fundimus, vel divina meditamur, nos non pudeat Indorum imitari Gynosophistas, hi siquidem à primo solis ortu ad occasum usque, eodem in loco dicuntur persistere alternis sæpe pedibus ferventissimos tum syderis, tum arenarum sustinentes æstus, soléмque oculis immobilibus intuentes. Sol noster cum orationi vacamus DEUS est, quem mentis oculo contemplamur: est sol iste oriens ex alto, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum: & cur tota mentis acie illum non contemplamur? cujus contemplatio mentis nostræ est collustratio? cur si aves vanarum cogitationum ab ejus jubare nituntur nos abstrahere, non satagimus eas statim abigere?

gere? ne mentis nostræ acies à suo divellatur sole, quem magnus Antonius in solitudine non solùm diurnis, sed & nocturnis contemplabatur horis. Tanta siquidem erat contemplationis assiduitas, ut integras plerumque noctes fixis in terram genibus exigeret, & ubi sol occidens eum reliqueret ritè precantem, in eodem oriens inveniret ferventius contemplantem, conquereretur propterea de sole materiali, qui manè immissis suis radijs ei esset impedimento, ejusque querelia illum incesseret inquiens: *Quid me impedis sol, qui ad hoc jam oriris, ut me ab hujus veri luminis abstrahas claritate.* Nos verò qui nocte tota quievimus somno sopiti, saltem expergefacti summo manè, dum sol oritur mentis intuitus in divinum dirigamus solem, nil enim dignius, quàm primas cogitationes manè expergefacti DEO offerre, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, ut inde mens nostra probè auspicetur, & ritè consectetur, quòd si DEUS olim primitias animalium, & fructuum exegit, potiori jure primæ nostræ illi debentur, expergefacti, cogitationes puræ, sanctæ, ac abomni cœnosa turpitudine defœcatæ. Somno sopiti nocte jacuimus perinde ac mortui, & manè eùm surgimus novam veluti ordimur vitam, cujus primitiæ jure debentur Authori vitæ.

125 Quòd si fœdæ ac impuræ cogitationes nostram subeunt mentē omni conatu tenemur eas excutere, ne nos à summo Bono abigant, & avertant, præsertim cum sacro interfumus, dum preces fundimus, dum divinis incumbimus, quia tunc dœmones importunis cogitationibus acriùs nos aggrediuntur. hisce molestijs sunt plerumque magis obnoxij viri affectæ summarum virtutum addicti culturæ, ac divinis insistentes contemplationibus, quam qui nonnisi oscitanter, perfunctoriè orant: idque nos edocuit Aquila illa plumis vestita, & acutia armata unguibus, quæ ab Ezechiele visa fuit ad Libanum involâsse Ezech. 17. v. 3. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum.* Sed cur aquila plumarum ferax, alarum remigio velox, & varietate notata ad libanum, & non ad alios conterminos montes, & colles involaverit? præsertim si copiosior in alijs moncibus aderat pastus, & uberiora proximi colles eidem obsonia exhibebant? sed libanum cæteris prætulit montibus, ejúsque cacumina involavit, quia cedris coronaretur speciosissimis, quia fructus ibi ad omnem excrescerent ubertatem: illuc avernalis aquila importunum suum direxit volatum, ut niteretur saltem celsissimam cedrum emedullare: exiguas plantas neglexit, ut præcelsas arbores prosterneret, quia dœmon, hostisque tartareus viris insidiatur suis plumis, seu pravis cogitationibus, qui virtutum cultura cæteris sunt eminentiores, & veluti Cedri libani florent virtutibus, simùlque ditescunt fructibus incorruptibilibus bonorum operum: hue accersendus Drogo Ostiensis de Sacrament. Domin. Pass. ubi expendens volatum hunc aquilæ ait: *Plena plumis, fallacia dolis, & avaritia: quia eandem artes varijs modis ad decipiendum transfigurat, venit ad Libanum seu animam semel fidei, & vitæ merito candidatam.* Libani celsitudo, quia cedrorum incorruptibili coronatur honore plumarum hujus aquilæ molestias, & unguium acumina experitur frequentius, quia despicit tartareos volucer depressas plantas, negligit frutices, & pedem figit, ubi virtus eminet fructibus onusta, proinde aquila involat ad cedros, quas pardat, si possit, vel saltem concutiat, si divellere non possit. Cedrus honoria incorruptibilis, & immortalis fuit Hussæus Princeps, patientiæ vivum exemplar Jobus, sed quia summia eminuit virtutibus, haoc præ cæteris sustinuit pugnam, & hujus aquilæ non solùm plumas, sed & ungues sensit, quamvis viribus corroboratus divinæ gratiæ valuerit adversarij impetus retundere, & assultus frustrare Job. 23. v. 17. *Non perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo,* quia dœmones uoverant Jobum fulgentissima splendescere luce excultæ virtutis facto impetu conati sunt, si non extinguere, saltem lucis obscurare nitorem: sed divino Jobus suffultus auxilio, armatúsque solerti vigilantia quamvis tenebrarum non valuerit accessum impedire, potuit tamen earundem impetus retundere, eisque excutere, ne virtutis nitor quidquam pateretur detrimenti. tametsi tenebræ accesserint, nec earum valuerit Jobus adventum prohibere, earum tamen moram impedivit, & tenebras excussit: non dicit faciem meam caligo non tetigit, sed ait: *Nec faciem meam operuit caligo,* quia accessus alienæ datur malignitati, operiri verò propriæ negligentiæ, tametsi nobis non detur culpæ, si in nobis pravæ excitentur cogitationes non posita à nobis causa, datur tamen nobis vitio, si negligamus statim eas excutere, & ut noxias abigere. Jobus quamvis motibus pulsaretur adversis nunquam tamen ijsdem cessit, & impetus retudit adversarij, ac noxia quæque à se abegit appositè D. Gregorius lib. 16. Moral. cap. 19. *Notandum quòd ipse priora denuncians nequaquam ait: Faciem meam non tetigit, sed non operuit caligo: sæpe enim etiam corda justorum subortæ cogitationes polluunt, terrenarum rerum delectationibus tangunt; sed citiùs manu sanctæ discretionis abiguntur.*

Fœdis cogitationibus, ac impuris etiam 126 phantasijs hostis tartareus summarum cultori. bus virtutum insidiatur, quoa si non prosternat, saltem molestijs, & turbationibus obscuret: gaudet enim perversus adversarius viros etiam pientissimos, si vincere non possit, saltem vanis, vel etiam fœdis impetere, ac perturbare cogitationibus, sed quod virolentus hostis elaborat in virtutis excidium, DEI pietas in meritorum convertit incrementum, si tamen perversæ hæ cogitationes statim excutiantur, & Christi pugil strenuè dimicet, & impetus retundat adversarij, qui virtutibus impensiùs addictos præ cæteris adoritur, ut plures persæpè molestias hasce experiantur viri afretæ, qui toto studio exercitijs incombunt pietatis, & contemplationis, quàm alij, qui vix corticem degustant virtutum; idque videe-

tur; autes aperiunt prurientes verbis lasciviam olentibus, tactus nullo modo coërcent, & isti procul dubio periculo non sunt vacui, imò & exitio proximi, cum per sensus omnes voluptates hauriant, quæ omnem DEI timorem exhauriunt, & ad noxas trahunt. Ni exteriorum sensuum januæ ritè custodiantur, & pravæ cogitationes, quæ mentem nostram subeunt, statim excutiantur, mens nostra noxâ inficitur, cui sola cogitatio præludit: quod enim mente volvitur, parum distat ab opere, cujus est initium fœda, quæ menti hæret cogitatio: Jacob potiundæ Rachelis Labano toto inserviverat septennio, empturus à Socero duro, ac diuturno famulatu nuptias, quas ære sibi comparare non valuerat: sed Labanus fallax in data fide pro Rachele venusta, Liam substituit oculorum lippitudine laborantem, & quia Jacob nuptijs inhiavit Rachelis, alterum debuit famulatus septennium sostinere, quod ubi pari alacritate, ac fide Jacobus explevit, Rachelem duxit in uxorem, à qua multa auctus prole petit à Socero facultatem patriæ revisendæ, sed cùm esset Socer ingenij illiberalis, ac protervi non contentus tam diuturni famulatûs impendio tertium paciscitur septennium, erat autem pactionis conditio, ut oves, & capræ nigro, vel vario sparsæ vellere, ac pilo, separatim pascerentur ab ijs, quibus candor eblandiebatur in lana, & harum cura Jacobo; aliarum verò filijs Labani concrederetur, & ex albis, quæ maculosæ orirentur ad Jacobum pertinerent, quæ verò sine maculis ad Labanum spectarent: sibi persuadebat vafer Socer hoc astu omnem Jacobo præcidere spem mercedis, eò quia ex matribus unicoloribus fœtura non posset expectari discolor.

331 Sed cœlum fidissimum edocuit opilionem artem, qua simul vafritiem hominis versipellis eluderet, simulque toleratì laboris præmium referret. Virgas selegit Jacob populeas, amygdalinas, & ex platanis, quas ex industria decorticavit striatim, easque ex albo, & viridi variatas supposuit canalibus, unde potus fluebat fœtis gregibus, quibus virgæ apparebant discolores virides, & candidæ Genes. 30. v. 37. *Tollens Jacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis ex parte decorticavit eas, detractisque corticibus in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit; illa verò, quæ integra fuerant viridia permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius.* Naturæ inde emersit miraculum, cùm enim oves accederent bibituræ, ac variegatas viderent intus virgas, hac varietate colorom oculis, ac imaginationi objectas, maculosos pepererunt fœtus: *Posuit eas in canalibus, ubi effundebatur aqua, ut cùm venissent greges ad bibendum ante oculos haberent virgas.*

332 Sed cur Jacobus decorticatas virgas objecit sub aquis, ac variegatas gregi bibenti aquas? Noverat Jacob parum ab opere distare, quod sæpe mente volvitur, ea de causa decorticatas, ac variegatas virgas objecit oculis, quo ovium phantasia eadem varietate, ac imagine fœta influeret eandem varietatem in fœtus: non enim poterant oves non exprimere externa actione, quod non sine oblectamento tot ei repræsentabatur phantasiæ, ut notavit D. Thomas expendens cit. Genes. Text. inquiens: *Secundùm Hieronymum virgarum varietas faciebat umbras, seu imagines arietum, & hircorum in aqua illa resplendentium varias apparere fæmellis simul in aqua intuentibus virgas.* In id Jacob studij incubuit, ut bibentium ovium phantasiæ varietas imprimeretur virgarum, & varij inde prodirent fœtus, quia quod volvitur sæpè mente, non multum distat ab opere: & cogitatio quæ diu latet in mente foras se prodit. appositè Lippomanus: *Posuit eas in canalibus, ut in ipso calore concipiendi imaginatione ovium ex varietate virgarum, & colorum maculosa oves, vel capræ conciperentur, id, quod & factum est.* Noverat Jacob imaginationi opus respondere, & quod intus in phantasia latet, exteriùs in opere se prodere, non poterat distare ab opere varietas, quæ totiès revolvebatur in mente.

Excutiendæ sunt igitur fœdæ cogitationes, ne in opus exterius erumpant: sed satius, si sensus custodiantur, ne fœda phantasmata mentem subeant: siquidem ob incuriam in sensibus custodiendis objecta cupimus, quæ oculis occurrunt, & plerumque illicita; inde irascimur, invidemus, æmulamur, & expleta voluptate iterum accendimur, & ea concupiscimus, quæ fecisse nos pœnitet. Pericula, quæ nobis imminent ex sensibus orti, edisserit D. Ambrosius lib. de fuga sæculi cap. 1. inquiens: *Perspexit oculus, & sensum mentis invertit; audivit auris, & intentionem inflexit; inhalavit odor, & cogitationem impedivit; os libavit, & crimen retulit; tactus contigit, & ignem adolevit.* 333

Ne turbæ pravarum cogitationum mentem nostram subeant, in id necesse est incumbamus studij, ut sensus exteriores ritè custodiantur, & mundi illecebris, objectisque ad dissona rationi illicientibus claudamus, *sunt oculi,* ait Salvianus lib. 3. de providentia, *naturales; quidam animi cuniculi,* quibus hostis tartareus utitur, ut paolatim flamma concupiscentiæ serpat per apertam viam, & in exitiale intus crescat incendium, quò callitas cinctiæ: esse oculos corporis, animi cuniculos, suo nos edocuit damno, utinam & nostro emolumento David, hic post meridianum soporem marcidum è somno diurno corpus agitatione reparaturus in solarium regiæ domus se recepit liberioris auræ captandæ causâ: contigit, ut eo tempore Bethsabea in domestico suo horto aulæ regiæ proximo contra solis ardorem nuda corporis membra ablueret ad fontanam salientem: in hanc mulierem injecit è solario domûs regiæ oculos, & illicò vel ex ipso frigido fonte flammas ebibit concupiscentiæ, quæ per cuniculos oculorum animum subierunt, & voluntatem fœdo igne inflammârunt, ac desiderium excitârunt in Rege mittendi famulos, qui de nomine, genere, ac conditione mulieris exquirerent cùmque omnia fuissent ei indicata, & novisset esse mulierem illam Uriæ uxorem, ferventiùs cœpit eam deperire, quam & accer- 334

sivit

sivit in Aulam, ut propriæ satisfaceret concupiscentiæ, cui cùm non fuisset mulier reluctata turpis cogitatio, quæ intus in mente Davidis volvebatur, exivit exteriùs ad fœdum opus 2. Reg. 11. *Vidit mulierem se lavantem ex adverso*, siquidem domus Uriæ respiciebat ex adverso aulam Regiam, *De longè vidit illam*, ait Augustinus in Psal. 56. *in quâ captus est Mulier longè; libido propè. Albi erat, quod videret in ipso unde caderet.* Vidit, & statim è formoso illo spectaculo radius exivit, & cum radio fulgur, & in fulgure impurus ignis, qui mentem intus subiit, & castitatem adussit: scitè D. Gregorius expendens præfatum textum ait: *Lascivus aspectus scintilla fuit, quæ dum in paleam, seu fœmineam formam incideret, momentò rapuit flammam, & fœdi amoris incendium excitavit. Intueri non licet, quod non licet concupiscere.*

135 Non solùm oculi, sed etiam aures sedulâ indigent custodiâ, quia ut appositè Inquitur Valerianus Episcopus Niciensis, & Cemeliensis homil. 6. *Quotiescunque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur aspectus:* sicut non multum loci spatio distant oculi, & aures, ita eidem exponuntur discrimini, & ne malè audiamus, cavendum est, ne mala audiamus. Ut igitur benè audiamus, necesse est, aures claudamus verbis scurrilibus, impudentibus, fœtorem lesciviæ olentibus, famam proximo detrahentibus, alienam gloriam imminuentibus, & præsertim cantionibus illis, quæ ad turpia allicientes mentem implent, pravis, ac lascivientibus cogitationibus, quæ nisi statim excutiantur, lethalia infligunt vulnera, quibus si non corpus, anima tamen interimitur. Dæmoni cooperantur, qui impudices has fovent cogitationes, qui eas veluti ova scorpionum in nidulo cordis detinent, ut enim notat Hugo Carensis in cap. 5. proverb. *Malæ cogitationes sunt radices pestiferæ, & quasi ova diaboli, quæ fovet in nidulo cordis nostri.* Quapropter Isaias cap. 59. ait: *Ova aspidum ruperunt.* Serpenti in proprio sinu hærenti favet, & eblanditur in proprium exitium, impuram, qui cogitationem fovet: oculos aperiant desides in cogitationibus hisce abigendis impuris, ut videant, cui favent, dum cogitationes noxias fovent, Theodorus Edessenus in Asceticis hom. 25. Turpem cogitationem serpenti comparat, inquiens: *Qui fovet serpentem in sinu, & qui cogitationem malam in corde, ambo morientur.*

136 Ne igitur interimamur, cogitationes illico evomamus, quæ fœdè mentem occupant nostram, sunt enim in salo cordis prave illa semina, quæ nonnisi in perniciem germinant fœtoris, ut monet S. Nilus in parænesi, inquiens: *Pravas cogitationes semen esse Diaboli existima, si enim ipsæ desinunt, & ipse seminator confunditur;* quis à sana mente ita dejectus, ut lubens velit in solo proprii cordis ea excipere semina, quæ nonnisi in perniciem possessoris germinant, quæque in aconitum virescunt, ut mortē interant? Rejiciendæ igitur sunt in primo accessu, quæ in nobis impuræ excitentur cogitationes, & quidem non minori celeritate, ac ignitum carbonem è sericâ veste excuteremus, ne eam læderet. Si enim ignitus in vestem nostram decideret carbo, non eum foveremus nisi in perniciem, & combustionem vestis, quam si indemnem, & integram sine læsione vellemus, statim quavis disrupta mora satageremus carbonem illum excutere, ne vestem tangeret, & multò magis ne veste immoraretur. Cur igitur pravas cogitationes, quæ mentem subeunt, non statim abigimus, ne in nostram ibi maneant perniciem? an minor animæ, quàm indumenti est cura habenda? & in his, quæ ad vestis integritatem spectant solliciti crimus, & eorum, quæ non morituræ animæ salutem tangunt, oblivio nos invadet, & neglectus? Quod si fatui haberentur, qui corporis læsionem negligentes vulneribus vellent sauciari, vel lethalia haurire venena: fatuo accedat, qui praves in corde fovent cogitationes, cùm earum neglectu magnis se criminibus insepeliant, Mentes, quæ has fovent lascivientes cogitationes, non inhabitet Spiritus S. cum de ipso dicat Sapiens 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet victum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu;* quæ postrema verba expendens Richardus Victorinus infert: Multo magis ab impuris, ac inhonestis abiturum cogitationibus inquiens, in Psal. 2. *Perversæ cogitationes separant à DEO, de istis autem scriptum est Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet victum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu: Quid fiet de his cogitationibus, quas admittere non possumus sine turpi, & illecebroso affectu; vel de his, quæ libenter accipimus non sine pravo quodam consensu, si ab his se aufert Spiritus sanctus, quæ sunt sine intellectu?* Cùm sit Spiritus Sanctus ipsa puritas, quomodo fieri poterit, ut cum impuris cohæreat cogitationibus?

Insideant hæc cordibus eorum, qui obscœnarum cœno cogitationum mentem deturpant, castitatem incriminant, & se ipsos impuritatibus insepeliunt, malisque omnibus subjiciuntur. Mala siquidem, quæ à malis emergunt cogitationibus, dum hæ menti insident, illa corde foventur; Suntque hujusmodi mala plure, ac perniciosa, quæ recenset B. Umbertus ad nostram cautionem, ait enim de cogitatione mala cap. 14. *Sciat vestra fraternitas, quòd cogitando quis perversa, raptorem in thesaurum suum mittit, malum semen jactando tegulum nutrit, sagittas diaboli absque clypei oppositione recipit, incurvando se fathanæ Christum de solio dejicit, porcos in hortum suum devastandum introducit; lutum in fontem conscientiæ immittit: flores relinquens ad stercora se convertit.* Si turpes, quæ mentem nostram cogitationes subeunt; tot secum trahunt mala, tot invehunt damna, tot auferunt bona, quis ita demens, ut velit eas corde fovere in propriam perniciem, & ineluctabile exitium. 137

Papiliones per aëra obliquo tramite volitantes, & huc, illúcque incerto itinere se agitantes, Lemme *Quærendi nominis volaticus ardor.* Sunt Papiliones ex genere erucarum nisi quòd alis instructi sursum per aëra volitent cæteros imitantes aligeros, cùm eruca alis destituta vilescat putris vermiculus, vel humi 138

abje-

abjecta, vel plantis infensa. Erucarum species Aldrovandus *lib. 2. de insectis* centum curavit in suo opere delineari: & Papilionum, in quos erucæ mutantur, species supra centum enumerat: enascitur eruca plerumque ex femine, nonnunquam etiam ex folijs putrescentibus, & materia corrupta plantarum: hacque de causa æstivis diebus cùm imbres delabuntur, tanta subinde erucarum enascitur copia, ut plantas omnes inficiant: contingit erucarum generatio, quia decisa unà cum pluviis materia cum rudimento vitæ homogeneæ, beneficio caloris tum innati, tum adscititij, & accedente majori crassitie, & aliarum qualitatum dispositione ex folijs, alijsque corporibus vitam hauriunt, & enascuntur: ex tali primordio fit vermiculus, deinde eruca; ex hac chrysalides, & ex ista tandem papilio, qui vermis est, sed alis instructus, quibus sursum nititur, & alios æmulatur aligeros. APODOSIS. Plerumque homines nullius notæ, meritis destituti, ac veluti vermes in imum repentes alis desideriorum sursum ascendere adnituntur ad dignitates per obliqua itinera, fraudes, & dolos, papiliones imitantes, qui cùm volant tramitem rectum, nunquam tenent, sed huc, illùcque se agitant, & cum alicubi hærere videntur, nec ibi diu immorantur: & brevi moriuntur.

EXCURSUS.

Mundi dignitates volaticæ statim disparent.

139 MUndi dignitates inconstantes sunt de uno ad alium transvolant, & cum videntur splendescere, extinguuntur, & evanescunt, & quamvis nonnulli meritorum suffragio fastigium videantur dignitatis conscendere, adhuc impulsu superbiæ præcipites aguntur, periculosa enim sunt præcelsa dignitatum culmina, quibus semper contermina sunt præcipitia, cùm in dignitatum culmine quis constitutus aurâ vanæ adulationis inflari se finit, lugendis patet ruinis, quia tumor superbiæ velut in fortunæ ludo, huc, illùcque agitatur, ut tandem corruat evanidus. *Hominem se esse* ait Tertullianus de Imperatore in Apologetico cap. 33. *etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur; suggeritúrque enim ei à tergo. Respice post te, hominem memento te. Et utique hoc magis gaudet tantâ se gloria coruscare, ut illi admonitio conditionis suæ sit necessaria. Minor erat, si tunc DEUS diceretur, major est, qui revocatur, ne se DEUM existimet.* Non solùm præcipitijs cingitur, & ruinas minatur dignitatis culmen, ac fastigium, verùm etiam lethæi fluvij latices stillat, quibus epotis in illo constitutus culmine, qualis sit, obliviscitur, ac propriæ naturæ memoriam obliterat, ut necessarium fuerit, hanc sui memoriam à tergo repetitis refricare vocibus, ait enim Tertullianus: *Major est, qui revocatur, ne se DEUM existimet*, non solùm honores mores immutant, sed & naturam pervertunt, quia dum se quis cæteris videt eminentiorem, divinitati se intrusisse vano fastu contendit, quod Pio Metello tribuit Valerius Maximus lib. 3. inquiens; *In Hispania adventus suos ab hostibus aris, & thure excipi passum*, & Tacitus lib. 3. refert, Domitianum se ipsum veluti Numen sacrâsse inquiens; *Mox imperium adeptus, Jovi custodi templum ingens, seque in sinu DEI sacravit:* hinc scitè ajebat Seneca: Adulationem plures dementare, qui dignitatum occupant fastigia, & ex culminis eminentia præcipites agere in imum ærumnarum, ait lib. 6. de benef. c. 30. *Ignorare vires suas, & dum se tam magnos, quàm audiunt, credunt, attraxêre supervacua; & in discrimen rerum omnium per ventura bella utilem, & necessariam rupêre concordiam secuti iram, quam nemo revocabat; multorum sanguinem hauserunt, fusuri novissimè suum.*

Vera non est, sed fucata ea dignitas, quæ 140 sub larva honoris dedecus, & exitium tegit, neque dignitatis fastigium ullo fulcitur solido fundamento, cùm de earum culmine terreni homines corruant. Dignitates non sunt, quas mundus offert, sed bracteatæ fallaciæ, & pura nomina, quibus mundi amatores decipiuntur, ut rectè dixerit D. Chrysostomus homil. 1. in epist. ad Rom. *Dignitates temporaneas haud quaquam quis dignitates dixerit, sed dignitatum nomina duntaxat.* Non merentur tam honorificum titulum, cum non sint, quod esse dicuntur; quod si veræ non sunt, sed fucatæ, neque ullum possunt verum decus exhibere, nec veram dare felicitatem, quod enim non habent, hoc alijs dare nequeunt, & falluntur, qui in dignitatibus felicitatem enancisci cupiunt, *Errant*, ait D. Augustinus concione 2. in Psal. 32. *qui ex pecunia, ex argento, & auro, & prædijs, & pompa sæculi honore volatica, & perituro, habendo aliquid, volunt esse beati:* Minùs sunt felices, quò uberiori dignitate insigniuntur: qui enim prima occupant honorum culmina, pluribus objiciuntur adversarijs, à quibus vel præcipites dejiciuntur, vel pluribus afficiuntur molestijs; idque causæ, cur Arcades Lunulas calceamentis inserverent, ne ambulantes primum exambirent locum, sed contenti fulgerent secundo, ut innuit Plutarchus in quæst. centur. Roman. inquiens: *Cur in calceamentis lunulas, qui splendidis præfulgent natalibus, ferunt, an disciplina est ea obedientiæ consulentium, ut non magis ægrè feramus; sed sicut auscultari luna vult præstantiori, & esse secundaria respectans assiduò juxta Parmenidem solis radios, perinde in secundo loco acquiescamus sequentes ducem, potentiáque, & honore ab eo concesso fruentes.*

Non sibi benefica mater, sed dira noverca est ambitio: siquidem dum celsiora ambiunt homines, infortunia, & molestias sibi appetunt. Petrus qui inter Christi discipulos primam occupavit sedem, cum exorta in mari procella exigua deprælietur navi, & insanientis tempestatis fluctus scapham verberarent, & Discipuli in ea periclitarentur, Petrus præ cæteris timuit, quia reliquos dignitate antecellebat. Quòd si tempus investigemus, quo 141

hæc insurrexit procella, deprehendemus discipulos tunc periclitari incepisse, cum ditescere cœperunt: siquidem in panibus exundabant, cum duodecim cophinos collegerint fragmentorum, adeo locupletè paverunt in eremo turbas annona, ut hæc in sinu non exculti agri, sed obsequentium Apostolorum, multiplicata fuerit ea messis ubertate, ut ex quinque panibus fragmenta superfuerint, quæ collecta duodecim implendis cophinis paria fuerint, valida fuit procella, quia desæviebat in divites: sed Magister Christus ne laborantibus deesset, sed periclitantibus opem ferret, vortices intrepido pede calcat marinos: discipuli verò periculi metu perculsi, ac discriminibus obturbati Magistrum non agnovêre, quò inde conjiciamus, quàm arduum, quàm rarum sit recurrere ad DEUM, dum procellæ in nos irruunt, calamitates nos premunt, dolores lancinant, & discrimina, plus quàm marini vortices nos exagitant: Discipuli enim in cymba de appulsu Magistri procellosos fluctus perambulantis non cogitârunt, quia fluctuum agitatione commoti, ac veluti absorpti totum studium, totamque operam posuerunt, ut à fluctibus, & periculis imminentibus se expedirent, portúsque malaciam solicitis appeterent conatibus, & cùm Magister propiùs accessisset, & voce placida animorum fluctus, ac tumultus sedasset, non tamen discipuli eum agnoverunt, sed phantasma esse putaverunt, cùm dixit in eorundem solamen: *habete fiduciam, ego sum, nolite timere*: sed Petrus in se reversus, & Magistrum agnoscens pia stimulatus impatientia cymbulam deserit, & per marinos fluctus incedit viator, sed vix Petrus marinos vortices pede solicito calcat, acriùs urget ventus, inflátque undas tumidiores, quas in Petrum armat, & dedignatæ, quòd pede conculcarentur à Petro quasi rabie perculsæ spumas in ipsum ejecerunt, & tunc cœpit Petrus timere, *videns ventum validum timuit*, sed cur ventus ursit validior, & fluctus irruerunt tumidiores in Petrum, cùm hic se iisdem credidit, non verò quando adhuc scaphæ regimini præerat? *Navicula in medio mari jactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus*; nondum ventus refertur validus, licèt idem esset Petrus in scapha sedens, ac mare perambulans, cur igitur dum illæsè undas perambulat, procella insolentior est, & venti urgent procelliores? an quia Petrus in cymba ceteros non præcedebat, qui in subeundis laboribus vel erant ei pares, vel etiam majores? sed tunc pericula cognovit imminere maiora, procellam fuit expertus sævire tumidiorem, & ventos furere insolentiores, cùm Magistro, seu Principi undas perambulans cæteris laborantibus in scapha fiebat proximior, & de singulari privilegio fulgebat illustrior: quia enim ei substernebantur fluctus, immanior surrexit procella.

Fluctus Petro approximanti ad Prin-
142 cipem adulantur in suæ dignitatis obsequium, eique candore spumarum eblandiuntur, & in obsequij testimonium pedes exosculantur: sed hac insignitus dignitate, ex proximiore adhæsione ad Principem pericula etiam incurrit maiora, cùm acrior insurgat ventus, & tumidiores inflentur fluctus, tunc enim timore percitus novit à dignitatibus modicè distare discrimina: *Videns ventum validum timuit*. Plus timuit Petrus, quia Magistro proximior, quàm timuerit in scapha. Censet Zeno Veronensis miraculi periculum fidem firmâsse, quia si pervenisset illæsus per undas, se pedibus ambulasse non credidisset, sed insomnium censuisset, & imaginationem putâsset ait. Zeno serm. de timore. *Petrus æstu marino fertur non naufragus, sed viator: timet profundum intercipere non timentem; nec tamen in toto dissimulat, ne per mare pedibus se ambulâsse non Credat.*

Sed cur Petrus non credidisset se per 143
undas pedibus ambulâsse? quia qui Principibus sunt proximiores, seu in eminentioribus constituti dignitatibus, & alios longis præeunt intervallis, necesse est, contra procellas, & insultus periculorum armentur, quia tunc pluribus objiciuntur adversariis, quibus semper subijciuntur in sublimiori constituti fortuna. Ubi dignitas eminet illustrior, ibi periculum imminet apertius. Achab Rex Israel præliaturus in Ramoth Galaad auxiliarem sibi ascivit Josaphatum, quem cum signa essent mox conserenda, & conflictus inchoandus honoris specie, sed revera odij malignitate iussit regium habitum, & ornatum induere, regióque præfulgere diademate, cum ipse Achabus Rex Israel gregalis militis communes vestes assumpserit, ne ab ijsdem secerneretur distinctus 3. Reg. 22. v. 30. *Sume arma & ingredere prælium, & induere vestibus tuis: porro rex Israel mutavit habitum suum, & ingressus est bellum.*

Sed cur Achabus regiam deposuit maiestatem 144
& Josaphatum voluit regio præfulgere ornatu? videtur impertitus Josaphato regius honor, concessa suprema dignitas; sed personatus est honor, cui si larvam detrahas, dolum esse deprehendes: non latuit Achabum, suprema insignitum dignitate pluribus esse discriminibus obnoxium; declinaturus igitur Achabus conflictus mox ineundi pericula, insignia abiecit regiæ dignitatis, vestes exuit principis, voluítque communi habitu communibus militum turbis immisceri; ne si hostibus innotesceret, eorum manus in se armaret, ac eorũ tela traheret. Iussit igitur Achab primum in exercitu resplendere Josaphat, ut se à periculis averteret, in quæ Josaphatum iniiceret, cum regia, ac suprema voluit eum dignitate eminere; iussit eum regia assumere insignia, non ut cohonestaret ornatu; sed ut periculo obiiceret: hancque Achabi intentionem eventus comprobavit; siquidem inchoato conflictu in unum Josaphat, quem in suprema adversarii putârunt dignitate constitutum collimârunt nimbi sagittarum, & in eum toto impetu irruerunt equites, quem prosternerent: ait textus: *Rex autem Syriæ præceperat principibus contra minorem, & maiorem quempiam, nisi contra regem Israel solum*: non in infimæ notæ milites, sed in regem, & suprema dignitate insignitum iussit rex Syriæ sagittas dirigere ac hostiles gladios armati, & militum impetus irruere; non gregalis mi-

militis concupivit eversionem ; sed regis sanguinem sitivit, ejusque internecionem ambivit ; & nisi Josaphat, quem vestium, & ornatus insignia regem prodebant inclamâsset, séque altiore voce prodidisset, interfectus proculdubio fuisset; neque valuisset adversariorum retundere impetus, neque eorum gladios evadere; adeo periculosum est primæ dignitatis fulgere ornatu, ut splendor regius lethales secum trahat Libitinæ umbras: ita est ait D. Augustinus in Psalm. 10. *Quanto plus honoramur, tanto plus periclitamur;* neque in ullum perniciosius opus nostri desudant labores; quàm ut emancisçamur honores, assequamur dignitates, quæ pluribus cinguntur periculis, quàm fulgeat Regium diadema gemmis, quia Josaphat Regis ornatum assumpsit, hostium gladios in se acuit, non enim adversarij facto impetu in gregales milites, hominésque vulgares irruerunt, sed in eum duntaxat, quem supra cæteros Regius ornatus prodebat constitutum 3. Reg. c. 22. *Suspicati sunt, quod ipse esset Rex Israel, & impetu facto pugnabant contra eum:* Ecce quàm periculosæ aleæ plenum sit opus supremâ insigniri dignitate, supra cæteros eminere, fit enim scopus, in quem adversarij tela collimant.

145 In purpuratum, & Regio ornatu excelsum facto impetu irruerunt hostiles turmæ; in alios autem nonnisi miles singularis, vel casus. Achabus enim, quia regias depotuerat vestes, purpuram exuerat, & omni ornatu destitutus vulgari, ac communi velle indutus turbis militum se immiscuit, ne Rex cognosceretur, sed miles censeretur gregarius, non plurium impetus sustinuit, sed casu fortuito ab uno tantùm milite vulneratus fuit 3. Reg. 22. *Vir quidam tetendit arcum in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israel inter pulmonem, & stomachum.* Non studio, sed casu percutitur, quia specie gregarius vulnera declinavit multorum: Josaphat verò, quia Regio ornatu regali fulgebat dignitate impetus sustinuit omnium neque stetisset, nisi voce, & clamore à Regia dignitate cecidisset, seque Josaphat esse dixisset, & non Achabum Regem, qui dolosè hostiles gladios evasurus Regium illum exuerat ornatum, ut indicat Lira inquiens: *Dicunt aliqui, quod hoc fecit ad honorandum Josaphat, qui venerat cum eo in ejus adjutorium, & ideo volebat sibi attribuere principalitatem belli: adjiciunt, quòd licèt hoc videatur secundùm apparentiam litteræ, tamen intendebat aliud scilicet, quòd pondus belli verteretur super Josaphat.*

146 Achabus igitur, ut ab imminente mortis periculo se eximeret, & in conflictu impetus declinaret hostiles, regias deposuit vestes, ornatúmque primæ dignitatis exuit, quo voluit Josaphatum præfulgere, ut in ipsum irruerent adversarij, & eorum tela collimarent, sciebat enim subdolus, & petervsus manus adversariorum acriùs armari in cæteris excellentiores, & pericula tunc imminere certiora, cum dignitates eminent illustriores, quantò enim est gradus excelsior, tantò est casus profundior, & nemo profundiùs cadit, quàm qui altiùs ascenderat: quidquid in terris eminet sublime, obnoxium est proximæ ruinæ: quia ubi fastigium surgit, illic est præcipitium finitimum; & quò montium juga sunt celsiora, eo præcipitia sunt perniciosiora, quibus si emganter editiora montium cacumina, ijsdem non destituuntur suprema Principum capita.

Hinc Thronus Salomonis ita fuit affabrè elaboratus, ut æternis fuerit laudibus commendatus: ascendebatur enim per Gradus, in quorum quolibet duo fiebant leunculi spectabiles, artis excellentia naturæ veluti speciem superantes: in eminentiori tamen gradu, Regis solium auro illitum splendebat, non jam leunculis, sed leonibus fetocientibus fulciebatur 3. Reg. c. 10. v. 20. *Duodecim leunculi stantes super sex gradus: summitas Throni rotunda erat in parte posteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant juxta manus singulas:* quò gradus remotiores distabant à Rege, eosdem leunculi tuebantur imbecilliores; & quo proximiores assurgebant, valentioribus defendebantur, adeò ut oporteret summitatem, ac supremum gradum fortissimis, ac ferocissimis communite leonibus, quia quò Thronus eminet sublimior, eo est pluribus obnoxius adversarijs, & periculis, ideóque majori indiget defensionis suffragio. A tanta itaque mente cadunt, qui ascendere ad primas dignitates exambiunt, & quos cæteris præcellendi desiderium inflammat, hos plerumque invidiæ livor extinguit, nisi summis sint virtutibus communiti, ut notat Glossa inquiens: *Et duo leones, per quos significatur duplex fortitudo scilicet in aggrediendis arduis, & in tolerandis adversis.* 147

Quotquot præeminentes occupant se des, necesse est ad toleranda plura adversa præmuniantur. Ecce in quod turibus opus nostra impenduntur studia, quam perniciosè nostri occupantur labores, dum primas adnitimur sedea occupare. Feriunt fulmina montium culmina, turrésque peralias, & fortuna eos primùm dejicit, quos ut primos extulerat. Hinc cœli via invia est illis, qui dignitates ambientes nonnisi honorum premunt semitas, & alijs præeminere cupiunt, quibus fieur nomine, ita re videntur idem esse dominatio, & damnatio; si sapimus, si damnati metuimus, dominari non expetamus. Vera non est ea dignitas, nec verum potest honorem impertire, cùm ad æternum damnationis dedecus pertrahat; neque indignos à dignis discriminat, sed sæpius dignos & frequentius indignos afficiat, & melioribus deteriores præferat: imò quod deterius est, mundi dignitates peiores reddunt plures, qui tantùm mali erant, & sæpiùs etiam malos, qui antequam dignitatem assequerentur boni erant: honores enim dicuntur mores mutare, & rarò in melius: quia in sublimi constituti ab exercitijs virtutum abeunt, & per morum licentiam vitijs indulgent, 148

 Non

149 Non igitur dignitates, quas mundus offert dignæ sunt, ut appetantur, imò neque nomine merentur dignitatum insigniri, cùm malos persæpe, & indignos constituant, quos insigniunt; non sunt dignitates, quod esse dicuntur, neque honores veri sunt honores, & falluntur, qui eosdem appetunt, ut felices, ac beati sint, ut monet D. Augustinus concion. 2. in Psalm. 32. inquiens: *Ex pecunia, ex argento, & auro, & prædijs, & pompa sæculi honore volatico, & perituro volunt esse beati.* Inhonorus est omnis honor, nisi eodem intendamus ac totis viribus contendamus Dei honorem augere: eo ipso, quòd nostrum ambimus honorem, eo ipso indigni sumus honore, quia nemo honorabilior eo, qui non solùm sua, sed etiam se ipsum contemptui habet, & ille ad verum honorem aspicit, qui se, & sua despicit, quò enim quis minoris facit mundi honores, eò pluris fit ipse. Mundi honores, & dignitates personas referunt histrionum, quæ ab alijs feruntur ad alios, idque produnt sceptra, diademata, Chlamydes, purpuræ, quæ honore volatico afficiuntur, & semper ab uno, ad alium pernici volatu transeunt, quod cùm novisset beatus Asterius homil. 2, de Oeconomo iniquitatis ait: *Sicut enim Histrionum personas propriè, & peculiariter eorum possidet nemo, sed pro re, & argumento promiscuè quisque sumit: ita terram, fæcesque terrenas quasi vestes ex alijs alij induunt. Dic quæso num aliquid regno majus? atqui scrutare, quæ Regnum sunt: Chlamydes conquire regias, quamplurimas sanè reperies, quæ Regum multorum corpora texerint, quod & de coronis, fibulis, zonis censendum, omnia nempe hæreditatem instabilem, usumque eorum communem, & ab ijs, qui abeunt, ad alios, qui remanent transeuntem*; aliam non sortiuntur mundi honores stabilitatem, nisi quia instabiles semper sint, & hærere diu
150 non valeant.

Quòd si intimiùs, quales sint mundi honores, & dignitates introspiciamus, nonnisi supervacua esse nomina deprehendemus. Plurimum splendoris, ac majestatis visa fuit habuisse Persarum Regina Esther locupletata divitijs, ornata gemmis, ac potens Provincijs, quæ ab ipso Reginæ cultu nomen sortiebantur; & tamen regni tam locupletis, ac potentis diadema nihili æstimâsse fatetur ipsa Esth. 14. v. 14. *Tu Domine, qui habes omnium scientiam, nosti, quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in die ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ*: hoc idem sensit Antigonus, cui cum Regie fortuna videretur arridere, & quædam vetula ei pertransennti adgratularetur, reposuit Rex: si nosses ò mater, quot malis hic panniculus involvatur, nec de sterquilinio quidem jacentem aufferres. Immeritò igitur conquerun-
151 tur, eò quia honor ipsis non deferatur; vel delatus auferatur.

Qui qualis sit se aspicit, se honore indignum esse cognoscit. Quid enim est homo mundi honores, & dignitates exambiens, quàm purum nihil, quàm merum mendacium; quòd si mentitur, qui putat aliquid esse, quod nihil est, & honore dignum deprædicat: ita alienus à veritate est, qui se aliquid esse putat, quod debeat honore insigniri, quia Hussæus Princeps Job se ipsum noverat, apertè dixit Job. 30. v. 15. *Redactus sum in nihilum.* Quòd si Job divitiarum affluentia clarus, virtutum exercitijs illustris, se nihilum esse fatetur; quid superbit homuncio, nulla clarus virtute, quique nihil valet ultra, nisi ut conculcetur ab hominibus: an non insania est velle eorum laudibus honorari, eorum linguia commendari, quorum pedibus merentur conculcari. An non ridendus potiùs, ac illudendus esset opilio ducendis gregibus tantùm assuetus, si conquereretur, non fuisse à Septemviris in Imperatorem electum? an non insaniâ diceretur laborare furcifer ille latro, qui suspendio dignus aurea expostularet coronâ donari, cum laqueo mereretur strangulari? an non insanire diceres rudes Homines, stolidos, ac stolones, vixque dignos, qui sint lictores, si ambirent esse senatores, ac cæteris eminentiores, cùm sint omnibus deteriores? Quid ni? pari laborant insania, qui absque censu virtutum, sine suffragio meritorum primis cupiunt dignitatibus insigniri. Non tantùm insaniunt mundi qui dignitates ambiunt, sed etiam cæcutiunt, putant aliquid felicitatis unà cum dignitatibus enancisci, & falluntur cum nulla insit mundi dignitatibus felicitas, quod cum novisset Agamemnon apud Senecam Regium diadema nil aliud esse dixit, quàm: *Vano fulgore tinctum nomen, & falso comam vinclo nitentem.*

Fallitur igitur vulgus cùm Regium dia- 152
dema capitia dicit esse ornamentum, cum verius sit catena, ac humani verticis vinculum miseros capite minuens, veram tollens libertatem, ut eo irretitus in miseram impingat servitutem. Senserat hoc idem Monima Millesia Mitridatis uxor mulier apud græcos illustris non minus sanguine, & dignitate, quàm virtutum cultura, ut refert Plutarchus in Lucullo, ut igitur hæc mulier se in libertatem assereret, suo se diademate suspendit, quo fracto cum in terram corruisset detractum collo pedibus conculcavit, in has erumpens querelas: *Execrabilis fascia, nec in vita suave quidquam mihi contulisti, nec in tam tristi obsequio mihi vales opitulari*; eoque dicto pectus mucrone bacchidi transfodiendum præbuit, si igitur Regia dignitas aliud non est, quàm splendida servitus pluribus cincta miserijs, quàm ornata gemmulis, quis hos amet splendores, qui nonnisi miseris cinguntur, qui foris fulgent & esse putantur illustres, cùm intus torqueant, & curis discrucientur, rectè D. Basilius mundi honores illis pariavit simulacris, quæ extrinsecus ære conflata, & auro illita fulgebant illustria, intus verò plena erant luto, ait ipse homil. in Lan-

zis

ris habite : *Quid externa præfers, occulta non perscrutans ? vides, quod Bel extrinsecus quidem habebat æs, intrinsecus verò lutum sub fulgente ære occultum, si videris eos, qui in mundo illustres sunt, noſces extrinsecus tantum, & in extima superficie splen-*
53 *descere, intus enim lutum sunt.*

Errant igitur, qui ea tantùm spectant, quæ extrinsecus apparent, nulla eorum habita ratione, quæ intus latent. Felices non sunt, quos vulgus in dignitate constitutos aspiciens beatos putat: externa dignitatis superficie suos decipiunt spectatores: scenicum ferunt habitum ac scenæ deserviunt in mundo dignitatibus constituti, quibus alij inserviunt, huc accersendus Seneca epist. 76. *Nemo ex istis quos purpuratos vides, felix est, non magis, quàm ex illis, quibus sceptrum, & chlamydem in scena fabula assignant, cum præsente populo elati incesserunt, & cothurnati simul exierunt, excalceantur, & ad staturam suam redeunt. Nemo istorum, quos divitiæ, honoresque in altiori fastigio ponunt, magnus est.* Magnus non est, qui ad altiores mundi dignitates admititur ascendere, sed ille magnus, qui ad easdem reptus se demittit, & in altiori culmine imminentiora timet pericula, & non tumet ob honorem. Tunc incipit homo periclitari, cùm in honore honorem duntaxat, & non pericula videt. DEUS cùm quadrigam gloriæ suæ Ezechieli obiecisset, quatuor illam vidit animalibus trahi, eràntq; homo, leo, bos, & aquila, à quo tamen cætera animalia visa sunt didicisse etiam volare, quasi de aquilæ consortio alas mutuaverint, & quas non ferebat leonis, hominis, & bovis natura alas, indidit societas aquilæ, quibus tamen manus hominis videbatur submissa, quæ & pennas fulciret, & discolores plumas sustentaret, Ezechiel 1. v. 8. *Manus*
54 *hominis sub pennis eorum.*

Sed cur non potiùs sub iuba leonis, vel sub ventre bovis ? quia scilicet ala altior evehitur, & discolor splendet, & dum aëreos tractus pervolat sublimis intuentium oculos ad se trahit, & in admirationem rapit. Ala igitur, in qua & volatus celsitudo, & celsitudinis denotatur excessus præ alijs animalibus auxilio indigebat manus, quia quò altius quis evolat, eò pluribus fit periculis obnoxius, indigetque manûs auxilio, ne in celsitudine præcipitium inveniat, ni submissa manu fulciatur præceps corruit, neque adversariorum declinat odia. incipit periclitari, qui honoris, ac dignitatis fastigium tenet: quia honoris fastigium periculis cingitur, & dignitatis culmini contermina sunt ruinæ, & finitima præcipitia, nec absque re S. Augustinus in Psal. 106. mundi honores ruinosos dixit, inquiens: *Sunt quædam deliciæ, sanctæ & bonæ in libris, neque enim sunt in affectandis, &*
55 *apprehendendis ruinosis honoribus.*

Nonnisi ruinæ timendæ sunt ab honoribus, cùm à ruina ruinosi dicantur, & ruinis expositi sint. Præruptis montium fastigijs semper adiacent præcipitia, ubi inter perfidorum impellentium manus proclivis est ruina; plurium exitus magnetum fortiùs id comprobant experimento posteris demandato, quàm voce, & oratione. Quos enim fortuna favens ad primas in eulis Principum extulerat dignitates; eadem mox novercans in imum detrusit ruinarum; & veluti per nauseantis stomachi vomitum deiecit in ignominiæ sterquilinium. In aula Constantini Ablavium ad fastigium erexerat dignitatum: in Arcadij imperio Rufinum summis affecerat honoribus: in Principatu Theodosij Junioris Flavium purpura induit; sed eosdem eadem fortuna è summo culmine Aulicorum in imum detrusit miserorum, quasi fortunæ, ac dignitatum pilæ, huc, illucque iactati, sursum, deorsum delati miserè perierunt. Imò neque profuit Manlio Capitolij defensio; neque Seiano Imperatorius sanguis; neque Pompeio plures Provinciæ, & regna victorijs illustrata, nec Cæsari ipsi totius propemodum terrarum orbis triumphi, omnes siquidem ceciderunt etiam consanguineorum mucronibus interempti. Extra Romanum itidem imperium scimus Mitridatem plurium Regnorum Dominum violenta manu vitæ filum abrupisse, nec meliora fata fuisse sortitum Hannibalem; ne vivus foret hostibus ludibrio. Splenduit illustrioribus insignitus dignitatibus Cresus, sed mansit rogo, flammisque extinctus; eminuit Agis primis affectus honoribus, sed laqueo suspensus in aëre pendulus periit: Claruit Manfredus plurimis insignitus titulis, sed securis unà cum capite omnes uno ictu obtruncavit, & ipse miserè periit capite diminutus. Invenit Phocion sua venena, quæ cum hausit, vitam fœdè evomuit: Baiazetes suam caveam, in qua clausus adversario cessit scabellum. Referta sunt historiarum monumenta similibus exemplis, quibus fortuna sibi visa est opimas victimas seginâsse.

Moris olim fuit, quo victimæ ad sacrificia 56
ducerentur infulatæ: ecce infulis, ac dignitatibus insigniti victimæ sunt, quas eadem fortuna, à qua fuerant ad primas dignitates evecti, ad necem trahit, quia parum distat à fastigio dignitatis præcipitium, & ruina ut scitè dixerit ille: *Consulares fasces; prætextam, curulemque sellam, nihil aliud, quàm pompam funeris putamus, claris insignibus, velut infulis velatos ad mortem destinari.* Sed tolerabile videretur, si dignitatibus insigniti ad mortem duntaxat traherentur; sed quod deterius est, ad æternam plerumque ducuntur damnationem: siquidem dominationis, & damnationis cognata nomina parum distant re, quâ arctiùs copulantur, ut notavit. Blessensis epist. 131. inquiens: *Multorum dominatio, est eorum damnatio: quot enim paupertas ad cælum promovet, tot cum dignitatibus suis infernus absorbet.* Quis non fugiat hæc præalta fastigia ? quis non se avertat ab hisce dignitatum cacuminibus, quibus semper adjacent præcipitia ? Plures sunt, quos publicæ lucis amor, ac dignitatum splendor allicit, & ad se trahit, sed piraustam æmulantur, cùm enim flammæ delectetur pulchritudine, ejúsque fruatur claritate, ac splendore accensam circumvolat lucernam, sed dum flammam, cuius ardet amore, osculatur miserè cinerescit, & volerûs ludum ferales vertit in exequias. Non enim meliorem sortiuntur

for,

fortunam, qui dignitatum splendores ambiunt, plerumque violentæ mortis reperiunt caligines, ubi arbitrabantur clarioribus illucescere splendoribur.

157 Qui sapit, has non ambit eminentias, in quibus constituti gravioribus fiunt ruinis obnoxij; perniciosus est ambitionis dominatus, & ipsa ambitio, quos inflat, interimit, adeò ut non aba re D. Bernardus in Psalm. 90. definierit hanc ambitionem: *Subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, cordium excæcatrix.* Imò non solùm cordium est excæcatrix, verùm etiam excordes efficit, quos ipsa afficit, an non excors fuit Tullia, quæ ut virum Tarquinium Regem salutaret supra cruentum patris cadaver vecta carpento equos egit consternatos? an non excors fuit Absolon, qui per stupra paterni tori ad Regna gradum sibi struere ausus fuerat? an non excors fuit Athalia? hæc enim fœminarum pessima ova aspidis visa est fovisse, ex ejus siquidem sinu ingens erupit calamitas. Justa tunc temporis Ochoziæ reddebantur Manibus, cum mulier in sano furore percita Regnum invasit, thronúmque non aliter censuit stabiliri, quàm si nepotes suos Ochoziæ filios, adeóque totum Davidicum stemma de medio tolleret, quod detestabile consilium executioni demandatura, Regnum vi occupavit, vique crudeli administravit, & promiscua cæde quidquid supererat regij sanguinis, extinxit. Imò non solùm quos ambitio afficit, excordes efficit, verùm etiam è consortio dejicit hominum. Non enim Nabuchodonosor exterminatis gentium Dijs solus ipse haberi Deus voluisset, nisi ambitio eum dementâsset, nunquam aras, & sacrificulos affectâsset Tiberius: nunquam Jovis Olympici simulacro capitis sui effigiem imposuisset Caligula: nunquam Heliogabalus in id cecidisset dementiæ, ut habitu Bacchum

158 exprimeret, & Cibelem repræsentaret.

Non igitur felices dixeris, quos favor fortunæ ad altiora evehit dignitatum fastigia, scitè Sidonius lib. 2. Epist. 13. *Sententiæ tali nunquam ego assentio, ut fortunatos putem, qui Reipublicæ præcipitibus, ac lubricis culminibus insistunt. Nam dici nequit, quantum per horas ferè in has vita miseriarum, vita felicium illorum (si tamen sic sunt pronunciandi, qui sibi hoc nomen ut Sylla præsumunt) nimirum qui supergressi jus, fasque commune summam beatitudinem existimant, summam potestatem, hoc ipso satis miseriores, quod parum intelligunt, inquietissimo se subjacere famulatui; nam sicut hominibus Reges, ita Regibus dominandi desideria dominantur.*

159 *Phalangia* teste Strabone *lib. 11.* lethifera sunt animalia, quæ risum movent, & eum risu mortem inferunt. Lemma ex Horat. lib. 1. Epist. 12. *Nocet empta dolore voluptas.* Apponas. Mundi voluptatibus, gaudijsque addicti sæpe rident, sed in interitum animæ, & qui in extimo vultu risus apparet in tragædias, ac gemitus totus intus solvitur.

EXCURSUS.

Personata incedit mundi lætitia, sub larva gaudij luctum tegit; lacrymas propinat.

Nil est verius, quàm falsa esse ea gaudia, 160
quæ suis asseclis mundus fallax ostentat, exhibetque, ut decipiat: personatum credas hunc mundi risum extima sui specie suos decipit, qui dum rident, lachrymas eliciunt, dum lætantur exteriùs, mœret anima interiùs, quia ut cecinit Publius Mimus: *Hæredis fletus sub persona risus est.* Personatus est mundi risus, cui si larvam detrahas, seu intimiùs ridentem introspicias, nonnisi fletus, mœrores deprehendis, quibus anima languet. Imò & pluribus noxarum confossa vulneribus interimitur. Mundanus risus personam gerit, quæ tristitiam tegit, & mœrores obvelat, proinde minimè est eidem fidendum, cùm aliud omninò sit, quàm risus, quod enim videtur exteriùs risus esse, nuda est oculorum deceptio, gaudium pollicetur, & dolores exhibet, felicitatem spondet, & meram vanitatem præsefert, quæ illico evanescit, quapropter dixit Chrysostomus homil. 22. in Genes. *Nihil habet stabile, neque firmum, sed sola est oculorum deceptio, & priusquam appareat, avolat.* Est igitur mundanæ voluptatis risus mera deceptio, & larva duntaxat risûs, quæ nonnisi miserias, mœrores, ac clades tegit, ne suos absterreat clientes, ait enim Mellifluus Doctor lib. de gratia, & libero arbitrio: *Nulla verior miseria, quàm falsa lætitia:* & eò est major miseria, quò se miserum nescit, qui cum mundo ridet, séque stare putat, qui cecidit.

Apuleius refert risui veluti Numini consue- 161
visse deceptas Gentes annuatim sacrificia offerre, ait Apuleius: *Deo risui per annua reverticula solemniter celebramus:* ut falsum est Numen risus, ita & mentitus est risus, qui è mundi hauritur voluptatibus. Abigendus propterea est larvatus hic risus, qui nonnisi mœrores, vulnera, & neces secum trahit: nosque sacræ litteræ monent, ut hujus aras risus evertamus, funditúsque destruamus. Amos. c. 7. *Demolientur excelsa Idoli, seu vanitatis,* ubi septuaginta interpretes legunt, *delebuntur aræ risus:* ac si falsum idolum, & terrenarum voluptatum risus in idem reciderent. Voluptatibus igitur diffluentes cum ridere videntur, verè non rident, sed risum duntaxat simulant prorsus alieni à vera lætitia, & omnino dissiti à vero gaudio: etiam salices ad ripas fluvij ridere, & arridere videntur lasciviente foliorum viriditate, & tamen nullum exhibent pomum, nullúmque sapidum fructum, quinimò nonnisi amaritudine scatent.

Neque alium censeas esse fructum, quem terrena voluptas, mundíque risus exhibet, quàm amaritudinem, quâ inficiuntur, qui terrenis diffluunt voluptatibus, quæ volaticæ sunt, sed mulctis luendæ: præstigijs sibi addictos alliciunt, & amaritudinem dissimulant, quam sub cortice dulcedinis contegunt, ad perbreve

tempus

tempus gaudet appetitus, sed luctus in ævum oculos corrumpit, testis est *Lysimachus*, de quo ait Plutarchus in Apophteg. *Cum in Tracia à Tromachete esset victus, atque siti subactus, se, exercitumque in potestatem ejus dedisset, ut bibit, jam captivus: Dij boni, inquit, quàm brevis voluptatis causa servum me ex Rege fecit.* Quasi diceret, nunc cognosco, quam parvi sint facienda mundi Regna, eorúmque voluptates, & gaudia, cum in aquæ cyatho demerguntur; nesciebam tam fluxa esse mundi regna, quæ simul cum exigua aqua fluunt, ac evanescunt, nihil certè sub sole stabile, cum ipsa etiam regna simul cum unda fluant, nihil est in mundo grande, cùm regna ipsa in cyatho naufragentur.

163 Quod semel Lysimacho contigit, idem sæpius pluribus alijs obtingit, qui inhiant venenis, allecti quodam dulcedinis fuco, quæ tamen cum intima subeunt viscera lethali ardore adurunt, ac præcordia morsibus ferendis imparia rodunt. Oblectatio potùs satis exigua fuit, sed diuturnam texuit Lysimacho catenam. Utinam plures non essent Lysimachi imitatores, qui blandula illecti voluptatula vincula sibi durissima injiciunt, huc accersendus Cassiodorus lib. 2. variar. c. 40. *Sirenas in Miraculum cantâsse curiosa prodit antiquitas: & quamvis navigantes fluctus abduceret, carbasa ventus inflaret, eligebant suaviter decepti scopulos incurrere, ut tantam paterentur dulcedinem præterire.* Cantûs dulcedo fallaciter auditum demulsit, & vitæ attulit naufragium, & qui brevi deliniebantur voluptatula prolixis suspirijs lugebant miseri. Non ridet mundi voluptas, quamvis risum simulet, sed lachrymis madat, cùm sit malorum pessima matrix: stabilis non est, sed volatica, vix enim incipit, & statim desinit, vix oritur, & illico moritur, quasi simul & in ortu, & in occasu, nec diariam dixeria, sed momentaneam, quòd si ejus risum eum ejusdem metiamur pœnitudine, transit statim risus, & dolor hæret diuturnus, & per annos plures lacessit, pœnitentia siquidem longæva est, & quò diuturnior, eò acerbior.

164 Verus non est mundanæ voluptatis risus, quem nonnisi diuturna pœnitentia sequitur, & comitantur præcox pudor, & serus dolor: & tamen tam crassè cæcutiunt homines, ut ab hoc fucato risu finant se decipi: imò quos in accumulandis divitijs labores subeunt, ad hunc dirigunt risum, quo potiantur, ambiunt enim divitias, ut acquirant delicias, sudore liquescunt, ut rideant voluptatibus perfusi; & hic error est, quo miseri decipiuntur nolentes scire, aliud non esse voluptates nisi dolorum, aut damnatorum appendices, trahunt enim secum plena malorum omnium agmina, gravedinem capitis, dolorem stomachi, corporis morbos, & acceleratam ipsam mortem, adeò ut ex voluptate, veluti ex Troiano equo malorum omnium effunduntur acies, erumpuntque vitia, quæ non solùm corpus corrumpunt, sed & animam infestant, cum non possit quisquam uti corporis voluptatibus mundi delicijs sine conscientiæ læsione, absque Numinis offensione, gratiæ dispendio, & propriæ salutis periculo. Idque expertus fuit Hebræorum fortissimus Samson, cùm mundi voluptates delibaturus meretricis ingressus est lupanar. Judic. 16. v. 1. *Abijt in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam,* sed tunc Philisthæi satis de Samsone capiendo soliciti, domum obsidione cinxerunt, ne præda fugeret, quam intercimere ad nitebantur: *Circumdederunt eum positis in porta civitatis custodibus, & ibi tota nocte cum silentio præstolantes, ut facto mane exeuntem occiderent.*

Voluptas, quæ ad meretricis lupanar Samsonem allexerat, eidem insidias terendis, cum dormiret ille in sinu fœminæ, vigilabant adversarij ut mortem interrent, omni enim circumspectione, & silentio insidias disponebant, licèt Samsonis fortitudo eorum technas eluserit: *Dormivit autem Samson usque ad medium noctis: & inde consurgens apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis, & sera, impositásque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Ebron.* Non potuit non magnis urgeri curis, ac periculis sollicitari Samson, cum mundi voluptatibus indulgeret, & in sinu mulieris rideret: dum enim blanditijs illectus gaudet, inimicis stipatus timet, nec blanditiarum delinimenta insidias arcere valuerunt, nec metum excutere. Quòd si volatica voluit voluptatula affici, necessum habuit, humeros oneribus deterere, virésque laboribus imminuere, & singula corporis membra defatigatione fascessere: necessum quippe fuit nocte intempesta montem petere, ingentes fores, seu prægrandia onera secum deferre, & immenso pondere torosos defatigare lacertos, & quidem eo tempore, quo noctis caligo oculos sepeliebat, & per montis prærupto calles itinera occultabat. 165

Voluptas risum in lupanari simulabat, & insidias foras tendebat: gaudia in sinu fœminæ excitabat; & timores, ac inimicorum adsultus fovebat, & post perbrevem voluptatulam immensis pondera homeros presserunt, huc accersendus D. Gregorius lib. 2 Moral. cap. 25. *Ventura animus conspicit, totámque contra hæc intentionem proponit, magnúsque ardor contentionis se ingerit, sopor fugit, nox in diem vertitur, & cum quieta foris membra lectulus teneat, intus magnis clamoribus in cordis foro litigatur.* Quamvis morbida jaceret in culcitra, & quieta membra voluptate perfusa teneret lectulus, in corde tamen Samsonis curæ litigabant, & solicitudines viscera lancinabant, & fallaces amplexus diuturna oppressione sub immenso onere compensavit, fores enim ambas tulit, & onere gravissimo solvit exiguam, ac volaticam voluptatem: caro emitur pretio vilis voluptas, quæ nullius est pretij; & hæc perversitas est perversitatum ob volaticam abjectámque voluptatem brutis communem, animæ, imò & Christi sanguinis pretium dare; licèt voluptas nonnisi damnum afferat, ac perniciem hominibus inferat: ipsa enim sapientes dementavit in Salomone; justos, pro- 166

bósque pervertit in Davide; fortissimos enervavit in Samsone. Blandiri videntur voluptates, sed dum alliciunt, interficiunt, dum blandiuntur mordent, dum oscula figunt, vulnera infligunt, & dum amatorium exhibent poculum, venenum propinant lethale. Hinc Philo lib. de Gigantibus loquens de voluptate ait: *Nocent ejus munera, quæ mox ablata prosunt; proinde ò anima, si quod voluptatis amatorium te invitat poculum declina ab eo, & aversis oculis in nativam virtutis pulchritudinem perge; illam intuere donec amore hujus correpta traharis, tanquam à magnete, ut attracta sum adamata cohæreas.* Fortassis alludit Philo ad morem illum, quo gentes pocula quædam struere consueverant, ac parare, quæ bibituris amorem conciliarent, qui tamen noxius erat, & laeva amoris, cùm intus odium foveret non enim voluptas corporea nisi noxia esse potest hominibus, quos cœtui adscifcit brutorum, & à summo Bono avertit, quinimò amatorium voluptatis poculum qui bibunt, mortem ebibunt, ac deglutiunt, & quamvis dulcis videatur noxia voluptas, ac tota esse mellea; nihil tamen revera est, quàm exitiale venenum sacharo conditum, ne displiceat; idque causæ, cur mellea dulcedo olim à Dei sacrificijs arceretur; quia dulcedo bilem acuit, & in bilem desinit, sed lethalem, mortémque infert. ita quævis illicita voluptas: huc vocandus Cyrillus Alexandrinus homil. 2. Paschal. ubi ait: *Mellis oblationem gustavit voluptatis enim hoc quoque Symbolum est: dulcis siquidem videtur esse adjuncta unicuique peccato voluptas; sed exitum bile amarorem sortitur.*

167 Hanc voluptatis melleam dulcedinem ijs exhibet hostis tartareus, quos decipere, & in sua vota trahere satagit. Respuenda est exitialis hæc dulcedo, cujus fructus est æterna amaritudo, cujus illicio decipiuntur quotquot eam delibant: voluptatibus qui adhærescunt facilè capiuntur à dæmone iretiti. Primam fœminam fuit ipse aggressus, quam & fallacijs delusit, sed in paradiso, ubi deliciæ vernabant, ubi voluptates florescebant, cùm enim Eva incessu solitario per floridas illas vagaretur delicias, & consisteret, ut eam animi libido pepulerat, ad arborem scientiæ boni, & mali, adsuit ibi serpens ejusdem ramis circumvolutus, qui mira sermonis illecebrâ vetiti fructus dulcedinem commendat, & voluptatem, quam experiuntur eum deglutientes, simúlque utilitatem pluribus excipit laudibus, simúlque virus pestiferæ cupiditatis excellendi supra humanum fastigium inspirat dulcedine libertatis plenissimæ mixtum & tam efficaciter esum fructus suasit, ut plenè persuaserit: mulier enim voluptati illi inhians, quam in esu pomi experiri putaverat dentibus fructum prohibitæ stirpis mordet, & unà cum pomo arbitrata est potuisse beatitatem devorare etiam ipsi Deo invidendam, cùm revera nonnisi totam congeriem miseriarum unà cum pomo deglutierit, ab illo enim oriuntur etiamnum supplicia, fames, bella, pestis, ærumnæ, cædes, calamitates, morborum agmina, & mora ipsa. quam enim meruerunt Protoparentes pœnam, in omnes diffuderunt posteros, qui plectuntur, quod ipsi delirârunt; facilè fuit cacodœmoni eblandiente voluptate fœminarum primam in horto deliciarum suis deludere illicijs; sed non ita potuit fœminam decipere, quam Joannes *Apocal. 12. v. 14.* stellis duodecim redimitam vidit in deserto commorantem, ubi projectus serpens in terram ceruleas, ac fœdas compellitur spiras trahere, ac probrosè pulverulentas terræ semitas pectore verrere, qui cœlo splendescera detrectavit; nititur mulierem allicere, sed hæc aquilæ mutuata pennas serpentinos elusit astus Apocal. 12. v. 14. *Datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ, magnæ ut volaret in desertum:* ideo serpens hanc non valuit fœminam decipere, nec in sua vota trahere, quia alis munita non hortos voluptatis advolavit, sed deserta loca adamavit; Eva è converso ideo dolosis fuit decepta lenocinijs, quia voluptatibus inhiavit; Quæ mulier in deserto ejulat voluptatibus destituta, stellis coronatur, aliúque magnæ aquilæ munitor, & de veternoso serpente gloriosè triumphat: Eva verò quia divagata fuerat otiola per florentes paradisi voluptates decepta à serpente adacta fuit à loco illo exulare felicitatis; scitè Rupertus in cap. 2. Genes. ait: *Mulier corpore, & oculis vaga dum incontinenter deambulat sortè despectans, qualis extra paradisum habetur mundus, & serpens utpote astutus dulcedini terræ propius vel ambitiosè inuitetur, locus Diabolo datus est, & occasio porrecta unde tentaret.*

Ubi voluptates exhibentur, ibi tartarei aucupij insidiæ latent: quia delicijs gula inhiavit Eva esu pomi serpentinum venenum in pectore fovit, & è paradiso extorris ærumnosum tulit exitium. Quæ verò mulier alis instructa desertum advolavit? delicias, ac voluptates fugit, vitulentum superavit serpentem, ejúsque delusit astus: adulterinæ sunt voluptates, quæ sensum mulcent, & animum interimunt; quæ dulcedinem exhibent, & venenum propinant; videntur blanditijs scatere, & tamen ærumnis sunt refertæ, urunt enim dum putantur mulcere; in vincula injiciunt, & illaqueant, dum libertatem videntur spondere, scitè Dio Chrysostomus orat. 80 *Prima domina opinor ad unamquamque partem voluptas est, sæva quidem alioquin, & insidiosa, aspectu jucunda tamen: atque sardonicum quiddam subridens occurrit; sertque vincula juxta suam naturam florida, mollia, quæ primum, quibus par est vinciri Reges, aut Tyrannos, & omnes, quicunque beatorum dicuntur filij. Illa autem sævius nihil, neque magis inhæret, aut constringit.* Imò parum esset, si cacodœmon voluptatum illicio homines tantum vinciret, ac semel vinceret; sed quod deterius à natura etiam dejicit hominis: siquidem ut ait Cicero, quamvis Ethnicus 2. de finibus: *Nemo est dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in voluptate.* 168

Quòd si indignus est hominis nomine, qui per integram diem delicijs affluit, & voluptatibus adhæret, an non à consortio, & cathalogo hominum expungi merebuntur, qui non una tantùm die, sed & pluribus mensibus,

sibus, & annis delicijs affluunt: & quid dicendum de Christianis, qui voluptatem exosculantur ut filiam, quam Ethnici ipsi abominantur, ut furiam. Nil hominibus voluptate perniciosius, à qua omne maleficium, omnéque flagitium oritur, nullum enim est scelus tam enorme, nulla noxa tam turpis, nullum facinus tam detestandum, cui non sua patrocinetur voluptas, quæ sua dulcedine ad scelus quodvis homines allicit: voluptates enim mentem premunt, rationem perturbant intellectum obscurant, & totum hominem tenebris obvolvunt, ne imminentia, quæ adeunt pericula, videant, néve ipsius voluptatis naturam cognoscant, est enim voluptas spumea, si ab aquis emergat impuritatis, in nihilum brevi abitura: de re quæ sit brevi duratura, quæque nullius sit firmitatis, ac consistentiæ paræmialiter dicimus, ad modum spumæ evanescere, Oseæ cap. 10. v. 7. *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ.*

167 Quòd si spuma non solùm statim evanescit, sed etiam vacua est, ac intus inanis, adeo ut extimo duntaxat nitore, suos decipiat, fallátque sectatores: ita voluptas, quæ spumæ comparatur gracilis est, quæ diu durare nequit, licèt diuturnam post se relinquat amaritudinem, quod si spumea est quælibet voluptas; maximè quæ ex luxuriæ aquis producitur; hinc Venus ex maris spuma orta perhibetur, quo intelligeremus spumæ similem esse carnis delectationem, à qua nihil solidi sperare possimus de addictis corporis voluptatibus; ait S. Judas Apostolus in sua Epist. Cathol. v. 12. *Hi sunt in epulis suis maculæ convivantes sine timore, fluctus feri maris despumantes suas confusiones:* quia omnia libidinis motus in evanidam abit spumam, quæ illico evanescit, quapropter falsa est omnis illa voluptas, quæ à luxuriæ fluentis dimanat, est enim tantùm spuma voluptatis, quæ nihil in se continet firmitatis: vera enim voluptas est, quæ ex cultura hauritur castitatis, & in corde efflorescit puro; quapropter hoc nobis injunxit exercitium Apostolus ad Ephes. cap. 6. v. 14. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ.* Lumbos præcingimus, cùm castitatem colimus, & ejus cultura efflorescimus: quòd si quæras, cur Apostolus verbum illud apposuerit *in veritate*, putârim, ut inde ostenderet, falsas esse, ac inanes reliquas mundi illecebras, & corporis voluptates, solóque mendacio fœtas, & florem veræ lætitiæ nonnisi ex cultura germinare castitatis, ut scitè innuit D. Chrysostomus homil. 5. in cap. 3. Epist. ad Hebr. inquiens: *State succincti lumbos vestros, & subjunxit in veritate. Quare in veritate? est enim cupiditas illusio, & mendacium: propterea dicit Propheta lumbi mei impleti sunt illusionibus, non est ea res voluptas, sed umbra voluptatis. Succincti inquit lumbos vestros in veritate, hoc est in vera voluptate, modestia, & honestate.*

168 Nil solidæ voluptatis mereri possumus, nisi cultura præcesserit castitatis, quæ sola mater est veræ voluptatis, cujus luxuria noverca est, & cujus voluptas mera caligo est, quæ nisi amoris divini luce discutiatur, mentem adeò fœdè occupat, ut hac voluptate affectus extra se abeat, & amentiâ laboret, quia ut rectè ait S. Laurentius Justinianus de interiori conflictu. *Quemadmodum solis præsente splendore opacæ noctis propulsantur tenebræ; ita coruscante animæ charitatis incendio, omnis ab ea caligo voluptatis abigitur.* Quòd corporis voluptas hominem à sana mente & ab homine dejiciat, ex eo conjicitur, quia hæc voluptas duobus maximè vitijs fovetur gula, & libidine, & utraque bonum est pecoris, cujus gregi adscisciitur, qui hisce diffluit voluptatibus, quapropter Seneca de vita beata cap. 5. ait; *Quis mortalium, cui ullum superest hominis vestigium per diem noctemque titillari velit, & deserto animo, corpori operam dare?* hinc non solum vana, sed & perniciosa esse deprehenditur voluptas: errantque homines, qui ut in ævum vivant copia ferculorum se ingurgitant, dum enim ventrem immodica esca implent, mentem evacuant, & mortem sibi accelerant, certissimum enim hujus voluptatis vectigal morbi sunt, neque venter oppletus aliud est, quàm miseriarum officina.

Corrumpuntur enim, quæ nimia copia in 169
stomachum obsonia ingeruntur, quæ dum ventrem immoderatiùs onerant, calorem opprimunt nativum, & naturæ officia impediunt, inde fœda ex cruditatibus macies vultum inficit, & miserabilior ex cruditatibus, quàm ex fame, & hanc maciem contrahunt, qui variis, saporatisque obsoniorum oblectamentis ad famem non sedandam, sed irritandam quæsitis stomachum implent; Et inde pallor, ait Seneca *Epist. 95.* & nervorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & semper qualis in ipsa ebrietate titubatio: inde suffusio luridæ bilis, & decolor vultus, tabésque in se putrescentium, & retorti digiti articulis obrigescentibus, nervorum sine sensu jacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum, auriúmque tormenta, & cerebri æstuantis verminationem, & omnia, per quæ exoneramur internis ulceribus affecta? Quid alios referam innumerabiles morbos supplicia luxuriæ? tantum scilicet pœnarum in orbem invexerunt, qui terra maríque vastatis, prædisque artificio conditis naturam expulerunt. Hactenus Seneca.

Distentus venter dum assuescit plus cape 170
re, quàm possit coquere, putrescit, & nervos sensu prorsus carentes, aut calor destituit, aut nimius æstus adurit. Duo in aula Pharaonis cupediarum, & cellæ vinariæ Præfecti futurorum præsagia perspecta habuerunt in somnijs; alteri enim soporato objicitur vitis unica, ex qua uvas excerperet, ad vindemiam dulcescentes: alteri dormienti cupediæ repræsentantur, quas & gula appetere, & ars confingere valeret. Genes. 14. v. 10. *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas maturescere.* Alteri verò, qui cellæ penuariæ præerat, tria in somno

fuerunt objecta canistra ingentis proceritatis, in quorum supremo delicatiora quæque aderant fercula Genes. 40. *Et ego vidi somnium quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in uno canistro, quod erat excelsius portare me omnes cibos.*

171 Uterque somniator suum exposuit somnum Josepho, qui & ipse eodem detinebatur in carcere detrusus, qui sicut incorruptus erat veritatis interpres, arcani non reticuit vera, neque adulatione mellivit infausta, sed huic mortem, & alteri felicitatem prædixit: *Auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce:* sed cur obsonia, quæ vitæ nutriendæ, ac sustentandæ sunt accommodata mortem attiverunt, quando racemi vindemiam despumantes, gaudium protenderunt libertatis, si saporata fercula vitæ fulciendæ aptantur, cur in mortis accersuntur præsagia? & rubentes uvæ assumuntur felicitatis indicia, cùm plures, perinde ac Pharao in rubro freto, perierint in rubro vino? sed si discrimina perpendamus rectè Joseph ex uvis gaudium libertatis, & ex ferculis funus præsagivit mortis violentæ: Pincerna siquidem eas duntaxat uvas decerpsit, quas vitis unica palmitum inops suppeditavit: Pistor verò cibos multiplices toto artis sapore conditos ministravit: *Omnes cibos qui fiunt arte.*

172 Rectè igitur Josephus ex illa obsoniorum varietate ad omnem artis industriam, & gulæ illecebram, acceleratam conjecit mortem, quia non poterat vitam diu protrahere, qui tot ferculis didicerat exundare, qui ut corpus saginaret, ventrem farciret, ac crapulæ lenocinaretur, quidquid avium volitat per aëra, quidquid piscium innatat aquis, quidquid ferarum discurrit per sylvas palmari sepelivit in stomacho, qui cùm esset enectorum animalium tumulus; nonnisi funera, & mortem potuit redolere: opportunum siquidem certissimæ mortis ænigma fuerunt tot delicatæ dapes, tótque ciborum congeries in stomacho, ubi *Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.* Exotica fercula, ac eorundem varietas non vitam nutriunt, sed mortem alunt, quam accersunt, scitè Clemens Alexandrinus 2. Pædag. cap. 1. ait: *Antiphanes Delius Medicus vel unam hanc dicit esse morborum causam, ciborum varietatem.* Ideo Joseph cum ciborum sibi adversantium vidit varietatem, acceleratam inde conjecit mortem, quia celerrimæ mortis ænigma ciborum est multitudo, condimentorum varietas: quando cibus erat simplex vita etiam fuit productior, & homines vegetiores, ac viribus valentiores tam paucis est natura contenta, ut illi abunde sufficiat aqua, & polenta. Vitæ nutriendæ terra mater abunde suppeditat necessaria, cum ubique sint campi oleribus referti, non enim herbæ, & legumina pecoribus tantùm nutriendis germinant, sed etiam hominibus alendis, neque fames in homine est ambitiosa, nec deliciarum studiosa, nec vires ut reficiantur exotico indigent obsoniorum apparatu, pulchrè Seneca Epist. 96. *Corpora opere, ac vero labore durabant, aut cursu defatigata, aut venatu, aut tellure versata: excipiebat illos cibus, qui nisi esurientibus placere non poterat: itaque nihil opus erat tam magna Medicorum supellectile, nec tot ferramentis, atque pyxidibus: simplex erat ex simplici causa valetudo: multos morbos multa fercula fecerunt.*

Ubi luxus triumphat in epulis, ibi mor- 173
borum agmina mortem secum trahunt: neque ferculorum multiplicitas vitæ fovet incrementa, adeo ut frustra, qui in Evangelio divitijs affluebat, simúlque delicijs diffluebat, sibi fuerit eblanditus, longámque annorum seriem pertexuerit, cùm Luc. 12. v. 19. dixit: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare:* nam statim non solum citatoriam audivit vocem; sed & sententiam decretoriam, fatúmque sibi acceleratum ex epularum redundantia, vinique immodico haustu: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti cujus erunt?* Non vitam protrahunt, sed præmaturum fatum accelerant, exotica fercula, quibus venter distentus oppletur, & stomachus gravatur.

Exhibent plerumque lautiora convivia 174
tragœdias suas, quarum initia licet jucunda appareant plena lætitijs, ac delicijs, exitus tamen nonnisi tristes sortiuntur. Tale fuit convivium Balthasaris, in quo præter ingentem fœminarum turbam mille ex proceribus accubuerunt, quorum singulis, ut ait Scholiastes apud Cornelium, proprius ministrabat Pincerna. Huic apparando integra oppida, plurésque pagi desudarunt in retibus texendis ad pisces exoticos rapiendos, in pedicis construendis ad aves peregrinas irretiendas, alij terras, alij maria fuerunt scrutati, illi incubuerunt in conchilijs, & ostreis eruendis; illi in miscendis condimentis, cibisque ad omnem luxum parandis laborárunt. Parata fercula nonnisi argento, vel auro ad mensam ferebantur, quæ amphitheatrum videbatur voluptatum exhibere, in quo omnes sensuum cupiditates de palma viderentur decertare; ad oculi lascivientis delicias composita erat cœnatio, quidquid enim auri, argenti, margaritarum fuit, illic resplendoit, & ne vacarent nares, arcanis exinde fistulis emissa balsama convivas gratissimo afficiebant suffitu. Ad aurium oblectamentum chori aderant symphoniaci, atque lenocinantes. Gustus reliquos supra sensus delicijs diffluebat, cum ex omnibus elementorum spolijs unam consurgere mensam experiretur: neque in tanto epularum luxu bibebant tantùm, & edebant convivæ, sed & choreas ducebant, ac dulcissono cantu aures demulcebant, vocésque personabant tripudiantium, ac dicentium. Sapient. 2. *Venite fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura, vino pretioso, & unguentis nos impleamus; rosis nos coronemus.* Sed cùm tota multitudo esset in lætitiam & epulas effusa, risus versus est in luctum, & graviore vultu intonuit Ecclesiastes cap. 2. *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi, quare frustra deciperis.* Turbavit enim hilaritatem manus, quæ apparuit in pariete & characteres delineavit Daniel. 14. *In eadem hora apparuerant digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum, & Rex aspiciebat articulos manus scri-*

scribentis; tunc voluptas omnis cœpit excidere, gaudium in tristitiam verti, & risus luctum accersere. *Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum.* Manum vidit Balthasar scribentis, non tamen quis author esset exoticæ scripturæ nosse potuit, neque quid characteres indicarent cognoscere: hinc cœpit toto corpore contremiscere, palpitare corde, & animo timere. *Et compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur.* Et cum ex accersitis Haruspicibus, nemo esset, qui scripturam legeret, vocatus Daniel eam legit, ac sensum aperuit, seu sententiam imminentis exitij explicuit: *Mane*, numeravit DEUS regnum tuum, & complevit illud: *Thecel*, appensus es in staterâ, & inventus es minus habens: *Phares*, divisum est Regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. Hoc est DEUS qui arenæ grana, terræ gramina, plantarum folia, oceani guttulas, ac stillas enumerat pluviarum, annos tuos imperij tui ô Balthasar viginti duos recensuit, Judaicæ captivitatis 70. quorum ultimus carcerem Babylonicum Hebræis aperiet, & Chaldæorum Regno finem imponet. Hic itidem DEUS ad trutinam suæ justitiæ tuas appendit actiones, & in lancem unam venerunt vitia, in alteram virtutes, sed illa hisce præponderant propterea vitam, & Regnum ob superbiam, libidinem, temulentiam, ac injustitiam meritus es Regnum simul & vitam perdere, quapropter etiam hac nocte Regnum, quod possides à Persis dividetur ac Medis, quorum acinace, tu cruentatus vinum evomes, quod hausisti, & vitam deperdes, quam tot vitijs coinquinâsti.

175 Funesta fuit hæc Danielis denuntiatio, quæ adstantes omnes consternavit, ac timore concussit Daniel. 5. *Eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæus, & Darius Medus successit in Regnum annos natus sexaginta duos.* Paucula hæc Danielis verba lamentabilè retulerunt catastrophen, neque potuit quid tristius Balthasari obtingere: ubi risus, & cantus audiebantur tripudiantium, mox resonant luctus, & ejulatus morientium: ubi vino madebant convivæ, nunc proprio inatant sanguine: ubi blandæ voces demulcebant, nunc clamores interficientium perterrent; ubi luxus triumphabat in epulis, crudelis trucidatio, & excidium convivantes interemit. Ita est, pedissequa voluptatis mors est accelerata: idque nos etiam edocuit Jonatas, quamvis laboribus attritus. Hic Philisthinorum castra ob locum accessu difficilem munitissima evertere eggressus est, plura juvenilis ardor tentat peterdua: ne hostibus innotesceret, pectus per terram trahit serpentis more circumvolutus manibus, & pedibus reptat, & in adversariorum copias irruit. 1. Reg. cap. 14. v. 13. *Ascendit Jonatas manibus, & pedibus reptans*: nec tamen per sibi inflicta vulnera retrocedere adigitur, sed inter hostes discurrit illæsus, quinimò per hostiles falces victor incedit, & post victrices collectas palmas saltum ingressus peramænum, fayúmque mellis videns, & flavo illo illectus obsonio, mellisque dulcedine captus, comedit mellea perfusus voluptate: sed voluptas, quæ in melle degustato ei arrisit, amaram ei mortem accivit 1. Reg. cap. 14. v. 27. *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis, & convertit manum suam ad os suum.* Virga perfusa melleæ voluptatis dulcedine hostilis fuit mucro, quo lethale sibi vulnus inflixit, & qui hostiles inter turmas incessit victoria coronatus, inter flavescentis mellis aureos favos morte reperitur mulctatus: *Morte morieris Jonatha* pronuntiat Pater. Plus damni ei intulêre melleæ voluptates, quàm hostium acinaces, ut videas, quàm perniciosa, & exitialis sit voluptas, quæ mortem infert, quam non valuerunt arma hostilia inferre. Huc vocandus Chrysostomus homil. 14. ad populum apud Glossam inquiens: *Vidisti quanta vorago? mensa extemporanea, ut & accedemus facilitas, & nutrimenti suavitas, & latendi spes in juramentorum prævaricationem ipsos allicerct.*

Plus igitur nocent mensæ cupedijs redundantes, convivia ferculis luxuriantia, & voluptates delicijs diffluentes, quàm armatorum phalanges, hostiles acinaces, & adversariorum impetus. Non igitur verum potest risum nutrire, nec veram alere lætitiam ea voluptas, quæ ex ferculorum apparatu percipitur. Aliena à vero gaudio sunt fercula cum mulcere gulam nequeant, nisi terantur, & pereant: quinimò adeò brutalis est hæc, quæ in pastu voluptas quæritur, ut homines eidem addictos in bruta vertat animalia: non igitur veri gaudij mater esse potest ea voluptas, quæ hominem in censum refert brutorum: quo enim major à deglutitis escis voluptas percipitur, eò vehementiùs in nobis brutales motus insurgunt: quia ut scitè ait S. Laurentius Justinianus de sobrietate cap. 2. *Ubi est crapula ratio despicat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur*: totum evertunt fercula hominem, nisi homo ab iisdem se avertat: neque patere verum risum potest ea delectatio, quæ dum delectat, aggravat, & dum aggravat, mortem accersit; eminentiò nos risu voluptas ad se vocat, quò veras lachrymas à nobis extorqueat, melleam nobis exhibet dulcedinem, ut amaritudinem nobis propinet, unde emotæ est mentis falsis hisce illecebris moveri, & à veris amaritudinibus, quæ in fucata voluptatis dulcedine latent, non amoveri. Amicam ostendit voluptas faciem, ut quos allicit, DEI efficiat inimicos, idque cùm animadvertisset D. Bernardus epist. 107. Exclamat: *ô seculum nequam, quod solos tuos sic soles beare amicos, ut DEI facias inimicos, consequenter & indignos consilio beatorum; planè eum qui amicus vult esse tuus, inimicus DEI constituitur: quòd si servus uestiat, quid faciat Dominus ejus, quanto minus inimicus.*

Mundi voluptas blanditijs suis videtur 177 exosculari, sed oscula sunt Judæ, quæ pacis signo hostilem mentem tegunt; non igitur fidendum est voluptati huic exosculanti, & blandienti; nobis erridet, ut lachrymis madeamus. Moris fuit antiquitus: quo in nonnullis Italiæ

partibus à parentibus infantes trimuli immolarentur, blanditijs lachrymas lugentium exsiccantes, & osculis comprimentes vagitum, ne flebilis hostia Numini mactaretur; eodem dixerim modo voluptatem sibi addictos immolare non Numini temporis Saturno, sed infelici æternitati: blanditijs enim ac illecebris, fictisque osculis fletum comprimit, ne voluptatibus diffluentes ab hac se imolatione subducant.

178 *Ponti* Hemerobium, animal quadripenne de culicum genere, quod paucas duntaxat unjus diei horas vivit, oritur cum sole, & cum eodem moritur Lemma *Nos levis aura foret.* Apodosis. Vita hominis diaria, eum oritur, moritur, cum hæc duo verba brevi duntaxat unius literæ distent intervallo; & quæ mortis est initium. De Hemerobio ait Aristoteles *lib. 5. de hist. animal. c.19.* Hypanis fluvius apud Cimmerimum Bosphorum sub solstitio defert velut folliculos acinis majores, quibus quadrupedes volucres erumpunt; quod genus animalis in postmeridianum usque diei tempus vivit, & volat, mox descendente sole marcescit, & languet, deinde occidente emoritur. Hoc idem repetit Plinius; & hujus animalculi meminit etiam Ælianus apud Aldrovandum lib. 3. de Insectis cap. 2. cujus proprietates luculenter describit

179 Præster serpens adeo malignantis naturæ, ut quos sensus primùm attingit, hebetet, ignaviam inferat, immobiles reddat; & ejus veneno infectos, quadam veluti syderatione immobiles efficiat, à mente alienos; & mox pi is defluentibus, pruritúque urgente absumat, ac perimat, ut notat Ælianus *lib. 17. cap. 4.* Lemma ex Lucano *Rubor igneus ora succendit.* Morbum ictì à præstere describit Lucanus lib. 11.

Nasidium Marsi cultorem torridus agri
Percussit Præster: illi rubor igneus ora,
Succendit, tenditque cutem pereunte figura,
Miscens cuncta tumor, toto jam corpore major:
Humanùmq; egressa modum super omnia membra
Efflatur sanies, latè tollente veneno.

APODOSIS. Luxuria quos libidineo inflammat æstu, hebetat, cæcáque offundit caligine, ut mens DEI, suique oblita præceps in consensum ruat, quo creaturæ adhærescens à summo Bono se avertat, séque per lethalem noxam in imum dejiciat ærumnarum, ac morborum.

EXCURSUS.

Lætitia quam præsefert venerea voluptas, luctûs est prodroma, Ignem accendit, non quò splendeat, sed ut virtus cinefiat.

180 Mundi voluptates, carnis illecebras, luxuriæ, corporísque delicias, si Judæ proditioni pares dixeris, impar haud eris, néque à vero dissitus; siquidem pacis tessera hostilem obtegunt animum; oscula figunt, ut lethalia vulnera infligant, rident ore, cum necem moliantur corde; gaudium spondent, quò luctûs extorqueant, lætitiam exhibent lachrymas propinaturæ; rident, arrident, osculantur jugulaturæ, quos amplectuntur; non secus ac parentes, qui olim filios immolaturi Saturno; blanditijs osculisque illiciebant, de quibus Minutius in Octavio: *In nonnullis Italiæ partibus infantes Saturno immolabantur, blanditijs, & osculo comprimente vagitum; ne flebilis hostia immolaretur.* Fucatis hisce blanditijs suas impudica Venus alumnos, quos suis enutrit larvatis delicijs, non Saturno ficto temporis Numini, sed infelici cruciatuum immolat æternitati; fictis osculis pacis symbolo cruentum bellum obtegit; larvata lætitia fletum comprimit, personatis blandimentis perpetuos cooperit dolores; ne venereis addicti voluptatibus ab hac se immolatione subducant.

Gaudia, quæ Venerea voluptas circumfert fluenta sunt lachrymarum, quæ Venereos ijsdem addictos ad amarissimum pertrahunt tormentorum pelagum nullo clausum litore, nullóque coërcitum limite. Cavendum propterea ab hisce fluentis, abstinendum ab aquis luxuriæ, quæ sitim ad interitum accendunt, non extingunt; hinc monet Salomon Prov. 9. v. 18. juxta LXX. Interpretes (quod desideratur in vulgata Lectione) *Ab aqua aliena abstineto, & de fonte alieno ne biberis*: quod de re venerea peragenda cum aliena muliere intelligi facilè potest; quod Clemens Alexandrinus flectit ad carnis voluptates inquiens 3. Pædag. cap. 2. *Ab aqua aliena abstineto, & ex fonte alieno ne biberis: titillantis sensum delectationis fluentum vitare nos admonens*: aquam alienam bibit, qui adulterio alienum torum coinquinat; sed dum fœtidam hanc ebibit aquam, mortem etiam deglotit, interdum etiam corporis. Refert Ludovicus Guicciardinus. A Viro Narbonensi habitam fuisse impudicitiæ suspectam uxorem; cúmque moliretur noce uxoria propriam abstergere maculam, quà inuri censuit. Mulum triduana siti æstuantem summo manè mulieri subjecit, quò rus veheretur, quò & ipse rusticationis prætextu erat profecturus: inscendit mulier nescia rei sitibundum animal, quod cum ad Rhodanum pervenisset, mulus concitato cursu in flumen ex alta ripa se se præcipitem dedit, simúlque sitim qua torquebatur, & heræ vitam extinxit: & fluenta venereæ voluptatis, quæ maculam invexerant, ad alia duxerunt mulierem fluenta, quibus marito abstersit deturpatum honorem, thalamúmque conspurcatum.

Fuit etiam qui voluntariè hanc pœnam subijt: cum ex alieno fonte, quem diu sitierat bibere nunquam potuit, eadem impatientiâ ductus in amnem se præcipitem dedit, eum extincturus ignem, quo diu exarserat, & cum vesana flamma etiam vitam: Rem hanc narrat Plutarchus in Theseo. Soolon Atheniensis miles Thesei uxorem Antiopam deperibat. Eam per internuncium alloquutus, cum repulsam tulisset; in amnem se præcipitavit; & qui de alieno fonte bibere cupijt, & 181 182

non

non valuit; in proprio flumine mortem ebibit; aquas sitivit alienas, sed alias hausit nocentiores: nec credas puris mergi laticibus, qui alienas impuras ebibit aquas, infamiæ enim fluctibus obruitur. Hæcque infamia in divinis literis adulteris tribui liquet ex Bersabea, quæ puteus satietatis interpretatur: *Beer* enim de puteo hebraicè dicitur, & de fonte; ut vel in nudo fœminæ nomine David ansam haberet timendi naufraugium castitatis, quam in aquis hisce illegitimi putei infeliciter demersit: quas in fonte corporis sordes mulier abstersit, Rex è solario domus oculis ebibit animam fœdaturus 2. Reg 11. v. 2. *Accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem*: & excussurus forsan contractam è producto somno segnitiem, solarium inscenderat domus regiæ auræ refrigerantis captandæ causa: obtigit, ut eo tempore Bersabea in horto suo domestico ad fontem salientem se ablueret, quam cum primum David vidit, eam deperijt, simúlque castitas perijt; à somno & stomachi oppletione proclivis ad Venerem est transitus; otium fomentum est libidinis, & luxuria negotium otiosorum. Somnus diurnus fuit Davidi Dæmon meridianus; & sagitta quæ lethale vulnus inflixit, amor impurus, à quo resipiscens liberari experit Psal. 90. *à sagitta volante in die, ab incursu, & Dæmonio meridiano*: tunc sagitta volavit in die, cum oculos in mulierem se lavantem direxit 2. Reg. 11. *Viditque mulierem se lavantem ex adverso*: scitè D. Augustinus in psal. 50. *De longe vidit David illam, in qua captus est, mulier longè, libido propè*: quia ut ait D. Gregorius aspectus lascivus Scintilla est, quæ dum in paleam cadit, incendium excitat, quo castitas cinefit: & licèt quam David contraxerat maculam lachrymis elueric; non tamen legimus flevisse Bersabeam; cujus propterea nomen consultò omissum fuit ab Evangelista Mattheo in Christi Genealogia, quia cum nondum lachrymis noxam delavisset; ejus nomen adulteriū adhuc olebat Math. cap. 1. *David autem rex genuit Salomonem, ex ea, quæ fuit Uriæ.*

183 Adeo abhorret Christus à putida adulterij aqua; ut vel ejus nomen exclusum á sua voluerit genealogia. Quòd si dicas, Christum adulteræ in Evangelio favisse, ejusque causam sub suo suscepisse patrocinio; & in adulterio deprehensam ab accusatorum exemisse violentia Joan. 3. v. 3. Responderi potest; mulierem in adulterio deprehensam non consensisse adulterio, ad quod invita, & omninò dissentiens adacta fuit, & quidem in loco remoto, ubi ejus clamor audiri non potuit ab ijs. qui potuissent eam ab illata eximere violentia, ut censet Oleaster in cap. 22. Deuter. inquiens: *Adverte aliquos voluisse, adulteram illam, quæ Christo à Judæis delata est, fuisse ex hujusmodi invitè cognitis in agro, ubi non erat clamandi locus; quam lex quidem absolvebat à morte.* Quòd si velis fœminam adulterio consensisse; inde non sequitur, Christum crimen protexisse; sed resipiscentem defendisse; peccatum damnat Christus, & resipiscentem amplectitur; vitium abominatur, virtutem absolvit. Carnis delicijs qui delectatur, & aquis libenter innatat luxuriæ; vix ab aquis hisce corruptis mersus resipiscens emergit ad arcam pristinæ continentiæ reversurus. Corvus symbolum exhibet luxuriosi, virique carnis addicti voluptatibus, propterea semel è Noetica egressus arca, non ampliùs fuit reversus Genes. 8. 6. 7. *Dimisit corvum, qui egrediebatur, & non revertebatur*; non fuit corvus reversus, quia cum cadavera vidisset aquis diluvij innatantia, carnibus delectatus, ijsdem adhæsit; nec ampliùs de arca continentiæ, & castitatis cogitavit.

Non tamen aquis innatantes luxuriæ 184
portum appellunt; sed ad naufragium trahuntur: est luxuria mulier illa, quæ ex præcelsa turri libidinum fluctibus imminente fragmen molæ dejecit, & Amalechum interfecit Judic. 9. 53. *Et ecce una mulier, fragmen molæ desuper jaciens, allisit capiti Amalech, & confregit cerebrum ejus.* In id luxuria incumbit studij, ut cerebrum infringat, judicium corrumpat, à sana mente abalienet; ne libidine æstuans rectè judicet; tentationem, quâ pulsatur, nō excutiat, sed eidem adhærescat, & per consensum interimatur; *Amalech*, ait D. Bonaventura diæt. salut. c. 9. de Luxuria. *nimis appropinquans ad turrim est homo luxuriosus incautè appropinquans, ad mulierem. Fragmen molæ est ipsa tentatio, quæ à muliere procedit, & miserum luxuriosum interficit.* Faciliùs carnis delicijs diffluunt, qui divitijs affluunt, & expeditiùs extremam incurrunt perniciem; id nos edocuit Absolon. Is bellum indixerat Davidi Patri, quem è throno pelleret Israelis; sed à Davidico fractus exercitu, & ad fugam adactus; muli celeritate, cui insederat, persequentes quidem evasit hostes, non tamen divinam Nemesim. Penetraverat effuso cursu subter condensam quercum, sed ventilante aurâ cæsariem hæret implicitus capillis effusis arboris ramo longiùs tralabente mulo, qui Absolonem, è ramo pendulum reliquit; idque cum vidisset, quispiam de gregarijs militibus, Joabo nunciavit, qui tres lanceas in pectore pendentis fixit, interemitque, 2. Reg. 18. 9. *Cùmque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, mulus, cui insederat, pertransivit.* Absolon peccatorem exhibet delicijs carnis diffluentem, ac divitijs auri affluentem: crines Absolonis superfluitatem produnt divitiarum; mulus, cui insidet Absolon luxuriam, quâ vehitur ad interitum per viam spatiosam libidinum, de qua ait Christus Matth. 7. 13. *Spatiosa est via, quæ perducit ad perditionem*: huc accersendus Hugo Cardinalis. *Quercui ergo per cæsariem pendet; quando peccator fomento divitiarum luxuriæ inhæret.*

Quòd si Absolon pependit è quercu, mate- 185
riam invenit peccator ignis accendendi in sylvæ viretis, ac delicijs umbratilibus: est enim ignis, quem vidit Jeremias sub olla ebulliente Jerem. 1. 13. *Ollam succensam ego video.* Peccator olla dicitur, quæ ob ignem, ac fervorem concupiscentiæ ebullit libidine, ac nigredinem contrahit peccati, juxta illud Nahum 2. 10. *Facies eorum omnium sicut nigredo ollæ.* Est ignis

concupiscentiæ, flamma libidinis, quæ consumit usque ad perditionem; non enim ardet ad splendorem; sed acrenditur, ut virtus extinguatur, ut peccator destruatur Job. 31. 12. *Ignis est usque ad perditionem devorans.* Devorat luxuria usque ad interitum animæ per gratiæ expulsionem; usque ad interitum vitæ per deperditionem honoris; usque ad abliguriationem temporalis substantiæ per divitiarum effusionem; ut contigit filio prodigo, qui *dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè* Luc. 15. 13. Luxuria non solùm corpus, sed etiam crumenam enervat, evacuat, omnem substantiam animæ, corporis, & divitiarum dissipat, perditque.

186 *Pulex* aureâ catenulâ illigatus Lemma *æneri non honori.* APODOSIS. Divitiæ illaqueant, simulque aggravant: impediúntque, ne per exercitia virtutum sursum ascendamus, quia divitijs affluentes, faciliùs vitijs indulgent, in quorum cœno detinentur immersi. Pulex insectorum notissimus æquè, ac infestissimus plurimum adfert hominibus molestiarum, quia ad fugam expeditus, volentem capere celerrimo eludit saltu, rursúsque mordet, nec facilè se capi finit. Fuit, qui ejus laudaturus agilitatem integram scripserit elegiam; ut & Cælius Calcagninus ad eloquentiæ ostentationem elegans encomium. Quamvis pulex perquam exiguum sit animal, fuit tamen artifex Africanus, qui aurea illū revinxit catenula: & ipsemet plures vidi ab artificibus Augustanis revinctos catenulis aureis pulices in pixidulis purpureo panno asservatos, qui ne fame pereant statis temporibus coram possessoribus manui, vel brachio admoti sanguinem suggebant, & hac industria enutriti, vitam diu protrahebant: neque caro pretio Augustæ Vindelicorum diveduntur. Excursus divitiæ nisi ritè impendantur, sunt potius gravamini, quàm levamini.

187 *Pyraulis* insectis asciscitur magnitudine muscam excedit, in Cypri ærarijs fornacibus medio dicitur in igne volitare, ac vivere, eò illustrior, quò flammarum alitur splendore; si flammas evadat, languet, ac emoritur Lemma. *Tamdiu vivit, quamdiu ardet.* APODOSIS. Charitas perpetuis divini amoris alitur flammis, quæ si non ardeat, perit; si intepescat, deficit. De Pyrauli ait Plinius lib. 11. cap. 36. In Cypri ærarijs fornacibus ex medio ignis majoris muscæ magnitudinis volat pennatum quadrupes, appellatur Pyraulis. Quamdiu est in igne, vivit, cum evasit longiore pauculo volatu moritur. Excursus de charitate, ac fervore spiritûs.

188 *Pyrausta* lucernæ flammam circumvolans vehementi affectus voluptate, cumque splendoris amore captus flammam osculatur, vivus comburitur, ac perit Lemma ex Ovid. Pont. 11. *Vires adimit damnosa voluptas.* APODOSIS. Mulieris venusta forma allicit ad amorem; voluptatem, & gaudia spondet, sed exitium infert, ipsam enim accedentes amasij mortem sibi accersunt; pereunt enim, cum gaudent; lethalia vulnera sibi infligunt, cum oscula figunt, abjeritque in parœmiam Pyraustæ gaudium, quod de momentanea, ac fluxa voluptate dicitur. Torquatus Tassus Cant. 4. pulchrè Eustachium captum amore Armindæ pyraustæ captæ ignis splendore comparat; quia cum amor sit ignis; si impurus sit amor, hoc igne virtus castitatis cinerescit; & amans perit; quia si allicit voluptatis splendore, urit, ac interficit noxa ustionis. Excursus. Voluptas venerea noxia, & exitialis.

Pyrigoni animalia sunt ex igne genita, in 189 igne vitam ducunt, huc, illúcque inter flammas volitantia; quod si extra nutricium ignem egrediantur, cum primum frigidum cœlum attingunt, emoriuntur, ut scribit Ælianus lib. 11. cap. 11. Lemma ex Seneca. *Non perit flammis amor.* APODOSIS. Cultores summarum virtutum, DEO, qui ignis est, jugiter adhærent, ab eo spiritus hauriunt vitales, quibus verè vivunt; quòd si homo christianus ab hoc eggreditur igne, à DEO summo Bono abscedit, & mundi illecebris, carnis voluptatibus illectus creaturis adhærescit, vivere desinit, & lethali culpa confossus emoritur. Excursus. De Amore DEI vivificante, & amore turpi creaturæ occidente.

Ranæ fœditate inficiunt loca, ubi incu- 190 bant, & coaxantes molestias adferunt vicinis Lemma. *Qui nescit tacere, nescit loqui.* APODOSIS, Qui propriæ nesciunt linguæ frœna injicere, ac tacere, plurimum sibi, & alijs damni inferunt: non secus ac ranæ, quæ olim in Ægypto imperante Pharaone ex cruentatis eductæ aquis, coaxatione, lue, furdibus, ac saltu, quidquid in Ægypto publicum erat, ac penetrale infecerunt, ac furdidarunt, ne cubilibus quidem, lectorúmque recessibus relictis inaccessis. Excursus. Damna linguæ infrœnis: ejusdem est artis rectè tacere, ac rectè loqui.

Ranæ rubetæ, quarum (ut loquitur Pli- 191 nius lib. 8. cap. 31.) & in terra, & in humore vita, plurimis refertæ medicamentis, deponere ea quotidie, ac resumere à pastu dicuntur, venena tantùm sibi reservantes Lemma: *Prava, quæ inolescunt, difficulter abjicimus.* APODOSIS. Vitijs qui assuescunt in florente ætate, in extrema senecta ijsdem ut plurimum indulgent. Excursus. Habitus pravi raro corriguntur.

Salamandra lacerti figuram exhibet, stel- 192 latum est animal: huic teste Plinio *lib. 10. cap. 67.* tantus est rigor, ut non solum igne lætetur, eóque vivat, verùm etiam tactas flammas extinguat, nilque patiatur detrimenti. Lemma *Malorum patientia victrix*, pleráque animalia igne vivere referunt Aristoteles lib. 1. de hist. animal. cap. 19. & D. Augustinus de civit. lib. 21. c. 1. Plinius lib. 11. c. 36. asserunt enim in Cypri ærarijs fornacibus ex medio ignis majoris pyralem, seu animal pennatum de quadrupedum genere volare illæsum; Salamandram eodem uti elemento, in quo vivit, eóque nutritur, ut putat Ælianus lib. 2. c. 5. & Macarius Eremita Ægypti... non minus do-

ctrina, quàm sanctitate laudabilis asserit quosdam esse montes igneos, in quibus ignis semper durat, & in quibus animantes ovibus similes viverent, ad quas capiendas venatores ossibus quibusdam utuntur, & jactatis in ignem hamis ferreis illas foras extrahunt, sed statim ac sunt extra suū elementum, ac alimentum pereunt. De Joviano patratæ cædis reo, & in Vulcaniæ insulæ perpetua relegatione damnato ait Cassiodorus lib. 3. variar. epist. 47. ad Faustum. *Salamandræ secuturus exemplum, quæ plerumque degit in ignibus; tanto enim naturali frigore constringitur, ut flammis ardentibus comparetur; flabile, ac parvum animal lumbricis associum, flavo colore vestitum, vitam præstat soli, qui mortalia cuncta consumit.* APODOSIS. Vir patiens inter tribulationum, ac ærumnarum incendia triumphat, neque adversa sunt illi exitio, sed exercitio. Excursus de virtute patientiæ in adversis.

192 *Salamandra* tonante cœlo, minásque spargente, ruentibus fulminibus, coruscantibus fulgetris, cadentibus nimborum procellis, fœdáque aquarum eluvione longè, latéque terrarum tractus inundante in lucem prodit. Lemma *Virtutem adversa juvant.* est Salamandra perseverans in medio flammarum symbolum constantiæ, ac virtutis intrepidæ. APODOSIS. Viro cultutæ virtutum addicto adversa non sunt exitio, sed exercitio. Excursus Tribulationes si æquè ferantur, prosunt, non obsunt.

193 *Scarabæus* grandem è fimo, ac stercore pilam, globúmque pedibus volutans aversus Lemma. *Probro pascitur alieno.* APODOSIS. Maledicus invidus aliena dedecora suum reputat honorem, & aliorum jacturas proprios existimat quæstus, suámque miseriam alienam facit felicitatem. Excursus de Invido maledico.

194 *Scarabæus* rosæ emortuus insidens. Lemma *Turpibus exitium.* APODOSIS accedentes ad florem eucharisticum inquinati, ac culparum sordibus deturpati exitium sibi parant, mortémque accelerant, quia si cibus Eucharisticus probis est vita, mors est improbis, unde canit ecclesia. Sumunt boni, sumunt mali forte tamen inæquali, vitæ, vel interitus; mors est malis vita bonis, vide paris sumptionis quàm sit dispar exitus. Excursus de communicantibus indignè. Ea est Scarabæi indoles, ut fœtoribus, ac sordibus delectetur, ex quibus propriam trahit originem; odorum verò suavitate exanimetur, ac pereat; ideóque rosis insidentes Scarabæi dicuntur torpescere, ac emori.

195 *Scarabæi* degentes in stercore, quo delectantur, nutriuntur, & vivunt, & in rosis moriuntur, ut refert Ælianus *lib. 4. cap.* 18. Lemma. *Sic pascitur obscœna voluptas.* APODOSIS. Venereis indulgentes voluptaribus perinde ac fœdissimi Scarabæi obscœnis delectantur, & in turpitudinibus triumphant, languent verò in honestis. De Scarabæis ait Plinius lib. 11. cap. 28. loquens de Insectis. Quibus pennarum tutelæ crusta supervenit, ut Scarabæis, quorum tenuior, ac fragiliórque penna. His negatus aculeus: sed in quodam genere eorum grandia cornua prælunga, bisulcis dentata forcipibus, in cacumine, cum libuit ad morsum coeuntibus, infantium etiam remedijs è cervice suspenduntur. Lucanos, vocat hos Nigidius. Aliud rursus eorum genus, qui è fimo ingentes pilas aversi pedibus volutant, parvósque in ijs contra frigus hyemis vermiculos fœtus sui nidulantur. Volitant alij magno cum murmure, ac mugitu. Alij focos, & prata crebris foraminibus excavant, nocturno stridore vocales. Lucent ignium modo noctu, laterum, & clunium colore lampyrides, nunc pennarum hiatu refulgentes, nunc verò compressu obumbratæ, non ante maturo pabulo, aut post desecta conspicuæ. Hactenus ille. Sunt & viri Principes, qui naturam induentes Scarabæi, non solùm fœdis delectantur voluptatibus, sed & stercoribus illiniri. Theolectius in Niceta air de Constantino Copronymo: tantopere fœdum, ac impurissimæ cujusque rei odore malo fertur delectatus, ut animalium brutorum stercoribus se illiniret, & eos, qui cum illo erant, id facere juberet, quos amabat, ob idque benignè aspiciabat, quod rebus malè olentibus semper delectarentur. Idque asserit etiam Thaphones, inquiens: Magiua maleficijs, & luxurijs, cruentisque sacrificijs, & caballinis stercoribus, urque luto delectatur.

Scorpius venenatæ caudæ aculeo lethale 196 vulnus infligit, de quo Plinius lib. 11. c. 25. semper cauda Scorpionis in ictu est, nullóque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni. Lemma. *Angit, quod tangit.* APODOSIS. Lingua calumniatoris perinde, ac cauda Scorpionis verba maledica, ut venenum fundit, quibus alienum inficit honorem, lædítque nomen. Hujus pestiferi veneni damna recenset Martialis lib. 7.

Quid non audebit perfida lingua loqui?
Te fingente nefas Pyladen odisset Orestes,
Thesea Pirithoi destituisset amor.
Tu siculos fratres, & majus nomen Atridas
Et Ledæ poteras dissociare genus.

Est Scorpius ex genere insectorum ani- 197 malculum corpore obrutundo figurā exhibenta ovi, octo habet pedes, unde octopes dictus, cauda est illi prolixa, pluribus munita vertebris, veluti distincta articulis, vertebrarum postrema reliquis est crassior, paulóque longior, quæque desinit in apicem, cui præfixus est aculeus; Caput habet exortum, ac proeminens: præter octo pedes, duo insunt illi crura, chelis, ac forcipibus solidis furcata, pedibus grandiora. Color ferè fulvus, ac subater. Plinius ex omnibus insectis solum scorpium asserit habere brachia, quæ juxta Aristotelem lib. 4. Histor. Animal. cap. 7. sunt bisulcis dentata forcipibus in cauda spiculum acuit in perniciem, ac exitium ejus sentientium ictus. Asserit Plinius lib. 11. c. 37. hunc scorpionis aculeum tenui esse perforarum fistula, è qua lethale effundit venenum; ea de causa censer aspidis, ac serpentium dentes re-

nui esse perforatos pellicula, qua disrupta venenum fundunt.

198 *Scorpius* quos aculeo icit per membra singula, lethaliter inficit: ita enim effusum virus humores corporis commovet, ut maligna putredine icti corripiantur, & symptomata veluti febrilia pariantur: modò siquidem æstuant, modò frigore torquentur, nunc videntur meliusculè se habere, & quasi convalescere; sed statim iterum virus recrudescit, consequitur sudor, horroris sensus, & tremor. Externæ corporis partes refrigescunt, inguina extolluntur, capilli eriguntur, pallórque membra devenustat Lemma. *Totum uno sufficit ictu.* APODOSIS. Lethalis noxa totum hominem avertit à summo Bono, omnésque animæ potentias inficit, corrumpit, ac valetudine destituit: hinc David post cognitam Bersabeam hac infirmitate correptus ajebat Psal. 6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea:* ægrotus erat David, qoia venenum peccati sentiebat intima quæque irrepere præcordia, ideoque ad medicum clamavit: cæcus erat, ad lucem properavit; imò mortuus vitæ inhiabat, seu ad summum Bonum cupiebat se convertere, à quo per peccatum se averterat: animæ languor peccatum est: onde dixit David, *sana animam meam, quia peccavi tibi.* Languor animæ nostræ est depravatæ concupiscentiæ inflammatio; febris nostra sunt æstus libidinis, quibus ad interitum vitæ, seu divinæ gratiæ ardemus. Ut sanemur opem cœlestis medici imploremus: quia ut scitè D. Augustinus homil. 12. *Sanat te DEUS, confitere tantùm vulnus tuum. Jaces sub manibus medici; patienter implora auxilium, fovet, urit, secat; æquanimiter tolera, tantùm noli attendere, nisi ut saneris; sanaberis autem, si ostendas te medico; non quia ille non videt, si tu te abscondas, sed ipsa confessio initium sanitatis est.* Sicut scorpius aculeo corporis membrum vulnerat, & per inflictum vulnus venenum intromittit, quò hominem interficit; ita libidine, vel alia delectatione carnali peccatum suum effundit virus, quo peccantem interficit.

199 *Scorpius* & Crocodilus lethali se inimicitiâ insequuntur, gemino quodam inter se odio flagrant, simulat alter alterum, cum intus irâ exardeant ambo, ac in mutua funera rapiantur, & ambo in eadem perimantur pugna, ut refert Ælianus lib. 11. c. 33. Lemma. *Sevas trux decet ira feras.* APODOSIS. Ira inflammari, odia fovere lethalia, cruentas inire pugnas brutorum est non hominum, quia ut Poëta cecinit

Pax homines, sæva, trux decet ira feras

Et Boëtius contra Monomachos ad singulare se provocantes certamen lib. 4. metro. 4. ait

Quid tantos juvat excitare motus
Et propria fatum sollicitare manu?
Si mortem petitis, propinquat ipsa
Sponte sua, volucres nec remoratur equos
Quos serpens, Leo, Tigris, Ursus, Aper
Dente petunt, iidem se tamen ense petunt.
An distant, quia dissidentque mores
Injustas acies, & fera bella movent,
Alternisque volunt perire telis?
Non est justa satis sævitiæ ratio.

Scorpius sub lapide latitans Lemma *Ubique latent insidiæ.* APODOSIS. Hostis tartareus quovis in loco nobis insidiatur, quia sicut communis fert parœmia sub omni lapide scorpius dormit, admonétque cavendum esse in quovis loco. Constat, scorpios solere sub saxis cubare, quæ, si quis tollat incautius, fit, ut ictûs volnus accipiat. Excursus de cautela, & vigilantia ne in insidias incidamus tartarei scorpiji attentis sub quovis lapide.

Scorpius teste Plinio lib. 11. c. 25. iis tantùm nocet, quibus sanguis inest, quæ sanguine carent illæsa eum tractant, ejúsque tangunt aculeum Lemma ex Ovidio. *Tutum carpit inanis iter.* APODOSIS. Dæmon viris improbis omni virtutis censu destitutis non insidiatur, sed probis, quibus succus est virtutis, & sanguis vitalis bonorum operum, ac meritorum; perinde ac latrones in sylvis bene nummata marsupia tantùm appetunt, & pecuniis onustos aggrediuntur, non pannosos mendicos quovis ære destitutos: & in mari Pyratæ onustas pretiosis mercibus insequuntur naves, quas expilent. Quadrat etiam invidis, qui livorem suum acuunt in eos, quos vel virtus commendat, vel dignitas insignit, vel divitiæ felicitant. Excursus de Invidia. 200

Scytalę serpens tanto tergi splendet fulgore, ac colorum venustatur varietate, ut quos pigro gressu comprehendere non potest in admirationem rapiat, suíque miraculo stupentes assequitur, suóque veneno inficit Lemma *Allicit, ut perimat.* APODOSIS. Lasciva præsertim voluptas omnium malorum esca, variis blanditiis allicit, quos perimit, est enim voluptas variegata bellua, quæ sui amoris perditos veluti stupidos irretit, ut perdat, ut cecinit ille 201

Simplicitate rudes ad se Lasciva voluptas
Allicit, atque homines ut Scytale perimit.

Scytale ab aliorum anguium recedens forma, dum cæteri ex crassiori corpulentia semper in caudam tenuem desinunt; Scytale formam corporis teretem, utrinque ita æqualem habet, ac crassam, ut vix caudæ fastigium à capite secernatur, qua de ea ısa similis dicitur amphisbænæ. Scytale tamen tanta præfulget tergi varietate, ut ejus variegatam intuentes venustatem reddat stupidos, ac remoretur, donec eos assequatur, suóque perimat veneno. Voluptas præsertim venerea, ita allicit, dementat, ut quos afficit, interimat, seu avertat à summo Bono, ac destituat divina gratia, quâ DEO vivimos. Excursus voluptas luxuriosa noxia. 202

Seps, vel *Sepa* serpens Hemorrhao persimilis obliquè incedens capite amplo, ore acuto cauda brevi, notisque albis toto maculatus corpore. Armatur hic serpens quatuor recurvis dentibus: & quem morsu petit, veneno inficit, ac perimit. Referente Avicena apud Aldrovandum histor. serp. & Draco. lib. 1. morsum 203

fum hujus serpentis apostema acerbissimo junctum dolori concomitatur; deinde capillorum defluvium, ac putrefactio totius corporis sequitur. Lemma. *Tabem morsibus infert* desumptum ex Rensnero in Paradiso Poëtico, ubi de Sepe cecinit

Grande caput, brevior, dum currit, cauda videtur Sepedonis, tabem morsibus ille facit.

204 APODOSIS. Lingua maledica verba proferens detractoria, veluti exitiale spargit venenum, quo innocentia alterius perimitur, nominis claritas obscuratur, ac fama perit: quia ut scitè D. Bernardus. Levis quidem sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat; leviter transit, sed graviter urit: leviter penetrat animum, sed non leviter exit: leviter profertur, sed non leviter revocatur: facilè volat, & charitatem facilè violat. Excursus. De lingua maledica calumniatrice effutiente convicia convivarum vino madentium.

205 *Stellio*, ut refert Theophrastus, senectutem simulat, membranam exuit hybernam, quam vorat, absumitque ob invidiam, qua laborat in homines, sciens ab ijsdem suam cuticulam quæri, plurimique fieri contra morbos comitiales, ad quos depellendos valet. Lemma. *Ne alijs prosit.* APODOSIS. Invidus aliena commoda ægrè ferens, quidquid alijs prodesse posse cognoscit, etiam eum proprio detrimento corrumpit, ne alijs, quibus invidet, sit commodo. Sunt, qui censent Stelliones dici, eò quia stellis notentur: sed Verrius apud Festum censet suam sortiri nomenclationem, quia cibo vivus stillet. Tertullianus de cibis Judæorum ait: quis stellij suem (intellige, comedit) sed maculas execratur, prædam de aliena morte quærentes. De Stellionibus Plinius lib. 11. cap. 86. ait Chamaleonum stelliones, quodammodo naturam habent, rore tantum viventes præterque araneis. Similis cicadis vita: quarum duo genera: minores quæ primæ præveniunt, & novissimè pereunt: sunt autem mutæ. Sequens est volatu vana: quæ canunt vocantur achætæ, & quæ minores ex eis tettigoniæ: sed illæ magis canoræ. Mares canunt in utroque genere: fœminæ silent.

206 *Thamur*, cujus sanguine Salomon lapides secuit, quos templo construendo destinaverat. Lemma. *Ex vulnere salus.* APODOSIS. Sanguis JESU Christi duritiem lapidei nostri cordis emollivit, ac secuit, quo templum æternæ nostræ salutis construeretur. Excursus de merito, ac pretio Dominicæ passionis; ac redemptione humani generis. Thamur, ut refert Vincentius Belluacensis Nat. Histor. *lib. 20. c. 178.* Vermis dicitur Salomonis. Quia cum marmor Parium ad ædificationem templi è remotis partibus convehi præcepisset: conscius prohibitionis legis, quæ vetuit altaris ædificandi lapides ferro incidi, quæsivit experimentum in vermibus, quod ars humana nescivit. Pullum struthionis vitreo vase reclusit, quem cum videret struthio, nec posset habere, solitudinem adivit, loca varia lustravit, reversus vermiculum tulit, cujus sanguine vitrum fregit, ac diffugit, sicque fætum eripuit: quod videns Salomon, ejusdem vermis sanguine usus est in durioribus incidendis lapidibus.

Thermutis aspidis genus viris probis eblanditur, quibus est solatio; improbis verò est nocumento, quibus & pro delictorum meritis necem infert. Lemma. *Bona probis, mala pravis.* APODOSIS. Justitia sicut cultores virtutum præmijs cumulat, ita vitijs indulgentes severè punit. Ægyptij Thermutem summa colunt religione, eaque Isidis simulachra veluti regio quodam diademate coronant: eandem in hominum perniciem natam esse negant. Viris probis esse solatio, impijs verò necem adferre. Excursus de Justitia. 207

Tinea vermiculis vestes, chartas, libros que corrodens. Lemma. *Nec mihi, nec alijs.* APODOSIS. Invidus, quæ commodo esse possent alijs, destruit, ne ijsdem prosint, quibus ex invidis nullum vult bonum. Tinea ut placet Isidoro, à tenendo dicitur, eò quia vestimentis, ac libris firmiter hæreat. Censet Plinius ex pulvere in lævis, vel libris tineas procreari, & quia jugi laborat siti humorem omnem absorbet, & aviditatem ampliat, ut putat Aristoteles. Cæterum quia vestes erodit, symbolum est invidiæ, quæ ornamenta non solùm corporis, sed & animi, seu alienas virtutes dente invido dilacerat. 208

EXCURSUS

An bruta animalia præsertim Hirundines in construendis nidis, Lusciniæ in cantu, Apes, & Formicæ in formandis suis domicilijs, Bombyces in serico tornando ovo, sericis suis nendis filis; & aranei in textura retis ad muscarum aucupium, & capturam, operentur ex arte.

Tanto ingenio, & artificio hæc animalcula sua meliuntur opera, tanta industria ad optatos perducunt fines, & ea adhibent opportuna, media, ut nonnisi ex artis regulis videantur agere præsertim apes in suis construendis alvearibus, formicæ in excavandis suis myrmecijs; hirundines, & alcyones in suis formandis nidis, aranei in telis texendis: ait Ælianus *lib. 6. cap. 43* Ægyptias fossas, & Creticos labyrinthos Historici literarum monumentis celebrant, versibusque Poëtarum ratio decantat: verùm fossiones, quas formicæ efficiunt, varia diverticula, flexiones, anfractus, nondum sciunt: enim verò admirabili prorsus sapientia subterraneas suas ædificatiunculas tortuosissimè construunt, ut vel difficilem aditum, vel omnino invium sibi molientibus insidias objiciant: terram quam effodiunt pro foraminibus aggerant, & tanquam muros quosdam, ac propugnacula circumjiciunt, ne ex cœlo aqua pluvia defluens, ipsas funditus alluvione perdat: intermedia item sepimenta, eavernas alias ab alijs secernen- 209

do solertissimè machinantur; atque ut de splendidis hominum ædificijs fieri solet, domum suam triplici regione, ac forma circumscribunt; alterum enim in ea locum Andronem (in quo scilicet mares, junctæque eis fœminæ habitent) ædificant; Alterum Gynæceum nuncupatum, ubi fœminæ pariunt, résque suas moliuntur. Alterum granorum destinant acervis, quum tamen ab Ichomaco, & Socrate, rei œconomicæ magistris nil tale unquam didicerint: hactenus Ælianus, cui consonant, quæ Simon Majolus testis oculatus narrat, ait ipse *dier. Canic. colloq. 5.* Jnambulabam aliquando summo manè Julio mense extra Apuliæ oppidum, cui nomen à S. Bartholomæo, comperíque quadratam trabem longam pedes octo, cúmque animadvertissem sub ea formicarum esse domicilium, jussi famulos, qui mecum erant, ea submovere levitate, ut nulla fieret turbatio, neque ulla terræ motio: apparuit tunc in argilosa humo Urbs quædam quadrangularis longa pedes fere quatuor, lata ultra pedem, in qua per vias, perinde ac ad negotia ultro, citróque cursitare, velut cives ipsæ formicæ visebantur: admiranda erat angulorum, laterúmque directa delineatio, quam artificum amussi, circinnóque fabrefactam putâsses; æqualis enim dimensio longitudinis, & latitudinis semper servabatur: urbis longitudinem media secabat via quædam directissima profunditate, & latitudine digitali, quam rursum per transversum æqualibus inter se spatijs tres aliæ viæ eadem digitali profunditate, ac latitudine directissimè intersecabant; ut ita tria compita, aut fora spectarentur: in extremis viarum angulis, velut angiportibus spectabamus collecta in acervos servari ova, unde formicarum proles gignitur; altera urbis parte antra vidimus frumento ita oppleta, ut in vias ipsas redundaret: mira fuit omnium viarum munditiès, nihil in illis lapillorum, nihil festucarum, humorum nihil, ut deprehendas urbem illam à suis civibus ita curatam, ut prolis eximium studium, annonæ & structurarum ornatus ubique spectaretur; quin cives illi omnes communi studio ad reipublicæ beneficia incumbentes. dum alij de rebus consulunt; alij foris res agunt, summa pace, concordiáque curandam rempublicam docebant. Studuisse quoque ijdem cives visi sunt omnium incolarum incolumitati; erat enim in urbis longitudinis medio unica porta zephyro objecta; eò quia ab aquilone, Euro, & Austro immunem urbem suâ Philosophiâ oportere esse didicissent. Res illas omnes spectabamus, curiosè admirabamur industriam, eximiè operantem omnis in obscuris, cæcísque tenebris, memoriáque dignum censuimus, quòd in plano pro opportunitate loci eam urbem formicæ condidissent, haud dubiè alibi inter saxa, locáque inæqualia pari industria urbes suas consultò eas ædificaturas judicabamus; neque adeò admirati sumus Neapolim, quam homo rationis compos condidisset, sicut eam urbem suspeximus, quam rationis expers animal tam politè, concinnè, & ornatè construxisset. Hactenus Majolus de urbe formicarum.

210 Hinc non dubitârim suam formicas constituere rempublicam, instituere negotia, inire societates, ac omnes unicè bonum commune promovere juxta æternas naturæ leges sibi à natura præscriptas, quas transgredi piaculum foret: officia propterea, & labores inter se dividunt; & ne continuus in quotidianis operibus labor distractionem afferat amicitiarum, & socialis vitæ commercia imminuat, certis diebus nundinas exercent, quas & jucunda celebrant mansuetudine, absque tumultu, sine jurgijs. Omnes tunc unà conveniunt, amicis salutationibus se honorant, simúlque colloquuntur per signa interna animi sensa exterius manifestantia, nundinis peractis recipiunt se se in proprijs domunculis, quas plurimis mæandris flexuosas in varios solent usus construere, perque noctem totam, præsertim illunem, quadam quasi tristitiâ affectæ in ijsdem se detinent; cùm primùm diluculum apparet, diésque illucet, si cœli facies serena arriserit, otij impatientes ad propria obeunda munera se accingunt; totúsque formicarum exercitus, suis veluti è castris foras exit, ac rura proxima pabulatur: tametsi unus sit omnium ardor, una mens, unáque solicitudo, diversa tamen, ac distincta obeunt officia: aliæ enim reperta grana, si æstiva fuerit tempestas, & messis peracta, per angustos calles, vel humeris obnixæ, vel pedibus aversæ magna corporis contentione convectant, ferúntque nigricantes bajulæ onera, interdum corpusculis duplò majora, nec sub ingenti fasce succumbunt. Aliæ venientibus obviantes illis adgratulantur ob repertum obsonium. Aliæ continuis morsibus humum rodunt, ac egerunt, aliæ constructis aggeribus meatus excludunt aquarum, ne earundem fluxu quidquam inferatur domunculis damni: aliæ delata ab alijs grana dente corrodunt, ac veluti forcipe dividunt, ne subeunte humido in herbam germinent; aliæ fruges madidas foras ad auram sicciorem asportant exsiccandas, ac placidè in sole apricantur; ad frugum custodiam, & exsiccatas iterum recondendas; omnes sunt laboriosæ, nullæ desidiosæ; omnes boni communis promotrices, nullæ privati emolumenti solicitæ.

211 Indicæ verò formicæ sicut Europæis corpore grandiores, ita viribus sunt valentiores, propterea videantur ad conflictum natæ, & ad prælium semper paratæ alis instructæ, ut celerius hostes assequantur, armis munitæ, ut vulnera infligant, sanguinem fundant. Degunt hujus generis formicæ apud Indos septemtrionales, qui Dardæ vulgò dicuntur, auri non minus appetentes, quàm frugum cupientes. Hieme cum æstivis laboribus sunt liberæ, intimiora terræ viscera penetrant, aurifodinas adeunt, impenso labore aurum egerunt, quod in minuta partium ramenta in proprias bajulant cavernas. Sed plerumq; Indi hujusmodi auri receptacula quærentes, divitias à formicis pluribus aggeratas laboribus, partas sudore surripiunt stato tempore

cum

cum formicæ in arvis pabulantur, quæ cum noverint surreptas sibi opes acervatim coagregantur, irâ inflammantur, prædones invadunt, dente mordent, cruentántque, acritérque decertant; quòd si jam aufugerint suis cum pernicibus camelis, volatu celeriore eos assequuntur, & cruenta laceratione vultum, manus, brachia, pedes & reliqua, si quæ sunt corporis nudata membra dente mordent, dilacerant iratæ, pœnas exigentes de furti patratione.

212 Apes etiam in suis construendis alvearijs mira videntur arte uti. In alveo siquidem mellario plures constituunt ipsæ cellas non cæmento, vel luto coagmentatas, sed munda, eaque pura cera ædificatas, senia omnes singulis, ordine præclaro dispositas, atque ad certam dimensas, ac divisas normam, ita distribuunt, ut collectum è florum sinu dulcissimas mellis opes valeant commode collocare, ac asservare: divagatæ enim apes per ridentia prata, virentes sylvas, fragrantes flores, arboresque luxuriantes duo potissimum colligunt, quæ secum in alvearium adferunt, quorum uno veluti tectorio parietes interiores alvei illinunt, proque fundamento, cui totum innitatur mellificium utuntur; eóque cellas fulciunt, firmant, ac stabiliunt; estque propterea materia tenax visco similis, ceræ perquam affinis, ex arborum gummis, lacrymisque ramorum potissimum collecta. Altero quod delibant e floribus, vel potius e sinu, mammisque florum exsugunt, utuntur veluti lacte dulcissimo, quo nutriuntur. Apes enim veluti exosculantes florum sinus succum sugunt subtilissimum, dulcissimum, ac saluberrimum, non Deorum nectar, ut nugantur Poëtæ, neque cœli, syderúmque sudorem, ut somniarunt alij, sed dulcissimum mel, quod ad propria deferunt alvearia, proprijs recondunt, servantque in cellis ut poëta canit. *Ac liquido distendunt nectare cellas.* De Apibus Plinius *lib. 11. natur. hist. c. 5. & 10.* Favos confingunt, & ceras. Illæ ad usus vitæ laborem tolerant, opera conficiunt, rempublicam habent, consilia privatim, ac duces gregatim; & quod maximè mirum est mores habent. Hyeme conduntur. Unde enim ad pruinas, nivésque, & aquilonum flatus perferendos, vires? sanè & insecta omnia circa apes, aut temporum, locorúmque ratio mutata est, aut erraverunt priores, redeunte vere veluti è somno expergefactæ surgunt, & excusso otio operationi dant initium. Ratio operis hæc est. Cum primum mane dies illucescere incipit, una quæ excubias egerat cæteras excitat gemino vel triplici bombo, ut buccino aliquo; & tunc universæ provolant, si dies mitis futurus sit. Prædivinant enim ventos, & imbres, qui si imminent in proprijs se continent cellulis: sin verò cœli temperies arrideat; tunc turmatim exeunt; & aliæ flores aggerunt pedibus; aliæ aquam ore, guttásque lanugine totius corporis; seniores intus in alveario operantur. Sunt enim intus officia divisa. Aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt, aliæ cibum comparant, ex eo, quod allatum est. Neque enim separatim vescuntur, ne inæqualitas operis, & cibi fiat, & temporis: ædificium struunt orsæ à concameratione alvei, textúmque vel usque ad summa tecta deducunt, limitibus binis circa singulos arcus, ut alijs intrent, alijs exeant.

Ea artis industria totum apes alvearium 213
intus construunt, ut Ælianus *lib. 1. c. 59.* non dubitet, apum ædificia insanis Darij substructionibus, nec non utriusque Cyri sumptuosissimis Regijs anteferre. Ait ipse Regum cellas eminentiori loco, nec non magna laxitate amplas ædificant, éasque sepimento tanquam muro quodam, ad majestatem Regiam tuendam circumvallant; ac ut ætate, & conditione triplices sunt, sic tripartita structura hexagonas suas cellulas distinguunt; quædam enim summa senectute affectæ, regiæ aulæ vicinæ proximæ tanquam satellites, & custodes sunt; post quas habitant natu minores, quæque annum non excesserunt; adolescentiores & ætate magis confirmatæ extimæ manent; adeout illæ ætate exacta custodes Regum sint: eæ autem, quæ ætatis firmitate robustiores existunt, tanquam murus quispiam natu minimas sepiunt.

Quod verò D. Basilio *in hexam.* videtur 214
mirabilius, est, omnes favorum ab ipsis constructas cellulas sexangulas esse, ac æqualia semper habere latera, ac si una esset, quæ Architectonices dimensiones, ac regulas cæteris impertiretur; ne in directum alternatim sibi incumbant (ne quid patiantur ima vacuis adaptata) sed ita, ut sexangulorum inferiorum anguli, & sedes, & fulcrum sint incumbentium, ac propterea securè supra se onera attollant, ac sustineant; nec non separatim in unaquaque cavitate humor contineatur: hæc omnia sine regula, ac circino, nec alio adminiculo, quàm proprio ore, nec alijs auxilijs quàm proprijs minutissimis pedibus, nec alijs instrumentis quàm proprijs membrulis, opus hocce moliuntur omnibus suis absolutum numeris. Cæterum apes non faciendi mellis scientiam habent, sed colligendi, ac portandi in alvearium & in opportunis distribuendi cereis cellulis mitescente aëre verno præsertim tempore: cum flores in pratis, hortisque luxuriant summo mane suis egressæ è cellulis arva pervolant, è floribus aliæ succum dulcissimum sugunt; aliæ guttas totius corporis aggerunt lanugine; illæ excipiunt, struunt illæ quicquid in floribus, ac frondibus repertum fuerat; non enim illud devorant, coquunt in stomacho nativo calore, sed servant, ac fideliter asportant in alvearium. Quomodo verò distribuant, & statis temporibus collectum edant, cotique communitati impertiatur dulce hoc obsonium, satisfacturus quispiam propriæ curiositati curavit vitreum fieri alvearium quod in suo posuit apiario; sed apes pellucidum hoc domicilium totum statim obduxerunt cera in superficie intima quo pacto non sine ingenio, omnes potuerunt sui opificij arbitrum arcere. Mundiriei adeo sunt etiam apes studiosæ, ut à quovis abhorreant, quo fœdari possint; non enim liguriunt in equo-

quod non solùm aviculis est domicilio nidus; sed etiam hominibus sapidissimum suppeditat obsonium, imò & pharmacum saluberrimum; si enim siccetur, proficua ægrotis est medicina; & bene valentibus cibus gratissimus, & apprimè in delicijs: imò arbitrantur Tunquinenses magnates, non posse sympofium lautum esse, si hujus nidi careat condimento; adeout totum Tunquentium rusticorum negotium, & labor sit, hujusmodi nidos conquirere, quod agunt non sine ingenti quæstu.

217 Admirandis, quæ in formicarum, apum, ac volucrum ædificijs splendent, araneorum accedunt telæ, quas ut miro intextas artificio commendat Seneca *Epist. 122.* ubi ait. *Non vides quàm nulli mortalium imitabilis sit illa araneæ textura? quanti operis sit fila disponere alia in rectum immissa firmamenti loco; alia in orbem currentia, ex dorso rara, quæ minora animalia, in quorum perniciem illa tenduntur, velut retibus implicata teneant?* Domus angulos, vel suprema laquearia, si qua in ipsis adsit scabrities quærunt aranei, locántque veluti officinas textorias, in quibus sua texere valeant retia muscis capiendis opportuna; & quia materies nendis filis perapta illis non suppeditatur, se ipsos exenterant, viscera profundunt; ne tanto priventur aucupio, quo unicè delectantur. Præcordia expuentes fila nent, quibus innixus araneus, è supremo domus fornice in imum descendit pavimentum, iterumque inscendit, imò & per aëra volitat, huc illucque reciproco meatu discurrens. Cum verò suum inchoat rete texere ait Plinius tanti operis materiæ uterus ipsius sufficit; sive ita corrupta alvi natura stato tempore (ut Democrito placet) sive est intus quædam lanigera fertilitas, tam moderato ungue, tam teriti filo, & tam æquali diducit stamina ipso se pondere usus. Texere autem à medio incipit circinato orbe subtegmina adnectens, maculásque paribus semper intervallis, sed subinde crescentibus, ex angusto dilatans indissolubili nodo implicat. Quanta arte celat pedicas scutulato reti grassantes? quàm non ad hoc videtur pertinere cribrata pexitas telæ, & quàdam politurá arttis ipsa per se tenax ratio tramæ? Quàm laxi ad flatus non ad respuenda quæ veniant, sinus? derelicta præteuti summa parte præcipitatur in sinum? specus ipse, quà concameratur architectura? & contra frigora quanto villosior? quàm remotus à medio, aliudque agenti similis; inclusus verò sic, ut sit, necne intentus aliquis cerni non possit. Age firmitas quanta irrumpentibus ventis, qua pulverum mole degravante? Latitudo telæ inter duas arbores eum exercet artem & discit texere; longitudo fili à culmine, ac rursus à terra per illud ipsum veluti reciprocatio: subitque pariter, ac fila deducit. Cum verò captura incidit, quàm vigilans, quàm paratus ad cursum? licèt extrema hæreat plaga semper in medium currit, quia sic maximè totum concutiendo implicat. Scissa protinus reficit ad polituram sarciens. Hactenus Plinius, & ex parte Aristoteles.

Quòd si textoriam artem callet araneus, educto de visceribus stamine, contexens telam, quâ nulla ab homine intexta subtilior: nec una de causa ait Plutarchus *lib. de solertia animalium*, nam & filis mira subtilitas; & textura non sejuncta, aut staminis in morem divulsa, sed continens tenuis in morem membranæ, & quodam glucinato humore obscurè admixto mirum in modum conserta; tum color aëream, & caliginosam reddens superficiem fallendis muscis, quibus inhiat peropportunus. 218 Nec solam texendi rationem norunt aranei, sed etiam resarciendi, ac instaurandi dirupta stamina excellunt arte; scissum enim rete ea instaurant solertia, resarciunt diligentia; ut nullum appareat scissuræ vestigium. Hanc eamdem textoriam callent bombyces, nisi quòd vilem dedignantes texendi materiam, aliam adhibent longè nobiliorem, sericam scilicet principibus vestiendis peraptam, fœminisque prænobilibus ornandis. Bombyx ex Erucarum genere vermiculus est, corpore exilis, ac tenerrimus, è semine genitus papilionis ab Indijs in Europam advectus, mori folijs bene pastus, & oppletus: in Regionibus calidioribus dicitur in arboribus aperto sub dio sua nere fila, sua deducere stamina; sed in Europa sub tectis in defractos ex arboribus ramos ascendit, ibique aranei more per os evomens ex alvo disteniia pastu, & quasi nendo filum ducens tenuissimum, ac firmissimum aurei coloris artificiosissimè intra paucos dies sibi texit, ac construit thalamum simul & tumulum, domum, & carcerem; nescio tamen an satius dixerim nidum: siquidem ovo similem domum inhabitat, magnitudine parem, sed materia pretiosiorem, ubi pascitur uberius: opere absoluto, se volubili hoc in nido involuit, atque includit, ubi veluti mortuus ac sepultus jacet; sed post menses aliquot redivivus surgit non amplius repens vermis, sed volitans per aëra aliger suis instructus alis phœnicem æmulatus, thalamum invenit in tumulo. De Bombyce ait Plinius *Histor. nat. lib. 11. c. 23.* Bombyces in Co Insula nasci tradunt, cupressi, terebinthi, fraxini, quercus florem imbribus decussum terræ halitu animante. Fieri autem primò papyliones parvos, nodósque, mox frigoris impatientia villis inhorrescere, & adversum hyamem tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radentes foliorum lanugicem in vellera. Hanc ab his cogi, subigique unguium carminatione, mox trahi inter ramos, tenuari veluti pectine. Postea apprehensam corpori in volui nido volubili. Tum ab homine tolli, fictilibúsque vasis tepore, & furfurum esca nuttiri; atque ita subnasci sui generis plumas; quibus vestitos ad alia pensa dimitti. Quæ verò cœpta sint lanificia humore lentescere mox in fila tenuari junceo fuso. Hæc Plinius. In Italia verò Bombycibus fœminarum sinus est auspicium vitæ, foventur muliebri amplexu, irretiuntúrque fœminarum illecebris antequam nascantur; qui nati fila ducunt, quibus fœminæ si ornantur corpore, illaqueantur animo, si non curis serica servandi ornamenta,

ta, saltem desiderio eadem habendi, séque ornandi.

219 De Bombyce eruditè Aristoteles *lib. 5, Histor. animal. cap. 19.* apud Caussinum. Animal vobis hac in Tabula depictum dedimus sine carne, sine sanguine, absque ossibus, venis, arteriis nervis, intestinis, oculis, auribus, pilis, squamis, spinis: quid hoc monstri est? ne vos diu morer Bombyx est; bombyx inquam laboriosus opifex nendis regum vestibus natus. O naturæ audacis opus! quis non miretur, quis non obstupescat; ex tenui semine primùm nascitur vermiculus, tam minutus, & exiguus, ut vel ipsam fugiat aciem oculorum; verùm sensim sine sensu incrementa subjiens gramdescit in erucam; & ex eruca fit bombyx divinus veluti artifex, qui puro elegantique domicilio exceptus hospes, & albæ mori pastus frondibus per genistarum scabritiem repit, incipitque nere fila diducens ex proprijs visceribus, quæ nendi materiem suppeditant. Mox de proprio solicitus domicilio, hoc incipit sibi construere, & quidem pretiosum, quia sericum ad aureum vergens colorem; quo nec Castor, & Pollux, nec eorum Soror Helena pretiosiore videantur excepti. Itaque nec Porphyrogenitis invidet, nec ijs Regum pusionibus, quos aiunt, collucentes margaritis urnas habuisse. In hac serica domuncula delitescit bombylius, quasi puellus in matris utero conſixus; & artes meditatur admirandas. Absoluto demum sericio post 40. dies ex bombyce (mirum dictu) nascitur Papilio cornutus vermis, & quatuor alis pennatus, quem exesis aurei carceris parietibus emicare cernimus in aëre: ex hoc necydalo verminum progenerantur semina; quibus nova subinde animalculorum soboles affluit. Nunc singulas ænigmatis partes relego tam claras, ut penè radio solis scriptæ videantur. Pro Bombyce puerum depinximus, quid mirum? Bombyx vulgo *ser, vel zir* teste Servio nominatur. At hoc nomen, & hominem, & bombycem significat, quia ex Seribus populis factos bombyces mularum filij putant. Alij autem hi pueri sunt minusculi, alij gramdiores, alius dormit, alius volat, quid hoc rei est? quatuor sunt hic Seris metamorphoses, priùs à me significatæ: tenelli ac nudi pusiones indicant minusculos vermes, qui primùm nascuntur ex papilionis semine: gramdiores, & villosi sunt erucæ. Qui verò molliter quiescit inter delicias, & rivulos aureos instar filorum depromit ex ore, bombyx est serici opifex; Qui pennatus tenet sublime Papilio seu Necydalus est ex ovato emersus domicilio. Rem tenetis, causas, & effecta cognoscite. Nascuntur Bombyces varijs modis ex semine, ex arboribus, ex Tauro, sine Necydali semine; súntque tunc adeo tenues, & exiles Bombyles ut puncta dixeris insectilia, oculósque fugientia, sed veluti obstetricante solis tepore, vel calore in muliebri sinu perinde ac gallinæ incubatu excluduntur, summa cura nutriuntur mori tenellis frondibus, donec adolescant, séque exenterent, osant, materiemque suppeditent sericis texendis vestibus aptam. O cæci mortales quid agitis? parum est ex marinis fluctibus, ac procellis vetitum piscari, parum ex discoloribus volucrum plumis membra tegere; parum ex ovium velleribus subtilia nere fila, & pannos texere; parum ex florum depexa lanugine integumenta struere; etiam ignobilium, ac nauseam moventium vermium viscera per studiosam luxuriam eraditis, quò adscititio cultu ornatiores fulgeatis; vestri desertores animalium prædones, in hac vitæ scena omnium actores flagitiorum, certe vos natura non recipit nisi nudos; Deus nonnisi vilissimis pelubus texit, ut solent, qui ad metalla damnantur. Vos vitæ dati, laboribus nati, metallo, & fodinis mancipati, vestium delicias quæritis; eásque à vermium, vel excrementis, vel corruptis visceribus exigitis. Parum fuit his vestibus fœminas in publico nudari, nisi & viros effœminassent, Vicit Medicam gentem Alexander victus est à Medica veste; tanti est hæc cicatrix peccati probrosa nuditas, ut nisi auro, & serico obducatur, propriam non valeat ignominiam obtegere. Nulla in homine vestis ornatior excussa ab eodem virtute; quæ omnem tegit probrositatem.

Non solùm nendi artem Aranei, & Bombyces homines edocuerunt, ut & Architecturam hirundines, ædificandi apes, & formicæ; verùm etiam Piscatoriam dixeris callere vulpem, & Ranam. Vulpes siquidem cancros expiscatura teste Æliano *lib. 6. cap. 24.* fluviosum, lacúmque crepidini caudam immergit aquis ac si ipsa ad ripam dormiret, vel jaceret extincta, quam ubi à cancris, vel etiam alijs pisciculis admorderi senserit; illicò villosum hamum retrahit, caudámque una cum cancris, vel piscibus Euro citius in siccum ducit, séque capta reficit esca. Rana itidem Marina, ut refert Plinius *lib. 9. hist. natur. cap. 42.* eminentia sub oculis cornicula turbato limo exerit, quæ cum escæ speciem præseferant facilè à piscibus cibo inhiantibus vorantur, sed capiuntur ipsi; nam rana propiùs ad se accedentes devorat; simili astu squatina, & Rhombus teste Plinio *loc. cit.* utuntur dum minores expiscaturi pisces ipsi marina se alga abdunt, & exertas pinnas instar vermiculorum commovent, quò speciem escæ esurientibus ostendant pisciculis, quî ad fatalem accedentes illecebram, non vitæ subsidia, sed mortis inveniunt casses. Venatoriam itidem artem callere canes, quos venaticos dicimus, perspicuum est, neque enim vis, nec ingenium illis deest ad venandum, eum mira solicitudine, ac improbo labore per viarum mæandros feram insequantur, neque cessant donec assequantur. Aucupatoriam etiam falcones cum Ardeas insequuntur, & accipitres minoribus avibus insidiantes non sine principum spectantium voluptate exercent. 220

Præ cæteris animantibus Aucupatoriam videtur Araneus callere, & in aucupijs parandis, & exercendis excellere; siquidem Venatorum, seu Aucupum more rete explicat fallendis, ac irretiendis muscis peraptum, rete explicato firmatóque in loco, per quem frequentiùs 221

tibus muscæ volitant, recedit araneus eucepe in carcem letebram, quam sibi in loco à rete distincto concamerat; perinde ac eucupes aviculas retibus capturi solent in insidijs occultà delitescere. Ubi verò musca volatu oberrans in Aranei rete impingit, nesciens se à rete illo extricare, statim auceps araneus erectus in pedes citatissimo curlu exilit è latebra, & in captam, implicitámque prædam insilit: captam muscam glomere ex lanigera alvo depromptо, ne volare possit, & clebi involuit, filóque multiplici circumligat; involutam interficit, interfectam in specum defert reconditorium, quam ubi fames stimulaverit depascatur. Qui verò ex araneis in medio aëre duas inter plantas suum explicant rete, quia latebra nimis distaret, nec possent eucupee tam cito in prædam insilire ob dissitum à specu spatium; tunc araneus meditullium occupat sui retis, immobilis ac veluti emortuus manet, donec musca in casses incidat, tunc surgens araneus ad prædam accurrit, quem filis obvolutam ne elabatur, & defatigetam, ne impetum faciat secum deferi, eámque depascitur, mira arte proprijs consulens indigentije. Imò non solùm Aranei artem calient aucupatoriam, sed etiam apes Geometriem; ait Ælianus *lib. 5. cap. 15.* Geometricam figurarum pulchritudinem, sexangulas cellas, & sex laterum æqualium: & hes Angulorum cellas sine regulis, sine circino Apes conficiunt. Eandem caller araneus. Non modo texendi solertiam aranei præclarè tenent, ac solertissimæ Minervæ lanificij illa Prætes, ac solertissima Dea tereti manuum ministerio, & tenui valent, sed à natura etiam sunt ed Geometriam eruditi; nam & centrum servant, & quasi circino circumducunt, & circumscriptionem exactè fuunt; neque interim Euclide egent Geometricis rationibus erudito.

236 Quòd si minuta insecta excellentiores hominum videntur artes exercere: etiam aves ne illis cedant, imo ut ertis præstantia iiedem entereliant Musicam callens, quam miro concentu ad aures demulcendas, animósque quadem perfundendos suavitate verio depromunt modulamine; cantum enim edunt, ad musicæ scientiam apprime concinnatum; pervulis licet faucibus omnia imitantur, quæ tot exquisitis summo ingenio atque industria instrumentis ars hominum excogitevit. Præ cæteris id præstat Luscinia, de qua Kircherus *Tom. 1. Musurg. lib. 1. cap. 14. §. 4. & 5.* ait. *Philomela, cui animalculo in relaxationem humanæ mentis destinato admirabilis Dei providentia tam altum musicæ gradum concessit, ut non solùm in formandis clausulis celeritate omnem organorum artem superet; sed & ingenio omnium Musicorum industriam eludat: hac enim non tantùm diatonicam; sed & Chromaticam, & enharmonicam cantandi rationem mira quadam ratione ita affectat, ut nullum instrumentum gradus Chromatico-enharmonicos exactiùs, ac luscinia gutture suo exhibeat.*

237 Quamvis exiguo sint lusciniæ corpore prægrandem tamen angustiis in faucibus includunt spiritum, qui vocis pertinacia, ac perfectæ musicæ scientia jucunde quedam suavitate eures implet, & animos perfundit audientium. Ait Plinius *Histor. nat. lib. 10. cap. 29.* Luscinijs diebus, ac noctibus continuis XV garrulus sine intermissu cantus, densante se frondium germine, protrahitur. Sed ubi tenta vox in tam parvulo corpusculo? ubi tam pertinax Spiritus. Deinde in una perfecta musicæ scientia modulatus editur sonus, nunc continuo spiritu trahitur in longum; nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur revocato, infuscatur inopinato; interdum, & secum ipsa obmurmurat; fitque sonus plenus, gravis, acutus, creber, extentus; ubi visum est vibrans, summus, medius, imus. Breviterque tam parvulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum instrumentis ars hominis excogitavit; ut non sit dubium, hanc suavitatem præmonstratam esse efficaci auspicio, cum in ore Stesichori cecinit infantis. Ac ne quis dubitet artis esse, plures singulis sunt cantus, nec iidem omnibus, sed sui cuique. Certant inter se, palámque animosa contentio est. Victæ morte finit sæpe vitam, spiritu prius deficiente, quam cantu. Imitantur aliæ juniores, sonósque addiscunt à provectis, quasi discipulæ è magistris, repetúntque quos didicerunt versus, tenus, & veluti voce submissa, neque à docente reprehendi recusant, sed si quid erratum est emendant. Hactenus paucis immutatis, vel additis Plinius.

Neque satis admirari valemus quomodo 238 in tam exiguo... cujusque corpusculo, tam grandis, tam suavis, tam jucunde vox inveniri possit. Verno enim tempore cum arbores se frondibus vestire incipiunt, & prata virescere, floribus horti ornari diebus imò, & noctibus totis absque ulla intermissione, sine ulla adjecta quiete dulcisonum continuat cantum, & quidem tam arguto concentu, tamque harmonica voce ad musicæ regulas, ut modulationem auribus gratissimam edet, quem modò in longum continuato spiritu protrahit, modò artificiola varietate inflectit, nunc conciso sono distinguit, nunc intorta voce conglomerat; mox iterum vocem revocat, & ex integra comprehensione cantum resumit, & modulos de repente commutat: nunc secum tacita, sed jucunda murmurat, & veluti submissa voce, quem altiori cantu harmoniam ediderat repetit. Neque ulla tam abstrusa est cantio tamque captu difficilis, quam Philomela non imitetur, non exprimat.

Musices studiosa est etiam merula, quæ 239 differentias omnes harmonicas cantu exprimit; quidquid enim reliquæ volucres phronasræ in exprimendis glottismis possunt; hoc inter cæteras aves cantu potest merula essequi, ac addiscere præsertim si à perito instruatur Præcantore: vix enim ullam cantionis genus indicaveris, licet abstrusum, quod merula non addiscet, ac exacte pronunciet, ut ne in minimo quidem semitonio erret, ut notat Kircherus in prædicata sua Musurgia; ubi adnit eandem Musicam facilè eddisei à quodam Americano quadrupede, à quo putat in Americanos

canos primùm musicam derivâsse; neque ab ullo alio, quàm à mirifici hujus animalis voce dixeris Musicam suam traxisse originem. Est animal incessu adeo segnis, ac tardus ut ab incolis *Pigritia* dicatur; est ore fœdo, & totius corporis magnitudine felem videtur æquare, ungulis ad digitorum similitudinem prominentibus; cui in occipitio coma est cervicem obtegens, lentóque ventris adipe humum verrit, neque unquam in pedes surgit, tardóque incessu ita graditur, ut per 15. dies vix ad dimium Italici milliatis progrediatur; rarò pascitur, neque quo cibo vescatur, sit exploratum: in arborum cacuminibus plerumque degit, quarum in ascensu biduum, triduumve impendit; & tantumdem in descensu insumit. Duplici armaturâ hocce animal natura provida præmunivit contra bestias, ac animalia inimica; primâ pedes armavit, quibus plurimum contulit roboris; etenim quodcunque apprehenderit pede animal, adeo fortiter illud detinet, ut nonampliùs valeat se ab ejus unguibus liberare; sed ob diuturnam detentionem adigatur fame perire. Altera hujus bestiæ armatura est, quia homines contra se insurgentes ita aspectu suo commovet, ut à molestijs eidem inferendis ob commiserationem abstineant: præter enim lacrymas, quas ex oculis emittit ita doloroso aspectu spectantes se ferit, ut facilè persuadeat, sollicitandum minimè esse, quod natura tam inerme, tamque miseræ corporis habitudini subjecit. Addit Kircherus perticam prælongam ejus suisse pedibus subjectam, quam adeo tenaciter apprehendit, ut minimè eam dimitteret amplius; & animal voluntaria suspensione hoc pacto ligatum intra duas trabes hæsisse suspensum per integros quadraginta dies, absque ullo esculento in stomachum demisso, sine ullo potu, sine somno defixis jugiter oculis in intuentes se, quos doloroso aspectu ita movit, ut vix nisi, qui sensu compassionis non tangeretur; tandem ab hoc diuturno suspendio liberato canem ei objecerunt, quem pedibus apprehensum adeo arctè integro quatriduo detinuit donec fame deficeret.

240 Quod a tinet ad vocem harmonicam, ait Kircherus, hanc non edere nisi noctu, eámque prorsus prodigiosam, siquidem interrupta duratione unius suspirij, seu semi-pausæ, voce; per sex graduum vulgaris illa intervalla, ascendendo Tirones prima Musicæ Elementa *ut re mi fa sol la la sol fa mi re ut* insonantes perfectè refert, adeout, cum primum Hispani ad oras illas appulerunt, & noctu vociferationem illam perceperunt, putaverint ab homine aliquo callente notas musicas, prodire, vocatúrque bestia hæc harmonica ab incolis *Haut* eò quia per singulos gradus intervalli sexties repetat *ha ha &c.* si plura de hac bestia exotica cupis, consule Kircherum loc. cit.

241 Ut autem prosequamur alia animalia quæ in Europa suas exercent artes, quis poſsident Experimur, Grues suam Rempublicam politicè dirigere, ac politicum regimen ipsas exercere; eâ enim prudentia, & solertia res suas administrant, ut natæ videantur ad Reipublicæ regimen, ut ait Aldrovandus *lib. 20. cap. 5.* Attem Medicam singulas dixeris animantes calle re, cum proprijs curandis ægritudinibus præsentissima adhibeant pharmaca. Canes enim inflicta sibi vulnera lingunt, & linguæ humore, linctúque sibi medentur; si stomacho laborant, herbam norunt, quæ sursum stomachum vertit. Capræ, si vulneribus sint confossæ ad suum statim currunt Dictamnum, cujus pastu (mitum dictu) lethiferas sagittas corpori infixas e sauciatis membris excutiunt. Asini si atra bile infestentur asplenon quærunt, inveatum avidè comedunt, splenisque tumorem minuunt, deléntque. Hirundines abstergendis pullorum cæcutientium caliginibus alio non utuntur collyrio, quàm sua chelidonia: ut & Cardueles Euphragiâ, sæpe enim visæ sunt horis matutinis (ut notat Gardanus) oculos Euphragiæ floribus adfricare. Viperæ itidem fœniculo cæcitatem excutiunt, & visum instaurant, oculósque mirè corroborant. Draco vernam nauseam lactucæ succo restinguit. Elephas si esculentum aliquod, vel poculentum veneno infectum demiserit in stomachum chamæleontem ingenti quærit solertiâ, quem cum devoraverit, venenum evomit, ac pristinæ restituitur incolumitati. Palumbes, Perdices, Graculi, & Merulæ lauri folio annuum fastidium purgant, humores melancolicos ejiciunt, & cor exhilarant. Columbæ, Turtures, & Gallinacei herba Helixine sanguinem purgant, & corporis vitia corrigunt. Anates, Anseres, & aliæ aquaticæ aves siderite proprijs medentur infirmitatibus. Grues junco marino, corvus infectus à chamæleonte lauro virus expuit. Busonea saliva contra hostes se armant, quos sputo prosternunt, interficiunt. Mustela pugnatura contra serpentem ruta se munit, hanc priùs comedit, ejúsque ramusculum ore defert, & hostem aggreditur, quem vel ad fugam adigit, vel solo rutæ prosternit, ac interficit odore. Ciconia si venenum una cum serpentibus, quibus insidiatur, devoraverit, Origanum comedit, ut præsentissimum alexipharmacum; & venena evomit.

Non solùm artes Mechanicas, & liberales callent bruta animantia, verùm etiam Astrologiam, ut Galli gallinacei, qui quasi vigiles excubiæ homines cantu monent quota sit noctis hora, ut ad operum exercitia surgant. Ait Plinius *lib. 10. cap. 21.* Galli nostri nocturni vigiles, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somno natura genuit, norunt sydera, & alternas distinguunt horas interdiu cantu; eum sole eunt cubitum, quartaque castrensi vigilia, seu exactis tribus noctis horis, & iterum jam jam adventante die ad curas, laborésque revocant, neque solis ortum incautis patiuntur obrepere, diémque venientem cantu nuntiant; ipsum verò cantum plausu laterum; cælúmque sola vo- 242 luctum aspicit crebrò. Hæc Plinius. Imò

Ælianus

Ælianos lib. 1. c. 22. etiam formicas asserit Astrologiæ non modicè peritas, eò quia corporum cœlestium, cursuom, ec recursuum videantur notitiam quamdam possidere; idque ex eo infert, quia frequenter cœlum suspiciunt, ventos, ac imbres præsentiunt; edeo ut tone se domi consultò contineant. Chymicam etiam callere apes arbitratur Ludovicus Granate *Tract. de creat. mund. cap. 20. ante finem.* ubi ait. *Quis Chymicam Artem hoc animal* (seu apem) *edocuit, ut substantiam in aliam substantiam tam diversam converteret? in unum conveniant, quotquot condiendi periti artifices reperiuntur, cum suis omnibus instrumentis, ac coctionibus, & flores in mel convertant!* & paulo ante dixerat. Notum est, quanta diligentia, quot instrumenta adhibenda sint, ut citratum, vel aliud hujusmodi condiamus: igne enim opus est, & coctione sæpius repetite, vasis, instrumentis ad id accommodatis, & artificibus in hac re peritis: at quæ instrumenta habet hoc enimal præter pedes, & tennissimum filum, & aculeum eadem tenuitate? quomodo tam tenuibus instrumentis sine igne, sine coctione hoc suavissimum condimentum, & hanc metamorphosim florum in mel suavissimum, nonnunquam fulvum, ut cera, nonnunquem elbum, ut nix conficiat; neque id in parva quantitate, ut à parvo animali sperandum; sed tanta, quanta suo tempore ex alveari extrahitur? Hactenus Ludovicus Granatensis.

Imò quas brute animalie artes callent,
243 exercentque, easdem sine invidia homines edocuerunt, qui discipuli apium, formicarum, bombycum, Gruum, & aliorum insectorum, volucrum, & quadrupedium didicerunt ædificie construere, nere, texere, pannósque confi cere; literas etiam ec regulas construendi, ducendique exercitum. Id homines docuerunt grues, de quibus Ulysses Aldrovandus *lib. 20. cap 5.* Grammaticis penurie litererum laborantibus Grues opitulatæ sunt; quando Palamedes tempore Troiani belli, ex earum volatu sibi literas finxit, easque prioribus à Cadmo, ut aiunt, è Phœnicis in Græciam allatis addidit: quippe Grues nonnisi instructa acie volantes, ita se vario tractu per aëra diffundunt, ut mutatis pro re nats ordinibus modò literem V. modo Y. modo A, modo aliam literam distincte efforment; húcque allusit Martialis *In Xen.* cum cecinit *Turbabis versus, & litera tota volabit,* & Claudian. l. 7.

Ingenti clamore Grues æstiva relinquunt,
Thracia; cum tepido permutant Strymona Nilo
Ordinibus varijs, per nubila texitur alis
Littera, pennarúmque notis inscribitur aër.

Non literas tantùm Grues docuerunt ho-
244 mines, sed etiam Polemicam, seu artem instruendi exercitum. Palamedes enim ut refert Aldrovendus eodem Troiani belli tempore præter præfatas literes a Gruibus descriptas, sibique indicatas, lusum itidem calculorum, seu latrunculorum; mensurarum, ac ponderum rationes, & suffragia. Imò didicerunt è Gruibus homines, præsertim in castris Strategi ordinem aciei, tesseras, vigiliásque militares. Observârunt enim Grues suum habere ducem, quem non solùm ordine literario ut loquitur S. Hieronymus *Ep. 4. ad Rustic.* sed etiam militari sequuntur, habent etiam suos Uragos, qui extremum agmen ducunt; suos Excubitores, qui tota nocte per vices excubias agunt; suos Tubicines, qui jugi clangore cæteras ed pugnam excitant; suos Taxiarchos, qui agmen cogunt, coactúmque in officio continent; hinc Grues per aëre agminatim volantes pro re nata, ordinem mutant, modo se in orbem colligunt, sibique adversantibus aquilis rostra objiciunt: modò in cuneum se colligunt, nunc agmen curvant in lunam, torquent in phalangem, mox aciem struunt quadratam, ut aptius ingruentibus hostibus se opponant. *Poliorceticam* seu urbium expugnationes per subterraneas præsertim suffossiones didicerunt qui castra sequuntur ab ipsis Cuniculis, à quibus referente Plinio *lib. 8. cap. 29.* merium, solóque æquatum fuit in Hispania oppidum. *Horographiam* qua anni tempora describuntur Cynocephalus homines edocuit; referunt Pierius *lib. 6.* Gesnerus *lit. c.* Mercurium Trismegistum advertisse, hoc animal circa utrúmque anni æquinoctium per horeria intervalla duodecies de die excrementa aquea profundere, totiesque in ingentem prorumpere ululatum; ac inde diem in duodecim partes, quas horas vocamus divisisse, ad quas postea indicandas, clepsydræ, quæ fusu aquæ, vel horologia sciatherica, quæ umbræ motu, vel etiam rotata, quæ horas signarent inventa fuerunt. Architectonicam docuerunt Hirundines, & veræ in nidis miro artificio construendis. Textoriam didicerunt homines ab araneis, ut censet Aldrovandus de Insectis *lib. 5. cap. 12.* inquiens. Non aliunde Textores, Linteones, Acupictores artes suas didicisse credas, seu contextûs perfectionem, & fili subtilitatem, seu telæ continuæ nodos, nexusque indissolubiles etiendas. Magister à quo artem *Nauticam* homines didicerunt fuit Piscis *Nautilus*, de quo ait Plinius *lib. 9. cap. 29.* Inter præcipua eutem miracula est piscis, cui nomen *Nautilus*, seu Pompilus: is supinus in summam maris superficiem ascendit, ubi ita se paulatim subrigit, ut emissâ omni per fistulam aquâ, velut exoneratus sentina facilius enaviget, citiusque marinos fluctus trajiciat, postea duo prima brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit, qua velificante in auras, cæterisque subremigans brachijs, media cenda, perinde ac gubernaculo se regit; ita vadit altô, Liburnicarum gaudens imagine, & si quid pavoris interveniat, haustâ se mergit equâ: ita paucis mutatis Plinius. Artem dirigendi, ac *gubernandi* navem homines Miluus edocuit, flexu enim caudæ iter suum per aëra dirigit: quod enim agit avia aëris pertransiens spatia; hoc præstat, ac imitatur navis marinos trajiciens tractus, præmonstrante natura in aëre quid fieri debeat in aquis. Unde cecinit Poëte conferena evem per eëra volantem cum nave æquora trajiciente

Puppis cauda, carinaque venter, proraque rostrum
Veláque sunt alæ, totaque navis avis.

245 Artem medendi, etiam bruta animalia visa sunt homines edocuisse, etenim ab Hirundine, & serpente *Ophthalmici* didicerunt affectis oculis mederi: *Botanici* ab animantibus varias noverunt herbarum virtutes curandis plerisque morbis peraptas, quas adhuc hominem lateret, nisi brutorum in scholis eas didicissent. Clysteris inventio, & usus nonnisi ab avibus in homines derivatur; nimirum ab *Ibi* volucre, est Ibis ciconiæ magnitudine corporis, & figura perquam similis: hæc avis ubi alvum ingesto avidius cibo nimium sentit onerari, marinâ illam aquâ proluit, emollitque, rostro pro clystere utens, quâ arte ventrem exonerat, excrementa foras propellit. *Phlebotomiam* seu sanguinis emissionem è secta vena Chyrurgiæ artis professores ab *Hippopotamo*, seu fluviatili in Nili equis equo apprehenderunt, est Hippopotamus natura gulosus, plurimoque cibo solet stomachum onerare; cumque se sanguinis copia opprimi sentit, affricto ad acutiores arundines femore sibi venam pertundit, & redundantem effundit sanguinem, donec corporis levamen experiatur, & ab oppressione liberetur: sistitque cum par est, voluta to corpore per crassum, ac obstruentem limum. Musicam itidem homines Philomela edocuit, ut testatur Albertus Magnus lib. de Animal. cap. 21. inquiens *Luscinia fere Musicorum omnium instrumenta repræsentat, omnes choraulas sua modulatione exsuperat*, cui adhærens Kircherus *Tom. 1. Musurg. lib. 1. c. 14. §. 4.* ait: *Totius musicæ ideam quandam in Luscinia, sive Philomela natura exhibuit; ut quomodo perfecta cantus ratio ordinanda, & in gutture moduli formandi sint, addiscant Phonasci.*

246 Nihilominus dicendum est, Bruta non agere ex arte, quamvis ex instinctu naturæ agant juxta regules artis. Aliud enim est agere formaliter ex arte; & aliud tantùm secundùm regulas artis: quia agere formaliter ex arte perinde est ac efficere dependenter à cognitione Regularum practica opus utile ad finem intentum particularem, quod nequit brutis competere, quia dictamine carent rationis, ac cognitione practice dirigente media utilia ad effecutionem præstituti finis. Agere verò secundum artem, est quidem efficere opus conforme regulis artis, non tamen ex prævia cognitione prectica dirigente media in finem; sed ex mero naturæ instinctu; adeout ad hoc opus bruta potius passivè moveantur ab instinctu naturæ, quàm active se ad illud moveant, suasque promoveant operationes.

247 Ratio igitur petitur ex ipsa definitione artis, quæ naturæ æmula, & imitatrix definitur habitus intellectualis, qui cum recta regula rationis producit opera ad extra: adeout ars in solis reperiatur agentibus per intellectum: etenim si est habitus intellectualis debet necessario supponere intellectum, à quo denominatur, in subjecto, cui inest, quique præscribat regulas operis faciendi; dupliciter enim sumitur ars, vel ex parte artificis, & est notitia practica operis artificiosi directiva: vel ex parte operis; & est opus ipsum ab artifice factum juxta tales speciales artis regulas: ut se tenet ex parte artificis dicitur ars activa, & directiva: ut se tenet ex parte operis facti vocatur ars directa, ac passiva. Cum igitur sit ars ut cum Aristotele docet D. Thomas 1. *Poster. Lect. 1.* certa ordinatio rationis ad finem; & hæc ordinatio locum non habeet in brutis, quibus nequit competere, eo quia careant intellectu, sintque hac ordinatione destituti, ac facultate formaliter agendi propter finem, sequitur manifeste non posse bruta agere ex arte; quamvis dicantur agere secundum artem, seu ex mero naturali instinctu, vel etiam casu, ut fertur contigisse Protogeni, ut notavit Plinius *lib. 35. c. 10.* Fuit Prothogenes pictor in sua arte egregius, Apellis æmulus, qui cum conaretur anhelantem canem spumam ex hiante ore emittentem exprimere, neque id satis scitè juxta præconceptam ideam assequeretur, pingens sæpius, & corrigens; tandem irâ exardeas ex impatientiæ impetu, penicillum & spongiam, qua penicillus abstergebatur abjecit, & casu accidit, ut spongia varijs illita abstersionum coloribus in eum locum impacta sit, ubi spuma erat efformanda; & præter spem Protogenis vera & perfecta spuma, cum propria colorum mixtura juxta ideam à Pictore præconceptam delineata sit; & casus perfecerit opus, quod ars efficere non valuit: simile itidem fertur contigisse Nealco pictori paucis sui ævi secundo. Cum agasonem poppysmate ferocientem equum demulcentem pingeret, neque spumam ex ore equi fluentem posset rite exprimere; & quamvis id pluries inchoasset nunquam ex voto contingeret; tandem & ipse ex impatientia spongiam varija imbutam coloribus in os equi jam picti injecit, & casu spumam expressit, quæ naturalem perfecte imiteretur; non quidem ex arte, sed secundùm artem, & casu.

Ex hisce explicatis facile satisfit, experimentis in oppositum congestis ex varija animantibus: etenim concesserim, cellulas Apum, 248
Myrmecia formicarum, nidos hirandinum, retia araneorum, cantus philomolæ, aliarúmque vocalium avium fieri secundum artem; non tamen ex arte. Pari pacto Choreæ, quæ ducuntur ab ursis edoctis; saltus qui ad fidium vel tubarum sonum fiunt à canibus, ut etiam avium cantiones; Psittacorum loquelæ, lusus varij, qui fiunt ab elephantis sunt quidem secundum artem, ex quodem naturæ instinctu: non vero ex arte, nisi ex illa instructoris artificioso; quo pacto merulæ, passeres canarij, aliæque aviculæ fistulando suos imitantur instructores, & ita canunt secundum artem, non ex erte. Ad aliud, quod asserebatur, bruta animalia varias artes homines edocuisse respondetur, quod tametsi potuerit contigisse quod homines occasionem exercendi artes aliquas à brutis animantibus sumpserint; non tamen sequitur, bruta animalia agere ex arte, quia cum careant intellectu, non possunt ordinare formaliter media ad assecutionem finis.

Cæte-

249 Cæterum ars, & natura in pluribus conveniunt; & in alijs differunt. Primò conveniunt, quia natura & ars certis ordinantur legibus: quia sicut ars quasdam in mente artificis leges exigit, juxta quas suum perficit opificium; perinde natura, & universa causarum secundarum collectio, quasdam prærequirit regulas, quas DEUS rerum sapientissimus Opifex naturæ præscripsit, quas perpetuò sequeretur, nisi aliquod obtingeret impedimentum, ex quo opus monstrosum, seu deflectens à regulia naturæ impressis oriatur; idque causæ, cur opus naturæ dicatur opus intelligentiæ, seu sapientissimi Opificis. Hinc Plato duplicem posuit artem, humanam unam, sub quam caderent omnia, quæ à creaturis artis industria fiunt. Divinam alteram, ad quam spectarent, quæcunque naturaliter contingunt: hæcque vera est ratio, cur natura uno semper, & eodem modo operetur: quia suas habet leges sibi à DEO præscriptas, quas sequi rebus naturalibus æquè animatis, ac inanimia cedit in maximum earundem bonum: has regulas rebus inditas artem vocârunt divinam. Propterea hujus universi harmonia ratis legibus mirificè composita Ethnicos Philosophos, ad eam excitavit cognitionem, ut faterentur res physicas, & universum creaturarum collectionem divinæ artis Providentia, & solertia moderari. Secundò conveniunt; quia sicut ars supponit compositum substantiale à natura productum; & artifex illo utitur, ut eidem imprimat artificiatum juxta regulas artis: ita natura supponit materiam primam à DEO productam, in qua suas producit formas veluti propriæ artis effectus. Ex quo liquet discrimen inter modum operandi DEI, & creaturæ; quia DEUS ex nihilo res traducit, ad illud esse quod possident: natura verò, nonnisi in subjecto aliquo suas exerit vires. Relucet etiam discrimen inter modum operandi naturæ, & artis: quia natura agit ex præsupposito subjecto; ars verò nonnisi in ente completo operatur. Artifices enim sibi assumunt totum compositum substantiale, ut propriam materiam, in quam proprias inducunt formas artificiales. Tertiò conveniunt, quia agens naturale producit effectum sibi similem in natura; quo pacto ignis ignem producit; homo hominem generat: Ars etiam effectum sibi similem enititur efficere; adeò ut artefactum eò sit perfectius, quò regulis artis est conformius. Quartò quia tam natura, quàm ars inchoantes ab imperfectioribus progrediuntur ad perfectiora. Quintò sicut natura æmulatur artem divinam; ita ars ipsam naturam quantum potest pro viribus imitatur: & sicut natura eò est perfectior, quò proximiùs accedit ad perfectionem DEI: ita opus artis, eò magis commendatur, quò perfectiùs naturam imitatur; adeò ut quæ viventia referunt, spirare, ac vivere quodammodo videantur, quale est illud Martialis lib. 3.

Artis Phidiacæ toreuma clarum
Pisces aspicis, adde aquam, natabunt,

Et illud de Lacerta apud eundem Mart. *lib. 3.*

Inserta Phialæ Mentoris manu ducta,
Lacerta vivit: & timetur argentum.

Hac artis industria Zeuzis suam expressit coloribus vetulam in tabula edentulam, rugosam, vieram, humeris curvam, annis, & viribus defectissimam; cúmque absoluto opere ut moris est apud Pictores, ad picturam lustrandam rediret, ridiculo illo aspectu perquam delectatus, cum aniculam contemplaretur suffarcinatam, breviculam, aridam, exsuccam, exanguem, bucculentam, recedentibus oculis, pendentibus genis, extante deorsum mento, depresso introrsum ore, superstante naso, neque integro, neque sicco; subortoque affatim risu intercluso spiritu in ridiculū modum seriò expiravit. Comendantur etiam hâc artis peritiâ pictæ uvæ, quas Zeuzis delineavit, adeo veris similes, ut deceptæ aves ad illas, ut veras advolaverint depellendæ famis causâ. Hac arte Apelles Alexandrum Magnum fulmen manu stringentem expresserat adeò proximè ad vivum accedentem, ut digiti eminere, & fulmen extra tabulam esse viderentur; & quidem tanto plausu, ac famæ successu, ut vulgo dicerentur duo esse Alexandri, Philippi unus, nullis viribus. nullóque conatu superabilis, alter Apellis nulla artis industria imitabilis. 250

Disconveniunt verò ars, & natura. 251
Primò quia ars non facit res veras, sed tantùm similes veris rebus existentibus, quo pacto statuarius non facit ex lapide verum hominem, sed tantùm similem variè lapidem immutando. Natura verò non similes, sed veros efficit homines. Secundò formæ artefactorum contingunt entibus jam in suo esse substantiali completis: unde Artifices non operantur nisi circa lapides, metalla, argillam, ligna, vel colores. Secus formæ naturales adveniunt enti in potentia, seu soli materiæ; hinc habetur vulgatum axioma. *Ars ibi incipit, ubi natura desinit*: postquam natura compleverit ens substantiale, ac à propria desinit operatione; ars hoc idem compositum à natura totaliter absolutum sibi assumit, ut in illo operetur. Tertiò quia natura spectat ad ipsam rei substantiam, quia formas producit substantiales; ars verò pertinet ad aliquod accidens, naturæ totique composito superadditum. Neque Ars dicitur principium activum; sed tantùm directivum motûs, quatenus ars dirigit motus naturæ. Quartò formæ artificiales non sunt fecundæ, sed steriles, quia non producunt alias formas sibi similes: secus formæ naturales alias sibi similes in aliena materia producunt.

An verò possit ars opera naturæ moliri, 252
non desunt, qui hoc afferant; quia eò collimat artis industria, ut naturæ opera imitetur; & sicut natura divinam artem, ita humana ars naturam, quoad ejus fieri potest, æmulatur: & ars divina naturæ exemplar, & ipsa natura humanæ artis protypon dicitur: idque causæ, cur à plerisque ars naturæ simia vocetur, eò quia

quia ex natura plura effinxerit, ut ex luce & umbra picturas, ex antris ædes, ex avium volatu vela, ex piscium pinnis remos, ex cauda gubernaculum, quo tota navis regitur; & quia potest ars adeò perfectè naturam imitari, ut opus artis vix ab opere secernatur naturæ, ut contigit in uvis à Zeuze depictis, ad quas deceptæ volitârunt aves, ideò dubitatur, an possit etiam opera naturæ moliri. Etenim Aristoteles *1. Polit. cap. 3. & 1. de anim. tex. 44. c. 3.* & Plato in Menone asserunt, Dedali statuas eâ fuisse artis industria fabrefactas, ut huc, illúcque spontè discurrerint. Scimus Leonardum Vincium non minùs picturâ celebrem, quam cælaturâ gloriosum, varij machinulis versatilem compegisse leonem, qui suis se pedibus ad Ludovicum XII. Francorum Regem contulerit, & emisso in obsequij tesseram blando rugitu, gravida ab alvo liliatum nimbum perpluit; neque unquam in aula Gallorum tanta visa est lætitiæ serenitas, quàm in hac pluvia. Refert Philostratus in vita Apollonij Tyanei tripodes quosdam aureos in Jarchæ Gymnosophystæ convivio se passim movisse, & Pincernas aureos convivis ministrâsse. Favorinus apud Gellium lib. 10. Noct. Attic. cap. 12. narrat, Architam Tarentinum Mathesis industriâ columbam igneam confecisse ponderibus, atque aura intus inclusa ita libratam, ut per aërem medium huc, illúcque mira volitaverit celeritate. Constat etiam Memnonis olim statuam surgentis solis radio perfusam sonum edidisse, & collati sibi beneficij sensum quodammodo fuisse testatam. Er Archimedem Syracusanum Matheli arte vitream sphæram, in qua astrorum ortus, ac obitus, defectus solis, ac lunæ, ac omnium cœlestium sphærarum, syderúmque occursus mira ordinis constantia, & æqualitate distinctim visebantur. Pleráque alia id genus congerunt Olaus Magnus, & Scaligerus contra Cardanum.

253 Præterea experimur à nonnullis artibus effectus produci, ad quos natura non videtur posse pertingere, ut liquet exemplo anulorum, ac imaginum astronomicarum, quæ certo astrorum situ, ac influxu continguntur, quarum vi plura effici supra consuetas naturæ vires, ac ejus usitatum cursum refert Porphyrius apud Augustinum *lib. 10. de civit. cap. 11.* Demum id evincunt ex artificio Alchymiæ, cujus Professores adstruunt, posse verum, ac probatum aurum fieri; neque tantùm impenderent temporis, tantásque insumerent pecunias, nisi quandóque verum effecissent aurum.

254 Certum nihilominus censerem, neque artem, neque formam ullam artificialem posse aliquot naturæ opus propria virtute efficere. De Arte id videtur satis exploratum: quia ars tantùm est in mente dictamen quoddam practicum præscribens regulas, & modum operis faciendi: hujusmodi autem regulæ non habent vim inducendi naturalem ullam formam in materiam; sed tantùm dirigendi operationes artificis; proinde nequit, ars consistens in sola mentis idea, vel dictamine regularū propria virtute efficere opus aliquod naturæ. Quòd nec id possit forma artificialis, etiam liquet: quia forma artificialis caret vi activa, & principio operandi, éstque propterea de genere sterilium: neque quid aliud est forma artificialis, quàm compositio, ordo, & figura, seu modus quidam, ac determinatio quantitatis, ut docet Aristoteles *lib. 2. Physic. c. 5. tex. 46.* proinde naturam sequitur quantitatis, quæ suapte ingenio ignava est, ac iners: ergo formæ artificiales, cum tantùm insint extimæ quantitatis superficiei, vi destituuntur operandi: proinde nequeunt opus ullum naturæ efficere. Hinc docet Philosophus *lib. 2. Physic. cap. 1. tex. 2.* id discriminis interesse inter formas naturales, & artificiales; quia illæ possunt habere in se principum motionis, & quietis; non ita formæ artificiales, quæ sunt veluti emortuæ omnis activitatis expertes. Nihilominus possunt propria virtute opera naturæ juvare: experimur enim, agros beneficio, & industria artis agriculturæ fieri feraciores, & plantas feliciores germinare, ac uberiores producere fructus. Aurum, & argentum artis chymicæ beneficio scoriâ ejectâ fieri puriora, ac defæcatiora. Cùm aliquid ex plano fit acutum, vel sphœricum citius movetur; non quod ipsa figura concurrat efficienter, sed quia plano corpori plus medij opponitur, ad cujus resistentiam superandam majores requiruntur vires.

Rursus tametsi nequeat ars motum ullum 255 elicere, dirigit tamen motus naturales, ut fiant juxta regulas artis; adeo ut ars se habeat ad motum directivè, non effectivè. Virtute tamen aliena applicando naturalia activa passivis potest opus aliquod naturæ efficere, ut in Pharmacopæa, quæ nativa herbarum virtute ægris corporibus sanitatem impertitur: hac ratione Dœmones diversas formas etiam animalium imperfectorum in materiam inducunt. Et Magi Pharaonis hac dœmonis arte animatos, & veros exhibuerunt serpentes, & non tantùm apparentes, ut censet D. Augustinus *lib. 83. quæstionum quæst. 76.* Hinc ad varia illa experimenta in oppositum adducta; respondetur, motus illos non prodire ab arte, neque ab ulla artificiali forma, sed tantùm à natura, quatenus intus fuerunt quædam machinamenta, quæ vel ope magnetis, vel pondere pulveris delabentis, vel aquæ dimanantis; vel mercurij, vel ponderis, vel laminarum se in pristinum, ac nativum reducentium statum motus illos edebant, quos etiam deprehendimus in rotatis horologijs, quæ libratis certa ratione ponderibus moventur, & æris campani pulsu horas designant. Ad aliud quod addebatur de anulis astronomicis; respondetur, anulos, & imagines astronomicas nullam ex se habere virtutem ad tales effectus, nec illam ab astris sibi comparare, & D. Thomas *2. 2. quæst. 96. art. 2.* ait fabulosa esse, quæ de husce anulis narrantur.

Ad

256 Ad ultimum quod addebatur de Chrysopœja verum, ac probatum aurum efficiente, respondetur, hanc artem non posse virtute propria verum aurum efficere; sed ad summum virtute naturæ applicando activa passivis; si hæc cognoscerentur, & applicatio esset hominibus libera. Cæterum experimur Crysopœjæ Professores sudorem, oleúmque perdere, & eorum sumptus unà cum subjectis ignibus, in fumum abire, ac sine fructu evanescere.

257 *Tineæ* è vestibus, librísque abiguntur, si pulvere spargantur cupressino Lemma. *Non lædunt hoc pulvere tectæ.* APODOSIS. Prava desideria, veluti tineæ mentem subeunt nostram, virtutum ornamenta ne erodant, necesse est cupressino pulvere abigantur, seu mortis memoriâ illicò excutiantur. Excursus de mortis memoria ad vitia coërcenda. Plura contra tineas recensentur amuleta. Marcus Cato præstantissimum remedium ad tineas à vestimentis abigendas ait esse amurcam olei decoctam ad dimidium, si eadem ungatur arcæ fundus extrinsecus, ut & pedes, ac anguli. Alij dicunt, hoc idem præstare absinthium, si vestibus imponatur. Plinius vult Iridem solo odore tineas abigere; ac eodem uti, qui pannos vendendos servant, ne lædantur. Alij addunt malum citri, seu medicum juxta vestes positum tineas abigere: sed cupressi pulverem per laneas vestes respersum volunt præstantius esse remedium.

258 *Vespa* oleo perfusa emoritur, aceto autem immersa reviviscit Basilius in Hexamer. homil. 8. Lemā. *Acerba prosunt, si blanda nocent.* APODOSIS. Plerumque homines adeo pertinacis, ac inflexilis sunt naturæ, ut nimia mansuetudine insolescant, depraventur, ac studio, culturæque virtutum emoriantur; qui tamen, si paulò severiùs tractentur, urgeantur duris, flectuntur faciliùs, & proficiunt uberiùs: quorum symbolum est etiam sal Agrigentinum, quod aqua imbutum obdurescit, & igne adustum emollescit, ac liquescit. Excursus. Disciplina necessaria præsertim in castris, ac militibus.

249 *Vespæ* in viperam emortuam evolant, venenum sugunt, quo aculeum imbuunt, lethalia, ac nocentiora vulnera inflicturæ Lemma. *Ut noceant, deteriora trahunt.* APODOSIS. Maledici aliorum vitia tantùm explorant, quæ manifestent, ut alijs honorem detrahant, famam lædant. Vespæ referente Æliano viperina acerbitate, ac veneno aculeos inficiunt, ut nocentiùs ictu lædant.

EXPENSIO VI.

Naturæ, ac proprietates Arborum, & fructuum symbolicè exhibentur, & ethicè explicantur.

Magnæ terræ matris ornatus in plantarum mira varietate, ac venusta splendet supellectili, quæ eò splendidiùs Opificis produnt sapientiam, quò per singulos terrarum tractus luxuriantes plantæ tot linguis facundæ, quot folijs fœcundæ suum deprædicant Conditorem DEUM, præsertim cum vere florentes oculos, & nares oblectent; æstate frondibus vestitæ, ramorum virescentium umbraculis fessos recreent; & autumno maturis fructibus oneratæ suos pascant cultores; adeò ut priùs floribus ornentur, dein frondibus vestiantur, ac postremo fructuum ubertate onustæ, ac ponderum gravitate incurvescentes proprias exhibeant indigentibus divitias, non in uno duntaxat loco, cum ex plantis, ac arboribus aliæ in campis, in montibus aliæ, vel vallibus oriantur, gliscant, luxurient, frondium, ac fructuum ubertate: tótque plantarum genera fuerunt in nostram edita utilitatem, ut mirum videatur dictu, quanta sit earum varietas, quantus diversus in singulis pulcher ornatus, hic lasciviunt patulæ fagi, illic surgunt proceræ abjetes; alibi extolluntur comantes pini, illac dilatantur umbrosæ ilices, in fluminum ripis gigantescunt populi bicolores, vel humiles amarescunt salices; in montium declivi descensu dumoso in cortice suos tuetur fructus nemorosa, & rediviva castanea; quin mirari etiam licet, quàm pulchræ sint formæ, quàm facilè redeunte vere frondibus vestiantur, ac floribus venustentur, & sine coloni labore fructibus ditescant. 1

Est igitur planta corpus mixtum generationi, & corruptioni obnoxium; generantur enim plantæ, & corrumpuntur, crescunt, sobolescunt, luxuriant, comburuntur, ac in cineres abeunt: aliæ etiam senio confectæ arescunt, ac tandem putrescunt: ex eo, quòd planta sobolescat, gliscat, suúmque subeat incrementum liquet, anima esse præditam vegetante, quæ principium est eorum actuum, qui aliquam supponunt organizationem, nutriuntur plantæ quatenus succum alimentitium ex uberibus sugunt terræ matris. Hinc radix quibusdam est erecta, alijs obliqua, quandóque geniculata, rotunda, fibrosa, alijsque pluribus discreta differentijs. Caulis similiter interdum rectus, quandóque obliquus, concavus, geniculatus, aculeatus rotundus, quadratus; sitque propterea planta corpus organicum: quod etiam conjicitur ex flore, & fructu, in quo talis secernitur fibrarum plexus, ex quo resultat organizatio: est corpus organicum, quod organis constat, seu instrumentis actionum immanentium, vel potius facultatibus ad actus immanentes. Cum enim plantæ nutriantur, crescant frondes, ac 2

fru-

fructus pariant, necesse succum alimentitium sugant, distribuant singulis partibus, ad quod præstandum organa requiruntur, seu plexus fibrarum, quibus succus ille attrahatur, ac percoletur.

3 Hinc nulla est planta, quæ sit radice destituta; imò quæ non sit tota radix: est in plantis officium radicis sinui terræ matris firmiter adhærere, ne planta, cujus est fulcimentum nutet, cadátque, & beneficio ejusdem succum alimentitium sugat, quapropter est radix porosa, ut faciliori negotio per ejus poros alimentum traducatur in plantam, vel per internos meatus, quia in radice pori sunt laxiores. Hinc experimento deprehendimus, esse radicem veluti substantiam spongiosam, quæ humore glebæ diluitur, ac mollescit; sicut enim extremi rami teneriores sunt, ita radicis extrema filamina molliora, ac flexibiliora, humoris enim appulsu corpora mollescunt; quòd, si humor exsiccetur, indurescunt. Non tamen planta à sola extrema radice succi haurit alimentum, alioquin radix in longum non cresceret; sed à toto radicis segmento quod paulò mollius est; adeo ut radix, & caudex plantæ ex communi quasi umbilico procedant, ut liquet in tritico ex gleba primum emergente.

4 In quavis arbore trunci figura cylindrica est; quia ex primo radicis umbiculo, vel nodo sursum fibræ in arbore ducuntur, ex quibus cylindrica resultat figura. Lentes caudicis, ac flexibilitas ab humore procedunt admixto, qui ubi siccatur, indurescit, suámque deperdit flexibilitatem, & ad proportionatam perveniens crassitiem obdurescit etiam in lignum ex quatuor constans elementis, fibrisque in longum ductis, cujus diversæ sunt species à vario plexu, ac diversa fibrarum, seu filaminum textura; idque causæ, cur ex lignis sint alia alijs laxiora, alia pressiora, alia duriora: quia sicut mollities à laxiore, ita durities à contractiore petitur plexu: est verò lignum fissile, quia fibræ in longum ducuntur, vel rectè, ut in abjete ob lentorem materiæ; vel obliquè ob duritiem; vel sinuosæ, & crispatæ, ut in vite ob siccitatem. Sunt etiam ex lignis alia alijs graviora: experimento deprendimus aliqua innatare aquis; & alia fundum subire: hæc autem gravitas oritur à majore partium pressione, porisque minoribus. & arctioribus: flammam concipit lignum, ignémque nutrit, quia partes humoris in halitum abeunt, priusquam terrestres partes interiore plexu implicatæ decidant; hinc lignum priusquam flammam concipiat, fumum emittit, quis caloris appulsu humor truditur, abitque in fumum, qui avolat crassior, vel tenuior, prout copia humoris uberior est, vel minor. Quò lignum est siccius, clariorem alit flammam: subrubram verò, ac tetram, quò viridius, ac uberiore scatet humore.

5 Planta quævis cortice, veluti veste quadam obtegitur, quo ab aëris defenditur inclementiis, à cortice, quo veluti indusio omnes vestiuntur rami prodeunt folia; éstque cortex multiplex, exterior instar cuticulæ; medius crassior, instar corij; & intimus instar subtilioris membranæ, quò sit ut cortex veluti in diversas scindatur bracteolas, Plantis inest medulla instar matricis, quæ in aliquibus mollior est ut in sambucco, in alijs durior, ut in abjete, nuce. Si propè meditullium portio interior trunci sit rarior ob plexum rariorem fibrarum, medulla est rarior, & mollior; sin verò plexus fibrarum sit arctior, medulla est durior. Folia videntur novæ plantæ, à teri adnatæ, secernuntur enim in folio singula, quæ in planta. Habet suum truncum, seu primariam fibram, & alias laterales veluti totidem ramos in alios plures propagatos: ubi autem fibræ siccantur, folium cadit. Constat folium plurimo hůore paulò negligentius percolato: ex quo prodit viriditas, quæ incipit flavescere, cum sub finem autumni folium siccatur. Dantur tamen aliqua folia crassiora, cujusmodi sunt illa buxi, lauri, olivæ, quæ cum aliquid contineant uliginis non facilè colorem variant. Cæterum folium, quodlibet, suas habet fibras, nervos, suúmque fibrarum plexum. Fibræ omnes à communi pediculo oriuntur, vel immediatè, vel mediatè, perinde ac in arbore rami à communi trunco.

6 Mirus est in folio fibrarum plexus, seu venolarum, quibus succum attrahit, seque alit. Ramus pars est plantæ, éstque bifidus ob fibras in nodum incurrentes, & materiam congestam, quæ coercita turgescit in gemmam, seu oculum, ut vocant, ex quo plures prodeunt rami, quibus tota arbor constat: ramorum extrema sunt tenuiora, quia recentiora, ac humidiora; initia verò duriora, quia antiquiora, & cciora. Flores fructuum prodromi arborem verno tempore mirificè ornant, cui & plurimum conciliant venustatis: éstque flos veluti nova planta alteri adnascens, constátque subtiliore humore, ac ignis portione. Quòd floribus plurimum insit humoris, ex eo liquet, quia multus humor ex floribus per alembicum educitur, & quia accuratius est percolatio subtilior est humor: ignis in floribus ex odore conjicitur, qui in halitu calido, & sicco consistit, idque causæ, cur flos immaturus gratum odorem nondum exhalet.

7 Formantur flores ex diverso fibrarum plexu, ac ductu: habet flos suas fibras, quæ foliolom suo plexu contexunt, vel caputium turbinant, vel hæmisphærium tornant ob mutua oscula; vel testiculos acuunt, vel capillitium producunt, seu floccos aspergunt. Fructus, quatenus semen complectitur, est ultimum plantæ opus, diversam habet supellectilem, ut corticem, pulpam, succum, membranas, nucleum, putamen, & communem pediculum. Maturus est mollior; quia ejus succus probè subactus, ac percolatus, seu maturus. Maturescunt enim fructus, eò quia sensim succus percolatur, maceratúrque pulpa, semen plantæ est

no-

novus ejusdem fœtus, in quem ultimæ plantarum desinunt, cui tum folia, tum fructus, tum reliqua plantis adnata supellex famulantur. Varias sortiuntur semina figuras, sphœricas, ut in pisis, milio, papavere, vel oblongas ut in oliva, pino; vel elliptico-lenticulares, ut in pomo, piro, pepone, ceraso, pruno, vel irregulares, ac varias, ut in nuce, faba, armeniaco: hujus varietatis ratio deducitur ab ipso fibrarum spermeticarum egressu, ac plexu.

8 *Arbor amygdalus* nuces græcas ferens adeo tenaciter ramis hærentes, ut nonnisi perticarum percussu divellantur, & decidant Lemma. *Dat verbere fructus.* APODOSIS. Homo arbor dicitur licèt inversa, plerumque illiberalis nil boni communicat, quamdiu frondescit, luxuriátque indulgens voluptatibus: sin verò baculo percutiatur adversitatum, ærumnis prematur fructus incipit bonorum operum dare. Excursus de tribulationum utilitate.

9 *Amygdala* duabus vestitur tunicis, quarum prima amara est: secunda dura, & aspera, quæ tamen fructum complectitur dulcem, ac suevem. Lemma ex Lucil. *Fit facilis, quæ dura fuit.* APODOSIS. Virtus mundi voluptatibus assuetia rigida ab initio videtur, & austera; Sed mox labore quæsita dulcescit, & emollescit, quæ dura & amara esse videbatur. Hinc cecinit ille

Virtutem voluere Dij sudore parari,
Arduus est ad eam, longúsque per ardua tractus,
Asper & est primum: sed ubi alta cacumina tanges,
Fit facilis, quæ dura prius fuit inclyta virtus.

10 *Agnus castus.* Serpentes, & alia noxia animalia longè, latéque à se dispellit. Lemma. *Perit, cui pudor perijt.* APODOSIS. Cultor castitatis pravos fugit socios, quos longiùs abigit, ne eorum consuetudine quidquam pudicitiæ noxium contrahat, & cujus ipsum pudeat, in id castitatis cultor incumbit studij, ne quidquam in consortium admittat, quo pudorem, ac pudicitiam amittat. Est agnus castus frutex in arborem assurgens in fluminum ripis, alveisque torrentum enascens, ramis prælongis, lentisque, folijs olivæ, sed mollioribus: & duo sunt hujus fruticis genera; alterum quod emittit album florem cum purpureo: alterum tantum purpureum, ac semen piperis similitudine: quia verò noxia abigit animalia, ne veneno aliquo inficiatur, audit agnus castus. Idque causæ, cur Atticæ matronæ in Themosphorija Atheniensium, ceu Cereri sacris pudicitiæ conservandæ studio ex folijs hujus fruticis cubitum sibi sternerent, eò quis hæc folia serpentib[9] dicantur nó esse infesta, & simul credantur ab appetitione Veneris prohibere, ut notat Ælianus l. 9. c. 26. Excursus de cultura pudicitiæ, de qua S. Cyprianus lib. de disciplina, & bono pudicitiæ ait: *Pudicitia est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sensuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput. Hæc nos commendat DEO, connectit Christo, hæc expugnat omnia de membris illicita desideriorum prælia, pacem nostris corporibus inducit: beata ipsa, & beatos efficiens, apud quos habitare dignatur.* Cultor pudicitiæ noxias, & impuras cogitationes excutit, abigitque.

11 *Arundo Saccharea* Brasiliensis molendino inserta, axiúmque se contingentium compressa angustija, liquorem fundit dulcissimum, qui in saccharum postea abit Lemma *Compressa dulcescit.* APODOSIS. Vir justus patientiæ addictus studio ærumnarum, ac tribulationum pressus angustijs uberioribus cumulatur meritis, quibus dulcedinem cœlestis gloriæ enanciscitur. Excursus de tribulationibus, pressuris, laboribus, quibus cœlestem nobis gloriam comparamus. Arundo hæc Sacchareæ fruticis instar sata excolitur, inde gliscit, adolescit, ac totum suum enacta incrementum succo intus turget in tubis: est enim silvestri arundini simillima, nisi quia hæc crebrioribus aliquando articulis distinguitur, quò enim majora sunt internodia, eò messis est uberior. Feliciùs hæc arundo glebosis, pinguibus; ac irriguis luxuriat in vallibus, vel pratis, quàm in montibus, & collibus: ubi à pluvijs, ac inundationibus ripas fluviorum egredientibus rigantur frequentiùs; crescunt uberiùs, & copiosiore succo pinguescunt. Seruntur autem arundines hoc pacto: vomere agri invertuntur, cratibúsque, vel ferro ancipiti sarriuntur, & in sulcos æquè distantes proscinduntur, quibus taleæ cannarum ea inhumantur industria, ut summitates utriúsque se contingant; eáque de causa lacunæ vomere excavatæ opplentur, & terra teguntur: quo uberior est humidua, vel irrigatio frequentior, eò citiùs surgit arundo, eóque aucto fœnore, ut quilibet arundinis sepultræ articulus novam producat cannam, suásque agat radices in exculto agro; cúmque ad maturitatem pervenerint, exscinduntur in ipso pediculo, in quo aqueus quidam humor continetur: mox amputatæ, frondibus, foliis, quibus vestiebantur resectis, in fasciculos congeruntur, ac ad molendinum deferuntur, ubi torculati compressæ liquorem fundunt dulcissimum, qui per canales, ductúsque ligneos, in amplissimos æreos cacabos derivatur, ubi ex subjecto igne ebullit, & paulò fœculentior, ac copiosior spuma aufertur pecoribus in escam suppeditanda; mox prægrandi cochleari crebris pertuso foraminibus à sordibus purgatur, donec liquor defœcetur, concrescat in saccharum. Piso lib. 4. c. 1.

12 *Acajaiba.* Arbor Brasiliæ aspectu pulcherrima, & multiplici virtute celebris, ramisque proceris speciosa, quibus non adeò in altum assurgit, sed varijs, ac sinuosis se se flexibus incurvat ramis humum versus pendentibus, umbrosámque, & patulam exhibentibus mansionem, arescentes, ac radio solari ferventes inter arenas, in quibus hæc arbor luxuriat feracior, imò nusquam locorum, quàm arenosis, ac sitientibus reperitur. Lemma. *Quò sterilior, eò fœcundior.* APODOSIS. Vir ascets tametsi plerumque omni destituatur internæ consolationis humore,

more, ac ſucco, videatúrque cum arenis areſcentibus, ac ſitientibus ſterileſcere, quia tamen divinæ ſe voluntati plenè conformat, patientérque fert deſtitutiones, animíque veluti deliquia, dureſcit uberior fructibus meritorum. Excurſus, de conformitate in DEI voluntate. Quamvis hæc arbor Acayaiba ſuas inter areſcentes, ac ſitientes arenas radices agat, adhuc adoleſcit vegeta, ampliaturumbroſa, luxuriat patula. Folia ſi nervos, & figuram ſpectemus juglandi ſimilia ſunt, quamdam redolentia aromaticam fragrantiam, quam non deponunt niſi diſtillatione forti. Verno tempore florem hæc arbor emittit venuſtum, variegatum, roſaceóque depictum colore, adeò odoriferum, ut integras ſylvas ſua perfundat fragrantiâ, quam etiam in Alembico vi ſubjecti ignis aquæ communicat, quæ ſemel tali imbuta odore difficulter eundem deponit: depoſito flore fructum producit cinericij coloris caſtaneæ æquantem craſſitiem; oleúmque continet duos inter cortices adeo mordax, & cauſticum, ut contrectanti ſit noxium: fructu verò ad plenam vergente maturitatem miteſcit, oleum intus contentum, vimque ſuam maxima ex parte deponit. Ex hoc fructu vinum ab indigenis exprimitur generoſum, quod ad plures ſervari poteſt annos. Vetus tamen citiùs inebriat, quàm recens. Lignum hujus arboris duriſſimum eſt, & propterea à naupegis valdè expetitum; gummo æſtivis menſibus turget pellucido, quod fragranti odore, vix Arabico cedit. Piſo lib. 4. c. 6.

13 *Abaremus Temm* arbor Americana mediocris altitudinis; montoſis creſcens locis, folijs ſubobſcuris, & exiguis buccini ſimilibus, ſiliquis ex minio nigreſcentibus, miris, variíſque modis incurvatis. Eſt hæc arbor ſymbolum pœnitentiæ, cortice enim tegitur cinericio exteriùs, interius verò rubente: éſtque guſtu amarus; ſed ſi in pulveres redactus, & excoctus fomenti loco adhibeatur ulceribus inveteratis, ac malè moratis feliciter medetur. Piſo lib. 4. c. 29. Lemma. *Nunquam eſt ſera medela.* APODOSIS. Pœnitentiæ ad vulnerna peccatorum curanda ſemper eſt opportuna, nunquam ſera. Excurſus de pœnitentiæ utilitate. *Piſo lib. 4. c. 29.*

14 *Antiſtrophos* arbor non procul à Malaca, ut habetur in hiſtor. Sinat. part. 4. c. 17. cujus radices in varias ſparſæ partes, quæ ad orientem vergunt, antidotum præbent; contra venenum quodvis; quæ verò ad occaſum venenum continent, adeo ut ejuſdem arboris radices vitam impertiantur, & necem. Lemma. *Vitæ, ac mortis origo.* APODOSIS. Arbor, quæ in terreſtri paradiſo mortem peperit, & protoplaſtes ejecit extorrea à ſtatu felicitatis; in monte Calvariæ vitam Adæ poſteris reſtituit, quibus & aditum aperuit ad cœleſtem paradiſum. Excurſus de Redemptione humani generis; ac virtute crucis. Appoſitè Origenes homil. 8. in locos diverſos. *Evangelium filij DEI humilitas eſt, illum crux noſter triumphus: gaudentes levemus hoc ſignum in humeris noſtris, victoriarum vexilla portemus, cum dæmones viderint, contremiſcunt. Qui aurata capitolia non timent, crucem timent. Qui contemnunt ſceptra regalia, & purpurã Cæſarum, & Dapes; Chriſtiani ſordes, & jejunia pertimeſcunt. Virga Moyſis duplicem gerebat imaginem: nam hoſtibus occurrebat ut ſerpens, mordens, & enecans, Iſraëlitis erat vice baculi, quos corrigebat. Sic enim verum lignum crucis hoſtilium quidem ſpirituum nequitiæ mors eſt, animarum verò noſtrarum baculus, tota fides eſt, & vita, in qua conquieſcunt.*

15 *Ambaiba* arbor Braſilienſis, ſeu potiùs ficus ſylveſtris, ex cujus ſecto, ſeu vulnerato cortice ſuccus effluit pinguis, inveteratis ulceribus curandis aptiſſimum alexipharmacum. Lemma. *Fluit è vulnere ſalus.* APODOSIS. Chriſti vulnera cœleſte ſuderunt balſamum in Chriſti ſanguine, quo cœleſtis medicus noſtria voluit peccatorum inveteratis mederi ulceribus, nóſque priſtinæ reſtituere ſanitati. Excurſus de Chriſti vulneribus, è quibus pretium exivit noſtræ redemptionis. Scribit Piſo *lib. 4. cap. 22. de facult. ſimplic.* Ambaibam arborem arvis delectari excultis, in quibus ſpontè naſcitur, raróque reperiri in ſylvis, & unico, eóque leviſſimo, ac ferulaceo trunco in mediocrem attolli altitudinem: perinde ac Europæi trunco emedullato utuntur ſambuci, ita Braſilienſes caulem hujus arboris in varios uſus, ac luſus excavare ſolent. Ex ejus radicibus unà colliſis peregrinantes ignem in deſertis locis eliciunt. Raris, & in apice expanſis ramis veluti coronâ cingitur, veſtitúrque paucis, ſed prægrandibus, ſpecioſis, ac lacinioſis folijs. Julos profert albicantes racematim congeſtos, pendulos, ac roſaceis involutos tunicis, qui maturitatem conſequuti decidunt. Pinguis ex eorum ſummitatibus expreſſus ſuccus ulceribus omnibus feliciter medetur Piſo lib. 4. c. 22.

16 *Anda* arbor Americana, cujus fructus in Stomachum demiſſus pravos quóſque humores per ſeceſſum, & vomitum expellit, & corpus egregiè purgat. Lemma. *Noxia quæque pellit.* APODOSIS. Hæc arbor ſymbolum eſt pœnitentiæ, cujus fructus eſt, animam purgare, conſcientiam eluere, & noxas abigere. Excurſus de Pœnitentia, & lachrymis reſipiſcentiæ. Scribit Guilielmus Piſo lib. 4. de Facultatibus ſimplicium c. 23. Andam arborem eſſe in Braſilia, quæ nonniſi inareſcente, ac arenoſo ſolo præſertim marino in litore ſoboleſcit; ejus lignum leviſſimum eſt pertarum, ac ſpongioſum, florem producit laxum, & concavum aureo colore prælucentem, cujus folia ſunt laciniata. Fructum etiam gignit duplici veſtitum cortice, exteriore cinericio ligneo, ac præduro, & perforato putamine, in quo glandes continentur, jecinori leporino perſimiles; ſin verò una, vel altera cruda comedatur, alvum ducit, vomitum excitat, & per ſeceſſum, quidquid noxij humoris corpori ineſt, excutit.

Ana-

17 *Ananas* planta Americana, cujus fructus teste Pisone *lib. 4. c. 46.* animum languescentem recreat, spiritus sopitos excitat, vires deficientes reficit, stomachum nauseabundum restituit, & totum hominem restaurat. Lemma. *Spiritus excitat omnes.* APODOSIS. Divina gratia, cùm primùm animam afficit, omnes ejus excutit languores, expellit mœrores, internum promovet gaudium, vires reficit, amorem fovet. Excursus de divina Gratia. Est in America Ananas planta altilis cardui species, cinaræ enascens in modum. In hac planta veluti spicæ videntur instar aristarum in summitatibus emergentes, ejus folia sunt oblonga, spinosa, & in speciem p gionis mucronata. Mensibus æstivis in partibus illis nostris oppositis sole existente in capricono maximè Ananas viget; exigua producit grana, seu potiùs semina subrubra, quæ in pulpæ latitant superficie. Extuberantibus bullis ex flavo albicantibus exteriùs passim distinguitur, & quasi tesserulis variatur. Succus hujus fructus utpote corrosivus linguam vellicat, gutture incendit; discissio autem cortice in teleolas secatur, ac in vino maceratur Hispanico, ubi noxiam exuit qualitatem; & gratum vino saporem communicat, ac suavem odorem, ut non tam palatum, quàm nares mulceat, quibus non modico est oblectamento. Cæterum succus, quo fructus turget, animum languidum recreat, spiritus sopitos excitat, & stomachum restituit nauseabundum.

18 *Arbor Hispaniolæ*, cujus fructus odore suavissimo nares demulcet, colore venusto oculis arridet, & sapore gratissimo est palatui oblectamento, sed ejus succus exitiale est venenum, quod mortem adfert. Lemma. *Delectat, & perimit.* APODOSIS. Carnis luxuriosa voluptas eblanditur, sed interimit; placet, sed nocet, & dum oscula figit, lethalia vulnera infligit. Excursus de noxia voluptate. Legimus in historia novi orbis: in insula Hispaniola arborem crescere, cujus fructus pyris nostris muscatis persimilis jucundum efflat odorem, estque esui gratissimus, sed pestiferi succi, quo propterea Indi sagittas oblinunt, veluti veneno ad mortem vulneratis inferendam.

19 *Arbor Ægyptia*, quæ teste Theophrasto nullum ante centum annos fructum producit, sed dilapso sæculo præstantissimos suos producit fructus. Lemma. *Non quàm diu, sed quàm benè.* APODOSIS. Non quàm diu, sed quàm benè vivas, id cogita. Non annis, sed benè factis vita computatur. Parum prodest annos vixisse Nestoreos, si nil laude dignum, nil præclari egimus. *Excursus* de bonis operibus. Diu vixit, qui paucis annis plura præclarè gessit; quia ut scitè Seneca epist. 62. ut satis vixerimus non anni, & dies faciunt, sed animus. Sæpe fit, ut qui diutiùs vixit, parum vixerit, quia non benè vixit: non vita, quæ otiosè, vel malè impenditur, computatur; sed quâ benè vivitur: quinimò ut ait Seneca de Hercule Aetæo. *Mortis habet vices, lentè, cum trahitur vita gementibus.* Non quàm dio vivamus, id curandum est sed quàm benè; quàm honestè, quàm piè, & sanctè: scitè Seneca epist. 49. *Quæris quod sit amplissimum vitæ spatium? usque ad sapientiam vivere. Vivere enim in tota vita discendum est, & quod magis mirandum est in tota vita discendum mori.* Quomodo fabula, ita & vita, non quàm diu, sed quàm benè acta sit, refert; nihil ad rem pertinet, quo loco desinamus, quocunque voles, desine: tantùm bonam clausulam impone.

Arbor immortalis, de qua ait D. Gregorius Nazianzenus apud S. Maximum, quòd resecta pullulat; cùm emoritur, vegetior renascitur? cùm amputatur, virescit venustior. Lemma. *Separis, cùm perit.* APODOSIS. Christi Martyr dum pro fide sanguinem fundit, purpuram induit; dum vulneribus sauciatur, propriæ consulit integritati; dum mortem subit, vitam enanciscitur. Excursus de Martyrio. 20

Aninga planta palustris Americana, cujus radix renum inflammationibus extinguendis præstantissimum est alexipharmacum Lemma. *Pravos temperat æstus* APODOSIS. Crucis arbor, & Dominicæ passionis meditatio depravatæ concupiscentiæ venereos æstus extinguit, fœdásque abigit cogitationes, meliorem divini amoris ignem accendit. Excursus de Christi Passione, & cruciatibus considerandis ad pravos æstus, ac tentationes excutiendas. Aninga à Pisone lib. 4. c. 70. inter palustres in America plantas recensetur, éstque caule recto molli, ac junceo; quatuor duntaxat, vel quinque ornatur folijs Nymphææ similibus; & flore unico magno, ac candido, ex quo fructus enascitur, oblongè rotundus, crassus, compactus, ac veluti punctulis variatus; ejus radix crassior est bulbosior, quæ contra renum inflammationes, & obstructiones feliciter, & optato successu adhibetur, si fomenta conficiantur. 21

Arbor jugiter virens reliquis omnibus ob continuatos æstus arescentibus. Lemma *Illæsa per æstus.* APODOSIS. Virgo mater ab æstibus concupiscentiæ, quos cætera fœminæ senserūt, & peccato originali, quo reliquæ inficiuntur, fuit immunis, & intacta mansit. Excursus de Immaculata DEIparæ conceptione. Refert Herodotus *lib. 4. pag. 119.* Theram insulam per integrum septennium siccitatem sustinuisse, nulla humectatam imbre, nullisque pluviæ refrigeratam guttulis, adeo ut ex torridi cœli inclementia plantæ omnes exarueriint, una excepta, quæ incolumis remansit, ac propterea jugiter virens dicta, eò quia virides ramos inter reliquarum incendia servaverit; & gratissims pubertate adoleverit, reliquis ante sennium emortuis. Symbolum immaculatæ Conceptionis. 22

Agnaxima planta in Brasilia celebris, eò quia ejus radix contusa, & malagmatis, aut emplastri in modum parti in humano corpore afflictæ imposita dolores sedat, & morbum dispellit: Lemma. *Malorum patientia victrix* APODOSIS. Vir patiens dolores, ægritudines, & quidquid adversi ei obtigerit citra proprium de- 23

detrimentum superat. Licet singulis morbis sua respondeant remedia; sola patientia vera est, ac efficax panacea, morbis omnibus curandis pharmacū peropportunum, estq; propterea antidotum vitæ. Unde cecinite ille.

Tu ne cede malis, patientia quippe dolori
Optima, sic vivis, fit medicina malo.

Aguaxima teste Pisone lib. 4. cap. 72. licet in plerisque Brasiliæ locis germinet, adolescat, ac feliciter crescat: maximè autem in fertilissimo Olindæ Promontorio. Frutex hujus plantæ perelegans est, excrescitque instar arbustulæ ad trium, vel etiam sex pedum altitudinem; ejus caulis est nodosus, teres, viridis, folia utilia Tiliæ cordis figuram exhibent, pluribus venis arcuatim inflexis eleganter distincta. Nodi, è quibus folia proveniunt, pluribus vestiuntur julis incurvatis virescentibus, & continent granula rotunda; semina papaveris magnitudine non excedentia, arctè inter se compacta, suntque acris saporis instar piperis. Hujus plantæ radix contusa instar malagmatis partibus imposita afflictis dolores mitigat, pus maturat, ac purgat.

24 *Arbor Sodoma* pomis onusta in extimo cortice venustis, ac spec em maturitatis præseferentibus, sed intus favillacea oppletis fuligine Lemma. *Levo pressa tactu cinerescunt.* APODOSIS. Opes, dignitates, résque omnes humanæ hisce dixeris pomis consimiles; plurimum habent exteriùs pompæ, sed si intimiùs introspiciantur, meram continent inanitatem; fallacémque fovent vanitatem. Excursus de mundi vanitate. Refert Solinus in agro Sodomitico poma gigni, quæ licèt speciem maturitatis habeant, mandi tamen non possunt: nam fuliginem intrinsecus favillaceam ambitio tantùm extimæ cutis cohibet, quæ vel levi tactu pressa fumum exhalat, fatiscitque in vagum pulverem. Mundi pompa extimâ quadam venustatis specie eblanditur; sed nihil intus continet firmi, ac solidi; vel levi pressa mortis tactu evanescit: non vera, sed mentita est pompa, cui si larvam detrahis, nonnisi inanem deprehendis vacuitatem. Tolenarius in cap. 11. Ecclesiast. scitè mundi pompam, & voluptatem pomis æquiparat Sodomiticis, inquiens. Alium cibum mensæ voluptati magis accommodatum nullum invenio nisi fortè poma Sodomitica: de quibus sic habet Solinus; præseferre quidem illa speciem maturitatis, cæterum speciosæ vitia ambitione favillaceam intrinsecus fuliginem abscondi, quæ vel levi pressa tactu fumum exhalet, & fatiscat in vagum pulverem.

25 *Arbores lanigeræ* in agro urbis Levidæ non procul à Hierico lanas suis in pomis producentes: exhibent hujusmodi poma formam cucurbitarum, & cum præduro exteriùs vestiantur cortice, intus referta sunt molli, eáque subtilissima lana, ex qua ipsi JESU Nave indumenta fieri consuevisse, refert D. Gregorius Turonensis *lib. 1. miracul. cap. 18.* ubi ait has lanas candore, & subtilitate admirabiles esse, & arbores crescere ad aquas calidas, in quibus Josuē solebat se lavare. Harum arborum meminit etiam Theophrastus *lib. 4. de histor. Plant.* Lemma. *Fit mollis, quæ dura fuit.* APODOSIS. Virtus extimo cortice duta, & aspera esse videtur, quia acquisitu difficilis, & nonnisi peraadua ad ipsam patet iter; sed si semel possideatur, fit mollis, dulcis, ac suavis. *Fit facilis, quæ dura priùs fuit inclyta virtus.* Excursus. De labore, quo virtus, & gloria comparatur.

Arbores mellifere in India, quarum meminit Q. Curtius lib. 6. celsitudine quercum æquantes, quarum folia mane horis antelucanis plurimo sunt melle imbuta; quod tamen illicò ad primum solis appulsum evanescit, & quæ dulcia sapiebant folia, amarescunt. Lemma. *Parum mellis multò felle diluit*, vel *fructus expirat in umbram.* APODOSIS. Mundi voluptas modicum mel is gustandum exhibet, sed quod illicò evanescit, diuturnum post se relinquens amarorem; adeò ut scitè voluptatem definiverit ille, dulce malum. Blanda siquidem est voluptas, quæ specie jucunditatis hominibus eblanditur, sed perniciosa, quæque in maximam tandem molestiam, ac calamitatem, cum infamia, & dedecore conjunctam eos indicat, quos semel amicè complexa est, ad quod allusit Plautus in Mereatore, cum voluptatem escam dixerit esse malorum, eò quia hac non minùs homo, quàm hamo capiatur piscis: & Cicero 2. de Legib. definit voluptatem malorum omnium fœcundam matrem, cujus blanditijs corrumpuntur, qui eidem adhærescunt. Blanda est voluptatis facies, sed cujusmodi Scyllæ, ac Sirenum venenosam secum trahentes caudam, quæ ut scorpius incautos vulnerat. Unde cecinit Poët. *Virgo formosa supernè. Desinit in turpem piscem male suada voluptas, utilitatque boni specie fucata.* Voluptatis appetitio plena quidem est jucunditatis, sed satieras referta pœnitentiæ; hanc enim semper dolor excipic, ac calamitas; quia ut cecinit Ovidius. *Gaudia principium nostri sunt sæpè doloris.* Plurimum enim infert voluptas damni; animi enim obscurat industriam, mentis perstringit aciem; rationis offuscat judicium, consilij impedit celeritatem; animum nobiliorem hominis partem à virtute detorquet ad vitium. Est voluptas Circe illa Homerica, quæ blando suo veneno dementat homines, & quadam veluti immanitate efferatos reddit, non absque sensu fucatæ jucunditatis. Decet igitur studio addictum virtutis, voluptates tanquam Sirenes surdis auribus præterire: Quod etiam innuit Ovidius *Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.* Luculentiùs Lactantius lib. de Opif. DEI ait: Te moneo, ut oblectamenta ista terræ pro magnis, ac veris bonis habere, ne credas: quæ sunt non tantùm fallacia, quia dubia; verùm etiam insidiosa quia dulcia. Excursus da damno voluptatis.

Ar-

27. *Arbores* Indiæ, quæ suos in humum flectentes ramos surgunt vegetiores, ac dilatantur lætiores. Lemma *Descende, ut ascendas*. Apodosis. Humilitas dum ad ima se demittit ad sublimiora surgit; sicut è converso superbus se erigendo deprimitur, quia crescente superbia, decrescit fortuna. Scitè Seneca in Agamemnone, Quicquid in altum fortuna tulit, ruitura levat: Refert Onesicritus, in Mesicana Indorum regione quasdam excrescere arbores, quarum rami, cum ad duodenos cubitos creverint reliquum incrementum in humum demittunt, ramósque deflexos terra inspelhont, ubi veluti traduces radices agunt, & mox in novas surgunt arbores, quæ auctæ iterum inflectuntur in humum aliam propaginem efficientes, & iterum post incrementum hujus aliam, sicque deinceps, ut ab una arbore longum fiat umbraculum, seu viride tabernaculum pluribus junctum columnis. Excursus de virtute humilitatis.

28. *Balsami arboris* radices nullam præseferunt venustatem, suntque rudes, deformes; sed si vel lapide contusæ, vel cultro incisæ fuerint præsertim ubi turgent rami, suavissimum stillant liquorem vulneribus curandis aptissimum. Lemma *Pretium è vulnere prodit*. Apodosis. Pretium redemptionis nostræ e Christi vulneribus fluxit, sanguis enim Redemptoris pretiosissimum fuit balsamum, quo cœlestis medicus nostrarum vulnera noxarum curavit, imò & cicatrices delevit; & simul pretium, quo redempti à dœmonis famulitio fuimus. Excursus de Christi vulneribus, & sanguine.

29. *Banana hortensis* arbor in Brasilia perquàm nota, & frequens, quæ excisa renascitur uberiori fœnore, ac incremento: amputato enim caule sex vel octo surculi ex radice exsurgunt, qui plantam renovant, & subsequente anno optatos ferunt fructus. Lemma *Aucto fœnore surgit*. Apodosis. Fides quamvis gladio persecutoris in SS. Martyribus dissecta, non tamen perijt, sed aucto fœnore crevit semper multiplicata in novis fidelibus: *Ecclesia* ait D. Hieronymus in vita Malchi *persecutionibus crevit, martyrijs coronata est*. *Excursus* De persecutionibus Ecclesiæ. Meminerunt Bananæ arboris Matthiolus, Piso, Dodonæus, & alij, asserentes, hanc plantam, sive fructū, sive folia, vel culturā, aut nascendi modū spectes pulcherrimam esse, & in quovis solo sive macra sterilescente arena, sive pingui fœcunda tellure adolescere, ac luxuriare, & incolas toto anni tempore ejus gaudere fructu. Caudex hujus arboris ex folijs compactilibus squamatim coagmentatis constat, qui decerptis fructibus tanquam inutilis amputatur, quia semel tantùm in vita sua fructum producit: sed excisa planta, sex vel octo surculi è radice germinant, adolescunt, crescunt, qui damna reperant excisæ matris, quam renovant, & sequente anno fructum ferunt.

30. *Balsamiferæ arbores* Arabiæ foliorum comis lascivientes, umbrásque projicientes ad amœnitatem simul, & solatium, folia sunt illis qualia herbæ Amaraco; ad has tamen arbores cubilia figunt sua viperæ, quas non solùm balsami liquor, sed & ipsa fruticis umbra delectat. Lemma. *Fallit sua quemque voluptas*. Apodosis. Mundi voluptas quamvis suis alliciat blanditijs, suisque arrideat gaudijs, lethali hæc tamen sunt mixta veneno, referta doloribus. Latet anguis in herba, decipit mundus, quos suis voluptatibus, fucatisque gaudijs ad se allicit, nilque veri habet nisi quòd suos fucatis decipiat blandimentis. Fallentes sunt mundi illecebræ, & eò nocentius fallunt, quò quis firmiùs ijs credit, adhæritque: hinc seriò monet D. Anselmus lib. 1 Epist. 8. *Si mundus, vel aliquid eorum, quæ sunt mundi, ridet tibi, noli arridere illi. Certe, frater non ridet tibi, ut in fine risu tu rideas, sed simulat risum, ut te irrideat. Esto igitur dilectissime semper cautus, ut anticipes eum, & retorqueas fraudem ejus in eum; & cum ille tibi fallaciter ridet, tu veraciter irride eum*. Mundi voluptas larva ficta est veri doloris; blanditur, ut torqueat; mulcet, ut cruciet; ridet, ut lacrymas eliciat: æternùm lugebit qui temporario fletu larvatum mundi risum non eluit: qui verò gaudente mundo lacrymas fundit, hoc stillicidio flores sibi irrigat gaudij nunquam interituri: huc accersendus Tertullianus lib. de Idololatria cap. 13. inquiens *si cum mundo gaudemus verendum est, ne cum mundo lugeamus: mundo autem gaudente lugeamus, & mundo postea lugente gaudebimus*. Si oculos in retroacta sæcula flectamus, procul dubio deprehendemus omnes deceptos fuisse quotquot mundo ridenti crediderunt: aliorum deceptio sit nostra eruditio, non fidamus mundi illecebris, eúsque non credamus voluptatibus, quæ cubilia sunt viperarum, antra serpentum, qui dum oscula videntur figere, lethalia infligunt vulnera. Eos imitatur mundus parentes, qui suos Saturno immolaturi tenellos filios blanditijs, ac osculis eorundem exsiccabant lacrymas, coërcebant vagitus, ne hostia lacrymis madens Numini immolaretur, ut refert Minutius in Octavio inquiens: *In nonnullis Italiæ partibus à parentibus infantes Saturno immolabantur, blanditijs & osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immolaretur*. Excursus de mundi fallente voluptate.

Basilicum, seu *ocymum* herba nota, & fa- 31.
miliaris, quæ blandè tacta suaviter olet, durè verò compressa, ac asperè contusa non solùm omnem deperdit gratum odorem, sed & scorpios gignit. Lemma *Non acerbè, sed blandè*. Apodosis. Clementia principem decet, quâ populos amore sibi conciliet: non sævitia, quâ eorumdem foveat odia, non duris, nec diris excipiat alios; sed blandis, mollibúsque eos sibi devinciat; amari potius studeat, quàm timeri.

EXCURSUS.

Clementia principis tutiùs populum regit, quàm timor, & terror.

32. Salus principis in civium benevolentia cotè conquiescit; exitium verò in odio, ac timore paretur; non terrore, sed amore veneratio acquiritur; valentior est enim amor ed obtinendum quod cupit, quàm timor ad id extorquendum: Respublica Romana à primordio egena, amicos potius sibi conciliere benevolentia, & imperiis beneficijs curavit; quàm servos ermorum quærere violentia; censens tutius esse volentibus, quàm coactis imperare. Tyrannica fuit vox ille Syllana, quæ multos egit p æcipites teste Seneca *in Traged. Oderint dum metuant* cujus esperitatem mollitus Tiberius dixi *Oderint dum probent:* sed perperam odium cum approbatione copulavit: homines enim quod oderunt difficulter approbant; verè Tacitus monuit: *Metum & terrorem infirma esse charitatis vincula. quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipiunt, & repertis anctoribus animos tollere.* Execrabile fuit Caligulæ effatum, cum non ut imperator, sed ut carnifex dixit: optare se, unam dumtaxat cervicem habere populum Romanum, quam unico posset facilius ictu amputare, cui postea à Chærea interfecto insultavit populus Romanum, exorsitque: *At tu unam cervicem habes, nos verò manus multas.*

33. Lenitas in subditos à principe exercenda, non asperitas, illa amorem conciliat; hæc odia fovet, & exitus sortitur exitiales, quod innuit orator Genuensis Duci Mediolanensi, ut refert Justinianus Historiographus Genuensis lib. 6. inquiens. Franciscus Marcio Juris Consultus egregius missus à republica Genuensi orator ad Ducem Mediolanensem. Cum is nollet eum dimittere, nec pactis conventia cum Genuensibus stare; capta occasione obtulit eidem Duci manipulum herbæ Ocymi, seu Basilici t admirabundus Dux quid hoc esset, & quid rei significaret quæsivit ab oratore, qui reposuit, eam esse traditæ plantæ naturam, ut leniter, ac suaviter contrectata gratum spiraret odorem; minis tamen duriter compressa, & attrita non solùm omnem suavitatem deperdat, sed etiam ineunte tempore scorpios generet: ingenia Genuentium eamdem fuisse naturam sortita, propterea sibi dux consuleret, qui hoc delectatus responso priorem sententiam mutavit, & legatum honorificè dimisit, ut refert Camerarius in symbolie. *Qui se metui volent* ait Cicero, *à quibus metuuntur eosdem metuant ipsi necesse est. Nullaque adeo vis imperij tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna.*

34. Idque expertus fuit Roboamus cum primùm defuncto Salomone patre successit in principatu enno ætatis quadragesimo. Nam cum Jerobnemus à regni proceribus ab exilio revocatus nomine populi in comitijs Sichemicis (ubi Roboamus erat Rex inaugurandus) supplicìter peteret onere tributorum relaxari, quibus Salomon populum presserat: Roboamus triduum ad deliberandum super populi postulata elegit, remque totam ad sapientes, & expertos consiliarios deferri voluit: qui cum suaderent ut Regnum à clementia auspicaretur; eò quia prudentis sit Principis populum amore sibi devincire, & ad obsequia ducere, non vi trahere; necullum sit mejus Regnorum præsidium, quàm subjectorum benevolentia, sine qua nutat Regnum, nec ulla potest stare potentie, nec Regius dominatus, qui à libera fuit populi voluntate inventus; non timore, ac violentia comparatus: indignus est regno, qui ut regnet, violentiâ utitur: ad populi igitur fovendum amorem, & obsequia excitanda consultius censuerunt veteres Consiliarii, ut Roboamus postuletis populi annueret, eliquid de rigore remitteret, & imposita onera televeret, eò quia satiùs sit pecus tondere, quàm deglubere.

Sed Roboamus saniora aspernatus hæc seniorum Consilie, convocavit in senatum juvenes, sibi, ut ætate ita & stolida ferocia haud absimiles, qui Spiritus elatos magis inflaturi, Consilia veterum spreverunt, asserentes indecorum esse regiæ majestati lenitatem, ac metu defectionis ad populi arbitrium inflecti: plura metu à populo extorqueri, quæ mititate non obtinentur ad potentiem Principis pertinere ærarium opibus plenum; principem pecunijs destitutum imbellem esse, ac sine viribus; militem non conduci nisi pecunia, nec exercitum sine divitijs parari, vecordi multitudini per exactiones & tributa detrahendum sanguinem, ne volens sine viribus furere non valeet: arrisit Roboamo juniorum Consilium; respondìtque populo: minimum ipsius digitum esse crassiorem, quàm patria lumbi fuerint, & si ab ipso nimium se putarent gravatos, duriùs à filio tractendos esse; quod si scuticis cæsi antea fuerint, nunc scorpionum eculeis urgendi erunt ad perendum cuilibet regis nutui. 35.
Irritatus hoc responso populus uno ore exclamavit: nihil sibi futurum empliùs cum Davidis progenie, rebellevitque regi, a quo defecit: sicque Roboami asperitas dissipavit, quæ Davidis, avi lenitudo collegerat: dixit Tyrannous magis, quàm princeps 3. Reg. c. 12. *Pater meus cæcidit vos flagellis: ego autem cædam vos scorpionibus:* tributa quæ populo imponuntur, vulnera sunt, quæ eidem infliguntur: ferit odia Principe quoties fortunas metit subditorum; benignitas, & clementia sunt voluntetum illicia; austeritas & durities animos avertunt; populus illuc se inclinat ubi humaniùs tractatur, & principis violentiæ pertinaciter obsistit.

36. Documentum dedit Caligula, qui cum in subditos sævitia, rapinis, & extorsionibus grassaretur, monitus ab Antonia avia, ut mitiùs egeret, seque modestius gereret, reposuit: Memento mulier omnie mihi, & in omnea licere; oderint dum metuant, utinam populus Romanus unam cervicem heberet; ut unico ictu eam amputarem. Principes Theodosium imi-

imitentur, qui amore, ac benevolentia corda sibi devinxit subjectorum, & benignitate populum flexit, ut ipsi magis libuit, de quo ait Pacatus in Panegyrico: *Tu amicitiam, nomen ante privatum, non solum intra aulam vocasti, sed indutam purpurâ, auro, gemmisque redimitam solio recepisti, neque non verbis asservisti, principis mentem tanto in suos benigniorem esse debere, quanto sit fortuna præstantior, cum fide, ac facultate paribus agas, familiaribus tuis imperator tribuas, quod privatus optaras.* Amari velit qui tutè vult imperare, quia ut vetus fert paræmia *Amor populi munimentum inexpugnabile.* Justitiam exerceat princeps, ne delicta grassentur impunita, sed ejus rigorem clementia temperet, quâ vel ipsos reos in suum trahat obsequium, Deóque proximiùs appropinquet, de quo David Psalm. 85. *Quoniam tu Deus suavis, & mitis, & multæ misericordiæ* Deum in clementia imitari reges non pudeat; errare hac prælucente face à recto non possunt tramite; & ij errant, qui ab illius semitis recedunt; nulla est virtus quâ facilius, ac firmiùs regna parentur clementiâ aptior; idque expertus Severus imperator dixit, securiorem se, ac diuturniorem potestatem lenitate, & clementia fecisse, quàm rigore, & asperitate. Hannibal plus laudis promeruit mansuetudinis studio, quam bellicæ fortitudinis exercitio, ait enim de ipso Valerius: *Plus illi gloriæ Paullus, Gracchus, & Marcellus sepulti, quàm oppressi attulerunt. Siquidem illos punico astu decepit, Romana mansuetudine honoravit.* Et senatus ipse Romanus excitatos pluries in populo seditionis ignes felicius leniâ clementiæ aquâ restinxit, quam plurimi sanguinis crebra effusione.

37. *Basourintha* planta Americana Brasiliensibus perquam nota, & vulgaris inflammationibus extinguendis, ac doloribus sedandis præsentissimum exhibet alexipharmacum Lemma *Pravos eximit æstus* Apodosis. Arbor crucis, & mors in ea Redemptoris si nostræ fuerint meditationis objectum, pharmacum suppeditant depravatæ concupiscentiæ extinguendis flammis præsentissimum: præsertim si seriò consideremus nostra delicta suorum fuisse causam dolorum; pravas nostras concupiscentias vulnera inflixisse; turpes nostras cogitationes spineum sertum innocentissimo capiti inseruisse, sanguinisque elicuisse stilicidia. Nos nocentes pomi dulcedinem delibavimus & ille innocens fellis amaritudinem gustavit; nos ad illicitam concupiscentiam traxit arbor, & illum perfecta charitas ad crucem rapuit. Excursus de cruce, & Christi passione. De Basourintha planta ait Piso lib. 4. c. 80. non in sylvis, sed apricis passim luxuriare in campis, ubi ad cubitum alta plurimis, ac tenuissimis, simulque tenacissimis caulibus communitur, qui pluribus angustis, & exiguis accuminatis folijs sibi invicem oppositis vestiuntur, quibus inserti apparent oculi, e quibus flosculi dilutè albicantes, ac cærulei germinant: additque hujus plantæ decocta, balnea, suffimigia admodum esse anodyna, emollientia, & attemperantia, inflammationibus extinguendis, ac doloribus sedandis perapta.

Caaroba arbor Americana sylvestris, ac 38.
procera foliorum comis venusta, gustu amara, sed siccata, & contusa ejus folia vi pollent mundificandi, & sanandi. Lemma *Quò amarior eò salubrior* Apodosis. Pœnitentia amarum propinat haustum, sed saluti restaurandæ peraptum, & quò ipsa est acerbior, & amarior, eò uberiori pollet virtute conscientiam purgandi, noxarumque sanandi vulnera, & ægritudines. De Caaroba arbore ait Piso c. 19. eam terris solidis, ac glebosis delectari; florem producere è cæruleo purpurascentem, cujus intus semen nigrigat: ejus folia oblunga esse, linguæ figuram imitantia, dilutè viridia, nervo secundùm longitudinem, costisque obliquis eminentibus prædita. Gustu esse quidem amara, sed siccata & contusa fomentis, ac balneis peridonea, & quæ ex ipsidem conficiuntur remedia exsiccandi, mundificandi, ac sanandi vi pollent; & præsertim in lue venerea excutienda plurimum obtinent roboris: sin verò hæc eadem folia contundantur, vel terantur, ac in emplastrum præparentur, ac ulceribus applicentur mirifice prosunt, morbúmque radicitùs expungunt? præsertim si repurgato prius corpore decoctum per dies aliquot bibatur: sudores enim provocantur, quibus radix ipsa morbi evanescit.

Caa-apia humilis in America planta, sed 39.
pluribus prædita virtutibus, quibus præsertim viscera à crassis fuliginibus liberat, virusque à ventre excludit. Lemma *splendescit in usu.* Apodosis. Virtus etiam in parvis, & exiguis corporibus enitescit plerunque illustrior cum exercetur; non otiosa nitet, sed operosa refulget. De Caa-apia planta exigua, ac depressa scribit Piso *lib. 4. cap. 49.* quod ex ejus radice duos vel tres digitos longa, & pennam olerinam crassa, nodosa, verrucosa, filamentis ad latera, & inferius tenuibus prædita, exterius è gryseo flavescente, interiùs alba tres, vel quatuor pullulant pediculi tenues, teretes, tres vel quatuor digitos longi, quorum quilibet unico ornatur folio obrotundo, & oblongo, tenerrimo, superiùs splendidè viridi, interius ad album vergente; habetque nervum, & inferius venas transversim conspicuas. Florem etiam fert in proprio pediculo rotundum, figuram exhibentem umbilici, pluribus distinctum staminibus; seménque edit minutissimum. Radicem vero fundit pro mole sua valde crassam, tortuosam, ac more ceparum fibratam; ejus virtus in vomitu ciendo, alvique profluvio compescendo plurimum valet. Plantam hanc indigenæ integram contundunt, succoque prælibato virus è ventre excludunt: à colubris læsi, aut sagittis venenatis percussi eundem succum instar antidoti vulneri instillant.

Cabureiba arbor in Brasilia nota, & in pre- 40.
tio, eò quia ex ejus læso cortice balsamum fluat fragrantissimum curandis vulneribus peridoneum Lemma. *Dat cæsa salutem* Apodosis.

Cru-

Crucis arbor, in qua Christus pependit nostram salutem tunc fuit operata, cum Christus fuit in ipsa vulneribus cæsus, è quibus fluxit sanguis quovis balsamo pretiosior, & quo cœlestis medicus nostris voluit vulneribus noxarum mederi, quibus anima multipliciter vulnerata lethalem contraxerat ægritudinem. Excursus de Christi vulneribus, & sanguine. Est Cabureiba ex Pisone *lib. 4. c. 5.* Arbor, cujus folia sunt exigua instar myrti, cortice cinereo, digitum crasso, tenui membrana miniati coloris, exteriùs cooperto, sub qua fluit flavus liquor, quo totus cortex turgere consuescit: revirescente arbore luna plena, ex læso seu vulnerato turgente cortice pendulis vasculis liquor, seu balsamum fragrantissimum vulneribus medendis aptissimum excipitur. Aliquot etiam ejus guttulæ per os jejunis exhibitæ Asthmati prosunt, intemperiem ventriculi, ac viscerum inveteratos languores hoc balsamum corrigit. Irrigatione, & frictione capitis, ac cervicis ex panno rubro cerebrum corroborat, à paralysi, & spasmo præservat; & nervorum debilitatem in pristinum restituit vigorem.

41. *Copaiba* arbor in Brasiliæ provincia sylvestris, & procera, cortice cinereo, ex quo inciso usque ad medullam luna pleno orbe catusca balsamum fundit, non solum vulneribus restituendis peraptum, verùm & cicatricibus delendis idoneum: Lemma *Quia læsa, fragrantior.* Apodosis. Vir studio patientiæ addictus si lædatur in cortice, seu corpore virtutis exercitio olet suavior. Excursus de exercitio patientiæ in adversis. Copaiba ex Pisone lib. 4 c. 4. arbor est in Brasilia sylvestris, ac procera, cortice cinereo, quæ superius in ramos dispescitur. Folia habet semipedem longa, majora quoque, & minora, duo sibi invicem opposita, in extremitate autem duo conjuncta, oblunga, acuminata, nervo & venis paulum rufescentibus, superiùs viridiora, inferius dilutiora. In extremitate majorum ramorum plures congeruntur ramuli, quibus folia frondium figura insident; ubi & flores enascuntur; quos sequuntur fructus baccæ lauri magnitudine, & figura, initio virides, maturi nigricantes, subdulcis saporis. Pinguis & odoriferus est liquor, quo hæc arbor abundat, & ab inciso cortice ad medullam usque luna plena destillat: spatio enim trium horarum ad duodecim dicitur olei libras fundere; & si cesset liquor fluere vulnus cera, vel argilla obducitur; & post duas hebdomadas iterum fundit, imò & cum fœnore moram compensat. Hic autem liquor mirifica pollet vi mundificandi, & consolidandi, vulnera præsertim curandi, ac cicatrices delendi.

42. *Caprificus* arbor, talis teste Plutarcho *in Sympos. lib. 2.* est naturæ, ut ejus rami collo impositi lascivientia tauri non solum ejus compescant libidinem, verùm etiam immobilem sistant. Lemma *Impetus coërcet effrænes.* Apodosis. Arbor crucis si seria meditatione menti hæreat, omnes excutit depravatæ concupiscentiæ lascivientes, ac turpes cogitationes, & castas inserit; Christi in cruce patientis cruciatus, si seriò perpendantur pravam nostram coërcent concupiscentiam, piáque suggerunt desideria.

Caprifici fructus non maturescit, sed culices gignit, qui devolantes ad alios fructus perfoso eorundem cortice ad maturitatem feliciter perducunt, ut narrat Theophrastus *lib. 2. de Plant. c. 12.* Lemma. *Non mihi, sed alijs.* Apodosis. Vera charitas non proprium, sed alienum commodum quærit; & quæ alijs prosunt, non quæ sibi, promovet. Excursus de charitate in proximum. 43.

Cereus spinosus planta est tam excellens, 44.
ac venusta, ut cælum stellis referat coruscum, sed hastis valatum, corneisque stylis circumseptum. Lemma desumptum ex Seneca: *Petitur hac cælum via.* Apodosis. Adversa ferro, ære, ac vulneribus nobis ad cœlum sternunt iter; Id nos edocet per oculos efficaciùs, quàm per aures Cereus spinosus, cujus elegantiam describit Ruelius lib. 18 de plantis cap. 48. ubi asserit, hujus plantæ venustatem animam, & oculos opplere spectantis: hastas enim surrigit quaternas, & quinas novendecim, & vicenûm cubitorum; virgatis & ad normam directis striis cannulatas. In externis striarum angulis obrusis plures collucent stellulæ corneis stylis radiatim è suo centro utrinque obarmatæ: obductus est callosa carne, & succo aloes: flores in summo vestigio promit gratissimos. Hæc planta cœli refert venustatem, simúlque viam signat, quà ad ipsum itur, cum hastas surrigat, corneos stylos exerat, & spinis ex quavis parte rigescat, succum exhibeat amarum. Excursus de Tribulationibus exhibentibus occasiones merita cumulandi ad uberiora cœlestis gloriæ incrementa.

Caapomonga planta est Americana locis 45.
gaudens confragrosis, macráque arena sterilescentibus, ubi felicius germinat ac virescit: ejus radix præparata partim vomitu, partim minctu venenum è corpore ejicit, quod à pravis quibúsque humoribus etiam purgat. Lemma *dispellit noxia quæque.* Apodosis. Sacra exhomologesis quâ animæ noxæ clavibus subjiciuntur Ecclesiæ, peccata quæ lethaliter nocent abigit, culpas delet, & noxia quæque dispellit, purgátque conscientiam, quam pristinæ restituit incolumitati. Excursus de Sacramentali confessione. Hæc planta caapomonga ex Pisone *lib. 4. c. 72.* sylvestris est fruticescens, plurimum habet viscositatis, quâ manibus, ac vestibus adhærescit, luxuriat in locis arenosis, ac confragrosis. Florem producit album, ac dilutè rubrum exiguum, sed venustum; folijs vestitur oblongis saturéque viridibus: ejus radix flavescit, estque subdulcis saporis, ac aromatica: quæ si in conveniente liquore hauriatur præparata, præsens habetur contra venena antidotum; per vomitum enim, & minctum noxia quæque pellit.

Chrysopole herba est quæ in Pactulo flu- 46.
vio dicitur nasci, ac adolescere ea pollet virtute, & vicinarum urbium incolæ ejus examine purum aurum ab adulterino discernant. Eo tempore, quo aurum purgant hanc admo-

vent

vent artifices herbam, cujus folia si purum, defœcatum, ac probatum sit aurum, inaurantur; sin autem adulterinum fuerit, ac corruptum auro illiniri non patiuntur folia. Lemma *Puréque illinis honore*. APODOSIS. Cultor castitatis obscœna, lascivа, & malè olentia verba audire non patitur; sed tantùm quæ puritatem sapiunt recipit, menteque imprimit. Excursus de cultura castitatis, deque obscœnis verbis non audiendis, pravisque socijs declinandis.

47. Cupressus arbor feralis Libitinæ dicata, & funeribus destinata blattas, & tineas ligna alia corrodentes non sustinet. Lemma *Vitam mors ipsa tuetur*. APODOSIS. non finit seria mortis recordatio hominem mori, quia à peccato mortem inferente, seu adferente privatinnem gratiæ, quæ est vita animæ avertit. Excursus de salutifera mortis memoria, quæ perinde ac cupressus vitiorum blattas, quæ animum arrodunt, ac perimunt, abigit, & non patitur.

48. Cynosbatus herba, afferente Æliano de Animal. lib. 14. c. 27. interdiu, ac sole splendente delitescit, ac vilescit; nocte verò tenebris obsita, umbrisque immersa splendet instar syderis, igneòque splendore coruscat. Lemma *eò illustrior, quò obscurior*. APODOSIS. Vir alcero studio addictus humilitatis delitescit obscurus per diem præsentis vitæ; sed accedente mortis nocte splendescit clarior supra sydera cælestis gloriæ splendore circumfusus. Excursus de virtute humilitatis.

49. Dodecatheos herba est, ait Plinius lib. 25. c. 4. quæ septem constans folijs omnibus curandis morbis petapta est, sitque propterea morborum panacea. Lemma alludit ad septem hujus plantæ folia: *Omnis in hisce salus*. APODOSIS. Septem in Ecclesia Sacramenta totidem sunt alexipharmaca, quæ nobis salutem conferunt, oosque vel primæ gratiæ, quæ vita est animæ restituunt; vel ejus incremento uberiùs corroborant. Excursus de Sacramentis, & gratia nobis collata beneficio eorumdem. Ait Plinius, Hanc herbam maximæ esse auctoritatis, ac virtutis, & in aqua potam omnibus mederi morbis.

50. *Embira* arbor sylvestris Americana procera, cujus semina si à jejuno comedantur, stomachum debilem corroborant, & flatus discutiunt. Lemma *Præstant jejuniæ vires*. APODOSIS. Preces quas Deo fundimus symbolicè embiræ semina exhibent; quæ si jejunio neċtantur, ac consocientur, plurimum suppeditant virium, ac roboris contra tartareos hostes, qui oratione, & jejunio fugantur. Excursus de oratione cum jejunio. Scribit Piso lib. 4. cap. 20. Embiram arborem esse admodum proceram, quæque in summam altitudinem recta assurgit; mensibus pluvijs ejus acinos virere; rubere verò cum maturiunt; & nigrescere exsiccatos. Si à jejunis comedantur, stomachum debilem corroborant, & flatus discutiunt, imò contusa morsibus serpentum medentur.

51. Fœnum græcum teste Plinio lib. 18. c. 16. scarificatione seritur, non altiore quatuor digitorum sulco; & quò pejus tractatur eò germinat lætius, adolescit vegetius, & pulchrius crescit. Lemma *Crescit in adversis*. APODOSIS. Virtus dum deprimitur non opprimitur sed erescit pulchrior, & dum patitur vincit, victrixque triumphat; quia ut ait Livius dec. 3. lib. 2. Pertinax virtus omnia vincit; & veritas premitur, sed non opprimitur: quin ipsa potius se prementes tandem opprimit, cui suffragatur Cicero pro Cluentio inquiens *Multorum improbitate depressa veritas emergit, & innocentiæ defensio interclusa respirat*. Excursus de adversitatibus.

52. *Granadilla* flos è Peruvianis, ac Mexicanis hortis longè disterminatis ad nos delatus Christi patientis depictus instrumentis, ac divini amoris manu vitalibus inscriptus doloribus Lemma. *Ludunt in flore dolores*. APODOSIS. Frequens meditatio Christi patientis in solo nostri cordis flores excolit virtutum, quas promovet. Excursus de Christi passione. Virtutum cultoribus etiam pœnæ, & cruciatus vernantes adolescunt in flores; ut in Granadilla, in qua extima per ambitum folia in aculeos extenuantur spineam coronam molliter compingentes; saxóque in germen emollito columnam ex atrio crudelitatis ad piam in flore meditulio structuram excitandam transmigravit, Columnæ imminet globolum spongiæ rudimentum quondam felle imbutæ, nunc delicijs circumfusæ, ac mœroribus detergendis accommodatæ; terni etiam vel quaterni educuntur in floris sinu clavi animis amabiliter configendis perapti. Folia in lanceas exacuuntur non ut vulnera odij symbola infligant; sed oscula in amoris tesseram infigant, quippe reiusæ in ipso charitatis pectore nocere desueverunt: una desideraretur crucis effigies, sed flos ad delicias natus extremam sævitiem repræsentare forsan exhorruit. Ex alijs doloris instrumentis vix unum denotari potest, quod in floris delicias non abierit; quò inde discamus æquo animo pro Christo adversa pati, cum instrumenta suppliciorum in rudimenta transeant deliciarum.

53. *Herba amoris* græcè *Hecatoncephalos* dicta, de qua ait Plinius lib. 22. adeo mirabilis esse naturæ, ut ejus radix, licèt inventu rara alterius sexus referat similitudinem; si tamen à viris contigerit inveniri, eos amabiles reddere. Lemma ex Claudiano *Magnes amoris amor*. APODOSIS. Virtus suos cultores dignos efficit amore, eos commendat; nec quidquam est ad amorem potentius, quàm virtus humanitate, & comitate ornata. Excursus de virtute animos allicientе ad sui amorem.

54. *Hebenus* apud Indos arbor est excelsa, de qua Virgilius 2. Georg. *India fert hebenum, molles sua thura Sabei*, lignum hujus arboris ponderosum est ad nigredinem vergens, lævigatum splendescit, & sectum obdurescit, ac perficitur, hyeme viret, nec cariem sentit, nec senectæ est obnoxia. Lemma ex Claudiano *Ipsa sibi pretium*. APODOSIS. Virtus licèt adversis prematur, non tamen opprimitur, sed perficitur, & quo asperiùs tractatur splendescit nobilior,

lior, cariem non patitur, quia vitia longè abigit. Excursus de virtute, quæ contrarijs oppugnata magis perficitur.

55. *Hedera* frutex jugiter virescens, sed cum detrimento proprij fulcimenti, cui innititur, siquidem ejus succum exhaurit, vires extenuat, & plerumque, vel exsiccat, ac interimit si arbori adhærescat: vel disrumpit, ac præcipitem agit si parieti. Lemma *Ingratis servire nefas*. APODOSIS. Ingrati animi vitio laborantes suscepta beneficia illatis solent damnis compensare.

56. *Herba*, quæ vulgò *sempervira* audit, quæ nullo unquam frigore, nulloque æstu læditur, nulla ariditate vincitur, nulla humectatione corrumpitur, sed semper eadem jugiter virescit, sive rigeat bruma, sive rideant prata, sive arescant campi; neque loci angustia premitur, nec divisa minuitur, nec avulsa commoritur. Ipsa enim in se radices complectens humectat; & quovis in loco eas figat, sive in opaco, sive in aprico, semper augetur, viret, ac dilatatur, ut non incongruè semper viva audiat. Lemma *Cunctis immota casibus*. APODOSIS. Virtus sive adversa insurgant, sive prospera arrideant, semper eadem inconcussa manet.

57. *Icica* arbor Americana, cujus folia in ramulis, duo semper sibi invicem opponuntur, dantque venustatem tertio in sublimi medio insidenti solitario Lemma. *Decus contraria præstant*. APODOSIS. Virtus, quæ sedet media inter duo extrema sibi contraria ob excessum, & defectum plurimum acquirit decoris, ac venustatis si contraria experiatur sibi adversa. Excursus de Advesitat bus utilitatem afferentibus animæ si æquo animo ferantur. Icica ex Pisone lib. 4. cap. 7. crescit in modum fagi, caudice tamen non ita crasso, cortice glabro, & gryseo. Folia producit in ramis situ opposita, quasi tertium solitarium in rami fastigio tuentia; suntque oblonga, anterius acuminata, modicè crassa, & lætè viridia, nervo in longitudinem, venisque obliquè discurrentibus. In ramulis ad foliorum exortum copiosi pronascuntur flores racematim, ac verticillatim congesti, constántque quatuor tantùm virescentibus folijs, figuram exhibentibus stellulæ: in ambitu hæc foliola alba notantur lineola; in meditullio staminula fovent flavescentia. Flori respondet fructus figura, & magnitudine, olivæ, colore mali granati; pulpa intus gratum efflat odorem; è cortice itidem liquor fluit odoriferus, si paulum mulceatur: ut etiam cortex arboris si in plenilunio cædatur cultro liquorem dat vulneribus curandis optimum.

58. *Jetaiba* planta in Brasiliæ tractu pernota, ex cujus cortice resina destillat pellucida, nunc albicans, nunc flavescens succino similis colore, ac duritie, quæ prunis imposita suavissimum exhalat suffitum. Lemma *Fragrat dum flagrat*. APODOSIS. Vir patientiæ virtutis studiosus, tunc suavius olet cœlitibus, cum in terris pressuris affligitur, ac cruciatibus torquetur, quos æquo animo, ac mente serena tolerat. Excursus de virtute patientiæ in adversitatibus. Jetaiba ex Pisone lib. 4. c. 8. arbor est in Brasilia præsertim Parayba districtu, ligno duro, cortice lento, punctulis ex albo flavescentibus variegato; hinc inde maculas habet clypei quasi figuram præseferentes. Folia in ramis oblonga, & viridia inter se se directè opponuntur, ad tactum lævia sunt, nilque continent asperitatis; si tamen divulsa contundantur, & contusa haustu aliquo ebibantur, lumbricos in humano corpore, seu elminthes, & ascarides enecant. Fructus hæc planta producit, qui forma, & magnitudine videntur fabas nostrates æmulari, nisi quòd miniati sint coloris, & intus farinam albam edulem juxta tria lapidea grana digitalis longitudinis contineant: ex quibus vi fractis prodeunt nuclei molles, oblongi miniato colore nigrescentes, suaviter olentes, ac pergrati saporis amygdalini. Ex arboris cortice resina destillat succino similis, quæ prunis imposita cum lentè aduritur suavissimum efflat odorem.

Ilex glandifera arbor est, excelsa, cujus 59. duo sunt genera, diversi sexus: aliæ enim sunt ilices fœminæ, quæ & glandiferæ sunt. Ilices mares glandes non ferunt; sunt tamen ambæ arbores similes, ac pares, folio non multum ab oleis distant, sunt aculeata, & ægrè defluunt; si ilex fœmina sit prope marem lætius viret, & oberiori glande ditescit; & ambæ arbores rectè simul cohærent. Lemma *Pacis concordia nutrix*. APODOSIS. Conjuges si pari consensu, mutuóque amore sibi correspondent, rem domesticam egregiè promovent.

Iberaca arbor Americana procera, & vasta, 60. ex cujus recenti cortice succus elicitur lacteus, qui scabiei, ac tineæ capitis præ cæteris medetur. Lemma *Diluit dum eluit*. APODOSIS. lacrymæ quas dolor ex oculis elicit resipiscentia scabiem diluit noxarum, & tineam depravatæ concupiscentiæ extinguit. *Excursus* de lacrymis pœnitentiis. Hæc arbor Iberaca ad singularem crescit proceritatem in America ex Pisone l. 4. c. 20. ejus lignum est dulce, truncus cortice vestitur glabro, intus albicante, exteriùs rubescente. Folia instar lauri forma, & virore. Fructus flavescentes prunis consimiles: lignum est prædorum, resistit putredini, & à naupegis expetitur. Virtus præcipua hujus arboris in cortice latet, ex quo cæso succus lacteus elicitur scabiei; ac tineæ capitis corandæ aptissimus. Addit Piso ex cortice hujus arboris fieri decoctum in aqua fontana palato haud ingratum, quodque contra luem Veneream præsentissimum est Alexipharmacum.

Juniperus planta sylvestris nota præser- 61. tim rusticis, cujus fructus avidè colligunt, servantque vel in baccas prunis imponendas, suffitum enim emittunt capiti salubrem, qoiqun noxias qualitates ab aere in cameris diu clausis dispellit: vel in condirivis servant ad morbos curandos. Lemma *Fructum dat spina salubrem*.

APO-

Apodosis. Eremicola in solitudine à frequentia hominom sejunctus spinis circumsis pius cilicij, ac pœnitentiæ, fructus virtutum producit saluberrimos, quibus anima non solùm à morbis curatur pravorum desideriorum, verùm & nutritur ad cœlestem vitam. *Excursus* de Pœnitentia in eremo. Juniperus locis gaudet sterilibus, macráque refertis arena. Viret perpetuò, sed nunquam floret, & sicut à florum juventa, ita & à senectæ ariditate est immunis. Ejus lignum apprimè durum, ac solidum est, diúque sub cineribus ignem fovet: baccas habet plurimas pollentes virtute contra putrescentes morbos, & ad capitis imbecillitatem corroborandam, caulem, ramósque habet asperos, ac tortuosos; spinis perpetuò armatur, non folijs exornatur; ejus lignum prunis impositum fumum emittit salubrem, purgat enim aërem, & caput corroborat.

62. *Jacapes* apud Brasilienses gramen est junceum, imò planta potiùs ex Pisone lib. 4. c. 58. ex radicula tenui, exili, geniculata, juncea, alba ad hominis excrescens altitudinem; caulis est illi simplex instar culmi siliginis, teres, qui postea in aliquot folia finditur graminea, angusta, in medio nervum in longitudinem protractum habentia; ejus radices si decoctæ hauriantur humores in corpore peccantes corrigit, & venena dispellit. Lemma *Dispellit contagia cordis* Apodosis. Humilitas symbolicè expressa per radicem Jacapta humi delitescentem vitia nulla patitur in suis cultoribus, & veluti animi contagia dispellit.

63 Larix arbor montium amans, emori contumax, vi pollet incorrupta; carbonibus imposita non ardet, sed instar lapidis obdurescit Lemma. *Perficiunt adversa non inficiunt.* Apodosis. Virtutem adversa polliunt, ac perficiunt, suntque eidem exercitio, non exitio.

64. Laurus virtute, ac triumphis celebris reliquas videtur arbores anteire. Parnassi enim in monte suas Musis umbras indulsit. & Romæ victoribus Augustis caput cinxit, ornavitque tempora; moris enim fuit ut triumphantes Romæ lauro redimiti Capitolium ingrederentur. Virescit semper nec foliorum comas unquam deponit; neque fulmina de cœlo in terras ruentia quidquam ei adferunt nocumenti; idque causæ, cur Tiberius fulminante cœlo lauro vinctus, ac tectus incederet. Lemma *Semper illæsa virescit.* Apodosis: sicut laurus fulmine non tangitur; ita nec virtutem adversa lædunt. Duo lauri genera asserit Cato Delphicam laurum, quâ Victores Delphis coronarentur, estque viridior; & hac lauro Tiberius Cæsar Romæ tonante cœlo contra fulminum metus consuevisse coronari tradit Plinius *lib.* 15. alia est Cypria, quæ minoris fiebat.

65. *Laurus* pulvillis subjecta credebatur somnijs veritatem conciliare, quapropter ad futurorum præsagia prisci Romani lauro utebantur, & vates, ac divinatores laureis coronabantur frondibus: eratque laurus Apollini sacra. Lemma *Mendacium illiberale, veritas generosa.* Vel *veritas etiam somniata triumphat.* Apodosis. Veritas semper illucescit, quamvis diu lateat tandem foras emergit: estque syderi haud impar, è tenebris surgit, & clariùs illucescit.

Laurus frigus aversatur, nec rigentem pa- 66.
titur brumam; igni etiam crepitu obluctatur, quo prunas pro viribus excutit; malique ominis apud priscos Romanos habebatur, prunis impositam non crepuisse. Lemma *Malum aversari virtutis est* APODOSIS; quæ noxia virtuti sunt, vir probus declinat. Excursus de fugiendis occasionibus peccandi.

Lauri surculi in modum coronæ coëuntes, 67.
ac domus foribus appensi, ut etiam laurus ipsa ante fores sata, Numinis indicat tutelam, eò quia fuerit laurus Apollini sacra; & Alexandro Severo recèns nata laurus in paterna domo subnata victoriam portendit de Persis. Numinisque protectionem Lemma *Præsidium & Decus.* APODOSIS. Dei protectio inexpugnabile est præsidium, quo Domus tutè custoditur.

Laurus œstris inimica boves ijsdem furen 68.
tes compescit. Notum est, boves œstro infestari, & eodem exagitatos furere, ad quos coërcendos, ac sedandos refert Sotius in Geoponicis laureas baccas, & in aqua decoctas parari; móxque aspergine agrum, qui ab Asilis obsideri solet perfundi, & boves sedari. Lemma *Amat has victoria curas.* APODOSIS. Laurus Symbolum est sapientiæ utpote Apollini sacra; hæc victrici lauro coronatur, ac triumphat cum effrœnes concupiscentias, violentas passiones, & affectus immoderatos compescit, animique vehementes motus sopire satagit.

Lentiscus trifera planta nunquam suo de 69.
stituitur virore, semen, baccas, & resinam fundit. Ejus folia, & baccæ urinam cient, & aluum sistunt, ulceribus medentur, ac toti corpori sunt levamini: quin folia contusa dentium dolores sedant, ac eorumdem succo oculi malè affecti salubriter illinuntur teste Plinio *lib.* 24. *c.* 7. Lemma *Tanti est se DEO vovisse.* APODOSIS. Lentiscus trifera Symbolum solemnis Professionis quâ religiosus se Deo consecrat per tria vota paupertatis, castitatis, obedientiæ, quibus à sæculi incommodis, malisque pluribus se subducit.

Lotos planta, cujus flos candidus ad solis 70
occasum clauditur, &, veluti emoritur luce destitutus solari. Manè tamen exoriente sole cum primùm ejus radio illustratur quasi expergefactus se aperit, pompámque dilatat foliorum Lemma *Nil sine te.* APODOSIS. Sine Deo cujus est Sol Symbolum nil possumus, ejus gratia est veluti solaris radius, qui nostras excutit tenebras, mentem illuminat, amorem fovet, virtutem promovet.

Leucophyllus planta, de qua scribunt Cte- 71.
sippus lib. de rebus Scytharum, & Plutarchus junior in Phaside: Nascitur in hoc fluvio Virga Leucophyllus, quæ dum celebrantur Hecates mysteria, invenitur circa diluculum ad divinum Panis afflatum sub ipsum veris initium. Quam postquam zelotypi homines

collegerunt circa virginalem thalamum spargunt, ut spuriæ prolis expertem thorum conservent. Quòd si quis impurus amoris violentia insolentius accesserit, alienatur à mente, & statim confitetur coram omnibus quæcunque illegitima aut fecit, aut facturus erat. Qui verò astant, hominem corripiunt, & insutum sacco in impiorum voraginem præcipitem agunt, quæ tamen projectum corpus dilapsis diebus triginta in Mæotidem paludem eructat, vermibus undique refertum; & vultures venientes jacens cadaver discerpunt. Lemma in laudem Maritalis castitatis depromptum est ex Horat. lib. 3. car. 24. *Dos est magna parentum.* APODOSIS. Optima dos conjugum est castitas, de qua Plautus, in Amphitruone inducens Heroinam loquentem ait:

Non ego illam mihi dotem duci esse, quæ dicitur;
sed pudicitiam, & sedatum cupidinem,
Deûm metum, parentum amorem, & cognatorum concordiam.

72. *Mangaiba* arbor in America eximij pomi, quod tamen quandiu hæret ramis nunquam maturescit; sed decidens in terram illico maturitatem assequitur, & blandè dulcescit, quod in arbore erat austerè amarum. Lemma *Dulcescit humi quod despicit altum.* APODOSIS Virtus quamvis laudabiliter floreat, venustè adolescat, ac copiosè sobolescat, nunquam tamen suam assequitur perfectionem nisi humilitati consocietur; est humilitas quâ reliquæ virtutes perficiuntur. *Mangaiba* referente Pisone *lib. 4. c. 28.* quamvis ad mensarum potius cupedias, ac delicias nata sit, quam ad medicum institutum; ea tamen suaviter gulæ lenocinatur, ut vix America fructum alium producat, qui tanti sit saporis, ac præstantiæ. Hæc arbor nulli pulchritudine cedit, crispa & fœcondissima supra altitudinem pruni nostræ Europeæ non extollitur, neque ejus fructus sunt pinguiores. In plures è caudice surgentes ramos se distribuit. Folia fert exigua, sed consistentiæ, solide, ac vividè virentia; bina semper sibi invicem opposita, in quibus linea, seu potius nervus, vel vena à pediculo ad aculeatum fastigium protenditur; à latere ad latus, venulas habent, seu lineas subtilissimas parallelas. Floret hæc arbor statim expirante hyeme, & per novem menses onerata, & ornata prunis, seu fructibus apparet. Florem producit exiguum albescentem, ac summè odorum, fructum sphæricum, esculentum, colore aureum, rubris distinctum maculis. Tenuissima tegitur cuticula, intus lapillos quinque, vel sex continet, turget lacte, ut vel leviter pressus fructus niveum fundat liquorem palato gratissimum: & quamvis ejus pulpa sequax, ac ductilis videatur, ori tamen inserta statim liquescit. In arbore nunquam maturescit, sed in humum decidens consequitur humilis in terra eam maturitatem, quam excelsus in arbore assequi non valuit. Hinc exteri extima hujus fructus allecti venustate, avida statim manu illum decerpunt; sed ubi vel primis labris degustarunt, ut austerum, amarum, minúsque gratum abjiciunt. Si tamen fuerit humi suam assequutus maturitatem dulcis, ac gratissimus est, facilis digestionis, ardores viscerum temperat, & febre æstuantibus est solatio.

Malobathrus arbor Syriæ, cujus folia si premantur liquorem suppeditant saluberrimum. Lemma *Fit pressa salubrior.* APODOSIS. Virtus si angustijs, & adversitatibus prematur non opprimitur, sed olet suavior, ditescit locupletior. Excursus de angustijs, & suppressionibus. De hac arbore scribit Plinius *lib. 12. c. 26.* & lib. 23. c. 4. Quòd convolutis vestiatur folijs, arido sit colore. Saporem habeat nardo similem, & pressa salubre præbeat unguentum: odore in vino fervefacta excellit, crocum vincens. Oculorum epiphoris vino expresse medetur; fronti adhibita somnum conciliat, præsertim si etiam nares illinantur. Folia vestibus interposita gratum affricant odorem. 73.

Manaca frutex arborescens locis in Brasilia umbrosis luxuriat, floresque producit adeo fragrantes ut integras sylvas suavi repleant odore; sed ejus fructus inutiles sunt imò noxij Lemma. *Nares afficit, sed ventrem inficit.* APODOSIS. Terrena voluptas sensibus eblanditur, quos demulcet multiplici lenocinio; sed mentem corrumpit, cui est noxia. Excursus de damnis à terrena voluptate in homines voluptuosos derivatis. De Manaca frutice ait *Piso lib. 4. c. 43.* Locis umbrosis circa Aldeam Tapicirica luxuriet, & arborescit cortice gryseo, ligno duro, sed fragili ex albo cineritio, folijs acuminatis. Hæc arbor flores fert exiguos tanti tamen odoris, ut sylvas integras fragrantia Narcissi æmula impleat. Flori succedit fructus baccæ juniperi similis, sed inutilis, imò noxius. 74.

Malum Cydonium, odorem efflat, quo nares mulcet, sed caput aggravat, cui nocet; colore venustetur aureo, sed sub illiciente cortice pulpa latet, quæ si cruda in stomachum demittatur stringit ventriculum, & affligit viscera. Lemma *Fallit quod sensus alit.* APODOSIS. Mulier dum blanditijs allicit, verbis mulcet, lenocinijs attrahit, si ei adhæseris non sine damno recedes. 75.

Malum Persicum in Perside veneno dicitur infectum, & ea de causa ut noceret in Italiam transmissum; sed mutato solo, ingenium, & naturam unà cum aëre mutavit, salubre enim est, & si maturum sumatur alvum lenit; sistit verò si acerbum, ac crudum; unde cecinit Columella 76.

Pomis, quæ barbara Persis
Miserat, ut fama est, patrijs armata venenis,
At nunc exposita parvo discrimine lethi,
Ambrosios præbent succos oblita nocendi.

Cordis figuram hoc pomum exhibet; & folium linguæ est simile, ideóque veritatis habetur symbolum, si lingua cordi respondeat. Lemma *Pulchra concordia cordis, & oris.* APODOSIS. Homo verax id lingua loquitur, quod intus corde concipit, ac molitur;

tunc

tunc os loquitur; quod cor sentit. Si cor & os; si mens & vox; si oratio, & ratio concordent pulchra, ac suavis fit harmonia. Excursus de veritate. Scimus, Platonem in sua Republica, cum de motu cœlestium urbium ageret, dixisse, singulis sirenas singulis insidere orbibus, vel ut alijs placet Musas præfecisse cœli sphærarum moderatrices, eò quia mundi cantus censeantur, & propterea Camenæ, à canendo audiant; sicut Sirenes, quasi DEO cauentes teste Macrobio; ab hac sententia non abhorruerunt nonnulli ex doctoribus innixi authoritate Jobi dicentis: *Quis enarrabit cœlorum rationem? & concentum cœli quis cohibebit.* Sed Hussæus Princeps non de vocali harmonia, quæ aures demulcet, sed de ordine, ac ratione cœlestium corporum, seu de harmonia, quæ per oculos percipitur, ac intus in animum se insinuat, & Deum ostendit, fuit loquutus. Nobis sit commendabilis harmonia cordis, & oris, mentis, & linguæ, rationis, & orationis, seu veritas, fides, & eloquentia, quæ dum aures demulcet, suavissimè eblanditur audientibus. Princeps misfat, quem latet veritas.

77 *Malum punicum*, seu granatum sub gryseo, rudi, ac amaro cortice plurima inter se congesta dulcia, ac purpurea grana fovens Lemma. *Amant pretiosa latere* APODOSIS. Viri ascetæ humilitatis cultores, quos fructus pariunt, seu, quæ bona opera faciunt, occultant, ne alijs pateant, ac inde laudentur; cavent, ne eleemosynæ, jejunia, flagellationes, vigiliæ, cilicia emanent in publicum: quia virtus tecta est tutior, minùsque insidijs dæmonum obnoxia. Excursus de humilitate, bonisque operibus occulendis.

78 *Mespilus* arbor humilis pluribus innixa radicibus duro tamen ligno, & fructu, qui Mespilus dicitur, acerbus, quamdiu hæret plantæ, à qua decerptus, si dente deteratur, fauces constringit, & exasperat: hispidâ cingitur coronâ, suóque se cortice tuetur. Maturit tantum hyeme, paleis impositus; sed tunc pergratè dulcescit. Lemma. *Sat citò, si sat benè.* APODOSIS. Opus quodvis sive fabrefactum, sive literarium cum laude semper in lucem prodit, licèt diu fuerit desideratum, si omnibus fit suis numeris absolutum, nec quidquam ad perfectionem desit. *Excursus.* De operibus ritè perficiendis. Quamvis quæ à nobis fiunt tardè, ac serò in lucem prodeant, si tamen perfecta fuerint, famâ, & laude perennant: quæ enim serò contingunt, magnifica plerúmque, ac diuturna esse solent; & tarditatem operis perfectio abundè compensat, cum ex ipso gloria, & fama sequatur immortalis. Nil enim est stabile, & perpetuum, nisi quod perfectum: experimento itidem satis constat, longè durabilius esse, ac vitalius, quod paulatim crescit, ac suum incrementum subit; quàm quod una quasi nocte veluti fungus statim nascitur. Hinc Sophocles in Oedipo ajebat: periculosa est præpropera prudentia: & pueri supra ætatem prudentes, vel vitales non sunt, vel in ætate matura à sana mente cadunt; unde ajebat Actius apud Aulum Gellium: sibi in juvenilibus ingenijs, perinde ac in pomis immaturis placere acerbitatem, scimus hanc tandem maturescere; & maturitatem tunc adferre tempestivam suavitatem: reliqua, quæ ante tempus maturiunt, semper putrescunt: neque in eo fructu succum deprehendes sanum, ac integrum, qui nimis celeriter suam assequitur maturitatem.

Morus arbor ultima penè arborum transacto jam frigore, & cum aër constanter tepescit suos emittens flores, quos propterea delapsa pruina nunquam decoquit, nec interimit. Lemma. *Fato prudentia major* APODOSIS. Vir prudens, quæ possunt pericula, imminere, prævidet, ac præcavet; ne quidquam ei obtingat nocumenti. Excursus de periculis fugiendis, & occasionibus peccandi declinandis. Morus suam compensat tarditatem, quia ejus folijs bombyces, seu vermes serici pascuntur, & fructus salubres sunt, ac moderatè refrigerant. 79

Myrrha Arbor aromatica in Arabia ad quinque cubitos sublimis, caudice duro, ac intorto, spinis circumsepto. Folia æmulantur illa olivæ: sed crispa, intorta, & acuminata sunt, si hæc planta cultro cædatur liquorem emittit suavissimum, ac ulceribus, alijsque morbis curandis præstantissimum Lemma. *Prodit de vulnere virtus.* APODOSIS. Mortificatio, quâ caro atteritur, sauciatur, animam corroborat; virtutem incrementat, ac internum hominem à noxijs concupiscentijs, pravisque desiderijs liberat. Excursus de Mortificatione. 80

Myrtus arbuscula perquam venusta semper virescens, arridens, angustijs tamen vestitur foliculis acuminatis claro, ac illustri virore pictis, grati, ac suavis odoris. Veneri olim ob gratiam frondium sacra erat. Baccas producit optimi saporis, quarum oleo quidam inest vini sapor. Ovantes consueverunt etiam myrto coronari. Et in convivija myrti ramo manibus accepto singuli carmen aliquod jucundum modulari consueverant. Est tamen myrtus brevis ævi. Lemma ex Horatio de Arte Poëtica. *Non stat honos, nec gratia vivax* APODOSIS. Voluptas cùm primùm efflorescit, simul exarescit, & instar rosæ nonnisi spinas relinquit superstites, quibus excruciantur, & dilacerantur, qui voluptati indulsere: ut cecinit ille. *Dum nascuntur consenuere rosæ.* 81

Nardus, de qua scribit Plinius *lib. 12. cap. 12.* Frutex est, gravi, & crassa radice, sed brevi, ac nigra, fragilique, quamvis pingui, situm redolente, ut cyperi, aspero sapore, folio parvo, densóque. Cacumina in aristas se spargunt: ideo gemina dote nardi spicas, ac folia celebrant. Ex nardo fiebant pretiosissima unguenta, quibus Romani olim consuevere capillos gestare delibutos Tibullus lib. 2. elog. *Illius puro distillent tempora nardo.* Lemma. *Magis splendescit in usu.* APODOSIS. Virtus quamvis ex se odora, & ferax sine exercitio humilis, ac veluti in obscuro jacet, labore tamen, & cultura fragrantior olet, ac 82

 splen-

splendescit illustrior. Excursus. De virtute labore, & exercitio p[a]randa.

83 *Olea* arbor, seu oliva à quercu ita dissidet, ut altera in alterius scrobe depacta exarescat, & emoriatur. Lemma. *non omnis fert omnia tellus.* APODOSIS. Veræ quietis, ac pacis olea nec in aulis principum, ubi quercus honorum gigantescunt; nec in fastigio dignitatis, nec in congestis divitijs germinat, & sobolescit; sed in solo summo Bono: hinc ajebat D. Augustinus DEUM alloq[u]ens: inquietum est cor meum, donec requiescat in Te. Excursus de ærumnis, ac laboribus præsentis vitæ.

84 *Oliva* ventis quassata altiùs, firmiùsque radices agit. Lemma. *Concussio firmat.* APODOSIS. Adversa virtutem non atterunt, nec prosternunt; sed firmant, ac corroborant; nec sunt eidem exitio, sed exercitio. Excursus de patientia in adversis.

85 *Oliva* amputata in caudice, sed ex cujus radice germen enascitur in novam adolescens olivam. Lemma. *Manet post fata superstes.* APODOSIS. Qui honestè vixit, ac probè egit, fructúmque virtutis protulit, quamvis Libitinæ dissectus falce, non tamen totus moritur; fama enim, & gloria manent; & surgit ipse ad novam vitam cœlesti beatitate donandus, qua potitus melior post fata virebit.

86 *Oliva* in collibus glareosis feliciùs luxuriat, ac uberiores profert fructus, quàm in pingui planitie, aut valle umbria opacata. Lemma. *In sterili fœcundior agro.* APODOSIS. Pœnitentia, quæ in solitudine, ac eremo agitur, uberiores fert virtutum fructus, quàm quæ in urbe inter hominum frequentias. Excursus de solitudine, & ariditate spiritus.

87 *Oliva* frondibus redundans, comâque foliorum luxurians, sed quò frondibus ditior, eò fructibus pauperior, quia totus alimenticius succus in frondes abijt. Lemma. *Inopem me copia fecit.* APODOSIS. Congestia divitiis inhiantes, ut plurimum superfluis, veluti folijs abundant; sed virtutum fructibus destituntur: quia rarò divites virtutes excolunt, & sæpius mundi voluptatibus indulgent. Excursus contra superfluas divitias.

88 *Oliva* præcelsa, è cujus summitate amputati superflui rami decidunt. Lemma. *Rara est sine vulnere virtus.* APODOSIS. Virtutis cultor pluribus est adversarijs obnoxius, sine quibus languesceret, nec suas exereret vires virtus. Misera enim est ea fortuna, quæ caret inimico. Virtus secundùm Euripidem per labores incedit, sicut vitium per otia; ut vulgata fert parœmia, *otia dant vitia.* Fortuna si diu arrideat, segnitiem inducit, & inertiam fovet, quæ virtutum culturæ non favet: & secundæ res insolentiam pariunt; idque causæ Senecæ dicendi, *Marcet sine adversario virtus.* Romanorum fortuna tunc mutare faciem cœpit, & non ampliùs Romanis arridere, quum excisâ Carthagine, Persèóque capto cæsuit hoste, quia tunc cœpit respublica otio marcescere, & in ea homines otiantes insolescere; quod cum observâsset, D. Augustinus dixit. *Otio perijt Roma deletâ Carthagine.* Et Scipio asserentibus delerâ Carthagine, ac in servitute redactis Græcis in tuto rem Romanam esse, sapienter reposuit: imò nunc demum summo in periculo sumus, quando nulli ampliùs supersunt, quos vel metuamus; vel revereamur. Hinc ajebat alius, satiùs esse populo Romano committere negotium, quàm otium.

Oliva fructibus onusta, & floribus destituta. Lemma. *Fructu non flore triumphat.* APODOSIS. Vir pios mundi flores, seu voluptates respuit; solisque delectatur excultæ virtutis fructibus. Excursus de fuga voluptatum. 89

Oliva amputata suos refundit ramos vegetiores, ac uberiori in copia. Lemma. *Cæsa viret melior.* APODOSIS. Virtus patientiæ, cum patiens cæditur, viret vegetior, & damna, quæ patitur, virtutis juvant culturam. Excursus de Adversitatibus. 90

Oliva exarescens frondibus, & fructibus destituta ob hederam ei adhærescentem; quatenus hæc totum hauriens alimentitium succum exsiccam efficit oleam, & sine nutrimento deficientem. Lemma. *Mala fœdera perdunt.* APODOSIS. Mali socij bonos mores corrumpunt, ad vitia viam sternunt, & ad mortem peccati perducunt. Excursus de malis socijs fugiendis. 91

Olivæ fructus subjiciuntur torculari, in quo premuntur, ut oleum ex jisdem exprimatur. Lemma. *Compressa dulcescit.* APODOSIS. Quò virtus adversitatibus premitur arctiùs, eò ejus fructus uberiora suppeditant merita æterna dulcedine perfundenda. 92

Oliva arbor, ex cujus baccis deciduis aliæ germinant, adolescúntque oleæ. Lemma. *Similis de stirpe propago.* APODOSIS. Ex parentibus pijs, ac benè morigeratis, proles, ut plurimum prodit, vestigijs inhærens parentum. Excursus. Exempla movent, trahúntque efficaciùs, quàm verba. Alia APODOSIS. SS Martyres ecclesiæ filij haud degeneres à suis majoribus proprio sanguine ecclesiam purpuram illustrant. Excursus de Martyrio. 93

Oliva tardè succrescit, semper fronde viret, ejus fructus nonnisi tardè maturiunt, & hyeme leguntur. Lemma. *Tarda quidem, sed laude perennat.* APODOSIS. Quæ serò contingunt, ut plurimum magnifica, & diuturna esse solent, & tarditas operis, gloriæ compensatur diuturnitate. Excursus de diligentia adhibenda in operibus, quæ suis omnibus numeris sint absoluta. 94

Oliva Minervæ, quæ ut refert Pausanias in Atticis, incensâ à Persis urbe conflagravit; sed eodem die iterum germinavit, ac in proceritatem gemini cubiti crevit. Lemma. *Pœnas sustinuisse juvabit.* APODOSIS. Plura pati pro Christo perinde est, ac in fertili agro dolores serere, & uberrimam inde solatiorum colli-

colligere messem: seu ex damno compendia quærere; quod proprium est virtutis fortitudinis, quæ ex ipsis adversis suæ laudis, & gloriæ sumit argumentum, scitè Tertullianus ad Martyres ait: *Negotiatio est aliquid amittere; ut majora lucreris.* Excursus de laboribus, ac adversitatibus ad virtutis exercitia.

96 *Palma* arbor nobilis in Asia, & Africa frequens, ut & in Brasilia multiplicis est generis: quia ex Palmis aliæ sponte natæ, absque ulla crescunt cultura: aliæ incolarum industriâ telluri excultæ inseruntur, & hæ in excelsam, ac speciosam exsurgunt altitudinem: aliæ sunt sylvestres etiam proceræ: tamisque comatim incurvatis, & ferè omnes sunt dactyliferæ; educantúrque etiam in hortis domesticis ad ornatum, & usum; omnique anni tempore quamvis adulta tristi exsucco, ac sitienti fundo transplantari solet. Palma verò dactylifera sublimis est, ejus lignum ruffum, ac prædurum, crassis intus constans nervis: in Brasilia Cortex exterior est gryseus, & cartilagine à terra ad aliquid spatium squamatus, positis cochleatim squamis, quæ sensim decrescunt, ut tandem supernè desinant, adeo ut palmæ adultiores caudicis superioris medietatem exhibeant glabram; inferiorem verò squamis instructam, quæ ramorum, qui exciderunt, sunt reliquiæ,caudice semper in sublimiùs crescente; aliisque recentibus in fastigio enascentibus orbiculatim expansis ad duos, vel ampliùs pedes oblongis, perquam crassis, sed utrinque à lateribus compressis. Inter ramos folia ferentes prodeunt alij alijs longiores etiam ad quatuor, vel quinque pedes longi, & expansi alternatim, è quibus emergunt alij exiliores ramuli lanugine albescente obducti, & in hisce alterna serie germinant, & adolescunt flosculi pulchri, flavi, sine pediculis, quorum singuli tribus folijs constant, & ex istis prodeunt fructus, seu dactyli primùm virides, amari, non edules; mox maturi flavescentes dulcescunt, & in principum mensis habentur in delicijs, miscenturq; e bellarijs cupedijs, ac dulciarijs; non tamen inter folia ut in reliquis arboribus fructus crescunt, sed suis inter ramos palmitibus racemosi. In Italia palmæ sunt steriles, licèt foliorum pompâ luxurient, fructibus destituuntur; in maritimis Hispaniæ fertiles sunt, sed feraciores in Africa: quia sabuloso, fervido, ac salsugineo amant solo nubere, respuuntq; fimom, ne sordes contrahant,malentes macrescere,quàm pingues sordescere. Lemma. *Purs sols, sale, & sole.* APODOSIS. Paupertas voluntaria, & fructuosa sale sapientiæ condita,vitiorum sordibus non patitur inquinari, sed paucis contenta macrescere mavult, quàm pinguis vitio inquinari; munditie simplici ab omni luxu aliena gaudet; à sordibus verò abhorret. Excursus de religiosâ, ac voluntaria paupertate.

97 *Palma* fructus in alimentum dat hominibus, succum largiter fundit in potum, materiam texendis vestibus suppeditat,tecta mapalijs ministrat; & necessaria navibus construendis præbet: siquidem ex hac una arbore tabulæ, pix, resina, antennæ, vela, rudentes, & reliqua omnia ad navigia coagmentanda necessaria eruuntur. Lemma. Ex Claudiano t. in Europ, *Se se non poscentibus offert.* APODOSIS. Vir munificus, liberalis, & misericors,non sinit se pauperum precibus urgeri; sed ultro eorum indigentijs opitulatur, & munificâ profusione alienas miserias excutit. Excursus de Eleemosyna.

Palma à fimo prorsus aliena adolescit vegetior, & virescit sublimior. Lemma ex Horatio. *Intaminatis crescit honoribus.* APODOSIS. Vir castus non solùm à sordibus abstinet, quibus pudicitia inquinatur; sed etiam ab omni verbo abhorret, quod fimum, ac fordes luxuriæ redolet. *Excursus* de cultura castitatis. 98

Palma, cujus caudex licèt asperrimus sit, squammis cochleatim distributis circumleptus; & rami, ceu potiùs comæ, cultri in modum acuminentur bifidis lateribus; dulces tamen, eósque salubres producit racematim fructus. Lemma. *Asperitate mitescit.* APODOSIS. Pœnitentia quamvis cortice appareat asperrimo vestita, seu cilicio induta, & catenulis aculeatis septa,fructus tamen fert dulcissimos, quibus delectantur cœlites gaudentes super uno peccatore pœnitentiam agente. *Excursus* de pœnitentia. 99

Palmæ caudex corticis scabritie, ac perplexitate est superatu difficilis; sed ubi superior pars attingitur trunci,palma ramorũ amplitudine in amœnam virescentis comæ expanditur pulchritudinem; & triumphat in fastigio, quæ laborabat palma in caudice. Lemma. *Inscendit per ardua virtus.* APODOSIS Virtus nonnisi labore paratur, estque arduum ad ipsam iter hinc cecinit Lucil. 100

Virtutem voluere Dij sudore parari
Arduus est ad eam, longúsque per ardua tractus,
Asper & est primum: sed ubi alto cacumina tangis.
Fit facilis, quæ dura priùs fuit inclyta virtus.

Palma gravi pondere onerata, ramísque inclinatis sub onere pressa, non tamen quidquam patitur detrimenti,sed vegetior sub pondere surgit. Lemma. *Premor, non deprimor.* APODOSIS. Animus fortis licèt fortunæ adversæ angustijs, ac oneribus prematur; non tamen à sua dejicitur fortitudine, nec ullum inde patitur nocumentum, sed infractæ victoriæ nobile, ac illustrius exhibet argumentum. Excursus de Adversitatibus, quæ virtutem perpolliunt, & exercent. 101

Palma, è cujus caudice ramus evellatur; sed quæ alijs ornetur venustioribus. Lemma. *Non omnis morior.* APODOSIS. Sanctus Martyr quamvis membratim discerptus, omnique dolorum genere tortus, ac mortem subeat violentam tormentorum vi. Nobilior tamen sui pars, seu anima non moritur; hæc non solùm falcem declinat, vitâque Libitinæ, sed æterna etiam donator gloria. 102

Palmæ caudex extimi corticis scabritie minimè visu jucundus; interior tamen medul- 103

la

leratum mortis occasum extinguuntur. *Appropinquaverunt dies David, ut moreretur*, quæ verba expendens Rabbi Salomon ait, *cum sæpe David decoraretur regis titulo in scripturis; cum de morte postea agitur, solum nominis, prætermissa dignitate fit mentio*: quia mortis umbræ omnem extingunt dignitatum splendorem: neque mors pluris facit sedentes in throno regia Majestate condecoratos, quàm humi jacentes vili pulvere sordidatos: *ego ingredior* (air ipsa 3. Reg. 2. 2.) *viam universæ terræ*, seu universorum habitantium in terra; quia via mortis, est via regia, via communis, quam necessè est omnes pertransire, sive heri, si famuli; divites, & pauperes; magnates, & minimi, Juvenes, & senes; qoia ut ait Ecclesiasticus 14. 12. *Testamentum hujus mundi morte morietur*: & viventium omnium in terris hominum, hoc erit unum, & omnibus commune epitaphium absque adulatione sarcophago sculpendum Imperatorum, regum, Principum, Magnarum, divitum, pauperum Genes. 5. 5. *Et mortuus est.*

111 Quid enim est homo, quàm deciduus brevis ævi flosculus; mane ridens, & arridens roscidis irroratus gutrulis; & sole illustratus hians, totámque foliorum pompam explicans, sed occidente sole etiam occidens, & arescens? vix oritur, moritur; & vitæ prius quasi sentit finem, quàm experiatur initium Job 14. 2. *Qui quasi flos egreditur, & conteritur;* quasi perinde sit illi nasci, & mori incipere, & desinere; crescere, & decrescere; quò enim fit ætate major, eò est vitâ minor, quia quæ transit in incremento ætatis, amplius non est, & detrahitur à sequente: hinc qui paulò ante erat in utero, paulò post fœtet in tumulo.

112 Quàm propriè flori pariatur homo, quem quamvis nulla excoquat pruina; nullus mordeat Sirius canis, nullus quatiat ventus, nec rodat vermis, nec carpat unguis, neque pes conculcat, nec manus discerpat, nec ferrum discindat; adhuc ex se arescit, deficit, emoritur: Flos est homo, cujus vigor, & species unius diei spatio circumscribitur, cujus brevitatem, cum perpenderet Regius Vates, flori pariavit Psalm. 89. 6. *Qui manè floreat, transeat, & arescat.* An non flosculus fuit adolescens ille evangelicus filius unic⁹ matris suæ? vix incœpit florere, & statim exaruit: gemma, quæ in florem rumescens, fructum matri spondebat, in senectæ alimentum, exiguo mortis gelu correpta aruit exsiccata, & columen familiæ cecidit eversum.

113 Cæca est mors quotidie grassatur, & in omnes absque discrimine debacchatur, neque lachrymis emollitur, neque prece flectitur, neque potentiam timet Principum, regum, imperatorum, quorum superba palatia æquo pulsat pede, ac pauperum tabernas; non parcit gemmeis Pontificum tiaris, neque Dynastarum purpuræ, neque aureis præpotentum coronis, quas invadit quamvis armatas militum cohorte stiparas, & custoditas; om-

nes Libithina homines, sive ætate florentes, sive senio arescentes veluti flores fœni sua metit falce. Homines veluti flores nascuntur Cant. 2. 12. *Flores apparuerunt in terra nostra*, seu homines floruerunt in terra; sed vix floruerunt, statim ciderunt, non alia falce amputati, quàm accelerata mortis; Subditur statim, post florum recensitam à sponsa apparitionem: *Et tempus putationis* (seu sectionis) *advenit.* Vix apparent flores, vix florent homines; & statim tempus putationis, dies messis adest, quò mortis falce secantur: ideóque sponsus solicitus de salute sponsæ, eam monet, ut statim surgat, & fatigar per bona opera flores cœlestis gloriæ, seu virtutes excolere, Cant. 2. 14. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni*, non ad choreas ducendas, non ad mundi delicias quærendas; non ad theatrales ludos spectandos; *sed veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*; non invitat sponsam ad voluptates thalami, nec ad mollitiem culcitræ; sed ad duritiem petræ; ad virtutum studia; non in schola, quam homines frequentant; sed *in caverna maceriæ*; obi locus ad exercitia invitat pœnitentiæ; ubi spinæ materiam suppeditant patientiæ exercendæ.

Annuit sponsa, locum adivit desertum, 114 flores virtutum excoluit; sed beneficio culturæ excrevit ipsa in virgulam odoratam Cant. 3. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi.* S. Ambrosius hanc expendens virgulam fumum emittentem, odore suavissimum, eam adaptat ascensioni animæ per mortem ad DEUM: quia sicut aromata igne dividuntur, & terrestribus partibus in cineres solutis fumi suavis sursum ascendit; perinde justorum corpora per mortem in cineres solvuntur tumulata in sepulchris: Spiritus verò veluti fumus virtutum odoribus fragrantissimus sursum in cœlum avolat, Ecclesiast. 12. 7. *Et revertatur pulvis in terram suam; unde erat; & Spiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum.* Id fumo à natura inditum, secum trahere odores materiæ, unde educitur: perinde Spiritus exiens è corpore odores operum, quæ in terris corpori adsociatus exercuit, secum adfert; si mala fuerunt fœtorem gehennæ exhalat spiritus; sin proba fumos est Aromatum; quem Joannes in sua Apocalypsi vidit è turribulis DEO factis sursum in cœlum ascendere Apocal. 14. 13. *Opera eorum sequuntur illos.*

Dependet mors à vita anteacta, si hæc 115 bona fuerit, non habet moriens, quò mortem timeat; secus tamen, si vita præcedens mala fuit: ait Christus Luc. 3. 9. *Securis ad radicem arborum posita est*: in eam erit arbor casura partem, in quam securis eam impellit Ecclesiast. 11. 3. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem* per austrum regnum designatur cœlorum; per aquilonem gehenna ubi rigor, & stridor dentium. Unde Jeremias. 1. 14. *Ab aquilone pandetur omne malum.* Cum sit aquilo frigidus, asper, & à

quo omne malum in homines, & plantas derivet, symbolum est gehennæ.

116 Si igitur per bona opera satagimus in partem propendere Australem; mors suo pulsu poterit quidem corpus in terram dejicere, & in pulveres solvere sepulchrales, sed spiritus ad partem Australem, seu cœlum inscendet: sin verò luridè, ac malè vixerimus ad rigores gehennalis aquilonis præceps ruet. Scitè Bernardus; *Si vis scire, quò casura sit arbor; ramos ascende: quo ponderosior est ramorum copia, illuc casuram non dubites. Rami arboris sunt desideria hominis, in quo, si carnalia præponderent ad inferos cadet; si desideria fuerunt spiritualia sursum in cœlum spiritus ascendet.*

117 Mirum sanè, quòd cum ineluctabilis mors sit nos brevi raptura, non adnitamur meliùs vivere, quò valeamus benè mori? cum avari studiosè quærant, unde locupletiores fiant; infirmi quò sanentur; mœrore pressi quò exhilarentur; ambitione tumidi quò exaltentur; adhuc qui mortem timent, non studeant invenire, quo possint hunc timorem excutere; idque præstant, si rectè vivant; si per exercitia virtutum se ritè præparent ad mortem; id nos edocet Ethnicus Philosophus: interrogatus Socrates, quomodo in vita se gessisset, & quomodo in morte se esset gesturus, respondit. *Scito in juventute operam me dedisse, ut benè viverem, in senectute, ut benè moriar.*

118 Hanc præparationem ad mortem, ut altiùs menti nostræ imprimeremur, ac hæreret suo nos exemplo, priusquam moreretur, voluit nos magister Christus edocere Matth. 26. 2. *Scitis, quia post biduum Pascha fiet.* Quid verò Christus hoc biduo egerit, non explicant Evangelistæ: sed communior est opinio, totum hoc tempus impendisse in fundendis precibus ad DEUM Patrem; inque se præparando ad mortem obeundam; ut nos doceret, debere quémque sibi vacare ante mortem, séque seriò præparare ad illam ritè, & piè obeundam; hanc præparationem præmiserat Christus, eum jussit Apostolos parare Pascha Matth. 26. 19. *& paraverunt Pascha*: quò enim magis morti appropinquabat Christus, eò majora edebat signa; ait Augustinus tract. 49. in Joan. *Ne aliquis ejus mortem humanæ infirmitati tribueret*, nósque doceret, ut quò viciniores sumus morti, eò adnitamur excellentiora virtutum opera exercere: sibi vacavit Christus Joan. 13. 1. *Ut transeat ex hoc mundo ad patrem*: hoc est iturus ad Patrem, omnia priùs in tempore præparat. *Sciens, quia venit hora ejus*, quæ superfuerunt temporis momenta, impendit singula in ferventioribus charitatis operibus erga suos, & amoris in DEUM Patrem: mox cruci affixus, venienti morti annuit capitis inclinatione Joan. 19. 30. *inclinato capite* mortem vocavit, ut vitam hominibus daret: cumque opus nostræ redemptionis absolvisset, ac dixisset, *consummatum est*, ac mortem forti animo subjisset Joan. 19. 34. *Unus militum Lancea latus ejus aperuit*, ut unà cum vita cor suum nobis etiam extraderet, quo nobis amore viveret, nósque in ipso, & ab ipso disceremus præparare ad mortem, & cum Jobo dicere *in nidulo meo moriar* Job. 29. 18. hoc est in cruce JESU Christi, in nidulo charitatis, ubi reliqua incubabo virtutibus, earum opera fovebo, méque præparabo ab hoc nidulo alas aperire, & in cœlum avolare.

Pinhoes arbuscula Brasiliensis inter frutices arborescentes habetur, non altè assurgit: 119 ramulis est nodosis, medullâ spongiosâ, folio mucronato, & glabro, fructibus rotundis, pendulis, & copulatis, quos maturos fert, & immaturos; hi tamen solis æstu excocti, & arefacti dehiscunt; & nucleos intus nigrescentes ostendunt ternos in qualibet nuce, pineis Europæis similes, paulò crassiores, sed juglande minores; interiùs albescunt, simul & pinguescunt: sed sicut grata dulcedine palato lenocinantur; ita ventriculo sunt nuclei infensissimi; adeo ut tres, vel quatuor degluti crudos statim humores provocent, provocatos per superiora, & inferiora exturbent, & quidem tanta vehementia, ut in vitæ discrimen edentes conjiciantur Piso lib. 4. cap. 40. Lemma. *Parum mellis multum habet felis.* APODOSIS. Voluptas dum eblanditur exteriùs fucata dulcedine, torquet interiùs noxæ amarore; nec abs re Plato teste Tullio vocavit voluptatem dulce malum, est enim gratum venenum; lenocinium corporis, sed pestis animæ, & esca malorum omnium; hac esca alliciuntur, & miserè capiuntur mundi voluptatibus inhiantes; idq; causæ, cur Plautus in Mercatore dixerit, *Voluptas est malorum esca: quòd ea non minùs homines, quàm hamo capiantur pisces.* Voluptatis appetitio fors videtur esse jucunditatis, sed satietas plena est pœnitentiæ: siquidem voluptatis comes est dolor, qui perinde eam sequitur, ac umbra corpus, ut arridentis principij lachrymabilis sit exitus, unde Ovidius: *Gaudia principium nostri sunt sæpe doloris*, quantum sit voluptas noxia, ex eo conjicitur: quia mentis perstringit aciem; caligines offundit intellectui, rationis offuscat judicium, consilij impedit celeritatem, & animi facultates à virtute detorquet ad vitium, & turpitudinem. Non solùm animæ, sed & corpori noxia est voluptas, dolores enim parit, & valetudinem corrumpit, mortémque affert immaturam. Excursus de noxia voluptate.

Platanus arbor præcelsa, ampla, spe- 120 ciosa, ac spatiosa, folijs latis, frondibúsque comatis, ac densis, sed infrugifera; adeo ut sola umbra commendetur, ac olim etiam in pretio fuerit apud Græcos, & Latinos, qui vectigal dicuntur ejus umbræ imposuisse; & tanti eam fecerunt, ut non defuerint, qui vino generoso affuso platanum rigârint, quò vegetior innutrita umbras effunderet, ampliaret. Lema. *Pascimur umbris.* APODOSIS. Mundus nonnisi umbras exhibet in suis divitijs, voluptatibus, honoribus, dignitatibus, ac commodis, quibus, cum inhiamus, umbris pascimur; umbratiles enim res sunt, ac vanæ, quæ citò disparent, ac evanescunt. Excursus de mundi vanitatibus.

Pla-

121 *Platanus* In Lydia, ad cujus umbram cum Xerxes rex divertisset, aureo monili eam ornavit, simúlque alia locuplete supellectili oneravit. Ælianus lib. 2. cap. 14. Curatorem etiam ei constituit quasi custodem, & amasiæ propugnatorem. Lemma. *Insanit amor.* APODOSIS. Cum fuerit homo à DEO conditus propter se ipsum summum bonum, in cujus sola possessione vera felicitas acquiritur; à sana proculdubio mente dejicitur, cum suum à summo Bono amorem avertit, creaturis adhæsurus, quæ nec redamare valent, neque ullam veram ingerere felicitatem.

122 *Poma* Narsetis Eunuchi, qui post devictum ac prostratum Totilam Gothorum regem; post victrices plures martia fortitudine collectas palmas, victorijs gloriosus, triumphis insignis; tandem æstuariæ fortunæ expertus inconstantiam; cùm primùm Justinus manum admovit ad Imperij gubernaculum, spoliatus ipse fuit Italiæ præfectura, & etiam probri., conviciisque a Sophia Justini uxore concisus, à qua jussus fuit pensis lanæ trahendis affigi, ut refert Baronius ad annum 11. Justini Junioris: quo scommate exasperatus Eunuchus, reposuit, se Justino, & Sophiæ, eam orsurus telam, quam dissolvere ampliùs non possent: idque exequuturus Longobardos, seu Wandalos è frigescentibus septemtrionis regionibus, ad fœcundos, & amœnos Italiæ campos invitavit præmissis legatis, qui lectissima Italiæ poma ferrent, quorum specie delectati Wandali cum ingenti exercitu in Italiam irruerunt, quam & armorum vi occupârunt, & ej..s imperio per ducentos triginta duos annos fuerunt potiti. Lemma. *Injuria unius ruina multorum.* APODOSIS. Rarò injuria à principe alteri illata licèt inferiori sine sanguine plurium deletur. Feralis est omnis injuria præsertim in principe, aut tyranno, qui si uni inferat injuriam, plurium odium contra se excitat, quia omnes eandem ab eo timent, quod innuit Mimus ille Publianus; & pro symbolo usurpavit Florianus Cæsar inquiens: *Multis minatur, qui uni facit injuriam:* Hinc apud Herodotum vetus Poëta

Circumretit enim vis atque injuria quemque
Atque unde extra est ad eum plerumque revertit.

123 *Populus* arbor, cujus folia candida sunt, ac cordis exhibent figuram, sacris fuit olim usibus destinata. Neque ex alia arbore ad usum olympicorum sacrorum ligna cædi fuisse permissum apud Eleos refert Pausanias in Eliacis *lib. 1. pag. 161.* Fuit etiam hæc arbor Herculi sacra, vel quia populea fronde coronatus, inferos adijt, quia ut refert Plinius *lib. 16.* Ejus folia suis regionibus intulit, quæ post solstitium circumaguntur in argumentum solstitij exacti. Lemma ex Tibullo. *Casta placent superis.* APODOSIS. Qui Numinis sunt cultui addicti, hos decet castitas corporis, & puritas cordis, à quavis scilicet labe defœcati, scitè Tibullus lib. 2. epist. 1.

Vos quoque abesse procul jubeo. discedat ab aris
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis, purâ cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

124 *Pyragnus* arbusta propè ignivomum montem Lyciæ lascivit tanta foliorum luxuriantium ubertate, floribúsque redundantia, ut teste Methodio apud Photium, ex fluvij ripa potiùs, quàm ex arescente, flammásq; evomente solo videatur enasci. Lem̃a ex Horatio. *Intaminatis fulget honoribus.* APODOSIS. Virgo Mater sola immunis fuit à labe originali, quæ in cæteros homines grassatur. Licèt peccatum hoc veluti incendium exarserit per totum orbem, omnésque aduserit homines, intacta tamen permansit Mater DEI.

125 *Quercus* ob ligni soliditatem Robur dicta arbor est glandifera; & quamvis olim hominibus pascendis nata diceretur, nunc suis fructibus nonnisi porcis alendis est utilis; & & nisi extrema necessitas in locis probro sterilitatis infelicibus ex rusticellis extorqueat panes ex ijsdem compactos ad famem sedandam, & sto.achum gravandum. Cæterum, quia glandes nonnisi difficulter è suis evellunt.r ramis, solent à rusticis pertica excuti. Lemma. *Uberiùs percussa dabit.* APODOSIS. Virtus fortitudinis, cujus est quercus symbolum verberibus à novercante Fortuna excepta, & adversitatibus percussa uberiores suæ constantiæ fructus, ac plura sibi merita congerit.

126 *Quercus* prædurus, ac crassior ramus gravi pondere pressus, non flectitur in humum, sed frangitur Lemma. *Malo cædi, quàm cedere.* APODOSIS. Mens constantiæ vigore roborata non flectitur, ne à sano, sanctóque consilio deflectat, & mavult corpore frangi, & martyrium subire, quàm ad tyranni minas se flectere, & à fide, ac Religione deflectere.

127 *Queraea sylva Dodoaea*, quæ olim credebatur oracula fundere, eò quia Jupiter ad id lucum ex Dodonæis quercubus compactum selegerit, ut mortales edoceret agenda. Lemma. *Fundunt oracula Sophi.* APODOSIS. Viri studio virtutis addicti pauca loquuntur, sed oracula fundunt. Excursus de coërcendo linguæ pruritu.

128 *Quercus ventis exagitata*, sed non fracta. Lemma. *Adversis firmior armis.* APODOSIS. Patientia licèt adversitatibus prematur, firmior stat, nec frangitur impatiens.

129 *Quernea* Herculis clava Hidram lerneam conterens. Lemma *Ab origine robur.* Censet Pierjus *lib. 12.* Herculis clavam fuisse ex annosa quercu depromptam. APODOSIS. Dotes parentum in filios transmittuntur. Scitè Horatius lib. 4. ode 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in juvencis, & in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

130 *Quernea corona*, seu ex varijs ramusculis quercus unà duntaxat intexta Lemma. *Vincenti dabitur.* APODOSIS. Præmium, & corona, sine prævio certamine, & labore non acquiritur. Excursus de subeundis laboribus, ac certaminibus pro cœlesti gloria, ac corona acquirenda.

131 *Quercus excisa* columnæ magnifici ædificij aptatur· Lemma. *Nobilius excisa resurgit.* APODOSIS. Virtus patientiæ, quo pejus tractatur, affligitur, & diverberatur, illustrior triumphat. Excursus de virtute, quæ in infirmitate, & adversitate perficitur.

132 *Quercûs rami excisi*, quibus corona compingitur danda viro in bello forti. Lemma. *Cæsa coronat.* APODOSIS. Patientia in SS. Martyribus pluribus cæsa vulneribus purpuream proprio sibi apparat cruore, & coronam cudit nobiliorem. Excursus de Patientia.

133 *Quiya* in hortis Brasiliæ imò & Hispaniæ planta est diligenter exculta ob usû, & elegantiam; frutescit enim æquè ad pulchritudinem, ac utilitatem. Ejus flores sunt candidi, folia ocymi similia lætè virentia, fructus in extimo cortice sanguinei; sed intus semina fovent, ex flavo albicantia ferventis caloris, & præstantis virtutis, ac efficaciæ præsertim in excutiendis stomachi flatibus, juvanda concoctione, corroborandis visceribus frigore obsitis; & referente Pisone *lib. 4. c. 75.* Piperi orientali hoc semen præfertur. Lemma. *Quæque latent meliora puta.* APODOSIS. Paupertas religiosa licèt exteriùs videatur ferè nullius pretij; intus tamen summas fovet virtutes, quas excolit.

134 *Ramnus* ignobilis frutex, spinis cinctus, cortice vilis, folijs asperis, tantæ *lib. Judic. cap. 9.* fuit arrogantiæ, ut in apologo cæteris voluerit præferri arboribus, illisque dominari. Lemma. *Nosse te ipsum.* APODOSIS. Vir ignobilis, vel nullius litteraturæ persæpe vult præ cæteris eminere. Excursus de cognitione sui ipsius.

135 *Rhododaphne* planta dicta Sabina, estque frutex perpetuò virescens, rosæ similitudine caulibus succrescens, à jumentis, capris, ovibúsque si comedatur, est venenum; hominibus verò præstantissimum alexipharmacum contra serpentum venena, quæ excutit teste Plinio *lib. 15. cap. 20.* Lemma. *Prodest, & obest.* APODOSIS. Eucharistia, si sumatur ab improbis, qui vitiorum cœno sordescentes in bruta quasi degenerârunt animalia sine ratione, cujus lumine quasi destituuntur absque mentis oculo, quia ventris ingluviei addicti, ijs obest; & panem eucharisticum in propriam sumunt perniciem: è converso viris probis, pietatis, ac virtutum incumbentibus studio prodest: unde canit ecclesia, *Mors est malis, vita bonis.*

136 *Roraria* planta perpetua imbuta rore teste Ravill. *Histor. plant.* Quamvis enim æstate ardentissimis sit exposita æstuantis solis radijs, quibus reliquæ plantæ exarescunt, & terra ipsa dehiscit pluribus dissecta rimulis; nunquam tamen Rorariæ folia cava instar exigui cochlearis roscido destituuntur quodam humore, quo jugiter imbuta virent: quinimo eorum lanugo licèt tenella quibusdam etiam pellucidis guttulis semper madet, adeo ut ab hoc rore suam sortita sit nomenclationem, ac roraria dicta. Lemma. *Nullo siccabitur æstu.* APODOSIS. Castitas probè exculta nullo insolescentis concupiscentiæ æstu læditur, quia rore imbuta divinæ gratiæ jugirer florescit.

Salix lento vestita vimine, plotibúsque 137 locupletata perticis suas feliciùs radices agit in amnium marginibus, ubi riparum muro aquarum erumpentium impetus coërcet, ac in arvorum excubat tutelam. Cæsa viret vegetior, & amputatis ramis vivit innumero hærede superstes. Ejus folia amara sunt, sed Capræ sapiunt, ac prosunt: unde si pingeretur Capra comedens salicem addito Lemmate. *Dulcescit, quæ amara fuit.* SYMBOLUM esset virtutis pœnitentiæ, quæ lachrymis rigata, fletu, & cinere pasta amara est; prodest eam exercenti, ac excolenti, quia noxas delet, conscientiam purgat, vires contra vitia suppeditat, divinam gratiam accersit; & omni bono animam opplet.

Salsada Prayra referente Pisone *lib. 4. cap.* 138 *69.* Planta est Pervana, marini littoris amans, ubi suas figit radices, ac feliciter germinat, adolescit, viret, florem emittit purporeum, folijs vestitur glabris, crassis, sphæricis, tenui valido tamen sarmento, quod cum folijs recentibus emolliendi vim pollet, & corpus in affectibus præsertim frigidis corroborat, ac summè prodest. Lemma. *Spiritus excitat omnes.* APODOSIS. Oratio frigescentem tepiditatem excutit, calorem divini amoris fovet, vires ad culturam virtutum suppeditat.

Sambucus inter arbores, ac frutices mo- 139 dicè assurgit, sed ocyssimè floret, gratúmque efflat odorem; ejus tam frondes, quàm flores vim habent leviter purgandi; lignum leve, quia grandi plenum medulla; sed adultius tam solidum, ut in venabulis cuilibet alteri præferatur. Lemma. *Quò prosperior, eò humilior.* APODOSIS. Cui fortuna arridet, & dignitas illustriùs ornat, is necessè est, humilitatis innitatur fundamento; quia crescente superbia, decrescit fortuna, quæ cum superbiam parit, perit ipsa, ut notavit Menander apud Srobæum. *Felicitas parit insolens superbiam*; idque causæ, cur Claudianus vocet superbiam *vitium rebus solemne secundis*, & ingratam comitem virtutum: vulgatum est illud Senecæ. *Felix se erigenda, felicitatem amittit*, quia superbia virtuti inimica, cum hanc abigit, se à vera felicitate præcipitem agit; & tantò profundiùs labitur, quantò excelsiùs elevatur; unde Livius lib. 10. dec. 3. qui non statuit fœlicitati modum, nec cohibet efferentem fortunam, quantò altiùs elatus est, eò fœdiùs corruit. Quapropter monet Seneca in Troade,

Quò

—*Quò fortuna altius*
Evexit atque levavit humanas opes:
Hoc se magis supprimere felicem decet.

Scopæ florentes. refert Ammianus *lib. 28.* repentino olim prodigio scopas floruisse quibus eurie verrebatur nobilium; idque portendisse extollendos quosdem despicatissimæ sortis, ac infimæ conditionis ad gradus potestatum excellos. Lemma *Ad summa per ima.* APODOSIS. humiles ed sublimia evehuntur; quia sicut superbia tanto profundiùs labitur, quanto excelsiùs elevetur: humilitas tanto sublimiùs erigitur, quanto profundius se deprimit scitè Seneca in Agamemnone

Quicquid in alterum fortuna tulit, ruitura levat

Et juvenalis

——*Ex humili magna ad fastigia rerum*
Extollit quoties voluit fortuna jocari.

40. *Smilax* frutex hederæ similis celeri intremento per muros ad ædium altissima cacumina surgit densa foliorum sylva, florem effert, nunc candidum, modò puniceum. Coronæ tamen ex smilace intextæ funestæ olim habebantur; eò quia arbores suo complexu absumat, ac enecet. Lemma *Multis adhæsisse nocet.* APODOSIS. Mali socij fugiendi, quia ad peccatum inducentes, vitâ seu Dei gratiâ, nos privant, & à summo Bono nos avertunt.

41. *Sicomorus* ficus fatua dicitur, quæ fructus fert grandiores quidem communi ficu, sed magis acerbos, qui non maturiunt nisi instrumento ferreo radantur. Lemme *Hæc damna juvant* seu ferro malè tractari maturitatem promovet. APODOSIS. Mores nostri fructus sunt non sicomori, sed naturæ corruptæ, ac velnti infatuatæ, plerunque acerbi non sepiunt, ut maturescant. seu ad normam virtutis perficiantur, Deus cultro tribulationum ac ferro adversiterum extimum corticem, seu bona temporalia, & divitias abredit, ut ab ijsdem animum abstrahamus, ac soli Deo adhæreamus, qui radio, ac æstu divinæ gratiæ nostrorum morum abigit acerbitatem, nosque perficit.

42. *Sistrum Scamandrinum.* Referunt Aristoteles, & Plutarchus junior *de fluminibus* in fluvio scamandro herbam nasci sistrum nomine similem Erebinsho grana in sinu foventem, à quibus sortita est nomenclaturam. Hanc qui gestaverit herbam nullis vexari dæmonibus, neque spectris horrescere, ferunt. Lemme *Fert tutela salutem.* APODOSIS. Christi crux nostrum est præsidium, nostra tutela, si ejus muniamur signo vane umbrarum terriculamenta, & dæmonum ludibria nullum nobis timorem incutiunt; & dæmonum legiones fugamus; opportunè Tertullianus: *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, quocunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.*

43. *Suber,* ut ait Plinius *l. 16. c. 8.* inter arbores glandiferas minores ligno admodum poroso est, sed densi corticis; quo non tantùm aquis non mergitur; sed ne alia sibi connexa merguntur sustinet, hæc arbor levitate est commendebilis. Lemma *Nullis mergetur ab undis.* APODOSIS. Conscientia nullæ gravate noxia mergi stygijs in undis non timet; quia innocentia fultum nititur.

Tabia arbor Brasiliena quæ referente Pi- 144
sone *lib. 4. c. 17.* in tagi altitudinem essurgent, est cortice levi, cinereo; plures dispertitur, & ampliatur in ramos, quorum singuli vestiuntur folijs, quæ germinent in pediculis, sibi invicem opposita, lævia, ac splendentia, supernè saturatiore, infernè dilutiore virore conspicua, quinque, aut sex digitos longe. In ramulorum extremitatibus plures pediculi surgunt, velnti cerasini, collecti, in quorum quolibet flos nascitur constans quatuor folijs albis, digitum longis; habétque eum his alternatim posita quatuor foliola virescentia, sesqui pedem longa, staminibus subruffis ornata. Succus foliorum contusorum, ac tusarum, vitiatos in visceribus æstus, ac lethales inflammationes extinguit, præcordia refrigerat, squalorem, ac immunditiem abstergit, ac dolores sedat. Lemme *Lethales temperat æstus.* APODOSIS. Eucharistia, & sanguis Christi. insolescentis concupiscentiæ extinguit vitiatos, ac lethales æstus, omnémque abstergit immunditiem, abigitque culparum squalorem, seu reatum.

Tangaraca frutex est in Brasilia referente 145
Pisone *lib. 4. c. 50.* singulari facultate deletera pollens, & homines æquè, ac glires interimit. Florem producit primò albicantem. postea aureo rutilantem colore; ejus folia lætè virescunt acuminatim protenduntur sesqui digitum longe pluribus distincta venulis; hæc tamen qualitate virulenta imbuuntur, & arsenio vix cedunt. Tanta est tum folijs, tum floribus potentia, ut deglutita, ac in stomachum demisse hominem statim interimant; nisi quantocius præsentissimum aliquod adhibeatur antidotum. Hujus tamen plantæ radix præstantissimum est Alexiphermacum, contusa enim, & cum vino, aut alio liquore propinata ægros sæpè in integrum restituit; adeout eadem plante salutifera sit, ac mortifera, venenum exhibeat, & antidotum, ac alexipharmacum, mortem, & vitam. Lemma *Unde pernicies inde salus.* APODOSIS. Sacræ scripturæ viris pijs, ac prudentibus, sanóque sensu eas intelligentibus, vitam, ac salutem suppeditant, súntque perutiles; Improbis verò & hæreticis in sensus improprios eas detorquentes sunt exitio. Huc accersendus D. Augustinus Epist. ad Volusianum: *Modus ipse discendi, quo sacra scriptura contexitur, quamvis omnibus accessibilis, paucissimis tamen penetrabilis. Nam quæ aperta continet, ea quasi amicus familiaris sine fine ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum; ea verò quæ in mysterijs occultat, nec eloquio ipso superbo erigit, quò non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita quasi pauper ad divitem.*

Taxus abieti similis arbor est exsucca. 146
In Arcadia teste Plinio *lib. 16. c. 10.* adeo est venenata, ut qui sub ea dormit, vel cibum capit moriatur: hinc sunt qui putent, toxica à taxo suam sortiri nomenclaturam, Lemma

Solâ carpimur umbrâ. APODOSIS. Mors ubique nobis insidiatur, nec ullus est locus ab ejus tutus insidijs, nec sub arboris umbra; hæc est etiam nobis fatalis; & quales simus nos monet. Nec quid aliud est homo, quàm flatus, ac umbra vacua; scitè Lampſ.

Ecce sumus pulvis, sumus ecce miserrima tellus
Et nostri fugiunt, ut levis aura, dies.
Solvimur, ut nebulæ, surgens ut in aëra fumus,
Et veluti solvi sola pruina solet.
Carpimur, ut stipulæ rapido carpuntur ab igne:
Nil nisi vivendo somnus, & umbra sumus.
Unde igitur fastus venit, unde superbia nobis?
Quos fatum, præter tot mala, triste rapit.

147 *Tęda arbor* ex pinorum genere viscoso imbuta succo, grassóque pinguescens humore, ideóque flammis alendis perapta. Idque causæ ait Plinius *L. 16. c. 10.* cur olim in sacris, nutriendis luminibus adhiberetur: unde tedæ nomen facibus hæsit. Lemma *Ardens serviet aris.* APODOSIS Fides nisi gratia fuerit imbuta, & charitate arserit, cultui divino, probisque operibus non prodest. Excursus de charitate, sine qua opera nostra nil habent meriti.

148 *Terebinthus* arbor ligno præduro, ut buxus, semperque ijsdem folijs virescens, quæ densa sunt, oblonga, & pilosa, flos instar olivæ rubet. Majolus col. 21. ex Ægesippo lib 4. c. 21. refert in Memphi repertam Terebinthum, cujus origo ignoratur. Lemma *Sempérque virescit.* APODOSIS. Fiducia in Deum, nunquam exarescit, semper floret, quia sperantibus in Deum bene semper erit.

149 *Teliphonus* herba si ad scorpij dorsum admoveatur statim perit, ut refert Ælianus de animal. *lib. 9. c. 21.* Lemma *Anger si tangor.* APODOSIS. Calumnia cum primum illudit innocentiæ, se ipsam perimit, quia innocentia convicijs, & calumnijs premi quidem potest, sed non opprimi.

150 *Tilia* arbor est præcelsa densioribus umbris æstate præsertim quæsita. Teste Plinio *lib. 16. c. 14.* mas fructibus destituitur; fœmina florem, seménque profert, quod nullum animalium attingit. Cortex est crassus, & detractus magis indurescit, nec sinit se flecti, lignum in mare durius, in fœmina candidius, nec cariem facilè patitur, scutis olim conficiendis adhibebatur: inter extimum corticem, & lignum tenuissima est membrana, quæ philyra dicitur. Lemma *Tegit, & protegit*, seu tegit ab æstuante sole; & protegit, quia ex hoc præduro ligno clypei fiebant, qui hostium sagittas retundebant, ne vulnera infligerent. APODOSIS. Scapulare B. Virginis de monte carmello tegit cor, cui superimponitur, simúlque protegit, ne hostes in nos prævaleant.

151 *Thymum Atticum* vernans in afflatu maris. Est Thymum, ait Plinius *lib. 21. c. 10.* ex quo apes mel conficiunt laudatissimum, & non vernat nisi in afflatu maris. Lemma *Te afflante virebo.* APODOSIS. Maria, quæ stella maris dicitur, imò & mare gratiarum, benefica suo afflatu, & auxilio influit in suos clientes, ut florum virtutibus ornati verneant pietate, religione, ac sanctitate; in qua nullus diu perseverat, nec virtutibus vernat sine afflatu, ac favore B. Virginis.

Vepres inter frutices recensentur, spinis ob- 152
armantur, folijsque asperis vestiuntur, quæ in rubis sunt molliora, in sentibus duriora, suis tamen ornantur vepres floribus odoratis, quibus bruta animalia quidquam non adferunt detrimenti, arcentur siquidem à spinis, quæ flores tuentur. Lemma *Sic armata tuetur.* APODOSIS. Mortificatio si carnem cilicio compescat, motus brutales concupiscentiæ arcet, ac compescit, & florem castitatis tuetur, ne damnum patiatur ullum, sed felicior vernet, ac vegetior floreat.

Ulmus arbor nota excelsa vitibus amica, 153
quas, ne labantur, sustinet. Vitis enim natura caduca nisi fulciatur fertur in terra, humíque repens fructuum destituitur divitijs; hinc ut se erigat claviculis suis quasi manibus ulmi caudicem, & ramos amplectitur; & hoc fulcimento non solùm stat, sed feliciùs, ac locupletiùs pendulis ditescit racemis; quibus ipsa ulmus ornatur, & coronatur. Lemma *Debiles fulcire decorum.* APODOSIS. Viris præpotentibus, ac divitijs affluentibus decorum est, ac perquam commendabile pauperes, ac miseros sustinere, alere, ac protegere, ne in deterius cadant, & plurimum ijsdem accrescit meriti.

Vitis spreto, horrido, obliquo, tortuoso, 154
sed fertili ligno frutex est in sublime nitens, & ad altiora semper assurgens, modò fulcris non destituatur, quæ claviculis suis complectitur, quò firmior stet, ac tutior surgat. Quamvis contemptibilis sit in caudice, ac ligno; flore tamen fructu, & pampinis, est perquam commendabilis, & cæteris plantis antecellit; nil enim gratius, nil aspectu jucundius florentis odore vitis; nil utilius ejus fructibus cùm spumantem nobis exhibent vindemiam. Lemma *Quò despicatior, eò spectabilior.* APODOSIS. Humilitas radix est omnium virtutum, & eò crescit sublimior, quò humi videtur abjectior.

Vitis ne sarmentis silvescat, & in omnes
diffundatur partes ineunte vere amputatur re- 155
lictis ex sarmentis ijs tantùm, quæ gemmæ dicuntur. Lemma *Recisa surgam.* APODOSIS. Virtus in adversitatibus perficitur.

Umbu arbor in Brasilia parvam citrum
imitatur; trunco est fere nullo, sed ramis plu- 156
ribus tortuosis. Folia fert ampla, lævia, lætéque virentia, gustu tamen sunt arida, & adstringentia, florem habet albicantem; fructum ex albo flavescentem, similem pruno majori, sed carne duriore, & pauca, quia intus magnum continet lapidem: si maturescit saporis est gratissimi ex acido dulcis; sin minus, adeo est austerus, ut stuporem dentibus inferat, nec sapiat, sitque gustui ingratus. Lemma *Ubi mel ibi fel.* APODOSIS. Mundana voluptas quamdam videtur mellis dulcedinem exhibere; sed sub dulci cortice latet amarum fel, imò & lethale venenum, quò anima miserè interimitur.

Zabucaiu arbor est in America in insignem 157
excrescens celsitudinem instar quercus veteris, referente Pisone *lib. 4. c. 13.* trunco est crasso, & recto, lignum putredini mirè resistit, & ob

sum-

summam duritiem, molendinorum sacchareorum axes ex illo conficiuntur. Folia juniora russa sunt; vetustiora viridia, & mori folijs similia, in ambitu tamen serrata, & quodammodo contorta, & incurvata. Capacissimos, summæque duritiei producit calices ora in terram obverso, & operculo, admirabili naturæ lusu, instar pyxidis, aperto: in ijsdem nuces continentur jucundi saporis, quæ ubi maturitatem fuerint consequutæ, excusso illico tegumento, sine alio auxilio è calicibus decidunt, & gratissimum suppeditant alimentum. Lemma *Corrumpi nescia floret.* APODOSIS. Virtus castitatis tandiu floret, quandiu incorrupta manet.

158 *Zamouna excelsa* in campis Americanis arbor, aspectu mirabilis, forma insolens; nam in superiori, ac inferiori trunci parte ordinariæ est crassitiei, sed in medio duplo plus obesa instar mulieris portantis uterum; videatúrque propterea intumescere instar prægnantis, ac propterea peregrinantes attonitos remoretur. Totius trunci substantia est intus alba, medullosa, ac planè tuberosa, exterius verò cinerei est coloris, validis, horridisque spinis à peda ad verticem obsessa. Ejus rami ponderosi quinque folijs acuminatis, & oblungis vestiuntur Piso lib. 4. c. 35. Lemma *Pulchriora latent.* APODOSIS. Paupertas religiosa quamvis exterius sit lacera, pannosa, vilis, ac cilicino sacco sit induta; intus tamen in animo florea vernant virtutum, lilia candicant castitatis, purpuram induunt rosæ charitatis, gratissimè olent violæ humilitatis.

159 *Xagua* arbor Hispaniolæ, ex qua manat pellucida aqua albicans, quâ tamen quicquid aspergitur, aut oblinitur nigrescit, nec ulla unquam lotione diluitur, ac emendatur. Lemma ex Horatio lib. 4. od. 4. *Dedecorant bene nata culpæ.* APODOSIS. Filij plerunque à probis, pijsque parentibus degenerant, quia vitijs indulgent, quibus, & fœdè nigrescunt. Discipuli itidem pluries limpidis doctrinæ fontibus rigati, non albescunt, sed naturæ pravitate corrupti adeo à recto deflectunt, ut difficulter ad mentis revocentur æquitatem.

EXCURSUS.

De Pomariis, & Arboribus frugiferis.

160 POmarium, seu pometum, locus intelligitur fructiferis consitus arboribus, non tam ad voluptatem animi, quàm utilitatem corporis: ubi arbores proceræ, exiles, crassæ, tenues suis ornantur foliorum comis, suáque ditescunt fructuum copiâ actis infra terram radicibus, truncóque seu caudice ad arboris proportionem libro, & cortica obducto, quò sint à frigore tutiores. Ramos in partes singulas protendunt, quos primùm floribus venustant, dein folijs, lætóque virore vestiunt, ac demum fructuum ubertate locupletant; in quorum cultura videntur natura, & humanum ingenium simul certare de principatu: & quamvis natura in tenellis adhuc arboribus plura experiatur sibi ab arte, ac humano ingenio damna inferri, præsertim gravia infligi vulnera *in putatione, insertione, inoculatione, phlebotomia, scarificatione, ablaqueatione, incisione, sarritione* obducta tamen cicatrice, callóque inducto natura de humano ingenio, artiaque industria triumphat. gaudétque ad eam pervenisse venustatem, ac nobilitatem, ut quos gignit fructus videat in mensis Regum, & principum in honore haberi, & amari; & ijsdem non tantùm sensus, seu colore vivido oculos, odore nares, sapore gustum, magnitudine, & mollitie tactum, verum etiam totum corpus utilitate pascere; imò & animum voluptate perfundere, idque contingit cum ex sylvestri, austera, acerba, ac insipida stirpe mira metamorphosi frugifera gignitur arbor per insertionem, vel inoculationem, qua geminæ vegetantium naturæ coalescunt in unam ad abstergendam sterilitatem unius, & promovendam fœcunditatem alterius. Quia verò arbores frugiferæ non secus, ac animalia fato sunt obnoxiæ, & moriuntur, ideo ut earum consulatur restaurationi factu optimum est, si quot annis unam duodenam sylvestrium plantarum serantur suo tempore inserendæ, vel inoculandæ ramis domesticis frugiferis; & quamvis non nisi serò & post plures annos tenellæ hæ plantulæ crescant, ut fructus ex ijsdem legantur; satius semper has plantas propagare in hortis. Unde Virgilius

Insere Daphne pyros carpent tua Poma nepotes. 161

Plantæ igitur transferendæ ex loco, & fundo deteriori assumendæ, ac seligendæ sunt, ut germinent lætius in feraciori, ac meliori nutrice pinguioris glebæ nutriantur, & crescant: id vero observatu, ut plantæ seligendæ, in corpore seu stipite mediocris sint conditionis; quia crassiores, & magis corpulentæ difficilius radices agunt; & graciles, ac tenuiores faciliùs novo fundo assuescunt; Cavendum tamen ne plantulæ duorum surculorum sint in insitione capaces; & ne transferantur ex loco, & fundo paludoso, quia difficulter in aridiore solo excrescunt; siccior enim gleba non ijsdem nutrix est, sed noverca; unde consultiùs si ex rigido, saxoso, ac sabuloso solo plantulæ transferendæ assumantur, quia tunc avidissimæ sunt pinguioris nutrimenti, quod à fœcundiori nutrice ijsdem suppeditatur; rursus ne plantarum radices sint læsæ; sed vegetæ sint, & in stipite sanæ, ac in medulla vivaces; alioquin si vitiosæ fuerint, repudiandæ; in effodiendis, ac eruendis novellis plantis sedulò cavendum est, ne cordiales radiculæ violentur, & nativa, seu principalis mater radix inviolata extrahatur; ideóque minimum ad duos pedes in circumferentia terra delicatè, ac cautè effodienda, ne radices lædantur; fibræ tamen inutiles, omnésque ramusculi cum vertice resecandi sunt; ut & fossa in novo fundo bipedanea esse debet, probè stercorata, & ab omni ce pite libera; non enim implantatio debet profundior fieri, quàm fuerit situs nativus, ex quo fuit exempta; quòd si planta in loco na-

tivo

tivo solem respexit orientem, in eodem situ debet implantari. Hortulani doctiores supernum situm ad solis ortum ex subfusco plantæ cortice noscunt.

162 Monet Columella *lib. 5.* omnes arbusculas priusquam effodiantur rubricato signo esse notendas; ut cum seruntur easdem cœli partes respiciant, quas in oativa statione respexerunt; ut etiam monet. Virgilius 2. Georg.

Quin etiam cœli regionem in cortice signant,
Ut quæ quoque modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, quæ terga obverterit axi
Restituat.

Quia nisi observetur situs plantæ, quæ transfertur, ut correspondeat fitui naturali, quo germinavit, & adolevit, facilè interna partium dispositio assueta cœli qualitatibus mutationem potest in deterius subire; & radices diversum sugentes è terra nutrice alimentum alterari, & à nativo, rectóque tramite deflectere, experimur enim plantas ex diverso situ, & aspectu ad cœli partes diversimode germinare, ac enutriri, ut in stipite succiso manifestè apparet: rami enim plantæ exigentis calorem lætiùs, & latiùs germinant, frondésque dilatant ex aspectu ab Austro, quàm ex parte septentrionali; & fructus hac de causa ex aspectu septentrionali tardiùs maturiunt; & celerius ex australi. Hoc autem non contingit sub æquinoctio, seu zona torrida, sub qua venæ omnes sunt concentricæ ad solis aspectum, & æquali calore rami omnes foventur ob solares radios perpendiculariter dilabentes in singulas arboris partes. Id etiam observetu necessarium, ut in ipsa implantatione radices utrinque, & in qualibet parte delicata, ac subtili, ac pingui gleba contegantur, quò faciliùs possint humorem nutritium sugere, ac ramis totique plantæ suppeditare: consultiùs est si hæc plantarum translatio fiat autumno, quàm verno tempore, quia propter æstus solis faciliùs exsiccantur; & hyeme radices feliciùs foventur; sed caulis quia edhuc tenellus contra frigus integumento stramineo est vestiendus. Quoad pomerij formam, & ordinem, is solet quincunx describi, ut linea altera priorem non respiciat, & ex omni parte pateat soli liber aspectus: dicitur hic ordo in arboribus quincunx, quia ite dispositæ sunt arbores, ut binæ cum tertia proximi ordinis æquali intervallo sibi opposita, quoquo se quis vertat quincuncialem referent Quintil. lib. 8. cap. 3. *Nullus ne ergo etiam fructiferis adhibendus decor? quis negat? nam & in ordinem certúque intervalla redigam arbores illas, quid enim in illo quincunce speciosius, qui in quamcunque partem spectaveris rectus est? sed protinus in id quoque prodest ut terræ succum æqualiter trahant.*

163 Interstitia inter plantas non semper eadem; quæ ex nucleis nascuntur, amplius, majusque spatium exigunt propter amplitudinem ramorum, adeo ut una distet ab alia, ad triginta, vel quadraginta pedes; neque prope fossam ullus est cespes permittendus, ne gramen succum, seu naturale nutrimentum sub trahat novellis plantis. Lucri tamen causâ solet arborator plantare alternatim pomum, & pyrum, quia cum pomi locum spatiosum ambiant, in quem suos dilatant ramos, & pyri in sublime ascendant, ac excrescant in conum non se impediunt ad solis radium percipiendum. Tenellæ plantæ ut in sublimius excrescant, quamdiu adolescunt palis staminantur in caule; ita tamen ne ligamina delicatum cortitem attetant, librúmque lædant.

Pro instaurando pomario arborator seminarium instituit nucleotum, & ossium, sunt nuclei semina omnium pomorum, ac pyrorum, & aliarum arborum, quarum fructus exigua continent semina, seu grana. Ossa vero dicuntur quasi lapilli, qui in prunis, dactilis, cerasis, Persicis, & elijs id genus fructibus includuntur. Seminarium igitur arborum est in horto, vel pomario locus, in quo hæc semina, & ossa sata foventur, nutriuntur, ut germinent, & elijs postea in pomatio substituantur. Debet locus iste seligi, ut sit bene septus, stirpe purgatus, soli pervius; ab equæ stillicidio alienus; est locus iste bis, vel ter profundè subigendus, & totidem accuratè restaurandus, ac fimo bubulino impinguandus; parato seminario nuclei, vel ossa distribuuntur æqualiter per lineas, ita tamen ut distent saltem per unum pedem. Nuclei densiùs seruntur, quàm ossa, & ne à muribus corrodantur ad duos circiter letos digitos terræ immittuntur; debent tamen antea probati aqua, quia quæ innatant sive semina sint, sive ossa repudianda sunt, ut germinationi inidonea, & sterilia. Quæ subsiduut eliguntur, ac seruntur in autumno foliis arborum deciduis tribus diebus, ante, vel post plenilunium. Si emergentes ex seminibus tenellæ plantulæ densius germinaverint, viliores, quæque apparent deteriores cautè subtrahuntur, ne alimentum alijs subtrahant. 164

Cum verò plantulæ incipiunt adolescere insitione maritantur surculis ex arboribus frugiferis, & optimæ qualitatis. Hac insitione delectati fuerunt reges, & Imperatores, ut Attalus Rex Asiæ, Cyrus Rex Persarum, Diocletianus, & Constantinus Imperatores Romanorum: estque insitio, ipse actus quo surculus ex arbore frugifera selectus, ac deceptus cultro in tenellam aliam immittitur plantam; ut duæ plantæ in unam coalescant, ac cogatur insititium impositum generare etiam invito trunco, qui ut ait Virgilius 165

Miratúrque novas frondes, & non sua poma.

Solet ab Arboretoribus hæc plantarum insitio tripliciter exerceri, vel inter corticem, & librum, seu lignum plantæ; vel in aperto vulnere stipitis, cui surculus depromptus à frugifera arbore inseritur; vel per implastrationem, seu inoculationem, quando oculus illo anno productus in alium surculum immittitur; & hic modus rarior est, quia minus certus. Requisita ad insitionem sunt, ut surculi, qui à Columella dicuntur *femina*; à Virgilio *flagella*; à Plinio *Calami*; ab alijs *germina*, vel *virgelta*, aut *propagines* sint tenelli decerpti à matribus arboribus, non multo senio confectis 166

fectis, ne fint viribus destitutæ; neque adolescentibus, & hujus connubij incapacibus; sed ab illis arboribus, quæ jam pluries & sæpius uberem fructuum copiam genuerunt. Rursus omnis generis surculi inserendi, tam in plantis ex nucleis, quàm in ossibus scindi debent ex ramis superioribus, & in arboris meditullio respicientibus orientem, vel meridiem; quia meliores sunt, & perfectiori succo sunt oppleti. Inserendi sunt surculi horis matutinis aëre sereno, & tranquillo nullis agitato ventis in signis præsertim arietis, vel sub finem piscium circa novilunium; & debent esse annicuil; quatuor digitis circiter oblongi, quatuor vel quinque oculis illustres; eum ab arbore matre avelluntur cavendum est ne cortex lædatur, unde surculus ramum versus, & deorsum scindendus est cultro; Quod si insitio supra adultiorem arborem instituenda fuerit, surculi etiam adultiores triom annorum abhiberi possunt. Quòd si arbores steriles, vel sylvestres annosæ fuerint, tunc truncus nullam ampliùs patitur insitionem; sed hæc fit in ramis recentioribus, non quòd omnes debeant simul amputari; sed alternatim, ut hoc anno implantentur quatuor, vel quinque surculi in recisis junioribus ramis; anno sequenti totidem; vel etiam plures, quod ex felici successu judicari facilè potest; hac industriâ videmus unam, ac eamdem arborem producere fructus varios, ac diversarum specierum, juxta varios, ac diversos surculos; qui incisis ejus ramis inseruntur: qui ut firmiores hæreant ramis, bacillis saltem per primos annos fulciendi sunt, ac illigandi ijsdem.

167 Quo vero tempore insitiones opportuniùs fiant, videtur lis esse inter plantarum insitores; omnes tamen conveniunt non esse exercendas cum Sol percurrit signa cancri, vel scorpionis. Alij putant consultiùs esse si mense Februario fiant; ea innixi ratione; quia tunc arbores immunes sint à vermibus, & erucis: sed hic mensis generatim non videtur eligendus præsertim in illis Germaniæ partibus, in quibus adhuc frigus riget, tellus vel nivibus si sepulta jacet, vel gelu concreta hyemem tenaciùs servat. Alij volunt sub finem Aprilis feliciùs plantarum fieri insitionem. Sed tunc succus è radice jam transmissus est per singulos arboris ramos; & cum incipiat æstuare, facilius surculi insititij exsiccantur. Securiùs fit, ac feliciùs obtingit hæc insitio si fiat mense Martio, vel in regionibus temperatis, ut in Italia sub finem Februarij, eo tempore quo rami ex radicibus arboris incipiunt succum suggere lunâ jam adultiore; quia insitionis effectus totus dependet à supervenienti nativo succo, & cum luna nova sit debilior, & adultior uberiorem succum subministret, factu optimum, si tunc insitio fiat, quia citius, & facilius insitum germen unà cum ramo eodem alitur succo, quem ad se trahit, & fit quid unum cum ramo. Idque observandum sive insitio fiat in ramis, sive in caule, seu trunco sylvestris plantulæ ad insitionem maturæ, & quæ sufficientes radices egerit in suo posita, quod ex ramusculorum folijs, & virgultis facilè dignoscitur. Si insitio fiat in hisce novellis plantis observant Insitores, ubi cortex est glaber, lævis, sine pilis, absque muco, & ibi serrula tenui, cujus dentes non sint profundi verticem plantæ, seu caudicis præcidunt, caventque vel maximè, ne cortex serrando in fine lædatur, quod ne contingat solent residuum ligni acuto cultro, per eamdem lineam totum amputare verticem trunci; hoc peracto adaptatur surculus insititius depromptus ex arbore frugifera, ut superiùs diximus, qui ex una parte scindendus est deorsum ad digitos, illæsa tamen medulla, & in cuspidem attenuandus est, adeout si insitio fiat in truncum per plagam apertam surculus eidem implantandus debeat cultro in utraque parte attenuari, & in plantis natis ex nucleis, & ossibus cortex finditur cultro, vel scalpro juxta medullam, cuneúsque ligneus ut vulnus pateat scalpro substituitur; quod si truncus debilis sit, sufficient in calamo tres oculi, si amplior plures: surculus acuitur per modum trianguli ex dorso decussatim; ita tamen ut dorsum cum cortice unius lateris robustius, & latius maneat, & alterum transeat in acumen instar cultri, & ita vulneri inseritur; & debet magis attendi ad combinationem ligni cum ligno, quàm corticis cum cortice, & quidem pari æqualitate; his absolutis extrahitur cuniculus, ut plaga coëat, & surculi cum trunco arctiùs nectantur: totaque plaga tam in lateribus, quàm in vertice est cerâ emplastranda, musco, limo, & flocco, & impositâ telâ, vel panno, viminibus omnia colligantur, cum aliqua tamen laxitate, ut maneat aliquod respiraculum.

Suis sunt etiam morbis obnoxiæ arbores ait Plinius lib. 17. cap. 27. *Hominum & arborum medicina, magna ex parte similis.* Lethales autem arborum ægritudines sunt præsertim extrema macies, quasi hectica, & contrahitur, quando arbori suo tempore non suppeditatur necessarium alimentum, seu porosa terra, & fimus vetustus, qui arborem corroborat, ac impinguat. Alius morbus huic oppositus affligit arbores, estque Hydrops oriens ex copia humorum peccantium, ac corruptorum. Cognoscitur hoc morbo laborare planta, quando aliqua ejus pars, vel arbor universa in stipite, seu caule nigris signatur tuberculis, & mox resolvitur cortex à libro, qui latentes vermes à suffocato humore progenitos, seu termites, auticularias, cossos, & galbas indicat; cui morbo obnoxiæ præsertim sunt arbores frugiferæ; ut Malus, Pyrus, Prunus, Persicus, Mespilus, Ficus; & nisi statim ab initio obsteтur, fit lues exitialis; pharmacum morbo huic curando est scarificatio, seu phlebotomia. Quòd si morbus invaluerit, tunc extimus cortex in lineam oblongam cultro aperiendus est, & vermes eximendi, vel in ipsa arbore suillo stercore, & humana urina mista 168

mista extinguuntur. Liber intimus florum omnium fimo mixto argillâ contegitur, ne à sole lædatur. Hæc phlebotomia instituitur verno tempore præsertim mense Majo luna plena, ad vesperum, æstu solari jam debilitato, & ab Arboratore versus septemtrionem sub ramis desuper ad terram usque subtili falcula extimus cortex leviter inciditur, quia per hoc vulnus corruptus humor foras fluit; & novo callo caulis obducitur. Est etiam lepra, quæ solet arbores inficere; oritúrque hujusmodi scabies ex neglectu necessariæ curæ; & quando tempestiva putatio, & siccorum Ramorum castratio statutis temporibus omittitur. Hic morbus principaliter oritur è positione arborum, quando primus, ac nativus earum situs permutatur quoad solis aspectum, quia tunc cum illius influentiæ heteroclitè recipiantur ab arbore translata, hunc contrahit morbum, quo citius senescit. Alius arborum morbus cancer dicitur, oritúrque ex malis signis scorpionis, & cancri, ac lunæ inordinatione, in quibus fit arborum plantatio; & quia morbus iste internus est, ideo curatu difficilior, & paulatim vires omnes arbori adimit, adeout modo unus, nunc alius ramus tabescat; & tota arbor sterilescit, & gradatim deficit. Morbus caducus arborũ contingit, quando continuo per varias rimas pondere Ramorũ, & copia fructuum apertas, per excavata foramina stillicidia, & corrosivas distillationes, quasi catarticas tota medulla, & universum lignum plantæ corroditur, ac corrumpitur, unde Spiritus vegetationi, ac nutritioni inservientes ad interitum attenuantur, ac corrumpuntur relictâ solâ pelle, seu ipso extimo cortice, quò fit ut arbor, graviori afflata vento corruat; ex quo lapsu morbus arboris caducus denominatur.

169 Plurimum etiam æquè arboribus, ac oleribus affert damni verno tempore eruca; quæ ubi frutices, & olera depascit, arborésque cum floribus defrondat, suóque veneno inficit; nulla spes superest fructus legendi. Ad hæc impedienda damna factu optimum est, si Arborator mensibus Januario, & Februario nidos, & erucarum semina dissipet; quod est malum in cunis interimere priusquam vires acquirat. Sterilescunt etiam arbores, si frequentes pruinæ ijsdem inhæreant, quia tunc cum flore spem totam fructuum decoquunt, ac depascunt; & quamvis malum hoc videatur inevitabile potest nihilominus quodammodo leniri, si mense Martio scrobes sine læsione radicum, in arborum circuitu fodiantur, aquâ pluviâ mox opplendæ, quia aqua pluvia in radice arborem corroborat, & pruinas ramis adhærescentes refringunt, quò minus noxiæ sint ramis, ac floribus. Hortulani, qui de rarioribus quibusdam arboribus sunt soliciti, solent earum truncis tomices alligare, vel stramen avenaceum, & aqua pluvia ex cisternis hausta, vel fluviali imbuere, ut inde arbor jugiter humectetur; quia vapores aquosi perpetuò sursum feruntur, ac impediunt ne pruina ramis adhærescat, quatenus luctantur cum deciduo rore frigido: hinc experimur, pomaria, & plantaria ad fluviorum ripas rariùs à pruinis decoqui, ac uberiores certiorésque fructus ferre; ut etiam in Insulis, ubi sunt arbores sitæ ex eadem causa.

Formicæ itidem quamvis parvulæ, magnum tamen, & ipsæ inferunt arboribus damnum, maximè tenellis plantis, quas suis sordibus ita inficiunt, ut folia quasi adusta enecent, vimque omnem adimunt, sistúntque germinationem: ne id contingat cum arboris, & hortulani detrimento, solet hic mense Martio arborem circumfodere, & virginem terram substituere, & addere sarmenta quercna ex asseraria, eaque humectare, fugiunt statim formicæ locùm hunc, & alio divertuntur. Sunt etiam qui testas limacum in pulveres redigunt, & in novilunio, quo formicæ cæcutiunt, earum cumuli conspergunter; inde certatim fugiunt, & hinc inde in devia aberrant oblitæ consuetæ semitæ. Sunt etiam qui è quernis corticibus in pistrino contusis, vel in officina alutaria emaceratis pulveribus, plantam arboris lato spatio circumdant, quorum acrem succum formicæ eminus declinant; alij stirpem cingunt fœno; alij calcem vivam cumulis imponunt formicarum, & aquâ perfundunt, cujus ardore formicæ partim exuruntur, & partim vapore suffocantur. Præ cæteris verò opportunum contra formicas remedium est si verno tempore recenti, & viridi cespite, cortices arborum terantur unde crusta amarescit, qui sapor formicis est aversissimus. 170

Talpæ itidem quamvis oculis captæ adhuc plurimum plantis inferunt damni. Fugantur verò si in earumdem subterraneis specubus cancri intrudantur, qui prorsum sursum gradientes talpas terrent, quas fugant, quòd si sedem in eodem horto mutent eodem hoste sunt propellendi; talis inest antipathia talpam inter & cancrum, ut hujus emortui fœtor illam interimat. Sunt etiam qui per figulum curant fieri ollam intus capacem, ac infernè ventosam, supernè collo angustam intrinsecus incrustatam, in quam injiciunt pullum columbæ recèns emortuum, & erutâ fossâ ollam in terram infodiunt ubi talpa grumos facit, adeo ut orificium ollæ cuniculis talpæ in superficie respondeat. Talpa tunc odoratu sagacissima vestigia sua relegens pulli cadaver indagat, ac cæcè ollam ingreditur, cúmque viam non inveniat inde evadendi, plures aliæ gementis talpæ captivæ allectæ voce, ac cupientes opem ferre in decipulam cæco impetu pelliciuntur; & fere omnes, quæ in horto nutriuntur facili capiuntur negotio. 171

Cæterum sicut variæ sunt arborum species, ita earum fructus natura, flore, forma 172
colore, sapore, odore differunt; & ab aliquibus distinguuntur in urbanas, & sylvestres,

eò

eò quia omnes priùs agrestes fuerint, ut putant aliqui, & postea culturâ insitionis cæperint mitiores fieri: unde Virgilius *fructúsque feros mollire colendo.* Verùm melius videntur arbores frugiferæ in binas partiri classes; scilicet in eas, quæ ex semine nucleorum nascuntur, & eas, quæ ex semina ossium progignuntur: principatum has inter arbores pomus, seu arbor pomifera tenet, eò quia ejus fructus, quod pomum, seu malum dicitur, sive ejus qualitates consideremus, sive esum, aut potum, plurimum obtinet dignitatis tum in mensis ad delicias post repletum stomachum; tum in apothecis ad paranda pharmaca; adeout conqueratur Pyrus adversus poma, eò quia sibi præferantur. *Vos poma natatis, nos pyra deprimimur:* meritò tamen præfertur pomum reliquis fructibus: siquidem contactu lævissimum est; olfactu admirabile, suavem enim spirat fragrantiam, sapore palato gratissimum; visu jucundissimum utpote vario depictum ab ipsa natura colore, ut rosas & lilia exhibeat in cute vernantia. Quódque non laude vacuum, pomus arbor patiens est frigoris, mediocri in gleba germinat, adolescit; flores, suaque poma curvescentibus ramis hortulano porrigit; & licèt oberem suppeditet fructuum copiam; non tamen exigit ipsa multum laboris, & culturæ, neque desiderat delicatè educari. Calidum fimum horret, quo attenuatur fitque macra, lætatur potiùs lætamine florum omnium; radices suas minus profundè degit, sed latè diffundit; & hinc se ipsam etiam, & sua brachia, & syrmata, veluti majestate regis latè explicat; neque plurimas fibras in fundum jacit, quò fit ut pomus arbor brevioris sit vitæ; quam Pyrus, quæ altiùs radices suas agit, figitque profundius, saltem quoad radicem primariam, seu vitæ suæ sustentaculum; robur enim & profunditas radicis arborem diutius conservat, ut longiore tempore vivat; quò enim radices profundiùs penetrant, per majores irrepunt angustias, firmiúsque terræ hærent. Secus Pomi radices cum superficiem tantùm lambant; & lætamen quo reficiuntur non diu subsistat in terræ superficie, non diu vivunt: hinc fructus præcoces hujus arboris citius pereunt, & marcescunt, quàm serotini; ut etiam dulces, quàm acidi, quia dulcium succus faciliùs immutatur, ac pravam subit alterationem. Solent etiam poma ex parte, quâ solem respiciunt rubere, ac meliorem habere saporem.

173 Pyrus citius crescit, ac incremento velocior est, amátque propterea fundum calidiorem, ac pinguiorem, qui novellam plantam foveat, eique suppeditet alimentum; ideoque factu optimum, si frequentiùs stercoretur ut subli-miùs crescat; & conterminas pomos si non fructu, & ambitu, saltem procerа, ac frondoso vertice superet. Vermibus hæc arbor obnoxia est, idque ex deciduo cortice facilè deprehenditur; hic autem morbus non ex superfluo humore, ut solet in pomo contingere; sed magis ex humidi radicalis defectu oritur, curatur morbus iste frequenti fossione, & additione fimi veteris, & corrupti corticis detractione, ac decrustatione. Sunt arboratores, qui in prima pyri plantatione felle taurino radices arboris irrigant, idque repetunt aliquoties, quâ industriâ arborem à vermium liberant infestatione.

Malus Cydonea, vel cotonea, quæ Virgi- 174
lius vocat cana mala ob insitam eidem canitiem *Ipse ego cana legam, tenera lanugine mala,* meliorem desiderat terram, ac pinguiorem, & nisi sæpius stercoretur sterilescit, vel fructus in minori copia producit. Abundat hæc arbor spurijs stolonibus, à quibus est sedulò expurganda: frigoris est patiens; aura tamen temperata est ei gratior, in insitione tam activè, quàm passivè alijs frugiferis plantis adnectitur, & copulatur: non tamen diu vivit, brevis enim est ævi. Morus à mora, seu tarditate suam trahens nomenclationem postrema arborum germinat, quasi lædi à frigore timeat; neque priùs floret, quàm tepidiorem senserit auram, & calorem permanentem, quapropter Symbolum ponitur prudentiæ addito lemmate *Fato prudentia major:* citissime folia dimittit, maturescit celerrimè, ac tardè senescit. Propagatur per immersionem, & traductionem perinde ac vitis, quæ moro est amica; vel per taleas, surculos in pinguem glebam implantando. Domesticos præsertim amat parietes, cespitem respuit, gaudet iterata fimatione. Frigore facilè læditur, præsertim ejus propagatio in autumno; quia cum amplam nutriat medullam, frigus facilè penetrans, in tenella adhuc ætate eidem est detrimento. Ex moris aliæ nigræ sunt, aliæ albæ longè minores nigris, sed gustu suaviores, quarum folijs aluntur bombyces: nigræ inserviunt medicinis refrigerantibus.

Juglans inter nuces principem occupat se- 175
dem ob cujus præstantiam Græci eam Basilicam, seu regiam vocant. Variæ habentur Juglandium species; aliæ Heracleoticæ, aliæ Tarantinæ vocantur: & aliæ adeo fragili sunt putamine, ac molles, ut vix attrectatæ frangantur. Censent plures, juglandem suam trahere ethymologiam à *jugulando*, eò quia talis sit antipathia Juglandis cum quercu, ut prope implantata eam enecet. Juglandis umbra noxia est, & capiti humano obest. Facilè propagatur non per insitionem, sed per nucleі implantationem mense Februario, vel Martio absque ullo ad lunam respectu, odit pluvias, & aquas, & feliciùs germinat in monte, ac colle, pruinam horret, à qua facilè consumitur. Scrobs, in qua juglans implantatur, tigillis in fundo operitur, ne planta in profundum rectà radices agat, sed in transversum, seu ad latera, ut sit fœcundior, ac lætior germinet, vegetior adolescat; tertio anno transplantatur, imò quò sæpius eò meliores fructus producit qui in autumno leguntur: non tamen sufficit ramos excutere, quia ita est arbor suorum fructuum tenax, & avara, ut nisi perticis diverberetur, eos non dimittit; hinc habentur trita, & vulgata carmina

Nux, asinus, mulier simili sunt lege ligata
Hæc tria nil fructus faciunt, si verbera cessent.

176 Juglandis nucleus extima tunica viridi, & crassiore tegitur; quam si evellas ungue, vel cultro bifidis testæ carinis arctè custoditur, quasi carinæ tenacissimo glutine simul copulatentur; intus tenui membrana, veluti indusio tecta in crucis figuram quadripartitur. Sunt qui censent, binas juglandes, totidemque ficus cum viginti folijs rutæ simul contusa, & salita, sicque comesta, certum esse præservativum contra pestem; & hoc pharmacum inventum fuisse in Manuali Medico Mithridatis Regis.

177 Ficulneæ clima desiderant calidum, pinguem terram, fimum minutum, & ad solis occasum frequenter rigari, ac humectari. Propagantur per immersionem, vel taleatum implantationem; cum sit ficulnea arbor porosa, & humida, radicibus ampla, quæ tamen non in profundum figantur, sed in latitudinem quasi superficialem repant, ideo brevis sunt ævi, ac citò senescunt. Quòd si aliæ plantæ gemma hiante flores protrudunt, Ficus sine flore absque odore, tantùm grossulos producit, quorum plures abortiui. Primi temporis fructus optimi, & dulces.

178 Ex ossibus nascuntur plures arbores, ut Persicus, Prunus, Mespilus, Cerasus, arbor nota à Cerasunte Ponti urbe, quam Lucullus victo Mitridate delevit, solóque æquavit; is Cerasum Romam transtulit, & à civitate à se deleta Cerasum vocavit hanc plantam, quæ brevi per totam Italiam propagata fuit, fructu ubique liberalis, omnem auram, locum, ac situm amat, fimum horret. Propagatur facilè per omnem insitionem. Cerasorum multiplex species, eaque diversi coloris, formæ, ac saporis; alia enim sunt dulcia, quædam subamara, nonnulla austera, illa acida, hæc mista; alia nigra, alia alba, flava, subrufa, longa rotunda, cordata.

179 Prunus arbor sativa ob medicinalia à Macrobio felix dicitur. Eadem illi cum cerasis cultura, Prunus tamen cœlum amat benignius, gaudet umbra. Prunorum itidem, ut cerasorum multiplex differentia; alia dicuntur cerina à colore ceræ; alia hordearia, asinatia, sylvestria, prunella, officulata, mirabolana, nana, Armeniaca, Damascena, quæ cæteris solent præferri, & pro stomacho sunt laudatissima, & saluberrima; Prunus crudum fimum respuit, recenti gaudet, ut & sæpius runcari; facillimè inseritur, ac surculos concipit; & tertio anno pruna fert; radicibus abundat vagabundis, pluresque solet nepotes gignere, unde surculi seliguntur rectiores.

180 *Persicus* arbor offigera à Persia in Italiam delata suam, ut pluribus placet, trahit nomenclationem. Clima optat temperatum, imò potius calidum, terram selectam; si pluries irrigetur grandiora producit poma; ejus rami facilè exsiccantur, & tunc amputandi: brevis est arbor ævi, ut vulgata fert parœmia: *Persici & Tyranni potestas, non est diuturna majestas.* Gignuntur, & propagantur ex osse, in vineis lætiores adolescunt; transplantantur verò tutius verno, quàm autumnali tempore. Ferunt Alexandrum Magnum devicto Dario bis Persicæ arboris ramis voluisse coronari, in Atavi sui memoriam, qui hanc arborem è Persida Memphim transtulit.

Mespilus arbor exigua quino offeo semine 181 gravescit in fructu, suo propagatur osseo semine omni cœlo, & solo se accommodat; quia verò nonnisi tardè crescit; utilius est per insitionem, vel in proprio, vel alieno stipite; præsertim Cydoneæ arbori si implantetur. Insitio per plagam optima; inserta per corticem, & librum. Surculi insitivi ex parte arboris media desumuntur, quia in vertice sunt debiliores & inferiores plurimum læduntur. Cæterum mespila constringunt; ut ait Durandus

Mespila constringunt, stomacho gratissima, & eri
Profluvium cohibent ventris, de gutture fluxu.

EXPENSIO VII.

Natura, & proprietates graminum, herbarum, Florum, ac Plantarum symbolicè repræsentantur, & Ethicè expenduntur.

Ex graminibus alia exiles radiculas, seu potius filamina emittunt, è quibus protuberant caules graminei plures, vel pauciores. Alia è pilosa radice caules multos protrudunt pedem, vel etiam sesquipedem longos, qui parte inferiori folijs vestiuntur gramineis. Alia sunt gramina plicata ad quinque vel etiam sex pedes assurgentia ex radiculis filamentosis. Alia angulatum habent caulem ad quatuor circiter pedes assurgentia. Alia ex quibus capillatis radiciculis prodeunt plures caules, teretes, tenues, ad terram unico foliolo gramineo acuto vestiti, è quo tanquam vagina prodit caulis. Alia sunt etiam, quorum caulis teres, tenuis, cavus, gramineus in octodecim, aut viginti digitos altitudinis assurgit. Alia sunt gramina striata, ex quorum radice unica quatuor, aut quinque folia enascuntur, & ad sex pedes assurgunt. 1

Absinthium herba est amara, sed salubris. In Ponto armenta quæ hac herba pascuntur, sunt sine felle. Bilem sopit, vitiosos stomachi humores purgat, viscera corroborat, & nauseam tollit. Oculorum claritati prodest, eorum lippitudinem abstergit. Olfactum somnium conciliat, tineas arcet à vestibus. Lemma *Non sapit, sed prodest.* Apodosis. Pœnitentia quamvis amara esse videatur, est tamen salubris, vitia enim delet, animam corroborat, pravas concupiscentiæ inflammationes extinguit, mentis oculos serenat, & tineas pravorum affectuum arcet, ac coërcet. 2

Acantus virescit elato, longóque folio crispo, & aculeato, in cujus florem fuisse Achantum puerum versum fingunt Poëtæ. Ejus radices ustis, ac luxatis mirè prosunt. Podagris quoque tritæ, & calefactæ illinuntur. Lemma: *Fert detrita medelam.* Apodosis. Caro nostra quandiu luxu- 3

luxuriat, lautè enutrita rebellat in spiritum; sed pœnitentia, jejunijs, vigilijs mortificata, & veluti contusa est eidem medelæ, cui & materiem suppeditat plurimum merendi.

3 *Acetosa* Brasiliensis flore dilutè purpureo, caulis est illi teres, viridis succulentus; Folia oblonga, lævia, solida, plena succo. In caulis summitate enascitur alius caulis triangularis spithamæ ferè longitudine, in cujus extremitate habente ramos singulares, plures vernant flores dilutè purpurei, quinque folijs ornati ejusdem coloris. Lemma, *Gaudet accescere virtus.* APODOSIS. Flores virtutum lætiùs vernant, ac suaviùs olent, si acetosa accesserit mortificatio; quâ spiritus reviviscit.

4 *Aconitum* venenum est homini præsentissimum, nisi contra venenum, quod è corpore illud excutiat, vel dissipet, aut extinguat, adhibeatur; & veneno venenum expellatur; tunc enim homine illæso se invicem venena absumunt. Lemma. *Clavus clavo truditur.* APODOSIS. Prava consuetudo si inoleverit, nonnisi violenter per actus eidem oppositos superatur.

5 *Adiantum* quod & capillus Veneris dicitur, folijs filicis, ejus ramusculi nigro nitent colore, saxa, rupésque amat umbrosas, ut & fontium pellicida specula: aquis licèt immergatur, non inde quidquam patitur detrimenti ejus siccitas, quæ incolumis perseverat in aquis. Lemma. *Non nocet unda decori.* APODOSIS. Fluctus adversitatum pulchritudini non nocent virtutis, quæ ad omnes procellas immota manet.

6 *Agnus* herba ad agni formam lanigeræ pellis specie in campis subnascitur, quâ in partibus Aquilonaribus utuntur incolæ veluti pileo ad tegendum caput. Caro veluti cancrorum est illi, vulnerata sanguinem fundit. Radici ad umbilicum nititur, pedumque, atque ungularum speciem pilis refert. Herbas juxta se positas in alimentum depascitur, ore, oculis, auribus prædita; hisce consumptis radice exsuga deficit. Ita desumitur ex Oderico *lib. 4.* Surio *Comment. ann. 1504.* Majolo. Lemma. *Esto, quod audis.* APODOSIS. Christianus, ut sit, quod audit, studeat rectè vivere; non est fidelis, nisi legem Christi servet.

7 *Alcea* hirsuta, flore flavo, & semine moscato, ex quo sato surgunt duo foliola nummulariæ æmula; inde emergit caulis rotundus ex una parte viridis, ex altera rufus, hirsutus, duos circiter pedes altus, crassitie pennæ anserinæ. Hinc inde in pediculis, quatuor, vel quinque digitos longis, hirsutis uno latere viridibus, altero rufescentibus, folia apposita circinata, quinquangularia, in ambitu serrata, hirsuta, & modicè rugosa; quædam triangularia duos digitos longa, totidémque lata; quinque nervis è centro ubi pediculus inseritur procedentibus, in exortu rufescentibus, secundùm longitudinem prædita, multísque venulis variè intertexta. Ad pediculos foliorum unus, vel alter nascitur pediculus brevior cum folijs minoribus, & in pediculo duos digitos longo flos inodorus, magnitudine, ac figura floris gossypij, elegans quinque folijs constans, sesquidigitum longis, lætè flavus, flavísque venulis secundùm longitudinem conspicuis. In centro floris stamen est erectum semidigitum altum, flavum, cui superiùs quinque clavi infixi suis cuspidibus eminent purpurei coloris. Flores se aperiunt bihorium, aut trihorium ante meridiem, & statim à meridie cum sol suum vergit in occasum corrugantur, ac decidunt, ita Marcgravius Alceam describit Americanam lib. 1. Lemma. Alludens ad florem deciduum statim post meridiem. *Summisque negatum stare diu.* APODOSIS. Res omnes humanæ, cum ad summum devenerint incrementi, necessè est, decrescant, ac deficiant. Fit enim naturâ, ut quicquid ad summum venit, ad exitum propè sit: hoc est: tunc rei alicujus declinationem metuere debemus, cum ad sublimitatem, ac fastigium eam noverim s erectam.

Alcea malvæ silvestris genus, folijs verbenacæ. Sub solstitio collecta, folióque trito, vel radice rusa cum axungia tumores sanat Plin. l. 25. cap. 6 Lemma. *Fit medecina retusa.* APODOSIS. Tribulatio, quâ terimur, & ægritudo, quâ caro nostra tunditur tumorem animi superbientis sanat, alisq; medetur ægritudinibus. 8

Aloë amarissimi sed salubris est succi herba teste Plinio lib. 27. cap. 4. Vermibus, ac putredini resistit, visui exacuendo utilis vulnera recentibus folijs purgat, & sanat, stomachum calefacit, alvum solvit; oculorum vitia abstergit. Fronti, ac temporibus in aceto rosaceo imposita dolores capitis mitigat; pruriginem, scabiémque excutit. Hæmorrhoidum, ac dyssenteriæ fluxum sistit, a cœna, si modico intervallo sumatur, cibis prodest digerendis. Lemma. *Prosunt amara saluti.* APODOSIS. Ærumnæ, adversitates, quæ nobis videntur amaræ, plurimum conferunt ad animæ salutem: sicut aloë vitia corporis, mortificatio tollit illa animi. 9

Allium teste Plinio *lib. 20. cap. 6.* Serpentem, & scorpionem solo fugat odore, omniúmq; bestiarum medetur ictibus. Lemma. *Noxia tolit odore.* APODOSIS. Pœnitentia dœmones fugat, & mentem à noxijs liberat cogitationibus. Excursus de præstantia pœnitentiæ, quæ perinde, ac allium lachrymas elicit. 10

Amaracus herba est mollis, & odorata, in quam fabulantur Poëtæ Cynaræ Regis Cypri puerum ob fractum unguenti alabastrum ex dolore tristi fuisse metamorphosi conversum. Ictibus præsertim scorpionum medetur, si aceto, & sale quis illinatur. Lemma. *Utenti benè salubris.* APODOSIS. Divitiæ bene eas impendentibus, hoc est cum acero prudentiæ, ac sale sapientiæ utiles sunt, præsertim si pauperibus distribuantur in eorundem miserijs levandis. 11

Amaranthus flos est speciem præseferens spicæ purpureæ, laxæ, in plures multiplicatæ flores; venusti, profundique coloris purpurei. 12

Gg gg g 3

rei. Decerptus, non marcescit sicut cæteri flores, quinimò perfusus aquâ reviviscit, hibernisque texendis coronis aptatur. Hoc flore coronatos Thessalos convenisse ad Achillis tumulum sacrificaturos Pelasga referunt monumenta. Lemma. *Fati nescia floret.* APODOSIS. Virtus nunquam perit, & post fata splendet illustrior.

13 *Anemone* ab alijs flos dicitur Veneris Adonidem lugentis, ex cujus propterea lachrymis flos iste concrevit. Vel etiam flos ipsius Adonidis ab apro interfecti, floris innocentiam, vel lachrymis impuræ amasiæ funestantis, vel sanguine interempti ab apri dente dehonestante. Fuit Adonis Filius Cinyræ Cypriorum regis, & Myrrhæ, quem ob formæ venustatem Venus dicitur depeciisse, ac in delicijs habuisse. Hic tamen apri dente sub inguine percussus, ac interfectus à Venere imitatur, in florem Anemones, qui sanguinis colorem imitatur, dicitur conversus Ovid. ad finem lib. 10. Metamor.

——— *Nec plena longior hora*
Facta mora est quum flos de sanguine concolor ortus
Qualem, quæ lenta celant sub cortice granum
Punica ferre solent.

Estque Anemone, vel silvestris, vel agrestis, illi amplitudo est major, & folia laxiora, & ipse flos phœniceus. Huic purpureus, aut lacteus, altitudine semipedem non excedit. Ejus radix exigua flosiferis abundat oculis, veluti Argus centicolus floreæ voluptatis pervigil costos. Non aperitur flos nisi vento aspirante. Lemma: alloquitur flos aoram flantem, seu ventum. *Te aspirante spiro.* APODOSIS. Divina in nos aspirante gratia spiramus, seu vivimus DEO.

14 *Adonidis horti* parœmialiter dicuntur res leves, amœnæ quidem, sed rei nulli utiles; ad oculos tantùm pascendum, non stomachum implendum. Lemma. *Illiciunt, non reficiunt.* APODOSIS. Mundi voluptates flores sunt, sensum afficiunt, non hominem reficiunt.

15 *Anethum* fœniculo simile uberem exhibet in umbellis feminum messem, esu & condimento est gratum, fœtorem oris tollit, ut notat Plinius *lib. 22. cap. 18.* & alibi cum vino haustum appetentiam excitat ciborum, vultum & animum exhilarat, mentem serenat, tormina sedat, alvum sistit, cruditates vel abigit, vel ad maturitatem perducit, Venerem infringit, concupiscentiam compescit. Lemma. *Impuros excutit æstus.* APODOSIS. Continentia frœnum injicit insolescenti concupiscentiæ, Veneris æstus extinguit; impetus libidinis coërcet, mentem serenat, animum exhilarat, cor lætificat, ac omne promovet bonum.

16 *Anisum* ex Plinio *lib. 20. cap. 27.* cibis misceri solet ad excitandam appetentiam: contra inflationes, tormina, singultus, ructus, cruditates, calculos, vomitiones, cœliacum malum opportunum adhibetur pharmacum. Fœtorem oris cum apio, & melle vino mox collutum tollit. Lemma. *Alijs prodesse decorum.* APODOSIS. Charitas non proprio studet commodo, sed aliena procurat pellere incommoda, omnibus prodesse, obesse nemini.

17 *Apium* herba hortensis in condimento ciborum salubre, ac gratum. Oculis, aliorumque membrorum epiphoris, vel melle illitum, vel cum pane tritū prodest. Succ⁹ radicis cum vino lumborum dolores mitigat, cum ovi albumine illitum, vel aqua coctum, ac epotum renibus medetur. Ejus semen, & radix cum vini haustu calculos vesicæ frangit. Lemma *Blande solent lenire dolores.* APODOSIS. Mansuetudine, & clementia dolores animi, iræ æstus, & aliarum passionum acerbitates sedatur.

18 *Artemisia herba fruticosa* à regina Mausoli uxore suam trahit nomenclatoram absinthij naturam induit, cui est similis, nisi laxioribus, & pinguioribus folijs se vestiat. Fœminarum morbis mederi censet Plinius *lib. 5. c. 7.* & *cap. 10.* addit Artemisiam ferentibus nullam malam bestiam nocere. Hujus herbæ duo sunt genera alterum latioribus folijs, alterum minoribus, ac tenerioribus, quæ nonnulli locis maritimis nascitur; alij putant, hanc herbam denominatam ab Artemide, seu Diana, eò quia omnium prima hujus herbæ vires, ac virtutes ostenderit, aliósque edocuerit: & sicut Diana invocata parturientibus adesse consueverat; ita hæc herba beneficio Dianæ putatur morbis mulierum mederi, ac inflammationes sedare. Lemma. *Arcet noxia blandè.* APODOSIS. Reliquiæ Sanctorum si piè, ac devotè gestentur à malis defendunt, à periculis liberant, & à noxijs avertunt.

19 *Arum* herba est, quæ serpentaria minor audit scillæ amplitudine, folijs Lapathi, caule recto duorum cubitorum, radice molli, quæ etiam cruda sapit, comeditur, éstque palato grata. Miris hæc herba laudibus commendatur ob insignes virtutes, quibus pollet. Vitia pectoris, ac pulmonis abstergit, oculorum caligines discutit, stomachi imbecillitatem corroborat. Ulcera omnium generum, ac polypos in naribus, & luxationes cum sale articularem morbum curat. Pestem arcet, ebrietatem impedit; adusta solo nidore serpentes, & aspides fugat. Plin. *lib. 24. c. 16.* Lemma *Fit panacea salutis.* APODOSIS. Temperantia morbos omnes excutit, vitia corrigit, mentem serenat, animam corroborat, éstque vera panacea morbis omnibus curandis perapta, & præsertim ebrietatem prohibet.

20 *Asarum* teste Plinio *lib. 12. c. 13.* herba est folia ferens hederæ similia, rotundiora tamen, ac molliora, florem purpureum, radicem nardi Gallici, semine acinosa, ac calida: éstque eadem herba ex Dioscoride, quæ alio nomine Baccaris dicitur. Jecoris vitia abigit, si cum mulso sumatur: alvum perinde, ac helleborum purgat, homores depravatos corrigit. Hydrope, ac morbo regio laborantibus prodest; ciendis urinis etiam adhibetur. Cùm folia emittit, effoditur, & siccatur in ombra. Lemma. *Noxia pellit.* APODOSIS, Timor DEI

DEI vitia quæque abigit, morbósque animi curat.

21 *Aspargus* caule, ac baccis priusquam induruerint edulis, stomacho est utilis, palato gratus, inflationes renúmque dolores addito cumino, ventréque leniter emollito discutit. Lemma. *Fert tener auxilium.* APODOSIS. Ætas puerilis in filijs plerumque est parentibus solatio, quibus tamen ubi creverit, est potiùs molestiæ.

22 *Asplenum* suam trahit nomenclationem à splene, cui curando est peridonea herba, quæ juxta muros, petrásque nascitur, folijs vestitur figuram exhibentibus linguæ cervinæ; folia enim instar linguæ corrigit. Lemma. *Qui nescit tacere, nescit loqui.* APODOSIS. Lingua nisi assueverit tacere, nunquam discet rectè loqui: est vulgata parœmia: qui tacendi non habet artem; nec loquendi novit opportunitatem: est etiam Pittaci Myteleni effatum: loqui ignorabit, qui nescit tacere; ejusdem enim est artis rectè tacere, & rectè loqui.

23 *Aster Atticus* flos est, qui speciem stellæ videtur præseferre, adeò ut stellariâ etiam audiat, ut & Amellus, qui in hunc florem fingitur mutatus. Noctu teste Plinio *lib. 27. c. 5.* hic flos flavus instar stellæ mirè fulget. Lemma. *Dat umbra nitores.* APODOSIS. Humilis religiosus quò obscuriori delitescit in loco, eò splendet illustrior.

24 *Astragalus* ex radice veluti ex caule brassicæ ex Plinio *lib. 25. c. 8.* tenues, seu hederæ frondes, humiles tamen, & veluti humi repentes spargit purpureis intermixtas floribus. Radix in rubro vino dysenteriæ medetur, alvúmque sistit, gingivas putrefactas corrigit, in Autumno hæc radix colligitur, & in umbra siccatur. Lemma. *Quò depressior, eò eminentior.* APODOSIS. Modestia quò inferiora petit loca, eò eminet virtutis excellentiâ sublimior.

25 *Atriplex* betæ genus naturæ est refrigerantis, cholericis mitigandis inservit, ejus succus inflammationes extinguit, Venerem comprimit Plin. *lib. 20. c. 20.* Lemma. *Peccantes temperat æstus.* APODOSIS. Jejunium corpori, & animi æstuationes corrigit, æstus libidinis extinguit.

26 *Betonica* plurimis dives virtutibus herba cauli innititur angulato, à radice serrata plura spargit folia, florémque alit purpureum. Hæc herba exsiccata plurimum valet ad morbos excutiendos, ut asserit Plinius *lib. 25. cap. 8.* Semen eorum vitiatos purgat humores, & noxia quæque submovet. Adeo est venenatis hæc herba inimica, ut serpentes hâc circumsepti se mutuo interficiant. Lemma. *Alijs prodesse decorum.* APODOSIS. Charitas in id incumbit studij, ut omnibus prosit, nemini obsit.

27 *Brassica* herba est pernota, ac varia, crispa lævi præfertur, quæ tenuiori solo quàm pinguiori luxuriat, si frequenti rigetur imbre. Cum vite est ei perpetuum odium, fortassis quia ei succum aufert ex Plin. *lib. 20. cap. 9.* Id experimento comprobatum, vitem brassicæ præsentiam ægrè ferre, & potiùs loco cedere, & palmites deflectere: hinc brassica præsert m cruda cum modico aceto sumpta dicitur arcere ebrietatem, quatenus vinum in stomacho enervat, eíque vires adimit. Lemma. *Inimico arridenti ne fidas.* APODOSIS. Occulti inimici, plerumque accedunt fronte hilari, sed corde tristi; quapropter non temerè fidendum est inimico præsertim occulto, & non reconciliato, qui palam amici faciem prodit, & clam hostile cor fovet: Falsam beneficij spem ostentat, ut nactus occasionem damnum inferat; quippe ut ait Euclio Plautinus in Aularia: Altera manus fert lapidem, panem ostentat alterâ: seu ut loquitur Plutarchus: Altera manu fert aquam, altera ignem; illa ut blandè abluat, ac mulceat; hoc ut acriter urat: & dulce, amarúmque unà miscet; seu ut Calliorus adolescens apud Plautum in Pseudolo ex eodem fonte dulce profert, & amarum.

Britanica teste Plinio *l. 25. c. 3.* folia fert, 28
quæ innata cavitate coclearis præsefert similitudinem. Hæc herba, si cum cibo sumatur, scarbuticum purgat sanguinem: nervis, & gingivis putrescentibus ejus succus plurimum prodest. Lemma. *Nutrit, & arcet.* APODOSIS. Eucharistia Spiritum nutrit, virtutes fovet, & vitia abigit.

Bryonia vulgò vitis alba serpentibus, ac 29
bufonibus adeo ut est inimica, ut si tota ijsdem admoveatur solo moriantur nidore. Ejus radix crassa est, si collo suspensa gestetur morbo medetur caduco. Succus foliorum sanguinis infra, & supra ejectionem sistit. Radix etiam sola maculas in cute tollit. Lemma. *Invisa nocentibus* APODOSIS. Pœnitentia vitia interimit, maculas conscientiæ abstergit.

Caltha sesquipede longa, albóque cauli 30
innititur. Florem producit stellatum aureum, simplicem, cujus pulvis dentium sistit dolores; & cortex in vino epotus pulmonum vitia sanat. Succus mane, ac vesperi instillatus oculorum calorem mitigat, & ruborem tollit Linac. part. 2. c. 67. Lemma. *Habet sua sydera tellus* APODOSIS. Virtutes, quæ à viris probis excoluntur, sydera sunt, quibus splendent, & umbras vitiorum fugant.

Caryophyllus florum facilè dixeris Pro- 31
theum, ejus discrimina, colores, varietas, species fidem astruunt, licèt nonnunquam flos ipse mentiatur; interdum enim ejus pulcherrima indicia in planta, vel semine florem spondent pulcherrimum, qui tamen promisso emergit longè deterior: eadem folia elegantibus, ac invenustis promiscua facilè fallunt. Omnes Caryophylli radicibus innituntur lignosis subrufis, ac albidis plurimo filamine capillatis in foliaceos sæpe surculos abeuntibus; inde cauliculi surgunt teretes, graciles, sed in ipsa gracilitate ligni duritiem quasi æmulantes, pyxidasis geniculis articulati, folijs obsepti geniculatim inter se adversis, brevibus, carinatis; summi calices multifidis caliculis suffulciuntur;

tur; súntque oblongi, glabri extremas per oras orbiculatim denticulati in flore, hiascentes modò simplices, nunc pluribus ditescentes folijs, & interdum profundis, etiam lacinijs incisi, mira colorum varietate picti. Lemma. *Varius delectat in hortis.* APODOSIS. Ecclesia varietate gaudet sacrorum religiosorum ordinum, quibus circumdata colorum, vestium varietate floret venustior.

32 *Chamæleon* herba est ex carduorum genere, suam haurit nomenclaturam à varietate colorum, quos pro loci diversitate induit, adeo ut hic niger luxuriet, alibi candidus germinet, vel viridis, cyaneus, croceus variet colorem. Albus humi serpit, & instar echini spinas erigit, odore gravi, sed radice dulci, cujus decoctæ succus, canes, & sues in polenta dicitur occidere, nisi aquam statim sorbeant; hominibus tamen hydrope laborantibus est probato pharmaco. Lemma. *Quod nocet uni, alteri prodest.* APODOSIS. Scriptura sacra hæreticis in sensus improprios eam detorquentibus vertitur in perniciem; catholicis verò doctrinæ hærentibus ecclesiæ, ac sanctorum Patrum est perutilis.

33 *Cannabis* herba nota recto, altóque, sed tenui excrescens caule in filamina dissolubili, ex quo aquis emaciato, lignis attrito, & ferreis dilacerato pectinibus fiunt funes, ac fortissima ligamenta. Lemma. *Dant aspera honorem.* APODOSIS. Virtus patientiæ, quò duriùs, & acriùs asperitate tractatur, eò splendet nobilior.

34 *Capparis herba* fruticibus propior sentícoso innititur cauli, flore ornatur roseo, candido, ac odorato, quo deciduo acinosum in thecis semen prodit. Baccæ ferculis condiendis aptantur, modicè refrigerant, alvum laxant, & appetentiam excitant, ac lienem purgant. Lemma. *Sapit, & sanat.* APODOSIS. Desiderium rerum cœlestium mentem è terræ fecibus abstrahit.

35 *Chelidonia* ex Plin. *l. 25. c. 8.* duplex alia quæ & major, est fruticosa, caule, folio, pastinacæ erraticæ ampliore, crescit ad duos cubitos, colore albescit, flore ornatur luteo. Alia minor folijs vestitur rotundis. Utráque floret adventu hirundinum, marcescit discessu. Succus è floribus expressus, & in æreo vase cum melle decoctus singulari remedio oculorum caligines detergit. Hac herba utuntur hirundines ut visum exacuant pullis, vel restituant amissum. Lemma. *Impertit lumina cæcis.* APODOSIS. Divina gratia mentis caligines abstergit, & lumen impertitur, quò rectè ambulemus.

36 *Chironicum* herba est, quæ ob efficaciam sanandi vulnera in pretio habetur, & Chiron, à quo nomen sortitur, dicitur eo usus postquam Herculis armis imperitè tractatis læsus fuit, & cujus beneficio convaluit. Duplex est hujus herbæ genus; aliud foliis latioribus serrato ambitu, ut ait Plinius *lib. 25. cap. 6* caule tricubitali, radice bicubitali, sed teneris rubescente, succulenta, & cum quadam dulcedine amara. Aliud quod Lepton dicitur longiore est folio, radice tenuiore, & succo amariore. Lemma. *Ubi mel, ibi fel.* APODOSIS. Mundi voluptates quandam videntur dulcedinem exhibere, sed felea est dulcedo, imò & venenata, quæ interimit.

Corona imperialis non ita pridem ab oriente in Europam allata. Ejus bulbus grandis, rudis, ac inæquali rotunditate conglobatus; candidas, promissas, molles, ac modica offensione fragiles fibras non ab ima tantùm, sed varia etiam ex parte dispergit: medio paruló-que, quà scapus emergit, foramine hiat: sine tunicis, investis, succosa, densáque carne modò candicat, nunc purpurascit, interdum impallescit. Thyrsus est illi vegetus, & robustus intus fungosus, exteriùs viridis, rotundus, ac procerus, ad mediam altitudinem quodam confuso ordine liliaceis vestitur folijs; inde teres omni nudatur folio, & tantùm summa in fastigio foliosa pompa superbiens videtur in cristam silvescere. Inter hujus cristati capitis folia plerumque bina tenuibus è pediculis vario numero, multiplicique serie flores emittit rubentes ex croceo, pendulos, oréque inverso humum aspicientes, & ad modicum arescentes. Lemma. *Sic modicè diademata florent.* APODOSIS. Quæ in mundo videntur dignitates florere, citò exarescunt. 37

Cicuta herba est frequens hortensi apio similitudine permista, caule, & foliculo tenui subnigro, & venenato; succus ex cicuta expressus morte damnatis ab Atheniensibus hauriendus dabatur, ut cum hoc haustu mortem ebiberent. Semen tamen cum folijs est magis noxium, caulis interdum ita paratur in patinis, ut innoxiè sumatur, radix cava, & inutilis. Plinius *lib. 25. c. 13.* ubi addit, ad refrigerandum stomachum ex cicuta malagma fieri, & ejus succum epipharas, & dolores oculorum prohibere, & lac puerperarum mammis illitum extinguere. Lemma. *Probis nocentia prosunt.* APODOSIS. Viris studio virtutum addictis adversa sunt exercitio virtutis, non exitio probitatis. 38

Cichorium herba nota hortensis inter olera plurima pollens virtute, leviter enim refrigerat. Succus decocti ventrem solvit, cruda hæc herba fluentem sistit. Cum lente dysentericis prodest, in cibo, renibus, jecori, & stomacho. Si sumatur in aceto urinæ tormina discutit. In mulso regium morbum impedit, ob has virtutes non defuerunt ex Græcis, qui hanc herbam Chreston, & alij Pancration vocârint Plinius *lib. 20. c. 8.* Lemma. *Morbis medetur pluribus usu.* APODOSIS. Pœnitentia ægritudines omnes animæ tollit, quamvis nonnihil sicut Cichorium habeat amaritudinis, ejus tamen usus plurimum præsefert utilitatis ad animæ sanitatem, æstúsque rebellantis concupiscentiæ extinguit. 39

Cucumer minor cucurbita ramis, & folijs humi serpit, séque dilatat virescentibus folijs lasciviens, fructum profert viridem primùm, & oblongum, ac maculosum, maturum verò flavescentem; tardæ est digestionis. Lemma. *Nil sublime.* APODOSIS. Home- 40

tec-

terræ adhærens, ac inhians terrenis bonis nil molitur sublime, humi jugiter serpit.

EXCURSUS.

Terrenorum desideria desiderantes deprimunt, & cœlo natos, cœno agglutinant.

42 Desidaria, quæ terram sapiunt, inania sunt, qoia conditionem contrahunt terræ, quæ ex sua natura inanis est, & infra reliqua elementa infimum occupant locum Genes. 1. 2. *Terra autem erat inanis*: quid terra vilius, quæ pedibus teritur animalium. Terra à terendo suam trahit nomenclationem, quia à cunctis teritur animalibus, pede conculcatur, haberúrque contemptui, nec patimur eam, vel madescentem in luto, vel exsiccatam in pulveres nostris hærere vestibus, imò nec calceis, è quibus lutum abstergimus; pulveres excutimus; & tamen adeò crassè hallucinamur, ut nostra desideria, quæ sursum in cœlum essent dirigenda, in cœno mergamus, neque sinamus inde emergere, quamdiu voluntas, quæ fons est desideriorum corpori adsociatur, cujus voluptates, & commoda cœli delicias, & fœlicitatem nobis surripiunt: scitè Richardus à S. Victore lib. 2. de Emmanuele cap. 26. *Terra à terendo dicitur, & meritò ex ea contritionis nostræ malum figuratur.*

43 Voluntas, ut prudenter desideret, necesse est, sua moderetur desideria; & perpendat maturè, quid desideret, ne velit id appetere, quod non liceret à DEO petere. Væ sua desideria terra, cœnóque immergentibus; hi sunt, qui terram inhabitantes coacervant iniquitates; quæ DEUM judicem irritant, provocántque ad mortis sententiam ferendam Isaiæ 26. 21. *Egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ*; quamvis nollum videatur piaculum suam in terris sedem habere, cum in terra vitam ducant cultores virtutum, virique studio pietatis addicti; non tamen est sine piaculo suam in terra sedem figere, ac si immobilis debeat ibi perseverare; *Minas Judex intendit*, ait Procopius, *quas non in advenas; sed in terræ habitatores emisit*: qui præsentis tantùm sæculi voluptate delectati futurorum bonorum spe abjecta, ajunt, *edamus, & bibamus*; hic delicijs diffluentes commoremur; hi sunt, de quibus loquitur Joannes Apocal. 8. 13. *Væ væ væ habitantibus in terra*: ut expendit D. Ambrosius, inquiens: *non omnes homines comprehendit: sunt enim in terris positi, quorum conversatio in cœlis est: sed eos, quos terrenæ conversationis affectus, & hujus sæculi gratia vicerit*; & quibus professa suadet, ut surgant Mich. 2. 10. *Surgite; & ite, quia non habetis hic requiem.*

44 Requies nostra non est in terris quærenda, sed in cœlis acquirenda; neque nostra desideria terrenis immergenda, cum non liceat nobis terris immorari, neque quiescere; sed tantòm transire Num. 20. 17. *Liceat nobis transire per terram tuam.* Petierunt Israëlitæ transire per terram Edom, non verò ibi quiescere vel immorari; quia in terra aliena, extra cœlestem patriam non debemus domicilium quærere, neque commorationem, vel requiem desiderare. Cui patria est cœlum, non debet in terra suum figere habitaculum, cum brevi sit inde discessurus. Est terra vallis plorationis; & terrena quæque istar fluminis transeunt, nósque vel relinquunt, vel nos ea relinquimus; dénique nobis ansam potiùs flendi cum Israëlitis ad ripas Eufratis tristes, & squalidi, mœrore confecti sedentes Psal. 136. 1. *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, cum recordaremur tui Sion.*

Fluenta Babylonis si dixeris divitias, honores, dignitates, & commoda quæque, quæ ab hominibus in terris eoixim appetuntur à vero haud deflectes, fluunt enim, transeunt, ac evanescunt: huc accersendus S. Augustinus in Psal. 136. *Flumina Babylonis sunt omnia, quæ hic amantur, & transeunt. O S. Sion! ubi totum stat, & nihil fluit. Quis nos in ista præcipitavit? quare dimisimus Conditorem tuum, & societatem tuam.* Bona quæque terrena, quæ impensis appetimus desiderijs, fluxa sunt, ne speremus in eorundem quiescere possessione; quidni ex agrorum cultura messem legimus laborum præmium; sed hæc bonorum ubertas quia è terra scatutit, ut fons illicò fluit, nec ullum ibi fixum gaudium Proverb. 6. 11. *Si impiger fueris, veniet ut fons messis tua*, æquiparat, fructus terræ, quos impensè appetunt homines fonti, cujus latices fluunt, & statim transeunt. Quòd si audieris bona temporalia cisternis pariata, non tamen credas perinde stare, ut aquas stagnantes; quia si sunt cisternæ, non tamen integræ, sed dissipatæ, in quibus non stant aquæ, sed fluunt. Jerem. 2. 13. *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas; cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas!* Non igitur quiescunt, nec stant aquæ in mundi cisternis dissipatis, sed aliò statim fluunt, cum in ipsis contineri non possint, seu non valeant quiescere: verè S. Thomas à Villanova Conc. feriæ 6. post Domin. 3. Quadrag. *Cisterna dissipata est honor, cisterna perforata voluptas, divitiæ, & omnis prosperitas mundialis: non valet aquam continere, tridno placet, & statim evanescit illa consolatio, & fastiditur, & displicet.* 45

Quamvis impenso labore studeant sitientes terrena commoda bibere in mundi cisternis, nunquam sitim, quâ ardent, valeot extinguere, quia quæ continentur in cisternis dissipatis aquæ, statim elabuntur, nec possunt desiderium explere eas appetentium; imò neque sitim minuunt, sed adaugent, accendúntque ardentius, quia terrena desideria desiderantes arctiùs terræ devinciunt, firmiúsque adglutinant: neque mens, quæ per terrena desideria fluctuat, rore supernæ voluptatis irrigatur; sed terrenis pressa desiderijs, ijsque ebria, quasi non ampliùs sui compos, quamvis cœlo nata, cœlum obliviscitur, cœnóque immergitur terrenarum voluptatum Psalm. 64. 10. *Visitasti terram, & inebriasti eam*: huc est, visitasti 46

tâsti desiderantes terræ divitias, & delicias, & permisisti eos suis inebriari desiderijs; ut à cœli excluderentur voluptatibus, qui terrenis inebriantur delicijs; scitè Richardus Victorinus lib. 1. de præparat. animi ad contemplationem cap. 38. *Mens, quæ per varia desideria fluctuat, quam adhuc secularium curarum procella exagitat, ad illud internum gaudium non admittitur; & illo torrente voluptatis non potatur*

47 Judic. 6. Irruerunt Madianitæ hostilibus incursionibus in Palæstinam omnia sus déque vertentes, & evertentes, ob ingentem bellatorum multitudinem, ad centum, & triginta millia ex omnium barbarorum delectu militiæ adscita Sacramento; unaquæque natio suo militaverat sub duce; Madianitæ ducebantur ab Orebo, & Zebo Regulis Madianitarum: Zebas, & Salmanazar populis præficiebantur ejusdem gentis. Gedeon Palæstinam propugnaturus velleris suo populo evulgavit prodigium, victoriæ præsagium; collegitque ex Hebræis duo supra triginta millia, cum quibus circa Aradi fontis crepidinem fuit castra metatus. Displicuit DEO tanta multitudo, ægréque tulit bellicum apparatum, ostensurus in paucis suam potentiam; suámque fortitudinem in hominum imbecillitate, præcepitque propterea Gedeoni, ut misso per castra præcone dimissionem concederet trepidis, ac animo fluctuantibus, eósque militiæ laxaret Sacramento; auditâ hac discessionis facultate excesserunt viginti duo millia militum regionis Galaaditidis; post quorum discessum cum solùm decem millia bellatorum Gedeoni superessent opponenda centum, & triginta hostium millibus cecidisse animo visus Gedeon fuisset, nisi fiducia in DEO fultus divinum sperâsset uberius auxilium: sed DEUS adhuc numerum contraxit; & Madianitis expugnandis eos censet idoneos, qui minus avidè latices in fluvio biberent; minúsque terræ fluenta apperterent. Ducuntur igitur sub meridiem à Gedeone superstites milites ad Aradum fluvium, æstûs, sitisque extincturi ardores: adeò effrœnis multorum fuit bibendi cupiditas, ut poplitibus inflexis, & in fluvium toto corpore, & ore proni, aquas pleno haustu biberent, intemperantérque stomachum opplerent, & solùm trecenti ex illa multitudine moderatiùs latices hauserunt, seu volâ manûs aquam in os immittentes: & hi trecenti seliguntur à DEO ad victoriam reportandam de fugatis, victisque Madianitis; quia minori appetitu fluenta concupierunt, quæ moderatius hauserunt. Non sunt idonei reportandæ victoriæ de prostratis, vel coërcitis pravis affectibus in terris, neque cœli triumphis, qui immodico desiderio, quæ in terris sunt, appetunt, æstúque ardentiori fluenta rerum temporaliom sitiunt; peritè ad rem nostram expendit hunc immodicum laticum haustum Petrus Blesensis epist. 94. inquiens: *Cum clamaret Gedeon cunctis audientibus: qui formidolosus est, & timidus revertatur, recesserunt ab eo viginti, & duo millia; & tantùm decem millia remanserunt; sed & de illis tanquam ad bellum expeditiores dumtaxat elegit, qui in siti sua velut canes lamberent, & festinantius aquam ad os mitterent: illis prorsus abjectis, qui se ad bibendum flexo poplite inclinabant. In trecentis itaque facta est liberatio populi; quos non crediderim in delicatiores epulas, & exquisita convivia didicisse aquam lambere.* Hos elegit DEUS ad victoriam de victis inimicis reportandam, qui desiderio rerum terrenarum non arserunt; neque delicijs, quæ ab esculentis, & poculentis percipiuntur, affluxerunt: *quos non crediderim in delicatiores epulas, & exquisita convivia didicisse aquam lambere.*

Noxia est, & inextinguibilis rerum 48 terrenarum sitis, quò plura ingeruntur, eò cupiditas excrescit major. Sitim nostram ille tantùm fons potest extinguere, à quo scaturiunt aquæ vivæ, quæ nunquam exarescunt, deficiunt nunquam; & quas sitivit David Psalm. 41. *Sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum.* Nostra igitur sitis, nostrum desiderium sit de solo DEO, ut verum inde hauriamus refrigerium. Est desiderium collimatio vitæ, ad id nostra collineat operatio, quod desideramus; ideoque ne operando erremus nostra desideria in solum DEUM, ut in nostrum scopum dirigamus. Errat desiderium, dum ad multa spargitur, quiescit, verò cum ad unum tantùm dirigitur, si hoc unum tale sit, quod bona omnia includat, sitque sibi, & alijs sufficiens. Ne igitur erremus, in hoc unum, ut in unicum nostrum scopum desideria omnia nostra dirigantur.

Dictamus herba sine flore, absque semine 49 in montium editioribus, ac asperioribus jugis, locisque nulla subactis cultura feliciùs germinat, virétque vegetior folijs venusta lanugine vestitis: vi pollet singulari extractiva, ad quam propterea cervæ, & capræ inflictis sibi vulneribus sauciæ confugiunt, ejúsque esu ab infixis in corpore sagittis liberantur. Lemma. *Esu, & usu* APODOSIS. Eucharistia, si probo usu sumatur, peccatorum delet reatus.

EXCURSUS.

Eucharistiæ Esus, & Usus prava quæque abigit, virésque reficit.

ID virtutis propriom, pravis cupiditatibus, vi- 50 tiisque in appetitu sive irascente, sive concupiscente stabulantibus bellum indicere; sed quæ contra virtutes pugnant in homine vitia, Eucharistia expugnat, prosternit, adigitque ad fugam; & virtutes accersit ad triumphum, quibus, & vires suppeditat: panem siquidem cœlestem exhibet, quo fames terrenarum voluptatum propellitur, castitas enutritur, puritas instauratur, charitas fovetur, misericordia alitur, & reliquæ virtutes hoc pastæ pane vegetiores æquè, ac nervosiores insurgunt contra pravos quósque affectus; dixeritque propterea Sanctus Ignatius

natius Martyr epistol. ad Ephesios esse Eucharistiam, *Medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala*: quia si beneficio pharmaci solutivi vitiatus è corpore humor truditur; quódque sanguinem labefactat, abigitur: perinde Eucharistia, quæ in animo virtutibus noxia sunt vitia excutit, solvit, depellit. Per invia desertis, per siccas, sitientésque arenas; semitásque arescentes errabat Israëliticus populus diurno adustus æstu, solari radio diverberatus; & nocte cæcutiente circumfusus caligine, non videns, quà esset eundum, ac prævia destitutus face viam præsignante, per devia frustrato laboris itinere errabat anhelus: sed ut diurnos temperaret æstus, nocturnásque excuteret caligines, discerétque per sterilescentes deserti arenas errare sine errore, DEUS nubem immisit columnæ specie indutam, quæ interdiu umbraculo esset populo in æstûs temperiem; & noctu corusca splendores effunderet, offusásque noctis caligines excuteret, ac recta populo præmonstraret itinera Exod. 13. 21. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris, utróque tempore.*

51 Nisi populo die per arescentes gradienti arenas fuisset nubes opitulata, suáque opacitate solis urentes radios retudisset, æstúsque temperâsset, & nocte præsertim illuni splendores delegâsset, quibus nocturnas excuteret caligines, ac itinera erranti populo demonstrâsset; procul dubio defecisset die populus nimio adustus ardentioris solis æstu, & nocte circumactus, à recto deflexisset itinere; perque deserti anphractus inutiliter ambulâsset: sed quia resplendens è nube corusca jubar nocturnas abegerat caligines sine errore, tuti per desertum errârunt, noctis timores excutiente nube splendoribus induta. Fuisse hanc nubem populo præeuntem, ac itinera signantem, timorésque nocturnos excutientem figuram, ac symbolum Eucharistiæ fatentur sacri interpretes, præ cæteris id edisserit Drogo Hostiensis *lib. de Sacramento Dominicæ Passionis*, ubi Christum alloquens piè ait. *Quæ est ista nubes, quæ præcedit veros Israëlitas nisi verissimum, ac sanctissimum corpus tuum, quod in altari sumimus; in quo velatur nobis altitudo dei, immensitas majestatis tuæ, cujus & calorem, & splendorem mortalis infirmitas sustinere non posset, nisi mediatrix nubes interposita, & ardorem temperaret desuper, & tutam subtus te viam præmonstraret.* Eucharistia veluti nubes divinum nobis solem si tegit, nos tamen protegit, ne quidquam patiamur detrimenti ardores insurgentis concupiscentiæ coërcet, æstus ardentis irascibilis temperat; terrenarum cupiditatum febrim, pestilentémque calorem extinguit; & ne tenebrosa noctis caligo nos in præcipitium trahat erroris, & ignorantiæ tenebras detrudit; id Eucharistiæ proprium utriusque appetitus concupiscentis, & irascentis ardores compescere, ac ignorantiæ tenebras excutere.

Non solùm frequentiori usu noxia summovet, sed etiam vires reficit, omnibúsque perfundit delicijs; quòd si manna in deserto deficientes Israëlitas restauravit, virésque delapsas erexit, ac delicijs perfudit, quæ ab esculentis percipiuntur: Eucharistia si non corpus corruptioni obnoxium restaurat; mentem tamen pascit, animam immortalitate donatam corroborat, & spiritum cœlestibus opplet delicijs, cùm dicat Christus, se nullibi in terris delicias quærere, quàm in filijs hominum, cum isti eucharistico epulo reficiuntur, ac Christum sub illis latentem speciebus suo fovent in corde, non alio calore, quàm sinceri amoris, ait Christus: *deliciæ meæ sunt cum filijs hominum*: non tamen ut suas à filijs hominis delicias hauriat, sed ut filijs hominum tunc communicet cœlestes consolationes, quæ animæ sunt deliciæ, quibus etiam Christus gaudet: hinc Salomon Ecclesiast. 1. 2. *Vadam, & affluam delicijs, & fruar bonis*, si veris optas delicijs perfrui cum Salomone; ad Eucharisticum vade epulum, cœleste manna comede: sed ut detur tibi unde dignè hocce manna te reficiat, necesse est pugnas ineas cum pravis concupiscentijs, terrenis, vitiatisque affectibus, quos prosternas, & vincas, quia nonnisi victori manna istud absconditum promittitur. Apocal. 2. 17. *Vincenti dabo manna, calculum candidum*, pariatque manna absconditum calculo candido, seu gemmæ albæ, ac lucidæ, quia per albedinem species indicantur Eucharisticæ, quæ nostros cadunt sub sensus; & per gemmæ pretiositatem Christi humanitatem sub ijsdem accidentibus; vocatur cibus iste Eucharisticus manna, quia omnium saporum delicias, seu cœlestes consolationes, ac divinam gratiam munifica suppeditat largitate; sed vincenti pravos affectus: quia *Apocal. 2.* in reprehensione Episcopi duo Nicolaitarum recensentur vitia, gulæ, & concupiscentiæ, *edere, & fornicari*, & vincenti utrumque in præmium delatæ victoriæ promittitur manna absconditum, seu Eucharistiam, ut explicant SS. Patres præsertim Rupertus, & Beda: Vincenti igitur gulæ concupiscentiam refectio datur spiritualis in Eucharistico epulo, in quo omnes comprehenduntur spirituales deliciæ: omnésque suavitates; quòd si non solùm cupis delicijs diffluere, suavitate perfundi; sed etiam bonis omnibus oppleri, ac ijsdem frui, ad hoc accede Eucharisticum epulum summum tibi exhibetur bonum, extra quod satiari non potes, nec vires reficere. Audi DEI vocem Exod. 33. 19. *Ego ostendam omne bonum tibi.* Sequere ostendentem omne bonum, ut summo Bono repleris; Thaborem inscendas per gradus perfectionis, per exercitia virtutum, dicásque cum D. Petro Matth. 17. *Bonum est nos hic esse.* Hoc est illud bonum, quod si nostrum foverit amorem, nostrúmque enutrierit in corde affectum vera nos felicitate cumulabit, veriśque perfundet delicijs.

52 Quòd si quæras, ubi inveniendum sit, hoc Bonum; non illud quæras in acervatis divitijs, non in mundi voluptatibus, neque in carnis illecebris; quia in terris nonnisi in Sacramento reperitur Eucharistiæ; si dignè ad hanc accesseris sacram synaxim poteris ijsdem quidem uti verbis, sed in alio sensu, ac audisus est illis abuti dives ille Luc. 12. 19. *Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Imò non multa tantùm, sed omnia bona in Eucharistia reperiuntur Sapient. 7. 11. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa:* quia ut appositè ad rem nostram expendit Divus Ambrosius. *Omnia bona habemus cum Christo; & omnia Christus est nobis.* Omnia nostra bona in Christo posita, imò & deposita, *quia*, ut ait Apostolus 2. Timoth. 1. 12. *Potens est, depositum nostrum servare.* Non ad annum, non ad unum, vel alterum sæculum, sed ad annos æternos, ut tuti in hoc Sacramento Eucharistiæ requiescamus; si veris, & nunquam perituris cupis perfundi delicijs; accede ad hanc mensam; adest unde epuleris, ac reficiaris, Zachar. 9. 27. *vitulus saginatus*, quo vescaris in conspectu DEI Psalm. 67. 4. *Justi epulentur, & exultent in conspectu DEI.* Non solùm hoc cœlesti epulo vires reficiuntur, corporis membra corroborantur; sed mens ipsa perfunditur vera lætitia, Spiritus oppletur gaudio, unde Regius Vates Psalm. 47. 8. *Dedisti lætitiam in corde meo*, si quæras, unde fuerit hæc lætitia in cor Davidis derivata, ait ipse *à fructu frumenti, & vini:* ita est nobis DEUS tunc veram fuit lætitiam impertitus, veròque gaudio cor nostrum opplevit, cum obsonium nobis daturus frumentum in suum corpus, & vinum in sanguinem convertit in institutione Eucharistiæ.

53 Lætitia, quam ab alijs haurimus convivijs in extremis tantùm hæret labijs, superficialis est, quæ nullam in cor dulcedinem perfundit; sed solam amaritudinem, stomachi gravedinem, humorum corruptam redundantiam; quæ verò ex sacra synaxi, ab Eucharistico convivio hauritur lætitia, non in extimis labijs floret, sed suas in corde radices agit, ubi germinat, viret, floret, & fructus producit ad vitæ æternæ refectionem. *Dedisti lætitiam in corde meo à fructu frumenti, & vini.* Appositè Divus Ambrosius: *Certè in corde dedisti lætitiam: nam in alijs convivijs, in extimis labijs lætitia apparet, & risus mentem, & cor subire non potest*, quia vera non est, sed fucata, quæ sub larva dulcedinis amaritudinem tegit, ac fovet, quæ verò in Eucharistico convivio percipitur dulcedo, omnem excutit amaritudinem. Jusserat Elisæus farinam in ollam carnium infundi ad mortis excutiendam amaritudinem 4. Reg. 4. 41. *Afferte farinam, cùmque tulissent, misit in ollam, & ait, infunde turbæ, comedant: & non fuit amplius quicquam amaritudinis in olla.* Quòd si pauxillum farinæ totam ab olla excussit amaritudinem: quomodo panis cœlestis potis non erit ad omnem è corde nostro abigendam amaritudinem, & omnia nostra interiora vero perfundenda gaudio? ait S. Cyprianus de cœna Domini. *Panis iste Angelorum omnem exuperat dulcedinem voluptatis.*

Dracunculus herba est, cujus radix subrutila Draconis convoluti speciem præsefert. 54
Semen hujus herbæ fervens est, & mordax; fœminis uterum portantibus aborsum infert teste Plinio 26. cap. 16. Lemma. *Proli comedisse nocebit.* APODOSIS. Esus pomi vetiti in paradiso terrestri toti nocuit posteritati.

EXCURSUS

Gula in uno pomo mala omnia deglutivit, quibus sunt homines obnoxij.

Evam sub mundi exordio incesserat deside- 55
rium paradisum terrestrem lustrandi, oculisque pabulum exhibendi in florentibus illis delicijs, quæ nondum ullo infectæ veneno, innocentiæ tantùm didicerunt arridere; cumque mulier per paradisiacas vagaretur voluptates, eam animi libido pepulit ad arborem accedendi genitricem scientiæ boni, & mali, ejusque pomis, si non gulam, & stomachum; saltem oculos pascendi; cùm accessisset, serpentem ibi vidit arboris ramis circumvolutum; qui veluti soror ad sororem fari cœpit, & mira sermonis illecebra benevolentiam primæ fœminæ sibi captivavit, virúsque pestiferæ ambitionis excellendi supra humanum fastigium instillavit, dulcedine plenissimæ libertatis permixtum, ut magis saperet, ac blandiùs appetitum titillaret; gustúmque pomi vetiti persuasit, quod cum dentibus invasisset rata in pomo illo beatitatem deglutivisse; quavis disrupta mora ad maritum cum pomo pulcherrimo visu cucurrit, cui dulcedinem pomis illis insitam, ac promissâ scientiâ laudat; hæret anceps Adam, timor mortis incurrendæ eum retrahit ab esu; sed cum mulier magis urgeret, virúmque pelliceret, ut mulieri placeret, maluit DEO displicere, oblatúmque sibi à fœmina pomum rapuit, ori admovit, dente contrivit, & fractum in stomachum demisit; & unà cum pomo mortem deglutivit, cui posteros omnes fecit obnoxios; qui protoparentes æmulantur; quia si illi in paradiso gulæ indulgentes morte devorarunt; eorum posteri in stomacho, ubi mors deglutita jacuit, amplum constituunt cœmeterium, quod indulgentia gulæ innumeris propemodum opplet cadaveribus, quæ indigesta putrescunt, corrumpuntur, ac fœtent.

Quid non agunt gulæ addicti voluptatibus? 56
ut crapulæ lenocinentur, corpus saginent, gulæ indulgeant, ac ventrem farciant: quicquid volucrum per aëra volitat; quicquid piscium aquis innatant; quicquid damarum sylvestrium, caprearum, rupicaprarum editiora incolit alpium juga; quicquid cervorum, leporum, aprorum per intimiores discurrit sylvarum recessus nostro insepelitur stomacho; adeò ut nil aliud

aliud sit nostrer stomachus quàm mortuorum animalium tumulus, cæmeterium cadaveribus oppletum. Videmus Piscatorum turbas, vel scopulis insidentes elcis è prælonga arundine pendulis, hamos occultantibus pisces allicere, ac decipere, vel longo tractu per marinos fluctus retia jacere, vel nassas, laqueósque, tendere, ut pisces exoticos, ac delicatiores pisceentur: vel in sylvis, ac montibus præparare pedicas, ut aves aucupentur palato magis gratas, cujusmodi habentur, ac desiderantur Phasiani, perdices, turdi, alaudæ, ficedulæ, rusticellæ, coturnices, attanages, & aliæ aves quarum cruenta clades uni famulatur gulæ: alios scrutari maria, conchilia, & ostrea eruentes; alios pugnare cum apris in nemoribus opacatis, ut propria pericula delicias gulæ faciant: non enim fiunt elementa necessitatie vectigalia, sed voluptatis tributaria: sic difficultate irritamur, raritate delectamur, periculis enutrimur; veluti in triumpho fercula deferuntur; dapes in mensam, perinde ac in orchestram prodeunt, quarum plures abeunt, ut venerant; quia cum oppletus jam stomachus eas non capiat, pascendis oculis tantùm aptantur; diceres, in ipsa cœna etiam scenam exhiberi, quâ sæpe mutatâ, demum devenitur ad catastrophem, ad bellaria, quibus quasi bellum indiceretur sobrietati propugnacula solido fabricata sacchаro inferuntur mensis cum propugnantium, ac oppugnantium turmis sacchareo armatis gladio.

17. Si mensæ assidentes venationibus delectentur, sacchareos leones, apros, cervos, lepores canes itidem sacchаrei insectantur. Sed non sacchаrei milites, non sacchаrei venatici canes, propugnacule expugnant; feras occidunt; sed fercula, quibus gravatur stomachus, distenditur venter, bellum indicunt epulantibus, quibus plerunque mortem etiam inferunt: putrascunt ingesta in stomachum tam varia, tamque multa fercula, non coquuntur, cum nativo caloris iisdem digerendis non suppetant vires, idque indicant pestilentes ructus, malè olentes exhalationes ex pridiana crapula prodeuntes, & inde corrumpuntur humores, & morborum omnium illis ab una oritur gulæ indulgentia. An non unicus interdicti pomi morsus in paradiso terrestri miseries, ærumnas, ac calamitates per totum terrarum orbem effudit? Fuit gula Pandoræ pyxis, è qua supplicia omnia bella, pestis, annonæ caritates, calamitates, morborum agmina, & mors ipsa erruperunt. Gula fuit quâ homo cœlum irritavit, è quo ruunt fulmina, corufcant fulgura, minas spargunt tonitrua, cedunt nives, præcipitant grandines, turbines, & procellæ, à quibus ingentes fluctus, immimentia naufragia, repentinæ neces.

18. Gulæ indulgentes dum ventrem implent, mentem evacuant Jerem. 52. 12. *Princeps cocorum destruxit muros Jerusalem.* Sunt muri Jerusalem excultæ virtutes, quæ sanctam civitatem, seu animam nostram ad Dei similitudinem conditam muniunt, custodiunt; hos muros, hæc cordis nostri propugnacula evertit, solo æquavit princepe cocorum, indulgentia gulæ; apposité S. Gregorius Moral. lib. 30. cap. 13. *Quid per muros scriptura exprimit, nisi virtutes animæ, quæ ad pacis visionem tendit? aut quis cocorum principi nisi venter accipitur, cui diligentissimè à coquentibus cura servitur.* Inficit, non reficit; destruit non corroborat, quos gula sibi addictos esse noverit. Pulticulam ex lente Rebecca Jacobo suo appolnerat, non ut ea casta no hoc epulo gulæ delicias experiretur; sed ut famem propelleret, vires reficeret: forte supervenit è sylvis, & venatione defessus Esau frater natu major, qui oculos in pultem conjiciens, in cibum illum pruriit, quem saturandæ fami enixim concupivit, ac postulavit; sed Jacobus ut pote intentus in occasionem recipiendi juris primo genito debiti pultem eà adjectâ conditione concessit, dummodo natalem ei cederet prærogativam: tametsi ad hæc postulata turbaretur Esauus; à pruritu tamen gulæ pulsatus, ac tandem victus cessionem juramento firmavit; & simul cum vili lenticula decoxit principatum familiæ, dignitatem sacerdotij, meliorem hæreditatis partem. Genes. 25. 34 *comedit, & bibit, & abijt, parvi pendens, quod primogenita vendidisset.* An non gula murus everrit Jerusalem quando cum jure primogeniti, etiam Sacerdotium dissipavit? Non solùm Esau, sed quotquot gulæ delicijs sunt addicti jus vendunt, quod beneficio divinæ gratiæ hebent ad cœlestem hæreditatem ad gloriam æternam pro corruptibili, ac transitorio cibo, de quibus ait Jerem. Thren. 1. 1. *Dederunt pretiosa quæque pro cibo.* Ne tam crasse desipiamus nos monet Ecclesiasticus cap. 37 v. 32. *Noli avidus esse in omni epulatione, & ne effundas te super omnem escam.*

Non cibus si moderationis, ac sobrietatis regulas non excesserit vitium contrahit; sed pravus in fercula appetitus absque temporis discretione, nulla habita ratione ad quantitatem, tantùm ut gulæ satisfiat, redarguitur damnatæ intemperantiæ: apposité S. Gregor. lib. 30. Moral. *Non cibus, sed appetitus in vitio est: Nam & lautiores cibos plerunque sine culpa sumimus; quia abjectiores non sine reatu conscientiæ gustamus:* cui adhæret D. Augustinus in illud ad Roman. 14. *Noli propter escam destruere opus Dei,* inquiens: *Non propter porcum sed propter pomum mortem primus homo invexit; & Esau primatum suum non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit.* Non credas veris perfundi delicijs, veris nutriri voluptatibus qui gulæ inhiant illecebris, exoticis ferculis ventrem implent; quia si obsonia eis non placent nisi in plures disrupta bolos, nisi dente contrita; integram non possunt voluptatem gulæ indulgentibus suppeditare; imò nullam quæ vera sit; quia si fercula ventrem implent, mentem evacuant probis desiderijs, pijs affectibus, & ut plurimum impudicis opplent cogitationibus, quibus castitas vel perimitur, vel non modicum patitur detrimenti; imò & ipsa sanitas corporis ciborum ingestione premitur, & humores vitium contrahunt, ac morbos ac- 19.

eersunt: est venter nimio distentus cibo veluti piscina, in qua magna semper aderat languentium multitudo Joan. 5. 3. *In his jacebat multitudo magna languentium:* morbi ferè omnes ibi reperiuntur ubi plura fercula stomachum jugiter aggravant, & ventrem implent. Piscina vocabatur *Bethsaida*, seu *domus panis, domus venationis, domus piscationis, domus pecudum*, ut sacri edisserunt Interpretes cum Salmerone: ergo ubi varietas est, & copia ferculorum, quibus venter oppletur: ibi nosocomium, varij morbi, multiplex languentium turba: censuit enim Antiphanes Delius Medicus apud S. Clementem Alexandrinum *Pædag. lib. 2. c. 1.* unam hanc esse morborum causam in humano corpore, ciborum varietatem. Aliena igitur sunt à vera voluptate, quæ exotica deglutiuntur fercula, quæ si gulam mulcent, viscera lancinant, & corrupta superfluitate, quam nequit nativus calor concoquere, humores corrumpunt, morbos invehunt, & præmaturam accersunt mortem; & non solùm corporis, sed quod laerimabilius etiam animæ: ideo in aula Pharaonis Pincerna, & Pistorum præfectus peccarunt, quia esculentis præerant, & poculentis Genes. 40. 1. *Accidit, ut peccarent duo Eunuchi Pincerna regis Ægypti, & Pistor Domino suo.*

60. Gula, quæ carnem nutrit, culpam alit; & gulæ adhærere delicijs, perinde est, ac vitije indulgere: Eunuchi peccarunt quia in ferculis lautè parandis, poculentisque generosioribus ministrandis addicti erant, rarò gula immunis à culpa; neque oppletio ventris est tantùm evacuatio mentis, quatenus probis, pijsque desiderijs eam destituit, sed etiam infectio per invectam culpam, quæ gulæ est comes. David licèt plures detulerit de prostratis hostibus victorias, tunc tamen ipse cecidit ab imbelli fœmina, à turpi victus in Bethsabeam amore, cum Gulæ & somno indulsit: ventrem impleverat regijs ferculis, & post meridiem quievit somno sopitus, à quo marcidum corpus excussurus in solarium domûs regiæ se recepit, ambulandi, ac liberioris aëris captandi causa; cum oculus in conterminos regiæ domus hortos injiceret, vidit Bethsabeam intra salientis fontis pellucidos latices membra abluentem denudati incautiùs corporis, quàm castitatis cultricem decuisset; & quia venter oppletus mentem pijs in Deum evacuaverat affectibus, impuras flammas ex frigido illo fonte hausit, æstuque libidinis ebibit, cæpitque fœminam deperire, simúlque in ipso castitas perire 2. Reg. 11. v. 2. *Accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem.* Venter ferculis delicatioribus saginatus culpam accersivit; à somno, & cibo proclivis semper ad venerem est transitus: quot scintillas ejaculatur fornax ardens, tot prava desideria, tot libidinum incentiva suscitant ventris repletio, & mentis otiositas. *Viditque mulierem se lavantem ex adverso.* Muliebris venustas insidiosum est speculum, non solum à solis radijs, sed etiam à frigidis fontium laticibus æstus ebibit, quibus aspicientes urit. & pudicitiam comburit; Somnus diurnus *dæmon fuit meridianus* Ps. 90. ipso enim meridie prostratus grabato, otio, & somno indulsit; cum surrexit corporia excussurus marcorem renudatæ Bethsabeæ pulchritudo Cupidinis fuit arcus, quo sagittam evibravit, vulnúsque inflixit, quò blandius, eò lethalius: sagitta volavit in die, & mortale vulnus in perniciem castitatis inflixit: appositè S. Augustinus in Psalm. 50. *De longè vidit David illam, in qua captus est; mulier longè, libido prope:* quia ut pulchrè observat D. Gregorius. *Lascivus aspectus scintilla fuit, quæ dum in paleam, fœmineam formam incideret, momento rapuit flammam, & fœdi amoris incendium excitavit.*

Dracontium folijs vestitur betæ similibus, sine caule; florem ferr purpureum, qui contra ictus serpentum pharmacum dicitur præsentissimum Plin. lib. 24. c. 16. Lemma *Fit medicina salutis.* APODOSIS. Sacramentum pœnitentiæ contra ictus omnes virulentos noxarum efficacissimum est Alexipharmacum, omnésque animi ægritudines, & inflicta lethalia vulnera pristinæ restituit sanitati. 61.

EXCURSUS.

Obobalsamum curandis culparum vulneribus aptissimum, resipiscentis sunt lacrymæ, & sacra exhomologesis.

Ægritudinem, qui contraxit nil avidiùs appetit, nil efficacius vocat, quàm medicum, à quo depulso è corpore beneficio pharmaci epoti vitiato, corruptóque humore pristinæ restituatur incolumitati, quem peccatum inficit, hunc credas lethalem contraxisse infirmitatem: peccaverat David, & lethali correptus ægritudine sanari cupiens Medicum vocat, cui morbi aperit malignitatem, ut ab ipso pristinam accipiat sanitatem Psalm. 6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana animam meam, quia peccavi tibi; sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea:* sed qui peccati ægritudine correptus audiri vult à cœlesti medico, & exaudiri, ac ab infirmitate sanari lacrymas fundat resipiscentiæ, fletus & suspiria emittat, quæ internum prodant dolorem; habent, & lacrymæ suas voces; habent, & sua verba, quæ efficaciùs aures pulsant, cœlestis medici, quem emolliunt, flectúntque ad impertiendam sanitatem, omnémque excutiendam, proculque abigendam infirmitatem; quantæ sint efficaciæ lacrymarum voces, cum Davidem non lateret peccantem, audi ipsum resipiscentem, quomodo loquatur ad medicum, à quo sanari petijt: ait Psalm. 38. v. 13. *Auribus percipe lacrymas meas:* si lacrymæ percipiuntur necesse est, suas habeant voces, quibus Judicem flectant ad veniam; Medico suadeant opportuna aptare pharmaca, & ægritudini sanandæ opportuna: has voces resipiscentis inesse lacrymis scitè edisserit S. Petrus Damianus opusc. 13. cap. 12. inquiens. *Qui enim non oculis attendi; sed auribus percipi lacry-* 62.

mas postulat, vocis inesse lacrymis manifestò designat. Lacrymæ enim cum in conspectu pij Judicis supplicant, nihil hæsitant, sed sic misericordiam tanquam rem quamlibet proprij juris sibimet vendicant, & impetrasse se, quod petierant, confidenter exultant.

63. Peccati infirmitate correptus lacrymis madens dicat Deo. Domine, qui propitiaris omnibus iniquitatibus meis, qui sanas omnes infirmitates meas misere mei, quia infirmus sum: sana me quia defecit virtus mea; & omnia ossa mea conturbata sunt, & elanguerunt: fateor, omnis hujus conturbationis, & infirmitatis, ac languoris mei unicam causam esse iniquitatem meam; & peccatum torquens conscientiam meam; nec unum tantum vel alterum corporis membrum hac corripitur infirmitate; sed à vertice capitis usque ad plantam pedis non est in me sanitas, quia peccavi Tibi. Oculi mei, & aures, & os meum, ac lingua, cor meum, & caput meum imò manus; & renes, & singula membra infirmata sunt, & omnes vires meæ conturbatæ, & omnia ossa mea emarcuerunt, & nervi elanguerunt; medullas penetravit dolor, & omne robur recessit à me; sola superest infirmitas, quam mea invexit iniquitas, quæ me excruciat mortis doloribus. Ita est, semel quod culpa est admissa, quies omnis, & lætitia est amissa; fitque reus statim horroribus, & terroribus obnoxius. Quòd si Poëtæ Mægeram finxerunt, ferro, & flamma, & multiplici cinctam Dracone, utraque mano accensas in gehenna tædas agitantem; & hoc tetro apparatu è tartareo emersam specu terrores in mundo spargere, reó que torquere; non credas, lethalem in homine noxam mitiori aspectu intus debacchari, cum humores omnes corrumpat, vires labefactet & singula interiora sus déque vertat, & evertat. Mites habentur Diomedis equi, Busiridis aræ, Syllæ carceres, si cum laniena conferantur, quâ culpa intus conscientiam torquet peccantis. Scio ab Ethnicis fuisse olim legem sancitam, quâ ad summæ atrocitatis exemplum parricidæ adigerentur per biduum, triduúmve spectare cadaver occisi parentis, & ita punirentur enormissimo omnium supplicio: sed lethali noxa infectus adigitur non tantùm per triduum, sed per plures menses, imò & annos quod patravit scelus, quo cœlestem Patrem offendit, seque à summo bono avertit in conscientia coinquinata perpendere, donec beneficio resipiscentiæ & lacrymarum abstergatur. Hanc si cupimus infirmitatem excutere, ac pristina donari sanitate pharmacum bibamus à Resipiscentia nobis in lacrymis exhibitum; neque pharmacum hocce in alio vase nobis porrigitur, quàm in nostro: monet Salomon *Proverb. 5.* ut quisque aquam de suis vasis bibat; seu lacrymis madeat, quas propria elicit resipiscentia: appositè S. Ambrosius in Titulum Psalmi trigesimi septimi ait ad rem nostram. *Misisti aquam lacrymarum, aquam Pœnitentiæ: bibe aquam de tuis vasis, bibe aquam de tuis fluctibus; ut dicas; & potum meum cum fletu miscebam; fletus ergo tuus, potus est tuus, & lacrymæ tuæ sunt cibus tuus.* Absterguntur hisce lacrymis, quæ per patrata peccata contrahuntur maculæ: quia ut ait S. Joannes Climacus grado 26. *Sicut aqua literas, ita lacrymæ delent peccata*, aqua nigredinem abstergit, quæ literis inest; & resipiscentiæ fletus caligines excutit, maculas obliterat noxarum.

64. Prodeant ab oculis lacrymæ, fluant è corde contrito, & resipiscente saluberrimi lacrymarum rivuli; hoc lavacro abstergitur conscientia, delentur criminum maculæ, absterguntur noxarum sordes; extinguuntur concupiscentiæ incentiva; & vulnera quæ nobis perpetrata peccata inflixerunt, feliciter curantur: appositè Basilius Seleuciensis *Orat. 17.* loquens de Pœnitentia David ait: *Prophetæ lacrymæ pro pœnitentiæ lege sunt: monstravit quomodo curentur animæ vulnera; monstravit, & quod sit antipharmacum; monstravit inimicas Diabolo esse lacrymas per oculos contra jaculatus est; & lacrymis Diabolum convulneravit.* Consueverunt Medicæ artis Professores quas corpus ægritudines contraxit curatu difficiliores, quæque consueta pharmaca non sustinent, balneorum latticibus abstergere; depravatos humores intus in visceribus stabulantes propellere; ac corrigere quicquid à bene valente corporis habitu deflectat, per epotas, ac intus in stomachum demissas balneorum aquas; vel extrinsecùs adhibitas ad corporis artus abluendos, imbuendósque: idque causæ, cur frequenter medici suos ad balnea mittant patientes, quorum ægritudines post adhibita plura pharmaca corrigi non possunt. Quòd si medici ad curandos morbos connutritos, quos nec mutatione ætatum, nec vario pharmacorum usu corrigi non potuerunt ad balnea, quæ ultima dicuntur medicorum pharmaca ægrotos mittunt: cœlestis medicus curaturus animæ infirmitates, quæ nullis possunt medicæ artis curari pharmacis, balnea ipse desiderat non extera, ad quæ nos mittat; sed quæ in nobis suam habeant originem, & à nobis, ut à proprio fonte scaturiant; has aquas vult à nostro fonte scaturientes, seu lacrymas è corde contrito exilientes, & ab oculis, veluti è fontibus foras fluentes ad rigandas genas scitè S. Anselmus *lib. exhort.* ait: *Expectat Medicus videre lacrymas tuas; Accede noli timere; ostende & vulnus tuum, & offer medicamentum lacrymarum, & fletuum.*

65. Quàm utile, quàm salubre balneum lacrymarum, quo peccatorum innutritæ infirmitates curantur; dixeris, hoc balneum æmulari mare rubrum, quia sit in illo Ægyptij; in hoc crimina, peccata, & scelera omnia merguntur, & pereunt; sit in illo Pharao cum toto suo exercitu; in hoc dœmon, cum omnibus suis commilitonibus naufragatur; sunt lacrymæ resipiscentis cisterna illa ad portam sita Bethleem, cujus salubres aquas ardenter David desideravit ad sitim extinguendam *2. Reg. 23. 15.* quia lacrymæ quas dolor elicit resipiscentis sitim, & desideria rerum fluxibilium extingunt. Sunt lacrymæ veluti Jordanis undæ, in quibus, ut habetur *4. Reg. 5. 10.* Leprosus Naaman mundatur; quia resipiscentis la-

crymæ peccatorum lepram eluunt, abstergunt, & excutiunt. Sunt hæ lacrymæ, in quibus capita Draconum contribulantur *Psalm. 73. 13.* quia septena peccati capita hisce lacrymis conteruntur, seu capitalia vitia præfocantur. Imò sunt lacrymæ resipiscentis veluti cella vinaria sponsæ, de qua vinum compunctionis, & devotionis flentibus propinatur Cant. 2. 4. Sunt probatica illa piscina, cujus aquis madentes à suis sanantur infirmitatibus Joan. 5. 2. Sunt veluti natatoria Siloe Joan. 9. 7. quia si in hac cæcus illuminatur corpore; beneficio lacrymarum cæcitas excutitur animi, caligines dissipantur culparum.

66. Quod si caro nostra terra est, à qua suam trahit originem, & in quam resolvitur; nisi imbre irrigetur lacrymarum, quas dolor effundit resipiscentis, sterilescit, nec ullus in ea germinat flos virtutis, nec ullus fructus boni operis producitur, sed siccitate laborans æstu deteritur concupiscentiæ; quod ne Davidi obtingeret hoc imbre terram suam rigavit Psalm. 6. 7. *lacrymis meis stratum meum rigabo*, neque puto per stratum quid aliud intellexisse, quàm proprij corporis carnem; quid strato vilius, quid carne, & terrâ ignobilius? Rigavit David lacrymis stratum suum, quia dolore, & fletu carnis maculas diluit; cordis duritiem hisce guttis excavavit, fregit; imò & ipsam lapideam duritiem emollivit in latices stagnantes in possessione pacis, & quietis Psalm. 113. 8. *Qui convertit petram in stagna aquarum*. Quòd si stagnum cum motu ullo non agitetur campum imitatur immobilem, necesse est excolatur ut optatos producat fructus, ac semina in ipso jaciantur doloris & fletus: hinc David Psalm. 125. 5. *Qui seminant in lacrymis in exultatione metent.*

67. *Eruca* herba est sylvestris, cujus præcipua qualitas calor est, quo concupiscentiam stimulat, & libidinem excitat, si cum multo ex melle, & vino composito bibatur. Lemma *Corrumpunt malorum consortia mores.* Aponosis, Societas improborum noxia.

EXCURSUS.

Malis consociari, & malum non fieri, perinde est ac in flumen se injicere, & non madefieri, igni manus admovere, & non calefieri.

68. A Deo est arduum, ac perdifficile cum malis degere, societatem inire, & eorum non contrahere corruptos mores, ut faciliùs crediderim pice non contaminari; marinis innatantem aquis non madefieri; idque causæ, cur Moyses cum primùm vidit rubum flammis allociatum citra ramorum, ac foliorum læsionem obstupuerit, & hæserit anceps nesciens quid hoc esset Exod. 3. 3. *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* Quid? quod *visionem* vocet non simpliciter, sed cum addito *magnam* scimus celeberrimas fuisse visiones mysteriorum, & Arcanorum Dei objectas Isaiæ, exhibitas Ezechieli; factas Danieli, demonstratas Abrahamo; ostensas Jacobo; & nulli earum legimus concessum epithetum illud *magnam*; quod Moyses visioni tribuit, quæ fuerat illi in Oreb monte ostensa: quia tametsi reliquæ visiones reconditæ fuerint, & valde admirabiles; sola tamen Moysi præmonstrata visio, magna dicitur; quia vidit: *quòd rubus arderet, & non combureretur.* Igni voraci adsociari, & non morderi, non lædi, non absumi, adeo supra totius naturæ vires visum fuerat Moysi, ut eam visionem magnam, seu mirabilem vocaverit: fœminis adsociari, quæ stimulos excitant concupiscentiæ, quæ flammas accendunt libidinis, & non uri, magnum censendum est prodigium; insuetum quoddam supra naturæ leges. Si puellæ venustas, si fœmina procax flammas in te libidinis excitat, eò citius fuge, noli ijsdem adhærere, neque cum ipsis loqui; neque tibi, tuóque senio fidas, quia senile quamvis vetus adhuc flammas concipit, & si semel adserit, difficilius extinguitur: etiam apud Danielem senes erant duo illi fumigantes Averni titiones, qui sub canitiei nivibus flammivomum Ætnam impudici incendij fovebant, quo castitas pudicæ Susannæ cineferet.

Quòd si senes, in quibus concupiscentiæ impetus solent languescere, sanguinis ardor deservescere, corporis vires deficere, ac carnis stimuli desinere ex curioso muliebris venustatis obtutu ignem concipiunt venereum, à quo se sentiunt ad scelus propelli, ad Venereos amplexus cum Susanna muliere pudica, castitatis cultrice: quanto magis juvenca, in quibus concupiscentia insolescit ad libidinem, sanguis accenditur, ad scelus ætas propendet consortia debent impudicarum mulierum cavere, ab earumdem familiaritate se abstinere; à colloquijs aspectu, manuúmque tactu se avertere? præcidenda statim est cum malis socijs, cum improbis fœminis, quæ ad libidinem provocant, concupiscentiam stimulant omnis familiaritatis occasio, omnisque declinanda societas. Castitatis cultor raro, vel nunquam cum sequiore sexu familiaritatem instituat. Sunt etiam in pudicitiæ studiosis quidam concupiscentiæ stimuli, qui nisi suis sub initijs coërceantur, vires acquirunt, & ipsam prosternunt castitatem: sunt itidem quædam affectiunculæ, quæ licet malæ non sint; initia tamen sunt sceleri prælud entia, quibus propterea obstandum est, ac longiùs fugiendum, ne ex propinquitate pestifera in nos qualitas derivetur, quæ nos inficiat. Sola enim malorum propinquitas noxia est viris probis; sitque veluti miraculum ex hac propinquitate non infici, damnúmque non trahere: Exod. 8. 22. *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, in qua est populus meus, ut non sint ibi muscæ.* 69.

Notat Glossa interlinearis, terram Gessen finitimam, ac propinquam esse Ægypto, ubi perversus improbúsque Rex Pharao regnabat, & ob cujus duritiem, quâ ad Dei mandatum noluit emolliri, nec ad preces Moysis se flectere 70.

ad

ad dimittendum populum; tota Ægyptus infecta fuit muscis: & quòd hujus contagiosæ pestis quidquam non irrepserit in terram Gessen finitimam, proximéque vicinam, id miraculo datur, ut meritò dixerit Deus. *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen.* Qui cultor, & custos est castitatis, sicut lilio pariatur, ita & lilium imitetur, sitque Cant. 2. 2. *Sicut lilium inter spinas*, seu si pravis circumvalletur sociis, si necessitas exigat, ut cum malis perversisque hominibus teneatur immorari, ac degere, caveat ab iisdem, perinde ac spinis, ne inflictâ punctione lædatur; quia spinas contrectare & non pungi, ac cruentari, difficulter contingit, ut notat Hugo Cardinalis expendens præfata verba cant. 2. 2. ubi ait. *Non mediocris titulus profectò virtutis inter pravos vivere bonum; & inter malignantes innocentiæ retinere candorem, morúmque lenitatem.*

71 Est spina pravus socius, cui si adhæseris non corpus, sed animam pungit, cruentátque: unde exclamat S. Bernardus serm. 48. in cant. *O candens lilium! ô tener, & delicate flos; increduli, & subversores sunt tecum: vide quomodo cautè ambules inter spinas*, Vepres sunt pravi socii, quibus si adhæseris inflicta tibi experieris vulnera, & quidem animæ lethalia. Si necessitas adigat ut cum depravatis debeas degere sis lilium, quod spinis vallatum suo non destituitur candore, quia spinis non adhærescens non pungitur, neque cruentatur in purpuram: sis lilium quod suum semper servat candorem; neque à fimo fœditatem ebibit, neque à stercore fœtorem haurit, neque à cicuta venenum sugit: quo pacto Noë pius fuit inter impios; Joseph pudicus inter nefarios; Samuel sanctus inter filios Beliar; Job patientissimus inter perversos; Loth in Sodomis continens Genes. 19. de quo S. Chrysostomus homil. 43. in Genes. *Verè admirari licet vehementer justi hujus virtutem; quod conversans in medio tam impiorum, non solùm non fuit inde negligentior factus, sed & majorem virtutem præstitit: & cum omnes, ut ita dicam in præceps ruerent; ipse solus in tanta multitudine rectè ambulavit.* Ideo summis commendatus Job fuit laudibus, ideo à Deo inventus juxta cor suum, quia inter malos justus, inter pessimos optimus Job. c. 1. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Job, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Vixit inter accipitres columba; inter lupos ovis, floruitque cultura virtutum spinis, vepribúsque circumvallatus; & splenduit illustrior inter malorum caligines. Sed rarissimus est Phœnix, qui è funerum umbris lucem hauriat renovatæ juventæ. Deus ipse, vel ab ipso mundi exordio lucem sejunxit à tenebris quò discerent cultores virtutum, lucis sectatores à tenebris abhorrere impiorum, ne ab eorum tenebris virtutis claritas obscuretur Genes. 1. 4. *Et vidit Deus lucem, quòd esset bona* Laudatur à Deo mundi opifice lux, quia suis absoluta numeris, ac in suo genere perfecta; eamque statim separuit à tenebris, ne ex earum consortio quicquam contraheret obscuritatis, & ejus claritas diminuta pateretur detrimentum. Genes. 1. *Et divisit lucem à tenebris*; quæ postrema verba expendens D. Augustinus scitè ad rem nostram ait lib. 10. de civit. c. 80. *Non hoc loco additum est, & vidit Deus, quòd esset bona. Illud consortium cum tenebris nocuisse videtur luci, ut jam illam gratiam non videatur habere, quam habebat à principio.* Quid per tenebras, quam depravati, & moribus corrupti homines indicantur; & quid per lucem, quàm probi, & cultores virtutum significantur; hæc igitur proborum lux separanda omnino est ab improborum tenebris, ne obscuretur, ac detrimentum patiatur proborum lux; hinc Seneca Epist 7. *Quid me existimas dicere avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imò verò crudelior, & immanior; quia inter homines fui.*

Quamvis sit quis cultor virtutum; si tamen oblatratores audias obmurmurare disceis si aures patulas verbis scurrilibus, ac lascivis præbeat, obscœnam salacitatem vel ipsis auribus ebibet; si oculos in muliebrem defigat venustatem, flammas libidinis solo aspectu in se ipso accendet; si verbis & aspectui tactus addideris, jam ipsæ manus lethalem sugent lasciviæ pestem ad interitum castitatis. Nil boni portendit hoc lucis consortium cum tenebris, necesse est in detrimentum semper cedat lucis, cum non possit hæc à tenebris non obscurari. Idque causæ, cur à Jobo fuerit maledictis impetita societas lucis, & tenebrarum Job. 3. 3. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo*, sed si Job horis diurnis ad lucis usuram exivit materna ab alvo, cur nocti irascitur, cui & mala precatur? sin verò horis nocturnis fuit in lucem editus, cur interitum diei exoptat; non censeas, Jobum execrationibus impetivisse diem, neque imprecationibus onerâsse noctem: sed ipsum consortium lucis cum tenebris fuit imprecationibus prosecutus, hanc societatem maledictis laceravit, ut lux divideretur à tenebris; dies noctem non admitteret contubernalem, & sociam: apposite Origenes argumentatur lib. 3. in Job inquiens. *Porrò quando natus es ô beate Job? per diem? an per noctem? Si in die natus es; nocti quid irasceris? si in nocte natus es; diem cur maledicis?* Mox soluturus nodum difficultatis, ait, non execrationibus onerâsse diem seorsim à nocte, neque diris noctem impetivisse, ut sejunctam à die; sed ipsum consortium diei, & noctis; lucis, & tenebrarum execrasse: maledixit utrique simul, quia ex noctis consortio non potuit dies nisi lucis detrimentum pati: ait ipse: *diuturna conjunctio noctis, & diei inseparabilem utique maledictionem præstitit.* Obscuratur claritas diei, si cum discurrentibus per aëra nubibus societatem ineat; & ex consortio cum terrarum campis, etiam limpidiores fluviorum latices sordes contrahunt, ac luto coinquinantur, Josue. 13. 3. *A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum.* Si queras unde turbidus sit? Respondet Tostatus quæst. 4. *Quia cum creverit implet terram, & totum alveum pulvere, & luto commaculat*; tametsi pellucidi sint fluminis latices, christallinæ aquæ à qualibet macula defæcatæ, si tamen 72

terræ adsocientur, pulveres in lutum convertunt, ac propriam coinquinant limpiditatem, obscurant perspicuitatem.

73. Adeo malorum societas est viris probis noxia, ut interdum, unus improbus toti noceat proborum communitati. Genes. 1. 21. & 22. *Creavitque Deus cete grandia: benedixitque eis* sed si Deus benedixit toti squamigero gregi aquis innatanti; cur sexta die non etiam benedixit cunctis animantibus discurrentibus super terram? An quia inter illa erat, & serpens, cui paulo post erat maledicturus? ita est: unius serpentis improbi præsentia, & consortium divina destituit benedictione reliqua omnia animantia, quamvis munda, Deo grata, & hominibus jucunda. Quid hoc? an non periculosius est cum improbis degere, quàm cum dæmonibus dimicare? Id expertus fuit David, decertans enim cum impuro spiritu solo cantu ad turpem adigebat fugam, & solo citharæ pulsu ipsum vicit, prostravitque; At Sauli ad sociatus vitæ incurrit discrimen; & nisi Deus suam ei opem præstitisset, miserè perijsset 1. Reg. 19. v. 10. *Nisus est Saul configere David Lancea in pariete.* Daterior dæmone, ac nocentior est improbus socius, ille vel sola voce fugatur, & vincitur; iste cum beneficijs cumulatur, mortem benefactori molitur, ut è vivis abrasus tumuletur.

74. *Ferula* fruticibus accensetur, lignum tamen pro cortice ei inest, altitudine feniculum excedit; medulla intus fungosa, fitque propterea lignum levissimum; quodque in regionibus solari æstu ferventioribus nascitur, alituque; ejus fuste utuntur senes, quibus vires deficiunt, loco fulcri, & scipionis: Pædagogi verò, & ludi magistri ad pueros castigandos, ut corrigantur, mores emandent, literas addiscant, negligentiam excutiant; inde nomen ferulæ ad scholas traductum. Ejus seminis grana decem trita, vinóque emaciata, & hausta, sanguinem sistunt; & succus oculorum prodest claritati Plinius lib. 20. cap. 23. Lemma *Errores corrigit usu.* Apodosis. Correctio fraterna mores emendat.

EXCURSUS.

Sincerè non diligit, qui fratrem peccantem corrigere negligit.

75. Malè agentes corrigendi sunt, ut meliora sapiant: errores, morésque pravi si inoleverint, morbos Imitantur corporis, qui neglecti, & per mutationem ætatum non correcti, curatu sunt semper difficiliores; Quòd si dixeris, medicum curantem pharmaci exhibitione peccantem in corpore humorem non ex odio agere cum te pristinæ velit sanitati restituere; persuade qui corruptos tuos corrigit mores, ut emenderis; non tibi adversatur, sed ex animo fovet; non increpat ut irascaris, sed corrigit ut resipiscaris, & emenderis. Quantam non adhibes tu diligentiam, quantam non geris curam, ut quæ ad corpus spectant sint rectè instituta: si in fronte nævum, in genis labeculam, in vultu maculam videmus amici, eúmque moneamus; non irascitur hic monenti, sed serena fronte, lætóque ore gratias agit, & strophiolo aquâ madido nævos, maculásque abstergit. Cur igitur si animæ maculas, morúmque errores tibi detegit, quos corrigas irasceris monenti, & emendare negligis quod animam coinquinat, ac fœdè deturpat? An Dei imagini animæ implantatæ corporis præfers sterquilinium? plurisque facis lutum corporis, quàm animæ dignitatem? Hæc est hominum cæcitas, nobilioribus viliora præferre, & ordine præpostero majorem curam de corpore gerere corruptioni obnoxio, quàm de anima immortalitate donata, Deique imagine dotata. Committat quia loquendo solicismum, statim monetur peccasse contra Priscianum; committat quis malè vivendo delictum, perpetret peccatum, nemo loquitur, nemo monet peccâsse contra Deum; omnes conticescunt.

Cadit jumentum in foveam, & statim omnes accurrunt opem alaturi; auxiliares adhibent manus, ut à lapsu surgat. Quid ni cadit frater tuus per lethalem noxam à Dei gratia; enormissimè errat se avertens à summo Bono, relinquens fontem aquæ vivæ, ut corruptas abibat noxiarum voluptatum cisternas dissipatas; & nemo lapsum juvat, nullus monet ut surgat, omnes conticescunt; unde exclamat S. Chrysostomus Homil. 44. ad Popul. *Si videris asinum odientis te jacere sub onere: non pertransibis, sed sublevabis: quomodo non est summa inhumanitas, & saevina crudelitas, nos non tantum curæ hominibus impendere; quantum alijs jumentis*: an pluris est, asinum jacere in puteo, quàm animam languera in cloaca peccatorum? & tamen si ceciderit in foveam asinus, illico omnes accurrunt, auxilium alaturi, ut surgat: si cadat frater tuus, si elabatur Christianus in foveam lethalis noxæ, si se avertat à summo Bono, nemo accurrit, nullus opem præstat, ut à lapsu resurgat, elevetur à fovea; & tamen ait D. Augustinus lib. 1. de civit. c. 9. *Si neglexeris corripere: peior factus es eo, qui peccavit.* Deplorat Jeremia afflictionem, quâ Jerusalem premebatur, quam mari æquiparat fluctibus agitato decumanis, æstuqua procellofo commoto, quo naves marinas trajicientes undas, vel ad scopulos collisæ percunt, vel fluctibus absorptæ luctuosum patiuntur naufragium Thren. 2. 13. *Magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tui*, quasi incorabile sit vulnus, medicus non reperitur qui præstantia alaxipharmaci potis sit ulcua curare, morbúmque excutere. Si quæras quid causæ, quòd civitas sancta tam malè valeat, æstúque febrili absumatur contrita; non in alios culpam refundas, quàm in Sacerdotes, qui peccantem populum corrigere neglexerunt; eorum negligentiam redarguit Jeremias, ac populi desperatam salutem in omissam à Sacerdotibus correctionem refondit inquiens v. 14. *Prophetæ tui nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Omissa à Sacerdotibus correctio, non exhibita Infirmia medicina, causa fuit, cur morbus validior fieret, humores peccantes incrementa fubirent, æstúaque febris ita accenderetur, ut salua desperata fuerit, & civitas a Jeremia conclamata; & Sacerdotes non

non corrigentes unà cum populo delinquente perierint: *culpa enim Sacerdotum:* ait S. Paschasius, *& eorum qui in lege versantur, ruina est populi, qui iniquitatem eorum populis sollicitè non annuntiant, ut ad pœnitentiam convertantur.*

77. Omissio opportunæ correctionis superioribus semper datur culpæ, neque credas levem esse noxam, cum & ipsi graviter plectantur. Quærunt sacri Interpretes, cur Joseph in Ægypto ex suis fratribus illac profectis rei frumentariæ causâ solum Simeonem voluerit in carcerem detrudere Genes. 42. 25. *Tollensque Simeon, & ligans, illis præsentibus jussit ministris, ut implerent eorum saccos tritico.* Cur præ cæteris Simeon in carcerem mittitur; si peccavit, eò quia Josephum adhuc adolescentem vendiderit Ismahelitis, etiam reliqui fratres rei fuerunt, cur non omnes eodem plectuntur supplicio, si omnes eadem culpa damnavit? non credas Simeonis culpam parem illi reliquorum fratrum; longè gravior fuit: quia post Judæ consilium datum de venditione fratris, cum Rubeo natu major non interesset contractui cum Ismahelitis inito; ad Simeonem, qui erat ætate reliquis provectior, & in ipso authoritas erat major, pertinebat fratres corrigere, & à tali inhumana venditione avertere; & quia tacuit, correctionem neglexit, & ejus silentium ansam dederit venditionis instituendæ, ac perficiendæ, ob hanc neglectam correctionem meruit præ cæteris puniri, quò inde discamus, levem non esse culpam, non corrigere fratrem peccantem: quia igitur Simeon tuendi juris causâ, ne unum quidem depromere verbum ausus fuit; ideo Joseph pro fratibus obsidem futurum vinculis constringi jussit; plerumque silentium gravius est crimen, quàm quod per verba patrari soleat: hinc Isaias 6. 5. *Væ mihi, quia tacui!* ubi D. Bernardus Epist. 7. censet, Prophetam redarguere se ipsum, non quia cum malis habitaverit; sed quia malos non corripuit, quia peccantes non correxit. Virga regni, seu sceptrum, virga est directionis, & virga correctionis Psalm. 44. 7. *Virga directionis, virga regni tui,* ubi S. Augustinus ait: *Non regit, qui non corrigit.* Hinc cum Deus Moysem instituisset populi sui rectorem Virgam pro sceptro ei tradidit: Virga enim est disciplina, correctio, & castigatio, quæ licèt ab initio videatur dura, imò & amara imperfectis; in fine tamen ejus fructus dulcescit, ut scribit Apostolus ad Hebr. 12. 11. *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.*

78. Est fraterna correctio veluti sagitta, vel ut est in fabulis Achillis hasta, quæ si vulnerat non lædit, sed sanat; & dum vulnus videtur infligere, nostris medetur ulceribus; idque expertus David dixit Psal. 37. 3. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Sagittæ sunt verba correctionis, quæ indisciplinatis videntur vulnera infligere; justus enim cum arguit, & corrigit peccantem, velut sagittâ compungit, ac transfodit cor ejus, ut resipiscat, & convertatur ad pœnitentiam; ac revertatur ad sanitatem: sagittæ Davidi infixæ, & quæ vulnera inflixerunt, simúlque sanitatem ei attulerunt verba fuerunt increpatoria, & comminatoria, quæ à Nathane Dei nuncio audivit. Admonitus enim per quietem à Deo Propheta ad Davidem, cui erat perfamiliaris, celeri pede se contulit, patrati sceleris gravitatem ostendit, promeritas pœnas denunciat, quot verba, tot sagittæ Davidi infixæ: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi:* sagittæ tamen internum ulcus inflicto vulnere aperuerunt, & sanitati regem peccantem restituerunt. Nathane adhuc loquente, increpante, & corrigente, non potuit David ultra vocem cohibere, quin internum dolorem, quo cor contritum torquebatur, per oculos in lacrymas solutum foras proderet, suúmque scelus palam fateretur inquiens *peccavi Domino* 2. Reg. 12. Alia quæ nequivit exprimere internus dolor suppressit, impediente singultu, ne ad labia pervenirent, quæ intus viscera dilacerabant. Nathanis opportuna correctio regem peccantem, insignem constituit pœnitentem, ut notat Salvianus Massiliensis Antistes lib. 2 de Gubern. Dei inquiens: *Agnoscit David reus culpam, humiliatur, compungitur, luget, pœnitet, gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exoneratur, corde, & cultu mutatur, totum regem cum ornatibus suis abjicit, jejunio exugitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur.* Breve fuit verbum quod protulit David cum dixit *Peccavi,* sed ex intimo cordis sinu profectum acerbissimi doloris fuit plenum. ob id aiebat Psal. 37. *Rugiebam à gemitu cordis mei,* seu ut expendit S. Augustinus; *non à gemitu carnis, quem audiunt homines; sed à gemitu Spiritus, qui torquet cordis intimiora.*

Id interest discriminis inter gemitum carnis, & cordis, quia ille editur ob infamiam, quæ incurritur apud homines, ob vulgi sermones, ob timorem pœnæ subeundæ: hic verò ob summi Benefactoris, summique Boni diligendi super omnia offensionem, ideóque non extimam carnis superficiem figit; sed cordis intima configit: & quia dolor iste ex corde dimanat, in totum corpus redundat ob voluntariae pœnas ultrò susceptas: hinc emanârunt inediæ membra corporis emaciantes, jejunia viribus destituentia Psal. 108. *Genua mea infirmata sunt à jejunio.* Fluxerunt lacrymæ contractas noxarum maculas abstergentes; & carnis, quæ terra est, sterilitatem rigantes, quò flores germinaret virtutum, fructúsque daret bonorum operum Psal. 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrimis meis stratum meum rigabo:* oculi quia per turpes, ac illicitos aspectus libidinis flammas hauserunt è fonte, in quo Bethsabea incantè renudata corporis membra refrigeraverat; lacrymis quas dolor è corde elicuit maduerunt Psal. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei; quia non custodierunt legem tuam.* Suspiria inde eruperunt è præcordijs, quibus David delassatus succubuit Psal. 118 *Laboravi à gemitu meo;* cui etiam Methanæa suos cineres suppeditavit, ut vires reficeret, & ignem servaret divini amoris Psalm. 101. *Quia cinerem tanquam panem manducabam; & potum meum cum fletu miscebam:* hinc amarissima patrati

ſceleris recordatio, Davidem increpavit, redarguit, & turſit Pſalm. 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.*

80. Quam ſalubris, quàm opportuna fuit fraterna correctio, quâ Nathan Davidem increpavit pœnitentem, quem ſtatim inſtituit reſipiſcentem! 2. Reg. 12. *Et dixit ad David Nathan: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Reſipiſcit David, corrigenti, & increpanti non iraſcitur, ſed omni prætermiſſa excuſatione patratum confitetur flagitium inquiens gemebundus *peccavi*: in tribus ſyllabis, ait S. Ambroſius, flamma ſacrificij aſcendit, juxta illud Pſalm. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, & è cœlo miſericordia deſcendit. In fraterna correctione primæ partes dentur lenitati, & clementiæ non lædat qui corrigit, ſed medeatur, ut monet S. Leo Papa Epiſt. 84. *Plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm ſeveritas: plus cohortatio, quàm commotio: plus charitas, quàm poteſtas.* Lenis fuit Nathan cum Davidem correxit peccantem, & ideo effecit reſipiſcentem. Non ſtatim patratum ſcelus, ejúſque enormitatem ei obiicit, ac increpat: ſed parabolam effingit. Narrat, duos eſſe cives ejuſdem urbis, ſed fortunis longè diſpares, divitijs unum affluentem, ovium gregibus, & boum armentis copioſum; & alium inopem unius duntaxat oviculæ dominum, quæ propterea in delicijs eidem eſſet; eámque ſinu foveret, manu cibaret: contigit divitem peregrè profectum hoſpitem à paupere recipi, à quo cum non niſi exiguum ſperaret obſonium, abactam oviculam in cœnam jugulavit: & pro hac iniquitate Nathan Davidem appellavit judicem; qui vehementer iraſcens locupleti illi, reum capitis pronuntiavit, & ad ovem in quadruplum reſtituendam: tunc auditâ ſententiâ Nathan parabolam aperuit, & dixit: tu es vir iſte dives, tu raptor, & jugulator alienæ ovis, ſeu uxoris, tu reus, qui poſt raptam Bethſabeam, ejus maritum Uriam interfeciſti; tunc David reſipuit, & ſuum confeſſus peccatum lacrymis adnixus eſt extinguere. Lenitas Nathani in corrigendo efficax fuit medicina, quâ contractam à Davide ægritudinem curavit.

81. Frater non ut lædat fratrem corrigit; ſed ut medeatur. Sapiens ille quia artem medicam non callebat, imperium, alijſque præeſſe recuſavit: Iſaiæ 3. v. 7. *Princeps eſſe noſter*: ſed ille ſtatim repoſuit *Non ſum medicus* quia medicinæ ignarus recuſavit principatum; Medicus ut alienis medeatur infirmitatibus, neceſſe plerunque eſt, ut igne urat, ferro ſcindat, ſanguinem fundat, & non ſine patientis dolore etiam oſſa radat; ſed medicus dolorem non intendit, ſed ſanitatem attendit: Seneca de Clement. cap. 22. *Tranſeamus ad alienas injurias, in quibus vindicandis, hæc tria lex ſecuta eſt, quæ Princeps quoque ſequi debet; aut ut eum quem punit emendet; aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat, aut ut ſublatis malis ſecuriores cæteri vivant.*

82. In corrigendis fratribus peccantibus priùs adhibeatur ſermo lenis, ac blandus; deinde paulò gravior, qui ſi non profit; acrior increpatio, & tandem punitio; quia reipublicæ felicitas detrimentis fulcitur malorum; eſt pœna delinquentium ſalus communitatis, ait S. Auguſtinus ſerm. 18. de verb. Dom. *Foris terribiliter perſonet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio; deſpumet, ſæviatque tempeſtas in ore, ſed eblandiatur malacia in corde; nubes multiplici tonitru minentur in fronte; ſed in animo placida arrideat malacia; in lingua romphea oſtendatur ſanguinis ſitiens; ſed in mente vireat, & floreſcat oliva; in verbis fulmen terreat, ſed in venis ſplendor delectet;* ut corrigens peccantem non lædat, ſed ejus medeatur ægritudini. Peccare eſt operum malorum peſſimum; ſed peccantem corrigere eſt opus omnium Deo gratiſſimum: ſi alium non pudeat agere quod eſt peſſimum, ſeu peccare; te non pudeat facere quod eſt optimum, ſeu corripere peccantem; ut illius medearis ægritudini. Ad id optimum eſt pharmacum, quod ægrotantem priſtinæ reſtituit ſanitati, & humores peccantes corrigit; quapropter neceſſe eſt, ut quem corrigere exoptas priùs demulceas, non exaſperes, ne tibi iraſcatur, & fraternæ correctionis pharmacum reſpuat: quin imò culpæ excuſationes præmittere, factu plerunque optimum: magnum quippe vitiorum frœnum opinio eſt; & quos probos deprædicamus interdum facimus: hac arte viſi ſunt exploratores correxiſſe Rahab meretricem, cum ad incolumitatis teſſeram juſſerunt funiculum coccineum domûs alligari feneſtræ Joſue cap 2. *Signum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaveris eum in feneſtra:* quàm aptè imperârunt funiculum coccineum feneſtræ appendi, quò exteriùs pateret, viderentque plateam pertranſeuntes; funiculus coccineus Innocentiæ, & Chriſti ſanguinis ænigma fuit; feneſtræ alligatur, ut externum virtutis decus internum deleret dedecus; & per virtutis exercitia, vitia, quæ in domo meretricis ſtabulabantur, foras abigerentur, & meretrix ad meliorem converſa frugem ſectatrix fieret virtutum, quæ fautrix fuerat vitiorum: quid per exploratores dixeris intelligi, quàm Apoſtolos à Chriſto per univerſum mundum miſſos, ut gentes à tenebris Ethnicismi ad lucem veræ fidei perducerent, à vitijs ad culturam traherent virtutum; non quidem increpando, ſed alliciendo *per funiculum coccineum*, per Chriſti paſſionem, ſanguinis effuſionem, per ſolutionem pretij, quo à Tartarea ſervitute humanum genus redemit: appoſitè Rupertus lib. 1. in Joſue cap. 12. *Quicunque anguſtiati à peccatis, quicunque Æthiopes, id eſt denigrati in vitijs, per unum ſalvantur funiculum coccineum; id eſt per crucis, & paſſionis Chriſti ſignaculum.*

Non ſolùm Raab meretricem funiculus coccineus è feneſtra pendulus; ſeu Chriſtus cruci affixus, ſed totum humanum genus ſalvavit, ut per opinionem ſanctitatis ab erroribus, vitijſque invectis retraherentur gentes, & per exercitia virtutum ſalutem conſequerentur æternam. Ut fratrem peccantem corrigas, non aſpera, quæ potiùs ad iram provocant, ſed blanda adhibenda ſunt verba, quæ audientem flectant, non frangant. David ob delatam ex proſtrato Philiſtæo victoriam; 83.

ctoriam; & deletam Israëlitici populi ignominiam, Invidiam Saulis regis contra se excitavit, quam ut sedaret, ejúsque iram extingueret humanitatis verbis inhumanum regem alloquitur 1. Reg. 24. v. 10. *Domine mi rex, quare audis verba hominum loquentium: David quærit malum adversum te?* causam invidentiæ, originem indignationis, qua Saul irasceretur Davidi, non refudit in regem persequentem, sed in populum obloquentem: *quare audis verba hominum loquentium.* Saulis culpam non malignitati attribuit imperantis, sed proterviæ adscribit populi obmurmurantis; sed cur David regem excusaturus, populum accusat, à quo tamen non fuerat accusatus, sed acclamatus? Fausta enim Davidis acclamatione invidentia sauciatus Saul, Davidem incœpit persequi, artibúsque nefarijs insidias ei parare, ac necem moliri; & nihilominus David omnem culpæ suspicionem deleturus in rege, totam regiæ indignationis causam rejicit in oblocutores, qui tantùm fuerunt acclamatores. Audiendus est S. Chrysostomus homil. 2. de David, & Saul, inquiens: *Qui hanc conscripsit historiam, priùs dixit, quod totus populus esset cum David, quódque gratiosus esset in oculis servorum regis, & quòd principis filius, universúsque exercitus animo starent à Davide. Quo pacto igitur, hic ait, fuisse, qui deferrent ipsum, ac Saulem in eum provocarent? quum non aliorum instinctu, sed ipse ex propria mente malitiam hanc peperisset, ut bellum gereret cum justo?* Quàm prudens, quàm peritus fuit David medicus ad Saulis medendum ægritudini, ad præconceptum ex invidentia excutiendum livorem! pharmacū adhibuit eò efficacius, quò leniùs; malitiam Saulis in alios transtetit; ut opinione propriæ innocentiæ imbutus nocere desineret, ne qui innocens censeretur, jam nocens haberetur; hac lenitate, hoc verborum lenocinio, vocumque blandimento, invidiam extinxit, livorem excussit, & culpam delevit: pergit Chrysostomus. *Quam igitur ob causam crimen transtulit, in alios dicens: Cum audis verba populi tui dicentium: Ecce David, quærit animam tuam; nisi ut illi præbeat occasionem excutiendi malitiam.* Pharmacum curandæ Saulis ægritudini opportunum innocentiæ adhibuit opinionem; hoc collyrio livorem a Saulis oculis absterlit, ut quem nonnisi torvo aspectu videret, amicè aspiceret.

84 Voluit David lenitate verborum Saulem regem corrigere, neque regiam timuit præpotentiam, quia innocentiâ loricatus. Idque causæ, cur Magister Christus pedes voluerit discipulorum lavare, quos erat nuntios evangelij missurus ad omnes gentes, quas corrigerent, ab erroribus retraherent, & ad viam salutis pertraherent, ne quidquam gentes eis opponerent, nec quidquam devij in ijsdem viderent; sed puritate, & innocentia conspicui gentes allicerent ad culturam virtutum; quod cum prævidisset Isaias, ait cap. 52. 7. *Quàm pulchri pedes evangelizantium pacem:* Lavit Christus discipulorum pedes, ait S. Hieronymus, *ut mundi, & pulchri essent ad prædicandum*, cum essent alios morum puritatem, mutuámque rectitudinem docturi, par erat, ut eandem in se præseferrent. Si speciosa sit vita corrigentis, faciliùs abstergitur turpitudo delinquentis, quia quid tunc objiciat reprehendenti, non habet: hinc monet S. Laurentius Justinianus opusc. de Compunctione: *Corrigat sua, qui proximorum cupit errata corrigere.* Reprehendendus cum fuisset Episcopus Laodiceæ de mendacio, quia cū esset pauper, se jactaret divitem; non homo deligitur, qui Episcopum reprehendat, ac corrigat, *quia omnis homo mendax.* Psal. 115. 2. Ne igitur delinquens opponeret reprehendenti quod vellet ipse redarguere in peccante, Angelus non homo ad id muneris obeundum seligitur Apocal. 3. 14. *Angelo Laodiceæ Ecclesiæ scribe*, debuit Episcopus ab Angelo reprehendi, quia gerebat vicem Christi, qui est veritas. Albertus Magnus apud Sylveiram in textum Apocal. *Arguendus erat de mendacio; quòd cum esset pauper, se jactaret divitem; ideo à teste fideli, & vero arguendus: quia immunem esse oportet à crimine, de quo alium arguit.* Imo & Christus ipse in ipso vertice Taboris, veluti in gymnasio discipulos, quos secum duxerat, edocturus divina mysteria, omnémque excussurus dubitationis caliginem, non solùm solis splendores induit Math. 17. 2. *Resplenduit facies ejus sicut sol.* Verùm etiam DEI filius promulgari voluit, ne posset quidquam ei opponi, si delinquentes carperet. *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Fuit vox ista è cœlo delapsa, ut è tertia in cœlum ascenderet morum emendatio.

Alios, qui carpunt, sint filij DEI adoptati 85
per gratiam, præfulgeant innocentiæ claritate; ne quod in alijs carpunt, illis objiciatur: idque nos edocuit exemplo fortiùs, quàm verbis magister Christus, cum digito scriberet peccata accusantium mulierem adulteram in pulvere humanæ fragilitatis Joan. 8. 6. *Digito scribebat in terra*, seu peccata eorum, qui mulierem accusabant: ex quo ansam sumpsit D. Hieronymus nos monendi, ut immunes scimus à scelere, quod in alijs carpimus, & lenitate, non asperitate fratrem corripiamus memores humanæ fragilitatis, cujus memoriam pulvis suggerit, in quo peccata scripsit eorum, qui mulierem accusabant, ait ipse lib. 2. contra Pelag. cap. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos, qui spirituales estis, hujusmodi instituite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum*, ut ait Apostolus ad Galat. 6. 1. Fœminæ peccatum carpebant, ut puniretur, & propria reticebant, ut innocentes, quos propterea redarguit Christus Joan. 87. *Qui sine peccato est vestrûm primus in illam lapidem mittat:* aliena accusabant peccata, & propria omittebant: *Revocantur igitur ad conscientiam*, ait D. Gregorius, *ut priùs propria corrigant; & tunc aliena reprehendant* Sunt, qui festucam in alio deprehensam oculo severè carpunt, qui trabem in propriis oculis non vident, quam amoveant. Matth. 7. 3. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides.* Charitas, ut ordinata sit, à se ipso incipiat homo, proprios priùs corrigat errores, abstergat, quas

ipse maculas contraxit; se ipsum priùs discutiat, purget; antequam fratris errores carpat, defectus accuset. Oculus non purgatus aliena non rectè videt.

86 *Fœniculum* herba salutari semine nota, & locuples, cujus esu oculorum caligines absterguntur; stomachi nauseæ sedatur, laxitas adstringitur: serpentes itidem, si eodem vescantur, dicuntur senectam exuere, & in recentem florere juventam. Plin. *lib. 20. cap. 13.* Lemma. *Ætatem renovare libet.* APODOSIS. Innovatio spiritus per annuam recollectionem, seu per octiduana exercitia spiritualia, vel ad decem etiam dies decurrenda, vetustos mores exuit, corruptos abigit, tepescentes calefacit, novos induit vegetiores, virtutum cultura efflorescentes.

EXCURSUS

Interna recollectio per exercitia spiritualia moribus innovandis opportuna.

87 QUemadmodum conversatio cum hominibus, plerumque in causa est, ut à DEO recedamus, & ne inter mundi obstrepentes tumultus DEI vocem audiamus; ita è converso per secessum à frequentijs hominum, ad DEUM iterum accedimus, ejúsque vocem audimus, mores emendamus, anteactæ vitæ errores corrigimus: non enim à communi hominum commercio nos subducimus, ut tantùm aliquot horas orationi impendamus, sed multò magis, ut dicta, facta, & cogitata à nobis sedulò discutiamus, diligenter examinemus; & si quid deprehendamus à virtute devium, vitio coinquinatum lachrymis resipiscentiæ purgemus, & per sacram exhomologesim deleamus; ac vitæ emendationem seriò promittamus; omnésque ab animo inordinatos affectus excludamus; & pios, ac sanctos, quos DEUS à nobis exposcit, cordi nostro inseramus, adeo ut per hanc octiduanam solitudinem, & recollectionem novum induamus hominem. Proderit ad hanc recollectionem ritè ineundam, aliquam præmittere præparationem: per biduum, triduúmve se subducere à quovis sæculi negotio, prævidere ne quid contingat, quod illi possit esse impedimento, séque expedire, si quid jam fuerat inchoatum; recitare semel, & iterum officium de Spiritu S, vel saltem Hymnum. *Veni Creator Spiritus*; implorare per motus anagogicos, seu aspirationes perbreves, quas vocant orationes jaculatorias opem divini Spiritus pluries de die; imò adhibere etiam aliquam corporis afflictationem de consilio directoris spiritualis: offerre Patri æterno memoriam, ut in hoc octiduano secessu pijs fœcundetur rerum divinarum speciebus, in quâ diutiùs asserventur: æterni Patris Filio intellectum, ut importunis evacuetur evagationibus, ac pijs cogitationibus repleatur: voluntatem Spiritui Sancto ut divino inflammetur amore, Sanctisque æstuet desiderijs, & cum Davide repetere Psal. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam:* vel Psal. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria domini:* vel Psalm. 41. *Sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum; quando veniam, & apparebo ante faciem DEI.*

Præterea cavendum est, ne hunc spiritualem secessum aggrediamur cum tepore, fastidio, aut coactione, vel ex quodam duntaxat usu; sed ex vero desiderio, & ardente, ac efficaci voluntate emendandi errores anteactæ vitæ, ferventiùs DEO inserviendi, & audiendi quid ad cor nostrum loquatur DEUS, ut per exercitia virtutum illud non segniter, sed fervidè exequamur. Debemus igitur hunc adire secessum, hanc ingredi solitudinem, & aggredi recollectionem eo appetitu, de quo Christus Matth. 5. ait. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam;* quia ut rectè scribit S. Hieronymus: *Non sufficit velle justitiam; nisi, & justitiæ famem patiamur*, hoc est, ardenter desideremus vitæ emendationem, & soli DEO inservire. Quod ad tempus attinet instituendi hanc recollectionem, nullum universim secernitur, quælibet enim anni tempestas potest deligi. Nonnulli tamen tempus æstivum, & hyemale censent minus proprium, eò quia propter vehementes æstus, & rigorem frigoris meditationibus commodè instituendis, & secessum ritè obeundum videantur tempestates minus aptæ: consultius censerem, si alia non adsit causa secedere mense Novembri, qui anni ecclesiastici postremus est mensis. Tunc totius elapsi anni seriem instituimus, & inspectionem, ut si quid erratum fuit, in novo corrigamus, cujus exordium est à Decembri, simúlque nos præparemus ad Filij DEI adventum. Cæterum electio cuivis semper est libera, habitâ sui, suarúmque occupationum ratione: ut etiam numerus dierum recollectionis, & secessus; cum nec corporis valetudo, nec ingenij capacitas, negotiorum moles eadem sit in omnibus, alij ad decendium protrahunt secessum; alijs octiduana sufficit recollectio; alijs sextiduana; verùm ut fructus necessarius, & optatus colligatur, non debet priùs recollectio absolvi, quàm lustrata sint diligenter omnia, & generali exhomologesi expiata conscientia, ac peracta peculiaris ad mortem dispositio fuerit. 88

89 Horæ diei in secessu ita distribuantur, ut nulla sit otiosa; sed omnes suis vacent exercitijs spiritualibus. Ad fallendum tædium, quod adferre posset solitudo, impendendæ erunt horæ diei partim in meditationibus quatuor novissimorum, vel Passionis Domini, ac Christi totius vitæ initium ducendo ab Incarnatione in Virginis utero, usque ad ascensionem in cœlum: uberrimam siquidem Christi vita nobis suppeditat materiam meditandi, & proficiendi in exercitijs virtutum per totum annum, & non solum per decendium, vel octiduum: partim erunt impendendæ etiam in orationibus vocalibus præsertim à vitis religiosis, qui die, noctúque toto tempore recollectionis frequentabunt chorum; & post finulas

las horas canonicas, cum alij è choro discedunt, possunt vel soli manere, & coram Sacramento Altaris tempus meditationi impendere: partim in lectione spirituali alicuius viri ascetæ ex approbatis; vel in volvendis vitis Sanctorum, quorum exempla plurimum habent momenti, ac efficaciæ ad voluntatem excitandam ad virtutum exercitia: partim etiam in colloquijs spiritualibus cum directore solo. Cum finis præcipuus hujus recollectionis sit integra interioris hominis reformatio, in id debent omnia exercitia collimare; primò ut omnes pravi affectus, & propensiones sive habituales, sive actuales, sive à natura indites, sive ex insolita consuetudine comparatæ prorsus extirpentur, ac radicitùs evellantur: secundò ut eam enancisceamur vitæ perfectionem, quam DEUS à nobis exigit; nostrámque voluntatem totaliter divinæ conformem exhibeamus. Ne in hoc secessu octiduano erres, tibi soli ne fida; probum selige directorem, cui obtemperes, tuámque subjicias voluntatem: difficulter à servitute pravorum affectuum te manumittes, nisi habeas, qui ad libertatem, ad perfectionem vitæ te manuducat. Trini ex oriente reges, tendentes ad Christum in Bethleemitica caula natum, viæ ducem habuerunt præviam à cœlo stellam Matth. 2. 9. Stella antecedebat eos, & auspicijs cœlestis luminis perducti sunt ad Solem Divinum in terris ortum.

90 Hanc Spiritus renovationem in octiduano secessu visus est nobis præfiguràsse Abraham in illo solemni convivio, quod instituit in die ablactationis filij sui Isaac Genes. 21. 8. *Ablactatus est: fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis.* Quærunt sacri Interpretes, cur non potiùs hanc lætitiam instituerit die, quo natus ei fuerat Isaac, cujus nomen, cum risum significet, æquum videbatur; ut unà cum risu gaudium, & publica lætitia oriretur in Abrahæ domo? Vel cur non fuerit publica lætitia tunc instituta, quando fuit Isaac circumcisus; sed tantùm die, quo ablactus fuit, seu à nutricis mamma sejunctus, à lacte depulsus? quia tunc tantùm factus fuit per innovationem ætatis novus homo: ait D. Augustinus *lib. 1. quæst. super Genes. Tunc debere esse magnum gaudium spiritualis ætatis, quando fuerit homo factus novus spiritualis.* Adeò Spiritûs renovatio est DEO grata, ut diem festum, tunc institui voluerit. Numer. 28. 11. *In Calendis autem offeretis holocaustum Domino.* Neomeniæ festivitas dicitur, cum luna innovatur, ac soli fit accessu proximior. Quòd si luna per accessum ad solem innovatur; nos per secessum ab hominum tumultu, & frequentia, proximiores sumus DEO, seu Divino soli, & renovamur spiritu; & tunc Neomeniæ est festivitas. Sol justitiæ Christus est: huic si luna, seu ecclesia, quæ splendore, seu gratia repletur per JESUM Christum, conjuncta fuerit, ac penitus ei adhæserit; tunc festivitatem Neomeniæ agit; quia tunc nova efficitur, cum abjecerit veterem hominem, & novum induerit, qui secundùm DEUM creatus est. O felix solitudo, ò secessus terque, quaterque beatus, quo per recessum à tumultu creaturarum ad DEUM accedimus, soli justitiæ appropinquamus, ac interiorem hominem innovamus, Neomeniis festivitatem celebraturi in cœlesti patria? quid hac solitudine utilius, quid hoc secessu beatius, quo DEO conjungimur, veterem hominem exuimus, & novum induimus? vera beatitudo est solitudo, in qua sola reperitur utilitas, est tempestatum omnium portus, in quo procul à fluctibus, & procellis verà solitarius fruitur malacia, mores examinat, quos corrigat, vitam perpendit, quam reformet; media seligit, quæ virtuti exercendæ sunt efficaciora: ibi mundi delicias spernit, honores contemnit, voluptates despicit, divitias non curat, adversitates ridet, & solus cum solo DEO loquitur, & quiescit. Ingressus igitur Divina favente ope hunc spiritualem secessum, cœlum suspice, mentem in DEUM erige, enixim DEUM roga, ut intellectum tuum à quovis purget rerum terrenarum phantasmate, suóque lumine illustret, ignorantiæ tenebras excutiat; voluntatem igne sui amoris accendat, pia desideria, probósque affectus excitet, pravos quósque coërceat. Tibi persuade hoc, quod aggrederis opus maximi esse momenti; perpende quàm fluxa, vana, & inutilis sint mundi gaudia; & cum Seneca dic. *Non vocor ad ad ista ineptias; ingens negotium in manibus est:* tempus anteactæ vitæ absque ullo fructu impendi, ac perdidi, pueriliter ineprivi, sectarus umbras, enactus fumos, qui ad lachrymas me adigunt: imposterum non ampliùs mundo, ejúsque vanitatibus, sed soli DEO inserviam, me totum illi devovebo, *& hæc est mutatio dexteræ Excelsi.*

A mundi negotijs, à creaturarum tumultu recedendum est, & solitudo adeunda, secessus quærendus, ut DEUM audiamus ad cor nostrum loquentem, illúdque divinis opplentem muneribus. Quò vasa viduæ oleo implerentur, jussit Elisæus fores claudi, ne ullus domum ingrederetur, sed sola domi degeret, seu in secessu propriæ domus 4. Reg. 4. 4. *Claude ostium tuum, cum intrinsecus fueris.* Pacis symbolum habetur oleum; inde docemur vera nos non posse pace cordis, animique serena tranquillitate frui, nisi recedamus à tumultu creaturarum; nisi ostium exterioris sensus claudamus, ne creaturæ nostr a ingrediantur cordis interiora. Est hæc solitudo, in qua sponsa introducitur in cellaria cœlestis sponsi, & divino ebria amore; rerum terrenarum penitus obliviscitur, solis adhærens divinis. Hæc cella vinaria; propria est cella, in qua per octiduanum secessum claudimur, ab alijs sejuncti creaturis, & divinis vacamus meditationibus; tunc vino divini amoris incalescimus, résque terrenas obliviscimur, & soli DEO adhæremus. Non enim sponsa suum quæsitura sponsum pervagatur plateas civitatis, nec forum adit, neque hominum frequentias illucescente sole, quò fieret omnibus nota; sed nocte intempesta, ne ab alijs videretur in proprio lectulo, seu cellura; sejuncta ab aliorum con- 91

ecnsortio 1. Cant. 3. 1. *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea*: appositè S. Gregorius hic. *Lectulum sibi sancta anima in nocte facit; dum omnes perturbationes mundi fugiens, secretum comparat, in quo requiescit.* Tunc per noctem ducimur, ne per vias deserti præsentis viæ erremus, ne à recto tramite deflectamus præsignante viam, quà sit eundum, cœlesti lumine divinæ gratiæ; perinde ac populus Israëlis Exod. 3. 21. qui processit *per noctem in columna ignis*: sicut populo per deserti solitudines gradienti, ne devius erraret lux ignea præambula nocturnas inter caligines, præsignabat viam, per quam rectè procederent: perinde commorantes in solitudine exercitij spiritualis supernæ lucis, seu divinæ gratiæ illuminantur splendoribus, ut rectè, & sanctè procedant. Non solùm illuminantur; verùm etiam Deum audiunt ipsos alloquenté Gen. 15. 1. *Factus est sermo Domini ad Abraham in visione noctis.* Si quæras cur in nocte, & nó potiùs interdiu fuerit Deus Abrahamū allocutus; quia de die ob creaturarum se moventiū, ac vociferantium obstrepentem tumultum minùs claré, & distinctè DEI verba ad cor nostrum loquentis percipiuntur, ut censet S. Chrysostomus, inquiens de sermone DEI ad Abrahamum. *Quare in nocte? ut in silentio, & quiete meliùs, quæ dicuntur, accipiat.*

92 Silentium, solitudo, secessus à creaturarum tumultu requiritur, ut possimus distinctè audire verba DEI loquentis ad cor nostrum. Tunc Moyses vidit, & audivit DEUM loquentem è flamma ignis, cum sejunctus ab hominum frequentijs in solitudine versabatur Exod. 3. 2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Quia splendor, quo interius illuminamur, nullibi clariùs percipitur, quâm in secessu, in solitudine procul à strepitu urbium, hominúmque frequentia. Tunc ignis divini amoris in fornacé accenditur cordis nostri, quò & spiritûs frigiditas abigitur, & ignorantiæ caligines excutiuntur, ac interiùs illuminamur; huc accersendus Sim. de Cass. lib. 4. c. 4. ubi expendens apparitionem DEI factam Moysi in rubo ait: *Moyses, cum ingrederetur ad interiora deserti, vidit Dominum in rubo; velut ignem inflammantem, consolationem accepit in animo, quam antea nunquam legitur suscepisse: notitiam habuit divinorum, & revelationem secretorum DEI.*

93 Vera charitas, quâ cor nostrum amore ardet in DEUM, non reperitur in plateis, in foro, in hominom frequentijs, in tumultu creaturarum; sed in secessu, in solitudine ait David Psalm. 131. 6. *Invenimus eam in campis sylvæ.* Non in foro deliciarum, sed in campo sylvarum; non in hominum societate, sed in Nemorum solitudine; quam quæsierat vitæ perfectionem invenit: loca ab hominom tumultu sejuncta; campi sylvarum, umbrifera nemora apta sunt recollectioni spiritûs, divinis contemplationibus instituendis, ac vitæ innovandæ: ibi loquitur DEUS, quia Isa. 40. 3. *Vox clamantis in deserto*, clamat non in urbe, non in foro, ubi hominum frequentia multiplex, sed in deserto, ubi nullus tumultus, sed omnia quiescunt, ubi omnia internæ, & externæ paci consecrantur; hinc exclamat D. Hieronymus epist. 1. ad Heliodorum. *O desertum Christi floribus vernans! O solitudo! in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni regis extruitur. O Eremus familiariùs DEO gaudens! quid agis frater in sæculo, qui major es mundo? quamdiu te tectorum umbræ premunt? quamdiu fumasarum urbium carcer includit.* Hoc idem nobis suggerit D. Bernardus serm. 40. in Cant. inquiens: O sancta anima, sola esto, ut soli omnium te ipsam serves, quem ex omnibus elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos: secede ab amicis, & intimis, etiam ab illo, qui tibi ministrat. De cætero sola tibi indicitur mentis, & spiritus solitudo. Solus es, si non communia cogites; si non affectes præsentia, si despicias, quod multi suspiciunt; si fastidias, quod omnes desiderant. Et *Epist. 106.* scribit. Experto crede aliquid ampliùs invenies in sylvis, quàm in libris. Ligna, & lapides docebunt te, quod à Magistris audire non possis. An non putas posse te sugere mel de petra, oleúmque de saxo durissimo? An non montes stillant dulcedinem, & colles fluunt lac, & mel? & valles abundant frumento? seu consolationibus, quibus reficitus Spiritus. *O beata Solitudo! O sola beatitudo!* exclamabat S. Romoaldus, quia in hoc deserto felicius germinant virtutum flores, & fructus maturiunt dulciores bonorum operum. Non enim credas, desertum sterilitate laborare, suos enim producit fructus, longè dulciores, quàm in vineis, vel campis impenso excultis labore; quamvis videator vir asceta in deserto otiari, non tamen hoc otium excludit negotium, & opus; quinimò otium est, quod agit negotium omnium negotiorum maximū, quale est illud propriæ salutis; ut hoc negotium peragamus, nobis suadet S. Prosper lib. 1. de vita contemplativa inquiens: *Amet homo, amet sanctum otium, in quo exerceat animæ suæ negotium.*

Duplex est solitudo exterior una corporis, 94
interior altera animi, utráque simul nexa ad negotium propriæ salutis agendum, ac perficiendum mirificè conducit; ut vir asceta, priorem eligat solitudinem, suadet S. Hieronymus lib. 2. epist. 20. inquiens: *Eligatur sibi opportunus, & aliquantulum à familiæ strepitu remotus locus, in quem tu veluti in portu, quasi ex multa tempestate curarum te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus, secreti tranquillitate componas.* Locus iste spiritualis secessus, non solùm in nemore, solitudine, eremo seligi potest; verum etiam in religiosorum asceterio, imò & in urbe, & domi, dummodo sit in abdito recessu, locóque sejuncto à populi consuetudine, ac inanium rerum agitatione, ubi animus à tumultu communium curarum sevocetur: hunc locum sibi in propria domo domesticos intra penares sibi delegerat Hebræorum heroina Juditha, de qua dicitur Judith. 8. *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur.* Juditha mortuo marito Manasse virā instituit in domestico gynæceo virtutum omnium addictam cultu-

tæ, taliter ut ejus domus schola esset probitatis, palæstra pietatis, gymnasium castitatis, & esset ipsa magistra; & quamvis divitijs affluerent, ætate adhuc floreret, & venustate oris emineret, adhuc culturam animi per exercitia virtutum prætulit commodis corporis, quod quotidianis pene jejunijs extenuabat, & cilicijs affligebat; precandi præsertim studio cum assuevisset, in superiori ædium parte locum selegit, ab hominum accessu, ac strepitu remotum, quem in forma cujusdam sacelli fundendis Deo precibus peridoneum conformavit, ubi cum puellari contubernio pijs vacabat meditationibus, & hac in cella veluti in cœlo cœlestem agebat vitam unà cum beatis Angelis ab omni terrenæ contagionis labe defœcatam. Judith. 8. *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. Et habens super lumbos suos cilicium; jejunabat omnibus diebus vitæ suæ præter sabbatha, & neomenias, & festa domus Israël.* In secessu, cellàque remota ab hominum turbis, & strepitu, sejuncta à creaturarum tumultu divinis vacavit meditationibus, & cœlestem in terram vitam duxit, quia ut scribit S. Bernardus epistol. ad Frat. de vita solitaria: *Cœli, & cella habitatio cognatæ sunt; quia sicut cœlum, & cella ad invicem videntur habere aliquam cognationem nominis, sic & pietatis. A celando enim cœlum, & cella nomen habere videtur. Et quod celatur in cœlis, hoc & in cellis; & quod geritur in cœlis, hoc & in cellis. Sancti Angeli cellas habere pro cœlis, & æquè delectantur in cellis, ac in cœlis.*

95 Judith a igitur in sua cella degebat veluti in cœlo eximia castitatis vidualis cultrix: ab anno enim vigesimo nono, quo mors maritum abstulit, usque ad annum quintum supra centesimum, seu annos septuaginta quinque hunc angelicum castitatis florem excoluit, quo ipsa suavissimum sanctitatis odorem emisit: quamvis mortuo Manasse ætas ad secundas nuptias esset perquàm habilis, juventus viridis, forma insignis, famulatus amplissimus, divitiæ affluentes, venustas oris, & totius corporis insignis, & post triumphum de prostrato Holopherne delatam, à pluribus ex magnatib⁹ optata, adhuc in secessu domûs propriæ sejuncta ab hominum consortio à cultura virtutum noluit desistere, quam propterea laudat S. Fulgentius in Epistol. 2. cap. 15. inquiens: *Ecce vidua præclara natalibus, facultatibus dives, ætate juvenis, specie mirabilis, divitias contempsit, delicias respuit, carnis incentiva calcavit,* ait enim sacer historicus cap. 8. *Erat virtuti castitas adjuncta; ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir ejus.*

96 Altera solitudo non loci est, sed animi; non montium, sed mentium; non externa, sed interna; non eremi, sed cordis; quia quamvis ab hominibus non se homo sejungat, dummodo se DEO conjungat; quamvis ab urbe non recedat, dummodo ad DEUM accedat; quamvis à virorum frequentijs non discedat, dummodo à summo Bono non abscedat, se potest solitarium constituere; ac in se ipso secessu frui, si divinis contemplationibus sit addictus, si soli DEO adhærescat, ait S. Petrus Damianus lib. 8. ep st. 14. *In populosa urbe, amor artifex solitudinem reperit.* Hinc D. Bernardus serm. 40. in Cant. *O sancta anima sola esto; ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti.* Nullum est vitæ genus adeò negotijs addictum, adeò curis implicitum, adeo solicitudinibus involutum, in quo non reperiatur animi solitudo, mentisque secessus. Si necessitas igitur adigat, ut hominum cœtus frequentemus, adhuc solitudinem in foro, in populo reperimus, si DEO vacemus; si cor nostrum soli DEO adhæreat; si sensibus frœnum injiciamus, ne ferantur in ea, quæ à DEI præsentia sejungunt: si soli DEO mente, & corde adhæreamus, etiam in turbis, itineribus, convivijs cordis secessum reperimus, & DEO fruimur, cui soli inhæremus; si animus removeatur a creaturarum tumultu, ab affectuum fremitu; ubique locorum possumus solitudine frui, soli DEO adhærescere, & mente divinis vacare meditationibus. Si tamen fieri possit, consultius est, utrumque secessum simul nectere loci, & animi, corporis, & spiritus.

In hac solitudine attentiùs DEI loquentis verba audiuntur, quia procul à creaturarum strepitu soli citiùs DEO vacamus: hinc Elias non in urbe, sed in deserto pascitur à corvo pane, & carnibus 3. Reg. 17. 4. In civitate enim, inter hominum tumultus tantùm exigua panis bucella pascitur à vidua; quia solitudo menti reficiendæ, hominique corroborando uberiora suppeditat divinæ gratiæ alimenta, quod cùm Prophetam regium non lateret, ait Psalm. 149. 5. *Exultabunt Sancti in gloria, Lætabuntur in cubilibus suis.* Non in theatris, non in amphiteatris, non in circis, non in plateis, nec foro, sed in cubilibus suis, seu in solitudine seorsim à creaturarum tumultu in secessu procul ab hominum frequentijs; quia ut ait S. Chrysostomus homil. 41. in Joan. Idoneus ad Philosophandum locus, seu ad vacandum divinis meditationibus est solitudo, idque ut nos Christus suo edoceret exemplo, aliquando solus montem ascendit Luc. 6. 15. & pernoctat, & orat: qui enim vult DEO frui, oportet eum ab omni cura, & solicitudine vacare. Eliam fugientem ab aula Jezabelis sequere in desertum obsonia, animæ reficiendæ parata tibi non deerunt: ibi suges mel de petra, oleùmque de saxo durissimo, montes stillabunt dulcedinem, & colles fluent lac, & mel, & valles abundabunt frumento; ligna, & lapides docebunt te, quæ à magistris coram hominum frequentia audire non vales. Divitijs in mundo affluentes non contenti urbanis palatijs, ædificant ruri domus, in quibus tranquilliùs quiescant Job. 3. 14. Ædificant sibi solitudines; nos verò ut cœlestibus affluamus delicijs, solitudinem nobis quæramus, hanc adeamus, in hac divinis vacemus, DEO adhæreamus.

98 *Garyophilata* vulgò herba benedicta audit, cujus radix gratum exhalat odorem, vinóque cocta pravos stomachi humores discutit, calefacit, & exhilarat; imò concisa, & in stomachum demissa venenum expellit à corpore. Lemma. *Dispellit noxia quæque.* APODOSIS. DEI benedictio mala omnia avertit, & quæ prosunt, accersit.

99 *Gelsiminum* hispanus flos est, in quo innocentiæ candor videtur triomphare, folijs coronatur simplicibus, quibus cœli sydera in terris æmulatur, nisi quod loco splendoris suavissimum odorem prodiga expiratione exhalat, quo accedentes persusi plurimum hauriunt oblectamenti. Emergit tamen flos è caudice scabro duro lignoso, ac fibrata radice. E fuste virgulta surgunt flexilia, ad manus, vel etiam flanti auræ obsequendum, facilia, geniculata, folijs elata, ramulosa, medullitùs candida, fungosa, sed foris lævia, ac dilutæ viriditatis smaragdo lætiora, quæ in regionibus calidioribus arundineos hortorum cancellos topiario textu convestiunt, scenásque hortenses textili componunt umbraculo, forma circumfusa, & convexa, pérque totam æstatem, & autumnum in hyemem gemellâ frondescunt viriditate, folijs vestita ternis, vel etiam quaternis ex umbilico surrigentibus, ex ramorum fastigijs tubuli rubentes exeunt, qui dietim intumescentes post aliquot dies dehiscunt, séque apetientes floris lacteam pompam ostentant, gratóque odore circumfusum aërem opplent. Lemma. *Duro è caudice mollis.* APODOSIS. Religiosi ordinis institutum licèt ab initio durum, ac rude, scabrum, ac asperum tyronibus videatur; assuetudine tamen molle, ac dulce fit, ac efflorescit in virtutes sanctitatis odorem fragrantes.

100 *Granadilla* flos est Americanus, qui sub Pontificatu Pauli V. Romam delatus, omnibus fuit illum aspicientibus admirationi. Est rosâ laxior folijs, & odore etiam suavior, floisque inter delicias instrumenta exprimit Christi patientis, ut in florum delicias videantur degenerâsse instrumenta dolorum. Purpurei quinque radij in flore picti; quinque itidem rubentes notæ totidem produnt patientis Christi vulnera. Extima per ambitum folia in aculeos extenuantur, & spineam, exhibent coronam, quâ Christi vertex redimitur, è medio floris sinu columna surgit in germen emollita, seu ex atrio crudelitatis ad piam floris structuram transmigrata. Columnæ imminet globosum quoddam spongiæ rudimentum felle olim imbutæ mox rore aspersæ. Terni etiam, & quaterni cuduntur emolliti in florem clavi animis amore configendis idonei. Folia mucronem lanceæ præseferunt, ut & reliqua Dominicæ Passionis instrumenta unâ exceptâ crucis effigie, quam floris mitissima indoles repræsentare non audet, ne ubi Salvator expiravit, delicias viderentur spirare. Lemma. *Florent instrumenta dolorum.* APODOSIS. Cruciatus, & dolores, quos hic patimur propter Christum, vel ad coërcendam carnis insolentiam in flores cœlestis gloriæ mutabuntur.

Heliotropium ex Plinio *lib. 22. cap. 21.* cum 101 sole ab ortu ad occasum vertitur, & eo in occasum delapso calicem contrahit. Ejus succus vino mistus veneno resistit: in aqua rosacea dolores capitis mitigat, arenas renum tollit, & si cuminum adjiciatur, calculos solvit. Lemma. *Non inferiora sequor.* APODOSIS. Vir pius, & prudens id maximè intendit, ut propriam voluntatem conformem divinæ habeat, è cujus propterea præceptis servandis nunquam abscedit.

Helychryssum folijs ornatur, quæ in or- 102 bem veluti corymbi dependentia solis repercussu splendent, & nunquam marcescunt; ut eodem olim Numina consuevetint Ethnici coronare. Ex Plinio lib. 21. cap. 25. ciet urinam, duritiem, & inflammationes discutit. Lemma ex Horatio. *Intaminatis fulget honoribus.* APODOSIS. Beati in cœlesti patria radijs gloriæ circumfusi æternùm fulgebunt, & nunquam deficient.

Helleborum herba est temperati veneni in- 103 signem vim purgandi habens, quam latini veratrum vocant. Ejus duæ sunt species album unum, alterum nigrum; illi folia sunt plantaginis, vel betæ sylvestris, sed breviora, & nigriora, caulium dorso rubentium; caulem habet quincuncialem, ferulaceum, bulborum tunicis obvolutum, radicem cepæ instar pluribus capillatam fibris. Præstantissimum teste Plinio *lib. 25. cap. 5.* nascitur in Anticyrsa insula, ubi tutissimè etiam sumebatur causa cerebri purgandi; adeò ut, quos cerebro minus sano esse censemus, helleboro dicamus indigere. Lemma. *Ex veneno medela.* APODOSIS. Quæ nobis videntur contraria, & noxia, plerumque prosunt.

Holosteon herba quasi tota ossea per anti- 104 phrasin dicta cum mollis sit, a molle gramen ab herbarijs audiat. Hæc herba folijs est gramini similis, hinc humi repit; radix est illi alba, & pertenuis, pluribus capillata filaminibus. In vino epota convulsa, & rupta sanat. Vulnera quoque conglutinat Plin. *lib. 27. c. 10.* Lemma. *Quod vis videri, esto.* APODOSIS. Plerique illustres videri volunt, qui tamen nomini obscura, & vilia agunt. Socrates viam compendiariam ad gloriam hanc esse dixit: si quis id agat; ut qualis esse velit, talis sit: hinc Horatius. Tu rectè vivis, si curas esse, quod audis; quo monemur ipsam potiùs sequi virtutem, quàm ejus umbram.

Hortus floriferus ad omnem consitus amœ- 105 nitatem; sed adhuc rigente bruma squalidus, móxque ineunte Vere solem expectat, cujus radijs foveatur, ejus florida venustas promoveatur. Lemma. *Aspice, ut aspiciat.* APODOSIS. Si lumine, ac nitore divinæ gratiæ destituamur, in squallore jacemus deturpati: sin verò ejus ope foveamur, virtutum floribus ornamur, & DEUS nos læto oculo aspicit. Excursus de divina gratia.

Hya-

106 *Hyacinthus* florum Protheus omnes induit colores in singulis semper venustus, nunquam deformis; nunc candore innocens ostendit posse nigra vaccinia depositis umbris clariori nitere colore; & alba ligustra alieno victa candore à suo cadere decore: modò in cineres veluti deflorescens Phœnicem se probat: modò ex albo rubescens humani vultus venustam temperiem in florem videtur transferre; modò colores plures simul induens, non fictus sed à natura factus admirationis filius Iridem varios secum colores trahentem, è nube rorida in hortum transfert Floræ irriguum: Modò Polyanthes multiplicata florum pompa lascivit, ut videantur in uno flore omnes ludere flores. Hyacinthi folia sunt oblonga, & angusta, carinata, & lævia; caulis, teres, enodis, glaber, fungosus digitalem vix superans crassitiem: flos verò nunc florea turri superbit, nunc onere gravatus languescit. Lemma. *Semper idem, & alter.* APODOSIS. Vir inconstans, consilia semper mutat, nunquam in uno, eódemque sistit proposito.

107 *Hyacinthus* tuberosus à radice tuberosa suam sortitur nomenclationem oblongum botryodis odorati Hyacinthi bulbum æmulatur. Ineunte Vere folia emittit in humum convexa, prolixa, digitali latitudine, & acuminata, ac viridi lævore nitida; caulem alit duriusculum, lævem, geniculatum fermè bicubitalem, frondibus ornatum, nunquam digito crassioribus; cujus fastigium numerosi flores ornant, premúntque, qui succo pleni biantes calices imitantur cãdido elaboratos argento odoratissimum exhalantes spiritum. Lemma alludit ad floris fastigium multiplici oneratum floreo calice, ac propterea incurvatum in humum. Lemma. *Ornat, & onerat.* APODOSIS. Dignitas, plerumque non est ornatui, sed oneri, premit enim, & aggravat ea insignitum.

109 *Hyoscyamus* teste Plinio *lib. 23. c. 4.* diversi est generis, unus nigro semine, flore purpureo, sed spinis circumsepto. Alter candidior, ac fruticosus papavere altior: sed ambo noxij verriginem moventes, & insaniam creantes. Lemma. *Nocet terrena voluptas.* APODOSIS. Mundi voluptates flores sunt citò arescentes, sed spinis cinguntur, quibus non solùm pungunt, sed & lethalia infligunt vulnera.

110 *Hyssopus* herba est exigua, & humilis in ipsis etiam lapidibus subnascens; sed plurima pollens virtute: vim enim habet curandi pulmones, ac inveteratas sistendi tusses in aqua decocta; ut ait Plin. lib. 25. cap. 11. Purgat inferne, cùm ficu sumpta; supernè vomitionibus cum melle; prurigini capitis cum oleo medetur. Lemma. *Nobiliora latent.* APODOSIS. Vir humilis quamvis sit alijs contemptui, pluribus tamen ornatur intus virtutibus, quibus animi medetur morbis.

111 *Iris* vulgo lilium cæruleum, radicem habet odoratam, quæ & sternutamenta movet, ex hac, folia prodeunt gladiolis haud dissimilia, sed majora, & laxiora, ac pinguiora. Florem profert colorum varietate speciem Iridis referentem. Plin. l. 21. cap. 7. Lemma. *Fallit larvata voluptas.* APODOSIS. Mundi voluptates videntur aliquid præseferre solatij; sed fucatum est gaudium, mentita lætitia, non secus ac colores in iride.

112 *Intybus* herba est sativa similis Cichorio, nisi quòd folia sint amariora, & etiam efficaciora, & salubriora. Lemma. *Amara, sed salubris.* APODOSIS. Mortificatio amara est, sed prodest spiritui. Excursus de mortificatione.

113 *Junci* marini, quorum usus mattis plectendis est peridoneus, ut etiam medulla pro lucernæ elychnio inservit, scapum habent exhilem, rubentem, flexilem ad quamlibet auram. Lemma. *Quia flectimur, non frangimur.* APODOSIS. Obedientia, quæ mandatis obsequitur superiorum nil patitur detrimenti, licèt deprimatur, sed plus acquirit meriti.

114 *Lapathum* referente Plin. *lib. 20. cap. 21.* variæ est speciei. Aliud est Oxylapathum, quod latini rumicem vocant colore betæ candidæ, folijs acutis, radice exigua, & tenui ad strumas abigendas cum axungia efficax. Aliud in palustribus locis rubentribus, & acutioribus folijs, quod hydrolapathum vocant. Aliud hyppolapathum, quod cæteris est majus candidius, ac spissius. Radix aceto decocta dentibus prodest, ut etiam morbo regio si bibatur. Semen stomachi gravissima sanat vitia, dysentericos liberat. Lapathi verò sativi radix, si manducetur, dentes firmat, in vino decocta curat lepras, strumas, parotidas, calculos; dyssentericos epota juvat, & alvum sistit, licèt folia solvant. Lemma. *Quò abjectior, eò præstantior.* APODOSIS. Vir religiosus quò infra cæteros se abjicit; eò supra cæteros cultura humilitatis eminet.

115 *Leucojum* flos est, non albi solùm coloris, sed etiam lutei, purpurei, gratissimum præsertim spirat odorem, ejus radix bulbosa est. Tanti fuit flos iste pretji antehac ob colorum in flore mixturam, ut teste Beyerling in Theatro, fuerit Antuerpiæ Mercator, qui unum florem mille florenis æstimatum noluerit vendere; & altero die mures ejus bulbum consumpserint. Lemã. *Plures fallit imago.* APODOSIS. Res humanæ primo intuitu plurimum præseferunt lenocinij, quo alliciunt; sed inopinato casu plerumque amittuntur, & quos allexerant, fallunt.

116 *Lilium* excelsitate cæteros antecellit flores, ejus siquidem altitudo ad tres cubitos protenditur languido semper, ac in humum flexo collo impare capitis oneri. Candor ejus est eximius, folijs foris striatis, & ab angustijs in latitudinem paulatim sese laxantibus; effigiem exhibet calathi resupinis per ambitum labris, tenuíque filo, ac semine, stantibus in medio crocis; ideò odor, & color, est duplex, alius calycis, alius staminis, differentia angusta. Inter cœpas, & allia si feratur, floret lætius. Lemma. *Virtuti contraria prosunt.* APODOSIS.

SIS. Castitas floret tutior, & olet suavior inter cepas, & allia mortificationum exculta.

117 *Lilium convallium* flos est modicus in plures rotundas partitus campanulas per oras denticulatus, ac reflexus, totóque osculo suavem in halitum oscitans; summè alber, vel modicè rubet: è palmari, rigidóque cauliculo surgit, qui in fastigio florens, flosculis oneratur plenam inter foliorum sylvam. Gramminea ejus radix geniculatis internodijs laxè proserpit. Lemma. *Plùs oderis, quàm floris.* APODOSIS. Plures in id incumbunt studij, ut pluris ab alijs fiant, quàm revera in se sint, videantúrque eas habere virtutes, ac vires, quibus destituuntur; adeò ut sit rumor major, quàm virtus.

118 *Linum* herba nota minor cannabe, ac subtilior, sed pingui semine oleum continet: hoc vere ineunte fatum æstate vellitur cum detinente virore incipit herba flavescere, quæ avulsa, & in manipulos colligata, siccatur in sole pendens supernè radicibus conversis uno die: mox quinque alijs ad contrarium inter se versis fasciculis fastigijs, quò semen à planta sejunctum cadat. Dein linum aquis imergitur tepefactis saxis, vel ponderibus alijs depressum, donec emaceretur: cujus indicium prodit membrana laxior; tunc, iterum inversum ut priùs siccatur sole, & arefactum in saxo tunditur stupario malleo, conteritur bacillis, decorticatur, & separata membrana à fuste ferreo pectine pectitur, carminatur. Iterum in filo politur illitum crebro in silice ex aqua: textúmque rursus tunditur semper injuria melius, ut ait Plinius *lib. 19. cap. 1.* Lemma. *Pretium trituta dabit.* APODOSIS. Tribulatio æquo animo pro DEI amore tolerata dat pretium meriti.

119 *Linum Indicum* reperitur teste Plinio *l. 20. c. 22.* quod igne non absumitur, sed purgatur, magisque politur. Unde Regum olim corpora in hisce linteis combusta scimus ad cineres secernendos, ac servandos ex Plinio *lib. 19. c. 1.* Id cautæ etiam fuit, cur ex lino hoc Indico Prisci Romæ homines sacculos contexuerint ad servandos in sepulchrali pyra Imperatorum cineres. Lemma. *Tegit, & protegit.* APODOSIS. DEI gratia nos tegit, ne à dæmone vincamur; & protegit, ne gehennali igne cruciemur.

120 *Linum Asbestinum* injectum in ignem non patitur quidquam detrimenti, sed perficitur, & si maculas contraxit, deponit in flammis, & puriùs perpolitur. Lemma. *Uritur, non comburitur.* APODOSIS. Vir pius, studio virtutum addictus ærumnis hujus vitæ purgatur, non læditur, quòd si corpus uratur, animus non comburitur, seu non patitur detrimentum.

121 *Malva* æquè silvestris, ac sativa plurima pollet virtute, magnique solet in re medica fieri. Contra venenatos serpentum morsus, ictúsque lethales non solum prodest: verùm etiam, qui illa in oleo trita illitus est, ab ijsdem immunis dicitur. Imo sunt, qui putent, habentes dictum dimidium cyathum ex succo Malvæ morbis omnibus carituros. Ceterum convulsa, rupta, tusses, ulcerosa intus epota, & exteriùs illita curat. Calculos solvit: parturientes facilitat: inflatis, dysentericis, asthmaticis, melencholicis, insanientibus, & morbis comitialibus prodest. Vide Plin. *lib. 20. c. 21.* Lemma. *Dispellit noxia quæque.* APODOSIS. Vera Pœnitentia lachrymis peccata omnia delet, vitia quæque abigit, concupiscentiæ insolentiam compescit.

Mamauga in Brasilia frutex est trivialis arborescens. Plures fert flores pendulos, & luteos, post hos siliquas oblongas primùm virides, mox nigras semine fœtas. Folia habet citrijs haud dissimilia, paulò longiora, & molliora, quæ sumpta in jusculo refrigerant, & abstergunt. Vulneribus etiam, ac ulceribus medentur, partésque vitiatas reparant. *Piso l. 4. c. 42.* Lemma. *Vitia correxisse juvabit.* APODOSIS. Correctio fraterna depravatos mores emendat, vitia compescit; damna reparat. 122

Marrubium Græci *Linostrophon* vocant. Ejus succus melle excoctus contusa, rupta efficaciter sanat. Dolores pectoris, ac lateris mitigat, tussim sedat, venenis obsistit, bilique expurgandæ feliciter adhibetur. Lemma. *Mistum mile dulci.* APODOSIS. In vitijs animæ corrigendis pharmacum correctionis temperandum est melle benignioris amoris: hæc simul mixta plurimum habent efficaciæ. 123

Mentha herba est grati odoris, ac salubris condimenti. Injecta lacti acescere, & addensari non permittit, pituitam, & sanguinem purgat, Pulmonis ulcera sanat, singultus, & evomitiones compescit, cum musto instillata capitis dolores mitigat, cerebrum purgat. Lemma. *Mentem mentha serenat.* APODOSIS. DEI gratia morbos omnes sanat animæ; mentis caligines dispellit, noxarum ulceribus medetur. 124

Manaca locis luxuriat umbrosis; éstque frutex arborescens, cortice gryseo, ligno duro, sed friabili, ac fragili ex albo cinericio, folijs acuminatis. Flores fert exiguos, quibus tamen valdè speciosè florescit, & sylvas integras grato implet odore Narcisi æmula. Flori succedit fructus baccæ Juniperi haud dissimilis. Radix magna, constans, & alba, cujus medullosa substantia in pulverem redacta alexipharmacum habetur præstantissimum. Lemma. *Sylvas implet odore.* APODOSIS. Eremicola afceta deserta incolens loca, & summas excolens virtutes sanctitatis grato odore plures terrarum tractus implet. 125

Myriaphyllon herba est, quæ & millefolium audit à numeroso frondium coma, tenero innititur caule, fœniculo similis, in palustribus nascitur, adolescit, & luxuriat, ejus succo illitæ gingivæ corroborantur, & dolor dentium mitescit. Vulneribus itidem medendis præstantissimum habetur alexipharmacum. Lemma. *Obest sibi, prodest alijs.* APODOSIS. Charitas etiam cum proprio detrimento, & incommodo satagit proximo prodesse. 126

126 *Narcissus* nostris in hortis flos varios colore suffunditur argenteo, & à medio candido calyce in pateræ formam florescit, & in plura veluti genera facto divortio discriminatur. Alius præmaturè, alius serò vernat; alius minutos, modicos alius, alius peramplos in flores è summo se caule diffundit; alius foliorum simplici serie; alius multiplici componitur, Alius impallescit, & a reliquis discrepat floreis angustioribus foliis, ac calyce breviore. Cæterum fingunt Poëtæ Narcissum puerum fuisse Cephisi amnis, & Lyriopes Nymphæ filium tanta formæ præstantia, ut quum aliquando ad fontem bibiturus accessisset, conspectæ suæ imaginis amore captos, cum nulla potiundi amoris spes affulgeret nimio desiderio contabuerit, & in florem sui nominis fuerit commutatus. Lemma *Perdit sua quemque voluptas.* Apodosis. Amor proprius quo quisque propriæ indulget concupiscentiæ noxius est, & in præcipitium trahit.

127 *Narcissus Byzantius Polyanthes* albo flore, luteo calice multiplex. Flos ille foliis locuples argenteis mox præcox vernat, nunc serotinus floret membranacea inclusus vagina, quæ non in lungum alabastrum, ut simplicis floris folliculus fastigiatur, sed gremio laxiore, ac rotundiore latius intumescit; hac dehiscente membrana, velut fœcunda ex alvo plures prodeunt lucisque eduntur usuræ germani fratres deni, & etiam duodeni, vel quindeni ex eodem caule penduli; alba folia densiori congestu in florem compacta pompâ lasciviunt peramæna. Media foliola vario, atque multiplici flavi coloris mæandro intercursante undatim, intertisè, ac permistè implicantur. Lemma *Pulchra concordia fratrum.* Apodosis. Amor & concordia inter fratres eò est laudabilior, quò rarior.

128 *Narcissus* corniculatus eminet foliorum multiplici pompá, & intaminato candore conspicuus. Duplicis est generis. Minor sex alba folia minora, & exilia in orbem effundit: in meditullio, sinúque aureum calicem crispantis filaminis purpurei plenum exporrigit: inde sex emergunt flava cornicula in speciem stellæ diducta, & quaternos, vel etiam quinos flores profert. Ab infima radice folia exeunt prolixa, gracilia, mollia, & albescentia. Narcissus corniculatus major è radice surgit bulbum æquante. Folia tenuitate & prolixitate similia sunt prioribus, nisi quòd minus palleant. Scapus est procerior ad duos, vel etiam tres palmos protentus. Ex membranaceo involucro flores foras prodeunt, quorum folia flavescentis lineæ ductu distinguntur. Lemma *Vernant in cornua flores.* Apodosis. Virtutes tametsi duris, & adversis impetantur, adhuc florent splendidiores.

129 *Narcissus* totus flavus Polyanthes, de quo Ferrarius in sua Flora *lib. 2. c. 1.* ait: Ne qua Narcisso desit opulentia, præter argentum etiam aurum totam floris bracteam opulentat; siquidem inter simplicis compositura narcissos, & foliis & calice aureus in pretio est. Hic discoloris auri, variæque aut conformationis, aut amplitudinis levibus momentis pulchrè dissidet à se ipso, superioribus albis Narcissis caule, floriúmque pensili congerie similis, folio, bulbóque differt: illes enim foliosior hunc rarior plerunque sylva distinguit: ille bulbum ipsum rotundant, hic in pyri effigiem turbinat: circumtegentes tunicas illorum plerique fuscant, hic modicè rutilat. Lemma *In pretio pretium.* Apodosis. Auro, & argento quorum colores imitatur Narcissus ex argenteo degenerans in aureum, omnia vigent, & florent. Hinc M. Dudius Julianus hominum licèt perniciosissimus primus à militibus Romanum imperium mercatus fuisse fertur: licitante contra ipsum Sulpitio intra castra, sed eo rursus pollicente omnia se daturum quæ vellent imperium obtinuit; fuitque in pretio pretium. Imò qui divitiis non affluit, quia pretio pecuniæ destituitur in pretio æstimationis non est. Qui verò in pretio est, seu pecuniis congestis est locuples in pretio habetur. Excursus pluris fit pecunia in mundo, quàm virtus; quia ut canit Flaccus

Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris 130
Divitiis parent: quas qui construxerit; ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, bonus, & Rex
& quicquid volet,

& Polycides Tyrannidis affectator apud Senecam in Thebaide aiebat: Imperia pretio constare; & Dion lib. 42. duo esse, quæ principatum comparant, servant, & augent, milites, & pecuniam: & Salustius: Ubi divitiæ charæ habentur, ibi omnia bona sunt vitia: & Tacitus ait aurum, & opes præcipuas esse bellorum causas: & Paulus Æmilius, nullum acrius quàm rei nummariæ telum reperiri.

Nardus herba fert folia crassa, carnosa, an- 131
gusta, & albicantia, & frequentioribus spicis, flosculisque purpureis ornatur: estque spicanardi licèt tenuis, odoris gratissimi. Lemma *Quò humilior, eò flagrantior.* Apodosis. Humilitas quò depressior eo sanctiùs olet.

Nasturcium aliud nigricans, albescens aliud; 132
& illud illo efficacius, ut & sylvestre sativo: exsiccat, & venerem cohibet: sputum etiam, & urinam impedit: refert Rhodiginus l. 24. & 26. quibus turpissimum est in aliorum conspectu spuere, frequentius uti Nasturtio. Lemma *Quod pudet, hoc pigeat.* Apodosis Pudor virtutis iudex turpia aversatur, quæ timet. Ubi enim metus turpitudinis animum premit, ibi floret pudor honestatis. Qui pudore afficitur, & verecundia, improbitatem odit: neque aliud est verecundia, quàm metus turpitudinis, & amor laudis: quorum ille à vitio revocat; hic ad honestatem impellit. Idque causæ cur Diogenes conspicatus adolescentem erubescentem dixerit: *Bono animo esto; hic enim color virtutis est, & vas boni ingenij.* Et Cicero cum vidisset in senatu adolescentem Romanum de crimine accusatum erubescere, sententiam protulit inquiens: *erubuit, salva res est*: quia ex eodem Tullio est pudor custos virtutis, laudem maximè sequens, & fugiens dedecus: hinc verecundus timens, ne bene audiat erubescit, eúmque pudet, quæ impudica sunt audire, di-

humili gaudens loco, ac terram matrem intueri, debitóque veluti obsequio prosequi. Teste Plinio l. 25. c. 8. virtus hujus herbæ est multiplex, corpora siccat, & densat, fluxiones sistit, morsus bestiarum si ejus succo pars læsa illinatur, sanat; instillatur etiam succus lippientibus, & sanguinem evomentibus datur. Lateris, & pectoris dolores mitigat, & cum cibo sumpta stomacho prodest, ac dyspnœæ medetur. Lemma *Omnibus omnia.* APODOSIS. Charitas non dedignatur loca obscura, humilia, & abjecta, dummodo possit alijs prodesse, ac omnia fieri omnibus. Excursus de charitate.

142 *Portulaca* tam sativa, quàm sylvestris herba est frigida & humida; in re tamen medica magnæ virtutis: siquidem contusa & vino immixta capitis, oculorum, ac ulcerum dolores mitigat; mobiles dentes corroborat, ac firmat, oris ulcerationes si melle condita comedatur corrigit. Ejus itidem semen cum melle sumptum prodest suspiriosis, ac vulneribus medetur. Vomitiones, dysenteriam, morbósque regios infringit; æstúsque impuros concopiscentiæ coërcet. Lemma *Morbos contusa repellit.* APODOSIS. Pœnitentia, quâ conterimur morbos omnes peccatorum expellit, nósque sanitati, seu gratiæ restituit.

143 *Ranunculus* hortensis venustissimus flos ex radice exigua surgit aureus, ac delicijs Floræ pertusus; tenui innixus pediculo multiplici foliorum pompa coronatur: Ima folia modicè lata, laciniatim divisa, & leviter serrata ex viridi flavescunt, cohærentes in grumum radiculæ gracili longitudine porriguntur. Lemma *Tenui florescit ab ortu.* APODOSIS. Virtus humilitatis perinde ac ranunculi radix floret uberior dum exigua humi jacet.

144 *Rododaphne* herba Sabina dicitur perpetuò virens rosæ similis, caulibus fruticosa, jumentis, capris, & ovibus venenum est: sed homini contra serpentum venena præstantissimum alexipharmacum Plin. l. 26. c. 20. Lemma *Uni salus, alteri pernicies.* APODOSIS. Sacra scriptura catholicis rectè eam intelligentibus est salus; hæreticis perversè eam interpretantibus pernicies.

145 *Roraria* folia fert cava instar cochlearis roscido semper quodam humore madida, licèt Sol æstivis ardeat acriùs diebus: servant enim folia quasdam roscidas guttulas ex lanugine suspensas Rovil. in histor. Plant. Lemma *Viret cœli irrorata madore.* APODOSIS. Quamdiu anima cœlestem divinæ gratiæ rorem servat virescit ornato virtutum; estque DEO grata.

146 *Rosa* spinis circumvallata in rubo veriùs, quàm frutice floret, oléique eò suaviùs, quò pluribus cingitur ispidata cuspidibus. Germinat inclusa granoso cortice. Quo mox intumescente, & in virides alabastros fastigiato paulatim rubescens dehiscit, séque pandit, & venustam foliorum pompam expandit audit que Florum regina. Lemma *Non sine cuspide regnat.* APODOSIS. Regiæ dignitates suis cinguntur spinis, quibus regnantes pungun-tur, seu non desunt curæ, ac molestiæ, quibus die, noctúque angontur.

Rosa inter olida capita cæparum, & alliorum sata, & exculta olet fragrantior, & floret venustior. Lemma *Vires adversa ministrant.* APODOSIS. Virtus inter inviuorum malignos afflatus olet fragrantior, & ab adversarijs vires acquirit, quibus fit valentior, & floret venustior. 147

Rosa, è cujus sinu Apis industriosa mel colligit, citra floris damnum, sugitque dulciora sine injuria. Lemma: *Oscula figit, non vulnera infligit.* APODOSIS. Amicus ita amico adhæret, ut nullum ei damnum adferat, nec injuriam inferat. Est amicitia veluti flos, plurimum ex hoc flore possumus haurire oblectamenti, sed necesse est, id fiat absque amici detrimento. Amicus usque ad aras. 148

Rosa apem pascit, & scarabeum; hoc tamen discrimine, quòd api est solatio, & nutrimento: scarabæo autem detrimento, & morti. Lemma *Solatio uni, alteri exitio.* APODOSIS. Comedunt panem Eucharisticum improbus, & pius, huic est nutrimento, illi verò exitio. 149

Rosæ plures è fœcundis terræ visceribus, quibus adhuc jactis altè radicibus & sparsis undique fibris adhærescunt, in salutarem aeris prodeunt cum planta genitrice usuram, multiplices enim ex uno caudice rami diffunduntur in virgulta, scabro cortice tecta, pitulisque lentibus obarmata. Tenuiores inde viridésque surculi sparguntur, quorum internodia frequentes, ac teretes sepiunt spinæ. Folia geniculatim virescunt in oblongum rotunda, tactu aspera, distinguente nervo bifariam medium, venulisque ex eo fluentibus per ambitum crenis incisa, quasi serrata. Surculorum fastigio imminet petiolus sustinens florem, seu capitulum mordaci lanugine refertum, ex quo calix protuberat, qui paulatim intumescens, incipit mox corticis disrumpere angustias, ac dehiscens rubescere, ac demum plenam foliorum pompam prodere. Lemma *Etiam decerpta exhalabit odorem.* APODOSIS. Charitas, cujus est rosa symbolum, quamvis vir pius, qui eam exercuit, decesserit, adhuc flagrabit suavior in præmio, quo inde donandus erit. 150

Rubus à Græcis Rhamnus dictus, floret inter ramos; armatur aculeis rectis non aduncis ut ceteri, luxuriat tamen laxioribus folijs, & ut ait Plinius l. 14. c. 14. amarus succus ex folijs, spinisque expressus vulneribus sanandis feliciter adaptatur. Lemma *Dat spina salutem.* APODOSIS. Mortificatio licet pungat, sitque corpori amara, salutem tamen confert animæ, à qua vitia arcet, & in qua flores excolit virtutum. 151

Ruta herba notissima celeberrimæ virtutis ad morbos fere omnes curandos, & exulcerationes sanandas, illic spota, hic illita ex decocto. Nimius tamen ejus succus, & nimis noxius est, ac pro veneno habetur, nisi contra venenum quodvis sumatur. Lemma *Omne nocet nimium.* APODOSIS. Temperantia pluri- 152

mum

mum æquè animæ, ac corpori prodest: excessua verò obest; seu nimietas in esculentis præsertim, & poculentis multum adfert detrimenti; pluresque nimietas gulæ occiderit, quàm sævities gladij. Unde ne nimium doleas, nil nimium cupias: mediocritas in rebus omnibus optima, ideóque ad omnem usum, cultúmque vitæ referenda est: perniciosum enim est in omnibus vitæ functionibus quod nimium esse noveris; quapropter inter Oracula, Delphica illud habetur relatum à Platone, *Ne quid nimis*. Hinc Hesiodus *mensuram serva: modus est pulcherrima virtus*. Martialis *quod medium est, atque inter utrumque probatur*.

153 *Salvia* herba nota odorata, ad tussim sedandam, laterisque dolores mitigandos decocta, & colata bibitur; dysentericis etiam cum absinthio utiliter datur, serpentium morsus sanat, ac vulneribus medetur, & demum venenis obsistit: hinc tritus versus: salvia cum ruta faciunt tibi pocula tuta. Lemma *Prodest omnibus*. APODOSIS. Divina gratia est, quâ salutem consequimur, & opem omnibus adfert, morbos animæ sanat, noxas impedit, motus rebellantis concupiscentiæ compescit.

154 *Sardonia herba* frequens in Sardinia, à qua suam trahit nomenclationem; comedentibus nervos oris ita contrahit, ut rictu veluti ridentium ora diducant, donec sensim intereant. Lemma *Dant gaudia luctus*. APODOSIS. mundi lætitia lacrymas elicit, & luctus excitat; cum videtur ridere, non arridet, quin potius irridet sub larva risus lacrymas propinans; ut discamus non ridere cum mundo ridente: à sana dejicitur mente qui excussum mundi risum amat; factitius & fictitius est hic risus, quia personatus, cui si larvam detrahas, non nisi funera, & luctus deprehendis, sub risu mundanæ voluptatis lacrymæ absconduntur, & desinunt in lacrymas deliciæ, quibus perfusi veluti Sardonia herba pasti rident, & intereunt, & cum risu pereunt, quodque deterius momentaneo risu æternos sibi fletus emunt: in inferno enim malè strident, qui in mundo malè rident. Sardonia est terrena voluptas, proinde pleno cursu fugienda; ementitium risum effert, & versus mortem affert bellè Dio Chrysostomus *Orat. 80. Voluptas sæva quidem & hostilis, insidiosa aspectu, jucundè tamen atque Sardonicum quiddam subridens occurritque, fertque vincula juxta naturam, florida, molliáque*.

155 *Scandix* olus sylvestre amarum, & acre agrestium cibus, ejus decoctum dyssentericis prodest, semen ex aceto singultus sedat, stomachum corroborat, ejúsque vitia corrigit, renibus, & vesicæ prodest. Lemma *Prosunt amara saluti*. APODOSIS. Adversitates quamvis nobis amarescant, prosunt tamen, ut resipiscamus, Deóque inserviamus, morbósque animi sanant.

156 *Seges* ex grano diu consepulto in excultæ terræ gremio germinans, & aucto fœnore flavescens matura. Proscissa priùs aratro tellus in gremio emollito, ac subacto sparsum à rustica coloni manu semen suscipit, susceptum cohibet occatio, & occatum materno fovet in sinu, & tepefactum vapore, & complexu germinat, elicitque herbescentem viriditatem, quæ nixa stirpium fibris sensim sine sensu adolescit, & culmo erecta geniculato, vaginis tegitur pubescentibus, foliisque vestitur lascivientibus juvenili viriditate, è quibus emergens frugem fundit spicæ ordine structam pulcherrimo; & contra avicularum morsus vallo munitam aristarum. Lemma *Aucto fœnore surgo*. APODOSIS. Corpora & ossa Piorum hominum terra mater veluti grana suo excipit in gremio, ubi licèt tepefacta putrescant, resurgent tamen, germinabúntque cœlestis gloriæ venustata virore, nulli ampliùs defectioni obnoxia.

Squilla herba ex bulbonibus genere cæ- 157
pas imitatur tunicatas; alba mas, nigra fœmina esse creditur, illa tamen efficacior est, ac plurima virtute medica pollens, oculos abstergit, humorésque glutinosos discutit, stomachum corroborat, gingivas, & dentes consolidat ejus succo si illinantur; si deglutiatur vermes in ventre enecat, & expellit, hydropicis etiam, spleneticis, suspiriosis, tormina, regiósque morbos patientibus prodest. Bulbi ex aceto & sulphure vulneribus medentur, ac cicatrices delent: si conterantur alexipharmacum morbis plurimis curandis exhibent præstantissimum, vulnera ex mulso imposito quinto die curant; dysentericis cum haustu vini feliciter datur. Nervis, luxationibus, ac paralysi est peratilis. Lemma *Morbis contusa medetur*. APODOSIS. Pœnitentiâ, quâ caro tunditur, vel conteritur morbos plurimos animi sanat, vitia abigit, impetus lascivientis concupiscentiæ compescit, pravos affectus corrigit.

Serpyllum suam à serpendo nomenclatu- 158
ram ducit, eò quia humi semper suis serpat ramusculis, figitque ubique radicem. Sativum tamen modicè erigitur. Si avulsum & siccatum accendatur serpentes, & animalia venenata solo fugat odore. Decoctum in aceto, vel aqua rosacea solo illitu capitis dolores sedat. Contra tormina, anginas, vomitiones, difficultates urinæ sumi solet ad drachmas quatuor. Cruentas excreationes cū aceto, & melle sistit. Lemma *Ima petens eminet virtute sublimis*. APODOSIS. Humilitas quò latet obscurior, eò splendet illustrior, ima petens surgit ad sublimiora dicente, & docente Magistro Christo; qui se humiliat exaltabitur.

Sinapis sativis accensetur herbis, ex mini- 159
mo grano eminet supra reliqua olera, & herbas; ejus semen acerrimum est ferculis acrimonia condiendis peraptum. Contra serpentum, ac Scorpionum venenatos ictus ex aceto illinitur, fungorum venena discutit; contra pituitam gargarizatur cum aceto, & melle, vel aqua mulsa. Stomacho, & pulmonibus prodest, excreationes catarrales facilitat; caput purgat, alvum mollit, urinam ciet, hydropem cum ficu cucumere curat, ut etiam teste Plinio lib. 20. c. 22. alopecias, psoras, lepras, phthiriases, lithanicos, Vide Plinium.

Lem-

Lemma *Eminet ex minimo.* APODOSIS. Panis Eucharisticus quantumvis minimus excrescit in summum, continens maximum omnium: Eminet in minimo maximus ipse Deus, præstantissimum est alexipharmacum contra omnes animi ægritudines, & gratiæ incremento vires corroborat.

160 *Smilax* herba hederæ similis duplex ast, alia hortensis, ac lævis; alia magis acuta, & pungens, quæ opacatis in vallibus arboribus innititur: ex hortensis folijs coronæ implectuntur mitigandis doloribus capitis adhibendæ. Sylvestris præstantissimo remedio contra venena esse fertur, adeo ut infantibus sæpe instillatus succus eos à veneno immunes efficiat Plinius l. 24. c. 10. Lemma *A teneris assuescere prodest.* APODOSIS, Proba educatio quâ adolescentes culturæ assuescunt virtutum à vitijs præservat, ac lethali veneno noxarum.

161 *Solanum* frutici similius, quàm herbæ granosis constat folliculis, acinis coccineis vasicæ & calculis prodest, quos frangit, eicitque, Lemma *Mollescunt dura medelis.* APODOSIS. Pervicacia cedit mansuetudini, qua discit mollascere, séque flectare; & prædura corda blandis verbis conteruntur. Est mansuetudo medela duritiei emolliendæ perapta.

162 *Stychinus* folijs ocimi epotus è sana mente dejicit, quin & in majore quantitate etiam mortem affert Plinius l. 21. c. 31. Lemma *Cogit fata subire necis.* APODOSIS. Amor sui proprija adhærer concupiscentijs & in cratere voluptatis venenum propinat, & mortem vel infert, vel à sana menta dejicit.

163 *Spina* alba ex carduis, cujus semen scorpionibus noxium, & adversum; Corona ex hisce implexa spinis, capitique imposita dolores sedat, ac mentem serenat. Plinius l. 25. c. 12. Lemma *Pungit, sed noxas expungit.* APODOSIS. Pœnitentia, & flagella, ac cruciatus pungunt quidem, sed peccata expungunt, corpua conterunt, sed animam pristinæ restituunt integritati.

164 *Symphyton* seu latinè herba petraa, quia in petris nascatur folia sert parva, ramos ternos, vel quaternos ab ima radica, cacumine thymum æmulatur, suavem afflat odorem, gustui dulcascit, utilissimum est lieni, renibus, torminibus, pulmonibus, sanguinem ejectantibus. Bibitur radice in vino trita, & cordi est solatio, luxatis, convulsisque prodest, ossa fracta consolidat, Plinius lib. 27. c. 6. Lemma *Nobiliora latent.* APODOSIS. Tametsi trahat quis originem plebeiam, vel obscuram virtute tamen plerunque est præditus, quâ prænobilibus est illustrior, ac dignior.

165 *Thymus*, cujus flore apes delectantur, frutex potius ast humilis, odoratus, quàm herba, cujus meminit Virgilius 3. eclog. *Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ:* ut etiam Horatius 2. carm. *Ut apis matinæ grata serpentis thyma per laborem.* Sunt thymi duo genera album unum, alterum nigricans, dicitúrque propterea bithymum mel, quod ex utroque thymo apes colligunt: thymus candidus ex radice prodit lignosa, in collibus nascitur, & afficacior est nigro. Usque mel apibus suppaditat, oculorum claritati prodast, tussim & excreationes cum sale, & aceto laniunt, præcordijs itidem, melancholicis, suspiriosis, & comitialibus fert opem. Lemma *Mella ministrat.* APODOSIS. Timor Dei flores fert virtutum, quæ suavissimum perfectionis mel fovent, exhibéntque viris earumdem virtutum addictis culturæ.

Tithymalus à lacte, quo oppletur lactuca marina dicitur, quod cum aqua mulsa, sale, & aloe purgationi mirè inservit; humores noxios expellit, vitiatos corrigit. Radix cum aceto decocta capitis dolores lanit Plinius lib. 26. c. 8. Lemma *Noxas abstergit in alvo.* APODOSIS. Lacrymæ quas pœnitentia fundit non corporis, sed animæ abstergunt sordes, noxas delent, vitia obliterant. 166

Tragion herba in maritimis Cretæ Insulis Junipero per omnia similis nascitur, ejus succus lacteus corpori impositus spicula axtrahit Plinius lib. 25. c. 13. Lemma *Minas ridet mens conscia recti.* APODOSIS. Innocans contra spicula detrahentium se ipsum propriâ tuetur innocentia, quæ licèt premi possit, nunquam tamen opprimi. Excursus de innocentiæ tutela. Titius Vespasianus audiens prædecessoras suos multis à subditis injurije affactos dixit teste Suetonio: Namo ma injuria afficiat, quia nihil ago, quod alios lædere possit. Innocentia ubique tuta Horat. l. 1. od. 22. *Integer vitæ, scelerisque purus* 167

Non eget Mauri Jaculis, nec arcu
Nec venenatis gravida sagittis
Fusce pharetra

Trifolium harba nota à tribus folijs, qui bus conslat dicitur, in tres partitur species. Prima folijs germinat laxioribus, & intra mensem adolascit. Secunda spacies à foliorum acrimonia Oxytriphillon audit. Tertia est omnium minima, & nascitur in pratis ait Plinius lib. 21. c. 9. & 11. consuevisse priscos homines trifolium etiam in coronis adhibare. Sarpentes quibus vel maximè advarsatur, non patitur, & longius fugat; decoctum eorumdem venenatis ictibus medetur, & semen in vino tritum, ac epotum venenatis medetur. Lemma *Pellit contagia terræ.* APODOSIS. Invocatio SS Trinitatis per signum crucis cacodæmones fugat, eorumque venena pravarum suggestionum abigit. Excursus de Invocatione SS. Trinitatis, & de signo crucis. 168

Tulipa flos venustissimus, in quo natura suis videtur jocari coloribus, quorum varietatem in hoc uno flore prodit, qui Turcico vocabulo à Dalmaticis pilais Tulipæ nomen fortitur. A nonnullis tamen Lilionarcissus dicitur; eò quia tum Narcissi decora, tum lilij complectatur venustatem. Certè in nullo alio flore æquè versicolor naturæ licentia lascivit, fuit enim qui in hoc flore ducenta coloribus discreta enumeravit ge- 169

neca, ut non ampliùs Africa in suis monstris, sed Flora suis in fœtibus aliquid semper videatur novi adferre. Verùm tamen quòd alternis annis colores facilè mutat, Formámque Protheus novas jugiter videtur colorum formas induere, nunquam tamen informia, sed in omnibus venustissimus. Eminet in fastigio scapi virescentis, prædurì, robusti, rotundi ad pedalem, vel cubitalem celsitatem protensi, & vel recti, vel in anguineam spiram tortilis, folijs trinis, quaternis, vel etiam quinis crassis, oblongis, carinatis, & per oras interdum etiam modicè reflexis, ac crispulis muniti. Supremus eminet flos senis vel septenis, vel etiam octonis folijs dives, ac venustus; colore varius, ac multiplex scilicet candidus, cyaneus, flammeus, frondis emortuæ, sandarachinus, leucopheus, violaceus, margaritaceus, cinereus, purpureus, croceus, flavus, luteus ex rubro albicans, ex cinereo nigricans, ex albo rutilans, gilvus, melinus, lacteus ex rubro fulgens, fulvus, castaneus, ater, dilutior, fuliginosus carbonarius; olivarius, aureus, varians, coccineus, sanguineus, roseus, ex roseo pallens, sulphureus, fulvus, rupricaprinus, prasinus, fuscus, viridis smaragdinus, porraceus, glaucus, violaceus, janthinus, amethystinus; Hi omnes & alij colores interdum numerantur in hoc flore discolore, cujus varietatem ac venustatem admirantur omnes, qui florem mirantur. Hanc tamen multiplicis coloris pompam nonnisi beneficio solis explicat, sole enim occidente flos suam contrahit, clauditque foliorum venustatem, quam nonnisi eo iterum oriente, suisque radijs excitatus aperit. In Symbolo pingitur Sol emergens jam medius ex eoo horizonte. Lemma *Aspice, ut aspiciar*, flos solem alloquitur. APODOSIS. Est homo veluti flos discolor ob plura desideria, quibus variat, ac in diversa rapitur: Si DEUS Sol justitiæ radio suæ gratiæ ipsum aspexerit, virtutes omnes excolit, exhibétque alijs aspiciendas.

170 *Verbascum* duplicis est speciei; aliud candidum folijs brassicæ, sed magis hirsutis, & albescentibus cubitali, ac piloso caule, ex quo frondes, & flores prodeunt subalbi, licet semen nigrescat. Aliud subfuscum ei simile nisi quòd latiora ferat folia, minúsque candida. Flores aureo fulgore venusti grati sunt oculis: contra scorpionum venena utrumque verbascum non solùm sativum, sed etiam sylvestre præstantissimum putatur esse alexipharmacum Plin. l. 25. c. 10. Lemma *Ferunt aspera flores.* APODOSIS. Religiosum institutum quamvis asperum, difficile, ac austerum esse videatur, flores tamen virtutum, excolit qui sanctitatis odorem efflant cœlitibus suavissimum.

171 *Verbenaca* folijs constat penè quernis, cubitali, & angulosó innititur cauli, sed ramoso; florem fert purpureum gracilem. Aiunt hac herba planities humescientes, ub. germinat felicior, & adolescit vegetior. Hujus herbæ succo perunctis putantur omnia ad votum fluere ait Plinius lib. 25. c. 9. *Credebant se hac perunctos impetrare, quæ vellent, febres abigere, amicitias conciliare, nullique non morbo mederi. Colligi circa canis ortum debere, ita ut ne luna, aut Sol conspiciat, circumscriptam ferro effodi sinistra manu, & in altum tolli:* quæ tamen superstitione non vacant. Addit Plinius hac herba mederi febribus, quarum extinguit æstus. Lemma, *Plura spondens, nil præstat.* APODOSIS. Homo vanus, séque jactans plurima de se promittit, sed fallit, quia virtute vacuus nil potest.

Vinca herba est topiaria, ut ait Plinius *lib. 21. c. 11. & 27.* humilis, ac humiler pens perpetuo virens, ac vicina quæque vinciens. Hydrope laborantibus prodest, si enim ad mensuram cochlearis ebibatur aquam detrahit: in cinere decocta, vinóque imbuta tumores sedat; cœliacis prodest, vino turbato, ac impuro adhibita puritatem restituit. Lemma *Dos mea vincere, & vincire.* Seu morbos superare, abigere e corporibus, & sibi proxima quæque vincire APODOSIS. Charitas proximi non solùm alienas miserias levat, ærumnas abigit, lacrymas exsiccat; sed etiam veri amoris vinculo omnes sibi devincit, ut omnibus prosit. 172

Viola flos humilis odorus redeuntis veris prodomus. Estque viola purpurea, cærulea, alba, & flammea, quarum singulis sua inest virtus. Purpurea refrigerat contra inflammationes; stomacho, & capiti illinitur, epiphoras, & suppurationes sanat: flos epotus anginis, & comitialibus medetur. Alba suppurationes aperit. Lutea & alba urinam ciet. Radices luteæ podagram, & lienem ex aceto mitigant. Lemma *Parva, sed valentior.* APODOSIS, Virtus humilitatis quò plus ad ima se dejicit, seque minuit, ac infra alios se demittit, eò olet suavior odore sanctitatis, claret illustrior, & eminet sublimior. 173

Urtica Americana urentis herbæ species est. Ex radice parva filamentosa in octo, vel novem pedum assurgit altitudinem, caule striato modicè piloso, & crasso. Folia profert utrinque posita solitaria, vel duo juxta se invicem, quorum quodlibet suo innititur pediculo sesquipedem exporrecto, ex albo modicè rufescenti. Folia laxa sunt in ambitu serrata, dentibus triangularibus, dumosa, rarisque pilis prædita. Fert in fastigio racematim plures flosculos parvulos albescentes suo insidentes pediculo. Lemma: *Inscendit per ardua virtus.* APODOSIS. Fructus virtutis non colligitur nisi in arduis, superatis difficilibus, ac spinosis, quæ plurimum solent incommodi adferre, *Excursus* de arduitate in acquirenda virtute 174

Lucil.

Virtutem voluere Dij sudore parari
Arduus est ad eam, longusque per ardua tractus,
Asper & est primum: sed ubi alta cacumina tanges,
Fit facilis, quæ dura fuit inclyta virtus.

Virtus

Virtus extollit hominem, & super æthera collocat; estque sola, & unica, quæ nos immortalitate donare possit, parésque Dijs facere.

175 *Urtica* Europæa nota ab adustione herba, sed ad plures curandos morbos utilis: procidentes vulvas, sedésque infantium reprimit, Lethargicos tactis cruribus, aut fronte excitat, ac facit expergisci: rabidi canis morsibus addito sale medetur. Trita radix, & folium naribus inditum sanguinem sistit, carcinomata, & sordida ulcera cum sale, parotidas, carnésque ab ossibus divulsas sanat, uno bolo cum generoso vino stomachum corroborat, ac recreat. Defluvia capillorum emendat cum semine illito. Morbis articularibus cum oleo, vel ursino adipe trita ejus folia prosunt. Succus illitus fronti sanguinem cohibet, & epotus urinam ciet, & calculos rumpit Vide Plinium l. 22. c. 13. & lib. 21. c. 15. Urtica igitur exterius hispida spinis referta manum arcet, ne si tangat angatur, & nullius videtur pretij, contemptu potius digna: sed intus talis est naturæ, ut pluribus polleat virtutibus. Lemma *Quæ latent meliora puta.* APODOSIS. Ex facie extima non est judicium ferendum persæpe vultus frons, & oculi mentiuntur. Neque temerè judicandum est de proximo, cujus actiones, & verba in partem meliorem sumi debent.

EXCURSUS.

De varijs herbarum hortensium generibus, antipathia, & sympathia.

176 Hortus olitorius est, in quo herbæ nonnisi culturâ olitoris seruntur, rigantur, ut lætiores germinent, latiores crescant. An verò hortus scribi debeat sine aspiratione, Festus censet, esse scribendum ortum sine aspiratione, eò quia prisci Romani omnem villam ortum dixerint; quia ibi armis in bello tractandis idonei orirentur. Usus tamen invaluit ut asperetur, forsan ut distinguatur ab origene rerum cæterarum, ut ab ortu solis. Sunt etiam qui ponunt discrimen inter hortum in singulari, & hortos in plurali, velintque hortum dici ubi diversi generis olera nascuntur; & hortos, qui pluribus sunt arboribus consiti, voluptatis causa, ut Horti pensiles Semiramidis.

177 Satiùs tamen ubi arbores præsertim frugiferæ inseruntur, implantantur, nutriuntur pomarium dicitur: & ubi herbæ sativæ, quibus vescimur hortus olitorius. In regionibus ubi æstus sunt ferventiores situs hortorum eligitur, qui aspiciat septemtrionem; in frigidis è converso, qui meridiem, locus nec nimis sublimis, nec nimis demissus sit; glebæ itidem natura, seu terra seligenda est, quæ alendis oleribus idonea sit, quia ut cecinit ille; non omnis fert omnia tellus; terra argillosa, & cretosa inutilis est, quia sua densitate impedit ne herbæ suum inde possint nutrimentum sumere, & veluti lac sugere; & in æstu ita condensatur, ut non possint delapsæ pluviæ ad radices olerum penetrare. Arenosa itidem sub solis ardore plantis omnem humorem illico adimit, quo destitutæ exarescunt. Solet etiam olitor terræ vitia experiri ex gustu; ponit effossas glebas in vase fictili, quas madefacit aqua dulci, ut more fœculenti vini percolentur; deinde explorat gustu, num sit tellus acerba, sulphurea, acetosa, salsa, aluminosa, quas qualitates ut herbarum læsivas, ac vitiosas respuit. Hinc Virgilius

Salsa autem tellus, & quæ probibetur amara
Frugibus infelix, ea nec assuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat.

De hortis construendis, herbisque sati- 178
vis, quibus vescimur, & quarum folijs, caule, vel radicibus utimur in jusculis, vel edulijs, ac ferculis scripserunt plures, ut Cato Censorius, Terentius Varro, Columella, Plinius, Palladius, Constantinus Cæsar, Carolus Stephanus, Antonius Mizaldus, Benedictus Curtius, & alij plures recentiores. Hortorum culturæ plura sunt instrumenta necessaria: ligo ad fodiendam terram; pala concava ad herbas inutiles ejiciendas, rastrum, ad corradendum, & quisquilias propellendas, rutrum ad runcandum solum; sarculum ad sarriendam glebam duriorem, extirpandas arborea, & frutices; irpex ad herbas ruri conquirendas; bacillus ligneus ferro obductus ad terram perforandam pro plantatione; vehiculum trusatile ad evehendam terram ejectitiam, herbásque inutiles eradicatas; vimina ad illigandos frutices; furca tricornis spargendo fimo accommodata; culter aptando ramulo insititio, cannabis, vel linum impexum obligandis insitorum stolonum fissuris, ut & ceratum ijsdem inungendis; marra ad abradendum muscum ab arboribus, exscindendisque herbis inutilibus; falcula ad putandas vites; forfex ad tondendas plantas, & abscindendos erucarum nidos; uncus ambidexter redunco rostro ad ramos trahendos, & rescindendos, harpagium ad rigandum, scalæ ad legenda poma; ligneæ tegetes, vel crates scirpeæ ad novella herbarum germina in seminario tutanda adversus nocturnum frigus sub veris initium; sunt & alia instrumenta agriculturæ generatim inservientia. Herbarum itidem plura sunt genera: aliæ sunt sylvestres, aliæ campestres, montanæ, hortenses, medicinales: quædam etiam veneno infectæ, aliæ salutares, vim præseferentes antidoti; aliæ quæ spontè oriuntur, & sine prævio semine assurgunt; aliæ sunt edules, foliatiles, frugiferæ, radicales. Herbæ foliatiles sunt lactucæ, nastrutium aquaticum, Brassica, Spinachia, Asparagi, Endivia, seu intybus, cichorium, Portulaca, Chærefolium, Borrago, & aliæ id genus. Frugiferæ sunt Pepones, melopepones, cucu-

meres, cucurbitæ, cinaræ, fabæ, pisa, & aliæ hujusmodi. Herbæ quorum radicibus utimur in edulijs, ac vescimur, sunt raphanus, rapa, napus, carota, pastinaca sativa, siser, allium, porrum.

180 Dantur plura alia herbarum genera, & præ cæteris celebris illa Nicotiana à Nicotio Gallo dicta, quæque vulgò tabacum audit; & habetur veluti panacea humani corporis, eò quia excrementa præsertim, quæ in capite stabulantur foras extrahat, cerabrum purget, corpus exsiccet, spiritus excitet, mentem serenet, caput exhilaret, totúmque hominem videatur quodammodo reficere; si tamen ejus usus sit moderatus, ut non fiat abusus; quia si frequens fuerit, & immodicus ob nimium calorem nocet capiti, & cerebro. Debet igitur tabaci usus ut profit, esse moderatus, sive per arundinem figulinam fumo hauriatur; sive tomicis dantibus incidatur, ac molaribus conteratur; sive ejus pulvis emunctis naribus in caput trahatur, ac sorbeatur. Adeo invaluit tabaci usus, ut ubique locorum terrâ, marique, suis sint homines, imò & plerunque etiam fœminæ instructæ pyxidulis, aureis, argenteis, ferreis, chalybeis, corneis, ligneis, quadratis, rotundis, undulatis cucurbinatis affabrè elaboratis, vario etiam emblemate sculptis; imo & pretioso lapillo interdum ornatis, cum pulvere varijs imbuto odoribus. De virtutibus, & qualitatibus herbarum fusè agunt Dioscorides, Matthiolus, Durandus, & plures alij; præsertim Herbaria in Apothecis fusè, & enucleate naturam explicant herbarum.

181 Ad herbas sativas quod attinet, lactuca habetur omnium optima, naturâ suâ refrigeratrix est, idcóque æstate pergrata, amat cœlum apricum, regionem temperatam, terram pinguem, & bene subactum, rigari frequenter, vel pluvijs vel aquis alijs tepefactis; dicitur lactuca quasi lactis, seu humoris lactei exuberet copia. Omnium prima seritur, alitúrque tenella in seminario, à quo cum primùm germinare incipit, & adolescere transfertur ab olitore in suas areas stercoratas & pingues; feruntur tamen cum dabitie distantijs, quia latior fit, si rara ponatur. Seritur præsertim toto verno tempore, æstate etiam, & autumno; lactucarum variæ sunt species; aliæ, lævia, ac tenerrima habent folia, aliæ sunt rubicundæ, capitatæ, Cypriæ, crispæ, sylvestres, sativæ, Romanæ, quæ folia emittunt ampliora, & pinguiora; omnes tamen in qualitatibus conveniunt, refrigerant enim, & humectant in secundo gradu; unde stomacho frigido nocent potius, quàm prosint.

182 Moris fuit apud priscos Romanos, quo lactucæ ultimis apponerentur mensis suis, ut meminit Martialis

Claudere, quæ cænas lactuca solebat avorum,
Dic mihi cur nostras, inchoet illa dapes

Forsan, q ia cibi excitat appetentiam si primus mensis comedatur; & qui in fine in mensæ usum differunt lactucæ, ut cibo, & potu in stomacho æstuantes humores insitâ sua frigiditate lactucæ retundent. Solet etiam in cœnis adhiberi Nasturtium hortense sale oleo aceto conditum. Referunt Plutarchus, Cicero, & Plinius nasturtium spiritus excitare vegetiores; hinc originem habuit vulgata parœmia; *Nasturtium mandendum inertibus*; nimirum ad excitandos torpentes spiritus. Quamvis non sit nasturtium naribus gratum, cor tamen confortat, bilem subducit, & ejus succus dentium dolores lenit, sistitque effluxiones. Est Nasturtium calidum, & siccum; amátque propterea solum humidum, ac frequentar irrigari pluvijs, vel aqua fontana.

Spinachia à spiculoso semine suam trahit nomenclationem, & licèt herba sit glabra, & mollis, semen tamen spinas repræsentat, estque frigidæ, ac humidæ naturæ; adeoque in coctura non multum indigeat aquæ, cum plurimum ipsa emittat humoris. Dum spinachia carpitur, non eradicatur, sed caulis tantùm inciditur; & iterum læto virore repullulat. Frequens tamen ejus usus melancholiâ affectis nocet, est enim olus tetreum fovendæ, augendæque melancholiæ peraptum, estque frigidum, & humidum in primo gradu. Brassica olus hortense cæteris præfertur oleribus à Catone; & Plinius plurimus est in laudibus Brassicæ, de qua etiam Chrysippus medicus integrum scripsit volumen. Fuitque in tanta æstimatione, ut referente Matthiolo Prisci Romani per sexcentos annos sola brassica fuerint usi ad morbos omnes è corpore propellendos, proscriptis etiam ab urbe medicis. Brassicæ virtutes recenset Matthiolus, qui addit ejus semen crassiusculè contusum, & in carnium jure calefactum, ac epotum plurimum adfarre lavaminis, & solatij colicho morbo laborantibus, & tormina discutit. Hipocrates brassicam vadem quasi sacram appellavit; eò quia Jones jurejurando per Brassicam fidem suam adstringere consueverint. Seritur Brassica initio veris, crescit, alitúrque per totam æstatam; neque colligitur, nisi una, vel altera pruina, fuerit priùs subacta, & maceraia. 183

Duplex autem habetur brassica crispis folijs una, altera lævibus constans; illa solet huic præferri, quia tenerior. Est tamen brassica viti inimica, mutuumque odium servant; cum enim folia brassicæ viti appropinquant, hujus palmites paulatim recedunt, imò & exarescunt, ut asserunt Theophrastus, & Plinius; & brassica ex viris propinquitate fit deterior; hinc centet Antrocides, brassicam contra temulentiam pollere, eámque coërcere, ac reprimere: hinc moris fuit, quò Ægyptij vini egregij potatores ne temulentiâ vacillarent brassicam crudam cum omnibus fere esculentia comederint. Commendatur etiam plurimum Brassica Pompeiana, quæ cauliflora dicitur, alba ast, & florescit in grumos, estque palato grata, stomacho utilis. 184

Aspa-

185 Asparagus omnium hortensium olerum laudatissimus; gratissimus est gustui; utilis stomacho, affectiones hepatis, & renum abstergit, ejus vires recenset Durandus hisce carminibus.

Renibus asparagus, stomaco, atque perutilis alvo
Morsibus atque oculis, sed sterilescit edens
Renibus hinc valeo, jecore intumidóque lieno,
Ilia nec mundum tergus, ut ante dolent.
Si venere hic crutior, supra hoc mihi munus abundè est,
Quod potuit, salva religione dedit.

Est asparagus quoad qualitates calidus, & humidus, vimque habet abstergendi; calculos, & arenulas excutit, renes purificat, nutrimentum præ cæteris oleribus suppeditat; plantari in radice, vel serò in semine amat, & quidem in fundo pingui, qui tamen magis ad arenam vergat, quàm argillam. Campus ubi asparagi seruntur ad duos pedes in profundum effodiatur, & lateribus, vel ungulis pecorum, ac cornibus sternatur, idque ea de causa, ut radices cogat in altum herbam generare, & ungulæ perpetuam pinguedinem, & humorem suppeditent; area hæc excavata implenda eit terra, si fieri potest virginea, ac probè cribrata, rastóque complanata; in qua tecta linea sulci in longitudinem areæ adaptantur, ac repetuntur in latitudinem, ac si crates describeretur; & semina asparagi implantentur ad profunditatem unjus digiti, in concurrentia cratium fiunt parva foramina, in quibus tria grana seminis merguntur, quæ terra operiuntur, ut cum germinant uberiorem plantam generent uberiori cum fructu. Primo anno herba non putatur, ne radix debilitetur; sed ingruente hyeme, iterum campus stercoratur, quod repetitur sequenti anno post lunam novam; hæc eadem cura adhibenda est in transplantatione radicum, quæ si potentiores fuerint, dividuntur; & inferne disruptæ infodiuntur ad pedem unum invicem distantes: æquè tamen seminatio, ac transplantatio radicum fieri debet verno tempore. Radix asparagi vino incocta dentium dolorum dicitur lenire, si sæpiùs eluan-
186 tur: imò radix exsiccata, & cavo denti imposita dicitur eum funditus extrahere.

Endivia, quæ & intybus vocatur, saluberrima est, frigida & sicca in secundo gradu, de qua Durandus

Intybus est jecori, stomacho, ventrique salubris
Cocta, & cruda estur, sacro hac ignique medetur
Et morsus sanat, quot scorpius intulit atros.

Ab olitoribus servatur in calidioribus repositorijs pro tota hyeme; terra, & sabulo contecta; ut etiam cichorium, ejúsque radices. Cichorium non indiget cultura operosa, & semel satum, ac irradicatum se ipsum spontaneo semine continuò propagat. Fundum requirit pinguem, ut & spatium amplum. Buglossa semel sata in fertili solo absque solerti cura posthac nascitur in hortis, adeò ut inde nonisi difficulter extirpari possit. Humidæ simul, & calidæ est temperiei, magna virtute pollet contra animi deliquia, Varijs cordis affectionibus medetur, præsertim melancholicis passionibus: ejus flores vino macerati exhilarant cor; & spiritus vitales recte nc.

Gaudia fert cordi, minuit Borrago rigores
Febru, & horrores, tujubus hostu erit.
Si tibi Buglossa est succi, & Borrago repentis
Lætus erit, siccum nec tibi pectus erit.

Non solùm folijs herbarum utimur in esculentis, verùm etiam e eundem radicibus, quas folijs præferi nus; ut sunt allia, cæpæ, rapæ, raphani, & alia id genus. 187
Allium juxta Durandum calidum est, & siccum in quarto gradu, éstque acutum, vi pollet digestivi, incisiva. Dioscorides, & Plinius censent, allium contra viperarum, murium, araneorum, rabidorum canum morsus æquè illitum, ac comestum valere. Veterem tussim coctum lenire, vocem clarificare; & cum thure decoctum dentium dolores linire, si in ore contineatur. Rarò seritur allium, sed per grana frequentiùs, vel spicas, aut taleas, ut placet Columellæ. Verno tempore immittuntur capitella in excultam tellurem ad duos circiter latos digitos in distantiam ad invicem quatuor digitorum; ubi regio æstu est calid or, seritur etiam in autumno. Præcipua tamen ejus cultura eit in æstate, & in icatione indiget iterati, ut & necessaria irrigatione, ne ex nimia siccitate, & æstu arescat. Putat Menander odorem allij evanescere, si superedatur radix betæ tosta. Alij censent odorem, allij extingui, si faba cruda supermanducetur.

188 Cæpa inter bulbosas herbas magis solet præsertim à rusticellis fieri, suá nque trahit nomenclationem à capitis magnitudine, éstque calida in tertio gradu juxta Durandum, sicca in secundo; unde stomachum calefacit, revocat appetitum, immodicè sumpta fastidium parit, & capiti nocet.

Cæpa juvat stomachum, revocando sitimque, famémque
Calfacit, incidit, largior usus obest.

Vitia aquæ corrigit, veneni malignitati obsistit, humores crassiores attenuat, catarrum dissipat; seri amat luna increscente in fundo mundissimo, ritè subacto, solis continuum amat aspectum; sed crescente siccitate homectari desiderat frequenti rigatione; si folia nimium luxurient, adimenda sunt, ut vigor declinet in imum, ad cæpæ uberius incrementum. Maturitas cæpæ dignoscitur, si ejus folia vieta languescant; tunc extrahitur è terra, suspenditúrque in locum aëri pervium, donec herba tota exarescat, & cæpa benè siccetur, quæ omnia agenda sunt in plenilunio: cæpæ omnes ob insitam acredinem lachrymas cient.

189 Rapa solum amat lætum, agrúmque pinguem, argilosam respuit tellurem, plurimóque desiderat humore imbui, calida est in secundo gradu, humida in primo; seritur mense Martio, vel Aprili, solet pridiè semen rapæ antequam terræ concredatur fuligine conspergi, & aqua imbui, & die postera ita madidum seritur. Ea est rapæ natura ut nebulis, & pruinis dulcescat, iisque alitur, ampliatúrque id autem videtur mirum, quod in alio agro rapa bien-

biennio fata transeat in napum, & napus pari metamorphosi in rapam. Habet napus diversas à rapa qualitates, est melior, dulcior, stomacho magis confert, facilidsque digeritur; seritúrque in gleba devexa, soluta, pingui, ac sicca cum profunda cultura. Seritur media æstate, & autumno colligitur. Siser est rapa flava, quam Plinius Pastinatam erraticam vocat; ejus radix decocta ori est grata, stomacho utilis, bili adversa. Ferunt in delicijs fuisse Tiberio Cæsari, qui singulis annis jusser t è Germania Romam asportari. Raphanus radix est nota; & olim adeò in pretio, ut in templo Apollinis Delphici cæteris præferretur herbis, calidus est raphanus juxta Durandum in tertio gradu, siccus in secundo, rarefacit propterea crassiores humores, quos absterg t, ac discutit. Alius albus est, alius niger; ille mitior, ac dulcior; iste mordax, & piperatus, juvat stomachum, ad digestionem oculorum commu nuit. Ferunt raphani succum cum oleo amygdalarum dulcium, & vino albo fervefactum, aurium sonitum curare, si calidus instilletur.

190 Pepones juxta Durandum frigidi sunt in secundo gradu, humidi quasi in tertio. In Germania nonnisi in hortis olitorijs feruntur, & operosè educantur, neque semper ad perfectam perveniunt maturitatem. Situs eligitur Sol undique pervius conterminus muro, à quo ab aspectu obtegatur septentrionis, & meridiei pateat. Seruntur Peponum semina in campo, vel horto, qui in Germania solet effodi ad duos pedes geometricos; & eruto simo equino natura sua calidissimo fossa tota pedibus fistucando repletur; huic fimeto terra super imponitur selecta, tenuis, cribrata, depurata ab omni cespite, radice, lapillis, & quisquilijs ad sesqui-palmum, quæ rastro sedulò complanatur; deinde semina ad meditullium terræ feruntur in foraminibus digito factis, in hac satione id solet observari, ut cœlum serenitate arrideat, aër sine ventorum flatu sit tranquillus, sitque novilunium ad decursum mensis Martij, vel initium Aprilis: ab aliquibus solent peponum semina ante sationem vino generoso, etiam malvatico macerari, quò citiùs germinent, & pepones suaviùs oleant, sapiántque meliùs.

191 Alij lacte imbuunt, attenuántque. Rursùs ex seminibus ea seliguntur ad sationem, quæ sunt gravia, seu quæ aquis injecta non innatent superficie, sed subsidant, fundúmpetant. Cùm primum in fimentato pulvino superiùs descripto nonnihil adoleverint semina, e germen grandiusculum emiserint; in fundum alium acutatissimè excu lrum, & subactum, pinguéque letamine stercoratum transferuntur, hunc que scrobes circulares ad pedem unum latæ & profundæ vetusto fimo implentur, relicto in med tu lio vacuo spatio, cui plantulæ ex seminario cum aliqua terræ parte inferuntur, & manûs volâ aptantur, debent plantulæ in distantia sesquipedis distribui, ne una nutrimentum alterius absumat; gaudent peponum pampini dilatari, ac divagari si pluviæ deficiant, debent frequenter irrigari. Fructus, quò citius maturiant, campanis vitreis occluduntur, ut geminato intus calore maturitas promoveatur; & nocturnum frigus arceatur. Morie est in Germania, ut Martio mense plantarum semina ferantur in seminario, seu pulvino fimentato, in quo cum germinaverint, & paululum adoleverint, transferuntur in alia loca, sed quia id temporis frigus adhuc riget præsertim nocte: ideò ligneis tegiminibus, ac cratibus stirpeis novella germina defenduntur, ac teguntur contra nocturnum frigus.

Cæterum plantæ perinde, ac bruta afficiuntur antipathia, & sympathia: sicut antipathia est naturalis repugnantia inter res mixtas; ita sympathia convenientia, & amica coordinatio. Sunt pleræque stirpes, quæ nonnisi consini sibi simili compare, seu mare, & femella, germinant, virent, vigent, & occulto quodam influxu fœcundæ fiunt, & propagantur; talis est palma, quæ mare spoliata quasi vidua sterilescit improlis, & quamvis floreat, non tamen fructus parturit: ut gallinis contingit, quæ licèt sine mare ova pariant, non tamen pullos ex ijs excludunt. Non solùm inter sese plantæ antipathiam, & sympathiam fovent, verùm & cum volatilibus, aliisque animalibus. Ciconiæ *folia Platani* amant, in quibus nidificant, à quibus tamen arcentur vespertiliones, ut ab inimicis. Hirundines contra tineas *apio*, seu *petroselino* herba hortensi se muniunt, & *chelidonio* cæcitatem abstergunt pullorum. Accipitres nidos suos contra hostes tuentur *hieracio*, quod à Plinio inter agrestes lactucas recensetur. Turdi *Myrto* delectantur; Cornices *verbenaca*, upupæ *adiantis*, seu herba, quæ à Plinio *Capillus Veneris* dicitur. Perdices *arundinem* amant; ardea *carum*; aquila *Callitrichon*, herba est, quæ plures, ac venustos enutrit crines; Galeritæ *Gramen* nidis imponunt, quo pullos tueantur contra noxios hostes; Ciconiæ *Origanum* amant, quod formicæ aversantur; serpentes *fœniculum*, cujus affrictu visum recipiunt; *rutam* horrent, *salviâ* delectantur. *Satureja* quæ, & *cunila* à Plinio dicitur inter capas fata lætiùs adolescit, olésque suavius; Anseres, anates, & reliqua aquatilia, & altilia *Sideritis* herba suis morbis medentur; ut & Grues juncis; Apri *hedera*; cervæ *cinarâ* sanantur. Asparagi inter arundineta lætius germinant. *Pudica* herba ex Arabia allata dum viret, si manu vel leviter tangatur, horrescit, & contrahitur, remota manu iterum erigitur; arbor *Pudisetana* non solùm tactum, sed halitum, & accessum hominis horrescit, & deficit, Plantis omnibus, quæ feruntur est oleum inimicum. *Brassicam* aquam fontanam horrere, ex eo conjiciunt plures, quia immersa non madescat, *Ocimo* fragrantissima in hortis herba delectantur scorpiones, & capris eadem herba est lethalis. Talpæ odorem Camphoræ adversantur, *Folia fabæ* mutium foraminibus inculta mures omnes fugant. *Olea*, & *quercus* 192

aut

ait Plinius, mutuo pertinaci odio dissident, & altera in alterjus scrobe translata emoritur. Mutuis etiam odijs dicuntur dissidere *Brassica*, & *vitis*. *Polypodium* cancro fluviatili admota efficit, ut is crustas suas non in dorso tantùm, sed etiam in pedibus exuat.

EXPENSIO VIII.

Natura, ac proprietates Lapidum, & gemmarum symbolicè repræsentantur, & Ethicè expenduntur.

1 Lapides, cujuscunque sint generis corpora sunt, mixta solida, dura, per se minimè liquabilia, nec inflammabilia, nec ductilia, seu nec malleo extensibilia, imò potius ictu mallei frangibilia, & in fragmenta exilientia. Esse lapides corpora mixta ex eo conjice, quod in alia resolvantur, à qua resolutione abhorrent elementa: esse itidem mixta perfecta liquet, quia nullum elementum ita lapidi prædominatur, ut ab eo suam lapis sortiatur nomenclationem; neque alia mixta in lapidem resolvuntur. Lapidum duritiem si non credis, tange, & pugno percute. Non esse liquabilia per se patet; quia ut corpus liquetur, necesse est, partes ita dissolvi, ut communi innatent medio, quod in lapide non contingit, saltem per se; quia ob additum metallum, vel quidpiam aliud videntur, interdum & ipsi lapides liquescere. Nec lapides sunt inflammabiles, quia halitibus suppeditantibus materiam flammæ destituuntur. Nec sunt lapides corpora ductilia, cum malleo frangantur potiùs, quàm tundantur.

2 Ex eo quòd sint lapides corpora mixta constant ex elementis præsertim terra, qua gravitant: ignis excutitur è silice, aliisque lapidibus: etiam aqua seu humor oleaginosus è lapidibus extrahitur: nulli dubium quin immediatè ex elementis lapis concrescat, ut ex materia remota: proxima est succus lapidescens, qui percolatione præparatur: constat autem hujusmodi succus ex innumeris propemodum ramentis, diversæ figuræ, ac magnitudinis; non enim concrescit ex halitu; alioquin concrescerent lapides filatim perinde ac nix, & mucor. Succus igitur lapidescens præterfluens hæc ramenta, seu corpuscula quasi suffuratur: analogiam habemus in sanguine, lotio, aliisque humoribus, qui sola percolatione præparantur. In lapidibus translucidis succus lapidescens est defœcatus: & quò lapis est illustrior, ac nobilior, eò est succus defœcatior, ac præparatior; adeò ut gemmæ succo constent defœcatissimo. Concrescit autem hujusmodi succus in lapidem, quatenus partes humoris superflui subsidunt, dum aliæ implicantur, ex quo plexu unà concrescunt, & beneficio uliginis coagulantur. Rursus humor superfluus subsidit, vel vi caloris exhalatur, & materia superstes magis obdurescit in lapidem. Succus igitur lapidescens permeans omnia ramenta, & corpuscula, quæ continet, quæque beneficio humoris uliginosi unà concrescunt, lapidificat. Analogiam nobis exhibet pyrum saccharo conditum; in quo humor sacchareus ita permeat totam pyri substantiam, ut hæc in saccharum videatur mutata; & quo humor sacchari magis deperditur, eò plus indurescit pyrum, quasi in lapidem, ut difficulter dente conteratur, si diu fuerit exsiccatum.

Cum igitur lapis plurima terra constet, hæc unà congeritur in percolatione subsidente humore succi lapidescentis, cui plurima terræ ramenta sunt admixta, quæque humor præterfluens suffuratur, ac in unum cogit uligo, quæ eidem inest; & quò humor magis minuitur, eò lapis concrescit durior, perseverante glutino exsiccato quo ramenta, partésq; minusculæ una coalescunt. Sunt hæc ramenta mixta præsertim ex terra, & igne; pondus enim, & durities eam produnt; ut & ignem scintillæ, quæ ex silice excutiuntur: neque absque igne uniri possent terræ particulæ; quæ dissolvuntur in calcem igne exhalato: est autem ignis iste modicus, cum lapides accendi non possint, nec inflammari, immo etiam rarus, ut indicat arctior filaminum plexus duritiem lapidi concilians. Modica itidem aqua, sed perquam divisa lapidibus inest; idque ostendit frigiditas, quæ ab humore provenit. Cæterùm in lapidibus plus terræ inest, quàm alterius elementi, idque testatur pondus. Plus itidem inest aëris, quam ignis, & aquæ: hinc metalla quia lapidibus graviora plus continent aëris: liquari nequeunt lapides, quia modicissimo constant humore, cujus defectu, neque sunt ductiles, nec flexiles, quia humor per pororum meatus discurrere nequit, nec fluere. Lapides verò, qui per laminas concrescunt, fissiles sunt, quia aliæ alijs adhærent, & adglutinantur succo lapidescente. 3

Crescunt lapides, non quia vivant, & alantur, ut plantæ, ne quartam vitæ speciem cogamur in rerum natura absque necessitate introducere, sed per juxta positionem, quatenus nova ramenta, seu particulæ succi lapidescentis adduntur prioribus; id liquet in calculo in rhenibus, vessica genito, in quo minimæ partes accedentes prioribus adnexæ augent crassitiem calculi non sine graviore molestia patientis: idque etiam obtingit saxis, quæ in alvo torrentis, vel fluminis existunt, in topho res est perspicua. Putàrim tamen rupium moles, & montium præalta cacumina ab universi Conditore producta incrementa non subire cæterum probabile est, ac rationi consentaneum interiorem terraquei globi partem saxeam esse, quò tantæ molis fundamenta firmiora essent, ac solidiora. Ubique ferè locorum lapides concrescunt, ubi succus lapificus stabulatur in latomijs, fodinis, è quibus eruuntur præsertim marmora, lapidésque pretiosores, in aquis marinis ut corallium; in vesica, & renibus ut calculi; in capite bufonis, & cancri, pluriúmque piscium. Hinc figu- 4

figura lapidis varia est plana, curva, oblonga, sphœrica, prout ramenta succi lapidescentis unà concrescunt. Marmoris verò commixtio est accuratior, seu particulæ ejusdem succi lapidescentis accuratiùs percolantur, dividuntur, ac implicantur; idque prodit Lævor ipse marmoreus, indicat enim accuratiorem partium plexum cum minoribus pororum cavitatibus. Lævigantur marmora, & poliuntur arenâ, cujus attritu particulæ insurgentes atteruntur, & superstites remanent æquales in eadem planitie. Durities marmoris ex accuratiori plexu ramentorum in succo lapidescente petitur. Colores varij oriuntur ex diverso gradu opaci, & diaphani: color albus sph ⟨er⟩ulas habet in superficie marmoris; niger magis lævigatur. Porphirites marmoris genus durissimum purpureis, albisque maculis notatur, & partium plexus in eo arctior est quàm in c ⟨æ⟩teris.

5 Lydius lapis etiam perfectissimè lævigatur, idque provenit ex partium arctiori plexu, qui pororum respuit cavitates. Nigredo Lydij à partibus petitur denticulatis, & lævore; idque causæ, cur metalla suo affrictu Lydio adhæreant, qui Lydius subtilissimis, & arctissimis illis dentibus metallum affrictum corrodit, ejúsque particulas tenuissimas suffuratur. Eadem de causa cote arroditur metallum. Est cos pyritis genus, à qua per affrictum chalybis multum elicitur ignis: aspergitur cos aqua, ut in ea ferrum subigatur: humor siquidem complanat majores illas asperitates, & lenius acies acuitur. Pumex lapidum est levissimus ob laxum partium plexum, quo plures fiunt, & relinquuntur cavitates, & licèt multum hauriat humoris, hic tamen ob laxiores poros facilè affluit, perinde ac in spongia: sitque propterea pumex dura spongia aquis innatans; suâ tamen asperitate lævigat prædura marmora, quorum salebras, partésque surgentes suo pulvere explanat. Talchus seu lapis specularis concrescit per laminas, quæ facilè acicula dirimuntur; in talcho succus lapidescens extenditur per planas superficies; & quia est purior, ac defœcatior, lapis iste contrahit diaphaneitatem; quòd si laminæ sint paulo crassiores opacitatem præferunt, quia in majore illa profunditate plures occurrunt partes heterogeneæ, quæ visûs radium sistunt. Crystallus non concrescit ex aquis summo frigore congelatis, ac induratis ut plerique putant, alioquin calore liquesceret; neque esset ratio, cur figuram exagonam indueret: quin imò chalybis affrictu multus ignis è Chrystallo elicitur, idque argumento, non esse aquam congelatam. Est igitur Crystallus fossilis, & in calidissimis etiam regionibus reperitur, ubi nec frigus rigescit, neque aquæ congelantur. Quamobrem Crystallus constat ex multa terra, mediocri igne, & modico humore: éstque crystallus tersa candida constans ex sphœrulis proinde percussa albescit; non tamen liquescit; sed tantùm ope æquæ quam vulgo fortem dicunt, resolvitur: éstque crystallus glacie longè gravior.

6 Inter gemmas adamas primam occupat sedem, concrescit ex succo defœcatissimo, ac probè percolato, in qua percolatione particulæ optimè dividuntur, & veluti maturescunt. Reperiuntur adamantes in quibusdam præsertim fodinis Magni Mogoris apud Indos: vel etiam in alveo fluminis, arenis ejusdem immixti, à quibus secernuntur: causa cur durissimus sit Lapillus refundenda est in arctissimo terrestrium partium plexu. Non tamen adamantina durities tanta est, ut cum vulgo putes mallei ictibus non conteri, nec disrumpi possit; id enim aniles inter fabellas rejicitur: teritur enim adamas malleo, & in scobem reducitur. Neque ex eo, quòd sit pellucidus, credas constare plurima aqua, quia etiam vitrum est perspicuum. & tamen aqueum non est: oritur perspicuitas ex succo lapidescente defœcatiore, ac probè percolato; qua ratione etiam crystallus est pellucida. Imò adamantem constare plurimo igne ex eo conjice, quia affrictu ignis ab eo elicitur. Neque experimur adamantem ad se ferrum trahere; neque vim habere magneticam. Neque verum est, adamantem hircino sanguine duritiem exuere, ac emollescere. Neque quòd ferrum adamante tactum ad septemtrionem se convertat, perinde ac magnetica acus. Neque verum est adamantem ab igne non lædi. Neque in puro auro, & generari, nec alios gignere adamantes: hæc alia hujus generis fabulis accensentur.

7 Reliquæ gemmæ concrescunt fere eodem modo sicut adamas nimirum percolatione succi lapidescentis: & ob diversam percolationis rationem diversitas oritur gemmarum quoad duritiem, perspicuitatem, colorem, & figuram: hinc Rubinus, seu Carbunculus colore est purpureo; Saphyrus cæruleo; Smaragdus viridi; Hyacinthus subflavo igneo; Amethystus violaceo; Opalus vario, hæc colorum varietas à diversa corpusculorum oritur admixtione. Neque lapides suis destituuntur virtutibus: experimur enim magnetem mira præstare non solùm in ferro attrahendo, verùm & in alvi fluxu cohibendo: Smaragdum venena extinguere, ac pestilentes affectus abigere: Hyacinthum roborare calidum innatum. Suâ etiam lapides afficiuntur sympathia cum astris, ut Magnes cum Cynosura, quam perpetuò sequitur, & ad illam vergit, tenditque. Turchesia Saturni imitatur virtutes, & sequitur; Sapphirus solis æmulatur naturam; Smaragdus Martis redolet virtutes; Carneolus Jovis imitatur vires; Ametistus Veneris olet proprietates; Crystallus Lunæ habet energiam. Non tamen sigilla hisce insculpta lapillis eorundem augent virtutes, quia sculptum adimit, non addit lapillis quidquam.

8 Ex hisce pretiosis lapillis Justinianus Imperator referente Evagrio lib. 4. cap. 30. sacram curavit mensam fieri, quam Cedrenus vocat opus nulla imitatione æquandom. Constabat ex auro, argento, omnisque generis pretiosioris lapilli, lignis itidem, & metallis,

Di-

rebúsque omnibus, quas terra fert, & mare, mundúsque universus: siquidem ex omni materia pretiosa plura, & meliora pius Imperator collegerat, ex quibus, ijs liquatis, quæ fluunt, mensam conflavit, cui sacrificium immiserat, tanta rerum varietate, ut in admirationem raperet intuentes: in orbem hæc, quæ legebatur, insculpta erat inscriptio. *Tua de tuis tibi offerimus servi tui Christe Justinianus, & Theodora: ea tu propitius accipe, fili DEI Verbum, qui nostri causa carnem assumpsisti, & Cruci affixus fuisti: at nos in tua recta fide conserva. Et quam nobis commisisti rempublicam eam ad tuam gloriam auge, & tuere intercedente sancta DEIpara Virgine MARIA.* Legatur Baronius anno Justiniani 31.

9 *Achates* à fluvio Siciliæ, in quo primum repertus fuit, suam trahit nomenclationem, estque lapis discolor, ut penè omnem induat colorem. Magna propterea olim fuit in æstimatione & pretio, variisque discretus nominibus; adeò ut qui arboris speciem in se exprimeret, Dendrachates diceretur; qui varijs guttis aureis Sapphiri modo distingueretur Coralloachates. Nullibi videtur natura adeò varietate tum colorum, tum figurarum jocari, quàm in uno hoc lapide, qui in varias propterea dispescitur species, colore est vel nigro, aut fusco, aut cinereo, aut corallino, vel pellis leoninæ, hyenæ; hisce coloribus adeò variat, & ludit, ut jucundum præbeat spectaculum præsertim, ubi lineis suis, ac coloribus res alias naturales, aut artificales exhibet. Differt Achates à Jaspide duritie, & lævore; licèt Jaspis omnes perinde, ac Achates colores induat, est tamen mollior, & Achate opacior. Creditur Achates pestiferis veoenis, ut & viperarum, ac scorpionum ictibus resistere; cordi esse solatio, & contra omne veneni genus præservare. Ore detenta hæc gemma sitim dicitur sedare, febricitantium æstus minuere, sitque propterea amuletum contra febres præsertim quartanas: quæ colore rubescit, pro hæmatitite venditatur, & ad sanguinem sistendum adhibetur. Quod verò in hac gemma habetur spectabilius est colorum varietas, discoloribus enim venulis ita est distincta, ut nemorum, fluviotum montium, nonnunquam, & jumentorum, ac curruum speciem referat. Lemma. *Formam induit omnem.* APODOSIS. Charitas, quæ in proximum exercetur, fit omnia omnibus, ut cunctis prosit, sui obliviscitur, ut alijs sit levamini, ac eorum medeatur ægritudinibus.

10 *Achates* Pyrrhi regis, qui contra Romanos bella gessit. Annulum rex iste habuit haud ignobilis famæ, cujus gemma Achates fuit, in qua novem Musæ singulæ cum suis proprijs insignibus, & Apolline pulsante citharam videbantur sculptæ quidem, sed ingenitis figuris, ut refert Solinus. Lemma. *Nec pluribus impar.* Vel *pluribus una satis.* APODOSIS. Vir pietatis studio addictus non unam duntaxat, vel alteram; sed omnes excolit virtutes, quibus ornatur, ac splendet.

Acopis gemmis à Plinio *lib. 37, c. 10.* accensetur, estque pumicosa nitro persimilis, mirè tamen pellucida, & aureis stellata guttis, quasi tot micans stellulis, quot distincta guttulis, addit Plinius, quòd cum eadem oleum subfervefactum lassitudinem perunctis solvat, vires restituat, & corporis membra corroboret. Lemma. *Monstrant astra quietem.* APODOSIS. Vera & tuta quies in solo DEO reperitur supra sydera, unde S. Augustinus; inquietum est Domine cor meum, donec requiescat in te. Excursus. De Animi vera quiete à solo DEO speranda. 11

Adamas inter gemmas facilè primatum obtinet; gemmarum est durissima sine colore, guttæ aqueæ instar disphana, applicatam tamen tincturam ita ad se rapit, sibi jungit, ut micantes suos radios procul jaciat. Si adscitio colore albo, luteo, aut nigro infectus sit, id eidem datur vitio, ac ejus minuit pretium. Lemma. *Sibi pulcherrima merces.* APODOSIS. Virtus sibimet est pretium, nec alieno indiget ornatu, nec nitore, ut splendeat. 12

Adamas quamvis lapidum sit durissimus, ac firmissimus, ex eadem fit materia beneficio succi lapidescentis, seu humidi viscoli ac perenuis; hæc tamen materia in adamante est defæcatior, dilutior ob aptiorem percollationem, & durior ob arctissimum partium plexum; non tamen putârim tantam esse hanc duritiem, ob quam non debeat Adamas malleum timere; totum pretium adamantis ab ejus petitur perspicuitate, absque ullo adscitio colore, & crassitie. Sitque pretiosior, quò purior. Lemma. *Quò nudior, eò ditior.* APODOSIS. Paupertas religiosa qoò est simplicior, nudior à superfluis abhorrens eò est ornatior, pretiosior, ac pluribus virtutibus ditior. 13

Adamas adeò duritie cæteris dicitur antecellere corporibus, ut malleos, incudésque citiùs disrumpat, quàm frangatur, si Plinio credimus censenti adamantem innoxiè incudem ferre, cum tamen nostro sæculo nullus possit adamas reperiri, qui iocudi non cedat, & malleo; pluries visi sunt adamantes ad ictum mallei dissilire, ac in minutissimas, & vix sub aspectum cadentes crustas abire. Quia verò ejus duritiea eam superat cæterarum gemmarum non facilè adamas rumpitur. Lemma. *Gaudet patientia duris.* APODOSIS. Virtus patientiæ adictus adversitatum non frangitur, sed perficitur. 14

Adamas chalybe, & pulvere alterius adamantis cæditur, ac perpolitur continuato affrictu; quinimo etiam ad poliendos, ac cædendos alios lapillos vulgaris est adamantis usus. Lemma. *Dum patitur nitet*, vel: *premitur, sed non opprimitur.* APODOSIS. Virtus dum vexatur, exercetur, non perit; dum patitur vincit, victrixque triumphat: hinc Titus Livius Decad. 3. l. 2. Pertinax virtus omnia vincit: & Cicero pro Cluentio multorum improbitate depressa veritas emergit; & innocentiæ defensio interclusa respirat. 15

Adamas spurius, seu pseudo-adamas, qui præsertim in Bohemia, alijsque locis reperitur, 16

éstque lapillus, qui adamantem imitatur, est tamen impolitus, & crudus: interdum nucem juglandem magnitudine æqu t ovalis, ut plurimum est figuræ; si frangatur, perspicuus est, & clarus; politus proximiùs vero appropinquat; sed colore magis aqueo, ac limpido; supposita tamen lamina perspicuitatem juvat. Lemma. *Fallit imago.* APODOSIS. Mundi regnum bonum fallax est. Seneca in Oedipo.

Quisquam ne regno gaudet? ò fallax bonum;
Quantum malorum fronte, quam blanda tegis?

Euripides in Jone ait, regnum specie quidem externa lætum, ac splendidum, intus triste, ac molestum; & Antigonus cum filium suum vidisset in quosdã insolescere, ac minus perhumaniter in eos agere dixit: An, ignoras regnum esse splendidam servitutem: & cuidam aniculæ felicitatẽ in regno apprecanti ostenso diademate reposuit: oh si nosses mulier quantis malis panniculus iste refertus est, ne humi quidem jacentem rolleres; unde fallax bonum est regnum; & tamen ut ait Salustius, *Natura mortalium avida imperij est.* Cui consonat Tacitus inquiens: Vetus, ac pridem insita mortalibus potentiæ cupido: eáque cunctis affectibus fragrantior. Itaque regnum multi appetunt, nec boni ipsi, nec bono fine: plerumque etiam maximo cum exitio. Talis fuit Domitianus, qui imperij appetens Titum fratrem veneno sustulisse creditur.

17 *Adamas* aureo insertus annulo mirè irradians omnem respuit in se adscititium ornatum, eò enim splendescit illustrior, quò est simplicior. Lemma. *Sibi sufficit unus.* APODOSIS. Solus DEUS utpote includens totam bonitatis, ac perfectionis plenitudinem est sibi sufficientissimus, non indigus externæ opis.

18 *Æites* ita vocatur ab aquilis, quarum aliquæ ex hoc lapide proprium dicuntur nidum struere ad plura mala avertenda. Dicitur lapis iste semper prægnans, quia si eum manu quatias, quasi nucleum intus haberet sonare auditur, & aliquid intus moveri, quod sonum illum edat. Reperitur lapis iste in Media, & in Arbellis, est coloris olorini. Plinius 37. cap. 9. Lemma. *Non semper voluisse satis.* APODOSIS. Plerique volunt quidem mores corrigere, noxas declinare, DEO inservire; id sibi pluries proponunt, sed inefficax est voluntas futile propositum, quia nunquam executioni mandatur. Quid prodest multa in cultura virtutum concipere, si nec semina earundem jaciuntur, quæ excolantur? hoc perinde est, ac multa concipere, & nihil parere, nec alere: imperfecta, & inanima sunt hæc consilia, quæ à Plutarcho ventosis ovis comparantur, in extima superficie, ac putamine, albumine, & vitello videntur referta, cum tamen vacua sint, ac sola inanitate plena.

19 *Alabastrites* in Ægypto, & Syria præsertim, saltem in uberiori copia reperitur, candidus est lapis varijs interdistinctus, pictúsque coloribus. Hic lapis crematur cum fossili sale, & tritus dicitur gravitates oris abigere, ac dentium dolores sedare. Plinius lib. 37. cap. 10. Lemma. *Perficitur, non inficitur igne.* APODOSIS. Virtus in adversis perficitur, & in prosperis marcet. Alabastrites nisi igne combureretur, & malleis contereretur suam non proderet virtutem; quæ propterea gaudet adversitatibus, & per labores incedere, perinde ac per otia vitium; quia ut in proverbio est. Otia dant vitia, & D. Ambrosius vocat otium pulvinar Satanæ, Labor fomentum est virtutis.

Alabastrum molle, raróque inter lapides locum habet, & ad gypsi speciem videtur referri, éstque propterea mollius alabastrite. Varia tamen constituuntur alabastri genera ratione colorum; omne siquidem marmor cujuscunque sit coloris, si mollesit, ut facilè scindatur, alabastrum dicitur. Verùm usus invaluit, ut alabastrum sumatur pro marmore albo, molli, ad Parium proximè accedente; hic enim lapis ustus solet loco gypsi usurpari, & aquas affusas sorbet. Lemma. *Plùs epotæ, plùs sitiuntur.* APODOSIS. Avarus divitijs congerendis inhians, quò plures congessit, eò satagit majores congerere, semper inops, & indigus, quia plura sunt, quæ non habet, & appetit, quàm quæ habet; ille pauper, cui plura desunt. 20

Alectoria teste Plinio *lib. 37. cap. 9.* cui suffragatur Isidorus *cap. 13. lib. 16.* Lapis est, qui nonnunquam in ventriculo reperitur galli gallinacei pellucidæ Crystalli exhibens speciem, magnitudine fabæ, hoc lapide Milo Crotoniensis dicitur in certaminibus usus; ac propterea invictus, eò quia beneficio, & tutela alectoriæ hostium impetus eluserit, conatus frustraverit, & ictus coërcuerit. Lemma. *Hostilia tela retundit.* APODOSIS. DEI gratia, qui munitus fuerit, cacodæmonis astus, & assultus compescit, mundi technas eludit; carnis concupiscentias coërcet, libidinis æstus extinguit; & hostilia omnia tela retundit. Scitè Chrysostomus apud Nicetam ait: *Beatus ille undique petitus firmus stetit, & sexcenta tela clypeo excipiens deditionem non fecit: exhausit Dæmonis pharetram, nec concidit, imò ne de gradu quidem tantisper motus est.* 21

Ambra, quia in pretio habetur præsertim ab Orientalibus, gemmis ab ijsdem accensetur: & quamvis vox ista *Ambra* omnibus succini speciebus sit communis; in specie tamen accommodatur corpori bituminoso, valdè odoro. De illius ortu variant scriptores, Serapio vult oriri in mari instar fungorum, & postea à fluctibus unà cum lapillis ad littus expelli. Lusitani referunt in toto maritimo Æthiopiæ tractu reperiri ambram fluitantem, & flantibus ventis transferri ad littus in magna copia, variósque contrahere colores pro qualitate, & natura terrarum. 22

Est

Est ambra substantia pinguis, odoratissima, quæ in littoribus maris septentrionalis Poloniæ, Prussiæ, Sueciæ, & etiam Æthiopiæ invenitur, nunc durior, nunc mollior, & friabilis: quò à sordibus est repurgata, & defæcata, eò est perfectior, ac pluris fit; estque calida & sicca; ex odore id conjicitur, propterea in suffitibus, & odoramentis non modicum habet usum, ut & in re medica; spiritus enim animales, & vitales corroborat, cerebro, & cordi confert, sensus omnes vegetiores reddit, utilis est senibus, ac natura frigidioribus, in syncope, & Melancholia etiam plurimum commendatur. Lemma. *Prodest è fluctibus orta.* APODOSIS. Gratia, quæ beneficio baptismi nobis confertur ex aqua suam trahens originem maculas, non solùm omnes abstergit animæ, sed etiam vires confert contra tartareas potestates, spiritus suppeditat, & corroborat.

23 *Amyanthus* lapis talis est naturæ, ut lavari, pecti, neri, ac texi possit, conficiunturque ex eo mappæ, ac mantilia. Immo Brachmannes Indorum Philosophi sibi ex hoc textili lapide vestes confecisse refert Hierocles. Funebres etiam defunctorum regum tunicæ texebantur, ut combustorum corporum cineres à lignorum separarentur cineribus, ac humari honorificentius possent. Præparatur Amyanthus hoc pacto. Amyanthum fibris longioribus præditum (hic enim cæteris præfertur) infunde in lixivium præparatum ex cineribus quercûs putridæ, cum manipulis duobus cinerum clamellarorum, sine lapidem ebullire per fluxum quadrantis horæ; postea extrahatur, maceretúrque in eodem lixivio frigido spatio unius mensis, tunc instar lini communis pecti, neri, ac præparari pro libitu potest, ac mappæ fieri, quæ flammis injectæ non solùm non læduntur, verùm si qua ipsi macula inest, purgatur, adeò ut mappa purior, ac perfectior evadat. Lemma. *Perficitur, non inficitur.* APODOSIS. Virtus patientiæ in flammis adversitatum nil patitur detrimenti, sed perfectior inde evadit, pluribus cumulata meritis; sunt enim dolores, molestiæ, cruciatus, & adversa quæque eidem exercitio non exitio; ornatui non defectui: ait Apostolus virtus in infirmitate perficitur.

24 *Amyanthi* strophiolum, seu linteum ex Amyantho intextum flammis injectum nil patitur detrimenti. Nascitur Amyanthus, ut asserit Dioscorides in Cypro, & in desertis Indiæ, ut & ad Carysiam Eubœæ oppidum; imò etiam in Norico in mineris quibusdam, & in Norwegia. Plinius de mappis istis Amyantho intextis, ignisque injectis ait: sedentes in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendentes igni magis, quàm possint aquis. Lemma. *Uritur, non comburitur.* APODOSIS. Vir constans, & fidelis quamvis pro fide flammis tradatur, & uratur corpore, animo tamen non comburitur, quia in fide constans; imò coronam in flammis sibi cudit gloriæ.

Amyanthus lapis ubi semel ignem concipit, nunquam solet deflagrare; hinc est, quòd consueverint antiquitus Ellychinia ex eo fieri perpetua. Athenis in aurea Minervæ lucerna, cujus author, & artifex fuit Callimachus inerat thrialis ex lino Carystho teste Pausania. Plinius tamen ait, linum hoc rarum adeo fuisse inventu, ut inventum æquaret pretia excellentium margaritarum. Nunc verò hujus lapidis non rara est copia. Lemma. *Semel flagrâsse perennat.* APODOSIS. Flammam concepisse amoris DEI, perpetuum alit gloriæ splendorem. 25

Amethystus lapis est violacei coloris orti ex rubri, & cærulæi mistura, fulgore non omnino igneo, sed remissiore; interdum flavedinem admistam habens; nonnunquam colorem subpurpureum, vel etiam exactè purpureum, vel violaceum induit, ea perspicuitate ut plenè transpareat: reperitur hic lapis pluribus in locis, in Indijs, Arabia, America, imò etiam in Europa, in Germania, Bohemia, Missnia, sed iste mollior est, ac minori censetur pretio. Arcere creditur ebrietatem, eò quia vini fortassis colorem habeat; umbilico admotus vini vaporem ad se trahere, eúmque discutere, ne sursum inscendat, & caput aggravet, infestétque; imò & crapulam præcavere. Lemma. *Docet moderamina victûs.* APODOSIS. Sobrietas omnem coercet in esculentis, & poculentis excessum; ebrietatem prohibet, crapulam præcavet, mentem serenat, vires corroborat, humores peccantes dissipat; & totum hominem reficit. 26

Amethystus Indicus ceteris præstat præsertim, si dilutioris purpuræ colore irradiet: hicque creditur turpes cogitationes excutere, ingenium acuere, vigilantiam, & industriam excitare; imò & principum gratiam conciliare. Lemma. *Delatus turpia pellit.* APODOSIS. Castitatis cultor turpes omnes cogitationes quàm citissimè abigit, perinde, ac carbonem ignitum sericam delapsum in vestem, ne lædat. Excursus. De pravis, impurisque cogitationibus quavis disrupta mora illicò expellendis. 27

Ammochrysus, lapis est suam trahens nomenclationem ab arena, & auro, quibus videtur constare; ex ijsdem enim semistis compactus censetur, seu arenis auro intermixtis bracteatus. Lemma. *Miscentur ima supremis.* APODOSIS. In Christo duæ uniuntur naturæ in eadem persona, divina, & humana, seu ima summis, vilia pretiosissimis, lutum auro puro, putóque. 28

Androdamas argenteus videtur esse lapis, cujus præfefert nitorem, quadratis similis tessellis. Creditur lapis iste animi præsertim irascentis impetus coërcere, iræ æstus compescere, Isidorus, Origenes *lib. 16. cap. 14.* Lemma. *Scit rabidos componere mores.* APODOSIS. Animi moderatio inconcinnos quósque motus compescit; incitatas u- 29

triusque appetitus concupiscibilis, & irascibilis permotiones, torrentis instar effusas reprimit, & dissipata pravorum omnium affectuum caligine tranquilla quadam in statione mentem collocat.

30 *Anthracites* lapis est miræ naturæ, si flammia injiciatur, quamvis antea arderet, extinguitur, ac veluti emortuus jacet squalidus: è converso, si frigida perfundatur, vix aquis imbutus flammas concipit, & ardet, ut notant Isidorus, Origenes *lib. 16, cap. 13.* Lemma. *Marcet sine adversario virtus.* APODOSIS. Misera censetur illa fortuna, quæ caret inimico. Mollem otio manum durus gladij capulla exulcerat; caput bombacina tectum tela chalibeam respuit galeam; pectus translucido indutum serico ferream non patitur loricam: & ut ait Horatius. *Otium reges priùs, & beatas perdidit urbes.* Si enim segnities, & inertia in solio sedeant, etiam leones à lepore vincuntur: ubi verò adversarij segnitiem excutiunt, otium abigunt, spiritus excitant, quibus æmula virtus fovetur, & viget, quæ sine adversario languescit, & rubiginem contrahit: rebus verò adversis excitata splendescit, non secus, ac sydus nocturnaa inter umbras, contraria enim contrarijs magis elucescunt.

31 *Arurophylax* lapis est argento persimilis, de quo ait Plutarchus de fluminibus apud Taurum tantæ esse virtutis, ut Elidis potentiores ipsum coëmant, & ante thesauri limina ponant putantes divitias illic congestas tutè custodiri; quia cum fures eò approximant lapis tubæ instar clangorem emittit, & fures perterriti, ac veluti à satellitibus abacti per præcipitia feruntur. Lemma. *Tuta est custodia recti.* APODOSIS. Nulla tutior custodia, nullúmque securius præsidium ipsâ innocentia: hæc ubique tuta, neque quos timeat, habet: hinc Titus Vespasianus referente Suetonio, audiens prædecessores suos pluribus injurijs fuisse à subditis affectos dixit: *Nemo me injuriâ afficiet, quia nil ago, quod alios lædere possit.*

32 *Asteria* gemma est, plurimum lucis in se continens instar pupillæ, eandem per diversa loca fundit, illustrátque adstantes; cum ipsa ut clarescat alieno lumine non indigeat. Lemma ex Claudiano. *Ipsa sibi pretium.* APODOSIS. Virtus nullius rei indiga splendet innato sibi nitore. Claudianus

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausúve petit clarescere vulgi
Nil opis externæ cupiens, nihil indiga laudis,
Divitijs animosa suis, immotáque cunctis
Cladibus, ex alta mortalia despicit arce.

Excursus. De præstantia virtutis in albo veluti oculo splendentis.

33 *Beloculus* lapis est translucidus dictus à forma, quâ oculum imitatur, nigra pupilla in meditullio lapidis aureum emittit fulgorem teste Plinio *lib. 36. cap. 10.* ubi addit hunc lapidem Numini Assyriorum videntis omnia fuisse sacratum. Lemma. *Lustrat circumstantia virtus.* APODOSIS. DEUS præsens rebus omnibus singulos videt nostros actus, veluti centrum in circulo, ad quod à peripheria lineæ omnes ducuntur.

Bezoar lapis à Persico Pazar, vel Pazan, quod hircum significat, suam trahit nomenclationem, vel ut putant alij à Chaldaico Beluzaar, quod dominum veneni interpretatur; Bel enim Chaldæis idem est, ac Dominus, & Zaar venenum significat; eò quia lapis iste venenis domandis, & expellendis opportunum habeatur alexipharmacum; mollis est ex varijs crustulis coagmentatus figurâ variâ, oblonga, orbiculari, compressa; colore itidem, nunc nigricante, nunc subcinereo, modò flavescente; frequentius tamen est spadiceus ex viridi nigricans; magnitudine itidem diversa; nunc nucem avellanam, vel etiam juglantem, imò & aliquando ovum Struthiocameli magnitudine æquat. Reperitur in India Orientali, Persia, China, Cathajo, ac finitimis regionibus; & generatur in ventriculo cujusdam speciei Capræ sylvestris cornutæ. Hujus lapidis virtutes plures, ac miræ deprædicantur, Veneris peculiariter resistit, cordi est solatio, cui robur conciliat; ad syncopem granorum quatuor pondere datur in aqua cordiali, & quidem felici successu in ipso paroxysmo, vel paulo ante cordis palpitationem, melancholicos affectus discutit, febrem quartanam compescit, à lepra ex scabie mundat. Pesti, febribus pestilentialibus, ac contagiosis, variolis, morbillis, petechijs, morbis malignis cum aqua cardui benedicti adeò resistit, ut non solùm ab ijsdem præservet, si diebus singulis duo grana cum aqua aliqua cordiali sumantur: verum etiam granorum octo, vel decem pondere cum vino exhibetur, & adversus Napelli, Arsenici, & serpentum venena præstantissimum est pharmacum. Purgantium malignitatem retundit, Chronicis morbis ex humoribus, aut flatibus ortis succurrit, vires restaurat, membra corroborat, senectutem impedit, juventutem conservat. Contra morsus venenatorum animalium plurimum obtinet virium, si ejus pulvis vulneri inspergatur, ut etiam pestilentibus carbunculis apertis, si inspergatur, creditur enim venenum omne exsugere. Lemma. *Fit Panacea salutis.* APODOSIS. Christum Dominum in utero Virginis ope Divini Spiritus genitum pretiosissimum, ac saluberrimum esse lapidem dixeris, cum dicat Evangelista *Petra autem erat Christus*, non tamen pulvere, sed suo sanguine omnes nostras sanavit ægritudines, excussit infirmitates, abegit noxarum lethalia venena, fitque nostræ salutis vera panacea, ac animarum redemptio. 34

Bononiensis lapis, solis spongia, à quibusdam, vel etiam spongia lunæ dicitur, ut etiam coelestis luminis spongia bibula. Reperitur lapis iste propè Bononiam in Italia in quibusdam collibus montis Paterni quatuor milliaribus ab urbe dissiti. Celebris est hic lapis, eo 35

quia

quia proprietate polleat lucem ad se attrahendi, in se fovendi, ac conservandi, quam enim à sole lucem ebibit, tenaciter servat: etenim si soli exponatur, adeo avidè ejus lumen ebibit, ut totus illustretur, perinde ac spongia aquam ebibit, quâ tota imbuitur; deinde translatus lapis ad locum tenebricosum ebibitam lucem diutulè retinet sibi infixam; adeout instar accensi carbonis ad semihoram videatur in tenebris splendescere. Non tamen ultra duos annos vim suam retinet, paulatim enim fatiscit, ac suam deperdit bibulam vim. Est plerunque figuræ ovalis, compressus, scaber, inæqualis, coloris cinerei, micis splendentibus conspicuus, ex qua parte est lævigatior, ac politior uberiorem ebibit, ac servat splendorem; odore est sulphurso instar Pyritis, & quasi aliquid in se haberet talcosi. Si lapis impuriores partes admissas habeat in tenuissimum pollinem conteritur, & ovorum albumine, vel etiam aqua communi, vel oleo lini in unam massam redigitur, quæ si post primam calcinationem lucem non ebiberit, repetitur calcinatio donec habeatur effectus. Lemma *Epotâ luce refulget.* APODOSIS. Quicquid virtutis, ac splendoris, aut sanctitatis nobis inest, id à solo Deo haurimus, sine quo caligamus; & si nobis relinquamus in tenebris jacemus squalidi, omnique destituimur nitore.

36. *Calcarium* saxum est unde calx conficitur, & pluribus reperitur in locis, eo quia varia sint saxorum genera, ex quibus calx fieri solet; ea verò saxa, quæ albicantia sunt, & fusca cæteris præferuntur; & primùm ignis violentiâ in fornace ad id præparata aduruntur, ubi eumdem concipiunt ignem, quem in se potentiâ servant, ut aquæ frigidæ affusione in actum deducatur. Ignis qui potentiâ dicitur in calce servari in sale consistit calidissimo, ac siccissimo, cui cum frigida affunditur ob antiperistasim partium calidarum, quæ per totum diffunduntur corpus adusti saxi, seu calcis ad interiora contrahitur, ubi intenditur, & incremento caloris deducitur ad actum. Lemma *Augeat contraria vires.* APODOSIS. Plerunque permittit Deus, ut adversitatibus premamur, hostes in nos irruant, ut inde, cacodæmones tentationibus nos urgeant, ut uberiora nobis gratiæ auxilia suppeditet ad hostiles insultus retundendos. Excursus, quòd Deus non patiatur nos tentari supra id quod possumus.

37. *Calais* gemma est topazio affinis ex viridi pallens, in editissimis rupibus montium jugis inaccessia dicitur reperiri: Sectura formatur, ac politur, est enim mollis, nec multum resistit. Quæ colore viret smaragdino, cæteris hujus generis gemmis præfertur Plinius lib. 37 c. 8. Lemma *Dat pretium viror.* APODOSIS. Spes corroborat, fovétque vires ad strenuè agendum, quo inde præmium vitæ æternæ accipiamus.

38. *Carbunculus lapis* est pretiosissimus ardentes undique vibrans radios cæruleos, ac violaceos compactus à natura in locis lapideis, saxosis purissimis, à quavis fæce defæcatis; constatque ex succo lapidescente, humidóque, viscoso, puro, nitido, ac sulphure rubeo purissimo delibuto. Dicitur hæc gemma carbunculus, quia veluti carbo ardere videatur. Hic autem splendor oritur ex puritate, & claritate succi lapidescentis: pluries sublimatur, sursumque elevatur succus iste, tum à calore centrali terræ, tum à calore innato sui ipsius, donec ad summam puritatem, ac supremum purificationis gradum perveniat; tunc fixatur a calore sui sulphuris in materiam lapideam rubeam, quæ carbunculus dicitur ratione sui fulgoris. Virtutes hujus lapidis dicuntur esse aërem venenosum fugare, luxuriam coërcere pravas, ac turpes cogitationes excutere, amicorum lites, & discordantes animos conciliare, sanitatem conservare, ac omnia prospera reddere. Addit Ruellius carbunculum imaginem sui imprimere alijs gemmis, cum ipse imaginem non recipiat alterius gemmæ. Quia supra cæteras gemmas excitatiùs splendet, & radios evibrat, soli dicatus creditur, eum instar solis videatur flammas ejaculari, & alijs gemmis præesse, quibus sui figuram imprimit. Lemma *Qualis Rex, talis grex.* APODOSIS. Principis mores norma sunt vivendi in subditis. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Pulchrè ac præclarè dixit Traianus: Principem erga subditos talem esse debere, qualem erga se velit esse ipsos subditos. Fit plerunque ut Princeps exemplo suo trahat subditos, quorum non animis solum, sed oculis etiam servire eum oportet. Vita enim principis ait Plinius censura est, quâ subditi mores suos corrigunt. Princeps enim faciendo cives suos docet, formant se enim in principis mores, quos imitari unicè student: scitè Claudianus *Non sic inflectere sensus humanos edicta valent, quàm vita regentûm,* quales sunt principes tales & respublicæ, quæ facta sui principis imitantur: ait Tacitus obsequium in principem, & æmulandi amor, validiora sunt, quàm pœna ex legibus: quos igitur mores concipiunt principes, hos transfundunt in subditos: plusque principes obsunt exemplo, quàm peccato; hoc enim sibi tantùm nocet; illo toti reipublicæ: hinc Seneca in Thyeste. *Rex velit honesta, nemo non eadem volet:* hac de causa Cyrus Xenophonteus existimabat, virtutem sibi omnino colendam esse, eo quia nisi princeps sit qualis esse debeat, alios ad præclaras actiones excitare minimè potest. Debet princeps subditis esse melior: ait Niceta: *Ut principis mores sunt, ita res fere administrantur, utpote à quo pendeant: qui si ignavus sit, ruunt in deterius: sin bonus, & strenuus ipsæ quoque respublicæ florent, & eriguntur.*

Cathochites Corsicæ lapis, de quo aiunt Pli 39.
nius l. 37. c. 10. & Solinus c. 8. quòd si quispiam eum manu teneat, tenaciter veluti gummi glutinum eidem adhærescere. Lemma *Hæret si adhæret.* APODOSIS: Divitijs qui inhiat ab ijsdem rapitur, ac detinetur, & veluti aurea compede illaqueatur.

Ceraunia lapis est suam à fulmine trahens 40.
nomenclationem, eo quia unà cum fulmine è nubibus credatur excussus. hinc varia sortitur nomina dicitur telum fulmineum, lapis fulmi-

naris, cuneus fulmineus, telum Jovis. Generatur in nubis addensatæ gremio ex fulminea exhalatione cum materia metallica permissa, & humido circumfuso conglutinato, seu succo lapidescente, accedente calore solis, & aliorum syderum. Varias induit figuras cunei, pyramidis, mallei, securis, clavæ pro varia præparatæ materiæ dispositione. Cerauniæ hanc dicunt veram esse notam, si filum ita eidem applicetur, ut nullibi dupliciter, totúmque lapidem tegat, si prunis ardentibus injiciatur non solum non comburi, sed totum potius madere. Dicunt, hoc lapide cunis imposito infantes ab herniis præservari, imò & curari si tali morbo laborent. Rursus domum in qua servatur à fulmine tutam esse putant plures, ut & homines castè viventes, si hunc gestent lapidem: ait Marbodeus: *Qui castè gerit hunc lapidem à fulmine non ferietur. Nec domus, aut villæ, quibus adfuerit lapis ille.* Lemma *Noxius Innoxia ferrat.* Apodosis Tribulatio quamvis noxia esse videatur præservat tamen a noxis, nec sinit animum tribulationibus pressum illicitis adhærere, quem propterea servat indemnem, at immunem à culpa. Deus interdum punit permittendo tribulationes, ut homo avertatur ab illicitis, quibus si fortuna eidem arrideret, immunis à tribulatione, indulgeret.

41. *Chelonites* oculus est lapideus Indicæ testudinis, ut aiunt Isidorus Orig. lib. 16. c. 14. & Plinius *lib. 37. c. 10.* quem fingunt ore melle illito, & linguæ impositum futurorum præstare divinationem. Imò eum itidem qui aureis guttis inspersum lapidem procellosum in mare projicit, tempestatem sedare. Lemma *Ut scias loqui, disce tacere.* Apodosis, lingua ut bene loquatur silentii fræno coërcenda est: qui tacendi non habet artem, nec loquendi novit opportunitatem: unde vulgata habetur parœmia: *loqui ignorabit, qui tacere nescit.* Qui tacet, & loquitur cum decet, ille sapit: ejusdem est artis rectè tacere, at rectè loqui ait D. Gregorius is rectè loquitur, qui ordinatè tacet; seu qui tacet ubi necesse est; & loquitur ubi opportunitas exigit: qui sapit non solum quod loquatur cogitat diu, sed & opportunitatem loci, temporis, & personæ cum qua loquitur, inquirit. *Excursus* de lingua coërcenda. Nam ut ait Cassiodorus in Psalm. *Dixi custodiam Difficilis res est in lubrico faucium constitutam veritatis rigidæ tenere mensuram; cui si incautè fræna laxentur, frequenter contra se loquitur.*

42. *Chernites* lapis est ebori similis, ex quo Darius Rex tumulum curavit sibi construi eo, quia opinio tunc inoleverit corpora hoc humata in lapide neutiquam interitui, aut corruptioni fieri obnoxia Plin. lib. 36. c. 16. Contrariæ virtutis est Asius lapis cujus meminit Theophrastus lib. de igne. Omnia enim eidem adhærentia consumit, & in cineres redigit, Lemma *Hunc vel Fata timent.* Apodosis. Dei opitulantis gratia omni efficatior, ac potentior chernite nos præservat à morte peccati; impedítque morum corruptionem; & corpora beatorum dote incorruptibilitatis munit, ne per currentium sæculorum indefessa, ac æterna conversione deterantur: ait Hugo in Enchir. Resurgent sanctorum corpora sine ullo vitio, absque ulla deformitate, sine ulla corruptione, sine difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit.

Chrysaconios lapis est, cujus affrictu probatur aurum, at legitimum ab adulterino secernitur. De hoc lapide ait D Chrysostomus serm. adversus hæreticos. Lapis est, quem Chrysaconion vocant, quo probatur aurum adulterinum, & nothum, si illi atteratur; ostenditúrque purum putum, immixtum, incorruptúmque numisma. Hunc Judicem ego Fidelissimum hominum cor dixerim. Nam qui de fide rationes orthodoxorum, & adversariorum accipiunt, & in gnomone cordis quasi atterunt, & probant, inveniunt fidem orthodoxorum synceram, & puram; pravamque aliud sententium opinionem, & fidem esse adulterinam. Lemma *Conscientia mille testes.* Apodosis. Ut probetur qualis sit intus homo non alio opus est Chrysoconio, quàm propria conscientia, hæc qualis quisque revera sit verè judicat. 43.

Chryselectrus lapis est auro similis, rutilat sed in colorem vergens electri. De hoc lapide scribit Isidorus *lib. 16. Orig. c. 14.* Matutino duntaxat aspectu esse jucundum, ac quamdam exhibere formæ venustatē quæ illico deflorescit, at perit. Lemma ex Tibullo, *Nullam formæ Fata dedere moram.* Apodosis. Hominis venusta pulchritudo brevissimo tempore vernat, & statim flacescit, at perit, ne eidem adhæreamus; quia ut monet Propertius. *Nec forma æternum, nec cuiquam est fortuna perennis,* & Virgilius in Bucolica adolescentem monet ne propriæ fidat formæ 44.

O formose puer nimium ne crede colori:
Alba ligustra cadunt; vacinia nigra leguntur

Ovidius lib. 15. fab. 3.

Labitur occiduæ per iter declive senectæ,
Subruit hæc ævi, demolitúrque prioris
Robora: fletque Milon senior cum spectat inanes
Illos, qui fuerant solidarum morte ferarum
Herculeis similes, fluidos pendere lacertos.
Flet quoque ut in speculo rugas conspexit aniles
Tyndaris, & secum cur sit bis rapta requirit.
Tempus edax rerum, túque invidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi.
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

& lib. 2. de arte amandi

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos
Fit minor, & spatio carpitur illa suo
Non semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissâ spina relicta rosâ
Et tibi jam venient cani formose capilli,
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Chrysoprasius lapis est, qui ut referunt Plinius *lib. 37. c. 8.* & Isidorus *lib. 16 Orig. c. 13.* in Æthiopia reperitur, ejus proprietas est, ut luce obscuretur, & obscuritate clarescat. Lemma *Dat umbra nitores.* Apodosis. Homo pius in nocte tribulationum, umbrisque ærumnarum clarescit apud Deum; in luce humanæ felici- 45.

tatis

taris verò plerunque splendorem amittit, quia nullo clarescit exercitio virtutis. Excursus de utilitate tribulationis, & periculo in prosperitate.

46. *Chelidonius* lapis est perquam exiguus ita dictus ab Hirundinibus, eò quia in eorumdem ventriculis putetur reperiri. Lapillus iste magnitudine non excedit semen lini, est figura semisphærica, colore luteo obscuro splendente parte convexa, & rotundiore; purpureo, & nigricante parte sessili. Capitis dolores dicitur sedare, ut & quartanam, ac hepatis affectus. Si gestetur humores excutit melancholicos, mentémque restituit pristinæ, lætæque serenitati. Lemma *Magis clarescit in usu.* APODOSIS. Virtus humilitatis quamvis videatur exigua, floccique facienda, & ut plurimum lateat: ejus tamen usu & exercitio illustriùs coram Deo clarescit. Excursus de humilitate.

47. *Chelidonij Melitenses*, ita dicti ab Insula Melita, in qua reperiuntur, & quos Incolæ oculos vocant serpentum petrificatos, varij sunt generis figurâ, magnitudine, ac colore discrepantes. Contra epilepsiam commendantur. Lemma: *Quæ fuerant noxia prosunt.* APODOSIS. Adversitates, quæ corpori nocuerunt animæ sunt saluti; quæque damna intulerunt prosunt. Excursus de Tribul.

48. *Cinædia* lapis est aic Plinius *lib. 29. c. 6.* qui in Cinædi piscis capite reperitur: si inguinum tumoribus alligetur, dicitur ijsdem mederi, & *lib. 37. c. 10.* addit, nubilo, aut candido colore tempestatem, aut serenitatem prænuntiare. Lemma *Dant præsagia mores.* APODOSIS. Plerunque ex colore vultûs externo conjicimus qualis sit intus animus. Sed certiora præsagia probæ vitæ, & indolis ad virtutum exercitia propendentis; est bona educatio. Excursus de filiorum educatione, ex qua præsagimus qualis futurus sit adolescens.

49. *Chrysolithus* apud modernos idem est lapis cum antiquo Chrysolitho, qui nunc Topazius audit. Veterum enim Topazius nunc pro Chrysolitho habetur; estque gemma viridis colore smaragdo dilutior, cui nonnihil flavedinis adnectitur; quandóque præter viridem aureum fulgentem habet: & ab hoc aureo, quo translucet colore Chrysolithus dicitur: cujus virtutes plures recensentur, nimirum sanguinis eruptiones sistere. Admotum vulneri statim fluentem compescere bilem; item, ac Phrenitidem mitigare si pro amuleto gestetur. Item nocturnos timores, & terriculamenta puerorum, ac lunaticos paroxismos arcere. Colorem amittere in mensa præsente veneno, eóque remoto recuperare. Cardanus refert, se expertum fuisse, quindecim grana Chrysolithi fuisse Melancholicis auxilio. Lemma *Corrumpunt malorum commercia probos.* APODOSIS. Consortia pravorum bonos mores corrumpunt, & viros probos pervertunt. Sit nobis cum probis, ac virtutum cultoribus commercium; caveamus cum virtutis inimicis contubernium. Nil homini probo nocentius homine improbo; ideóque qui pravæ sunt vitæ, perinde vitandi, ac cerastæ venena evomentes. Ut homo homini dicitur lupus; ita pravus socius idem est socio, quod avibus viscus, piscibus hamus: vulgata est Paræmia: qui juxta claudum ambulat discit claudicare: & sicut corporis, ita & animi serpunt contagia, quæ sua vicinitate proximos solent inficere. Serpunt vitia & quos proximos noverint fœde occupant: imò non solùm contactu, sed etiam conspectu nocent. Sunt minuta quædam animalcula, quæ cum mordent non sentiuntur; sed subsequens tumor morsum præcessisse prodit, licèt nullum in tumore vulnus appareat: perinde mali socij licèt non videantur nocere, ex prava tamen eorumdem conversatione sentiuntur nocuisse. Ebriosus contubernales in amorem Bacchi trahit, impudicus in veneris retia pellicit; avarus sordescens suum virus in alios transfert. Quoties bonus conjungitur malo non fit melior, sed & ipse malus, & ex malo deterior. Prope ignem consistens tametsi ferreus sit, necesse est calorem contrahat, ac paulatim dissolvatur, pari pacto proximus periculo proximus est exitio; & ubi malorum est consortium ibi periculum imminet perversionis: satiúsque propterea pravorum in se odium concitâsse, quàm contubernium frequentâsse; facilè fit sceleris conscius, qui contubernij fit socius. Pravus non solum pravè loquitur, & agit, sed etiam ut ita agat, suadet, & persuadet. Prava consuetudo enervat ingenium, emollit animum, cui faciliùs vitia imprimit: scitè D. Hilarius in Psalm. 140. *Habemus laqueos in hominibus malæ adhortationis, periculosi exempli, & elicitæ necessitatis, cum nos ad voluptatem adhortantur.* Vocat prava exempla laqueos elicitæ necessitatis; quia per voluptatum illicia ad consuetudinis illicita nos trahunt. Præ cæteris hi sunt discincti socij fugiendi, qui dirupto pudoris claustro, modestiæque dejectis repagulis, non solùm in sceleribus delectantur, verùm & de ijsdem sceleratè gloriantur, quasi dandum sit laudi turpissimè egisse; ac nuda fronte quia effrontes se se jactant flagitia perpetrâsse; ac si id esset non dæmoni, sed Numini sacrificâsse; de quibus loquitur Augustinus lib. 2. conf. c. 3. inquiens. *Fingebam me fecisse, quæ non feceram, ne viderer abjectior, quo eram innocentior, & ne vilior haberer, quo eram castior.* Pudet eos minoris dedecoris, ac si decus esset, scelus commisisse & dedecus non esse scelestum; quo nil probrosius, nilque scelestius, ex flagitiorum infamia venari famam, & ex facinoribus inglorijs gloriam aucupari.

50. *Corallia* quamvis ad plantas marinas lapidescentes pertineant; Magni tamen fiunt præsertim in Sinarum imperio, & Japonia ubi incolæ corallium gemmis præferunt pretiosioribus, fortassis quia rarum, & illac ex Europa asportetur. Est enim Corallium frutex marinus ramosus, sub aquis viridis; extractus ab aquis lapidum acquirit soliditatem: quando enim succus lapidescens ob peculiarem ejus dispositionem se poris insinuat in lapidem convertit; qui lapideam postea soliditatem acquirit ab aere ambiente, ut & rubedinem à maturi-

tuti-

turitate, non secus ac reliqui fructus robicundi. Variæ tamen sunt Coralliorum species: sunt enim corallia robicunda, alba, nigra, striata, stellata, articulata, solida, fistulosa, scabra, porosa, racemosa. Corallium rubrum ploris fit reliquis, bactas habet similes cornis specie, ac magnitudine, substantiam lapideam, quæ poliri exactè potest. Corallij virtutes plures recensentur, ut exsiccare, adstringere, refrigerare; cor, ventriculum, & hepar corroborare, sanguinem purificare, à viro gestatum elegantius dicitur rubere, quàm in muliere: ut etiam si à lethaliter ægrotante gestetur, vel à morte proximo dititur impallescere, imò & futuras ægritudines ex mutatione coloris præsagire, Habetur itidem amulethum puerorum contra terriculamenta, fascinationes, incantationes, venena, & epilepsiam si collo appensam, vel brachijs gestetur. Venenatis, ac contagiosis morbis dicitur etiam resistere, si pondere drachmæ semis exhibeatur; si cum lacte ante cibum ad decem grana ebibatur gonorrhæam sistit, sanguinis rejectiones, & fluxus dyssentericos sanat. Renum & vesicæ calculos expellir, cicatrices extenuat, dentitionem puerorum promovet, si pueri crebrò corallium mordeanr. Tincturæ tamen & salea, imò & olea ex corallio à Chimicis præparata hæc omnia efficaciùs prællant. Cæterum ex eo, quòd corallium è maris fundo extractum & sursum extra aquas perficiatur in lapidem, ac rubescat politúrque veluti in gemmam potest eidem addi Lemma: *Dant adversa nitores.* Apodosis. Vir asteta, ac pius studio addictus virtutum in adversitatibus perficitur exercitio virtutum. Quæ mundus mala esse credit, mala non sunt; sed personata bona: mala judicantur quia nobis sunt adversa, sed bona in se sunt; quia homines patientiâ loricatos perficiunt, & ad victoriam erudiunt. Hinc Deus qui errare non potest in rerum delectu adversa immittit suis dilectis & amicis, quos expoliat, perficiat, ac illustriores constituat. Non sunt ergo mala quæ nobis dat, qui est summè bonus, ut bonos faciat meliores. Quid conqueritur delicatulus se ærumnis premi, adversis urgeri, cum hæc sint bonorum perennium bases, ac cœlestis beatitatis sedes, & recta ad gloriam itinera: Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in Regnum suum? Christo esurienti fercula fuerunt labores, vestitus pannosa paupertas, gloria contemptus, magnificentia humilitas, celsitudo abjectio, honor opprobria, delitiæ injuriæ, lætitia mœror, solium patibulum: hæc mundus mala putat, quæ tamen bona sunt, quibus cœlestem gloriam nobis comparamus. Reliquias sanctorum veneramur; & paupertatem, patientiam, subjectionem, persecutiones, dolores, opprobria, cruciatus iniquè ferimus, cum tamen reliquiæ sint Christi; qui ut ejus sequamur vestigia nos adhortatur: & tamen licèt Christiani simus, hæc sacra pignora passionum Christi rejicimus, contemnimus, nihili facimus. Si instrumenta conspicimus, quibus SS. Martyre passi sunt, & simul nacti cœlestem gloriam, cur illa despicimus, quæ ad æternam nos vitam perducunt? Quod si corporis lipsana sunt ossa, sanguinis concretus, capilli, carnis, & ossium cineres: & animæ reliquiæ sunt virtutes, earúmque exempla, cur non pluris facimus animæ, quàm corporis reliquias? cum anima longè nobilior sit corpore? Animæ igitur Christi virtutes heroicas æstimemus, nobiscum circumferamus, patientiam osculemur, humilitatem veneremur, paupertatem amplectamur, laboribus obviam eamus, cruciatibus genu flectamus, persecutionibus caput inclinemus, cruci, in qua passus est Christus nostra consecremus viscera: si Christum suspicimus cruci affixum, ac in ea pati; cur nos Christiani pati detrectamus, & patientiam despitimus?

Dionisias lapis est niger quibusdam distin- 51.
ctus rubentibus notis: ait Plinius lib. 37. c. 10. quòd si conteratur, & ejus pulvis aquæ admisceatur, vini saporem eidem conciliat; ebrietatem arcet, Lemma. *Præstat contrita saporem.* Apodosis. Virtus patientiæ suavius sapit cum adversa patientem conterunt, ac divexant, virtutis exercitio est Deo gratior. Exercursus de patientia in adversis. Virtus inter adversa suas exerit vires Ovid. lib. 4. Trist. eleg. 3.

Materiamque tuis tristem virtutibus imple
Ardua per præceps gloria vadit iter
Hectora quis nosset si felix Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.

Draconites gemma est, quæ è Draconis cere- 52.
bro erui dicitur, dummodo eidem somno sopito caput amputetur; tunc in gemmam dicitur pellutidam concrescere Plinius lib. 37. c. 10. Lemma *Dant fata nitorem.* Apodosis. Vir pius culturæ addictus humilitatis, quamdio vivit studet spetimina sanctitatis occultare. Sed post mortem splendet illustrior, non solùm cœlesti donatus beatitate, sed etiam in terris laudibus commendatus.

Electrum, seu succinum in Insula maris se- 53.
ptemtrionalis juxta litus Poratenicum reperitur, ex scopulis fluctuum allisu dilutis dicitur fluere, ac sensim ex liquido contrestere, ac ad littus ejiti ubi magna solertia quæritur ab incolis, melleo est colore, suavémque afflat odorem si sensim aduratur Plin. lib. 37. c. 3. Lemma *Fragrat dum flagrat.* Apodosis. Fides in sanctis martyribus fragrantior olet, dum Christi Athletæ flammis uruntur, igne torquentur.

Electrum si attritu calefiat paleas, & arida 54.
folia, ac philyras ad se rapit, non secus ac magnes ferrum. Lemma *Vi suavi.* Apodosis. Divina gratia arescentia nostra corda ad exertia virtutum blandè trahit, nostramque duritiem emollit.

Gagates lapis est subniger, sed splendescens, 55.
levissimus, mira est ejus proprietas: etenim affusâ aqua flammas concipit, & ardet, & oleo itidem affuso extinguitur Plin. lib. 36. c. 19. Lemma *Virtutem adversa probant.* Apodosis. Virtus si adversario caret non claret, sed otio torpescit. Excursus de adversitatibus, quibus virtus exercetur: etenim in adversis vera virtus fervet, quæ in prosperis tepet, & affuso voluptatis otio paulatim languescit.

Gala-

56. *Galactites* lapis est subniger rubescentibus tamen velut guttulis inspersus, & interdum candidis etiam notis variegatus mirè in obscuro fulget. In vino colorem induit album, ac lacteum, nutricibus ejus pulvis epotus lac adauget Plin. l. 37. c. 10. Lemma *Prosunt adversa saluti.* APODOSIS. Contraria virtutem exercent, merita incrementant, & plurimum conferunt ad salutem æternam acquirendam.

57. *Gasinades* ex Plinio *l. 37. c. 10.* lapis est floribus insignitus, ac variè pictus Trimestri spatio aliam intra se gemmam fertur concipere, & partum concussa prodere. Lemma *Difficilia quæ pulchra.* APODOSIS. Virtus pulchra res est, sed difficulter invenitur florere ubi nonnisi saxea durities rigescit, seu ubi tantùm rigorem, & duritiem experimur. Sed difficilia tentanda sunt, dummodo honesta sint. Nam rebus maximis difficultatem ipsa natura proposuit; & ut Cicero ait: *Non solum ars, sed virtus etiam in eo potissimum versatur quod est difficillimum.* Curæ enim laboriosæ efficiunt, ut ad pulchra, & honesta facinora perveniatur. Contemptui potius est quod facilè superatur, magni vero fit quod difficimus, & nihil tam difficile quin quærendo investigari possit: quia ut scitè monet Curtius: *Nihil tam altè natura constituit, quò virtus non possit eniti*, & quamvis tentanda non sint, quæ effici omnino non possunt: interdum tamen datur laudi voluisse, quod non patet, si præclarum aliquod sit, ac honestum; quinimo turpe est ab honestis metu difficultatis absterreri: nam in magnis voluisse sat est.

58. *Glossopetra* lapis est humanæ linguæ similis, & ut ait Plinius in terris non nascitur, sed è summo cœlo luna deficiente decidere creditur, & eâ ventos comprimi, ac procellas sedari. Lemma *Efrenes motus blanda suada coërcet.* APODOSIS. Eloquentia sacra, qua vitia deterrentur abiguntur, ac studia virtutum promoventur donum est Dei quod è cœlo in terras delabitur, cujusmodi fuit eloquentia Apostolorum, quando Divinus Spiritus multiplices dispertitus in linguas igneas ad eos descendit. Sicut olim Deus rerum conditor plurium confusione linguarum insanos gigantum labores, & superba consilia in Babiloniæ turris molitione destruxit: ita sideribus æquandam Ecclesiæ Catholicæ turrim moliturus linguarum diversitate, & eloquentiæ flexaminæ præsidio Apostolos communivit.

59. *Gonia* lapis est, ait Aristoteles *de Admiran. 109.* in agro Carthaginensi in monte Gonio, qui per totam æstatem flammas igneas emittit, perinde ac succensa fornax; & per reliquum anni tempus frigidos aquarum latices ab eodem exsiliunt. Lemma *Ignis, & unda fluit.* APODOSIS. Spiritus S. è cordibus nostris licèt lapideis aquas, ac imbres elicit lacrymarum, & in eodem ignem, & flammas accendit, fovétque divini amoris. Imò Spiritus S. fons vivus, ignis, charitas dicitur. Ex ipso faces charitatis ad frigida nostra corda inflammanda exiliunt; & uberes rivi internarum consolationum ad extinguendos impudicos rebellantis concupiscentiæ ignes, & sordes eluendas peccatorum.

Helitropium gemma est coloris porracinei, venis distincta sanguineis: censet Plinius *c. 10.* hanc gemmam solis excipere imaginem, lunæque defectus prodere, & gestatam reddere invisibiles eam gestantes Lemma. *Tegit si quem protegit* APODOSIS. Protectio Virginis matris nos regit, ut ab hoste tartareo liberet. Excursus de protectione B. Virginis, quæ solem justitiæ suo excepit in utero 60.

Hephestites gemma est teste Plinio l. 37. c. 10. pellucida, speculi naturam induit in reddendis imaginibus rerum omnium, quæ illi exhibentur. Lemma *Omnibus omnia.* APODOSIS. charitas gemma est specularis, quæ omnium infirmitates in se suscipit, ut alijs opituletur, se ipsam aggravat, ut alijs sit levamini; fitque omnibus omnia, quò omnibus prosit. 61.

Hexecontalithos lapis est apud Atlantes ob varios ac multiplices quos induit colores admiratione dignus, & commendatione. De hoc lapide ait Solinus, & cum ipso Isidorus Orig. lib. 16. c. 12. Tantùm lapide uno gloriantur Atlantes, hexecontalithon vocant, tam diversis notis sparsum, ut sexaginta gemmarum colores in parvo ejus orbiculo deprehendantur. Lemma *Quæ sparsim legi, collecta lege.* APODOSIS. Vir omni virtutum genere ornatus, omnia, quæ in alijs decora nitent in se uno complectitur. Excursus de cultore virtutum omnium, viróque eximiè sancto. Potest & apponi Lemma *Pro cunctis sufficit unus*, de strenuo in bello exercitûs Præfecto, & Duce. Vel de viro virtutibus omnibus ornato, quo pacto de Stilicone cecinit Claudianus

Partitum singula quemque
Nobilitant: hunc forma decens, hunc robur in armis
Hunc vigor, hunc pietas, illum solertia juris,
Hunc soboles, castique thori: sparguntur in omnes,
In te mista fluunt; & quæ divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Hammonis cornu gemma est ait Plinius l. 37. c. 10. quæ effigiem repræsentat cornu arietini, colore tamen aureo. Creditur hic lapis eum gestantibus somnia conciliare divina. Lemma *Dat præsagia vitæ.* APODOSIS. Studium sacrum suggerit, quæ ad æternam pertinent vitam, ad quam iter ostendit.

Hyacinthus violacei est coloris, mutationibus tamen obnoxius, quia ut ait Solinus c. 33. cœlum sequitur, auras sentit, & cum cœlo facit mutationes, neque æqualiter semper rutilat; cum aut nubilosus, aut serenus sit dies. Hinc variæ constituuntur hyacinthi species. Sunt qui instar minij nativi, & sanguinis biliosi rutilent: alij colore rutilo, & ex flavedine rubenti splendent: alij rubedine croci flavescunt: alij succinum flavum æmulantur; imò & alij album succinum referont. Lemma *Decus cœlestia præstant.* APODOSIS. Totus virtutum ornatus à solo Deo sperandus, cujus si gratia destituamur nil possumus, nisi in scelera protuere. Hinc noster animus meliore spiritu afflatus ad Deum se totum componit, & fertur, pro DEI gratia agit, quæ si absit in luctu in squalore jacent præcordia, & mœstitudine confecta tabescunt. Quòd si hyacinthus ex Solino sculptu- 62.

ræ resistit, & solius adamantis scripturam patitur: ita solus Deus instar adamantis duritiem cordis nostri emollit, eique cœlestia insculpit desideria; & cor nostrum uni tantùm se pendit Deo, cujus impressiones suscipit, ut cecinit ille.

Est Deus in nobis, agitante calescimus ipso.

63. *Hyænia* ea oculis Hyænæ eruitur, & si Plinio credimus lib. 37. c. 9. si linguæ hominis supponatur futurorum prædictiones suggerit; ac verba ad limam prudentiæ prolata. Lemma: *Ita loquere, ut eloquaris.* Seu in id incumbe studij ut non nisi bene, ac laudabiliter loquaris. APODOSIS. Prudentia in loquendo semper adhibenda maximè ubi de rebus futuris, & magni momenti agitur; adeo ut oculus prudentiæ semper aperiatur in lingua; alioquin satius est linguam coërcere silentij frœno: non multum, sed probè loqui datur laudi: alioquin si multa continuè, & celeriter proloqui prudentiæ signum foret: hirundines aliæque garrolæ aviculæ ut ait Nicostratus multò sapientiores essent hominibus: hinc Plautus in Epidico

Tacere est optimum; plus scire satius est
Quàm loqui cautum hominem; ea sapientia est.

Pythagoras ante omnem eruditionem voluit discipulos suos loqui dediscere, & proposuit illis statim silentium; cui suffragatur Isocrates orator, cum Careon quidam locululeius in discipulum ejus se recipi expostularet, duplicem ab eo exegit mercedem alteram ut loqui disceret; alteram ut tacere addisceret; quapropter Æschines Socraticus cum frequentasset scholam, & reprehensus ab amico ob silentium diu servatum; reposuit: non loqui tantùm à Socrate didici, sed & tacere; & alius Philosophus percunctanti cuidam, quid sibi Philosophia profuisset, respondit *ut tacere vellem, ac possem.*

64. *Jaspis* lapis est varijs distinctus coloribus ob succorum varietatem, qui ad ejus generationem concurrunt, tantæ quandóque est magnitudinis, ut ea hoc uno lapide statuæ, ac columnæ possint sculpi, Achate est mollior; variæ tamen sunt ejus species, ut heliotropius, lapis nephriticus, malochites. Orientalis Jaspis gemma habetur, quæ subcœruleo viridique colore obscura, sanguineis est punctis distincta & cæteris alijs præfertur. Vincentius Beluacensis in suo speculo naturali refert, Jaspidem fuisse speciem viri exhibentē, è collo suspensū gestantis clypeum, & pedibus subjectum serpentem prementis. Hujus lapidis meminit etiam Rueius lib. 2. de gemmis, ubi etiam addit Galenum in digito Jaspidem tulisse, in quo videbatur species hominis fasciculum herbæ collo sustinentis, cujus virtute morbos discerneret, & sanguineos fluxus sisteret. Lemma *Non habuit similem.* APODOSIS. Virgo Mater pretiosissimus fuit lapis Jaspis, quia Deum & hominem virginali suo tulit in utero, clypeo fidei munita & armata divini verbi gladio, quo antiquum serpentem, qui suo lethali veneno totum humanum genus infecerat, contrivit; & reliquos tartareos hostes fugavit.

65. *Icterias* gemmis accensetur, sed gemma est lurida, vilioris pretij. quæ tamen regio morbo medetur; plures sunt ejus species: aliæ sunt viridiores, sed levissimæ: aliæ venis nigrescentibus præsignatæ, ut refert Plinius lib. 37. c. 10. Lemma *Is magnus, qui divitijs pauper;* seu illis non abutitur, vel *Is dives, cui satis quod habet.* APODOSIS. Pauper contentus sua sorte, locupletior est divitijs affluente.

EXCURSUS.

Pauper ditior est quovis locuplete, si nil cupiat, sitque sua sorte contentus.

IS verè dives, cui nihil deest, nec quidquam cupit, nec possidere appetit, & sua contentus sorte omnem compescit cupiditatem ditescendi, fluxásque mundi divitias contemnit. Possidere omnia nulli hominum est concessum, soli Deo id proprium, qui pelagus est totius bonitatis, nullo clausum litore, nullóque coërcitum termino; contemnere verò omnia, cupiditatésque plura possidendi compescere, cuique est arbitrarium, proinde veram etiam enancisci beatitatem, cujus prægustatio quædam est, nil concupiscere, suáque sorte gaudere. Neque eum beatum esse dixeris, cui bonum aliquod deest, & illi bonum aliquod deest, qui aliquid concupiscit, qui divitijs cupit affluere, vel honore affici, vel dignitatibus insigniri: qui verò sua contentus sorte nihil cupit, is verè dives, quia nil ei deest, quod concupiscat; ut cum comico Terentio in Eunu. dicat, *Omnia habeo, neque quidquam habeo: nil cum est, nihil desit tamen;* cui respondet assertum illius ascetæ, qui sua contentus paupertate religiosa aiebat: *ò quàm multa habet, qui nihil habet.* 66.

Ille divitijs affluit, non qui plura auri, argentique pondera terreis clausa in cistis domi servat; non qui pellucidas omnis generis gemmas in scrinijs custodit; non qui plures arces, oppida, possessiones, magnificas domos, superba palatia possidet; sed qui nihil cupit sua sorte contentus, quia huic nihil deest; & paupertatem una cum desiderio possidendi excussit, *Non qui parum habet,* ait Seneca Epist. 10. *sed qui plus cupit pauper est.* Ille dives est, qui licèt plura, vel nihil habeat; sua tamen contentus sorte nil cupit, quod possideat, nil appetit quod habeat. Epictetus interrogatus, quis ex hominibus censendus esset verè dives, fertur respondisse: *cui satis est, quod habet.* Quamvis dicatur quis divitijs affluere, si adhuc plura cupit, pauper est, quia plura illi desunt, quæ cupit possidere: hinc Claudianus 1. ad Ruff. *semper inops, quicunque cupit.* 67.

Avarus licèt divitijs affluat, plures congesserit pecunias, cistas oppleverit, possessiones emerit, domus acquisiverit, adhuc inops est, ac paupertate laborat, quia plura ei desunt, quæ cupit; & omnibus caret, quia quæ acquisivit non habet, ea enim tantùm ut famulus custodit: quæ cupit nondum acquisivit; proinde pauper, & inops semper est, quamvis congestis immersus divitijs; etenim hæ servatæ in cistis inutiles sunt; & quod inutile, nullum præstet avaritium, nilque operatur, nec ulli est usui, & perinde se habet. 68.

habet, ac si non esset. Quòd si ille pauper est cui plurima desunt, quæ possidere appetit: ille dives & omnia possidet, qui sua sorte contentus, nil cupit, nilque sibi deesse putat: ille igitur dives, non qui plura possidet, sed qui minus cupit. Non congestæ divitiæ locupletem faciunt: sed ipsa cupiditatum inopia divitem, ac beatum constituit; divitijs afflues si superflua abjeceris: pulchrè Seneca Epist. 16. *Si ad naturam vivas, nunquam eris pauper: si ad opinionem nunquam dives.* Vivere ad naturam perinde est, ac perparcè vivere; vivere ad opinionem nunquam satiari, & plura semper appetere; Seneca Epist. 25. *Exiguum natura desiderat, opinio immensum.* Est natura per se paucis contenta, opinio nunquam satur, cui si exhibeas quidquid delicatioris inest feris sylvas percurrentibus; volucribus aëra pervolantibus, piscibus aquis innatantibus, nunquam famem explet, nec stomachum implet; si totum ei propines auriferum pactolum nunquam sitim extinguit, sed ferventiori æstu ardentiùs inflammatur: natura verò paucis contenta ait Seneca Epist. 18. *Panem, & aquam desiderat: nemo ad hoc pauper est. Non enim horrenda res aqua, & Polenta, aut frustum hordeacei panis; sed voluptas, ex his capere voluptatem.*

69. Natura sicut à superfluis abhorret; ita non deficit in necessarijs, nobis ipsa non invidet; quòd si non sit in nos prodiga, neque avara est; sed nobis necessaria suppeditat: idque causæ cur nobis dentes falcatos non dederit ut apris; non ungues aculeatos in uncinos ut leonibus; non soleas missiles, ut equis, quibus calcee funda sunt; non pellicea tela, ut hystrici, cui arcus, & pharetra cutis sunt; non trusatilem domum ut testudini; non loricas cuticulares ut testaceis; non muros spiculatos ut echinis; sed nudos, ac inermes nos voluerit; ut tempestatum ferendis injurijs assuesceremus; & animo, ac consilio duceremur. Neque necessaria nobis desunt, si quæ natura nobis suppeditat; non quæ opinio suggerit, adhibere velimus. Facili, ac parabili victu contentis nihil sinit natura deesse; si fame stimulantur arbores quot ramis totidem veluti manibus fructus ad delicias varijs conditos saporibus porrigunt, ut & tellus olera, & legumina: si æstu sitis exarescunt; fontes ubique locorum, & flumina fugidos suos ac pellucidos exhibent latices siti extinguendæ accommodatos; si ex labore lassitudinem contraxerunt, non desunt cespites, vel lapides, aut trunci ubi considant: Si somni necessitas exigat, stratum exhibet terra herbis vestita, imò & floribus ornata in pratis, ut veluti in molli culcitra somno sopiantur. E converso corporis voluptatibus inhianti, concupiscentiæ, & luxuriæ satisfacere cupienti, non semper omnia sunt parata, eò quia sumptus exigant pecuniarum, vel laborem, aut non modicam solicitudinem. Si vivas naturæ non voluptati omnia tibi à natura exhibentur, quæ voluptati non sufficiunt, quia hæc superflua cupit, quæritque. Ferunt de quodam Philosopho, qui cum prædivites nundinas perambularet, aiebat, rebus istis, quæ oculis eblandiuntur non egeo; hæc quæ rara, exotica, & plurimo pretio venum exhibentur natura respuit, ut superflua; quamvis eadem opinio appetat, ut necessaria; quia possidendi sunt oneri, & accipienti, aut ementi non sunt levamini. Non est igitur, quòd illis invideamus, quibus multa sunt superflua, si hæc ijsdem non nisi curas, molestias, solicitudines ingenerant.

Is felix, qui sua sorte contentus, naturæ, non voluptati vivit, cum eidem nihil desit ex necessarijs, sicut voluptati nil unquam est sufficiens ex superfluijs. Qui soli vivit naturæ, perinde ac lilium floret gratia, quam Deus munifica impertitur largitate, Cant. 2. 17. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Pauperi contento nunquam necessaria desunt, non ad victum, cum ubique locorum terra mater esculenta in herbis, fructibus, & oleribus; & poculenta in frigidia, ac pellucidis fontium, rivulorum, ac fluminum largiùs suppeditet laticibus: neque ad vestitum, cum lilij induat candorem, quo venustior cœlesti apparet sponso: appositè Philo in Cant. 2. *Sola illa anima lilij colorem habet, quæ necessarijs tantùm vitæ contenta ad cœlestem pulchritudinem candore animi, & corporis munditia aspirat.* Hæc est illa paupertas, quam Job divitijs prætulit, plurisque fecit quovis thesauro; tunc legimus Numini benedixisse cum divitijs, armentis, segetibus, ac filijs spoliatus sedens in fimeto premeretur paupertate: non legimus gratias egisse, cum divitijs afflueret; sed cum eas amisit, dixisse Job 1. 21. *Sit nomen Domini benedictum.* Sedens bonis omnibus temporalibus spoliatus in sterquilinio celeriùs per motus anagogicos evolavit ad DEUM, cui benedixit in nuditate, & pressura paupertatis; quàm ex palatio ubi divitijs affluebat, & delicijs diffluebat. Hugo Cardinalis conferens Jobum in sterquilinio sedentem, cum Protoparente Adamo divitijs omnibus in terresti paradiso affluente: ait *Adam in paradiso victus: Job in sterquilinio victor:* quia licèt nuditate dejectus, paupertate tamen protectus pravos quosque insurgentes prostravit affectus: hæcque est illa victoria, quæ pauperibus annunciatur Matth. 11. 5. *Pauperes Evangelizantur;* seu affertur illis bonum nuncium: id intercedit discriminis bona inter temporalia, & spiritualia, quæ in mundo de victis, prostratis, vel fugatis hostibus deferuntur victoriæ, solis principibus nuntiantur, ad quos ab exercitus victoris præfecto mittuntur nuntij: quæ verò de coërcitis pravis in animo tum irascente, tum concupiscente affectibus defertur victoria pauperibus nuntiantur; quia illi tantùm vero afficiuntur gaudio, pertunduntur lætitia: huc accedendus Cajetanus, ait ipse expendens illud Matth. 11. 5. *Pauperes evangelizantur*, qui præferuntur divitibus *mundana bona communia nuntiantur magnatibus, ac divitibus mundi; & deinde derivantur ad reliquos, & pauperes: cœlestia autem bona communia toti humano generi, annun-* 70

tiantur pauperibus, piscatoribus, & alijs hujusmodi sequacibus JESU; & per illos etiam derivantur ad alios. Hinc non Magi, quia regia dignitate insigniti, quia divitijs affluentes deprædicant Christum in terris natum, quamvis è remotis, dissitisque suis regionibus prævia stella itineta præsignante ad ipsam venerint muneribus cumulati: sed pauperes, & pastores, quæ mira in Christi natalitia nocte viderunt alijs denuntiant Luc. 2. 18. *Et omnes qui audierunt, mirati, & de his, quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos:* non à Magis, sed à Pastoribus, ac pauperibus narrantur, ac promulgantur divina mysteria; quia divitiæ viam perfectionis, & ad cœlestem patriam profectionis impediunt; quam nuditas, & paupertas expediunt; idque causæ, cur Joseph in Ægypto quamvis primus esset à rege non tamen legatur liberis suis locupletem ullam reliquisse hæreditatem; ne obicem incurrerent, ac impedimenta haberent, quibus detinerentur, ac profectio ad terram promissionis remoraretur. Divitiæ compedes injecissent, quibus in Ægypto fuissent detenti: nuditas, paupertas, fames, dolor ad terram fluentem lac, & mel, seu ad beatam vitam viam sternunt, non claudont, vires suppeditant, non adimunt: unde Christus Matth. 5. 3. Beati pauperes quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. Inter Numinis benedictiones pauperes primam occupant sedem in Christi benedicentis sermone, quia Christo est ingenitus proprius, & peculiaris affectus in pauperes, quos cæteris præfert. Sed cur pauperibus Regnum tribuitur; si reges divitijs affluunt, quibus pauperes destituuntur, cur pauperes deprædicantur reges? an quia sicut regi omnes tributa solvunt; ita pauperi omnes subsidia ferre debent? bene. Sed quia paupertas sua forte contenta nil cupit, quo indigeat; & qui nihil cupit, nil ei deest, ac propterea ditissimus est, ac Deum possidet, in quo bona omnia comprehenduntur: hinc *pauperes evangelizantur* Matth. 11. 5. seu nuntiantur habere Regnum cœlorum, ac prædicantur beati. Non solùm pauperes Evangelij lætissimum nuntium audiunt; sed etiam illud recipiunt, quia capaces omnis boni.

71. Christum qui sequuntur, eum non assequuntur nisi onera deponant, sarcinámque abjiciant humanæ substantiæ, seu divitiarum; idque cum præstitissent Apostoli dixerunt Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te:* non solùm fuerunt eum sequuti, sed etiam assecuti, quia onera quæque terrenarum secularum illicò deposuerant quò leviores velociori pede currerent, & eum assequerentur, qui exultat ut gigas ad currendam viam: non facile assequimur, quem sequimur passu giganteo currentem, & exultantem, nisi onera quæque abjiciamus terrenæ substantiæ, ac divitiarum; vel saltem in manus pauperum deponamus. Hinc Angeli custodes civitatis, seu animæ nostræ; sponsam festinato pede currentem ad amplexum sponsi etiam pallio spoliaverunt, ut levior curreret expeditior, & quem desideraverat assequeretur eant. 5. 7. *Tulerunt pallium meum*, sponsa Dei amatrix, licet toto affectu curreret suum assecutura sponsum, adhuc à custodibus civitatis, à probis angelis spoliatur pallio, ut ab omni impedimento libera expeditior in cursu fieret, & eum assequeretur, qui exultat ut gigas ac currendam viam. Quid ni? quem sponsa assequitur, & nos sequamur; sed ut assequamur impedimenta quæque abjiciamus, ut expeditiores curramus: sponsa suum fuit sponsum assecuta, sed spoliata pallio, soluta à quovis terrenæ substantiæ onere scitè D. Ambrosius *lib. 3. de Virgin.* ait: *Bene tollitur ei pallium, quæ ad Christum propinquat.* Nuditas paupertatis filia viam ad Numinis cultum expedit, quam copia mater opulentiæ impedit. Josephi fratres in Ægypto tunc fuerunt ad venerationem, & ad omnia parati obsequia, cùm saccorum vacuitate propriam manifestârunt inopiam, promulgarunt paupertatem Genes. cap. 53. v. 26. *& adoraverunt proni in terram:* Non tam affectus animi, quàm indigentia corporis ignoratum fratrem adoravit: copia in cisternam demisit, quem inopia flexo poplite obsequitur, ac veneratur, pulchrè Rupertus Abbas lib. 9. in Genes. *Quam ob causam adoraverunt? videlicet ut emendi, quæ vellent haberent licentiam.* Ecce quomodo veritas prophetiæ sole clarior splendet, ecce quomodo manipuli fratrum manipulum adorant Josephi, dum non ob aliud ignotum principem Ægypti adorant, nisi quia defecerant manipuli eorum & ob annonæ caritem profecti fuerant in Ægyptum; ubi Josephi manipulos abundabat frumentorum, ac regia impleverat horrea.

Ubi paupertas ibi virtutis exercitium; 72
ibi Dei benedictio: mirum quòd rerum Conditor Deus sub mundi exordia in septimum diem distulerit suam creaturis, quas ex nihilo ad hanc traduxerat lucis usuram, benedictionem impertiri Genes. 2. *Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum, & benedixit diei septimo*, sex priores dies, quibus DEUS mundum condidit, quia magno censu creaturarum ad lucem venientium locupletes cœlesti fuerunt benedictione destituti, quâ dies septimus, quia rebus creandis vacuus locupletatur; hoc est, temporales divitiæ benedictionis divinæ significantur expertes, quâ paupertas sit particeps: huc accersendus S. Chrysostomus homil. 10. in Genes. ubi ait; *Sex priores dies, quibus Deus rerum opifex mundum condidit magno creaturarum apparatu divites, sola benedictione divina pauperes fuerunt: septimus autem quia rebus vacuus, divina locupletatur benedictione:* non divitijs affluentes, sed paupertate laborantes divinis locupletantur favoribus; contentus fuit dies septimus creaturis præcedente sextiduo à DEO conditis, nec alias concupivit, quibus ipse ditesceret; ideóque cæteris beatior, quia cœlesti benedictione insignitus. Quò inde intelligeremus, eum beatum fore, non qui plura habet, sed qui minus cupit. Neque putes quid aliud esse beatitatem, quam summam inopiam cupiditatum; cùm sit perfectè beatus

beatus totaliter expletus, ac contentus, quid ulteriùs appetat, nulla ei cognitio suggerit: unde ille ditissimus, ac beatus, qui sua contentus sorte nihil cupit: sitque propterea mensura opulentiæ non plus possidere, sed minus appetere.

73 Quòd si ille pauper, cui plura desunt, quæ appetit; divitijs affluens pauper est, si adhuc plura desiderat, quia illa plura ei desunt, quæ habere expetit: & cum bona omnia temporalia non sufficiant voluntati explendæ, necessè est, ut hæc semper vacua sit, & ulterius explenda, proinde nisi sua sit sorte contenta, nisi desideria habendi longiùs abjiciat, nunquam felix est, sed perpetua laborat inopia, quia summo Bono plenè non adhærescit. Quos enim paupertas evacuat, hos DEUS implet, cui magis grata est inopia pauperis, quam copia prædivitis: idque causæ cur nostra indutus humanitate, Filius Davidis vocari voluerit simpliciter; non filius Davidis regis Matth. 1. 1. *Liber generationis JESU Christi filij David.* Titulum reticet regium, quia huic adnectuntur divitiæ, quas posthabet paupertati. Plus Christus gloriabatur de Davide parente, pastore, & paupere, quam de Davide diademate regio coronato, & divitijs affluente. Imò adeò paupertas sorte sua contenta est DEO grata, ut hanc speciali favore prosequatur, ac protegat; idque asserit David Psalm. 9. v. 10. *Factus est Dominus refugium pauperi?* Quid pauperes timeant, non habent; quia DEUS in cœlo sedens, factus est in terris refugium pauperi; quia cum pauperes sint divitibus contemptui, ijsdem DEUS assistit, quos cœlestibus locupletat bonis; quos enim nudos in terris vides; hos DEUS umbraculo suæ protectionis tegit, ac protegit; pulchrè Cassiodorus in Psalm. 101. *Pauperes Christi egent in hoc sæculo; sed sunt locupletes DEO; Despecti hominibus, sed acceptabiles DEO.* Humiles, & pauperes sua DEUS locupletat protectione, cum ijsdem amat associari; rogatus Christus ut vellet sanitatem impertiri famulo Centurionis ob ægritudinis molestias, humoresque in visceribus corruptos cum Lithiasi collectos; non pharmacum ei præscripsit; sed medicinam se ipsum exhibuit Matth. 8. 7. *Ego veniam, & curabo eum.* Humilitatis studiosus Christus non dedignatur domum ingredi Centurionis, ægrotum invisere, quem pristinæ statim restituit sanitati. Ob idem charitatis exercendæ officium alibi rogatus, ut ad reguli palatium ingredi vellet; illuc ire recusavit, ubi divitijs omnia affluebant; non tamen beneficium impertiri detrectavit Luc. 7. *Vade, filius tuus vivit.* Scitè S. Ambrosius lib. 5. in Luc. 7. *Ut scias potentiam divinitatis, & gratiam humilitatis. Illi noluit pergere, ne in Reguli filio videretur magis detulisse divitijs: hic ipse pervexit, ne videretur in Centurionis famulo conditionem despexisse servilem.*

74 Adeò Christus Pauperes, & humiles adamavit, adeò sincero affectu eisdem adhæsit, ut unum cum ijsdem fieri, ac reputari voluerit Matth. 25. 45. *Quamdiu non fecistis uni de minoribus istis, nec mihi fecistis:* Sed si fratres, imò si idem sunt ipsi cum Christo; & Christus cum ipsis, cur minimos eos vocat, quos sibi omnium maximo pares facit? Quia ideo maximo pares dicit, quia minimi sunt, ideò divitijs omnibus cum omnium ditissimo affluunt, quia pauperes, abjecti, ac hominibus contemptibiles; quia solos pauperes, qui sua sunt sorte contenti, Christus sibi pares facit; suisque aggregat fratribus; erubescit homo humili natus loco suam audire generationem, si ad aliquam fuerit dignitatem promotus: sed Christus gloriatur fratres habere pauperes, quique hominibus sint contemptui. Adeò grata fuit Christo paupertas, ut hanc tesseram voluerit sui ipsius eligere, ut ex paupertate ab hominibus cognosceretur Luc. 2. 12. *Et hoc vobis signum, invenietis infantem pannis involutum.* Vix in terris natus Christus paupertatem sibi elegit in signum, propriùmque symbolum, quo hominibus manifestaretur, quia præ cæteris, quæ in terris sunt, hanc unam adamavit paupertatem, quàm regum divitijs prætulit, sibique in signum elegit; quisque enim consuevit in signum, suique symbolum eligere, quod illi est magis cordi, putàtque sibi magis congruere ob singulare in illud affectum. Et quia venerat Christus, ut nos edoceret virtutum exercitia, contemptum rerum fluxarum, ideò paupertatem elegit in signum suæ præsentiæ: *hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum:* non serico, auro, gemmisque ornatum, sed vilibus, ac detritis involutum pannis, quibus pauperes se ita tegunt, ut simul paupertatem detegant, ostendántque nuditatem. Adeo pauperes speciali prosequitur amore, ut sibi convivas adsciverit Luc. 14. 21. *Pauperes introduc huc;* ad nuptiale convivium, non legimus a Christo fuisse vocatos reges, principes, & divitijs affluentes, sed cæcos, debiles, claudos, inopes, qui non solùm vocantur, sed etiam introire adiguntur; adeò hos diligit DEUS, ut quasi sine illis esse nolit, vim adhibet, cogitque ad nuptiale convivium introire.

In mondo pauperes à divitibus habentur contemptui, & ipsi soli contumelijs, & opprobrijs onerantur, convicijs teruntur: qui è præcelsi montis vertice lapis cecidit statuam quam Nabuchodonosor erexerat, percussit quidem, non tamen caput, quia aureum, nec pectus quia argenteum; sed pedes quia luteos protrivit. Quid per montem significatur nisi in sublimi dignitate constitutus; vel mundus ipse superbia excelsus, ambitione tumidus; quid per caput aureum, pectúsque argenteum indicatur, quàm divitijs in mundo affluentes; hos lapis non percussit; sed inopes, pauperes, ærumnosos, quorum pedes fictiles sunt symbolum. Saul non Agagum regem Amalec percussit, sed gregales milites interemit, quia isti pauperes militari viverent stipendio: Agag verò quia divitijs affluens non percutitur 1. Reg. 15. 7. *Percussitque Saul Amalec: & apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij - - - quicquid vile* 75

 fuit

fuit: hoc demoliti sunt. Secus Christus, si pauperes infirmantur, eos invisit, & medici vices gerens, pharmacum præscribit, & sanitatem impertit. Joan. 9. 8. tenebras cæcitatis abstersurus ab oculis cæci nati expuit in pulverem, lutum fecit, quo veluti pharmaco linivit oculos cæci; lutum objecit; quo propriam videns mortalitatem, cujus est pulvis symbolum, disceret rectè ambulare per semitas æternæ salutis: non tamen credas, hunc cæcum divitijs affluxisse, quia ait Joan. 9. 8. *Mendicus erat*, quò nobis innotesceret; quàm grati, & chari sint DEO pauperes, quos & nos amore prosequamur, non contemptu despiciamus.

76 *Leucas* petra, amoris impudici amulethum esse creditur, ac impuros æstus ijs extinguere, qui eidem insiderent. Hinc fuit antiquitùs Romæ templum, ubi puer amor orbatus oculis accensam facem aquis immergeret, quod describit Ovidius 2. Remed.

Est prope Collinam templum venerabile, portam
Imposuit templo nomina celsus Eryx.
Est illic Lethæus Amor, qui pectora sanat,
Inque suas gelidam Lampadas addit aquam,
Illic, & juvenes votis oblivia poscunt,
Et si qua est duro capta puella viro.

Lemma. *Impuros abigit æstus.* APODOSIS. Protectio B. Virginis, quæ veluti Leucas petra alba, semper candida est, cum nulla fuerit in ipsa macula, & concepta immunis ab originali labe nos præservat, ne impudico inficiamur amore, quatenus pro nobis intercedit, nobisque impetrat DEI gratiam, quâ impetus coërcemus concupiscentiæ, & cacodæmonis tentationes superamus.

77 *Liparia* ex Isidoro lib. 16. Orig. cap. 14. lapis est, qui suo odore quamvis tetro bestias allicit, ac blandè trahit in earundem tamen perniciem, cum plerumque specie discrepantes pugnas inter sese ineant. Lemma. *Multos innexuit hamis.* APODOSIS. Fœdus luxuriæ odor voluptarios homines illectat, & instar belluarum in omnium sordes libidinû trahit, præcipirésque agit in scelera. Claudianus de laudib. Stilic. lib. 2.

Luxuries prædulce malum: quæ dedita semper
Corporis arbitrijs hebetat caligine sensus,
Membráque Circeis effœminat acriùs herbis.
Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior ulla.
Interiùs fucata genas, & amicta doloris
Illecebris, torvos auro circumlinit hydros.
Illa voluptatum multos innexuit hamis.

78 Lingua lapidea, humanæ speciem præfefert, quæ propterea videatur in lapidem riguisse, forsan ad mali usus subeundam pœnam: est lapis iste rubicundus, oblongus, digitorum quatuor longitudine, duorum latitudine, ad radicem crassior; suprema ejus parte planus infima subrotundus, juxta apicem arcuatus, humanam linguam omnibus lineamentis exactè referens. Lemma. *Nocet esse loquutum.* APODOSIS. Lingua garrula vitam, & naturam prævertit, quam obrigescere in lapidem adigit, quapropter Euripides linguam petulantem morbum esse dicit, & quidem turpissimum, hinc Menander: subvertit hominis vitam lingua garrula; imò & totam perturbat rempublicam: inde apud Græcos: Lingua quò vadis urbem eversura? & urbem servatura? & fortassis alluserunt ad illud Salomonis: Mors & vita in potestate linguæ; etenim ut ait D. Ambrosius, mors ingreditur per ostium tuum, si falsum loquaris: hinc Siracides ait malam linguam plures de gradu dejecisse, ac pluries pacem turbâsse, validas urbes diruisse, imò & regna integra subverrisse, ac genres potentes delevisse, domósque potentum evertisse. Scuticæ ictus dicitur vibices facere; sed linguæ ictus confringit ossa. Multos occidit gladius, sed plures lingua; cujus acies longè majores strages ubique spargit; & ille felix, qui ejus furorem declinat. Levis est sermo, ait Bernardus, quia leviter volat, sed graviter vulnerat, citò transit, sed diutius urit; leviter penetrat animum; sed non leviter exit; leviter profertur, sed non leviter revocatur; facile volat, & etiam facilè charitatem violat. Dicitur lingua, quia lingit adulando, sed mordet detrahendo. Nec quid aliud quàm garrula lingua Tantalum detrusit ad Inferos, ut cecinit Ovidius

Quærit aquas in aqua, & poma fugacia captat.
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

Lapis annuli, in quo casus Phaërontis exhibebatur. Refert Galenus lapsum Phaërontis è summo cœlo in imas terras mirabili fuisse artificio in annuli gemma sculptum. Videbatur adolescens solis filius comanti radijs capire flagello igneo equos urgens, & exagitans. Sedebat ipse in curru aureo, quem celeres rapiebant quadrigæ ea sculptæ dexteritate, ut sexdecim pedes equorum minutissimis lineolis discreti, ac distincti secernerentur. Hinc ignea cœli facies, Jupiter irâ percitus, ac infelicis parentis desperatio: attoniti casus novitate hærebant cœlites: illinc decrescebat mare, ebulliebant aquæ, torrebatur terra, & longè, latéque sparsa incendia agros, sylvas, & montes depopulabantur. Refert hoc Galenus lib. 17. de usu partium. Lemma alludit ad Phaërhontem temerario ausu ad sublimiora nitentem, *Quò altiùs elatus, eò fœdiùs corruit.* APODOSIS. Quos supra merita superbia evehit, hos infra alios divina Nemesis deprimit; & supplicijs torquet, quos ambitio inflaverat, Felix se erigendo felicitatem amisit; & superbia quò altiùs erigitur, eò profundiùs corruit, sicuti Seneca in Agamemnone. *Quidquid in altum fortuna tulit, ruitura levat*: quia ut ait idem Seneca in Hercule furente, *sequitur superbos, ultor à tergo DEUS.* 79

Lapis Phœnicum naturali solis imagine impressus. Refert Herodianus in Heliogabolo, Phœnices solem coluisse in prægrandi lapide, qui teres erat ab imo, sensimque fastigiatus propemodum in coni figuram nigro colore, quem è cœlo delapsum jactabant. Hoc in lapide species quædam solis visebatur, humano artificio minimè fabrefacta. Lemma. *Virtutem constantia firmat.* APODOSIS. Gaudet vera virtus solidis hærere, perinde ac solis 80

imag-

imago huic impressa lapidi, ut fiat munimentum ære perennius, ejúsque coronet cultorem beneficio, ac ope perseverantiæ, quæ sola coronam texit, ac imponit. Excursus. De Perseverantia, & constantia in bene cæptis.

81 *Lapis*, qui in arce Trojana Palladis simulacrum repræsentabat, à quo Palladium dicebatur, quod eo tempore, quo arx, templúmque Minervæ ædificabatur de summo cœlo cecidisse fertur, & in templo nondum tecto sibi sedem delegisse. Quæ res cum omnibus haberetur miraculo ab Apolline responsum fuit, tamdiu urbem incolumem fore, quamdiu simulacrum illud intra mœnia servaretur indemne. Idque causæ, cur Græci cum bellum Trojanis indixissent; cum nulla affulgeret spes Trojam expugnandi, & capiendi nisi priùs sublato Palladio, datum fuerit negotium Ulyssi, & Diomedi, ut per Cloacas in urbem penetrarent, & fatale Minervæ simulachrum auferrent, & extra Trojana mœnia ad Græcos deferrent. Quo peracto urbs cœlesti destituta præsidio, ac tutelari Palladis Numine spoliata expugnata cecidit, à Græcis capta. Lemma. *Tamdiu Tuti, quamdiu cœlo protecti.* APODOSIS. Quamdiu DEI gratia, ope, & præsidio munimur, tamdiu servamur incolumes, ac impetus retundimus tartarei hostis, ejúsque astus eludimus. Sed divina destituti gratiâ victi cadimus.

82 *Lapis* fatuarum. Fuerunt in Græcia mulieres quædam divinantes futuros eventus, quæ fatuæ dicebantur. Hæ in delubro aram quandam, seu lapidem sustollentes considerabant in eo rei, super qua quis percunctabatur, eventum, & quibusdam earum, levis videbatur; alijs verò gravis, ut ne movere quidem lapidem valerent Dion Prus. *Orat. 12.* Lemma ex Ovid. *Leve fit, quod benè fertur onus.* APODOSIS. Ærumnarum omnium optimum condimentum est æquus animus, & malorum omnium tutum alexipharmacum est Patientia, quâ benè feruntur onera. Licèt singulis malis singula respondeant remedia; una sufficit patentia malis omnibus medendis, hâc solâ omnis dolor lenitur, omne malum superatur, estque propterea panacæa salutis. Paupertas, exilium, senectus, adversitas, persecutio, & alia id genus, gravia, ac superatu difficilia plerísque sunt; sed alijs patentiæ studio addictis levia, ac facilia: hinc Publianus ajebat. *Cuivis dolori remedium est patientia*, quæ nil aliud est, ut placet Tullio, quàm honestatis, & utilitatis causa rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpessio; neque in sola fortuna adversa toleranda versatur, sed etiam in perferendis injurijs. Fortunam novercantem, & adversam æquo animo ferre, nec malis succumbere, nec animo frangi virtuti datur: hinc Antiphanes apud Stobæum. *Probum modestè ferre fortunam decet*, & ut Seneca monet ad hoc Sacramentum addicti sumus mortales, ferre mortalia; propterea Menander ait, damna, & dolores fer modestè, & leviter. Laudabilius est alienam protervìam, ac petulantiam ferre, quàm referre; magni enim animi est injurias sibi illatas flocci facere, ac prorsus negligere; imò neque dignari aures convicijs præbere; ajebat Symmachus duram esse commotionem, quam gignit injuria, sed ejus dolorem molliori patientiæ medicinâ leniri. Hoc usus fuit pharmaco Aristippus, cum à quopiam contumelijs lacessitus repoluit: penes te est malè dicere de me; sed penes me benè audire, ac sentire de te; neque id potes mihi prohibere: & Xenophon detrahenti sibi cuipiam honorem dixit: tu maledicere didicisti: ego conscientiâ teste didici maledicta contemnere; & Socrates ab Aristophane publicè in theatro contumelijs lacessitus, non modò ægrè, molestéque id tulit, sed & obviam sibi factum adversarium humaniter, amicéque compellavit, num vellet similes adhuc contumelias in ipsum jacere. Pittasus etiam gravi affectus injuria à quodam, in quem erat ei jus animadvertendi, ultro injuriam sibi illatam condonavit, eúmque impunitum dimisit, inquiens: *Venia ultione melior.* Magni enim est animi injurias despicere: Leo quia ferarum generosissimus canum latratus contemnit; quia ut scitè Juvenalis: Minuti semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas ultio: vindicta nemo magis gaudet, quàm fœmina. Virtus est lædentem non lædere. Tunc quos adversarios experimur, vincimus, si patienter eorum molestias terimos: imò ut ait Cyprianus; *qui æquo animo illatas sibi injurias patitur, non solùm vincit inimicum, sed & seipsum:* quia animum proprium vincit. Unde Ovidius

Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altior ire potest.

& Seneca: si imbecillior est, qui te læsit parce illi; si potentior tibi parce. Neque quod patitur, pœna est, sed medicina, quâ animi ægritudines curantur: & virtutum exercitia promoventur. Scitè Lucanus. *Gaudet patientia duris:* & Seneca in Hercule furente. *Quod fuit durum pati: meminisse dulce est.* Jucunda est memoria præteritorum malorum si hæc patienter tolerata fuerint, habet præteriti doloris recordatio suam delectationem.

Lapis sycomius nigro colore, referentibus Dorotheo Chaldæo 2. de lapidibus, & Plut. Juniore in Araxe, cum de homine mactando moneret oraculum, ponebatur à duabus virginibus in aris deorum averruncorum, quem si sacerdos vix cultro attingeret, cum sanguis erumperet, recedebant cum ululatibus hujus superstitionis administri. Lemma. *Loquuntur præsagia tetraneces.* APODOSIS. Solent funestos eventus terra præire signa, ut pluviæ sanguineæ, minaces cometæ: cum cecinerit ille, Nunquam futilibus excanduit ignibus æther. Lucanus lib. 1. inter cætera cædis Pharsalicæ indicia fretum siculum repente colore sanguineo rubuisse memorat inquiens. *Asia Charybdis sanguineum fundo torsit mare.* & Virgilius in cæde Polydori plantas dicit sanguine stillasse. 83

Nam quæ prima solo ruptis radicibus arbor
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ.

Ly-

84 *Lychnis* numero accensetur ardentium lapillorum, ardentem videtur lucernam imitari splendore circumfusus: plerisque reperitur in locis, sed apud Indos est illustrior. Hujus lapilli duplex assignatur species, unà quæ purpura irradiat; altera quæ cocci rubore fulget. Si solari radio perfusus, vel digitorum attritu calefiat paleas festucas, & alia id generis ad se trahit, ac rapit: Durus est lapis, & sculpturis resistit. Lemma. *Ipsa sibi pretium.* APODOSIS. Virtus clara per se est, ac illustris cœlesti purpura irradiata, eoccique rubore inflammata; seu charitate informata, respuit omne adscititium, ac fucatum ornamentum; quia ipsa sibi merces, & pretium sibi, solaque latè.

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuvè petit clarescere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nihil indiga laudis
Divitijs animosa suis, immotáque cunctis.
Cladibus, & alta mortalia despicit arce.

85 *Magnes* ab inventore Magnete pastore suam trahens nomenclationem lapidum est nobilissimus ob præclaras virtutes, quibus insignitur. Dicitur inventus à Magnete, cum in monte Ida clavis ferreia crepidarum magnes lapis adhæsit: varij est coloris rufi, nigri, candidi, sed cæruleus reliqnis est præstantior; candidus est fermè enervis. Commendatur præ cæteris magnes Æthiopicus, qui & alium magnetem ad se trahit. Est magnes Corpus mixtum ex materia lapidea, & metallica, ratione cujus est liquabilis, perinde ac silex ob admixtum vitrum. De magnete scripserunt eruditè Gilbertus, Cabeus, Kirkerus, Grandamicus, Zuchius, Cartesius, & alij plures, inter quos sunt, qui putant ferrum, & magnetem non differre nisi ratione puritatis, eò quia ferrum sit purius, plúsque habeat Mercurij, seu humidi viscosi aquæ prioris, quàm magnes, qui multo est ferro lutulentior; ex quo oritur sympathia illa, quæ est inter magnetem, & ferrum; magnes enim ferrum ad se trahit, & ferrum magnetem, ratione substantiæ primordialis, ac seminalis, ex qua coalescunt in terræ visceribus. Sed quidquid sit de hac primordiali substantia. Id unum experimento deprehendi certum, Magnetem ad se ferrum attrahere, ac teste oculato D. Augustino lib. 21. de civit DEI c. 6. Simulachrum ferreum in templo medio in aëre sustineri, ac hærere pendulum inter supra, & infra positum magnetem. Quod Alexandriæ in Serapidis fano factum fuisse meminit Ruffinus in histor. Eccles. ad Eusebium l. 11. c. 23. Lemma. *Vi blanda prædura trahuntur.* APODOSIS. Princeps pietate, & clementia prædura populorum corda emollit, flectit, & ad se affectu, & amore trahit. Solem imitetur princeps, luminum enim moderator, inferiora suis illustrat radijs, quibus blande in sublime rapit terræ halitus; nec ad id beneficij præstandum preces expectat, sed spontè cuncta inferiora luce sua lustrat, & illustrat, ita princeps populorum moderator suam ut exerceat beneficentiam preces non expectet, neque rogari cupiat, sed spontè, & ultrò salutare vultus sui lumen omnibus impertiat, quos amore ad se rapiat; suámque beneficentiam perinde ac sol in omnes exerceat. Leo I. Imperator dicere consueverat: *Perinde ut sol quibus affulserit, ijs calorem suum impertiri solet: ita ab Imperatore clementiam eis tribuendam esse, quos aspexerit*, senserat optimus Princeps, non oportere quemquam à facie principis tristem discedere: nec quidquam magis Principem commendat, quàm clementia, sciré Basilius: *quemadmodum regi Apum aculeus est, sed eo ad ulciscendum non utitur: ita quò quisque maxima est potentiâ præditus princeps, eò magis is in puniendo esse tardus debet, & ignoscendo misericors*, & Justinianus Imperator l. ult. C. lib. 5. tit. 16. ait. *Sola hac virtute princeps DEI benevolentiam, & circa genus humanum nimiam clementiam (quantum naturæ humanæ possibile est) imitatur, qui quotidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur, & pœnitentiam suscipere nostram, & ad meliorem eam statum deducere*, & in Authent. coll. 2. tit. 2. ait: *Sibi à DEO traditos esse homines oppressos, ut eis per omnia parcat, DEI ipsius sequendo benignitatem*, & Imperator Honorius apud Claudianum.

Sis pius in primis: nam cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

Excursus de clementia, & benignitate superioris in inferiores.

Magnes suam ferro virtutem affrictu communicat, adeo ut ferrum hac imbutum magnetica qualitate aliud ad se ferrum attrahat: ait D. Augustinus *lib. 21. de civit. DEI cap. 4.* annulum ex magnete suspensum alterum ad se trahere, & hunc alium, ad quem sequitur catenatim alius, quatenus vis magnetica in singulos diffunditur; hæcque vis præsertim affrictu accedit ferro, quod cum ante affrictum hac non polleret virtute magnetica, quâ post affrictum pollet, liquet beneficio affrictûs hanc virtutem ferro accedere, & esse aliquid à ferro distinctum eum ferrum esset sine hac virtute; quod est sine alio, necessè est, ab eo distinguatur. Neque per talem affrictum excitatur hæc virtus magnetica in ferro, in quo jacebat sopita, ut autumant aliqui; quia non facilè intelligitur, quomodo illa virtus in ferro sopita sit; quia cum sit causa necessaria, deberet necessariò agere. Quamobrem in illo affrictu aliquid accedit ferro à magnete, quo imbutum ferrum, aliud ad se attrahit, & hoc iridem aliud. Lemma. *Trahunt exempla proborum.* APODOSIS. Viri pientissimi, ac virtutum studio addicti alios alliciunt, trahúntque ad eadem exercitia, & probos efficiunt, suam in eosdem derivantes virtutem, ad cujus amorem rapiunt; ut omnes simul concatenati Christo feliciter adhærescant. Scitè D. Ambrosius: Est insitum bonis ut castum pudicus, prudentem sapiens, misericors liberalem, affectu pio diligat, & virtutes suas in alijs amet. 86

Magnetica acus se ad polum arcticum, seu stellam quam Cynosuram dicimus convertens cum Lemmate. *Dispicior, nisi te aspiciam.* 87

Acus

Acus magnetica id habet proprij, quod experimento deprehendimus, ut unam extremitatem versus Boream, & alteram versus austrum convertat: & nisi id contingeret, seu unam extremitatem ad Boream dirigeret, & aliam ad Austrum, nullo modo nocte illuni, obscura, & intempesta aspectus isti oppositi distinguerentur, facilèque Boreas pro Austro accipi posset, cui incommoda, ut occurreretur, debuit eadem semper extremitas acûs sub eodem esse aspectu. Unde verò habeatur hæc determinatio, putant plures non aliunde, quàm ex primo creationis situ; quia scilicet DEUS rerum Conditor ita hujusmodi acum condidit, ut unam extremitatem ad Boream dirigeret, alteram ad austrum. Alij censent Polum Arcticum attrahere ad se humidum illud viscosum, ex quo componitur magnes, & ferrum, & volunt polum Arcticum dedisse magneti peculiarem illam vim attrahendi, quod ei simile in propinquo est: unde fit ut pars illa magnetis, quæ Septentrioni respondet seu polo arctico ferrum attrahat. Pars verò, quæ respondet polo antarctico, cum à polo illo non acceperit virtutem, ferrum rejicit. APODOSIS. Homo nisi se, suósque actus omnes in DEUM dirigat, despicitur, nulliúsque est pretij, quia quovis destituitur merito.

88 *Magnes Sardonicus*, narrat Leander, in quibusdam Sardiniæ montibus, qua parte ad orientem vergunt, magnetem reperiri, qui ferrum ad se rapiat, debeántque proptereà naves illac mare trajicientes sibi cavere, & anchoras imo carinæ iosepelire, omniaque ferri instrumenta occultare: qui verò magnes reperitur in alijs montium partibus, quæ meridiem occidentem, & aquilonem aspiciunt minimè ferrum trahere. Lemma. *Is sapit, qui pura mente sapit.* APODOSIS. Qui purgato oculo, ac mente sincera DEUM spectat, is solus verè sapit, hominésque præ cordis duritie ferreos ad ipsum DEUM attrahit verbo, & exemplo fortiùs: qui verò DEUM non sapit, & in aliam partem spectat, seu in mundi fluxas divitias, ac voluptates, nec orientem justitiæ solem habet in pectore, nullius est virtutis.

89 *Marmor* reliquos lapides à pretiositate deficientes nitore, duritie, æqualitate antecellit. Est enim marmor insigniter durum, ac solidum, pulchrum si poliatur, imò splendori suscipiendo etiam idoneum, ex hoc lapide statuæ, & columnæ nitentes, ac collucentes sculpuntur. Causa duritiei in hoc lapide est proba materiæ concretio, ut & nitoris ejusdem puritas, & qualitas. Concrescit marmor beneficio exhalationum, & aquarum terram subtilissimam subeuntium. Fœtæ sunt hujusmodi aquæ nitro, sale, & metallico liquore cuj⁹ beneficio partes exactiùs concrescunt, ac uniuntur. Causa efficiens præter succum marmorificum est etiam frigus subterraneum. Varietas marmorum ex diversitate oritur materiæ: si enim materia sit heterogenea marmora sunt ignobiliora, scabra, quæ instar silicis scalpo dissiliunt. Cùm primum marmor è fodinis eruitur, mollius est, sed aperto sub dio magis indurescit, quod omnibus est lapidibus commune. Colore etiam differunt marmora, alia sunt mixta, & variegata, alia alba, nigra, viridia, cinerea, flava. Album marmor olim parium dicebatur ab Insula Paro, vel ab sculptore Agera erito Pario, qui Venerem ex hoc lapide sculpsit. Est & marmor album, quod alabastrum dicitur, & duritie ac splendore præcellit, foditúrque in agro Lucensi in Thuscia, & ab oppido proximo nomine Carrara, marmor dicitur Carrariense. Nigrum marmor est durissimum, limis resistit, & à scalpo non facilè se cædi finit; ad nigrum marmor etiam pertinet lapis Lydius inserviens auro, & argento examinando; ex marmore nigro sepulchra solent magnarum construi. Marmora viridia etiam in pretio habentur, ut & variegata, quæ cæteris solent esse pulchriora, & concrescunt ex terra purpurea, ac putaminibus aureis accedente succo, ac spiritu lapidifico. Est & marmor Porphyreticum purpurinum, & durius cæteris. Quodvis marmor quamvis rude, squalidum in extima superficie, si tamen poliatur, ex affrictu, & usu exuit ruditatem, & nitorem acquirit. Lemma. *Probo splendescit in usu.* APODOSIS. Quamvis habeat quis ingenium durum, rude, ac ad scientias perdiscendas difficile, si tamen continuo exercitio perpoliatur, & quotidiano usu exerceatur, ruditatem, ac duritiem deponit; fitque mollius, ac faciliùs nitore condecoratur scientiæ. Quilibet exercendus est, ut splendeat, & cordi esse debet illa Platonis adhortatio, quàm in ejus vita refert Marsilius Ficinus: Otio labores anteponite, nisi fortè rubiginem splendori præstare existimetis.

Myndan lapis niveo circumfusus candore hac dicitur virtute pollere, ut à se feras longiùs arceat, & ab earundem morsibus hominem tueatur, à quo lapis iste gestatur, si tamen credimus Leontio Byzantino lib. 3. de fluvijs. Lemma. *Candor illæsus*, vel *Propellit noxia candor.* APODOSIS. Virginitas probè custodita noxias Averni belluas arcet, cacodæmones fugat, séque ope divina gratiæ illæsam servat. 89

Myrrhites myrrhæ colore insignitur, parva licèt gemma sit, si conteratur suavissimum efflat odorem nardi. De hac gemma exigua scribit Plinius lib. 37. c. 10. Lemma. *Dant verbera odorem.* APODOSIS. Tribulationes quibus plerumque atterimur, exercemus virtutem præsertim patientiæ, quâ odore perfectionis perfundimur. 90

Nymphæus lapis est, qui pluvijs incidentibus accenditur, ac splendet Plin. lib. 2. c. 107. Lemma. *Marcet sine adversario virtus.* APODOSIS. Quæ nobis videntur adversari, & contraria esse, nos excitant ad exercitia virtutis, ad otium excutiendum. Misera est illa fortuna, quæ caret inimico. Virtus nonnisi per labores, & adversantia gaudet incedere; ideirc Livius lib. 3. dec. 3. Res secundæ segnitiem inducunt, & negligentiam creant. Secundæ res animos fatigant, & insolentiam pariunt, undè rectè dixit Seneca, Marcet sine adversario vir- 91

92 virtus. Romanorum fortuna tunc nutare cœpit, ac mutari, cum excisâ Carthagine, Perséoque capto hostibus cœpit carere, ac adversario destitui; tunc cœperunt cives otio marcescere, & enses rubiginem contrahere, ac bellica virtus corruere, ait Augustinus: otio perijt Roma deletâ Carthagine, & causam etiam adfert Livius: quia divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates desiderium per luxum, atque libidinem pereundi, perdendique omnia invexere. Hinc Nasica nonnullis asseverantibus, rem Romanam in tuto esse, eò quia deleta fuerit Carthago, & Græci tandem in servitutem redacti; reposuit: *Imò nunc in periculo sumus, quando nulli ampliùs supersunt, quos vel metuamus, vel revereamur.* Et Appicius Claudius dicere consueverat, populo Romano, satius committi negotium, quàm otium; & rectè quia illo virtus exercetur; hoc vitium fovetur.

93 *Opalus* gemma est olim Pæderos dicta, quasi puerorum amor ob elegantem pulchritudinem, quam continet, siquidem omnes fere colores exhibet, nam ut ait Plinius lib. 36. c. 6. est in opalo carbúculi tenuior ignis, amethysti fulgens purpura, smaragdi virens mare, & cuncta pariter mistura incredibili licentia. Propter hanc gemmam cum proscriptus ab Antonio Nonius Senator fuisset, maluit desertis omnibus cum sola gemma abire, quàm sine hac retinere omnia: hæc Plinius. Est igitur in Opalo color cæruleus, purpureus, viridis, flavus, ruber, lacteus, ac interdum etiam niger, qui tamen colores, ex reflexione generantur; quamobrem reliquarum fere omnium gemmarum colores in hac una conspicere licet: neque desunt, qui præ cæteris gemmis opalum commendent, eique inter gemmas palmas deferant. Lemma. *Nitor omnis in una.* Apodosis. Quas DEUS gratias alijs impertivit creaturis, easdem omnes virgini matri munifica largitate profudit, quam propterea Archangelus Gabriel salutavit *Gratia plena.* Excursus de perfectionibus, & gratijs B. Virginis, quæ omnium virtutum ornatur decore; & perinde ac in opalo, carbunculi ignis micat in charitate Virginis, purpura amethysti fulget in temperantia; smaragdi viror radiat in spe, & reliqua cœlestium donorum ornamenta plena manu in Eam DEI congessit munificentia. Pulchrè cecinit Venantius Honorius Fortunatus lib. 1. de partu Virg.

Pulchrũ super gemmas, splendore solis obumbrans
Alta super cœlos, & super astra nitens
Vellere candidior niveo, rutilantior auro.
Fulgidior radio, dulcior ore favo.
Cara, benigna, micans, pia, sancta, veranda, venusta.
Flos, decus, ara, nitor, palma, serena, pudor.

94 Onyx à colore humani unguis suam sortitur nomenclaturam, quarenus humanum unguem, colore, splendore, & magnitudine plerumque refert; duobus saltem coloribus albo, & nigro zonis distinctis constat, éstque magis opaca, quàm translucens. Onyx pro colorum varietate varias etiam habet species, subinde una cum albedine fulvum, flavum, luteum, subcæruleum, corneum mira varietate colores ostendit, qui zonis, & lineolis distinguuntur. Olim ex hoc lapide pocula conficiebantur, quæ myrrhina dicebantur. Onyx si gestetur melancholiam, animi passiones tristitiam, tetros affectus, malestas cogitationes pellere creditur, ac sensus reddere vegetiores. Imò etiam paroxismos epilepticos impedire. Lemma ex Silio. *Dat gloria vires.* APODOSIS. Hominis imaginatio plura sibi fingit, ut gloriam enanciscatur, ad quam acquirendam plura audet, pericula adit, discrimina non timet, difficultates superat: unde cicinit ille, *Neu parvas animæ dat gloria vires.* Est enim gloria, ait Silius, *Fax mentis honestæ.* Laudat, crescit, & stimulis concitatur honoris, industria alitur, labore, acquiritur, & exercitio virtutis incrementum sumit; si vera non spuria sit Gloria; quæ vana est, declinari debet, ut veram quis assequatur. Vetus est adagium, quo gloria dicitur esse Crocodilus, quam qui fugit, assequitur, qui eam sequitur, non assequitur, quia sectatores suos fugit, contemptores sequitur, ut monet D. Hieronymus. *Fugiendo vanam gloriam meretur homo veram gloriam: quæ virtutem quasi umbra sequitur, & appetitores suos deserens, appetit sui contemptores.* Hujus insigne monumentum reliquit Cato, qui ut ait Salustius: quo minus gloriam petebat, hoc eam magis assequebatur; quia ut monet Livius. *Spreta in tempore gloria interdum redit cumulatior,* hoc est post mortem, quia post obitum heroum absque invidia virtus laudatur, ut cecinit Ovidius

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit:
Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.

Post obitum sincerius loquimur de alterius virtute, incorruptiùs judicamus de meritis defuncti, quia ut ait Cicero: nec mortuorum laudi, & gloriæ facilè quisquam invidet. Quinimò ut canit Propertius

Omnia post obitum fingit majora vetustas,
Majus ab exequijs nomen in ora venit.

Causam innuit Thucydides: *viventes invidia exercet: mortuis autem benevolentia sine obtrectatione præstatur.* Ita agamus, ut placeamus viventes, & laudemur mortui.

Pæderos ait Plinius lib. 37. cap. 9. gemma 95
est perinde, ac Crystallus, translucida, in qua plures blandè videntur colores viridis, candidus, purpureus jocari, & lapidem coronare. Nulla ex gemmis est ista liquidior, capiti est jucunda, & suavis, oculis grata. Lemma. *Quod Insons mendacia ridet.* APODOSIS. Conscientia pura, & syncera veluti nitidissima gemma translucidos sinceritatis sinus foris explicat, & tuta per rerum discrimina incedit Horat. ode 22. lib. 1.

Integer vitæ, scelerisque purus,
Non eget Mauri jaculis, nec arcu
Nec venenatis gravida sagittis
Fusce pharetra.
Sive per Syrteis iter æstuosas
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Et

Et Ovid 4. Fastorum.

Conscia mens rectis famæ mendacia ridet,
Sed nos in vitium credula turba sumus.

96 *Pantarba* lapis splendens admirabili fulgore circumfusus, noctu veluti facula succensa irradiat, ait Philostratus, hunc lapidem reperiri apud Indos, ac esse igneum, & radiosum; si enim nocte aspiciatur innumeris scintillulis oculos ferit, latet in concavis terræ ad quatuor circiter passus, & tantùm terrâ intumescente, aut scissâ se prodit. Inquirentes tamen subterfugit, nisi cautè capiatur. Lapides alios juxta se positos velut examen virtute singulari trahit, & congregat, quibus splendore, ac nobilitate antecellit. Lemma. *Ad summa per ima.* APODOSIS. Virtus in humili quamvis latere admitatur, fulget in umbris, locisque obscuris illustrior; quia nihil ejus speeie præstabilius, nil formâ augustius. alios in sui laudem rapit, ad sui imitationem allicit; & quò inferiora petit, eò ad sublimiora evehitur.

97 *Phengites* lapis Macedonicus candidus, ac translucidus venis distinctus fulvis, duritie marmor æmulatur. Ex hoc lapide Nero saecellum Fortunæ Sejæ construxerat iu domo sua aurea, quæ apertis etiam ostija claritate diurna fulgebat inclusa velut luce non transmissa, ut narrat Plinius lib. 36. c. 22. & Suetonius in Domitiano c. 14. ait, hunc Cæsarem ex illo lapide porticum ingentem construxisse, ut per imagines quidquid à tergo fieret; illi exploratum esset. Splendor enim lapidia instar speculi imagines eorum, quæ à tergo fiebant, referebat. Quid si per phengitem nobia liceret videre, quid intus in corde hominum latet? Lemã. *In uno cuncta patent.* APODOSIS. Beati in cœlesti patria in DEI essentia vident, quæ fiunt in terris, præsertim quæ ad eosdem pertinent. Excursus. De visione Beatifica in cœlesti patria.

98 *Pyrites* lapis est similitudine æris. In Insula Cypro eruitur ex metallis, quò fit, ut subinde argenteo nonnunquam aureo fulgeat nitore, ut refert Plinius lib. 36. c. 19. & Isidorus lib. 16. addit in Persia, hunc lapidem esse fulvum, & non tantum scintillas emittere, sed tenentis etiam manum adurere; frequentiùs reperiuntur ferrugineo colore: & hi cum silice, aut ære collisi scintillas eliciunt. Est & pyrites, quem ferunt equites velleris aurei à Philippo Bono, Burgundiæ duce instituti, & ab ejus filio Carolo Audace ornati. Torquem gestabant equites auream; cui intextum erat ferrum, quod è venis lapidis flammæ semina elicere, & excutere videretur. In summa parte pendebat aureum vellus cum Lemmate addirum à Paradino: *Ante ferit, quàm flamma micet.* APODOSIS. DEUS, quos sibi amicos eligit, vultque cœlesti gloria condecorare, ferro tribulationum ferit, ut inde scintillent, ac splendores eliciant virtutum, ac meritorum. Excursus. De ærumnis. Quos DEUS amat, corrigit, & castigat. D. Augustinus, DEUM alloquens ait: hic ure, hic secca, ut in æternum parcas.

99 *Sagda* lapis est marinus ait Isidorus lib. 16. c. 7. qui cum in maris profundo discerni, & capi difficulter possit, navibus æquora trajicientibus emergens adhærescit, & in portum eum ijsdem vehitur, & ut ait Solinus cap. 38 adeo firmiter ac pertinaciter ijsdem est affixus, ut avelli nequeat nisi parte ligni abrasa, Lemma. *Si semel hæret, semper adhæret.* APODOSIS. Optimum vitæ institutum ab initio sumendum, cui si semel, quis assueverit, diu, & facilè in eo persistet, quia ut monet Horatius *l. 1. epist. 2. Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu.* Sicut in semine spes tota est messis, ita totius reliquæ vitæ expectatio ab educatione dependet pueritiæ. Cum interrogaretur Alexander Macedo, cui plus deberet Philippo patri, an Aristoteli magistro, refert Plutarchus, respondisse, Philippum authorem fuisse, ut Alexander esset, ac nasceretur. Aristoteles verò ut præclarè institutus esset; & quidem Alexander in maxima semper veneratione habuit Aristotelem magistrum ob susceptam ab adolescentia probam ab eodem educationem; quia ut notat Euripides, ipsa educatio inter homines majorem plerumque vim excitat amoris, quàm ipsa generatio prolis. Plurimum refert, si quis optimum eligat vitæ institutum, quamvis ab initio arduum videatur assuetudine, fit suave, quia quòd optimum idem, & jucundissimum; quod cum non lateret Pythagoram nobilem illam teste Plutarcho in lib. de exilio, protulit sententiam: optimum vitæ genus elige, id jucundum reddet consuetudo, quam usurpavit etiam Cornificius ad Herennium, cui scripsit: optima vitæ ratio eligenda est, quam jucundam reddet consuetudo: neque terrorem debent ullum incutere, quæ fiunt difficultates obviæ, & labores, in ijsdem superandis; quia ut monet Seneca. *Quod fuit durum pati, meminisse juvabit.*

Rubinus gemma est diaphana rutilans, ac ru- 100
bens ad cæruleum vergens colorem, ad sanguinis, Coccique colorem propiùs accedens, quàm minij: & sicut rubinus cærulei quid admixtum habere videtur; ita granati, & hyacinthi quid flavi, adeo ut saris distinguantur. Sunt tamen, qui rubinum veterem à carbunculo non distinguunt. Alij tamen censent, carbunculum nomen esse genericum, & comprehendere veluti species omnes illas gemmas, quæ igneum exhibent colorem, cujusmodi sont Rubini, Hyacinthi, Granati; sin verò rubinus exiguam habeat rubedinem, dicitur balassus; si sit mollior spinellus, qui tamen est rubicundior balasso, sed non adeo splendet, ac verus Rubinus. Si ex balasso, & spinello colorem mixtum habeat, vocatur rubicellus, quasi similis Granatis Bohemicis. Rubini orientales in Insulam Zeilam reperiuntur, interdum ovum gallinaceum magnitudine æquantes. Cæterum quòd ad vires rubini spectat. Censent plures, quod gestatus, & propinatus venenis resistar, & à peste præservet, tristitiam arceat, melancholiam fuget, somnia jucunda excitet, animum exhilaret, libidinem coërceat, sanitatem incolumen tueatur. Lemma ex Virgilo. *Præstat pravos compescere motus.* APODOSIS. Vir prudens ad regulam rectæ rationis suas omnes componit operationes, motus inconcinnos, utriusque appe-

appetitus concupiſcentis, & iraſcentis coërcet, atram abigit triſtitiam, & mente ſerena, ac hilari ſtudijs incumbit virtutum.

101 *Sapphirus* gemma eſt cæruleo colore, pellucida, diaphana, dura, omni carens rubedine Amethyſtina: ſi albeſcat ad lacteum candorem vergens à Plinio fœmina vocatur, ſi ſaturato ſit colore cœruleo, mas creditur eſſe. Bipartiri ſolent in Orientales, qui in varijs Indiæ regionibus inveniuntur; & in occidentales, qui in Confinio Sileſiæ, & Bohemiæ reperiuntur; à quibus activitate ignis tinctura extrahitur, ut adamantes mentiantur. Sapphirus ab homimine impuro, rebúsque venereis dedito geſtatus dicitur ſordeſcere, ac nitorem amittere, Venerem coërcere, & ſcabiem abigere; venereis reſiſtere, & cor corroborare. Lemma. *Sordes non patitur ullas.* APODOSIS. Virginitas eſt adeò munditiei, ac puritatis amans, ut nullam patiatur fœdam cogitationem, quam propterea illico excutit; nihil quod Venerem redoleat in verbis, auditu, & viſu, ac geſtu, ſed ſenſus omnes cuſtodit, ne quid immundum per ipſos ingrediatur, quod caſtitatis munditiem poſſit labefactare.

102 *Sapphirus* olim fuit, in quo lex Decalogi naturaliter impreſſa fuit, ut & Moyſis viſio, ut refert S. Athanaſius Cypri Epiſcopus lib. de duodecim gemmis. Lemma. *Dat pretium obſervatio legis.* APODOSIS. Nil pretioſius, nilque commendabilius obſervantia mandatorum DEI, quâ legis cultor ſplendet omnium virtutum nitore. Hæc gemma, in qua lex Decalogi legebatur ſculpta, à ſummo Sacerdote geſtabatur in pectore, quo ſignificaretur, eccleſiæ Præſules debere præ cæteris eſſe ſanctarum legum, ac divinorum myſteriorum perpetuum domicilium.

103 *Sapphiri* in imis viſceribus teſte Dioſcoride lib. 5. c. 114. & Æliano hiſtor. lib. 14. c. 34. creditur carbunculus longè ſplendidior, ac pretioſior enaſci. Lemma. *Purior ex origine clara.* APODOSIS. Ex gemma pura, ac pretioſa MARIÆ Virginis naſcitur alia gemma longè pretioſior Chriſtus, qui dicitur lapis angularis exciſus de monte ſine manibus, matre longè nobilior.

104 *Sardonix* quaſi Sarde Onyx ex onyche, & Sarde componitur, triplici inſignitur colore ſubtus nigro, medio candido, ſuperius minio; eíque varias imagines ſolent ſculptores imprimere, quandoque ex zona alba ita imaginem ſculpunt, ut nigra zona ſit loco ſtrati. Hic lapis in ſignando nil ceræ evellit, ut notat Iſidorus Orig. lib. 16. c. 8. Lemma ex Claudiano. *Nil opis externæ cupiens.* APODOSIS. Virtus ipſa ſibi ſufficit, nec indiget adſcititia venuſtate pulchrè Claudianus

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nihil indiga laudis,
Divitijs animoſa ſuis, immotáque cunctis
Cladibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

105 *Scyrus* in Inſula Scyro reperitur, mirum eſt cogitatu, & dictu; quod de hoc lapide ſcribit Plinius *lib. 36. c. 17.* eum integrum aquis innatare, & in fruſta diſſectum, ac comminutum mergi, ac naufragium pati. Lemma. *Incolumem concordia ſervat.* APODOSIS. Quævis reſpublica, vel ſocietas, vel domus, & familia tandiu ſtat, & pericula declinat quamdiu cives, ſocij, conſanguinei amico fœdere junguntur, ac unanimes, & concordes bonum commune tuentur. Si enim diſſidijs mutuis ſeparentur, facilè ſibi tunc adverſantur, & vires diminutæ adverſarijs cedunt, & franguntur. Hinc Juvenal. Sat. 2. v. 46. *Defendit numerus, junctæque umbone phalanges.* Hinc Mycipſa Rex jamjam propinquus fato filijs ſuis hoc altius menti imprimendum, & ſervandum reliquit: Concordiâ res parvæ creſcunt; diſcordiâ maximæ dilabuntur. Et Scilurus apud Plutarchum cum octaginta liberos maſculos haberet, paulo ante quàm animam ageret, faſciculum ſagitarum ſingulis porrexit, juſſitque frangere, quod cum ſinguli non valuiſſent reſiſtentibus unitis telis robori ſingulorum. Tunc pater ſingula tela ſeorſim ab alijs dedit ſingulis, qui facilè ea fregerunt. iterum Pater: *Si concordes, & uniti eritis validi, invictique manebitis. Contra ſi diſſidijs, & ſeditione diſtrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles.* Eſt concordia conſenſus plurium, qui pergunt uno animo, quibus unus, ac idem eſt finis, ſeu communis utilitas, decus, & ſalus. Hæcque eſt illa muſica, qua civium pectora demulcentur, illud temperamentum, ſine quo reſpublicæ diſſolvuntur, & diſſolutæ corruunt: quapropter Ammian. Marcellin. l. 26. ait: ſtudendum eſt concordiæ viribus totis, per quam res quoque minimæ coaleſcunt. Quod confirmat Livius Decad. 4. l. 10. exemplo T. Tatij & Romuli, qui ubi concordes regnarunt, Romanam rem viribus, & divitijs auxerunt. *Albani* ait Livius, *diruta Alba Romam traducti. Latini & Sabini in urbem recepti, ac Reipublicæ aggregati. Vulgatum illud, quia verum erat, in memoriam venit. Amicitias immortales, inimicitias mortales eſſe debere.* Si membra, partéſque reipublicæ armis, ac divitijs valentis inter ſe conſentiant, ſtabit reſpublica, corpúsq; univerſum ſalubre erit: quia publica ſalus privatorum res etiam imbecilles ſuſtentat. Eſt concordia aureum, ac adamantinũ vitæ vinculum, quo regna, & imperia vigent, & incrementa ſubeunt. Exiſtimabat Aratus apud Plutar. in Arato, urbes ſingulatim imbecilles mutuò ſervari, tanquam illigatas publico cõmodo. Et Anthiſtenes apud Laërtium l. 16. c. 1. dixit. *Fratrum inter ſe concordiam quovis muro firmius eſſe munimentum.* Philoſtratus cum ſuggeſtũ conſcendiſſet ad populum dicturus de concordia, riſum movit populo, eò quòd obeſus eſſet, ac ventre prægrandi: ſed ille nihil turbatus, vultu ad ſeriam compoſito gravitatem: quid inquit, rideris, viri Athenienſes: Uxor mihi eſt multo obeſior, & tamen concordes unus capit lectulus, diſcordes nec tota domus nobis ſufficit, à qua debet alter exire ne querelas audiat alterius. Ageſilaus percunctatus à quopiam ob quam cauſam Sparta mœnibus non cingeretur. Oſtendit cives æquè armatos, ac concordes, & ſubdidit:

Hi

Hi sunt Spartæ civitatis mœnia: significans respublicas nullo munimento tutiores esse, quàm virtute civium consentientium. Et alius scitè respondit, civitatem non saxis, lignisve, sed pro vallis, ac mœnibus incolentium virtute muniri oportere: si cives concordia muniat, nullus esse potest murus inexpugnabilior.

106 *Selenites* lapis continet in se imaginem lunæ, quam perhibent juxta cursus, ac varias astri fasces in dies singulos minui, exaugeri. Simile contingit aliquibus puteis, qui incrementum aquarum subeunt, & decrementum juxta fluxum, & refluxum maris. Lemma *Sit Rex viva lex.* APODOSIS. Quales in se excolunt principes virtutes, easdem in subditos influunt; hi enim tales esse consueverunt, quales principes virtutes esse noverunt. Hinc Claudianus ad Honorium

Jus commune jubet, si quid censesque tenendum
Primus jussa subi. Tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum
Authorem parêre sibi: Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sunc inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

Et M. Aurelius Claudius Cæsar, qui ut scribit Trebellius Pollio princeps fuit optimus, ac justissimus, & legum, quas tulit in imperio observantissimus fuit, dicere consueverat: Regem vivam legem esse: cumque lege vetuisset, ne ab Imperatore res alienæ peterentur (nam eas quoque ab Imperatore donari posse communis erat opinio) mulieri, cujus prædium ipse ante imperium ex dono Imperatoris acceperat apud se conquerenti a Claudio magistro equitum factam sibi fuisse injuriam respondit: *Quod Claudius, dum privatus erat, nec leges ita curabat abstulit: hoc idem factus Imperator restituit*, sentiens nil magis decere principem, quam si secundum leges vivat, & moribus, exemplóque ita imperium doceat; quia ut edixerat Solon, si princeps secundum leges vivat, & moribus, exemplóque suo normam vivendi tradat; universam tunc rempublicam probè regi necesse est. Et quamvis Princeps legibus quodammodo solutus sit, *in casu* scilicet *opportuno* ut loquitur Livius, nihilominus tenetur Princeps suo exemplo subditos ad legum allicere ac trahere observantiam: hinc Aristoteles *lib. 3. Polit. c. 9.* ait: *Majus imperio est legibus submittere principatum;* quia ut monet Pausanias leges hominum, non homines legum esse dominos oportet: idque causæ cur Pythagoras eam rempublicam in optimo statu esse asserverit, in qua cives obediunt magistratui, & magistratus legibus. Notum est Pittaci effatum apud Ausonium, *Pareto legi, quisquis legem sanxeris.* Nec Athenienses, & Lacedæmonij suos Principes salutârunt, quin prius jurisjurandi religione se ad legum observantiam obstrinxissent. Smaragdus, qui Prasinus, vel Neronianus à plerisque dicitur gemma est grato virore oculorum aciem ita demulcens, ac animum recreans, ut viriditate virori luxuriantium pratorũ videatur antecellere: est siquidem gemma viridis pellucida diaphana, cujus Plinius duodecim recenset distinctas species. Verùm hodie in orientalem, & occidentalem dispescitur, ille est durior, & amœno virore plenior, & oculos blandiùs demulcet: occidentalis alius vocatur Europæus, qui in Cypro, Britannia, alijsque in locis reperitur: alius Peruanus, qui licet grato excellat virore non tamen adeo vividè rutilat, sicut orientalis, quinimo ejus diaphaneitas pleruoque aliquà obnubilatur macula, seu infuscatur nubecula. Putat Scaliger, smaragdum occidentalem suam ab ære originem trahere; ea de causa quia ærugo viridis fit; & quia affricatus lapidi Lydio æris colorem reddat. Hanc gemmam prægrandis nonnunquam fuisse molis testantur Authores. Theophrastus refert à Rege Babyloniæ missum Smaragdum ad Regem Ægypti quatuor cubitorum, & in delubro Jovis apud Ægyptios reperiri obeliscum ex quatuor dumtaxat smaragdis constructum, longitudine quadraginta cubitorum, & latitudine ex una parte quatuor cubitorum, ex altera duorum. Item Appianus Grammaticus asserit fuisse in Labyrintho Ægyptio Seraphim colossum ex uno smaragdo novem cubitorum. Crantzius lib. 7. metrop. c. 3. narrat Sultanum misisse Friderico Imperatori Cantharum ex uno elaboratum smaragdo, qui sextarium balsami capiebat: & Genuæ asservatur etiamnum catinum amplum ex uno integro confectum smaragdo, qui in Diametro pedis mensuram æquat. De hoc smaragdino catino ait Jovius in Consalvo. Sanctus crater in sacrario templi maximi religiosissimè custoditur, referique immensi pretij smaragdum hexagonum, escariæ patinæ modo cavatum. Partum id fuit antiquitus ex Syriaca Victoria, & ad publicum civitatis decus D. Laurentio consecratum. Cæterum smaragdus habetur Symbolum Virginitatis, eo quia impatiens Venereæ consuetudinis esse perhibeatur. Rueius lib. 2. de Gemmis refert ingentem smaragdum Reginæ Hungariæ, cum ipsa marito consuesceret in tres partes dissiluisse, & tractum judicasse læsam Virginitatis integritatem. Lemma ex Catullo in Epithalamio *Amittit polluto corpore florem.* APODOSIS. Virginitas quovis impudico tactu læditur, & semel amisso flore nullo fit amplius pretio venalis.

EXCURSUS.

Cultura castitatis à sensuum custodia præsertim est petenda.

DEcet Virginem modestia, ne in alios oculos retorqueat, sed dejecto in terram obtutu incedat humilis, mente tamen in cœlum erectâ, ut virtutum perambulans semitam ad Deum festinet, præsertim culturâ Virginitatis, quâ præ cæteris virtutibus Deus delectatur. Neque ulla est virtus præstabilior, quàm animi, & corporis mundities, quàm exculta castitas, custodita Virginitas, quæ à Cypriano vocatur *flumus humanæ substantiæ;* quia castitatis cultor perinde ac mortuus debet omni sensu carere ad hujus vitæ delicias; quapropter a Climaco dicitur Virginitas, excessiva naturæ abnegatio, quia per inferioris hominis mortem, opprimit, & suffocat maximum naturæ appetitum. Si 107

 omnes

omnes lascivientis concupiscentiæ impetus coërceantur, omnésque pravæ affectiones compescantur, necesse est, sensus mundi delicijs emoriantur. Si qua mulier sensus non custodit exteriores, facilè virginitatem prostituit, id interest discriminis inter puellas cultrices castitatis, & alias amantes libertatis: illæ aspectum suum intra domesticos concludunt parietes: istæ in publicum, in lucem, in aspectum aliorum se se effundunt: illæ saltationes, ac choreas ignorant; istæ perdiscare student; illæ cum æqualibus saltare recusant: istæ in virorum choros ac turbas se se injiciunt; illæ quò altiùs extolluntur, eò profundiùs se se demittunt; illæ laudari cupientes adscititiam accersunt venustatem, cerusatas ac minio pictas ostendunt genas; illæ de pudore so licitæ turbantur ad virorum occursum; istæ gaudent juvenibus obviantes, ac videre, & videri: sed una cum verecundia plerunque pudorem, ac pudicitiam deperdunt; quia non solùm fœdis cogitationibus mens corrumpitur; sed & fœdissima libidine corpus contaminatur; quodque pudet me dicere; sed & piget reticere, inardet ignis impudicus ossibus, ac medullis adhærescens, & sublatis in corpore virginis membris Christi, substituuntur membra meretricis. Lapsum hominis deflet D. Ambrosius. Quid dicam, bona commemorem quæ perdidisti, an mala deflеam quæ intulisti? Cras virgo in paradiso DEI, utique inter flores Ecclesiæ, cras sponsa Christi, cras Templum Dei, habitaculum Spiritus S. & quoties dico *cras* necesse est toties ingemiscas, quia non es, quod fuisti; incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri: splendebas ut argentum; fulgebas ut aurum, quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tanquam stella radians in manu domini, nullum ventum, nullas nebulas pertimescebas. Quæ ista subitanea conversio? quæ ista repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio Satanæ: de sponsa Christi scortum execrabile, de templo Dei fanum immunditiæ; de habitaculo Spiritus sancti tugurium Diaboli. Væ tibi misera, & iterum væ, quæ tanta bona parvi temporis luxuria perdidisti. Est cultura castitatis, quâ in cella prima Christianæ perfectionis nulla est præstabilior, nulla illustrior, quam ut evartat omne cacodæmon adhibet studium; ut nostram carnem contaminet impuris cogitationibus mentem implet; quibus impia contagione anima maculetur; in id jugiter laborat tartareus hostis, ait Chrysologus serm. 11, *ut corpus animi domicilium, animæ vas, murum Spiritus, virtutum scholam, Dei Templum, in scenam criminum, in vitiorum pompam; in theatrum redigat voluptatum.* Unde pulchrum exhibet spectaculum castitatis cultor cum in carnis imbecillitate, in acerrima hac pugna, qua bellatrix caro spiritui mortem, aut servitutem denuntiat, triumphat de rebellante concupiscentia, de tartarei hostis versutia, & astu. In castris Christianæ militiæ nullum est prælium difficilius, quàm quod geritur pro castitate, quia ut scribit D. Hieronymus Epist. 10. ad Furiam. *Grandis est virtutis, & solicitæ diligentiæ in carne, non carnaliter vivere, secum pugnare quotidie, & inclusum hostem, Argi, ut fabulæ ferunt, centum oculis observare.* Cultores castitatis præsignarunt animalia illa Apocalyptica, quæ erant plena oculis ante, & retro. Debent enim oculos habere in manibus ut videant quid tangant; in pedibus ut videant quo incedant; in lingua ut videant quid loquantur; à tergo ut pericula, & insidias præcaveant; in intellectu ut videant quid cogitent; in corde ut videant quid desiderent; imò vel in ipsis oculis debent oculos habere, ne ad illicita oculi detorqueantur. Tertullianus *de Pudicia c. 10.* cultorem castitatis æquiparat funambulo, qui tenuissimum funem pendente vestigio ingreditur; carnem spiritu librat, animum fide moderatur, oculum metu temperat, ne qua illata carnis vacillatio, animi avocatio, oculi evagatio de tenore decusserit.

Specularis lapis mollis est, ac natura fissilis, instar crystalli pellucidus; ait Plinius *l. 36. c. 22.* Quòd si feræ in puteos unde effossus est labantur, medullæ ex earum ossibus intra annum ejusdem lapidis naturam contrahunt. 108
Lemma *Effingunt consortia mores.* APODOSIS. Plurimum refert, cum quibus societatem ineamus, quia ut monet Eccles. 12. Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea; & qui communicaverit superbo induet superbiam, quia ut monet Chrysostomus super Matth. Bonus ita malo connectitur, ut aut pares reddantur, aut cito ab invicem separentur. Amicitiæ enim pares aut faciunt, aut quærunt; & raro bonorum societas malos emendat, sed frequentius malorum consortium bonos corrumpit. Rerum enim natura ita est constituta, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur; diversitas enim rerum nunquam potest habere concordiam, & multos sollicitat prava societas. Nil citiùs hominem pervertit, quàm pravum alterius hominis exemplum, proinde caveant cultores virtutum, ne eum vitio indulgentibus amicitias ineant, contubernium habeant, nil homini probo nocentius homine improbo; quod avibus est viscus, quod piscibus hamus, hoc homini probo improbus, à quo ad interitum trahitur. Qui cum claudis jugiter ambulat, tandem addiscit subclaudicare, serpunt vitia & sua vicinitate letahli contagio animam inficiunt, mores corrumpunt, & in exitium trahunt; ideóque quoties bonus jungitur malo, non ex bono malus fit bonus; sed ex malo bonus fit malus; proximus periculo, vicinus exitio; & ibi imminet periculum, ubi adest malus socius: malus enim ut bonus mala faciat non solùm commendat, sed etiam mandat, cum ijs consociemur, qui nobis sunt meliores, & facturi sunt nos meliores; qui sunt deteriores non secus ac dæmones visibiles declinemus, quia ut scitè monet D. Hilarius in Psalm. 140. *Habemus laqueos in homi-*

hominibus malæ adhortationis, periculosi exempli, & elicitæ necessitatis cum nos ad voluptatem adhortantur. Vocat laqueos elicitæ necessitatis, quia illicium malæ consuetudinis, veluti necessitatem inducit perperam agendi. Hinc scripsit Seneca Epist. 11. Ante circumspiciendum est cum quibus edas, & bibas, quàm quid edas & bibas, quia convictus delicatus paulatim enervat ac emollit, & necessè est, ut imiteris, aut oderis, utrumque autem devitandum est, ne aut similis malis fias, quia multi sunt: vel ne inimicus multis, quia dissimiles sunt. Excursus de malis socijs vitandis.

109 *Sardum* saxum, quod ut ait Ortellius reperitur in Scotia altitudine duodecim cubitorum, amplitudine trium supra triginta, ex cujus parte una quamvis ingens clamor, fragor, sonitúsque si excitetur non auditur ab altera, etiam ingentium bombardarum explotio nisi remotissimè à lapide. Lemma *Nefas indurescere pravis.* APODOSIS. Homo si vitijs incaluerit, omni fit aspide surdior, nec verba salutis, ac vitæ audit, neque ad minas gehennæ aures aperit, nec pias monitiones percipit, scitè Seneca Epist. 39. *Definit esse remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia mores fiunt.* Prava in pravis consuetudo surditatem contrahit, quâ ad pias adhortationes obsurdescit, ideóque hominem in vitijs obduratum, ac veluti saxeum in præcipitium trahit, secúmque quandam veluti necessitatem trahit, quæ à D. Augustino *lib. 6. de Mus.* vocatur secunda, & quasi affricata natura. Frequentiâ enim peccandi, quædam inducitur ad vitia propensio, quâ potentiæ innato veluti pondere in illa propendent, & assuetudine scelerum intellectus circa divina, & salutaria obnubilatur, voluntas ad boni, honestique prosecutionem enervatur, appetitus distorquetur, libertas constringitur, & potentiæ omnes pravis assuetæ actibus adeo ijsdem obdorescunt, ut nonnisi difficulter flexiles fiant ad probos; quia consuetudo vitiorum ubi semel invaluit pro imperio est, ac lege, & nonnisi difficulter, magnóque nisu divellitur; periode ac clavus, qui eò firmiùs tabulæ hæret, quò fixus in eadem fuit profundiùs: assueti præsertim ab adolescentia alicui vitio, etiam in extrema senecta eidem indulgent. Hebræi quia à teneris annis cæpis, allijsque assueverant Ægypti, ijsdem suhiârunt, quæ, & delicatissimis præposuerunt edulijs; & delicatissimum manna stomaco despuit illud nauseanti: quamvis singularis benevolentiæ argumentum fuerit erranti populo per desertum annis quadraginta cœlum diebus singulis manna abundè suppeditâsse, adhuc obmurmurabat populus Num. 11. v. 4. *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.* Quid quòd nauseanti stomacho manna desipuit, in quod ciborum omnium cupedias, deliciásque confluxerant? nisi quia à teneris assueverit populus cæpis, porris, alijsque vilioribus terræ oleribus? ita est cœlestis panis cupedias, ac delicias fastidit, qui terrenis assuescit voluptatibus; & viliora edulia cœlestibus præfert delicijs. Quid utilius, quid optabilius, quàm sine impensis, absque labore obsonia colligere non solum ad vitæ sustentationem necessaria, sed & ad delicias omnes ingerendas accommodata? in unico enim manna omnes omnium mensarum lautitiæ continebantur, & gustabantur, & quidem suaviùs, quàm in ferculis Heliogabali, Antonij, ac Cleopatræ? & nihilominus hocce saporum omnium compendium, hoc cupediarum omnium suavissimum edulium fastidivit in deserto populus, quoties mentem subierunt Porri, allia, & cæpæ Ægyptij; adeo inoleverat consuetudo ad vilia, ut nobilia præ illis neglexerit populus. Nauseant divinas delicias, quotquot terrenis assuescunt voluptatibus, quæ vilissimæ sunt; virtutem excutiunt, pietatem oderunt, & expetunt terrena, inhiant vitijs.

Synodites lapis est, qui teste Damascio in 110
vita Isidori lunam, solémque impressum refert, & illam ad hujus varios aspectus crescentem, & decrescentem; adeout luna in hoc lapide annuos solis cursus spatijs menstruis sequatur, cujus tenuissimum lumen facit proximus ad solem accessus, & digressus pleniorem; idque causæ cur modò curvata in cornua, modò æqua portione divisa, modò sinuata in orbem appareat. Nonnius tamen in Dionys. ait juxta lumen cœleste fieri has mutationes in hoc lapide. Lemma *Tempera te tempori* APODOSIS. Vir prudens temporis necessitudini se accommodat, cui & paret: hinc Pindarus *Proque loco nunc hunc fieri, nunc expedit illum.* Tempori qui paret, necessitati paret, & divinæ voluntati: æquanimiter sunt toleranda quæ tempore contingunt adversa, quæ ad primum accessum nobis videntur superatu difficillima post fluxum temporis ex se evanescunt, nec ullam amplius ingerunt, molestiam. Excursus de æquanimitate, & patientia in tolerandis adversis. *Syrtitæ* teste Plinio lib. 37. c. 10. lapides sunt, qui in Syrtium litore, & in Lucania reperiuntur croco fulgentes è colore melleo, intus stellas continent, sed languidiores. Lemma *Clarâ propagine nati.* APODOSIS. Nobilitas si vera est, non humi vilescit terrenis inhians, sed virtutibus splendet, & cœlestia desideria fovet in corde.

Tecolithos ex Plinio *lib. 37. c. 10.* oleæ nu- 111
cleo est similis; neque est illi gemmæ perspicuitas, nec honos, lingentium tamen calculos frangit. Lemma *Languet ni lingat.* APODOSIS. Petra Tecolithos Symbolum est Christi, de quo dicitur Petra autem erat Christus, huic qui adhærent, ejúsque passionem meditantur, duritiem cordis frangunt, ad resipiscentiam emolliuntur, & ad virtutum culturam.

Topazius inter virentes gemmas illustris 112
suam sortitur nomenclaturam à quadam in mari rubro Insula Topazon dicta: unde Plinius lib. 37. histor. natur. c. 8. ait: *Juba Topazon Insulam in rubro mari è continente stadijs trecentis abesse tradit nebulosam, & ideo sæpe quæsitam à navigantibus ex eâ causâ nomen accepisse.* Duo sunt Topazij genera alterum orientale quod instar puri puti auri rutilat; alterum Europæum,

hóc-

hócque instar cryſtalli eſt molle, cum aureo colore parum vel multum nigricante; & hos inter, aliqui tam parum habent flavedinis, ut nonnihil nigredine à cryſtallis diſtinguantur, & hujus generis topazij in Bohemiâ paſſim reperiuntur. Cæterum ex nobilibus gemmis hæc limam patitur cum reliquæ ut plurimum cote perpoliantur. Refert Plinius l. 37. c. 8. ex topazio erectam fuiſſe ſtatuam quatuor cubitorum in delubro aureo. Lemma *Fit clarior uſu.* APODOSIS. Virtus exercitio, & adverſitate perficitur; hinc quæ vulgò corrupta opinione mala cenſentur, bona nobis ſunt, quia nos poliunt, perficiúntque, ſuperflua adimunt, ne aggravent. Mala judicantur, quæ nobis ſunt adverſa, nóſque limâ tribulationum terunt; ſed hæc bona ſunt, quia meliores faciunt. Deus qui nequit errare in rerum delectu adverſa immittit ſuis dilectis, non ſunt ergo mala, quæ nobis Deus optimus impertitur, ut ſimus meliores. Sunt adverſitates, quibus divexamur, perennium bonorum baſes, ac Beatitatis ſedes.

113 *Trichius* ex Africa lapis diſcolor teſte Plinio lib. 37. c. 8. tres reddit colores in radice niger eſt, in medio ſanguineus, & in ſummo candidus. Lemma *Ad ſuprema per ima.* APODOSIS. Humilis quò obſcurius delitefcit, eò ſplendet illuſtrior, ſe ad ima demittit, ſed ſublimior evehitur: ex radice obſcura oritur gemmeus candor. Humilitas fundamentum eſt, quo reliqua virtutum ſtant decora; quamvis omnibus ſit prope deſpectui, cælitibus tamen jucundo eſt aſpectui; imò adeo eſt neceſſaria, ut nulla ſit virtus ſine illa, & nulla deſit cum illa; tantum enim quis deficit in ſanctitate, quantum non proficit in humilitate; adeo ut non aſcendat ad ſublimia virtutum, qui non deſcendit ad ima humilitatis, neque aſcenſus ad perfectionem eſt quid aliud, quàm deſcenſus ad ſui deſpectionem, ſitque propterea quis eò ſanctior, quò humilior; eò clarior, quò obſcurior. Nihil facit qui ſe nihili non facit. Sui deſpectus magnes eſt divini aſpectus, illex eſt divinitatis: adeſt Deus ei, qui ſibi deeſt: ſi fundamentum deſit humilitatis, tota corruit ſtructura ſanctitatis, idque firmatur authoritate illius in Eccleſia, qui ſumma fuit inſignitus ſanctitate: ait enim D. Gregorius in explic. 3. Pſalm. pœnit. *Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum pulverem portat.*

114 *Triophthalmos* referente Plinio *lib. 37. c. 11.* lapis eſt, qui cum onyche naſcitur, trésque hominis oculos ſimul exprimit. Lemma *Trinus in uno.* APODOSIS. Tres oculi una, eadémque luce fulgentes, una eadémque ſubſtantia exiſtentes Symbolum eſſe dixerim Trinitatis.

115 *Tophus* lapis eſt ſcaber, quanto cæteris levior, tanto reliquis in ædificijs perennior, ac durabilior. Tritus enim, & coactus inſtar calcis ſolidiſſimos conſtruit parietes, neque aqua eſt permeabilis ut reliqui lapides. Lemma *Aſperitate perennat.* APODOSIS. Sanctitatis rudimenta ſunt corpori perquam dura, & aſpera, ſed ſpiritui utilia, quia perennat beatitate donatus. Frangendus eſt corporis cortex, qui licèt amarus ſit, nucleus tamen intus dulcis, & ſuavis; Carnis exaſperata mortificatio, cordis eſt perennis vivificatio; tophum carnis terimus, ſpiritui perenne conſtruimus ædificium. Si morimur carni, vivimus ſpiritui, qui carnis cruciatibus gaudet, doloribus delectatur, jejunijs paſcitur, macerationibus corroboratur, infirmitatibus convaleſcit, gemitibus exultat, lacrymis efflorefcit, ſiti reficitur, paupertate ditefcit, cilicijs ſolatur, flagellationibus integratur. Excurſus de aſperitate vitæ, ac pœnitentia.

Turcheſia ſuam trahit denominationem à Turcis, à quibus ad nos adfertur. Jaſpidis præfefert ſpeciem. Hujus gemmæ duo ſunt genera, aliæ enim dicuntur Turcheſiæ Orientales, aliæ occidentales; illæ in Perſia nigris lapidibus adnaſcuntur, & earum quædam eundem ſemper ſervant colorem, aliæ ad viriditatem vergunt. Occidentales colliguntur in Germania, præſertim Bohemia, Hiſpania, tantæ ſubinde magnitudinis ut nucem juglandem æquent. Sunt qui turcheſiam horologij vices ſupplere poſſe putent, ac oſtendere quota ſit diei hora, ſi nimirum ex filo indice, & pollice comprehenſo intra vitri concavum palmaris vel minoris latitudinis ſuſpendatur. Hic lapis habetur etiam amuletum ad leniendos oculorum, & capitis dolores, inimicitias extinguendas, & amorem inter uxorem, & maritum conciliandum. Lemma *Nectit fœdera amoris.* APODOSIS. Divina gratia animos diſſidentes componit, & per lethalem noxam à Deo averſos ad ſummum bonum convertit, ejúſque amorem accendit, quò arctiùs eidem adhæreant. 116

Uniones gemmæ ſunt notiſſimæ, opacæ, ſplendentes in ſinu genitæ concharum, fulgore ſuo argenteo oculos mirè recreantes, animúmque demulcentes. Cenſet Plinius, uniones, ſeu margaritas generari ex roſcido imbre, quando conchæ margariferæ horis antelucanis hiant, roremque ebibunt matutinum, juxta cujus puritatem limpidas, puráſque generant conchæ margaritas; ſin verò ros ſit impurus, minuſque defœcatus, obſcuriores eniuntur conchæ uniones. Verùm experimento piſcatores deprehendunt uniones, non ſolùm conchæ, ſed ipſis viſceribus piſcis adhærefcere, ac ab ijsdem extrahi, ſive conchæ capiantur in marino litore, ſive in maris fundo. Unde non ſunt uniones matutinus ros, qui in concham delapſus ibi concreſcat in margaritam; alioquin cum ros in omnes decidat conchas eidem inhiantes, ac eumdem hiantes ſuſcipientes, omnes conchæ eſſent fœcundæ, ac ſuos parerent uniones, & diteſcerent margaritis, quod experimento deprehenditur falſum. Pluresenim ſunt conchæ margaritis deſtitutæ, quàm ijsdem inſtitutæ; non enim omnes conchæ ſunt margaritis fœtæ, plures ſterileſcunt, quàm ſint fœcundæ. Rectiùs, ac veriùs ſentiunt autumantes, margaritas non ſecus in conchilijs generari ac lapides in viſceribus aliorum animalium, & ex eodem concreſcere viſcoſo humore; 117

ſed

sed defœcatiore, quo testæ ipsæ concharum. Humor hic glutinosus, ac tenax paulatim concrescit, ac induratur; & unio fit ex hoc succo defœcatiore, ac accuratiùs præparato; ille dicitur succus præparatior, qui particulis constat probè divisis, ac subactis, quò miscibilium particulæ sunt magis divisæ, mixtum, quod ex ijsdem concrescit est perfectius; partes enim exiles, & exiguæ, faciliùs & meliùs commiscentur, hinc gemmæ constant succo defœcatissimo. Concrescit autem hic succus in gemmam perinde ac lac in butyrum, vel caseum; partes humoris superflui subsidunt, dum aliæ implicantur, seu hunc, vel alium plexum faciunt: congeruntur ramenta illa, & quadam uligine coagulantur, est hæc uligo à filaminibus, quorum plexu humoris particulæ implicantur t deinde humor supetfluos, vel subsidit, vel vi caloris exhalatur, quo pacto concrescit calculus in renibus, vel lapis in vesica. Pari pacto generantur in corpore piscis conchæ hærentis uniones. Dum succus uliginosus non expellitur, ejus particulæ quodam flexu implicantur, & concrescunt, & humor superfluus vel subsidit, vel calore innato exhalatur: quo fit, ut conchæ multiplici constent cute, quia dum posterior succus exsiccatur, novus adjicitur. Dum igitur successivè defœcatus hæret in corpore piscis, ac ibidem exsiccatur, fit rudimentum, seu initium margaritæ, quæ adjecto sæpius novo humore exsiccato, nova cute augetur, ac in unionem crescit. Piscantur urinatores conchas margaritiferas sub aquis, vel etiam retibus gregatim nantes capiunt. Cum suo sint sub Rege illustrioris formæ, hoc capto reliquæ hærent attonitæ, ut tradit Ælianus de Indis lib. 14. c. 8. Margaritæ ab orbe perfecto, lævore, pondere, ac magnitudine pretium desumunt. Plinius l. 9. c. 35. ait, Cleopatram duos maximi pretij possedisse uniones; & eorum alterum in aceto liquefactum, ac solutum Marco Antonio Amatio bibendum dedisse; alterum Romam delatum, sectúmque in templo Veneris appendisse. Cæterum Solinus Polyhistor ait: *Conchæ sunt, in quibus hoc genus lapidum requiritur, quæ certo anni tempore luxuriante conceptu, sitiunt rorem, velutè maritum, cujus desiderio hiant. Et cum lunares maximè linguuntur aspergines, oscitatione hauriunt humorem concupitum. Sic concipiunt, gravidæque fiunt; & de saginæ qualitate reddunt habitus unionum.* Concha posset pingi oscitans rore aspersa. Lemma *Fæcundo rore referta.* APODOSIS. B. Virgo quia cœlesti rore, seu divina gratia plena pretiosissimum concepit in suo utero virginali ope Spiritus S. unionem, seu Christum verum Deum, & hominem; pretio hujus unionis Deus humanum genus redemit, & solvit pro hominibus, qui non erant solvendo, qui propterea tenebantur luere in pelle. De hoc conceptu Virgineo, pulchrè & piè Sedulius l. 2.

Uterúmque puellæ
Sydereum mox implet onus, rerúmque Creator
Nascendi sub lege fuit; stupet innuba tensos
Virgo sinus, gaudétque suum paritura parentem.

Ad solius Dei gloriam.

FINIS.

INDEX

Rerum notatu digniorum, quæ in hoc volumine continentur. Numerus prior productus Paginam designat, secundus est Marginalis.

A.

Ada-

Ana-

Ar-

B.

C.

B.

C.

Cœ-

Copres-

Dono-

E.

F.

illi-

G.

bra

Hie-

L.

Clau-

Luna

Ab

N.

Orphæo

P.

Philo-

Psitta-

Q.

R.

S.

Satur-

Sol

Super-

T.

Tor-

V.

Per

Vipera

Ignis

X.

Z.

F I N I S.